

UNIVERSITY OF ST. MICHAEL'S COLLEGE
3 1761 01904315 7


ST. BASIL'S SEMINARY
LIBRARY


UNIVERSITY OF ST. MICHAEL'S COLLEGE
LIBRARY

ELENCHUS
AUCTORUM ET OPERUM
QUI IN HOCCE VOLUMINE CONTINENTUR.

THEOLOGIÆ
CURSUS COMPLETUS,

EX TRACTATIBUS OMNIUM PERFECTISSIMIS UBIQUE HABITIS,

ET A MAGNA PARTE EPISCOPORUM NECNON THEOLOGORUM

EUROPÆ CATHOLICÆ,

UNIVERSIM AD HOC INTERROGATORUM, DESIGNATIS,

UNICÈ CONFLATUS,

Plurimis annotantibus presbyteris
ad docendos levitas pascendosve populos altè positis.

ANNOTARUNT VERO SIMUL ET EDIDERUNT

FR. J. P. ET V. S. M**.**

EDITIO ALTERA.

TOMUS TERTIUS.

DE VERA RELIGIONE. — VARIÆ APPENDICES. — DE PRIMATU ROMANORUM PONTIFICUM.

PARISIIS,

APUD EDITORES,

IN VIA GALLICÈ DICTA:

RUE D'AMBOISE, BARRIÈRE D'ENFER,

1839.

MONITUM.

Post luculentam Ballerini de Pontificiâ potestate disceptationem, fortè ab æquitate promissâ desciscere videbimur, siquidem non præstò succedat egregius auctor partes Gallicanas propugnaturus. Verùm cùm huicce opinioni faveat Regnier, cujus tractatum de *Ecclesiâ* volumen proximè sequens exhibebit, nobis visum est neque justum, neque congruum fore, si materies eadem hìc iterùm recurreret. Præthereà tali augmento longè suprà modum præsens volumen ampliaretur.

Quòd si autem Ballerinum tractatui *Ecclesiæ* præmisimus, ad id fuimus impulsi, tùm quia in honorem Romæ conveniens est ut opinio universalior localem opinionem præcedat; tùm quia multa affinia *Ecclesiam* immediatè sequentur, nempè Hæreses, Concilia et Hierarchia ecclesiastica; tùm quia, aliter agendo, tractatum *Ecclesiæ* scissum in duo volumina spargere necesse fuisset, quod minùs gratum et minùs commodum.

EXCUDEBAT E.-J. BAILLY, IN FORO SORBONICO, 2.

TRACTATUS
DE VERA RELIGIONE.

Pars secunda.

DE RELIGIONIS REVELATÆ PRINCIPIIS CONTINUATIO.

De legis christianæ divinâ origine et naturâ.

In hâc de christianâ lege disputatione eamdem, quam in parte superiori, sequemur divisionem. In 1° articulo, librorum N. T. quibus continetur Religio christiana, antiquitatem atque integritatem vindicabimus. In 2° cœlestem Christi Domini missionem et Religionis christianæ originem divinam ex motivis, quæ dicuntur externa, asseremus. In 3° reipublicæ christianæ formam, legisque novæ naturam aperiemus, ejusque divinam originem ex motivis, quæ dicuntur interna, ostendemus. In 4° legum omnium christianarum, seu moralium, seu positivarum, fines explicabimus, et cum quantâ fuerint sapientiâ singulæ institutæ, demonstrabimus. In 5° de Religionis christianæ, quoad substantiam et principalia dogmata, antiquitate mundi æquali, et ejus perpetuitate disseremus.

ARTICULUS PRIMUS.

De antiquitate, authenticitate atque integritate librorum novi Testamenti (1).

Quamvis ordiamur hanc disputationem ab inquisitione in auctores librorum N. T., tamen non est æquè necessaria hujus quæstionis definitio, quàm fuerat in priori parte illa de Pentateuchi antiquitate : est enim christianarum rerum certa traditio, saltem quantùm ad nostrum institutum pertinet, independenter ab istorum librorum antiquitate : quia ad efficiendam Religionis nostræ divinam originem satis est, certò scire, illam traditam à Christo fuisse et receptam propter fidem miraculorum ejus et Apostolorum; quod, nec Judæi, nec Deistæ unquàm negârunt (1). Verùm quoniam traditio christiana in partibus etiam minùs principalibus summam firmitatem ex authenticitate et integritate librorum N. T. accipit, propterea quòd ex illâ evidentissimè appareat hanc traditionem in origine non fuisse incertam, neque in transmissione parùm fidelem et securam, de illâ haud pigebit paucis disserere.

Fuit hæc librorum N. T. antiquitas et integritas agnita ab omnibus ad hæc nostra tempora cujuscumque causæ patronis, à Judæis, à paganis, aliisque, qui cavillandi causam le-

(1) Prodiit in vulgus anno 1767 furtivis typis impressum opus posthumum Cl. Freret, dùm viveret, Academiæ regiæ inscriptionum et humaniorum litterarum secretarii perpetui, cum hoc titulo : Examen critique des Apologistes de la Religion chrétienne. In quo vir certè ingeniosus et doctus, et à nostrâ Religione revelatâ multùm, ut apparet, alienus, omnem industriam contulit ad minuendam librorum N. T. auctoritatem. Attamen, quamvis fuerit in rebus critices exercitatissimus, nihil novi attulisse videtur, quod ab aliis non fuerit observatum, et à nostræ Religionis defensoribus sæpiùs confutatum : quod, puto, satis ostendent breviores notæ, quas textui nostro apponemus.

(1) Ergo probare non possumus propositionem hanc quâ prædictus auctor orditur suam accusationem c. 1 : « Ce sont les Evangiles qui fournissent la preuve la plus complète de la vérité du Christianisme : on ne saurait donc mettre dans une trop grande évidence l'authenticité de ces ouvrages, puisque de là dépend le jugement que nous devons porter de la sincérité de ceux qui les ont composés. »

vissimam avidi semper arripuerunt : extitêre tamen aliqui in hâc nostrâ ætate, qui istos omnes in nostram Religionem invidiâ superârunt, seseque suspicari vanitatem et fraudem simulârunt : non puto, quia reverà dubii, sed malâ fide, ut novarum difficultatum larvâ imperitos deciperent. Nequaquàm pertinet ad rem nostram librorum singulorum auctores speciatim investigare : satis est si evidentissimis argumentis conficiamus plerosque apostolicorum temporum æquales esse, verisque nominibus nuncupatos. Ita quippe omnes cohærent, seseque continent invicem, ut nihil effecerint Deistæ, nisi ad unum omnes conflictos, aut corruptos ostenderint.

PROPOSITIO.

Libri novi Testamenti, quibus continetur lex christiana, æquales sunt apostolicorum temporum, et ipsorum Apostolorum vel primorum discipulorum, quorum nomina ferunt, genuina opera.

I. Antiquitatem librorum N. T. adstruit fides publica, idque cum summâ auctoritate. Constans semper fuit et consentiens hâc de re omnium hominum vox, ab ipsâ Apostolorum ætate ducto initio. Illos quippe libros laudavêre inter Christianos Clemens Romanus et Ignatius Antiochenus episcopus Apostolorum æquales; Polycarpus Apostolorum, Joannis, inprimis, discipulus; Papias sodalis Polycarpi (1). Justinus verò Martyr, ante conversionem gentilis philosophus, edicit ante medium secundi seculi, pro Religione christianâ Apologiam, in quâ scribit monumenta Apostolorum, simul cum scriptis prophetarum, legi solita diebus dominicis in conventibus Christianorum, hancque consuetudinem ubique invaluisse. Athe-

(1) Habemus Clementis Romani, viri apostolici, qui florebat anno æræ vulgaris 65 et in cathedrâ Romanâ Petri successor fuit, epistolas duas, quarum authenticitas extra omnem controversiam posita est. In priore n. 13, hæc leguntur : « Misereminì, ut misericordiam « consequamini ; dimittite ut dimittatur vobis: « sicut facitis, ita vobis fiet ; sicut datis, ita « dabitur vobis; sicut indulgetis, ita vobis in- « dulgebitur : quâ mensura metimini, in eâ « mensurabitur vobis. » Confer Lucæ c. 6: v. 36, 37... N. 46 : « Væ homini illi! bonum « erat ei, si natus non fuisset, quam ut unum « ex electis meis scandalizaret : melius erat, « ut ei mola circumponeretur et in mare de- « mergeretur, quàm ut unum de pusillis meis « scandalizaret. » Vide Matth. 18, v. 6; et 26, 24; Marc. 9, 42; Luc. 17, 2... Ep. 2, n. 2 : « Alia quoque Scriptura ait : Non venit vocare « justos, sed peccatores. » Vide Matth. 9, 13... N. 3 : « Ait vero etiam ipse : Qui me confessus « fuerit in conspectu hominum, confitebor « ipsum in conspectu Patris mei. Vide Matth. 10, 32... N. 4 : « Siquidem ait : Non omnis, « qui dicit mihi, Domine, Domine, salvabitur, « sed qui facit justitiam. » Vide Matth. 7, 21... Ibid. : Idcircò vobis hæc facientibus dixit Do- « minus : Si fueritis mecum congregati in sinu « meo, et non feceritis mandata mea, abjiciam « vos, et dicam vobis : Discedite à me, nescio « vos, unde sitis, operarii iniquitatis. » Vide Matth. 7, 23; Lucæ 13, 37... N. 6 : « Dicit au- « tem Dominus : Nullus potest duobus domi- « nis servire; si nos volumus et Deo servire « et mammonæ, incommodum nobis est : nam « quæ utilitas, si quis universum mundum lu- « cretur, animam autem detrimento afficiat? » Vide Matth. 6, 24; et 16, 26... N. 8 : « Ait « quippe Dominus in Evangelio : Si parvum « non servâstis, quis magnum vobis dabit? « Dico enim vobis : qui fidelis est in minimo, « et in majori fidelis est. » Vide Lucæ 16, 12... N. 9 : « Etenim Dominus dixit : Fratres mei « sunt, qui faciunt voluntatem Patris mei. » Vide Matth. 12, 50.

S. Ignatius, qui anno 101 florebat, et Petri post Evodium in Antiochenâ ecclesiâ successor, septem reliquit epistolas omnium nunc fermè eruditorum consensu sinceras (vide Pearson, Dupin, Nat. Alexandrum). In Ep. ad Ephesios, n. 14, hunc textum laudat: *Manifesta est arbor ex fructu ipsius.* Vide Matth. 12, 33... In Ep. ad Smyrnæos n. 1, scribit Christum baptizatum esse à Joanne, « ut impleretur ab « eo omnis justitia. » Vide Matth. 3, 15... N. 6, hæc verba describit : « Qui capit capiat, » ex Matth. 19, 12... In Ep. ad Polycarpum, n. 2 : « Prudens esto sicut serpens in omnibus, « et simplex ut columba. » Vide Matth. 10, 16... In Ep. ad Philad. habet : « Confugiens ad Evangelium tanquàm ad carnem Jesu et ad Apostolos velut ad Ecclesiæ presbyterium; » quo in loco per Evangelium et Apostolos significat scripta evangelica et apostolica. Ibid. : « Sed et prophetas amamus, quia ipsi nuntiârunt, quæ pertinent ad Evangelium, id sperârunt, atque exspectârunt. » In eâdem Ep. Judæum sic loquentem introducit : « Nisi invenero in antiquis vaticiniis, Evangelio non credo. » Et ad Smyrn. loquens de quibusdam hæreticis, qui Christum corpus assumpsisse negabant, habet : « Quibus nec prophetiæ persuasêre, nec Moysis lex, sed nec Evangelium. » Ibid n. 7 : « Attendere autem Prophetis, præcipuè autem Evangelio, in quo passio nobis ostensa et resurrectio perfecta est. »

Hermas vir apostolicæ ætatis, in libro qui Pastor inscribitur, plurima habet ex Evangelio S. Matthæi. Papias Joannis Evangelistæ, ut à quibusdam creditur, auditor, expressè testatur, S. Marcum, Petri interpretem, quæcumque memoriæ mandaverat, diligenter descripsisse. De Matthæo verò sic habet : « Matthæus quidem, inquit, hebraico sermone divina conscripsit oracula. » Euseb. lib. 3, c. 39. S. Polycarpus in Epistolâ, quam unicam reliquit, n. 6, scribit : « Si ergo deprecamur Dominum ut « nobis dimittat, debemus et nos dimittere. » Vide Matth. 6, 12 et 14... n. 7 : « Rogantes « omnium conspectorem Deum ne nos inducat « in tentationem, sicut dicit Dominus : *Spiri-*

nagoras, Irenæus, l. 3, c. 1; et apud Euseb. hist. l. 5, c. 8, Clemens Alexandrinus, qui secundo seculo vixêre, quatuor Evangeliorum ubique receptam auctoritatem sexcentis in locis testantur. Tertullianus verò istorum æqualis de Præscript. c. 26, ipsa autographa Apostolorum suo tempore extitisse scribit : « Age, inquit, jam si voles... percurre Ecclesias apostolicas apud quas ipsæ adhuc cathedræ Apostolorum suis locis præsidentur, apud quas ipsæ authenticæ litteræ eorum recitantur, sonantes vocem et repræsentantes faciem uniuscujusque : proxima est tibi Achaia? Habes Philippos, habes Thessalonicenses. Potes in Asiam tendere? Habes Ephesum. Si autem Italiæ adjaces, habes Romam, » etc. Qui eos secuti sunt scriptores ecclesiastici, ut Origenes apud Eus. l. 6, c. 25, et alii, eodem modo authenticitatem librorum N. T. suo suffragio comprobârunt.

Eorumdem librorum antiquitatem atque authenticitatem agnoverunt etiam veteres plerique hæretici, Cerinthus, Ebion, Cerdo et alii (1); agnovêre pagani quotquot adversùs Religionem christianam scripserunt, quorum maximè interfuit eorum fidem minuere. Celsus, qui secundo seculo scripsit adversùs Religionem christianam, plura laudat ex Evangeliis, seque illa ex libris discipulorum Christi describere affirmat. Porphyrius, Amelius, Julianus et alii, ne minimam quidem fraudis in istâ parte suspicionem significârunt. Ergo constans et consentiens semper fuit de istorum librorum antiquitate atque authenticitate omnium hominum vox. Habet hæc consentiens omnium sententia confirmationem ex monumentis et ipsis rebus; ex publicâ Christianorum doctrinâ et consuetudinibus. Etenim quæ pars doctrinæ christianæ in istis libris contentæ ad fidem Christianorum non pertinebat ab initio? Quod institutum ibi describitur, quod servatum fuisse non constet? dies dominica, festa paschatis et pentecostes, nativitatis Domini et epiphaniæ; ordines ecclesiastici; episcoporum, præsbyterorum, et diaconorum munera; Ecclesiæ jejunia, sacramenta, constitutiones : hæc omnia cum Evangelistarum narratione consentientia invenimus, et efficiunt illos libros Christianis semper fuisse normam vitæ, et proinde à primis magistris conscriptos.

tus quidem promptus est, caro autem infirma. » Vide Matth. 6, 13; et 26, 41.

At, inquit prædictus auctor, omnibus fatendum est sequentes textus ex apocryphis descriptos esse : in Ep. 2 Clementis legimus n. 5 : « Ait enim Dominus : *Eritis sicut agni in « medio luporum* : respondens autem Petrus, « dixit : Si ergo lupi agnos discerpserint? Dixit « Jesus Petro : Ne timeant agni post mortem « tuam lupos; et vos nolite timere qui occi- « dunt vos, et postea nihil possunt vobis face- « re; sed timete eum, qui postquàm mortui « fueritis, habet potestatem animæ et corporis, « et mittere in gehennam. » Fatetur tamen idem hæc magnam convenientiam habere cum iis quæ leguntur Matth. 10, 16 et 28. Lucæ 10, 3... Ibid. « n. 8 : Ait quippe Dominus in Evangelio: Si par- « vum non servabis, quis vobis magnum dabit? « Dico enim vobis, qui fidelis est in minimo, « et in majori fidelis erit : » et hæc eodem fatente parùm distant ab iis quæ Lucæ 16, 10, habentur : *Qui fidelis erit in minimo et in majori fidelis erit.* Denique in Ep. S. Barnabæ nomine inscriptâ, et quæ, si non authentica, saltem est antiquissima, plura sunt ex Matthæo, Lucâ et Joanne deprompta.

Observat prædictus auctor à scriptoribus apostolicis ante Justinum Martyrem, nec Matthæum, nec Marcum, nec Lucam, nec Joannem, nominari tanquàm Evangeliorum auctores : id verum de omnibus est, excepto tamen Papiâ, neque ullius habere debet admirationem, imò est signum summæ antiquitatis illorum scriptorum. Nam isti Patres apostolici, præsertim Clemens Romanus et S. Barnabas, non didicerunt doctrinam Christi ex scriptis Evangelistarum, sed ex familiari cum Apostolis conversatione, et tam potuerunt illi Evangelia conscribere, si necesse fuisset, quàm Lucas aut Marcus; et consequenter verba Christi narrare potuerunt sine ullâ ad Evangelia relatione; cùm etiam Ignatius et Polycarpus auditores quoque Apostolorum fuerint, omnia quæ descripserunt ab illis accipere potuerunt, quod etiam prædictus auctor ipse notat : « Il est incertain si les maximes de J.-C. répétées par les premiers Pères, sont tirées de quelques livres, ou si elles ont été retenues de vive voix, et transmises aux disciples par le canal de la tradition. » Non erat longa illa traditio, si eam immediatè acceperint à beato Joanne : et cùm illi textus planè conformes sint Evangeliis receptis, quod etiam fatetur dictus scriptor, quamvis ipsissimis verbis non enuntientur, sunt totidem confirmationes antiquitatis et veritatis Evangeliorum. Sed idem hujus suæ observationis, quæ verissima est, oblitus affirmat PP. Apostolicos ante Justinum planè ignorâsse quatuor nostra Evangelia, et illos textus descripsisse ex Evangeliis apocryphis. Quod omni caret probatione. Nam PP. illi apostolici haud magis nomine suo appellant Evangelia aliqua apocrypha, quàm vera. Neque extant jam aliqua apocrypha, aut extitisse olim demonstratur, in quibus essent prædicti textus. Et unde factum, quæso, est, ut neglectis illis apocryphis, quibus sunt usi Clemens, Barnabas, Ignatius, Polycarpus, tempore S. Justini in Ecclesiis omnibus legi consueverint quatuor nostra Evangelia? Ob nullam sanè aliam causam horum viguit auctoritas, quàm ex apostolicorum antistitum approbatione.

(1) Hoc negat præfatus auctor, sed temerè, uti modò videbimus.

Jam vero summæ est auctoritatis hæc fides publica, et ex illâ elucet summa in re facti evidentia; quod cuique patebit, qui velit animum attendere ad hujus testimonii publici characteres. 1° Quòd ab Apostolorum ætate ad hæc usque tempora perpetua sit et unanimis omnium hominum vox, nullus vel levissimam fraudis suspicionem significaverit. 2° Quòd constet in Ecclesiâ conservatos fuisse codices ipsis Apostolorum manibus exaratos. 3° Quòd reipublicæ christianæ usus et consuetudines accuratam istorum librorum quodammodò picturam efficiant. 4° Quòd libri illi tanquàm divini in omni ætate semper habiti fuerint (1), et ideò cum summâ curâ et diligentiâ servati; quod etiam patet tum ex usu Ecclesiæ, quæ, illos libros cum propheticis V. T. oraculis semper legit in publicis Ecclesiæ cœtibus; tum ex gentilium, tempore Diocletiani, conatibus ad destruenda omnia exemplaria, atque Christianorum in iis servandis studio ac constantiâ; quæ certè ostendunt ab utrisque illos libros habitos fuisse pro authenticis et sacris christianæ Religionis monumentis. 5° Quòd libri illi omnium Christianorum manibus tererentur et ad eorum præscripta vitam componere studerent; adeòque omnes quotquot fuêre unquàm Christiani, horum librorum testentur auctoritatem. 6° Quòd in omni ætate multi fuerint, quorum intererat fraudem, si qua esset, detegere. 7° Quòd ad nullos unquàm libros toties provocatum sit, nulli quorum tot facta exemplaria, nulli in tam varios translati sermones, aut adeò apud omnes gentes propagati, aut curiosius à dissentientibus partibus ad dirimendas controversias perlecti et examinati. Qui hæc, inquam, diligentiùs voluerit expendere, inveniet nullum esse librum alium, cujus antiquitatem cum majori adstruat auctoritate fides publica.

II. Libri N. T. habent omnes notas apostolicæ ætatis, atque auctorum quorum nuncupantur nominibus.

Primò nihil in historiâ evangelicâ reperitur, quod ad illam ætatem non pertineat. Nulla sunt, quæ cum historicis sive Judæis sive paganis ullo modo dissentiunt, aut quæ postea evenisse suspicari liceat: summa nempe est consensio sacrorum et profanorum scriptorum in iis quæ de religione, legibus, politiâ, cæremoniis, jurisprudentiâ (2), opinionibus, sectisque Judæorum memoriæ prodita sunt. Nullibi in chronologiâ vel geographiâ erratur: accuratissimè designatur locorum situs, ubi res gestæ à Christo sunt. Qui fieri potuit, ut errores innumeros in iis omnibus vitaret, qui post illam ætatem, et eversam funditùs rempublicam scripsisset? Imò non solùm nulla sunt, quæ istorum librorum recentiorem produnt ætatem, sed multa valdè manifestam faciunt antiquitatem: verbi gratiâ, in Evangeliis Matthæi, Marci et Lucæ referuntur Christi Domini vaticinia de proximè venturâ Judæorum fortunâ, urbisque excidio: silent tamen iidem de rerum exitu et completione illarum prædictionum. Ex quo manifestum est illam prophetiam, quo tempore scribebant, completam nondùm fuisse; aliàs certo certiùs tam memorabilis eventûs in commendationem magistri meminissent. Sic liber Actuum Apostolorum editus post Evangelium Lucæ, scriptus fuit ante Pauli à primis vinculis solutionem; nam eò usque historiam illius Apostoli individuus ejus comes deducit: certè si postea scriptus fuisset, cum eâdem curâ et diligentiâ relata haberemus, quæ eidem post eadem vincula contigêre. Denique unaquæque Pauli Epistola suam prodit ætatem, cùm clarissimè appareat singulas scriptas fuisse, nondùm propagatâ fide aut confirmatâ Ecclesiâ, stante cum templo civitate judaicâ. Nam istorum temporum, ut patet ex singulis lineis istarum epistolarum, controversia fuit, utrùm cum lege Christi conjungenda esset rituum Mosaicorum observantia, et cùm in singulis litteris omnium argumentorum genere Christianos judaizantes premat Apostolus, nullibi tamen meminit eversæ civitatis aut per destructionem templi abolitæ legis, ex quo eventu feliciter valdè licuisset argumentari, uti reverà argumentatus postea est auctor Epistolæ nomine sancti Barnabæ inscriptæ: ex quo liquet hanc post dissolutam rempublicam Judæorum, illas ante excidium scriptas fuisse.

Secundò. Consuetudines quæ in N. T. me-

(1) Qui sunt libri, quos legitis adorantes? Acta Mart.

(2) « M. Huber remarque fort bien qu'il paraît par toutes les circonstances du jugement « de Pilate, que toutes les règles du droit ro« main y furent exactement observées; et que « cela peut nous convaincre de la vérité de « cette histoire. Des gens du petit peuple par« mi les Juifs, tels qu'étaient les Évangélistes, « ne pouvaient pas être si bien instruits de « cela; et s'ils ne l'avaient appris de témoins « oculaires, ils n'auraient jamais pu le ra« conter, comme ils ont fait, sans dire quel« que chose qui se trouverait contraire à l'usage « des gouverneurs dans les provinces romai« nes. » Le Clerc Bibl. anc. et mod. t. 15, p. 100.

morantur, et variæ ibidem relatæ Christi Domini præceptiones semper cognitæ à Christianis fuêre, neque ulla lex in illo libro invenitur, quæ non fuerit à Christianis ab initio servata. Omnia primævam Ecclesiæ sapiunt simplicitatem : altum est silentium de iis omnibus ritibus, qui post Apostolorum ætatem ad divini cultûs augendam majestatem inventi fuêre, et in hâc parte magnum discrimen est inter N. T. et librum antiquissimum editum sub nomine apostolicarum Constitutionum; ita ut facilè colligas, hunc post Apostolorum ætatem vulgatum fuisse, puram verò ac simplicem Evangelii historiam in ipsis nascentis Ecclesiæ incunabulis. Denique orationis series et stylus libros N. T. authenticos pronuntiant, et ab omni absolvunt suspicione suppositionis : in illis quippe elucent illæ dotes, quæ Apostolis Christi benè conveniunt, sed ab impostorum artibus abhorrent quàm longissimè : enitet simplicitas, pietas in Deum, summum studium virtutis, erga omnes homines effusa charitas, sollicitus pro salute suorum ardor, adversùs malos Christianos tempestiva severitas, adversùs insidiatores vehemens auctoritas, quas partes malè ageret improbus impostor. Admiramur præterea in iisdem libris auctorum in confitendis erroribus suis ingenuitatem ; nullum est dissimulationis vestigium ; recitantur eorum peccata, crassa ignorantia, stupiditas, præjudicia, stulta ambitio, pusillanimitas, contentiones, perfidia, etc., sine ullâ defensione, cum ingenuo candore, cujus frustra quæreres alibi exemplum : nulla denique ad excitandam admirationem orationis vanitas, nulla ad captandam hominum benevolentiam adulatio, sed omnia candidè cum omnibus circumstantiis et cum maximâ securitate, ut solent ingenui homines, qui veritatem habent benè compertam, describuntur.

III. Contraria Deistarum opinio est ex omni parte vanissima. Nam illa opinio valdè vana est, quæ cùm nullâ prorsùs ratione probetur, ea supponit quæ sunt prorsùs impossibilia. Atqui primò, hypothesis Deistarum nullâ prorsùs ratione probatur : nam nec quemquam ab Apostolis diversum nominare potuerunt, cui libros N. T. adscriberent, nec quâ ætate scripti fuêre, determinare unquàm ausi sunt. Sed tantùm ridiculo hoc uti solent argumento : Fortassè ab aliis quàm ab Apostolis scripti fuerunt ; fortasse post Apostolorum tempora editi : sed profectò negamus ullam esse vim argumenti in istâ voce, *fortassè*. Eodem jure quidquid fide humanâ constat, poterit in controversiam adduci. Fortassè nulla fuit olim respublica romana, fortassè nulla judaica civitas. Secundò, hypothesis Deistarum multa absurda continet atque prorsùs impossibilia : nam in istâ hypothesi dicendum est illos libros fuisse confictos, vel viventibus Apostolis, vel iisdem fato functis. Utrumque absurdum est. Primum certè : nam nemo esse potuit tam perfrictæ frontis, ut hoc tentaret sub oculis Apostolorum, ipsis docentibus, ipsis ad fidem et rectam vitam fideles instituentibus ; neque si tentâsset aliquis, passi fuissent Apostoli ut auctoritate abuteretur improbus impostor ad corrumpendas vanis erroribus fidelium mentes, cùm ad eosdem Christo lucrandos immensos suscepissent labores, vitamque quotidiè suam maximis periculis objicerent. Neque secundum dici potest, videlicet illos libros post mortem Apostolorum confictos fuisse: quomodò enim adduci potuissent fideles ad credendum se accepisse ab Apostolis, dùm viverent, Epistolas ipsâ eorum manu scriptas, atque ex eo tempore Epistolas illas cum summâ reverentiâ privatim et publicè legisse, si reverà nec accepissent Epistolas, neque quidpiam de istis litteris audivissent? Et profectò si illi libri aliam contineant rerum historiam, aliam doctrinam diversam ab apostolicis documentis, debuisset ille impostor persuadere Christianis se semper à suâ conversione institutos fuisse in fide et doctrinâ, de quâ nunquàm audivissent, se ad præcepta evangelica semper vitam composuisse, quæ tamen nunquàm accepissent à magistris suis Apostolis ; v. g., se in nomine sanctissimæ Trinitatis baptizatos fuisse, et cœnæ Dominicæ ritum in memoriam Christi peregisse, cùm reverà harum rerum usque ad illius impostoris tempus fuissent planè ignari. Qui hæc credere potest, ineptè certè alios arguit credulitatis (1).

(1) Quid ad hæc prædictus auctor? « Les Apologistes chrétiens se sont imaginés avoir suffisamment prouvé l'authenticité des Evangiles, en tâchant de faire voir qu'il n'est pas possible de supposer des livres de cette nature.... Ce qu'ils disent, pourrait faire quelque impression sur ceux qui ne sauraient pas que plusieurs Evangiles ont été supposés dans le premier siècle ; mais, comme on ne peut pas douter de ce fait, il en résulte qu'il n'était pas difficile de *tromper les premiers chrétiens, et de leur donner des romans pour des livres historiques.* » Factum hoc quod pro certo cum tantâ fidentiâ venditat, est falsissimum, et propter rationes modò expositas planè impossibile. « Les chrétiens dont la doctrine contredisait ouvertement nos Evangiles, en appelaient-ils à ces Evangiles dans leurs disputes? » imo

Objicies 1°: Libri N. T. supposititii esse possunt : nam illa fides publica, in quâ ponitur N. T. authenticitas, nititur præcipuè testimonio scriptorum Christianorum. At horum nulla est in hâc parte auctoritas, 1° quia credulos, præjudiciis mancipatos, et ad pias fraudes propensos illos fuisse novimus. 2° Quia multa spuria Evangelia olim edita à Christianis fuisse constat. « Plures fuisse, inquit sanctus Hieronymus, qui Evangelia scripserunt, Lucas Evangelista testatur, et perseverantia usque in præsens tempus monumenta declarant, quæ à diversis auctoribus edita diversarum hæresium fuère principia, puta illud juxta Hebræos et Thomam et Matthiam et Bartholomæum, illudque duodecim Apostolorum. » 3° Quia non solùm conficta novimus plura fuisse Evangelia, verùm etiam recepta cum pari reverentiâ in Ecclesiis. 4° Denique constat, nec diffitentur christiani scriptores, canonem Scripturarum confectum non fuisse nisi 60 annis post mortem Christi; imò verò quidam existimant editum tantùm fuisse Adriano imperante, circa annum 117 æræ christianæ. Ergo.

Respondeo : Nego minorem : et 1° quidem summa est primorum Christianorum auctoritas, quia reverà increduli, valdè adversus Religionem christianam præoccupati et nullatenùs ad pias fraudes propensi erant, quando suâ conversione nomina Christo dederunt. A teneris quippe annis, non christianæ Religionis principiis imbuti, sed in religione Judaicâ vel ethnicâ fuerant instituti. Verùm creduli fuerint et ad pias fraudes propensi necne, parùm interest; nam certum est primos illos Christianos quorum utimur auctoritate, non fuisse istorum librorum auctores, vel christianæ Religionis inventores; sed ad Religionem jam pervulgatam sese convertisse, moresque composuisse ad normam Scripturarum jam editarum, quas divinas existimabant. Sed, inquies, in hâc parte decepti sunt: esto, non id nunc inquirimus. Certè in hâc parte decipi non potuerunt, scilicet, utrùm illas Scripturas suis temporibus Christiani pro divinis, et ab Apostolis scriptis, habuerint. Hujusce facti testes fuerunt omni exceptione majores : neque in hâc re tantùm auctoritatis habere potuisset Judæorum vel paganorum testimonium.

Præterea constat primos Ecclesiæ doctores summam diligentiam adhibuisse in distinguendis veris ac genuinis scriptis à falsis et adulterinis, atque in hoc examine, critices regulas accuratè esse secutos. Frequens est apud ipsos distinctio librorum in genuinos, adulterinos et incertos. Illos solos pro genuinis habebant, qui primò continebant doctrinam consentientem prædicationi Apostolorum, seu disciplinæ ubique ex eorum auctoritate receptæ; qui secundò habebant confirmationem ex unanimi consensu et testimonio omnium Ecclesiarum, id est, qui communi omnium voce Apostolis tribuebantur; qui tertiò in stylo et orationis contextu morem apostolicum referebant. Has tres regulas critices commendatas invenimus apud sanctum Irenæum, Tertullianum, Origenem, Eusebium (1). Qui verò libri non habebant priorem notam, statim inter adulterinos rejecti sunt. Qui verò nihil continebant, quod adversaretur apostolicæ prædicationi, et tamen ex unanimi consensu confirmationem non habebant, aut qui stylum apostolicum referre non videbantur, inter incertos reponebantur : propter has causas inter incertos libros numeratæ sunt à quibusdam Epistola ad Hebræos, et posterior sancti Petri. Majorem certè diligentiam afferre non potuerunt Ecclesiæ christianæ præsides. Insuper nostra Evangelia ab ipsis hæreticis admissa fuère: illud B. Mat-

verò ad catholicæ Ecclesiæ Evangelia appellabant, et in disputationibus cum catholicis ad illa non appellare, sed ad alia catholicis ignota aut ab ipsis reprobata, absurdum fuisset. « Ces contradictions ne devaient-elles pas être regardées comme une accusation de faux contre les livres sacrés qui nous restent ? On ne saurait trop le répéter, l'histoire des faux Evangiles démontre l'illusion et les sophismes de la prétendue impossibilité de la supposition des nôtres... » Desideramus hic in viro ingenioso judicium. In eâdem sententiâ, in qua pronuntiat impossibile fuisse ut hæretici agnoscere potuerint nostra Evangelia, impetrare à nobis vult, ut credamus apocrypha hæreticorum Evangelia à doctrinâ catholicâ abhorrentia apud catholicos recepta fuisse. Non impetrabit. Uno verbo si apocrypha Evangelia continebant doctrinam abhorrentem à prædicatione Apostolorum, et tunc valere tantummodò apud hæreticos potuerunt, neque ex illorum in Ecclesiâ receptione argumentari potest : vel erant consentientia doctrinæ Apostolorum et quatuor nostris Evangeliis, et tunc non mirum est quod aliquatenùs probata fuerint, et ex iis nedum imminuta, imò confirmata est authenticorum Evangeliorum auctoritas.

(1) Quos quidem libros (apocryphos) nullus qui continuam ab Apostolis successionem in Ecclesiâ docuit, in scriptis suis commemorare dignatus est, sed et ipsum dicendi genus longè ab apostolicâ simplicitate discrepat: sensus quoque ipse, et quæ ibidem traditur fides, cùm à verâ et catholicâ doctrinâ plurimùm abhorreat, hæc hæreticorum hominum figmenta esse manifestè coarguit. Hist. eccl. lib. 3. c. 25.

thæ à Nazaræis, Ebionitis et aliis; Evangelium sancti Lucæ à Marcionitis et Manichæis.

2° Nedùm falsa illa scripta, quæ olim sub Apostolorum nominibus edita sunt, ullo modo elevent verorum Evangeliorum auctoritatem, illam è contrario egregiè confirmant, quia istorum librorum rejectio ostendit Christianos istis temporibus cautos et diligentes fuisse in expendendâ librorum passim vulgatorum auctoritate, neque ob hanc unicam causam quævis scripta recepisse, quòd ad Christi et ejus Apostolorum honorem conferre viderentur. Habemus apud Tertullianum de Bapt. c. 17 hujus summæ diligentiæ exemplum: narrat enim presbyterum quemdam in Asiâ, qui acta quædam in honorem Pauli vulgaverat, loco motum fuisse. Deinde verò quî aliter fieri potuit, quin res tantæ à Christo ejusque discipulis peractæ, quæ novæ Religioni originem dederant, multorum commoverint scribendi studium? Certè nedùm mirari debeamus extitisse multos, qui non satis accuratam instituerent narrationem rerum tunc temporis gestarum, è contrario si aliter res contigisset, major esset mirandi causa. Præterea fuêre etiam in incunabulis christianæ religionis quàmplurimi, qui miscere res nascentis Ecclesiæ conati sunt, et qui sine dubio, in suorum dogmatum confirmationem, relationes ab Apostolicis diversas in vulgus sparsêre. Monstrent itaque Deistæ quomodò horum scriptorum temeritas tollat auctoritatem illorum, qui nonnisi sibi optimè perspecta scripsêre. Donec hoc confecerint, contendemus repudiata à Catholicis Evangelia eorum ostendere diligentiam et verorum librorum confirmare auctoritatem.

Observandum etiam est, non tot fuisse Evangelia apocrypha, quot vulgò perhibentur: nam etsi titulos quinquaginta collegerit Fabricius, tamen fatetur ex his plures unum tantùm scriptum indicare. Sic Evangelium sancti Matthæi cum aliquibus mutationibus dictum est Evangelium Cerinthi, et Carpocratis, et duodecim Apostolorum, et secundùm Hebræos, et secundùm Nazaræos, et secundùm Syros, et secundùm Ebionitas, et secundùm Barnabam, et secundùm Bartholomæum. Evangelium sancti Marci dictum est Evangelium Petri. Evangelium sancti Lucæ dictum est Evangelium sancti Pauli: eodem cum aliquibus mutationibus utebantur Marcion et Apelles, unde quoque horum nomine nuncupatum est, etc. (1).

(1) Vide Fabricium, notitia et fragmenta evangel. apocryph.

Tandem planè inepti sunt Deistæ, dùm nobis objiciunt librorum apocryphorum multitudinem: nam cùm hæc omnia scripta, quamvis à partibus dissentientibus vulgata, nobis rereferant resurrectionem, ascensionemque Christi, ac cætera ejus miracula, potiùs sanè confirmant in hâc parte nostrorum librorum testimonium, quàm illorum minuunt auctoritatem: ut ex illis aliquam arripere Deistæ possent utilitatem, oporteret ea in hisce partibus contraria continere (1).

3° Dico falsum esse illa Evangelia spuria ab Ecclesiis simul cum veris fuisse unquàm recepta: primi post Apostolos scriptores ecclesiastici, ut Clemens Romanus, Ignatius, Polycarpus, istorum nullibi meminerunt: sanctus Justinus istis proximus, etsi sexcenties ex ve-

(1) Operam ergo planè perdidit jam sæpè laudatus scriptor, cùm integrum caput in enumerandis variis scriptis apocryphis insumpsit. Tradit quidem natas in ipsis Religionis incunabulis viventibus Apostolis hæreses satis per se probare, earumdem auctores nostris Evangeliis usos non esse, sed propria habuisse. « Chacun sait que dès le premier siècle de l'Eglise les disciples de J. C. se partagèrent en différentes sectes, qui, quoique opposées de sentiments, se réunissaient toutes à se dire chrétiennes. Elles se croyaient toutes également intéressées à la gloire de leur législateur. *Plusieurs chefs de ces différents partis avaient vu J. C.* Or parmi ces témoins si anciens, il y en avait plusieurs *qui faisaient profession de regarder comme fausse la doctrine que l'on trouve enseignée dans les Evangiles qui nous restent presentement*; et les traditions qu'ils ont laissées après eux, sont entièrement contraires à ce que nous lisons dans nos livres sacrés; c'est ce qu'on va justifier par le détail suivant. » Deinde recenset Gnosticos, Cerinthum, Ebionitas, Carpocratianos, Marcionitas, etc., quorum alii negabant Christum verum corpus ex Mariâ assumpsisse, aut passum esse nisi specie tenùs; alii negabant Christi ex virgine nativitatem, aut ejus resurrectionem, etc. Sed duo hic sunt manifesti errores, quos litteris italicis designavimus. 1° Consentiens vox est omnium vetustissimorum auctorum istas hæreses non esse natas, nisi mortuis omnibus præter Joannem Apostolis. Ita Hegesippus vetus scriptor laudatus ab Eusebio, S. Iræneus, Clemens Alex. Tertullianus testantur. 2° Haud minùs certum est eosdem illos hæreticos, plerosque saltem, nostris Evangeliis usos esse, quos suo more explicabant aut corrumpebant. Gnostici non negabant Christum saltem apparenter natum, crucifixum, et resurrexisse à mortuis: unde nec Evangelistarum in factis narrandis bonam fidem arguebant. Cerinthus et Ebionitæ, nonnisi desinente seculo primo emerserunt, et alii omnes seriùs, atque testibus Irenæo, Tertulliano, Origene, Epiphanio nostris libris utebantur. Vide Huetium in Dem. evang. Tillemont Hist. ecc. 11, p. 41, 51, 59, 109, 220, 225, 261.

ris Evangeliis testimonia describat, ne semel quidem quidquam ex spuriis assumpsit, nedùm eorum agnoverit divinam auctoritatem. Sanctus quidem Irenæus, qui exeunte secundo seculo floruit, meminit falsorum Evangeliorum, sed etiam reliquit in scriptis illa ubique et ab omnibus Ecclesiis repudiata fuisse : sola illa quatuor, quæ hodiè habemus, Christianorum omnium suffragiis comprobata scribit (1). Clemens Alexandrinus et Origenes haud raró laudant illa scripta apocrypha ; sed ex multis istorum auctorum testimoniis colligitur quatuor tantùm Evangelia auctoritate divinâ in Ecclesiâ unquàm valuisse (2). Uno verbo Patres antiquissimi, ut Irenæus et Tertullianus contra Marcionem, lib. 4, capitib. 2, 5, argumento præscriptionis adversùs hæreticos utebantur ad confirmandam quatuor Evangeliorum auctoritatem, et eò hæreticos adduxerunt, ut dicere coacti fuerint : « Apostolos ante prædicavisse, « quàm perfectam cognitionem haberent, glo« riantes se esse emendatores Apostolorum. »

4° Ridicula est ultima ratio ducta ex eo quòd Scripturarum N. T. canon non fuerit confectus, nisi post Christi mortem annis circiter 60. Dùm hoc confitentur scriptores christiani, nihil agnoscunt præter hoc unum, nempe collectionem librorum N. T. fieri non potuisse antequàm scripti essent omnes libri. Etenim juxta eruditorum sententiam omnes conscripti non fuerunt ante annum æræ christianæ 97, et diversis temporibus, prout sese offerebat occasio, ab anno 40 usque ad illum annum editi fuerunt ; at statim à suâ editione cum eâdem observantiâ servati fuerunt, ac post canonis confectionem : sed quî erui possit ex eo libros N. T. esse incertæ auctoritatis non intelligimus. Irrideremus certè hominem qui contenderet priores libros Horatii vel Martialis non esse genuinos, quia collectio omnium operum utriusque scriptoris non fuit confecta nisi multis annis post editionem priorum operum. Narrat Eusebius Hist. eccl. l. 3, c. 24, traditione proditum esse beatum Joannem librorum sacrorum, saltem Evangeliorum, canonem confecisse. « Perlatis, inquit, jam in om« nium, ipsiusque Joannis notitiam tribus « Evangeliis, ea Joannes et veritatem scripto« rum suo testimonio confirmâsse dicitur. »

Objicies 2° : Etsi ex fide publicâ constet edita fuisse ab Apostolis scripta varia, non sequitur eadem integra et incorrupta ad nos pervenisse : multa contrarium suadent. 1° Plures textus laudantur à SS. Patribus qui in nostris codicibus non reperiuntur. 2° Patres frequentissimè conqueruntur exemplaria, tam græca, quàm latina, ab hæreticis corrupta, et infinitis erroribus scatere, monentque latina per græca, et græca per latina corrigenda. 3° Innumeræ sunt in N. T. variantes lectiones ; unaquæque linea suas habet : et Millius triginta annorum labore collegit circiter triginta millia lectionum variantium. 4° Legimus N. T. Scripturas reverà fuisse de industriâ interpolatas, et hâc de causâ castigatas et emendatas fuisse. Apertum est Victoris Tunonensis in Africâ testimonium, cujus in Chronico hæc verba sunt : « Messala « viro clarissimo consule, Constantinopoli « jubente Anastasio imperatore, sancta Evan« gelia tanquàm ab idiotis Evangelistis com« posita reprehenduntur et amendantur : » ergo.

Respondeo hanc de interpolatione atque corruptione librorum N. T. suspicionem distare magis à verisimilitudine, quàm distat illa de inventione librorum eorumdem opinio modò confutata, scilicet propter hanc evidentissimam causam, quòd in hâc hypothesi non solùm necesse fuerit ut falsarii fidelibus nova et antea incognita scripta, tanquàm Apostolorum opera, darent in manus, sed etiam ut unico momento, omnia jam extantia vera exemplaria fidelium manibus eripuerint. Nam certè veris ubique existentibus, et cum summâ observantiâ, tum privatim, tum publicè lectis, alii libri prorsùs diversi, doctrinâ et præceptis abhorrentes, in illorum locum sufficì non potuerunt. Deinde verò quâ ætate factam suspicabimur hanc in libris sacris corruptionem? Num sub Apostolorum oculis, dùm ipsi intererant co-

(1) Matthæus apud Hebræos propriâ eorum lingua conscriptum Evangelium edidit, dùm Petrus et Paulus Romæ Christum prædicarent, et Ecclesiæ fundamenta jacerent. Post horum verò interitum, Marcus discipulus atque interpres Petri, quæ a Petro prædicata fuerant, per scripta nobis tradidit. Lucas quoque sectator Pauli, Evangelium à Paulo prædicatum, litteris mandavit. Joannes denique Domini discipulus... Evangelium edidit, cùm Ephesi in Asia moraretur. Irenæus lib. 3, c. 1 ; apud Eusebium lib. 5 ; Hist. ecc. c. 8.

(2) Sicut ex traditione accepi de quatuor Evangeliis, quæ sola in universâ Dei Ecclesiâ, quæ sub cœlo est citra controversiam admittuntur, primum scilicet Evangelium scriptum est à Matthæo... secundum fuisse accepimus Evangelium Marci, qui prout Petrus ipsi exposuerat, in litteras retulit... Tertium Lucæ, quod à Paulo commendatur... Postremum verò Evangelium Joannis. Origenes lib. 1. Expositionum apud Eusebium lib. 6, c. 25. Vide Clem. Alex. Strom. lib. 3, p. 465.

tibus fidelium, ipsi Ecclesiam gubernarent, et vitam moresque fidelium informarent? Sed quis tam insanus unquàm fuit, ut in istis circumstantiis fallere conari voluerit? Aut si quis id ausus fuisset, quî tanta potuit succedere temeritas? Num Apostoli aliam doctrinam, alia vitæ præcepta, aliam relationem rerum suis discipulis, suo nomine, proponi passi fuissent? An Christiani eruditi ab Apostolis fraudis sibi impositæ nescientes esse potuerunt? Sed forsan post mortem Apostolorum facta mutatio est. Quid? Cùm ubique propagatum Evangelium, et confirmata esset in animis fidelium sincera Apostolorum doctrina? Dùm infinita exemplaria omnium Christianorum manibus tererentur? Cùm in varios populorum sermones translata essent sacra volumina? Suspicabimur igitur omnes orbis populos maximè dissitos, Syros et Germanos, Gallos et Parthos, unanimi consensu, communi suffragio, ad librorum sacrorum corruptionem, pro quibus projecêre sæpè vitam, convenisse? Tantam credulitatem minutis nostris philosophis relinquimus. Ponderemus tamen paucis vim istarum rationum, quæ in confirmationem istius opinionis allatæ sunt à deistis.

1° Quæ est ista argumentandi ratio? Quidam ex SS. Patribus exscripsêre quædam ex Evangelio, v. g., ista verba: *Probi nummularii estote*, quæ nunc non reperiuntur; quidam censent historiam mulieris adulteræ non esse genuinam; omissi sunt in aliquibus exemplaribus duodecim ultimi versus S. Marci; et versiculus septimus c. 5, Epist. primæ S. Joannis; ergo doctrina omnis in libris sacris contenta, et quam iidem SS. Patres ex iisdem voluminibus hauserunt; ergo miracula quibus ad fidem orbis universus adductus est; ergo præcepta omnia morum, Apostolorum scriptis inserta sunt. Profectò si dederimus versiculum unum aut alterum deesse in nostris codicibus, aut caput unum aut alterum non habere cum aliis propter dissentientes auctorum ecclesiasticorum opiniones eamdem auctoritatem; non idcircò dabimus cætera omnia nullius esse auctoritatis, quæ unanimi sunt comprobata consensu. Num tollitur Æneidos authenticitas, quia quatuor primi versus assuti dicuntur alienâ manu? At reverà nullus est à Patribus laudatus textus, qui non reperiatur in Scripturis, si non iisdem verbis, saltem quoad sensum, quod à multis criticis ostensum est. Cùm enim laudarent loca illa memoriter, mutabant sæpiùs verba, verborumque constructionem. Nullum est etiam in nostris exemplaribus caput, cujus auctoritatem evidenter non vindicaverint viri litterati: et speciatim loca modò memorata in pluribus et optimis exemplaribus reperiri, à SS. Patribus laudari, in antiquissimis versionibus contineri ostenderunt.

2° Asserunt SS. Patres ab hæreticis Evangelia fuisse corrupta, illa scilicet quibus ipsi utebantur, id est, sua Evangelia, non ea quibus utitur Ecclesia catholica. Aiunt etiam græca exemplaria per latina, et latina per græca emendanda esse: at in levibus tantùm, quæ ad substantiam fidei aut historiæ evangelicæ nequaquàm pertinent; nam semper summa fuit omnium exemplarium seu græcorum seu latinorum in rebus historicis et in doctrinâ consensio. « Nihil mihi videtur ab eis (hære« ticis) impudentiùs dici, vel ut mitiùs lo« quar, incuriosiùs et imbecilliùs, quàm Scrip« turas divinas esse corruptas, cùm id nullis « in tam recenti memoriâ extantibus exem« plaribus possent convincere. » S. Aug. de Util. cred. cap. 3, n. 7.

3° Ratio ex lectionibus variantibus nullo modo elevat codicum sacrorum auctoritatem; è contrariò valdè confirmat. Primò non minuit eorum auctoritatem, quia lectiones, etsi variantes atque innumeræ, tamen vix sensum afficiunt: accipe pessimum exemplar cum omnibus suis mendis, eamdem invenies rerum gestarum historiam, eamdem doctrinam, eadem præcepta vitæ: varietas non est in sententiis, sed in vocibus; in versionibus plerùmque evanescit. Secundò, dico illam varietatem lectionum magis confirmare codicum sacrorum auctoritatem: nam illius libri major est auctoritas, cujus plura facta sunt exemplaria: atqui multitudo lectionum probat multitudinem exemplarium: ergo et authenticitatem codicum. Quòd verò eò perfectior sit libri alicujus veteris textus, majorque ejusdem auctoritas, quò plura sunt istius libri exemplaria, evidens est. Etenim si in restauratione litterarum, vel cùm primùm vulgatum est N.T., unicus inventus fuisset mss. codex, in illo casu nullas haberemus variantes lectiones: sed num textus perfectior aut major fuisset illius auctoritas? Nequaquàm certè, quia cùm nullus sit codex mss. qui mendis innumeris non scateat, habuisset plurimos N. T. quos corrigere non licuisset. Præterea quantùm suspicio fraudis aucta fuisset facilè intelligitur. Fatendum igitur est secundum codicem mss. utilem fuisse, tum ad ablegandam omnem fraudis suspicio-

nem, tum ad textûs perfectionem : tamen inter varios mss. codices, quemcumque volueris eligere, à primo illo differet in plus quàm mille locis, variasque habebit mendas : tertium igitur exemplar, et quartum, et quintum, etc., non erunt inutilia, ut collatis simul omnibus, tandem mendæ omnes tollantur, uno supplente quod deficit in altero, et ut omnes absint magis à fraudis suspicione. Attamen cùm unumquodque exemplar proprias habeat lectiones, intelligitur crescere debere in immensum pro numero exemplarium variantes lectiones. Neque profectò res aliter contigit in scriptoribus profanis : eos maximè corruptos et mutilos deprehendimus, quorum pauciora inventa sunt exemplaria mss. ; v. g., Velleius Paterculus infinitis scatet erroribus et lacunis ob penuriam exemplarium mss. E contrariò, Terentii comœdiæ inter omnes alios libros in statu sunt optimo, etsi annotaverint litterati plus quàm viginti millia lectionum variantium. Si igitur in minûto illo libro tot deprehenderunt eruditi lectiones varias, et tamen textus sit maximè purus et integer, quid mirum quòd in N. T. ampliore volumine, cujus exemplaria mss. cum majori curâ et diligentiâ collata fuerunt, invenerint studiosi harum rerum majorem numerum, illiusque nihilominùs textus sit integerrimus?

4° Quod attinet ad argumentum ex Chronico Victoris adductum, etsi à quibusdam deistis cum magnâ fuerit ostentatione adversùs causam christianam prolatum, illud tamen, ut pleraque alia, non tam seriò quàm cavillandi causâ attulerunt. Certum est nihilque profectò certius, nusquàm hæc vulgata fuisse corrupta Evangelia. Quos tumultus non excitâsset ista immutatio? Quis historicus tam singularis rei non meminisset? Prætereà habemus scripta Patrum, qui quinque prioribus Ecclesiæ seculis floruerunt, quorum multi perpetua in Evangelium commentaria scripsère, in quorum libris omnes N. T. lineæ citantur; et optimè concordant hæc commentaria cum nostris codicibus : ergo nostris reverà usi sunt. Tandem extabant infinitæ tunc N. T. versiones, quas omnes immutatas ab Anastasio inviso et imbelli imperatore credere insipientis est. Huic loco Victoris multam lucem affert locus alius Liberati diaconi, Victoris æqualis, Breviarii sui capite 9 : « Hoc tempore, ait, Macedonius Con« stantinopolitanus episcopus, ab imperatore « Anastasio dicitur expulsus, tanquàm Evan« gelia falsâsset, et maximè illud Apostoli « dictum : *Qui apparuit in carne, justificatus est « in spiritu.* Hunc enim immutâsse ubi habet « ὅς, id est, *qui*, monosyllabum græcum, lit« terâ O mutatâ in Θ, et fecisse Θς, id est, Θεός, « ut esset : *Deus apparuit per carnem.* Tanquàm « Nestorianus ergo culpatus, extollitur per « Severum monachum : » hæc Liberatus. Nullum dubium est quin utriusque narrationis idem sit fundamentum, et hæc Liberati longè sit verisimilior; tum quia circumstantias minutiùs refert, tum etiam quia intelligimus potuisse Macedonium in hâc parte facilè mutare codices, nec in eo etiam falsarium fuisse, cùm eamdem lectionem secuti sint ante ipsum plures Patres. Dicendum igitur est Victorem deceptum fuisse famâ populari : rumorem in Africam delatum, uti solet, vires eundo cepisse; et cùm propter odium istius imperatoris probrosa omnia avidè combiberent Africani, increbuisse illum authentica exemplaria immutare voluisse, cùm reverà mutationem jam factam in uno versiculo tolli tantùm decrevisset.

Articulus II.

De Religionis christianæ divinâ origine, ex motivis quæ dicuntur externa.

Ex iis quæ de antiquitate librorum N. T. dicta sunt, intelligere licuit, non ibi semper esse locum legitimæ controversiæ, ubi movent litem Deistæ; solere illos contra rationem, contra fidem humanam, contra quidquid certum inter homines est, disputare. Eorum vecordia non minùs erit in aperto constituta ex iis quæ de divinâ Christi legatione et auctoritate adversùs eosdem dicenda sunt, neque ad revincendam eorum temeritatem multùm elaborare necesse erit : simplex expositio statûs controversiæ apud æquos rerum æstimatores rem conficiet.

Est in confesso apud omnes, nondùm mortuis Apostolis Christi, in orbe penè universo propagatum fuisse Evangelium; in omnibus civitatibus ingentem hominum numerum adjunxisse sibi primos Christi discipulos, inter quos non modò homines inculti et pauperes numerantur, sed viri divitiis, scientiâ et auctoritate instructi; hanc nostram Religionem in dies incrementa cepisse, frustra contra nitentibus provinciarum præfectis et imperatoribus; et illam peperisse in animis Christianorum tantam constantiam ut contumelias, tormenta et mortem ipsam, cum magno lætitiæ sensu, pro ejus defensione pertulerint. Constat quoque primos illos Christianos non temerè et inconsideratè fidem Christi amplexos

fuisse : nam quæ fuerint tam subitæ ac tam singularis conversionis causæ novimus ex libris eorum qui mundum universum ad doctrinam Christi perduxerunt, et ex illorum etiam scriptis qui convicti ab Apostolis nomina Christo dederunt : non magis dubitare licet quin miraculis Christi et Apostolorum, veterum vaticiniorum in Christo adimpletione, Christi ipsius prophetiis, ad fidem nostram Judæi et gentiles adducti fuerint, quàm ambigere licet an fuerint unquàm Christiani necne. In hoc igitur versatur præsens disputatio, utrùm valida sint vel ruinosa hæc fidei nostræ fundamenta. Sed jam certè finita causa est, sustulit litem universi orbis consensus. Nam quo tempore minorem vim ad persuadendum habere debebant ista argumenta, quàm cùm universus orbis à doctrinâ Christi abhorrebat, et imperatores adversùs Christianos tam crudeliter sæviebant? Egit tamen Religio nostra de præjudiciis Judæorum, de ethnicorum superstitionibus, de crudelitate imperatorum triumphos, sibique singulari efficaciâ animos hominum conciliavit, adeò ut infamiâ notaverit illos omnes generis humani sententia, quotquot Religionem Christi oppugnaverunt, aut aspernati sunt. Non est animus hoc articulo omnes complecti rationes, quæ ad defensionem causæ christianæ afferri possunt, sed eas tantùm quæ sunt positæ in factis historicis; articulo enim proximè sequenti legis christianæ naturam, et quæ in illâ elucent, divinæ originis notas explicabimus; totumque fidei christianæ quasi systema ab impiorum hominum objectionibus vindicabimus.

§ 1. *De divinâ Christi Domini missione et auctoritate.*

PROPOSITIO PRIMA.

Christum reverà Dei apud homines legatum fuisse certò efficiunt ejus miracula.

PROBATIO.

Nam quæ in Evangelio memorantur gesta à Christo dùm viveret, et postea ab Apostolis per ejus virtutem, v. g., morborum curationes, sanatio hominis cæci à nativitate, Lazari à mortuis excitatio, ipsius Christi resurrectio, ascensio in cœlum, miraculorum potestas concessa Apostolis : hæc et multa alia sine Deo esse non potuerunt. Hanc majorem assumimus, quia à nemine seriò negatur; quia nullo facto, neque argumento ex ratione ducto impugnari potest, quod alio in loco confecimus, quia confirmatur omnibus rationibus, quibus adstruitur Dei in homines providentia. Si hæc ab alio quàm à Deo, aut sine ejus imperio, patrari ab aliquo possunt, is habet rerum humanarum administrationem, et naturæ Dominus est. Atqui ista omnia reverà patravit Christus in divinæ suæ missionis confirmationem. Hanc alteram ergo propositionem, eâdem institutâ divisione, quâ supra usi sumus in asserendâ divinâ Moysis legatione, conficiemus, ista duo demonstrando : 1° Quòd Christus divinam suam legationem in illis prodigiis reverà posuerit, iisdemque dederint fidem ejus Apostoli. 2° Quòd Christi omnem suam auctoritatem in his prodigiis ponentis consilium, atque Apostolorum fides certissimè efficiant illa prodigia reverà patrata fuisse.

I. Christus omnem suam auctoritatem posuit in prodigiis à se editis, et iisdem dederunt fidem Apostoli. 1° Quòd verè Christus omnem suam auctoritatem in iis posuerit, in confesso semper fuit apud omnes homines, seu Christianos, seu Judæos, seu ethnicos : non magis certum est Christum docuisse homines se esse Dei legatum, aut etiam extitisse Christum, quàm certum est Christum in prodigiis supra humanam potentiam suam auctoritatem posuisse : tolle à Christo hanc quasi proprietatem, ipsius personam sustulisti : quia nihil aliud intellexit genus humanum per illam vocem, *Christus*, nisi hominem qui divinâ virtute se præditum gloriabatur, quique veris vel fictis prodigiis homines sibi adjunxit. Fama miraculorum ipsum celebrem fecit : tota ipsius historia, uti scripta est ab auctoribus coætaneis, plena est miraculis, quibus semper ad convincendos Judæos utebatur ; dicebat enim Pharisæis : *Ego habeo testimonium majus Joanne; ipsa opera quæ ego facio testimonium perhibent de me, quia Pater misit me... Si mihi non vultis credere, operibus credite... Si opera non fecissem quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato.*

2° Æquè certum est Apostolos Christi, atque postea Christianos omnes fidem dedisse miraculis Christi. Non potest quispiam, qui novi Testamenti libros et primorum Christianorum opera legerit, ullo modo dubitare quin Matthæus, quin Joannes, quin Petrus, quin Paulus, cæterique ea crediderint, quæ memoriæ prodiderunt : eum ferunt bonæ fidei characterem eorum scripta, cui nostra oratio nullam vim aut auctoritatem possit adjicere; at exercitationis causà, rationes quasdam brevite evolvamus. Illi scriptores miracula Christi retulerunt bonâ fide, neque sunt vanitatis suspi-

cioni obnoxii, quorum non modò fides certior est quàm alterius cujuscumque scriptoris, sed etiam confirmatur iis omnibus notis, quibus omninò possit confirmari. Atqui, etc. Bona etenim fides scriptoris alicujus perspicitur, vel ex ejus indole, studiis, actibusque; vel ex ipsâ rerum quas narrat historia; vel ex coætaneorum de illo existimatione. Atqui primùm indoles, vita, mores et studia discipulorum Christi, bonam illorum fidem ponunt extra omnem controversiam. Erant Christi discipuli ex infimâ plebe assumpti, victum labore quærebant, idiotæ erant et sine litteris: quid tam abhorret ab astutiâ magnisque ausis, quàm inculta et ignara gens? Erant Christi discipuli non solùm alieni ab astutiâ propter imperitiam, sed omni vacui ambitione atque cupiditate, suos suaque omnia vocati à Christo reliquerunt: quid tam distat à fraude et improbitate, quàm modestia atque lucri despicientia? Erant iidem tam ingenui, ut non celaverint posteros suam ignobilitatem, ignorantiam, murmurationes, diffidentiam, contentiones, incredulitatem, ignaviam, tandem optimi magistri desertionem: quæ societas ingenuitatis et vanitatis esse potest? Erant iidem tam pacifici et patientes, ut ergà eos, quorum experiebantur inauditam sævitiam, nihil reliquerint in scriptis, quod exulceratum animum significet, imò nec querimonias sibi permittunt, nec observationem aliquam asperam: quid tam remotum à spiritu turbulento et seditioso, quàm mansuetudo, æquanimitas et patientia? Non solùm nullis invitati illecebris, sed cum certâ expectatione omnium malorum temporalium, Christi miracula divulgârunt; et reipsà omnia pertulêre tormenta, ac post ærumnosam vitam in fidei suæ testimonium animas projecère: quos testes fideles putabimus, si illos non habuerimus, qui sanguine testimonium suum consignârunt?

Deinde si conscriptam à discipulis Christi historiam consideraverimus, non licebit certè dubitare quin cum bonâ fide omnia retulerint: elucet ubique in relatione Evangelistarum candida simplicitas, nihil invenitur inflatum et ad vanitatem compositum, nihil ex philosophorum scriptis ad conciliandam famam afferunt; sed solum Christum crucifixum, Judæis scandalum, gentibus stultitiam, prædicant; negant in ullâ re nisi in cruce Christi gloriari sese; non utuntur persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed apertâ oratione; referuntur facta cum circumstantiis omnibus; nomina personarum, atque locorum, tempus, testes, etc., accuratissimè describuntur et cum illâ securitate, quæ propria est hominis ingenui: in iisdem referendis summa est omnium consensio; illis utuntur ad suadendum cum illo studio atque animo, quem nequeunt fingere impostores. At quantùm eosdem removet à vanitatis suspicione sanctissima doctrina, avocans non à scelere modò, sed à levissimis peccatis, à verbo otioso; incitans non ad virtutem modò, sed ad virtutis omnis culmen, ad perpetuum numinis sensum, ad inimicorum dilectionem, ad suî abnegationem, ad puerilem in omnibus ingenuitatem (1)!

Denique successus, quos habuêre Apostoli, eorumdem fidem ponunt extra omne dubium. Quomodò enim fieri potuit ut Apostoli ad Christi fidem homines adducerent, si ipsi fidem non haberent, et sinceri parùm fuissent? Raro pariunt fidem qui ipsi non habent, et fraus secum non valet diù consistere. Uno verbo ii omnes, cum quibus Apostoli vixêre, eos bonæ fidei testes existimârunt: ergo incredibilis esset in nobis stultitia eorum fidem suspicari. Ergo ex omni parte elucet eorum fides bona, nec ullo modo concipimus quâ ratione ei accedere major auctoritas potuisset. Hujusmodi argumenta fusam et exemplis confirmatam postulant orationem, qualem in opere hoc didactico afferre non possumus; legi possunt Abbadie, Duguet, etc. (2).

II. Ex eo quòd Christus posuerit suam auctoritatem in istis prodigiis in Evangelio memoratis, et illis fidem dederint Apostoli, certò constat illa ab eo patrata fuisse. Nam 1° Christo quem eximia doctrina, præclara præcepta magnum virum fatentibus adversariis ostendunt, illud consilium tribuere nequimus, quod inauditam argueret perturbationem mentis et stultitiam incredibilem: supponere non possu-

(1) « Dirons-nous que l'histoire de l'Evangile « est inventée à plaisir? Ce n'est point ainsi « que l'on invente, et les faits de Socrate, dont « personne ne doute, sont moins attestés que « ceux de Jésus-Christ. Au fond, c'est recu- « ler la difficulté sans la détruire; il serait « plus inconcevable que plusieurs hommes « d'accord eussent fabriqué ce livre, qu'il ne « l'est qu'un seul en ait fourni le sujet. Jamais « les auteurs Juifs n'eussent trouvé ce ton ni « cette morale, et l'Evangile a des caractères « de vérité si grands, si frappants, si parfaite- « ment inimitables, que l'inventeur en serait « plus étonnant que le héros. » Emile l. 3, p. 165.

(2) Id argumentum de veracitate Evangelistarum fusè ac præclarè tractat præsertim Duguet, cujus verba legenda sunt, ad calcem voluminis, § 1.

mus illum reliquisse artes illas omnes, quibus uti solent, qui populos fallere student, eamque methodum sequi voluisse, quâ necessariò contemptum sibi peperisset, omniumque commovisset indignationem. Impostoris callidi, vel potiùs non omninò dementis, partes sunt, uti supra notatum est, miracula venditare clam et paucis testibus patrata; fidem apud eos, quos vult decipere, alieno impetrare testimonio; non in illis commemorandis perpetuò versari, sed vereri maximè ne fraudis oriatur suspicio, quia cautos solet efficere fraudis conscientia: sua instituta non in illis omninò ponere, sed ex illis confirmatam solummodò velle auctoritatem suam. Jam verò Christum contrariam et oppositam methodum secutum videmus: non jactitat prodigia privatim facta, sed in apertâ luce edita; non præterita, sed præsentia; non quæ alieno indigebant testimonio, sed quæ singuli Apostoli, disciputi et ingens Judæorum multitudo sensibus experti essent; fidem quippe appellabat oculorum, non unius aut alterius hominis, sed immensæ multitudinis: discipulis Joannis-Baptistæ sciscitantibus, esseine ipse necne Messias, respondit: *Euntes renuntiate Joanni quæ videtis et auditis; cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui suscitantur, pauperes evangelizantur.* Omnem suam auctoritatem ex illis miraculis derivatam vult: *Operibus credite,* dicebat, *ipsa sunt quæ testimonium perhibent de me.* Omnes suæ doctrinæ partes, etiam maximè invidiosas et alienas à sensu Judæorum, ex iisdem miraculis confirmabat, eadem perpetuò inculcat: illis nunc utitur ad persuadendum, aliàs ad objurgandum: *Væ tibi, Corozaim; væ tibi, Bethsaida, quia si in Tyro et Sydone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, olim pœnitentiam in cinere et cilicio egissent.* Uno verbo illis suis miraculis eâ utitur ratione, quæ ad excitandam in se uniuscujusque indignationem atque ad alienandos suorum animos aptissima erat, si nullatenùs ea prodigia patrâsset. Cui tale arridere possit consilium, eum dementia extra humanam sortem posuit.

Præterea ab impostoris naturâ longè abhorret frustra et sine causâ miracula fingere, quibus non solùm neque famam apud populum, neque auctoritatem, neque divitias, neque ulla emolumenta poterit arripere; imò verò quæ eum gravissimis ærumnis et miseriis implicabunt, atque contumeliis et ignominiosæ morti objicient. Jam verò Christus sexcenties monuit discipulos, illos non ad otium et delicias vocatos esse, sed ad labores gravissimos; non aliam seipsum manere sortem: imò in suâ post crudelissimam mortem resurrectione totam posuit suæ Religionis auctoritatem, et in ultimâ cœnâ suæ mortis memoriale perpetuum instituit. Quî hæc cogitare potuerit impostor certè non intelligitur.

2° Ex eo quòd Apostoli et primi Christiani fidem dederint miraculis Christi, certò etiam sequitur illa miracula patrata fuisse. Quia, ut illa prodigia discipulis persuasisset Christus, quamvis facta non essent, oportuisset illos carere sensu videndi, audiendi, sentiendi: imò contra communem oculorum atque aurium sensum affici. Nam persuasisset Apostolis ingentem ægrorum numerum ad se quotidiè confluxisse et omnes ab inveteratis morbis divinâ vi sanatos; cùm reverà, aut spes sanitatis recuperandæ nullos adduxisset, aut eosdem languidos dimisisset: se ipsis cernentibus et stupentibus tempestatibus imperitâsse, mare consolidâsse, cùm nihil tale egisset: se cum ipsis post mortem suam quadraginta dies conversatum esse, manducâsse et bibisse et deinde in cœlum ipsis intuentibus ascendisse, cùm reverà nulla fuisset inter ipsos societas, sed in tumulo conditus mansisset. Denique adducti fuissent Apostoli ad credendum se in die pentecostes, excitatos divinâ virtute ad prædicandum, omnibus linguis locutos esse et accepisse virtutem patrandi miracula, cùm reverà ipsis nihil tale contigisset: in hisce omnibus decipere Apostolos certè post mortem non potuit.

Per propositiones has, quas quisque facilè evolvet, ad eamdem conclusionem progredi potuissemus. 1° Facta evangelica erant summi momenti et apta ad excitandam omnium attentionem: hoc vel ex eo patet, quòd statim atque increbuit eorum rumor, tota Judæa commota fuerit, quòdque maximæ conversionis rerum causæ extiterint. 2° Facta evangelica erant facta publica et sensibilia, edita in ipsâ civitate Jerosolymitanâ, in diebus festis, cùm infinita hominum multitudo ibi confluxisset, et quandoque in agris coram quinque hominum millibus. 3° Apta sunt cum reliquis historiæ partibus indubitatis; illorum veritate suppositâ, causas habemus aptas et idoneas istius commotionis tempore Christi, fidei prædicationisque Apostolorum, ac totius orbis ad Christi doctrinam conversionis: cohærent etiam cum fide et expectatione, quæ præcesserat, judaicæ gentis et cum omnibus Propheta-

rum oraculis : sed factis iis sublatis, et vana fuit Judæorum spes, oracula vana, et inter omnes alias maximè memorabilis et universalis rerum conversio nullas deprehendetur causas habuisse. 4° Hæc facta tam momentosa, tam publica, tam apta cum cæteris historiæ partibus, memoriæ prodita sunt in scriptis octo coætaneorum scriptorum, id est, referuntur à numero pluribus, quàm quævis alia historia. Summa est eorum omnium et unanimis consensio, nec tamen meditata, uti evidentissimè ex ipsâ librorum lectione cuique constabit. 6° Hi scriptores plerorumque factorum, saltem principalium, oculati testes fuerunt (1), neque circa ea decipi potuerunt. Nullâ firmâ ratione probatur SS. Marcum et Lucam è numero discipulorum Christi non fuisse, quod quidam veteres affirmârunt : saltem eorum Evangelia habuerunt approbationem Apostolorum. S. verò Paulus cùm ipse viderit Christum post resurrectionem et per immediatam revelationem ab eo eruditus fuerit, oculatis testibus annumerandus est. Præterea proferunt in testimonium universam multitudinem discipulorum Christi, ipsamque inimicorum appellant fidem. Nam prædicatio Apostolorum in solemnitate pentecostes coram universâ judaicâ gente, quinquaginta solummodò diebus à morte Christi, admissa à pluribus Judæorum millibus, neque ab iis confutata, quorum maximè intererat, sine dubio fuit publica contestatio summæ auctoritatis (2). 7° Nulli scriptores tot ac tanta argumenta dederunt bonæ fidei, ut ex suprà dictis patet. 8° Hæc facta nunquàm vanitatis damnata sunt, licet multorum interesset ; imò ab adversariis admissa sunt, ut modò videbimus. 9° Tandem hæc facta tam certa in primâ suà origine, fideliter posteritati commendata sunt, in libris quorum integritas nequaquàm corruptioni obnoxia fuit : quod superiori articulo confecimus.

Objicies : Historiæ evangelicæ auctoritas, in quâ ponitur illorum factorum certitudo, multis rationibus imminui potest. 1° Jam ab ætate Christi elapsi sunt anni plus quàm mille octingenti. Quomodò rerum in tam remotâ antiquitate gestarum certitudinem perspicere possumus ? Quam securitatem parere poterunt monumenta tam vetusta ? 2° Illa facta non confirmantur nisi auctoritate Christianorum : scriptores etenim profani aut dissentientia scribunt, aut de illis omninò silent. Jam verò in propriâ causâ nulla esse potest Christianorum auctoritas. 3° Judæi, apud quos hæc miracula Christi patrata dicuntur, vera esse negârunt ; Christum ejusque discipulos tanquàm impostores extremis suppliciis et morte damnârunt ; eamdem sortem experti sunt Christiani apud paganos. Jam verò si illa miracula nullam vim habuerint ad persuadendos Judæos et ethnicos, quam in hâc nostrâ ætate habere possunt ? 4° Nequaquàm distat à verisimilitudine Christum ejusque discipulos fraudis iniisse consilium et obstinato animo illud esse prosecutos, etsi in multis partibus eos fefellerit eventus ; vel licet suspicari Christi discipulos ad fanaticum furorem inclinatos à naturâ, à Christo facilè deceptos fuisse ; maximam esse illius vim ad obcæcandos animos hominum, multiplici constat experientiâ. 5° Fuêre in omni ætate, et apud omnes gentes, qui populos fictis prodigiis deceperunt : multa miracula apud paganos edita memoriæ prodiderunt historici. Inter alia Vespasianum imperatorem, cùm Alexandriæ esset, visum cæco restituisse, et ægrum manu admotâ sanavisse narrant Tacitus et Suetonius. Apollonii quoque Thyanæi prodigia apud populum fidem obtinuerunt, et quamdam etiam habent ex relatione historicorum auctoritatem.

Respondeo in illis omnibus rationibus nullam esse vim argumenti, neque vocari posse propriè objectiones : sunt etenim dubia quædam temerè concepta, quorum si esset ulla vis, tollerent etiam omnem in aliis rebus humanam fidem. 1° Si illa mille octingentorum annorum antiquitas omnem tollat factorum certitudinem, dubitandum quoque erit, an fuerit olim ulla civitas judaica propriis consistens legibus ; profligatus fuerit, necne, apud Actium navali prælio Antonius : neque horum factorum nec alterius cujuscumque ante na-

(1) « Non doctas fabulas secuti notam fecimus vobis Domini nostri Jesu Christi virtutem et præsentiam : sed speculatores facti illius magnitudinis, » S. Petrus Ep. 1, c. 1. « Quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ, et vita manifestata est, et vidimus, et testamur, et annuntiamus vobis. » Joan. Ep. 1, c. 1.

(2) « Viri Israelitæ, audite verba hæc : Jesum Nazarenum virum approbatum à Deo in vobis, virtutibus et prodigiis et signis, quæ fecit Deus per illum in medio vestri sicut et scitis : hunc definito consilio et præscientiâ Dei traditum per manus iniquorum affigentes interemistis, quem Deus suscitavit solutis doloribus inferni..... hunc Jesum resuscitavit Deus, cujus omnes nos testes sumus, » Act. 2.

tum Christum ulla erit auctoritas, si propter solam antiquitatem jam evanuerit omnis certitudo factorum evangelicorum. 2° Summa est Christianorum testantium auctoritas : quæ est, quæso, ista argumentandi ratio : Homines in religione judaicâ et paganis superstitionibus educati docent, se factorum evidentiâ adductos reliquisse patria instituta, et ad Christi Religionem sese convertisse ; ergo nullius est auctoritatis eorum testimonium? Quasi si quis uteretur hoc argumento : Josephus Judæus erat; in bello Judaico partes egit præfecti militum; omnes res gestas sedulò expenderat, plurimarum oculatus testis erat; ad scribendam historiam adductus est, quia omnia habebat eò pertinentia optimè perspecta : ergo nulla est Josephi auctoritas. Cohæret multùm sanè cum præmissis ista conclusio. Si Apostoli, et primi Christi discipuli non reliquissent patriam Religionem, nec Christo adhæsissent, certè parùm eos fideles in narrando, parùm convictos veritatis earum rerum quas tradebant, dicerent tunc deistæ, neque sine causâ.

Deinde verò nulla est inter scriptores profanos et Evangelistas contentio ; nullum extat, neque extitit unquàm scriptum, in quo res Christianorum aliter perscriberentur, quàm in nostris libris. Scriptorum profanorum, qui coætanei erant, silentium neminem movere debet, ob plurimas causas. Primò quia facilè intelligitur certam earum rerum notitiam ad celebratissimos illos scriptores quorum opera servata sunt, pervenire non potuisse : si enim eædem res in Oriente in hâc nostrâ ætate contingerent, num fidem, quæso, statim apud nos obtinerent? Num brevi quatuor annorum intervallo, quo Christus apud Judæos prædicavit, fama ejus miraculorum ubique percrebrescere potuit? Nequaquàm certè : ista enim facta extraordinaria, nonnisi sensim serpunt; nec à sapientibus habetur fides, donec intellectis omnibus circumstantiis, cognitâ referentium fide, certa evadunt. Deinde verò eò lentos magis ad præbendas talibus rumoribus benignas aures oportebat esse paganos scriptores, quòd ex gente venirent, quam superstitioni maximè obnoxiam existimabant, et quòd consuevissent istiusmodi fabulas apud alias gentes valdè communes non sine causâ contemnere : esset quidem silentium scriptorum, si quis fuissent in illis partibus in quibus miracula Christus operatus est, argumentum non leve adversùs fidem Evangelistarum ; sed quotquot extiterunt ejusmodi in Judæâ, in Galilæâ, in Decapoli et aliis vicinis provinciis historici, nostri prorsùs sunt.

Extiterunt fortassè olim libri in quibus memoriæ traditæ erant res gestæ à Christo, quique jam deleti sunt ; ex innumeris libris, qui imperantibus Augusto et Tiberio editi fuerunt, quàm pauci in manus nostras devenerunt ! constat certè à Pontio Pilato missa de morte Christi fuisse commentaria, tum quia hic mos erat omnibus provinciarum præfectis ; tum quia hæc commentaria laudantur à sancto Justino Martyre in Apologiâ suâ, quam pro Christianis Marco Aurelio imperatori et senatui Romano obtulit, qui eosdem ad hæc commentaria, ut rerum addiscant veritatem, cum summâ fidentiâ remittit. Tertullianus vir doctissimus, etiam ad eadem commentaria provocat ; additque relatione Pontii Pilati adeò permotum fuisse Tiberium, ut Christum inter deos referre voluerit. Quod et suo suffragio, fretus fortassè auctoritate Tertulliani confirmat S. Hieronymus (1).

(1) Si verisimile sit Pilatum de Christi judicio et morte commentarios misisse ad Tiberium Cæsarem, non eamdem habere verisimilitudinem quod addit Tertullianus, retulisse Tiberium ad senatum ut Christus inter deos reciperetur, nonnulli judicant. Nam si Pilatus de Christo sic censuisset, et ex ejus relatione imperator, quomodò passus est Pilatus, ut Apostoli Judæorum sævitiam experirentur, ut Stephanus lapidaretur ? etc. Deinde ex Suetonio discimus Tiberium « externas cæremonias, Ægyptios Judaicosque ritus compescuisse, » Tib. 36, et generatim « circa deos ac religiones fuisse negligentiorem ; quippe addictum mathematicæ, persuasionisque plenum cuncta fato agi. » Narrat Tacitus Ann. 4, 37, Tiberium omnia facta dictaque Augusti vice legis observasse : » at, teste Suetonio Aug. 93, « Augustus Caium nepotem, quòd Judæam prætervehens apud Jerosolymam non supplicàsset ; collaudavit. » Imò ipse Tiberius familiam divitem condemnavit : « datum quippe erat crimini, inquit Tacitus Ann. 6, 18, quòd Theophanem Mitylenæum proavum eorum Cn. Magnus inter intimos habuisset, quòdque defuncto Theophani cœlestes honores græca adulatio tribuerat. » Attamen hæ rationes nequaquàm erroris convincunt Tertullianum : nam in admittendis novis diis faciles erant istis temporibus, seu Græci, seu Romani : de Alexandro Severo et Adriano hæc scripsit Lampridius in Vitâ Alexandri : « Templum Christo facere voluit, cumque inter deos recipere, quod et Adrianus cogitâsse fertur, qui templa in omnibus civitatibus sine simulacris jusserat fieri : quæ hodiè idcircò, quia non habent numina, dicuntur Adriani, quæ ille ad hoc paràsse dicebatur, sed prohibitus est ab eis qui consulentes sacra repererant omnes Christianos futuros, si id optatò evenisset, et templa reliqua deserenda. »



Denique historici profani et Judæi Evangelistarum confirmant narrationem in iis omnibus partibus quæ ad eorum propositum pertinebant. Quòd Augustus imperator totum jusserit recenseri imperium Romanum, quo edicto adducti sunt Bethlehem Christi parentes, refertur à Tacito, Suetonio et Dione. Magnam lucem seu novum sidus, quo Magi Nativitatis Christi certiores facti sunt, visum in Oriente scripsit Chalcidius. Herodem magnam stragem infantium fecisse, nec propriis pepercisse liberis, successorem in imperio metuentem, narrat, ut rem omnibus notam, sine dubitatione, Macrobius. Christum in Ægyptum à parentibus delatum concedit Celsus, ibique magicas artes putat didicisse, quibus postea usus, miracula edidit. Pontium Pilatum Judææ præfectum fuisse, et ex ejus sententiâ Christum esse crucifixum memorat Tacitus. Multos ægros à Christo sanatos fuisse, et alia effecta esse prodigia fatentur Julianus, Hierocles, Porphyrius et alii Christianorum hostes acerbissimi. Christum multa prænuntiavisse, quæ postea contigêre, scripsit Phlegon in Annalibus; quem laudat Origenes in libro contra Celsum : idem reliquit in scriptis, quo tempore est mortuus Christus, obscuratum cœlum, et terram tremuisse. Christum pro Deo à suis habitum, paratos esse Christianos ad mortem pro illâ fide oppetendam, sacramentum suscipere omnes solitos, quo sese adstringebant ad vitæ puritatem atque integritatem ; convenire solitos ad preces et ad hymnos canendos, docuit imperatorem Trajanum per epistolam Plinius junior : quæ relatio in omnibus et singulis partibus cum evangelicâ et apostolicâ historiâ optimè consentit. Sanctum Petrum, cujus in Actibus apostolorum plura describuntur prodigia, edidisse miracula Julianus imperator confitetur. Patet ergo paganos auctores ea tantùm siluisse, quæ Christum inter et Apostolos, aut inter Christianos acta sunt : vel ea quibus dare fidem non poterant, quin eodem tempore Christi Religionem amplecterentur (1).

3° Vanissima est illa ratio ducta ex crudelitate Judæorum et paganorum in Christianos, ob hanc triplicem causam : primò, quia iidem illi Judæi et pagani qui tam crudeles in primos Christianos fuerunt, reverà agnoscebant factorum veritatem ; secundò, quia etsi uno ore pronuntiâssent Christi et Apostolorum miracula falsa esse, tamen nulla fuisset eorum auctoritas, comparata cum auctoritate Apostolorum : tertiò, quia hæc Judæorum crudelitas orta est ex aliis omninò principiis, quàm ex perspectâ falsitate miraculorum Christi et Apostolorum. Primùm quidem Judæi et gentiles non negabant prodigia multa à Christo edita fuisse : habemus confitentes Judæorum principes in Evangelio : *Homo hic*, dicebant, *multa prodigia facit, et non possumus negare.* Miracula ista tria, videlicet curationem hominis cæci à nativitate, Lazari à mortuis excitationem, et ipsius Christi resurrectionem, diligenter examinata, vera esse deprehenderunt. Habemus eosdem confitentes in antiquissimis suis scriptis (1); et ideò Apostoli post resurrectionem Christi non dubitant publicam instituere contestationem. Idem agnoverunt Celsus, Hierocles, Porphyrius, Julianus et alii, quorum quidam singularem hanc Christi virtutem in patrandis miraculis ortam existimabant ex efficaciâ quorumdam verborum, quæ ipse solus pronuntiare potuit (2) : alii autem censebant illam potestatem à Beelzebub, principe dæmoniorum, derivatam esse.

Deinde etsi ad unum omnes, tum Judæi, tum pagani negâssent miracula Christi vera esse, nulla esset eorum auctoritas comparata cum auctoritate Apostolorum, quia Apostoli affirmabant ex perspectâ veritate; affirmantium major est auctoritas, quàm negantium sine causâ, quia Apostoli Christi erant miraculorum illorum oculati testes. Contra tales solus Judas proditor cum aliquâ auctoritate sententiam dicere potuisset ; verùm is nefarius, quem avaritia ad tradendum magistrum impulit, pœnitentiâ et voluntariâ morte testimonium summum edidit se tradidisse sanguinem justum. Si impostorem novisset Judas, non malè tradendo egisset, nec desperans se interfecisset, quia Apostoli Christi longè magis distant ab omni fraudis suspicione, quàm quicumque alii, qui ipsis opponi possunt; nullam siquidem aliam affirmandi causam habere poterant præter interiorem persuasionem ; Pharisæos verò ad negandum movere multa poterant, nempe defensio suarum traditionum, quas impugna-

(1) Vid. testimonia extraneorum, ad calcem. § 1.

(1) Talmud L. Avoda zara, in Misdrach Coheleth, etc. Unde Tertull. lib. contra Judæos, c. 9 : hæc operatum Christum nec vos diffitemini. Vide Arnobium l. 1 contra gentes.

(2) Vide Toldos Jeschu apud Wagenseil, vel potiùs testimonia collecta in libro utilissimo inscripto Histoire de l'établissement du Christianisme tirée des seuls auteurs Juifs et payens, auctore Cl. Theol. professore Bizuntinensi Bullet.



bat Christus; conservatio famæ et auctoritatis suæ, quam non parùm apud populum Christus minuebat; inimicitia illa summa, quam adversùs eum gerebant, quæ non tantùm constat ex Evangelio, sed etiam ex vetustissimis eorum scriptis. Denique Judæorum atque gentilium in Christianos immanitas in aliis principiis, quàm in perspectâ falsitate miraculorum Christi posita erat, ut modò in defendendâ Christi et Apostolorum sanctitate ostendemus.

4° Ad quartam verò rationem respondeo illas suspiciones fraudis et fanatismi temere esse conceptas, et cùm careant omni fundamento, nullam habere vim argumenti. Obvia et facilis explicatio eventûs hujus singularis, nempe propagationis Religionis christianæ hæc est, quòd reverà facta fuerint in illius confirmationem prodigia, quæ in Scripturis sacris reperiuntur; quævis alia ejusdem eventûs explicatio indirecta est et commentitia, quam sine causâ admittere absurdum est. Sed præterea etiamsi causâ cadere necesse sit deistas, ob hanc solam rationem, quòd eorum explicatio valdè indirecta sit, et aliunde nullo firmata argumento, non pigeat tamen eorum hypotheses expendere.

Juxta primam hypothesim supponitur Christum, ejusque discipulos impostores fuisse, qui fraudis ad decipiendos homines iniêre consilium. Expendamus igitur utrùm consentienter huic suspicioni egerit Christus; quam methodum secutus est? Impostoris est suam doctrinam in populi opinionibus atque præjudiciis ponere; Christus verò eadem ex eorum animis evellere studuit. Expectabat populus ducem victorem et triumphatorem; negavit Christus talem esse debere Messiam. Traditiones veterum cum maximâ colebat religione; Christus docuit illas irritam facere legem Moysis. Existimabant Judæi se inter omnes populos Dei peculium semper futuros; Christus dicebat ex omni natione assumendos esse veri Dei cultores, et cum Abraham, Isaac et Jacob in regno Dei sedem inventuros. Deum Jerosolymis solùm rectè coli posse censebant; ille affirmabat in omni loco gratum futurum Deo hominum cultum. Illi in observatione sabbati valdè erant superstitiosi; Christus sæpè juxta eorum opinionem non servabat. Damnare præterea solebat eorum in multis superstitiosos ritus, eorum crimina exponere, hypocrisim Pharisæorum, qui apud populum gratiâ multùm valebant, acriter insectari, ita ut rumor ubique percrebuerit, voluisse eum solvere legem et Prophetas. Non habemus certè in hâc agendi ratione artes impostoris. Quibus usus est consiliariis, quibus administris? Num hominibus industriis, astutis, et ad quidlibet audendum projectis? Imò verò idiotis, timidis, et ad omnem fraudem atque machinationem planè ineptis. Sed quo consilio hæc omnia agebat? quem attingere scopum volebat? Num regnum, num divitias, num commoda sua quærebat? Nequaquàm; ad opprobria, ad contumelias, ad tormenta et acerbissimam mortem suos vocabat: ipse dux ad mortem ignominiosam festinabat. Post prædictam crucifixionem suam nihil egit quo posset illam avertere. Cùm Hierosolymam ingressus est more triumphali, populusque illi tunc devotus, ramos et vestimenta sterneret in viâ, principesque sacerdotum plebem metuentes quiescerent, hâc uti potuisset opportunitate ad miscendas reipublicæ res, si id in animo habuisset: nihil tamen molitus est in civitate. Cujus ergo causâ mori apud se constituerat? cujus causâ resurgendi inierat consilium? quod iniisse cum discipulis certum est. Si expenderimus etiam quam partem egerint Apostoli, æquè perspicuum erit eos non fuisse fraudis administros, neque ante, neque post mortem magistri sui, cùm eamdem sortem sibi expectandam esse ex magistri monitis et exemplo intelligerent: sed de eorum bonâ fide jam quædam diximus, alia modò adjiciemus in defendendâ Christi resurrectione.

Secunda hypothesis, quæ fanatico furori refert res gestas à Christo et ejus Apostolis, non minùs est ridicula, tum quia nullo modo efficitur Christum et Apostolos homines fanaticos fuisse, cùm in omnibus præceptis et omni agendi ratione animum tranquillum, et ab omni perturbatione liberum monstraverint, imò verò sapientiâ superaverint omnes, quotquot fuêre, philosophos: tum etiam quia ista accusatio non tollit Christi et Apostolorum auctoritatem: nam etsi fanaticus furor ad quidlibet tolerandum atque audendum excitare possit homines aliquâ imbutos opinione, nec sit eorum agendi ratio veritatis suarum opinionum argumentum, attamen probat saltem illos esse interiùs convictos illarum opinionum, pro quibus non dubitant certæ morti occurrere. Jam verò hoc unum volumus Christum et Apostolos convictos fuisse veritatis illorum factorum, quæ nobis tradiderunt, quia eorum fides et persuasio certissimum est veritatis illorum factorum argumentum, uti supra os-

tendimus; siquidem nisi edita fuissent illa miracula, sine naturæ humanæ perturbatione haud naturali, à Christo et Apostolis credi non potuerunt, id est, sine majori miraculo ad fraudem hominibus imponendam.

5° Ultima in objectione allata ratio ex comparatione miraculorum Christi cum prodigiis ethnicorum, nempe Vespasiani et Apollonii Thyanæi, est omnium ineptissima. In istorum miraculorum vanitate ostendendâ non immorabimur hoc loco, cùm petant adversarii ex ipsâ eorum vanitate argumentum, sed quàm sit ridicula hæc argumentandi ratio notare operæ pretium est. Demus, quod certè longè abest à veritate, illa miracula ubique fidem obtinuisse: demus etiam illa miracula historicis monumentis coætaneis descripta esse et relata ab eis qui eorum veritatem perspectam habere potuerunt; quæ omnia falsissima esse ipsi nôrunt adversarii: tamen, his omnibus concessis, ex deprehensâ illorum miraculorum falsitate, nullo modo sequeretur facta evangelica falsa esse. Nam certè illa testimonia, quæ oppositis testimoniis vel evidentibus vanitatis notis destruuntur, nequaquàm tollunt credibilitatem aliorum testimoniorum, quæ nullas habent vanitatis notas, et quorum auctoritas non minuitur contrariis testimoniis: v. g., testimonium gravis alicujus viri, qui probus et verax habitus semper est, falsum sine causâ supponi non debet, quia sunt aliqui homines falsi et perjuri. Sed profectò ea quæ modò concessimus, nequaquàm sunt concedenda; nam ex unâ parte summa est Evangelistarum auctoritas; illorum verò auctorum, qui prodigia Apollonii Thyanæi et aliorum ejusmodi memoriæ prodidère, nulla prorsùs est: facta evangelica ubique invenerunt fidem etiam apud eos quorum maximè intererat illa non credere: eadem hæc facta maximæ conversionis rerum, frustra renitente imperatorum potentiâ, causæ fuerunt; cætera prodigia, quæ apud paganos referuntur, pro falsis habita sunt, etiam apud eos qui ea retulerunt; neque ullam habent notam veritatis, ut in disputatione contra paganam superstitionem efficiemus (1).

De resurrectione Christi.

Inter omnia Christi Domini miracula eminet corporis ejus à morte resurrectio, atque in eâ tanquàm firmissimo fundamento posita est à Christo et Apostolis omnis nostra spes: ad illius ergo confirmationem specialem diligentiam afferre oportet. Cùmque in variis Evangelistarum relationibus, et nos quæramus præcipua causæ nostræ præsidia, et deistæ invenire se putent validissima adversùs nos argumenta, illas narrationes varias ante omnia primùm exhibere, et earum concordiam conficere necesse judicamus.

S. JOANNES.

« Unâ autem sabbati (*id est, primâ die post* « *sabbatum*) Maria Magdalene venit manè, cùm « adhuc tenebræ essent, ad monumentum, et « vidit lapidem sublatum à monumento (1). « Cucurrit ergo et venit ad Simonem Petrum, « et ad alium discipulum, quem amabat Jesus « (Joannem) et dicit illis: Tulerunt Dominum « de monumento, et nescimus ubi posuerunt « eum. Exiit ergo Petrus, et ille alius disci- « pulus, et venerunt ad monumentum. Cur- « rebant autem duo simul, et ille alius disci- « pulus præcucurrit citiùs Petro, et venit « primus ad monumentum; et cùm se incli- « nâsset, vidit posita linteamina, non tamen « introivit (2). Venit ergo Simon Petrus « sequens eum, et introivit in monumentum, « et vidit linteamina posita, et sudarium « quod fuerat super caput ejus; non cum « linteaminibus positum, sed separatim invo- « lutum in unum locum. Tunc ergo introivit « et ille discipulus, qui venerat primus ad « monumentum: et vidit et credidit (3). Non- « dùm enim sciebant Scripturam, quia opor- « tebat eum à mortuis resurgere. Abierunt « ergo iterùm discipuli ad semetipsos. Maria « autem stabat ad monumentum foris, plorans. « Dùm ergo fleret, inclinavit se et prospexit « in monumentum; et vidit duos angelos in

(1) Argumentationem adeò momentosam de veraci Evangelistarum narratione ex incredulorum objectis copiose vindicavit Jacques, theologus Bisuntinus, in suo tractatu de Religione. — Eamdem ex testimoniis extraneorum confirmatam ostendemus: omnia, ut fusiora, ad calcem remittimus, § 1. P. S.

(1) Videtur Mariam Magdalenam, pro suâ alacritate, primam et solam accessisse ad monumentum alias expectaturam, nec cum illis mulieribus fuisse, quæ accedentes postea visionem angelorum habuerunt: si supponatur illam venisse ad sepulcrum cum Maria Jacobi et Salome, quod affirmare videntur Matthæus et Marcus, dicendum est eas domibus profectas, cum adhuc tenebræ essent, et attigisse monumentum orto jam sole, ut habet Marcus.

(2) Naturâ timidus fortassè horrore quodam correptus est.

(3) Videtur beatum Joannem jam tum convictum fuisse Christum resurrexisse ex consideratione sepulcri aperti et positorum linteaminum, et revera id concludere debebat, ut infra dicemus.

« albis sedentes, unum ad caput et unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Jesu. Dicunt ei illi : Mulier, quid ploras? Dicit eis : Quia tulerunt Dominum meum, et nescio ubi posuerunt eum (1). Hæc cùm dixisset, conversa est retrorsùm, et vidit Jesum stantem (2) : et non sciebat quia Jesus est. Dicit ei Jesus : Mulier, quid ploras? Quem quæris? Illa existimans quia hortulanus esset, dicit ei : Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum; et ego eum tollam. Dicit ei Jesus : Maria? Conversa illa dicit ei : Rabboni (quod dicitur Magister.) Dicit ei Jesus : Noli me tangere, nondùm enim ascendi ad Patrem meum (3), et Patrem vestrum; Deum meum, et Deum vestrum. Venit Maria Magdalene annuntians discipulis, quia vidi Dominum, et hæc dixit mihi (4). Cùm ergo sero esset die illo, unâ sabbatorum, et fores essent clausæ (5), ubi erant discipuli congregati propter metum Judæorum, venit Jesus et stetit in medio, et dixit eis : Pax vobis. Et cùm hoc dixisset, ostendit eis manus et latus. Gavisi sunt ergo discipuli viso Domino. Dixit ergo eis iterùm : Pax vobis. Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Hæc cum dixisset, insufflavit, et dixit eis : Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt (6). Thomas autem, unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando venit Jesus. Dixerunt ergo ei alii discipuli : Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis : Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, et mittam digitum meum in locum clavorum, et mittam manum meam in latus ejus, non credam. Et post dies octo iterùm erant discipuli ejus intùs; et Thomas cum eis. Venit Jesus januis clausis, et stetit in medio, et dixit : Pax vobis (1). Deinde dixit Thomæ : Infer digitum tuum hùc, et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum : et noli esse incredulus, sed fidelis. Respondit Thomas et dixit ei : Dominus meus et Deus meus! Dixit ei Jesus : Quia vidisti me, Thoma, credidisti : beati qui non viderunt et crediderunt.... Postea manifestavit se iterùm Jesus discipulis ad mare Tiberiadis.... Hoc jam tertiò manifestatus est (2) Jesus discipulis suis, cùm resurrexisset à mortuis. »

S. MATTHÆUS.

« Vespere autem sabbati, quæ lucescit in primâ sabbati (3), venit, (*ivit*) Maria Magdalene et altera Maria (*mater Jacobi*) videre sepulcrum (4). Et ecce terræ motus factus est magnus (5) : Angelus enim Domini descendit de cœlo; et accedens revolvit lapidem, et sedebat super eum. Erat autem aspectus ejus sicut fulgur (6), et vestimentum ejus sicut nix. Præ timore autem ejus exterriti sunt custodes, et facti sunt velut mortui. Respondens autem angelus dixit mulieribus (7) : Nolite timere vos : scio enim quòd Jesum, qui crucifixus est, quæritis : non est hic, surrexit enim, sicut dixit : venite et videte locum ubi positus erat Dominus. » « Et citò euntes dicite disci-

(1) Suffusa oculos lacrymis, summo perturbata dolore, tum cum anxietate intenta cogitationi, vix attendit ad hanc angeli apparitionem.

(2) Est hæc prima Christi apparitio. Erat tunc Magdalene sola : cùm etiam Marcus asserat Christum post resurrectionem primùm apparuisse Magdalenæ.

(3) Noli amplexu pedum meorum diutiùs inhærere, seu noli me nunc diutiùs tenere, nondum enim ascendo ad Patrem meum, et iterùm me videbis.

(4) Nondùm hæc nuntiaverat Magdalene, cùm discipuli pergentes Emmaüs reliquerunt urbem; ipsis solummodò relata fuerat à Joanne et sociis visio angelorum, de quâ Lucas, ut modò exponemus.

(5) Hæc circumstantia explicari potest, etiam non admissa penetrabilitate corporum, neque suspendebat vim aliorum signorum, quibus Christus Apostolis probavit corpus suum reale esse, non phantasticum : non valebat illius consideratio contra testimonium omnium sensuum.

(6) Hæc quinta Christi apparitio post illas factas Mariæ Magdalenæ, Mariæ Jacobi et Salome, Petro, duobus discipulis pergentibus Emmaüs. De quibus modò.

(1) Hæc sexta apparitio.

(2) Hæc septima apparitio, et tertia facta Apostolis multis simul congregatis.

(3) Dicitur vespera totum obscurum tempus noctis sabbatum subsequentis : hæcque vespera desinit, adveniente luce diei Dominicæ, quæ dies apud Judæos dicebatur, prima sabbati; sicut dies lunæ, secunda sabbati; et deinceps.

(4) Id est, domibus suis profectæ sunt, neque etiam fortassè conjunctim, seu comites in itinere non erant, uti modò notavimus

(5) Id est, circa illud tempus quo mulieres domibus suis egressæ sunt.

(6) Ad terrendos et pellendos à sepulcro custodes, ut accessus mulieribus et discipulis liber esset, et Christi resurrectio ipso die publica esset.

(7) Iis nempe, quæ cum alterâ Mariâ erant, inter quas erat Salome, ut patet ex sancto Marco : Maria Magdalene jam discesserat annuntiatura Apostolis revolutum esse lapidem, et apertum sepulcrum.

pulis ejus, quia surrexit; et ecce præcedit vos in Galilæam (1). Ibi eum videbitis, ecce prædixi vobis. Exierunt citò de monumento cum timore et gaudio magno, currentes nuntiare discipulis ejus. Et ecce Jesus occurrit illis dicens: Avete. Illæ autem accesserunt, et tenuerunt pedes ejus, et adoraverunt eum. Tunc ait illis Jesus: Nolite timere; ite, nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilæam; ibi me videbunt (2). Quæ cùm abiissent, ecce quidam de custodibus venerunt in civitatem, et nuntiaverunt principibus sacerdotum omnia quæ facta fuerant. Et congregati cum senioribus, consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus, dicentes: Dicite quia discipuli ejus nocte venerunt, et furati sunt eum nobis dormientibus. Et si hoc auditum fuerit à præside, nos suadebimus ei, et securos vos faciemus. At illi, acceptâ pecuniâ, fecerunt sicut erant edocti, et divulgatum est verbum istud apud Judæos usque in hodiernum diem (3). Undecim autem discipuli abierunt in Galilæam, in montem ubi constituerat illis Jesus. Et videntes eum adoraverunt: quidam autem dubitaverunt (4). Et accedens Jesus locutus est eis dicens: Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terrâ; euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritûs sancti, docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi. » Est valdè contracta hæc narratio, quia S. Matthæus in usum Judæorum, quibus compertæ erant singulæ circumstantiæ, scribebat: militum solummodò fabulam apud Judæos præsertim propagatam refellit, et maximè memorabilem Christi in Galilæâ apparitionem memorat, ejusdemque prædictionem.

S. MARCUS.

« Et cùm transisset sabbatum, Maria Magdelene, Maria Jacobi et Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum: et valdè manè unâ (primâ) sabbatorum, veniunt (accesserunt) ad monumentum orto jam sole (1); et dicebant ad invicem: Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti? erat quippe magnus valdè (2). Et introeuntes in monumentum viderunt juvenem sedentem in dextris, coopertum stolâ candidâ, et obstupuerunt (3). Qui dicit illis: Nolite expavescere; Jesum quæritis Nazarenum crucifixum: surrexit, non est hìc; ecce locus ubi posuerunt eum. Sed ite, et dicite discipulis ejus et Petro, quia præcedit vos in Galilæam, ibi eum videbitis sicut dixit vobis. At illæ exeuntes fugerunt de monumento; invaserat enim eas timor et pavor, et nemini quidquam dixerunt (4), timebant enim. Surgens autem manè primâ sabbati, apparuit primò Mariæ Magdalenæ (5) de quâ ejecerat septem dæmonia; illa vadens nuntiavit his, qui cum eâ fuerant, lugentibus et flentibus. Et illi audientes quia viveret, et visus esset ab eâ, non crediderunt. Post hæc autem duobus ex his ostensus est in aliâ effigie (6), euntibus in villam: et illi euntes nuntiaverunt cæteris, nec illis crediderunt (7). Novissimè recumbentibus illis undecim apparuit, et exprobravit incredulitatem eorum et duritiam cordis, quia iis, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt. Et dixit eis: Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ.... et

(1) Galilæam elegit, in quâ se discipulis ostenderet, quia in regione eâ procul abesset pusillus grex et conterritus à persecutione Scribarum et Pharisæorum, quia erant pii multi quos solari et confirmare oportebat, quia ipsorum Apostolorum animos confirmare voluit eorumdem locorum visione, ubi eos ad apostolatum vocaverat, ubi miracula multa fecerat, multosque ad eos habuerat sermones.

(2) Hæc apparitio facta Mariæ Jacobi et Salome secunda est post illam factam Magdalenæ, de quâ vide Joannem.

(3) Hæc scripta sunt annis sex post eventum; neque ulla ratio cogebat Matthæum ista fingere. Fuit ille rumor manifestissimè propagatus ab Apostolorum adversariis ad eosdem refellendos.

(4) Nempe quidam eorum qui non viderant, neque adoraverant: vel quidam fortassè existimaverunt se spiritum videre, donec propiùs accessisset et evidentia signa dedisset Christus: vel forte quidam ante dubitaverunt. Est hæc octava apparitio.

(1) Maria Magdalene comes aliarum fortè non fuit, sed alias anteverterat, ut jam notatum est.

(2) Cui movendo, juxta aliquos codices, vix pares erant viginti viri, quod omninò verisimile est, cum speluncæ os obstrueret.

(3) Si Magdalene ad monumentum profecta est cum Mariâ Jacobi et Salome, jam discesserat nuntiatura Apostolis monumentum apertum esse. nam non retulit ad Petrum et Joannem hanc visionem, neque angeli verba.

(4) Id est, non dixerunt in viâ cùm redirent. Verisimiliter Petrus et Joannes accersiti à Magdelene ipsis occurrerunt, aliquo intervallo interposito, vel per alium tramitem pergentes: certè posteà hæc nuntiaverunt.

(5) Ergo tunc sola erat.

(6) Discipulis duobus Emmaüs pergentibus.

(7) Hoc est, non plenè omnes convicti fuerunt, omni depulsâ anxietate; vel non crediderunt corpus Christi vivere, sed putabant eos spiritum vidisse.

Dominus quidem Jesus, postquàm locutus est eis, assumptus est in cœlum, et sedet à dextris Dei. Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis. » Prætermittuntur in hâc narratione apparitio facta die resurrectionis Mariæ et Salome, de quâ sanctus Matthæus; et illa facta Petro; aliæque omnes post diem resurrectionis usque ad Ascensionem.

S. LUCAS.

« Unâ autem sabbati valdè diluculò venerunt ad monumentum (mulieres quæ cum eo venerant de Galilæâ) portantes quæ paraverant aromata (1) : et invenerunt lapidem revolutum à monumento. Et ingressæ non invenerunt corpus Domini Jesu. Et factum est, dùm mente consternatæ essent de isto, ecce duo viri steterunt secùs illas in veste fulgenti. Cùm timerent autem et declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas : Quid quæritis viventem cum mortuis? Non est hìc, sed surrexit : recordamini qualiter locutus est vobis, cùm adhuc in Galilæâ esset, dicens, quia oportet Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, et crucifigi, et tertiâ die resurgere. Et recordatæ sunt verborum ejus (2). Et regressæ à monumento nuntiaverunt hæc omnia illis undecim et cæteris omnibus. Erat autem Maria Magdalena et Joanna et Maria Jacobi, et cæteræ quæ cum eis erant, quæ dicebant ad Apostolos hæc : et visa sunt ante illos, sicut deliramentum, verba ista, et non crediderunt illis. Petrus autem surgens cucurrit ad monumen-

(1) Joanna cum multis mulieribus Galilæis, quæ post Magdalenam atque Mariam Jacobi, et Salome accesserunt..

(2) Est hæc apparitio diversa ab eâ descriptà à SS. Matthæo et Marco. In illâ unus angelus, in hâc duo : in illâ mulieres invasit pavor et tremor, hæ reverenter oculos dimittunt. Verba angeli in utrâque diversa sunt : his mulieribus redeuntibus non apparuit Christus : hæ retulerunt ad Apostolos, ante discessum duorum discipulorum Emmauntinorum ex urbe, visionem angelorum; quæ Christum viderant, nondùm renuntiaverant, ut constat ex sequentibus his verbis discipulorum ad Christum : « Sed et mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum : (Magdalene et postea Joanna cum sociis) et non invento corpore ejus venerunt dicentes (Joanna cum comitibus) se et am visionem angelorum vidisse, et abierunt quidam ex nostris (nempe Petrus et Joannes vocati à Magdalene) ad monumentum, et ita invenerunt ut mulieres dixerunt » (hoc est ipsum non invenerunt) : ubi nulla mentio est apparitionis Christi ulli factæ.

tum (1) : et procumbens vidit linteamina sola posita, et abiit secum mirans quod factum fuerat. Et ecce duo ex illis ibant ipsâ die in castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Jerusalem, nomine Emmaüs. Et ipsi loquebantur ad invicem de his omnibus quæ acciderant : et factum est dùm fabularentur, et secum quærerent, et ipse Jesus appropinquans ibat cum illis. Oculi autem illorum tenebantur ne eum agnoscerent.... et intravit cum illis. Et factum est, dùm recumberet cum eis, accepit panem et benedixit ac fregit et porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum, et cognoverunt eum : et ipse evanuit ex oculis eorum. Et dixerunt ad invicem : Nonne cor nostrum ardens erat in nobis dùm loqueretur in viâ, et aperiret nobis Scripturas? Et surgentes eâdem horâ regressi sunt in Jerusalem : et invenerunt congregatos undecim, et eos qui cum illis erant, dicentes : Quòd surrexit Dominus verè. et apparuit Simoni. Et ipsi narrabant quæ gesta erant in viâ, et quomodò cognoverunt eum in fractione panis. Dùm autem hæc loquuntur, stetit Jesus in medio eorum, et dixit eis : Pax vobis : ego sum, nolite timere. Conturbati verò et conterriti, existimabant se spiritum videre (2). Et dixit illis : Quid turbati estis, et cogitationes ascendunt in corda vestra? Videte manus meas et pedes, quia ego ipse sum : palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere. Et cùm hoc dixisset, ostendit eis manus et pedes. Adhuc autem illis non credentibus et mirantibus præ gaudio, dixit : Habetis hìc aliquid quod manducetur? At illi obtulerunt ei partem piscis assi et favum mellis. Et cùm manducâsset coràm eis, sumens reliquias dedit eis. Et dixit ad eos : Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos, cùm adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, et Prophetis, et Psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas. Et dixit eis : Quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati, et resurgere à mortuis tertiâ

(1) Secundâ vice : ierat primâ vocatus à Magdalene unâ cum Joanne; tuncque ingressus fuerat sepulcrum et omnia consideraverat; nunc tantùm procumbens introspicit, ut videret angelos, quos sibi apparuisse nuntiaverant mulieres : qui confundunt has duas Petri ad sepulcrum profectiones, frustra multis se involvunt difficultatibus.

(2) Ex his patet, in quâ re posita erat discipulorum aliquorum incredulitas, nempe putârant Magdalenam, Mariam Jacobi et Salome, Petrum et duos discipulos spiritum vidisse.

die : et prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Jerosolymâ. Vos autem testes estis horum. Et ego mitto promissum Patris mei in vos : vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto. Eduxit autem eos foràs in Bethaniam : et elevatis manibus suis benedixit eis. Et factum est dùm benediceret illis, recessit ab eis, et ferebatur in cœlum, et ipsi adorantes regressi sunt in Jerusalem cum gaudio magno : et erant semper in templo, laudantes et benedicentes Deum. » Prætermisit hic Evangelista omnes apparitiones angelorum et Christi, præter illam angelorum exhibitam Joannæ et comitibus, et illas Christi exhibitas Petro, duobus discipulis Emmauntinis, undecim congregatis die Resurrectionis, et ultimam in Ascensione.

PRIMA EPISTOLA AD CORINTHIOS, c. 15.

« Tradidi enim vobis inprimis quod et accepi, quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris, secundùm Scripturas ; et quia sepultus est, et quia resurrexit tertiâ die secundùm Scripturas; et quia visus est Cephæ, et post hoc undecim. Deinde visus plus quàm quingentis fratribus simul (1) : ex quibus multi manent usque adhuc, quidam autem dormierunt. Deinde visus est Jacobo (2). Deinde Apostolis omnibus (3). Novissimè autem omnium tanquàm abortivo visus est et mihi. »

ACT. I.

« Quibus (Apostolis) præbuit seipsum vivum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis (4), et loquens de regno Dei. Et convescens præcepit eis ab Jerosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris quam audistis, inquit, per os meum : quia Joannes quidem baptizavit aquâ, vos autem baptizabimini Spiritu sancto, non post multos hos dies. Igitur qui convenerant interrogabant eum dicentes : Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel? Dixit autem eis : Non est vestrùm nôsse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in suâ potestate ; sed accipietis virtutem supervenientis Spiritûs sancti in vos, et eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæâ, et Samariâ, et usque ad ultimum terræ. Et cùm hæc dixisset, videntibus illis, elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum. Cumque intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo viri astiterunt juxta illos in vestibus albis. Qui et dixerunt : Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? Hic Jesus qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodùm vidistis eum euntem in cœlum. »

Series eventuum die resurrectionis.

Die post sabbatum primâ valdè manè, dùm mulieres, quæ paraverant aromata, ut venientes ungerent Jesum, proficiscerentur domibus suis, angelus Domini revolvit lapidem, terribili aspectu exanimavit custodes, ac deinde terrore perculsos fugavit. Interea resurrexit Christus. S. Matth.

Maria verò Magdalene et Maria Jacobi cum Salome, quæ domibus profectæ fuerant cùm adhuc tenebræ essent, venerunt ad monumentum, expectaturæ Joannam cum aliis mulieribus portantibus aromata, orto jam sole; ac Magdalene statim atque vidit revolutum lapidem, non dubitans quin ablatum fuisset corpus, relictis aliis sociis cucurrit nuntiatura Petro et Joanni; vel fortè sola ante omnes venerat, cùm adhuc tenebræ essent, et ingressa fuerat monumentum. Matth. Marc. Joan.

Post discessum Magdalenes, Maria et Salome ingressæ monumentum, viderunt juvenem sedentem in dextris, coopertum stolâ candidâ, et obstupuerunt. Qui dicit illis : Nolite expavescere; Jesum quæritis Nazarenum crucifixum? surrexit, non est hìc : ecce locus ubi posuerunt eum ; sed ite, dicite discipulis ejus et Petro, quia præcedit vos in Galilæam : ibi eum videbitis, sicut dixit vobis. At illæ exeuntes fugerunt de monumento, invaserat enim eas tremor et pavor : et nemini quidquam dixerunt (in viâ in quâ fortè illis occurrerunt Petrus et Joannes currentes, et aliquo intervallo distantes) : timebant enim. S. Marc. et Matth. Post discessum harum mulierum, Petrus et Joannes veniunt ad sepulcrum, quos Magdalene eòdem rediens sequebatur non tam cito gradu. Hi postquàm ingressi singula considerâvissent, abierunt iterùm ad semetipsos. S. Joannes. Post horum discessum, Magdalene, quæ secunda vice accesserat, stabat ad monumentum foris plorans. Dùm ergo fleret, inclinavit se, et prospexit in monumentum ; et

(1) Est hæc octava apparitio in monte Galilææ, omnium maximè solemnis, ante et post mortem prædicta.
(2) Est hæc nona apparitio.
(3) Fortè in ascensione.
(4) Ex his sequi videtur plures fuisse apparitiones Christi quàm illas decem, quæ conferendo varia Evangelia et Epistolam ad Corinthios recensere solent.

vidit duos angelos in albis sedentes, unum ad caput, et unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Jesu; et deinde apparuit ei Christus. Joannes. Post hanc Magdalenæ factam apparitionem, statim apparuit etiam Mariæ Jacobi et Salome fugientibus, et nondùm urbem ingressis. dicens: Avete. Illæ autem accesserunt, et tenuerunt pedes ejus, et adoraverunt eum. Matth.

Interea Joanna cum mulieribus quæ venerant de Galilæâ, accesserunt portantes quæ paraverant aromata; et ingressæ non invenerunt corpus Domini Jesu. Et factum est dùm mente consternatæ essent de isto, ecce duo viri steterunt secùs illas in veste fulgenti. Cùm timerent autem et declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas: Quid quæritis viventem cum mortuis? Non est hic, sed surrexit. Recordamini qualiter locutus est vobis, cùm adhuc in Galilæâ esset, dicens, quia oportet filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, et crucifigi, et tertiâ die resurgere. Et recordatæ sunt verborum ejus, et regressæ à monumento nuntiaverunt hæc omnia illis undecim et cæteris omnibus, inter quos erant discipuli duo, qui profecturi erant Emmaüs. Lucas. Post hunc nuntium allatum à Joannâ, et relationes etiam fortassè factas à Magdalene et Mariâ Jacobi, Petrus surgens cucurrit secundâ vice ad monumentum, et procumbens solummodò ut videret angelos, vidit linteamina sola posita, et abiit secum mirans quod factum fuerat. Postea eâdem die, quâ horâ, quo loco incertum, apparuit Petro Christus. Lucas. Eâdem etiam die apparuit duobus discipulis pergentibus in castellum Emmaüs, Lucas, Marcus.

Ac tandem serò eâdem die apparuit undecim congregatis. Lucas, Matthæus, Marcus, Joannes. Præter has quinque Christi apparitiones ipsâ die resurrectionis, recensentur quinque aliæ: nempe sexta fuit illa facta omnibus Apostolis, in quâ reprehensa est Thomæ incredulitas (vide Joan.); septima fuit ad mare Tiberiadis, ubi facta est piscatio miraculosa, et Christus oves suas Petro commendavit; ejusque simul martyrium prædixit (ibid.); octava fuit in monte Galilææ quem designaverat Christus, ubi visus est quingentis fratribus simul (vide Matth., Marc., Luc., Act., 1 Ep. ad Cor.); nona facta est Jacobo (1 ad Cor.); decima Apostolis ante ascensionem (vide Marc., Luc., Act., 1 Ep. ad Cor.).

In hâc ergo expositione, 1° plures supponuntur mulierum diversarum profectiones ad monumentum, et diversis temporibus. 2° Plures etiam supponuntur apparitiones angelorum. 3° Angeli nunc visibiles se, nunc invisibiles præstabant; nunc unus, nunc duo videbantur. 4° Hi eventus ad Apostolos nuntiati sunt à diversis mulieribus et diversis temporibus. 5° Duæ fuerunt distinctæ apparitiones Christi mulieribus exhibitæ. 6° S. Petrus bis ad monumentum accessit. Hæ suppositiones fundamentum habent in relationibus Evangelistarum, ut patet ex notis textui adjectis. Tollunt omnes difficultates, quæ doctissimorum interpretum ingenia exercuerunt; et quas adeò jactant adversarii, resurrectionis Christi argumenta multiplicant, cùm in hâc expositione tres sint apparitiones angelorum et duæ Christi Domini, factæ mulieribus: in communi autem explicatione una solummodò angelorum et una vel duæ Christi. Ex illis non exsurgit historia abhorrens à verisimilitudine; imò verisimile est mulieres numero plures, ne observarentur à Judæis, statuisse inter se, ut in plures turmas divisæ irent ad monumentum; et cùm ibi venientes invenirent contra expectationem sepulcrum apertum, et angelos, qui priores terruerunt et mandata omnibus dederunt ad Apostolos, non habere debet admirationem, quòd omnes simul ad sepulcrum nunquàm convenerint, uti meditaverant. Vide librum elegantem, cui titulus: Observationes in historiam et argumenta resurrectionis Christi.

Propositio. Historia resurrectionis Christi Domini est ex omni parte certissima.

Probatio. Illa historia certissima est, quæ 1° in se considerata habet omnes notas veræ historiæ; 2° ad quam refellendam, eo tempore quo facilè ejus vanitas detegi potuit, inventa est fabula planè inepta et ridicula, ab iis qui vanitatis detegendæ nec voluntate nec facultate caruerunt; 3° quæ nexus est infinitorum eventuum antecedentium et subsequentium; quorum nulla ratio reddi potest, nisi suppositâ hujus historiæ veritate; 4° quæ falsa et commentitia supponi nequit, sine incredibili stultitiâ, seu sine multarum rerum absurdarum et impossibilium suppositione arbitrariâ. Atqui: I. Historia resurrectionis Christi, qualis modò exposita est, omnes habet notas internas veræ historiæ. 1° Exhibentur Judæorum principes, post tantam in totâ regione ex Christi prædicatione commotionem, et in ejus morte universæ civitatis perturbationem solliciti ne illa erga eum veneratio, quæ multos incesserat, post ejus mortem propagaretur, neve relictum

in potestate discipulorum magistri corpus iis occasionem præberet comminiscendi, eum resurrexisse à mortuis, præsertim cùm id vivens prædixisset. Quod profectò nullo modo abest à verisimilitudine : neque Matthæus sibi in mentem induxisset illam circumstantiam post sex annos narrare ut rem omnibus notam, confessam à Judæis, et ut fabulæ in vulgus editæ fundamentum; si istius custodiæ sepulcro appositæ nulla fuisset notitia. Erat illa fabula non à discipulis Christi, qui aliud contrarium ferebant testimonium, sed ad eos refellendos manifestissimè excogitata.

2° Eadem historia exhibet Apostolos et reliquos discipulos in eo mentis statu, in quo naturaliter, ut ita loquar, esse debebant. Exhibet perturbatos et confusos : quòd præjudiciis de Messia rege terrestri et triumphatore nondùm depositis Christi miracula et admirabilem sanctitatem, quibus adducti sunt ut illum Messiam crederent, conciliare non poterant cum ejus ignominiosâ morte. Exhibet dejectos et desperantes : speraverant, quòd ipse esset redempturus Israel, at morte domitum, sepultumque cernebant; qui alios salvos fecerat seipsum salvum facere non potuerat. Exhibet anxios et consternatos : quid enim post crudelem Magistri mortem expectare poterant, quàm opprobria, vincula, verbera, similemque exitum? Exhibet pias mulieres sollicitas et diligentes in comparandis aromatibus et præstandis ultimis in exanime corpus muneribus. Exhibet Apostolos inter repetitas mulierum relationes dubios, incertos ancipites, donec ipsi vidissent Christum ; quod optimè congruit hominum naturali diffidentiæ in rebus trepidis, ubi metuunt ne se inani efferant lætitiâ. Nullus in his omnibus color fraudis.

3° Quàm benè in eâdem historiâ discipuli et mulieres à perturbatione et consternatione adducuntur ad saniorem mentem! quàm lenia sunt remedia atque apta infirmorum statui! quàm congrua Christi charitati, indulgentiæ, dignitati! Primò Petrus et Joannes excitati à Magdalene nuntio illo, quòd revolutus esset lapis, apertum vacuumque sepulcrum; eò se conferunt, et ex non invento corpore ac linteaminum situ injicitur eorum animis resurrectionis suspicio, et disponuntur ad accipiendum eventûs tam extraordinarii nuntium. Siquidem colligere potuerunt, Christi corpus neque ab ejus discipulis ablatum, quia ipsi fuissent consilii participes; neque à Judæis, qui illud ad sepulturam abjecerant; neque à Pilato, qui paulò antea illud concesserat Josepho; non ab alio quopiam ad idem in alio loco tumulandum, cùm ibi relicta essent linteamina et sudarium. Et reverà ex his Joannem auguratum esse Christum resurrexisse narrat ipse de seipso : *Qui vidit et credidit.*

Vix in urbem reversi convocaverant aliquos discipulos et inter alios Cleopham et socium itineris versùs Emmaüs, quùm Joanna cum mulieribus Galilæis, eos certiores facit, se visionem angelorum habuisse, qui dicerent Christum surrexisse à mortuis, sicut ipsemet et Prophetæ prædixerant : quantùm ex hâc relatione confirmationem acceperit Petri et Joannis suspicio, facile est intelligere, cùm ipsis occasionem præbuerit in memoriam revocandi omnia Christi dicta de resurrectione suâ post dies tres atque varia Prophetarum loca ab eo explicata de Messiæ doloribus, morte et resurrectione, variaque ejus argumenta adversùs vanas Pharisæorum expositiones, quibus ipsi nimiùm adhærebant.

Statim post nuntium hoc, adest Magdalene affirmans se non solùm visionem angelorum habuisse, sed et Christum vidisse : omnesque apparitionis circumstantias exponens, iis revocat in memoriam sermonem Christi ad eos ante passionem suam Joan. 16, in quo ipsos monuerat, quòd modicum, et ipsum non essent visuri; et iterùm modicum, et ipsum essent visuri; quòd ascensurus esset ad Patrem, sed non modò, et missurus Spiritum sanctum. Quanta in istis verbis benignitas! *Nondùm ascendi ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum!* Qui enim sermo aptior esse potuit ad depellendam omnem dubitationem, atque ipsis spem injiciendam se citò visuros quoque Christum esse?

Hæc omnia proximo momento confirmantur relatione Mariæ Jacobi et Salome; qui testantur se quoque vidisse angelum, qui ipsis dixisset Christum surrexisse, præcessurum suos in Galilæam, et qui speciale mandatum dedisset ut hæc Petro nuntiarent. Narrant quoque quòd in viâ ipsis redeuntibus occurrisset Christus, quòd ipsis licuerit amplexari pedes ejus. Petro his omnibus eventibus jam præparato Christus apparet; cujus apparitionis circumstantias quidem ignoramus; at novimus Apostolos cæteros magis illâ convictos fuisse, quàm aliâ quâvis : propterea Cleophæ et socio ingredientibus dixerunt : *Surrexit Dominus verè et apparuit Simoni.* Quanta deinde se prodit benignitas et sapientia Salvatoris in appa-

ritione factâ duobus discipulis Emmaüs proficiscentibus! Ut eorum infirmitati se attemperat! Ut intellectui se præbet visibilem, priusquàm sensibus! Ut deinde in apparitione undecim factâ eorum sedat terrores! Ut eorum non tantùm omnes sensus externos allicit cum singulari indulgentiâ, demonstratione manuum et pedum, et cibi commesturâ, sed aperit etiam, quod divinius fuit, sensum interiorem, ut intelligerent Scripturas! Ut Thomæ postea in aliâ visione sanat incredulitatem, monetque omnes in posterum discipulos ne eamdem sperent indulgentiam! *Beati qui non viderunt et crediderunt!* Ut mirabilis piscatio ad mare Tiberiadis fœta mysteriis est! Ut illâ symbolicâ actione revocavit Dominus in memoriam Apostolis suis primam suam ad apostolatum vocationem, simulque successus prædicationis suæ in ejus nomine factæ prænuntiavit! In his omnibus elucet tanta simplicitas, cum tantâ simul conjuncta dignitate, ut non modò fraudis impiæ fœtus esse non possint, verùm nullus planè est, quantâcumque polleat facultate ingenii, qui historiam aliam fingere possit, tam consentientem circumstantiis temporum et personarum, atque in quâ et referentis candor tantùm eniteret, simulque exprimerentur Salvatoris benignitas et sapientia, indulgentia et majestas.

II. Fabula à Judæis inventa ad refellendam resurrectionis Christi historiam omnes habet notas vanitatis. 1° Vanissimum est in testimonium adducere homines dormientes: nam si dormierunt, quid videre potuerunt; si nihil viderunt, quomodò testes sunt? S. Aug. 2° Terror maximus invaserat Apostolos, omnesque Christi discipulos. Ubi comprehensus est Dominus, omnes fugerant. Petrus fortitudine et magnanimitate præstans, ignavè ter negaverat. In secretum cubiculum omnes se receperant, ibique foribus clausis propter metum Judæorum manserant. Apostolis, rem omnibus notam et tam congruam generatim indoli humanæ, in suum dedecus testantibus, cur non fidem adhibebimus? Mulieres de nullâ re aliâ sollicitæ erant, quàm de ungendo Christi corpore. Jam verò contra omnem verisimilitudinem est homines naturâ timidos, et maximis terroribus perculsos facinus à Judæis impositum ausos esse.

3° Etiamsi audentiores fuissent, nulla erat spes felicis exitûs. Sperare non potuerunt Apostoli se inventuros custodes dormientes, aut se posse immensum lapidem (qui universo speluncæ ori obturando par erat, et qui proinde sine vectibus et labore tolli non potuit) dimovere, et corpus exanime per militum turbam clam transferre. Neque supponi potest custodes excitatos vi pulsos fuisse: is rumor nunquàm percrebuit, etsi esset aptissimus ad absolvendos milites et revincendos Apostolos Christi, nondum elapsis duobus mensibus, prædicantes publicè in templo coram universâ gente resurrectionem Christi (1). 4° Si corpus furto ablatum est nocte, custodibus dormientibus, cur relicta sunt linteamina et sudarium? In re trepidâ et summi periculi non solent fures tempus otiosè consumere in evolvendis multâ arte complicatis linteaminibus, ac propter mixturam myrrhæ et aloes multùm corpori adhærentibus, præsertim cùm hæc portationem corporis faciliorem effecissent.

5° Cùm exanime corpus nunquàm fuerit inventum, nec de eo quidquam sive inter Judæos, sive inter Christianos auditum; cùm furti non fuerint convicti discipuli Christi neque etiam juridicè accusati, aut ulla facta inquisitio (quamvis Judæorum tunc longè magis intererat eos fraudis condemnare, cùm resurrectio Christi ab ipsis divulgata est et ab innumeris credita, quàm eamdem præcavere ante eventum); cùm solummodò testes dormientes proferrent: sequitur ex nullâ re illam fabulam accipere potuisse auctoritatem: at tempore, quo scribebat sanctus Matthæus, esse potuerunt argumenta multa directa corruptionis militum per principes Judæorum et falsi testimonii à militibus editi.

At, inquies, oportuisset non frangi sigilla: illorum à Judæis appositio pacti taciti vim habuit inter Judæos et Christi discipulos initi; ut si post tertium diem, salvis sigillis, corpus non inveniretur in sepulcro, tunc certa haberetur resurrectio et Christi divina virtus; si inveniretur, tunc certa esset ejusdem impia fraus. Respondeo non quærendam esse ab Apostolis rationem fractorum sigillorum, cùm ipsi eadem non fregerint, sed à Deo; jam verò videant adversarii, an Judæi Deo conditiones ponere potuerint; vel an pactum inter Deum

(1) Vanissimè quis suspicaretur discipulos Christi per cuniculos effossâ humo monumentum ingressos abstulisse corpus, quia erat monumentum in petrâ ferro excavatum, in quod per cuniculos penetrare res fuisset immensi laboris. In istâ hypothesi lapis non fuisset fracto sigillo amotus, nec deseruissent sepulcrum milites: mansissent fraudis indicia, nec fabulam commenti fuissent Judæi cum militum periculo et suo dedecore.

et eos intercesserit. Necesse erat ut aperiretur tertiâ die sepulcrum; et ut non modò discipuli Christi, sed universa civitas certior fieret, illud tertiâ die vacuum inventum esse, et ita disponeretur ad recipiendum postea Apostolorum testimonium. Si lapis cum sigillo ad ostium monumenti usque ad diem quartum mansisset, custodes recepissent se in urbem eodem relicto, atque omnes Christi prædictionem vanitatis convictam existimâssent, nisi alia media suæ propalandæ resurrectionis sumpsisset Christus, quæ ipsi præscribere nullus potuit.

III. Resurrectio in eventuum certissimorum concatenatione annulus planè necessarius est, ad quem serie quâdam ducunt infiniti eventus præcedentes, et qui quodammodò suspendit innumeros eventus subsequentes. Hanc propositionem confirmabunt ea omnia quæ modò disputaturi sumus de Prophetiis Christi prænuntiis, de ipsius Christi vaticiniis, ac de innumeris divinæ ejus virtutis argumentis.

IV. Historia resurrectionis Christi vana supponi non potest sine incredibili stultitiâ, id est, sine suppositione arbitrariâ plurimarum rerum absurdarum et impossibilium. Vel enim supponeretur omnes angelorum et Christi apparitiones fuisse vanas imagines seu imaginationis æstuantis fœtus, quibus decepti sunt Christi discipuli: vel illas omnes communi consilio à mulieribus, Apostolis, cæterisque discipulis excogitatas fuisse ad decipiendum: atqui utraque suppositio fœta est innumeris absurditatibus. 1° Angelorum et Christi apparitiones variæ non erant vanæ imagines seu æstuantis imaginationis fœtus..... Non apparitio angeli cum terribili et coruscante vultu; à quo territi custodes et à sepulcro fugati sunt. Nulla erat in militum Romanorum animis præparatio ad hoc phantasma, nec figmentum imaginationis ingentem lapidem loco suo dimovet...... Non apparitio facta Mariæ Jacobi et Salome: nam hæ venerant ad monumentum nihil suspicatæ earum rerum, quæ contigerunt: ubi lapidem revolutum et vacuum sepulcrum viderunt, non dubitârunt, quin corpus, quod uncturæ venerant, fuisset sublatum; de resurrectione nequaquàm cogitabant. Unde apparitio angeli res erat præter spem et expectationem: atque ejusdem sermo, tot partibus constans, quo certiores factæ sunt, quòd Christus resurrexisset et quòd præcessurus esset suos in Galilæam, quo etiam jussæ sunt hæc ad Apostolos deferre et specia-tim ad Petrum, etc., hic, inquam, universus sermo contrarius erat omnibus earum cogitationibus....... Non apparitio angelorum Magdalenæ: nam hæc adeò non expectabat hanc visionem; adeò non erat disposita ad vanas imagines; adeò fuit aliis cogitationibus intenta, ut cùm sese illi obtulissent atque allocuti essent, non habuerint ejus attentionem: quod omninò fieri non potuit, si ex interiori perturbatione in ejus cerebro fuissent conficti; cùm ejusmodi scilicet imaginum affectio interior sit, organumque interius moveat, necesse est ut habeant mentis attentionem, quamvis non semper habeant res sensibus exteriùs objectæ.... Propter easdem fermè rationes ex perturbatione interiori natâ supponi etiam nequit angelorum apparitio facta Joannæ et sociis, quæ non erant valdè territæ, sed oculis in terram demissis angelorum sermonem exceperunt, et statim ad Apostolos, ut videtur primæ detulerunt. ...... Sed si absit ab omni verisimilitudine apparitiones illas, seorsùm consideratas, fuisse mentis perturbatæ figmenta, impossibile certè fuit, ut omnes simul sumptæ fictæ compluribus personis, et variis temporibus, et cum magnâ circumstantiarum varietate, illam habuerint causam.

Hæc omnia multò magis vera sunt de apparitionibus ipsius Christi. Non modò Apostoli non erant ad credendum propensi, multò quidem minùs ad fingendas sibi vanas imagines, sed è contrario erant penè ad miraculum increduli, iisque tantummodò cesserunt argumentis, quibus obluctari omninò non poterant. Scilicet eadem omnia habuerunt signa realitatis corporis ejus à mortuis excitati, quæ habuerant ejusdem ante mortem. Illum viderunt, audierunt, tetigerunt; cum eo conversati sunt et eidem mensæ assidentes cum eo manducaverunt; ab eo illis in memoriam revocata sunt quæcumque ante mortem suam gesta fuerant; ab eo didicerunt futuros eventus; ab eo acceperunt intelligentiam Scripturarum; ejus verba interiorem cordis ardorem excitare sentiebant; ejus in miraculis patrandis divinam virtutem et in dignoscendis interioribus cogitationibus scientiam experti sunt: idque non semel, sed sæpiùs; non unus, aut alter, sed omnes apostoli, imò quingenti simul congregati. Cùm exprobraret Thomæ incredulitatem suam et ipsi diceret: *Infer digitum tuum hùc, et vide manus meas; et affer manum tuam, et mitte in latus meum, et noli esse incredulus, sed fidelis,* quid Thomæ reliqui fuit, quàm ut statim

depositâ omni dubitatione diceret : *Dominus meus et Deus meus ?* Quisquamne nostrûm est, qui in easdem voces non prorupisset? Unde resurrectionis Christi certitudo non tantùm posita est in relatione sensuum , sed ipsa ratio et omnes interiores plurimorum facultates ipsi constans neque deceptioni obnoxium testimonium præbuerunt.

Quid ad hæc omnia Deistæ nostri ? « Qui apparuit Mariæ Magdalene, ei statim notus non fuit ; ergo non erat Christus. Duobus quoque discipulis, juxta Marcum, apparuit in aliâ effigie , eumque solummodò agnoverunt in fractione panis, et tunc evanuit ex oculis eorum ; ergo Christum vidisse se certi non fuerunt. Christus eâdem die ingressus est in cubiculum, clausis januis ; ergo verum corpus non habebat. » His tam gravibus objectionibus, quas tamen nos responsione non dignabimur, addunt quæstionem, hanc quasi vim haberet argumenti : « Cur Christus se vivum post mortem non ostendit principibus Judæorum et omni plebi ? Quòd si Christus, inquit etiam Orobio, jam ex mortuis suscitatus toti Israelis cœtui dixisset : *Audi, Israel, ego sum Dominus,* etc., absque dubio totus Israel credidisset usque in præsentem diem, nec dubitationi locus relinqueretur. »

Respondeo primò, sufficientem testium numerum providisse Deum, Apostolos 12, discipulos 70 familiares suos, imò suæ resurrectionis quingentos testes reliquisse : hi à nullo judice, nec apud ullum tribunal ob paucitatem recusari possunt.—Secundò, impium esse Deo modum agendi præscribere : nullum finem querimoniarum etiam in religione naturali futurum, si qui hanc sibi permittant licentiam. —Tertiò, erant Judæi tanto favore indigni, qui divinæ Christi missionis, tot jam indicia cum inaudito furore contempserant. — Quartò , quia nequaquàm certum est, quòd Judæi istâ apparitione adducti fuissent ad doctrinam Christi : qui tam flagitiosi et impii fuerunt, ut pecuniâ custodes corrumperent, consciis celeris, nec ab impio proposito destitissent, etiamsi Christus iis apparuisset. — Quintò, quia nisi Christus omnibus apparuisset, idque non semel, sed in omnibus successivè generationibus, respectu nostri veritas resurrectionis non inniteretur tutiori fundamento, quàm nunc nititur : scilicet poneretur in aliquorum scriptorum auctoritate, qui id memoriæ prodidissent, quorum essent nobis ponderandæ bona fides et scientia. Imò verò major est auctoritas Apostolorum coram Judæis frementibus et inaniter sævientibus resurrectionem testantium ac de illis triumphantium , quàm si ab illis missionem suam accepissent. Si Judæorum pontifices suffragio suo prædicationem apostolicam approbâssent, et auctoritatis suæ pondere confirmâssent, minùs eluxisset in nascentis Ecclesiæ incunabulis divina Christi virtus, et his nostris temporibus Evangelium ut politicorum hominum inventum auctoritate supremâ propagatum traduceretur. Fuit uno verbo Dei consilium, uti paucis hominibus , iisque idiotis , ad divulgandam doctrinam suam : pharisæis et scribis uti nolebat : ergo non pharisæos et principes synagogæ oportebat virtute et constantiâ instruere, sed discipulos et asseclas suos. — Sextò, quia Deus ejus naturæ, sicque temperatam lucem esse vult, ut illâ boni ut possint, iisque sufficiens nunquàm desit; eamdem tamen spernere in improborum sit potestate : vult eam esse quasi lydium lapidem, ad quem veritatis ingenui inquisitores probentur (1).

(1) Ea lex quam jure hìc invocat auctor, ad altissimam pertinet philosophiam. Illâ semel adductâ atque rectè intellectâ, jam ferè omnes evanescerent objectiones incredulorum adversùs providentiam divinam , cùm naturalem , tum supernaturalem. Eamdem sic expressit Pascalius noster : « Il y a assez de lumière « pour ceux qui ne désirent que de voir, et « assez d'obscurité pour ceux qui ont une dis- « position contraire. Il y a assez de clarté pour « éclairer les élus, assez d'obscurité pour les « humilier. Il y a assez d'obscurité pour aveu- « gler les réprouvés, et assez de clarté pour les « condamner et les rendre inexcusables. » Pensées, ch. 7. art. 5. (Edit. de Dijon 1835). Sequentem verò formulam generalem induere potest, scilicet *omnia in opere creato luce et umbrâ misceri, eâ proportione quæ singulis rerum naturis aptetur.* In moralibus spectata, seu in religione, sic se habet : « In *doctrinâ* datur *cla-* « *ritas* sufficiens, ut intellectûs adhæsio sit « *rationalis,* et *obscuritas*, ut eadem adhæsio « sit *obsequiosa* et meritoria, id est, ut sit « fides. » In præceptis verò datur *allectatio* seu *attractio*, ut obsequium sit ex corde et amore ; et *difficultas*, ut sit *meritorium* et opus virtutis. Utrumque in doctrinâ et præceptis, ad plenum libertatis nostræ exercitium. Hæc satis de lege quam hic obiter, datâ occasione, attingimus , quæque tamen sæpiùs ad difficultates enucleandas recurreret.—Cæterùm de testimonio Apostolorum circa factum resurrectionis Christi de quâ quæstio hic versatur, præsertim consulenda sunt duo opera, scilicet : *Les témoins de la Résurrection de J.-C. examinés et jugés selon les règles du Barreau,* par Sherlock, et *Observations sur l'histoire et sur les preuves de la Résurrection de J.-C.*, par le chevalier West. P. S.

2° Historia resurrectionis Christi non est fabula communi consilio à Christi discipulis conficta. Exponemus solummodò brevissimè hujus hypothesis varias partes, sine ullis observationibus, quæ cujusque menti statim occurrent : consideremus primò Apostolos fraudis consilium ineuntes, et deinde illud prædicatione et laboribus promoventes. Primò itaque in consilio ineundo necesse fuit, ut plus quàm quingenti viri et mulieres opiniones omnes, quibus ab infantiâ imbuti fuerant, omnemque Religionis sensum deponerent, ac sacramento impio in Deum et homines, nefarium fraudis consilium inirent...... Oportuit, ut spatio quinquaginta dierum doctrinæ suæ universum systema componerent ; Scripturæ veteris interpretationem aptam suis finibus invenirent ; Christi dùm viveret historiam, relationemque resurrectionis et conjunctorum cum eâ eventuum narrationem fingerent ; uno verbo ut brevissimo illo intervallo universum novum Testamentum conscriberent..... Debebant animo tranquillo prævisa opprobria, contumelias, cruciatus, mortem ignominiosam et cruentam anteferre deliciis vitæ pacatæ et otiosæ, seseque incredibili constantiâ et fortitudine contra seipsos, homines et Deum armare, omnesque exuere sensus naturales...... Oportuit eos eò dementiæ devenire, ut sibi persuaderent nullos futuros hujus sceleratæ fraudis proditores, sed se felices successus habituros inter notos et ignotos, inter Judæos et gentiles, in universo demùm orbe...... Hoc denique consilium tam singulare, in quo tantâ conjuncta est cum perfidiâ, cum stupore, cum dementiâ, magnitudo animi et etiam sapientia, initum est à mulieribus, à piscatoribus, ab idiotis, institutis à tribus annis in scholâ hominis, cujus sanctitatem nunquàm criminati sunt inimici crudelissimi, et qui discipulis suis puerilem in omnibus simplicitatem commendaverat.

Secundò, consideremus jam hanc perfidorum impiam catervam scelus exsequentem. Inter tot fraudis architectos, inter tot mulieres quæ fraudis in se primas partes susceperant, nemo inventus est, qui fuerit ab hoc scelerato proposito avocatus, vel levitate animi, vel studiorum diversitate, vel conscientiæ ægritudine, vel cruciatuum acerbitate, vel ærumnarum diuturnitate, vel futurorum suppliciorum metu, vel in liberos, parentes et cognatos pietate, vel commiseratione adversùm eos, quos per suam impiam fraudem in summas adduxerant angustias et miserias. Fierine hoc potuit?..... In illâ longissimâ, quam paucis diebus confecerant historiâ, in quâ minutè circumstantias temporis, locorum et personarum, cæteraque omnia adjuncta referre ausi sunt, nulli nec amici, cognati et familiares, nec inimici, vanitatis ullam umbram detexerunt : ita omnes mulieres, cæterique piscatores fraudis architecti, illam fabulam, tot constantem partibus, memoriter didicerant, ut neque seorsùm, neque conjunctim interrogati ullam dederint fallaciæ suspicionem.... Hi improbi et scelere adstricti, absque pietate erga Deum, aut benevolentiâ erga homines, non solùm sanctissimas morum regulas aliorum actionibus præscripserunt, longè omnem philosophorum sapientiam superantes, sed easdem ipsi secuti sunt, in omni re summam in Dei pietatem et fiduciam, in homines charitatem, in perferendo pro Christo dolore patientiam et lætitiam, in adeundis periculis alacritatem testantes ; cùm hæc larva tegeret animum impurum, in homines crudelem et in Deum usque ad rabiem impium.... Hi conscelerati confictam fraudulenter historiam, non post longum tempus, non in remoto aliquo terræ angulo, secretò auribus aliquorum insinuârunt ; sed quinquaginta diebus post crudelissimam magistri sui mortem ausi sunt eamdem prædicare, in urbe Jerosolymitanâ, in proximo solemni festo, coram universâ gente, coram illis principibus qui damnaverant, coram iisdem Judæis qui mortem clamoribus postulaverant : ausi sunt omnes Judæos tanto furore percitos contemnere, et immanissimi sceleris reos agere (1). Atque hujus tam inauditæ audaciæ non contemptus, non ignominia fructus est, sed multitudinis infinitæ ad meliorem vitam, suumque novum institutum conversio, nequicquàm obstantibus præjudiciis, scandalo crucis, omnibusque humanis terroribus. Hæc credunt deistæ, et alios arguunt credulitatis !

PROPOSITIO II.

Jesus Christus Messias Judæorum est ab omnibus prophetis prænuntiatus.

PROBATIO.

Infinita sunt in Scripturis Judæorum de

(1) *Deus Abraham et Deus Isaac et Deus Jacob, Deus patrum nostrorum, glorificavit Filium suum, Jesum, quem vos quidem tradidistis, et negâstis ante faciem Pilati, judicante illo dimitti. Vos autem sanctum et justum negâstis, et petistis virum homicidam donari vobis: auctorem verò vitæ interfecistis, quem Deus suscitavit, cujus nos testes sumus.* Act. c. 3.

singulari prophetâ, quem Messiam vocant, vaticinia. « Adventus Messiæ, inquit Abravanel de Capite fidei c. 14, expositus est in lege, Prophetis et agiographis. Dominus enim noster Moses et omnes Prophetæ, qui eum consecuti sunt, de illo testantur; omnes illi conveniunt, prænuntiant, atque loquuntur de adventu regis Messiæ. » Hæc non unius Abravanelis, sed planè omnium Judæorum sententia est, si excipias unum aut alterum à communi gentis suæ fide temerè recedentem: atqui illa omnia vaticinia, quæ ex confessione ipsorum Judæorum ad Messiam referenda sunt, Christo Domino conveniunt (1).

Adventûs Messiæ tempus.

I. Patriarcha Jacob morti proximus filio suo Judæ benedictionem impertiens, illum declaravit hæredem cœlestis istius promissionis sibi et patribus factæ, quòd ex semine suo nasciturus esset is qui erat expectatio gentium, et in quo essent omnes nationes benedicendæ, id est, Messias (2): simulque significavit eum venturum antequàm auferretur sceptrum de tribu Judâ, aut gentes vocarentur ad cognitionem Dei Israel: « Juda, te laudabunt fratres « tui..... adorabunt te filii patris tui.... non « auferetur sceptrum (3) de Judâ, et dux (4) de « femore ejus, donec (5) veniat qui mittendus « (1) est, et ipse erit expectatio gentium (2). » Hanc prophetiam ad Messiam retulerunt omnes veteres interpretes et doctores Judæi; atque inter recentiores doctissimi. Qui hunc nativum sensum pervertere voluerunt, in summâ sunt discordiâ et vanitáte. Jam vero Christus ante ablationem sceptri et interitum tribûs Judæ apparuit; ipse congregavit gentes in unitatem Religionis atque juxta fidem christianam est mittendus, seu liberator promissus ab origine mundi; vel si alias sequaris expositiones vocis *Schilo* in notis expositas, is est pacificus, qui reconciliavit nos sanguine suo, qui duos populos conjunxit, pacificans omnia, sive quæ in cœlis, sive quæ in terris sunt; is est filius Judæ, per antonomasiam, filius promissionis, semen benedictum; is est cui repositum est regnum, cui data est omnis potestas, cujus regni non erit finis, cui obediunt populi.

II. Venire debebat Messias, stante secundo templo.

Clarissima sunt hæc Aggæi, quibus sic Judæos consolatur cap. 2: « Quis in vobis est derelictus, qui vidit domum istam in gloriâ suâ « primâ? Et quid vos videtis hanc nunc? « Numquid non ita est, quasi non sit in oculis « vestris (3)? Nunc confortare, Zorobabel, dicit « Dominus; et confortare, Jesu, fili Josedec, « sacerdos magne; et confortare, omnis popu- « lus terræ.... quia hæc dicit Dominus exerci- « tuum: Adhuc unum modicum est (Adhuc « semel, et brevi erit), et ego commovebo « cœlum et terram, et mare et aridam, et mo- « vebo omnes gentes, et veniet (4) deside- « ratus cunctis gentibus (Heb. *desiderium cun-* « *ctarum gentium*); et implebo domum istam « gloriâ, dicit Dominus exercituum. Meum est

(1) Cùm oracula hæc diligentiùs exposita fuerint in innumeris libris, qui omnium manibus teruntur, et nuperrimè cum summâ eruditionis laude in tractatu de Incarnatione Verbi divini, typis excusa apud J. B. Garnier; ideò illustriora solummodò vaticinia ad certa capita revocabimus, eorumdemque Christo applicationem à generalioribus deistarum et Judæorum objectionibus vindicabimus.

(2) Vide infra, ubi de Antiquitate Religionis christianæ.

(3) Hebraicè *Schebet*, id est, virga, et metaphoricè sceptrum insigne potestatis, ut Zach. 10, 11: *Sceptrum Ægypti auferetur*; ideòque 70 Interpretes verterunt *princeps*; paraphrastæ Chaldaici, *reges*, præsides, habentes principatum; Symmachus *imperium*. Unde vanum quæsivit effugium Maimonides vertens *virgam castigationis* seu afflictionis; quem sensum nunquàm habet nisi ubi adjuncta est alia vox; ut *virga iræ, furoris, virga ferrea*, etc. et quem excludunt antecedentia ac consequentia, in quibus omnia fausta prænuntiantur.

(4) Hebr. *Mekokek*, id est, legislator, scriba, peritus doctor legis.

(5) Hebr. *Adki* semper significat *donec*, et sic habent omnes versiones et paraphrases antiquissimæ: atque sine ullo fundamento ac contra grammaticæ regulas vocem illam in duas dividunt Judæi quidam, *ad* et *ki*, ut hunc sensum eliciant: Non auferetur sceptrum (*ad*) in æternum, quando (*ki*) venerit Messias.

(1) Hebr. *Schilo*, id est, pro diversâ radice unde derivari potest: vel mittendus, ut vulg., vel pacificus, ut hebr. Sam, *filius ejus*, vel cui repositum est, nempe regnum, *cujus est regnum*, ut habent paraphrastæ, etc.

(2) Ita cum Vulgatâ 70 Int. hebr. et Targum: *Ei obedient populi*. Hebr. Sam: *Ad ipsum congregabuntur populi*.

(3) Non tantùm magnificentiâ, sed quinque aliis rebus secundo templo præstabat prius, juxta talmudicos: urim et thummim, arcâ, igne perpetuo, oleo unctionis, et Spiritu sancto; quibus multa alia decora adjiciunt Rabbini quidam.

(4) Significat conversiones imperiorum Persici, Macedonici, Romani, vel magnam in religione conversionem per Religionis christianæ propagationem.

« argentum, et meum est aurum (1), dicit « Dominus exercituum. Magna erit gloria do« mûs istius novissimæ, plus quam primæ, « dicit Dominus exercituum : et in loco isto « dabo pacem (2), dicit Dominus exerci« tuum. »

Hæc nulli nisi Christo conveniunt, et in ipso sunt adimpleta, siquidem ante ejus ætatem maximæ contigerunt conversiones imperiorum, et in ejus adventu ex prædicatione Evangelii commotæ sunt omnes gentes, ipse in templo est præsentatus, et ibidem docuit ac miracula edidit, atque dùm adhuc staret, functus est omnibus muneris sui prophetici, sacerdotalis et regii officiis. Hisce consentanea sunt hæc Malachiæ c. 3, v. 1 : « Ecce ego « mittam angelum meum : et præparabit viam « ante faciem meam, et statim veniet ad tem« plum suum Dominator, quem vos quæritis, « et Angelus testamenti, quem vos vultis (3). » Quam prophetiam de Messiâ interpretantur Judæi etiam in precibus suis quotidianis, vota pro adventu Messiæ facientes. Tertium templum ad quod veniat, sine ullo fundamento fingunt.

III. Venire Messiam oportebat ante interitum imperii Romani, juxta Danielem c. 2. Nam post descripta quatuor imperia, quæ sibi invicem succedere debebant, addit ante interitum quarti regni constituendum esse æternum Messiæ regnum : « In diebus autem regnorum « illorum suscitabit Deus cœli regnum, quod « in æternum non dissipabitur, et regnum « ejus alteri populo non tradetur : comminuet « autem et consumet universa regna hæc, et « ipsum stabit in æternum. » Hic juvamur Judæorum consensu, qui ad elevandam hujus vaticinii auctoritatem vanissimè docent imperium Romanum nondùm interiisse. Dan. 9 prædictum est venturum Messiam intra septuaginta hebdomades annorum, seu annos 490 post edictum latum pro reædificandâ urbe : « Septuaginta hebdomades (4) abbreviatæ sunt « (decisæ, seu definitæ) super populum tuum « et super urbem sanctam tuam, ut consum« metur (consumatur) prævaricatio, et finem « accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et « adducatur justitia sempiterna (1) et implea« tur visio et prophetia, et ungatur Sanctus « sanctorum (sanctitas sanctitatum). Scito « ergo et animadverte : ab exitu sermonis, ut « iterùm ædificetur Jerusalem (2), usque ad « Christum ducem (3) hebdomades septem, « et hebdomades sexaginta duæ erunt (4), et « rursùm ædificabitur platea et muri in angu« stiâ temporum ; et post hebdomadas sexa« ginta duas occidetur (5) Christus, et non « erit ejus populus qui eum negaturus est (6); « et civitatem et sanctuarium dissipabit popu« lus cum duce venturo (Heb. *populus ducis « venturi*, et finis ejus vastitas, (Heb. *in dilu« vio*, vel *in submersione*,) post finem belli sta« tuta desolatio (Heb. *et usque in finem belli*); « confirmabit autem pactum multis hebdo« madâ unâ et in dimidio hebdomadis deficiet « hostia et sacrificium, et erit in templo abo« minatio desolationis (7), et usque ad consum« mationem (8) et finem perseverabit desola« tio. »

Obvius hujus vaticinii sensus hic est, neque alius extundi potest : 1° intra 70 hebdomadas seu annos 490 post determinatam epocham

(1) Significat gloriam illam non esse positam in auro et argento, quæ apud Deum in nullo pretio sunt, ut apud Psalmistam : *Non accipiam de domo tuâ vitulos, quoniam meæ sunt omnes feræ sylvarum.*

(2) Messiæ nomen passim in Scripturis, et quo utuntur Judæi ad designandum Messiam in quotidianis orationibus.

(3) Ex his verbis patet expectationem Messiæ jam tunc omnium animos occupasse.

(4) Numerantur in Scripturis tantùm hebdomades dierum et annorum. Ridiculè ergo finguntur ab aliquibus hebdomades decenniorum vel seculorum. Hic non intelligendas esse hebdomades dierum omnes Judæi consentiunt, unde septuaginta hæ hebdomades efficiunt annos 490.

(1) His verbis indicari Messiam multorum Judæorum opinio est.

(2) Quatuor fuerunt edicta in gratiam Judæorum : unum Cyri anno ante Christum 536; aliud Darii Histaspis anno 519 ; tertium, anno Artaxerxis Longimani 7 ; quartum anno ejusdem regis vigesimo, de quibus epochis litigant eruditi ; sed eò rem perduxit eorum diligentia, ut inter plerosque de sex vel octo annis solummodò sit controversia, et ab his edictis inchoatæ hebdomades desinunt in eventus à propheta prædictos.

(3) Heb. *Naghid*, hâc voce Messias designatur Paral. cap. 5.

(4) Hæc ratio computandi usitata apud Judæos. Vide Ezech. 45, 12; nullum verisimiliter continet mysterium.

(5) Heb. *excindetur*, quæ vox usurpatur sæpe ad significandam pœnam capitalem judicis sententia inflictam.

(6) Heb. *veen loh*, id est, *nemo ei, vel non ejus*; supplet Vulgata, *erit populus*, etc. vel *non ei*, supple, judicium ; vel *non sibi*, id est, non propter sua peccata.

(7) *Abominationes desolationis super alam* vel *oram*, vel *circuitum*.

(8) Heb. *et usque ad consummationem determinatam effundetur* (ira Dei) *super desolatum*.

venturum esse Christum seu Messiam ducem; 2° ipsum judicio damnandum morte esse; 3° non sibi, id est, non propter scelera sua, vel juxta aliam interpretationem, non ei populus, id est, non futurum ampliùs ejus populum Judæos; 4° delendam esse eodem tempore iniquitatem, adducendam justitiam sempiternam; 5° tunc implendam esse visionem et prophetiam; 6° tunc confirmandum esse pactum novum; 7° vastandam civitatem Judæorum et proculcandam, et idola constituenda in circuitu, hancque ruinam in finem perseveraturam. Sed hæc continent simplicem historiam Domini nostri Jesu Christi, fidemque omnium nostrûm; adeòque mirum est Christianum aliquem unquàm exstitisse, qui ob leves aliquas in chronologicis calculis difficultates (1), hæc aliò transferre ausus sit; præsertim cùm Josephus, omnesque Judæi istorum temporum completum tunc Danielis vaticinium existimaverint; et propterea, ut habet Manasse Ben-Israel de termino vitæ 111, sect. 6, alii ex Judæis expectantes eventum rerum à Daniele prædictarum sese spontè Romanis dediderunt; alii confisi Messiam venturum stante secundo templo, et ante finem hebdomadarum Danielis, hâc spe se usque ad extremum solabantur. Imò legimus apud Grotium lib. 3, cap. 14, Nehumiam magistrum Hebræum, qui annis quinquaginta Christum præcessit, apertè jam tum dixisse, non posse ultra illos quinquaginta annos protrahi tempus Messiæ à Daniele significatum. Hincque sine dubio nata est ista tam generalis expectatio adventûs Messiæ apud Judæos et gentiles (2) istis temporibus, quòd jam penè effluxissent juxta omnium calculos Danielis hebdomades. Hinc tot istis temporibus pseudo-Christi. Hinc Judæorum multi hoc R. Raf dictum probant: *Elapsi sunt omnes termini, et res non pendet nisi à resipiscentiâ et bonis operibus.* Hinc in Talmude cap. 11 Gem. Tract. Sanhedrim legitur hæc imprecatio: *Inflata rumpantur ossa eorum qui periodos temporum computant.*

Nativitatis circumstantiæ.

V. Prænuntiatum est oriturum Messiam ex semine Abrahæ, Isaac, Jacob, Judæ, Davidis. Infinita sunt eò pertinentia vaticinia. Hincque dictus est per antonomasiam, *radix Jesse, filius David*, etc. Hâc de re nulla est inter Judæos et Christianos controversia. At Christus Dominus, juxta consentientem omnium discipulorum vocem et genealogias ab ipsis contextas, stirpe regiâ Davidis ortus est.

VI. Nasciturum ex virgine Messiam cecinit Isaias cap. 6, v. 14: *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum*, ait propheta ad regem et principes Judæ: *Ecce virgo* (1) *concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel* (id est, nobiscum Deus). Ibi non est sermo de Ezechiâ, filio Achaz, ut quidam putârunt, quia constat illum jam natum fuisse; nec de Jasub, filio Isaiæ, quia et hunc natum jam fuisse constat ex versu 3 ejusdem capitis, nec ullo sensu dici potuit is, aut alius ullus filius prophetæ *Dominus terræ Judæ*, uti ibidem nuncupatur Emmanuel: ergo de Messiâ qui est verus Emmanuel, et simul rex terræ Judæ intelligendus est ille locus; quæ interpretatio maximam habet confirmationem ex cap. 9, ubi parvulus ille Emmanuel dicitur *Deus, pater futuri seculi et princeps pacis.* Sed Christus Dominus Mariâ virgine reverà natus est.

VII. Constabat apud Judæos tum ex veteri traditione, tum ex prophetiâ Michææ, c. 5, Messiam in Bethlehem nasciturum. « Et tu, « Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus

(1) « Dieu a tranché la difficulté, s'il y en avait, par une décision qui ne souffre aucune réplique. Un événement manifeste nous met au-dessus de tous les raffinements des chronologistes, et la ruine totale des Juifs, qui a suivi de si près la mort de notre Seigneur, fait entendre au moins clairvoyant l'accomplissement de la prophétie. » Boss. Hist. univers. chap. 9.

(2) Lucæ 2: *Homo iste* (Simeon) *justus et timoratus, expectans consolationem Israel.* Ibid. *Loquebatur de illo* (Anna prophetissa) *omnibus qui expectabant redemptionem Israel.* Joan. 4, 25: *Scio*, ait ad Christum mulier Samaritana, *quia Messias venit; cùm ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia.* Scribit Josephus de B. J. lib. 6, Judæos spe et opinione Messiæ mox venturi incitatos fuisse ad rebellionem adversùs Romanos. Suetonius in Vespasiano cap. 4 habet « Percrebuerat Oriente toto vetus et constans opinio, esse in fatis, ut eo tempore Judæâ profecti rerum potirentur. » Eadem habet in Nerone, cap. 40. Tacitus lib. 5 Hist. scribit: « Pluribus persuasio inerat, antiquis sacerdotum litteris contineri, eo tempore fore ut valesceret Oriens, profectique Judæâ rerum potirentur. » Vide Eclogam quartam Virgilii, et lib. 2 Ciceronis de Divinatione, in quibus hujus rumoris clarissima sunt indicia.

(1) Hebr. *haalma* à radice *alam*, quæ significat abscondere: unde sumitur pro designanda virgine incognita viro; particula *he* adjecta denotat sermonem esse de præstanti et eximiâ virgine. Duobus tantùm aliis locis legitur cum particulâ, ubi sermo est de Rebeccâ virgine, et de Mariâ Moysis sorore pariter virgine; adeòque nec de prophetæ uxore, nec de reginâ matre Ezechiæ intelligi potest.

« Juda ; ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel, et egressus ejus ab initio, à diebus æternitatis.... et stabit et pascet in fortitudine Domini, in sublimitate nominis Domini Dei sui : et convertentur, quia tunc magnificabitur usque ad terminos terræ. Et erit iste pax. » Hæc à Judæis recentioribus, et à Grotio contra fidem veterum Judæorum, ridiculè referuntur ad Zorobabelem, qui in Babylone natus est, cujus egressus non fuit à diebus æternitatis, qui non erat pax per antonomasiam, nec magnificatus usque ad terminos terræ. Sed hæc omnia benè Domino nostro Jesu Christo conveniunt.

Prophetici muneris officia.

VIII. Oportebat Messiam, juxta innumera vaticinia, apud Judæos fungi munere prophetico, et hoc nomine ista implere officia : 1° docere homines Dei voluntatem, juxta hanc vocem Isaiæ c. 55, v. 4 : « Testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus. » Et Joel 2 : « Filii Sion, exultate et lætamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis doctorem justitiæ. » 2° Confirmare miraculis doctrinam suam, imò suorum splendore Moysis prodigia obscurare, juxta Judæorum olim et nunc maximè communem opinionem; consentienter etiam multis prophetiis. « Deus ipse veniet, inquit Isaias c. 35, et salvabit vos : tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum patebunt; tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum. » 3° Novam legem promulgare et Mediatoris N. T. partes agere, juxta hæc verba Moysis : « Prophetam de gente tuà, sicut me, suscitabit tibi Dominus : ipsum audies ; » et hæc Jeremiæ supra exposita : « Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et feriam domui Israel, et domui Juda fœdus novum, non secundùm pactum quod pepigi cum patribus eorum. » Et ista Isaiæ c. 2 : « Ibunt populi multi, et dicent : Venite, ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus, quia de Sion exibit lex. » 4° Multa in fungendo officio pati, Isaiæ 53 : « Non est species ei neque decor ; vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum, despectum et novissimum virorum, virum dolorum, et scientem infirmitatem ; et quasi absconditus vultus ejus et despectus : unde nec reputavimus eum.... et nos putavimus eum quasi leprosum et percussum à Deo et humiliatum...... Dominus voluit conterere eum in infirmitate, et cum sceleratis reputatus est. » 5° Tandem mortem cruentam oppetere, juxta hæc Isaiæ verba ibid.: « Sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum. De angustiâ et judicio sublatus est : generationem ejus quis enarrabit? Quia abscissus est de terrâ viventium, propter scelus populi mei percussi eum. » Nec minùs clara sunt ista Danielis c. 9 : « Post hebdomadas septem, et hebdomadas sexaginta duas, occidetur Christus. »

Jam verò Christus Jesus quamdiù inter homines versatus est, propheticum obiit apud Judæos munus; hocque nomine nobis divinam aperuit voluntatem, et præceptor extitit gentium ; doctrinam suam à Deo profectam miraculis comprobavit, quorum splendor major fuit quàm cujuscumque alterius prophetæ ; novam legem promulgavit, et, ut Moyses, N. T. Mediator fuit ; graviora in fungendo officio passus est, quàm quisquam alius propheta ; illustrioribus virtutum exemplis homines ad pietatem excitavit ; tandem sanguine suo doctrinam obsignavit.

Muneris sacerdotalis officia.

IX. Oportebat Messiam munere perfungi sacerdotali, juxta hanc vocem Davidis Ps. 109 : « Juravit Dominus, et non pœnitebit eum : Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. » Et istam prophetiam Zachariæ : « Ecce vir, ORIENS nomen ejus..... ipse portabit gloriam, et sedebit et dominabitur super solio suo, et erit sacerdos super solio suo. » Munus sacerdotale duabus constabat partibus, oblatione donorum et sacrificiorum pro peccatis, et intercessione apud Deum : has duas partes implere debebat Messias, juxta hæc clarissima verba Isaiæ cap. 43 : « Verè languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit, et nos putavimus eum quasi leprosum et percussum à Deo et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra : disciplina pacis nostræ super eum, et livore ejus sanati sumus. Omnes nos quasi oves erravimus; unusquisque in viam suam declinavit, et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrûm.... Propter scelus populi mei percussi eum... Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum; in scientiâ suâ justificabit ipse justus servus

« meus multos, et iniquitates eorum ipse portabit; ideò dispertiam ei plurimos, et fortium dividet spolia, pro eo quòd tradidit in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est. Et ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit. » Christus Jesus reverà juxta fidem christianam factus sacerdos obtulit in holocaustum perfectissimum Domino, victimam impollutam corpus suum, et in arâ crucis positus, fundens preces exauditus est pro suâ reverentiâ, sedensque nunc in dextris Dei non cessat interpellare pro nobis, sicque manet sacerdos in æternum super solio suo, juxta prophetiam Zachariæ.

Regii muneris officia.

X. Oportebat Messiam perfungi munere regio. Hoc cecinêre omnes Prophetæ, atque hoc titulo debebat 1° sedere ad dexteram Dei Patris, juxta hæc verba Davidis: « Dixit Dominus Domino meo: Sede à dextris meis. » 2° Dæmonis imperium subvertere, ipsum conterendo, juxta hoc antiquissimum vaticinium, de quo infra fusiùs, ubi de antiquitate relig. Christ.: « Ponam inimicitias inter te et mulierem, et inter semen tuum et semen illius, et ipsa conteret caput tuum: » et idola evertendo, juxta hæc Isaiæ verba c. 31: « In die illâ abjiciet vir idola argenti sui et idola auri sui, quæ fecerunt vobis manus vestræ in peccatum; » et hæc Zachariæ verba: « In die illâ erit fons patens domui David et habitantibus Jerusalem in ablutionem peccatoris: et erit in die illâ, dicit Dominus exercituum, disperdam nomina idolorum de terrâ, et non memorabuntur ampliùs. » 3° Constituere Ecclesiam, vocatis in eam gentibus, juxta hanc antiquissimam et toties repetitam promissionem: « Benedicentur in semine tuo omnes nationes terræ; » et ista Isaiæ c. 11: « Quia repleta est terra scientiâ Domini, sicut aquæ maris operientes. In die illâ radix Jesse qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur. » 4° Abolere legem et sacrificia vetera, novumque fœdus sancire, juxta illa Jeremiæ supra laudata: « Ecce dies veniunt, » etc. Et illa Danielis: « In dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium. » 5° Rebellem populum punire, juxta Danielis c. 9: « Et post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus; et non erit ejus populus, qui eum negaturus est; et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo; et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio. » 6° Æterno regno potiri, juxta hæc Isaiæ capite 9: « Parvulus enim natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum ejus, et vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri seculi, princeps pacis: multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis. Super solium David, et super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud et corroboret in judicio et justitiâ, amodò usque in sempiternum. » Et ista Danielis cap. 2: « In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur, et regnum ejus alteri populo non tradetur; comminuet autem et consumet universa regna hæc, et ipsum stabit in æternum. » Et cap. 7: « Aspiciebam in visione noctis, et ecce in nubibus cœli quasi filius hominis veniebat, et usque ad Antiquum dierum pervenit, et in conspectu ejus obtulerunt eum, et dedit ei potestatem et honorem et regnum, et omnes populi, tribus et linguæ ipsi servient: potestas ejus potestas æterna quæ non auferetur, et regnum ejus quod non corrumpetur. » 7° Legibus regere spiritalibus, juxta hæc Jeremiæ cap. 31: « Hoc erit pactum quod feriam cum domo Israel. Post dies illos, dicit Dominus, dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam. »

Christus reverà juxta fidem nostram propter passionem mortis gloriâ et honore coronatus, manet rex in æternum, secundùm hanc vocem angeli ad Mariam: « Ecce concipies et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum; hic erit magnus, et filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David patris sui, et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis. » Atque hoc titulo regis, 1° exaltatus sedet ad dexteram Patris; 2° ascendens in altum captivam duxit captivitatem, spoliavit principatus et potestates, palàm triumphans eos in semetipso, dæmonemque foràs ejecit; 3° Ecclesiam constituit, ejusque caput manens speciali semper regit providentiâ; 4° legem veterem abolevit, et regnum Dei à Judæis transtulit in gentem facientem fructus ejus; 5° in rebellem populum severissimè animadvertit; 6° regnum ejus reverà regnum æternum est, utpote cœleste; 7° regnum spiritale est.

Vitæ Messiæ casus.

XI. Fuêre universi casus vitæ Messiæ prædicti à Prophetis, et in Christo adimpleti: 1° Tulit Christus omnia Messiæ nomina, signi-

dem in N. T. dicitur Jesus, Emmanuel, Christus, Propheta per antonomasiam, Nazaræus, Filius Dei, Deus, Filius hominis, Pastor, Doctor, Stella, Oriens, Flos, Radix, Virga, Lapis, Fundamentum, Mons, Scandalum, Ostium, Via, Veritas, Vita. Quæ omnia à veteribus Judæis Messiæ applicabantur. Vide Huetium. 2° Ejus fuga in Ægyptum his verbis ab Osee prophetâ significata est : *Ex Ægypto vocavi filium meum.* 3° Infantium cædes ejus occasione ab Herode facta, in istis verbis Jeremiæ continetur, cap. 31 : *Hæc dicit Dominus : Vox in excelso audita est, lamentationis, luctûs et fletûs; Rachel plorantis filios suos, et nolentis consolari super eis, quia non sunt.* 4° Joannis præcursoris ejus prædicatio ab Isaiâ annuntiata est cap. 4 : *Vox clamantis in deserto : Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri. Omnis vallis exaltabitur, et omnis mons et collis humiliabitur, et erunt prava in directa, et aspera in vias planas, et revelabitur gloria Domini, et videbit omnis caro pariter quod os Domini locutum est.* Et à Malachiâ etiam clarissimis istis verbis : *Ecce ego mitto angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum dominator, quem vos quæritis; et angelus Testamenti, quem vos vultis.* 5° Ejus ratio prædicandi in parabolis significata fuit istis verbis Ps. 76 : *Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio.* 6° Ingressus ejus triumphalis in Jerusalem super asinam prædicta est Zachariæ cap. 9 : *Exulta satis, filia Sion; jubila, filia Jerusalem; ecce rex tuus veniet tibi, justus et salvator, ipse pauper et ascendens super asinam et super pullum filium asinæ.* 7° Ejus mansuetudo sic describitur Isaiæ cap. 42 : *Ecce servus meus, suscipiam eum; electus meus, complacuit sibi in illo anima mea : dedi spiritum meum super eum, judicium gentibus proferet. Non clamabit nec audietur vox ejus foràs; calamum quassatum non conteret et linum fumigans non extinguet; non erit tristis neque turbulentus, donec ponat in terrâ judicium, et legem ejus insulæ expectabunt.* 8° Ejus venditio in istis verbis Zachariæ cap. 11 : *Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos.* 9° Genus mortis ab eodem significatum est cap. 12 : *Et effundam super domum David et super habitatores Jerusalem spiritum gratiæ et precum, et aspicient ad me quem confixerunt, et plangent planctu quasi super unigenitum, et dolebunt super eum, ut doleri solet in morte unigeniti.* Et cap. 13 : *Et dicetur ei : Quid sunt plagæ tuæ in medio manuum tuarum? Et dicet : His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me.* 10° Quòd in morte ejus sorte dividenda essent vestimenta ejus, juxta hæc verba Psalmi 21 : *Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea, ipsi verò diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.* Quòd acetum cum felle ipsi esset offerendum secundùm hæc verba Ps. 68 : *Et dederunt in escam meam fel, et in siti meâ potaverunt me aceto.* Quòd non essent frangenda ejus crura significatum est hâc lege de agno paschali : *Os non confringetis ex eo.* 11° Denique quòd post mortem surrecturus esset et ascensurus in cœlos, ex multis colligitur vaticiniis, quæ jam relata sunt, iis videlicet quæ ejus regnum æternum prænuntiant, et sessionem à dextris Dei, illamque gloriam morti subsequentem futuram designant : nam regnare post mortem nisi ab inferis excitatus non potuisset; quibus vaticiniis addi debet istud Davidis Ps. 15 : *Propter hoc lætatum est cor meum, et exultavit lingua mea; insuper et caro mea requiescet in spe, quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Et istud Isaiæ 11 : *In die illâ radix Jesse qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, et erit sepulcrum ejus gloriosum.*

Objicies 1° *auctoritatem recentiorum Judæorum.* Argumentum istud ex vaticiniis V. T. vanum est, si illa omnia vaticinia nequaquàm spectent Messiam : atqui... Nam in hâc parte maxima est Judæorum auctoritas, qui propter perfectiorem linguæ hebraicæ notitiam, atque non interruptam doctrinæ apud eos traditionem, meliùs Scripturas suas intelligere censendi sunt. Atqui Judæi negant illa fermè omnia vaticinia ad Messiam pertinere.

R. Distinguo majorem : in hâc quæstione summa est Judæorum veterum auctoritas, qui tempore Christi vivebant, esto; Judæorum recentiorum, nego : atqui Judæi negant illa vaticinia ad Messiam pertinere, recentiores quidem, concedo minorem : Judæi veteres, nego. Damus igitur magnam esse in hâc parte Judæorum veterum auctoritatem, ob hanc præcipuè duplicem causam, quòd veteres Judæi, dùm staret respublica, ex traditione doctorum et assiduâ Scripturarum meditatione illa loca, quæ ad Messiam pertinebant, cognoscere potuerunt, notasque illas habere perspectas, quibus textus spectantes ad Messiam discerni possent ab aliis. Tales fuisse notas vix dubitare licet, tum propter hujus doctrinæ apud Judæos gravitatem, quæ id postulâsse

videtur, tum propter multorum locorum factam ex Judæis veteribus applicationem, in quibus à simplici textûs consideratione Messiam haud fuissemus subodorati. Secunda ratio est, quòd tempore Christi Domini maximè essent Judæi ad omnem auram adventûs Messiæ arrecti, et hâc expectatione excitati ad diligentiorem explorationem eorum locorum quæ ad eum pertinebant. Attamen fieri potuit, ut loca multa ipsos ex divino consilio laterent, quæ nonnisi ex eventu rerum explicanda erant: multa etiam præjudiciis obcæcati sine dubio non viderunt.

Sed negamus ullam prorsùs esse in hâc parte Judæorum recentiorum auctoritatem, ob multiplicem sanè causam: 1° Quòd neque adeò benè calleant linguam hebraicam ac Judæi veteres, nec tam pura decurrat ad eos post tam diuturnam dispersionem traditio. 2° Quia urbis excidium et frustrata tamdiù spes veterum deserere vestigia coegit, et ad reges suos Ezechiam, Zorobabelem et alios referre ea vaticinia, quæ stante republicâ debuisse compleri perspicuè intellexerunt. 3° Quia eorum opiniones vanæ et absurdæ deprehenduntur, tamque variæ et discrepantes circa easdem prophetias, ut manifestum sit eos nullam certam legem in interpretandis Scripturis sequi; imò eò devenerunt quidam ut contra fidem gentis suæ negarent adventum Messiæ articulum esse fundamentalem, nisi ex traditione. 4° Quia legem oralem jam à multis annis, contempto vel neglecto V. T. summo studio prosecuti sunt: ita ut jam olim à Trajani temporibus ab eorum uno scriptum sit, lectionem V. T. Judæos plerùmque efficere hæreticos, id est, Christianos. 5° Quia Judæi furiosi semper et tantâ rabie abrepti contra Christianos fuerunt, ut horrendas adversùs eos adinvenerint calumnias, et in scriptis reliquerint plures se Scripturas interpretari contra magistrorum sententiam, ut haberent Judæi quid hæreticis responderent: hanc rationem affert celebris inter eos doctor Salomon Jarchi, cur Psalmos 2 et 21 de Messiâ non interpretetur. 6° Denique quia velum obductum est cordibus eorum, ut eventurum eorum Scripturæ non uno loco prænuntiârunt, et tristis experientia contigisse demonstrat.

Jam verò Judæi veteres, quorum maxima auctoritas est, nostri in hâc parte omninò sunt: Judæi autem recentiores, quorum vix ulla auctoritas est, non omnes dissentiunt. Hanc ultimam propositionem confecère multi è nostris in Judæorum scriptis versati allatisque testimoniis comprobârunt, nullam attributam esse à Christianis Messiæ prophetiam, quam ad eumdem non retulerint doctores Judæi. Eorum testimonia reperire licet apud Huetium Dem. ev. prop. 7 et 9. Raym. Mart. Pug. fidei. Voysin Observat. in Pug. fidei. Galatin de Arcanis cath. verit. Allixium judic. eccl. jud. contra Unitarios. At veteres Judæos nobis consentientes fuisse non solùm patet ex vetustissimis eorum scriptis, in quibus omnes fermè supra laudatæ prophetiæ ad Messiam referuntur, sed præsertim ex ipso Evangelio atque Apostolorum scriptis idem manifestum est. Nam cum maximâ securitate in illis vaticiniis Christi auctoritatem ponunt, sine ullâ dubitatione, sine ullâ defensione, quasi assumerent id quod apud omnes constaret. In omnibus N. T. libris nullum reperies locum in quo, aut hanc partem argumenti conficiant, aut significent Judæos iis objecisse, quòd perverterent Scripturas: in hoc unicè incumbunt, ut demonstrent illas prophetias in Christo reverà adimpletas fuisse, omninò relictâ hâc alterâ propositione, illas prophetias ad Messiam pertinere, tanquàm manifestâ et concessâ veritate. *Si Moysi crederetis,* dicebat Christus, *crederetis et mihi; nam Moyses scripsit de me...*: *Scrutamini Scripturas, ipsæ sunt quæ testimonium perhibent de me.* Post resurrectionem suam stultos et tardos corde ad credendum vocavit duos discipulos pergentes Emmaüs, non quia nesciebant quæ loca ad Messiam pertinerent, sed quia non intelligebant eadem in seipso adimpleta fuisse. Deinde animadvertendum est Scripturas V. T. præcipuè laudari ab iis qui in opinionibus Judæorum magis erant versati, et qui rem cum Judæis agebant: sic inter Evangelistas S. Matthæus, qui Hebraico idiomate scripsit, sæpiùs quàm cæteri laudat veteres prophetias; sic Paulus etiam qui ad pedes Gamalielis institutus fuerat, præcipuè in illis Epistolis in quibus adversùs Judæos disputabat, ut in Epistolâ ad Hebræos, ex prophetiis argumentatur. Jam verò hæc agendi et disputandi ratio vetat dubitare, quin in hâc parte Judæi et primi Christiani consentientes fuerint. Illa enim disputandi methodus tribui nequit Apostolis, quæ non solùm nullos ipsis adjunxisset discipulos, sed peperisset potiùs omnium contemptum. Atqui nisi Apostoli in applicatione veterum prophetiarum consentientes habuerint Judæos, etc. Nam id planè assumpsissent, quod erat in controversiâ positum; ab eo principio profecti fuissent, quod contra generalem totius gentis Judaicæ sensum fuisset. Quid tam

abhorret à ratione, quàm ita disputationem instituere? Deinde verò non minùs carere omni intelligentiâ oportuisset eos, qui Apostolis tam ridiculè disputantibus assensum præbuissent: quo animo esse oportebat Judæos, cùm legerent in Evangelio S. Matthæi, in nativitate Christi adimpletum fuisse id quod dictum est per prophetam dicentem: *Ecce virgo concipiet et pariet filium*, etc., si illum locum nequaquàm de Messiâ et nonnisi de Isaiæ filio vel rege Ezechiâ semper intellexissent? Et animadverte non probare ex eo loco Matthæum Messiam oriturum esse ex virgine, sed hoc assumpto conficere Jesum esse Messiam, quia ortus est ex virgine. Idem Evangelista dicit Jesum docuisse turbas in parabolis, ut impleretur quod dictum est: *Aperiam in parabolis os meum.* Quàm vana et inanis fuisset illa citatio, si illum locum Psalmi 77 Judæi communiter ad Messiam non retulissent? Idem habet: *Crucifixerunt eum, et diviserunt vestimenta sua sortem mittentes, ut adimpleretur quod dictum est: Et diviserunt sibi vestimenta mea et super vestem meam miserunt sortem.* Quò hæc, quæso, pertinebant, si novisset Matthæus hæc de Esthere, aut Davide, aut de populo judaico ab omnibus intellecta?

Non solùm Evangelistæ cum summâ securitate de Christo interpretantur veteres prophetias, verùm etiam easdem ad Messiam ab ipsis Judæis relatas fuisse scribunt: exempli gratiâ, S. Matthæus scribit Pharisæos et doctores legis interrogatos ab Herode, ubi Messias nasceretur, respondisse, in Bethlehem Judæ, consentienter isti prophetiæ Michææ: *Tu, Bethlehem*, etc. Quomodò sibi inducere potuisset in animum hæc scribere, si istum locum Judæi de Zorobabele intellexissent? Idem inducit Christum arguentem Pharisæos ex Ps. 109: *Quomodò vos dicitis*, inquiebat, *quoniam filius David futurus est? cùm Dominum Deum vocet David, dicens: Dixit Dominus Domino meo*, etc., *et non potuerunt*, addit Evangelista, *respondere verbum.* Profectò fieri nequit, ut eò procedat hominis temeritas, ut in libro scripto judaico idiomate, in Judæâ vulgato, talia imponat Judæis doctoribus, si apud omnes notum et constans fuisset illum psalmum nequaquàm spectâsse Messiam.

Summa etiam auctoritas accedit nostræ sententiæ ex frequenti atque familiari attributione plurium titulorum factâ Christo in N. T. Nam hâc attributione significabant eum esse Messiam, et proinde hi tituli habiti sunt à Judæis, ut Messiæ proprii; et consequenter illa loca, quæ hisce titulis seu appellationibus occasionem dederant, de Messiâ intellexêre Judæi. Sic Jesus vocatur Lux vera et Lumen mundi, quia est Stella illa oriunda ex Jacob juxta prophetiam Balaami, illa Lux gentium apud Isaiam, ille Oriens apud Zachariam, ille Sol justitiæ apud Malachiam. Sic quoque vocatur Lapis, quia est ille Lapis angularis de quo David Ps. 116; *Lapis* ille *de monte excisus sine manibus*, de quo Daniel c. 2; ille *Lapis offensionis et petra scandali*, de quo Isaias c. 8 et 26. Sic Pastor nuncupatur, quia ita Messiam designaverat David Ps. 23, Isaias c. 40, Jer. c. 31, Ezechiel c. 34, Zacharias c. 13. Dicitur Ostium relativè ad illam Clavem David, « quæ aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit. » Vocatur Sponsus relativè ad Ps. 45, et Canticum Canticorum. (Vide Huet. prop. 9. Raym. Mart. in Pug. fidei.) Manifestum est hæc omnia et multa alia similia pertinuisse ad Messiam, et in hâc adeò concordes fuisse Judæos, ut qui hos titulos sibi assumeret, eo ipso declararet se esse Messiam; aliàs certè Christus illos sibi tam frequenter et tam familiariter non applicâsset.

Objicies 2° *auctoritatem veterum Judæorum.* Plerique olim in Christo Messiam non agnoverunt: ergo non tulit Messiæ notas, seu in eo vaticinia Prophetarum nequaquàm fuêre adimpleta. Nam valdè abhorrebat à divinâ bonitate in re tanti momenti Judæos incertos relinquere, et talibus notis delineare Messiam, ut, cùm veniret, à suis non agnosceretur. Atqui tamen si Christus reverà fuit Messias, in istâ re maximi momenti Judæos incertos reliquit Deus.—R.: Nego consequentiam prioris argumenti, et Judæorum incredulorum auctoritati opponimus auctoritatem illorum Judæorum, qui nomina Christo dederunt, atque etiam universi orbis qui ad Christum evidenti completione veterum oraculorum adductus est. Horum sanè auctoritas maxima est, quia nonnisi expensâ et perspectâ veritate judicârunt; illorum verò nulla, quia obcæcati præjudiciis inconsideratè Christum contempserunt, ut fuerat clarissimè à Prophetis prænuntiatum. Præterea, dùm viveret Christus, non tam vaticiniis Prophetarum, quàm miraculis Judæis innotuit, ad quæ cùm obsurdescerent et illa temerè principi dæmoniorum tribuerent, non mirum est, quòd nullas invenerint in eo Messiæ notas. Nonnisi post ejus mortem, ascensionemque in cœlum, et Ecclesiam constitutam, completa fuerunt maxima

V. T. vaticinia (1) : at ab illo tempore tanto furore in Christum et in Christianos perciti semper fuerunt Judæi, ut ad omnia nostra argumenta planè surdi et cæci extiterint.

Ad confirmationem distinguo majorem : abhorrebat à divinâ bonitate in re tanti momenti Judæos, studiosos sacrarum litterarum et diligentes in negotio suæ salutis, incertos relinquere, C. Judæos incuriosos rerum sacrarum et parùm diligentes in negotio salutis, N. Multa miracula in omnibus Judææ vicis per tres continuos annos patravit Christus, quorum fama ita ubique percrebuit, ut ex omnibus civitatibus ægri ad ipsum adducerentur. Si hisce miraculis excitati diligentiùs de ejus ortu inquisiissent, invenissent eum omnes Messiæ notas tulisse ; non Nazarethi, ut communis ferebat opinio, sed Bethlehemi natum; non ex infimâ plebe, sed stirpe regiâ; non ex naturali conjunctione Josephi et Mariæ, sed partu virginali editum. Sed profectò necesse non erat, ut Deus ita in Scripturis adumbraret Messiam, ut nullus prorsùs esset errori locus : è contrario quamdam inesse prophetiis obscuritatem omninò oportebat, non solùm ad hominum probationem, et ut hâcce obscuritate, quasi lydio lapide, distinguerentur boni et cordati viri à malis et suæ salutis incuriosis ; sed etiam ob hanc evidentissimam causam, quòd religio judaica esset dispensatio prævia èt quasi apparatus ad Religionem christianam : quæ ratio œconomiæ judaicæ omninò postulabat, ut res Christi et Ecclesiæ in libris Judæorum describerentur, quantùm necesse erat ad excitandam in animis expectationem redemptoris et novæ legis, Judæosque ad recipiendam Christi Religionem disponendos; quantùm etiam necesse erat, ut Religio christiana summam firmitatem ex istis libris acciperet. Sed profectò non minùs erat necesse, ut hæc involutè traderentur : nam si clarè atque perspicuè aperuisset per Prophetas Deus Messiæ vitam omnem atque munera, jam non ampliùs Judæi fuissent, sed Christiani, antequàm venisset plenitudo temporis, in quo Deus mundum sibi reconciliare et aperire sacramentum absconditum à seculis constituisset. Si Judæi clarè novissent legem Mosaicam disciplinam esse temporariam et præviam ad aliam religionem perfectiorem, gravidam idcircò multis ritibus molestissimis ut adumbraret aliam faciliorem et præstantiorem, jugum legis non sustinuissent. Denique si Christum ita designâsset Deus, ut regem gloriæ omnes vel inviti agnoscerent, non fuisset perfectum redemptionis humanæ opus, sed frustratum fuisset divinum in homines consilium. Manifestum ergo est illam obscuritatem, in sententiâ Christianorum, prorsùs necessariam fuisse, proindeque adversùs nos non habere vim argumenti. At adversùs Judæos maximam habet istud argumentum ex obscuritate prophetiarum auctoritatem, quia cùm defendant suam religionem immutabilem esse et perfectam, neque ullo modo præviam ad aliam legem, causam nullam afferre possunt cur Deus involutè et ænigmaticè eos docuerit Messiam, ejusque officia.

Fuisse verò prophetiam veterem, *quasi lucernam lucentem in caliginoso loco,* ut loquitur beatus Petrus, nullo modo possunt inficiari Judæi : nam eorum dissensiones circa prophetiarum sensum ipsis hoc negandi facultatem auferunt. Non solùm vaticinia illa obscura fuêre respectu eorum qui carebant spiritu prophetico, sed etiam respectu ipsorum Prophetarum, ut constat ex eorum confessione. Dan. c. 12, habet : *Et ego audivi et non intellexi; et dixi : Domine, quid erit post hæc? Et ait : Vade, Daniel, quia clausi sunt, signatique sermones usque ad præfinitum tempus.* Neque certè dicere possunt hanc obscuritatem tollendam in adventu Messiæ : quemcumque enim alium diversum à Christo finxerint, demonstratur è contrario obscuritatem illam longè majorem futuram. Si Messias nondùm venit, quomodò compleri poterunt Jacobi, Danielis, Aggæi et Malachiæ vaticinia, quibus tempus adventûs ejus clarè determinatum est? Si rex futurus est gloriosus in terris, quomodò c. 52 et 53 Isaiæ vaticinia ei poterunt convenire? Quomodò ista verba Danielis : *Occidetur Christus et non erit ejus populus, qui eum negaturus est?* Præterea obscuritas prophetiarum quarumdam non oritur ex eo quòd res futuras describant; nam tam clarè et perspicuè de rebus futuris loqui licet ac de rebus præteritis : sed oritur illa obscuritas ante eventum, vel ex figuratâ ac involutâ rerum descriptione, vel ex apparenti incompatibilitate rerum prædictarum. Si ex primo fonte, certè ex eventu prophetiæ claræ evadere non possunt, quia figurata et involuta descriptio non minùs erit

(1) Ea vaticinia maximè spectant ad vocationem Gentium, Ecclesiæ divinâ providentiâ regendæ ac custodiendæ institutionem, abrogationem legis veteris, reprobationem Judæorum atque desolationem. P. S.

figurata post eventum quàm antea fuit. Si ex secundo fonte, omninò tolletur illa obscuritas: sic illæ prophetiæ, quæ Messiæ mortem et eodem tempore sempiternum regnum prædicebant, inter omnes alias obscuriores erant ante eventum, propter apparentem harum rerum incompatibilitatem, mortis nempe et regni æterni; sed post resurrectionem Christi à mortuis et constitutum ejus in terris regnum, nempe Ecclesiam, valdè claræ evasêre.

Objicies 3° *adversùs interpretationem christianam V. T.* Nullam habent ista vaticinia argumenti vim, nisi adversùs eos qui confitentur in illis adumbrari Messiam : nam christiana expositio Prophetarum est, 1° metaphorica et plerùmque valdè distat à litterali sensu; 2° tollit omnem orationis contextum, suntque illa vaticinia plerùmque sententiæ quædam, quæ nonnisi excerptæ et separatæ ab antecedentibus ac consequentibus Christo applicari possunt; at simul sumptæ cum cæteris orationis partibus deprehenduntur alias personas respicere : ita docuit Grotius vir doctissimus et post eum quàmplurimi; 3° est eadem interpretatio christiana sæpè typica, vel mystica, id est, à sensu obvio et litterali Scripturæ ad sensum spiritalem verba detorquentur; vel duplex fingitur sensus litteralis. Atqui hæc expositio vana est, nec habere potest argumenti vim contra nostræ Religionis adversarios : siquidem his artibus ad quemcumque sensum trahere quælibet verba licet et in quâcumque oratione quidvis invenire.

R. 1° Nego majorem : nam pleraque vaticinia, ex quibus confirmavimus propositionem nostram, litterali sensu accipiuntur, nec ad alium ullo modo transferri queunt, ut à pluribus nostræ Religionis defensoribus fusè et diligenter ostensum est. Quædam solummodò generalia hìc adjiciemus ad minuendam auctoritatem opinionis contrariæ. Fatemur quidem Hugonem Grotium, virum omni genere litterarum instructum et de Religione christianâ, præsertim propter egregium opus in ejus defensionem, optimè meritum, aliam methodum in exponendis Scripturis secutum esse, omniaque ferè vaticinia supra laudata de rebus civitatis judaicæ sensu primario et immediato exposuisse : sed certè hoc egit cum magno suæ famæ dispendio, et causæ christianæ, quam antea benè defenderat, non levi detrimento. Non obfuit certè causæ christianæ propter vim rationum, quibus suam interpretationem confirmavit, sed propter ejus magnam apud quàmplurimos auctoritatem. Interpres ille ab hoc profectus est in interpretandis Prophetis principio, quod haud ægrè verum concedemus: videlicet exponendas esse prophetias juxta easdem critices regulas, quibus utimur in exponendis auctoribus profanis, expendendum esse istorum auctorum ingenium et consilium. Hùc usque habet nos consentientes. Sed in hujus principii applicatione longissimè aberravit. Nam ex eo quòd illa vaticinia edita fuerunt à viris natione Judæis et in reipublicæ rebus occupatis, concludebat primarium eorum objectum esse res judaicas, et proinde eadem esse de istis rebus primariò interpretanda. Sed oportebat eum meminisse auctoritatem Prophetarum divinam esse; eos non humanâ voluntate, sed divino spiritu afflatos futura prædixisse. Nam manifestum est, istam methodum interpretandi non valere, nisi in eâ hypothesi, in quâ supponeretur Prophetas Judæorum futura prædixisse naturali quâdam sagacitate, uti canebant vates pagani : si enim afflati divino spiritu supponantur, Deus reverà, non propheta, auctor vaticiniorum censendus est : et ad ejus mentem assequendam, si rectè procedere velimus, examinanda est natura, ratio et finis œconomiæ judaicæ, non consilium prophetæ; ac si ex accurato examine deprehendatur illam religionem Mosaicam fuisse præparatoriam ad aliam legem excellentiorem, nullo modo certè distabit à verisimilitudine illa vaticinia quandoque respicere illam alteram dispensationem perfectiorem, etiam in sensu litterali, primario et immediato. Temerè igitur et inconsultò id assumpsit Grotius, Judæorum Prophetas de judaicis rebus semper vaticinatos : nec mirum quòd hoc errore imbutus adeò inconditas atque alienas à proprio verborum sensu explicationes invenerit. Hæc generatim notanda duximus, ut intelligatur nullum debere inferre causæ christianæ præjudicium docti illius viri auctoritatem, aut illorum hominum qui inter nos ejus principia secuti sunt (1).

(1) Discimus ex Origene l. 4 cont. Celsum, n. 2, nonnullos olim fuisse pseudo Christianos, qui, quamvis Jesum Nazarenum venerarentur ut hominem divinitùs missum ad nostram salutem, illum tamen Messiam Judæis promissum inficiabantur. Marcionitas in eodem errore fuisse narrat Tertullianus l. 2 et 3 contra Marcionem. Idem etiam asserebant Manichæi, qui nullam duorum Testamentorum concordiam admittebant. — Ejusdem hæresis arguitur Theodorus Mopsuestenus, et in quintâ synodo generali coll. 8, anathemate perculsus est, tùm ob alias causas, tùm « quòd prophetias, quæ de « Christo sunt, rejiciens, festinaret dispensa-

Deindè verò quàm vanum fuerit ejusdem interpretis, ejusque discipulorum consilium, clarissimè patebit, si attenderimus ad originem et progressus prophetiæ in antiquissimis temporibus, ejusque vestigiis diligentiùs insistamus. Inveniemus siquidem prophetiam omnium primam et fundamentalem datam fuisse, non uni hominum familiæ, sed universo generi humano in primis parentibus, ad excitandam in eis, eorumque posteris expectationem liberatoris et spem gratiæ rursùs cum Deo ineundæ. Inveniemus etiam cætera omnia vaticinia, facta

« tionis pro nostrâ salute magnum mysterium, « quantùm ad se pertinebat, reprobare. » Sed fortassè non est rigorosè accipienda hæc sententia, quasi Theodorus universas prophetias rejecerit, cùm non tantùm ejus defensionem susceperit Facundus Hermianensis, sed et Leontius lib. 3 contra Eutych. et Nest. scribat : « Omnes psalmos judaicè ad Zorobabe« lem et Ezechiam retulit, tribus tantùm ad Do« minum rejectis. » Ergo non videtur omnes etiam psalmos Christo abjudicâsse. Neque quidquam extat in excerptis Theodori, quæ habemus, sive in Constituto Vigilii Papæ, sive in coll. 4 conc. 5, unde probari possit Theodorum prophetias omnes evacuâsse. — Ab illâ Theodori doctrinâ non satis recedunt interpretes illi, qui quàmplurimos V. T. textus in N. allegari contendunt sensu tantùm accommodatitio et ab intentione Spiritûs sancti prorsùs alieno. Neque etiam ii qui Christum in V. T. prædictum esse confitentur, sed tamen prophetias omnes duplicem habere sensum, alterum primarium et proximum, qui ad historiam temporis, quo editæ sunt, referendus est; secundarium verò allegoricum, mysticum et remotum, qui ad Christum; simulque statuunt prophetias argumentum esse christianæ Religionis, quod valeat ad fovendam fidem jam susceptam, non verò ad convincendos animos, inclinandosque ad ejus susceptionem. Ea fuit opinio Grotii, qui non negavit Christum esse prædictum in V. T., aut ad illum propriè et ex intentione Dei referri vetera oracula, sed contendit ea propter duplicem sensum parùm esse firmum christianæ Religionis argumentum; adeòque aut nunquàm aut rarò admodùm in vim argumenti à Christo et Apostolis fuisse adhibita, neque ad persuadendam Religionem christianam, sed ad eam jam susceptam et persuasam fovendam et confirmandam. Ita ille Annot. in Matth. 2, 17. In eâdem ferè sententiâ fuisse videtur Salmeron, qui docet sæpè ab Apostolis citari Scripturas sensu mystico et allegorico diverso ab eo quem habent ad litteram; et quâ ratione ex istis prophetiis argumenta Apostoli desumpserint, sic exponit : « Respondendum est Apostolos argumenta produxisse ex mysticis sensibus; sed cùm haberent jus interpretandi Scripturas et ipsum Spiritum sanctum Scripturæ auctorem, illos sensus spiritales per eos proferentem et signis et miraculis eos confirmantem, procul dubiò sensus veri et genuini erant ac spectati à Spiritu sancto, et vim cogendi habebant, et fideles qui noverant Apostolos plenos Spiritu sancto illos sensus tradidisse, et infideles sive Judæos, quia signis divinitùs additis illos confirmabant; et licet in V. T. incerti essent et obscuri, aperti sunt et certi, quia ad aliquid probandum producti. » — Richardus Simon duplicem quoque sensum cum Grotio admittebat in quàmplurimis prophetiis, primum litteralem, alterum mysticum, utrumque verum et ex mente Dei, atque à sensu accommodatitio longè diversum; sed in eo Grotio adversatur, quòd prophetiis omnibus in N. T. laudatis, vim tribuat argumenti etiam adversùs infideles et Judæos, non quidem propter clarum sensum in verbis elucentem, sed propter traditionem Judæorum illos textus interpretantem. — Quod de universis ferè prophetiis affirmabat Grotius duplicem illis inesse sensum, alterum litteralem, alterum mysticum, id de multis verum esse confessi sunt quàmplurimi theologi, uti liquet ex his verbis Clar. Huetii prop. 7, art. 4 : « Minimè verò probare possum rationem Hugonis Grotii, qui Matthæi locum quemdam interpretans, pertinentes ad Christum prædictiones, non aliquas, quod pateremur, sed universas primarium quemdam ac proprium sensum ad historiam ejus temporis, quo proferebantur, referendum, involvere docet; secundarium verò mysticum ac allegoricum et remotum ad Christum. Hoc, inquam, in multis verum esse fatemur, veluti in illâ prædictione Jeremiæ : *Vox in excelso audita est lamentationis et fletùs*, et cætera hujusmodi, et illud : *Ego ero ei in patrem.* »

Ab illorum theologorum doctrinâ plurimùm distant alii, qui duos sensus litterales in plerisque prophetiis admittunt, alterum primarium, proximum et historicum, alterum verò secundarium, sublimiorem et propheticum. Et inter hos alii docent utrumque illum sensum oraculis V. T. convenire habitâ ratione totius contextûs, adeòque prophetias à Christo et Apostolis allegatas ad Christum pertinere, non solùm ut absolutas et præcisas ab iis quæ antecedunt et sequuntur, sed etiam ut inclusas in serie contextûs; quòd ea quæ antecedunt et sequuntur ad Christum pertineant minùs quidem expressè, minorique vi et energiâ vocum, sed tamen vero sensu et à Spiritu Dei intento. Quando autem Christus et Apostoli insignem et illustrem oraculi prophetici partem ad Christum referunt, duces nobis et auctores sunt ad ea quæ antecedunt et sequuntur de eodem interpretanda; ita inprimis auctor libri Gallici de Regulis ad intelligentiam Scripturæ. — At verò eorum qui duplicem sensum litteralem in prophetiis admittunt, nonnulli putant primarium quidem sensum totâ serie contextûs niti et fundari, secundarium verò oraculo convenire, ut præciso et abstracto ab iis quæ antecedunt aut sequuntur : ac proinde ubi aliqua citantur à Christo aut Apostolis oracula, ea tantùm verba esse de Christo interpretanda, quæ Christo applicantur et in illo impleta dicuntur; quod etiam Grotius de interpretatione mysticâ docuerat. Denique nonnulli existimant unicum esse sensum in omnibus vel plerisque prophetiis, eumque litteralem et ad Christum referendum. Hæ sunt de interpretatione prophetiarum variæ, seu veterum hæreticorum, seu recentiorum interpretum et theologorum opiniones

Abrahæ, Isaac, Jacob, et Judæ cum hâc antiquissimâ prophetiâ habere manifestam connexionem, uti decebat, cùm omnis prophetia ab eodem Deo auctore derivetur et in eumdem finem tradita semper sit : adeòque in subsequentibus vaticiniis augurari debemus præcipuum Dei objectum non esse fœdus aliquod temporale cum singulari aliquâ gente, sed potiùs fœdus spiritale ineundum cum universo humano genere per mediatorem Messiam seu illum liberatorem ab origine mundi promissum, ac temporales promissiones à spiritalibus nunquàm esse disjunctas, sed earum umbras et figuras.

R. 2° Nego minorem, et contendo expositionem christianam V. T. etiam ubi metaphorica est, vel duplicem agnoscit sensum, vel typica est, vel mystica, nulli reverà objectioni esse obnoxiam, sed hunc modum interpretandi exigere ipsam naturam veterum oraculorum. Nam, ut modò exposuimus, necesse fuit ut prophetæ non omnia Messiæ munera clarè et apertè describerent, aut res evangelicas prorsùs propalarent; sed efficerent tamen, ut illa Christi munera et res evangelicæ involutè continerentur in scriptis suis : necesse igitur fuit ut aliquâ arte uterentur. Jam verò hæc ars in hisce solummodò rebus consistere potuit metaphoricâ oratione, parabolis, meditatâ confusione, in typis et prophetiis duplicem habentibus sensum : et consequenter in evolvendis Prophetiis non recedimus ab eorum mente, cùm quædam loca metaphoricè, alia allegoricè vertimus, aliis duplicem tribuimus sensum, alia ab antecedentibus et consequentibus distrahimus.

I. Dico igitur Prophetas usos esse metaphoricâ oratione, et hoc orationis genus non tantùm apud eos familiare fuisse, sed etiam ad suum institutum aptissimum. Hoc enim cuicumque legenti veteres Scripturas statim incurrit in oculos : perpetuis utuntur similitudinibus, metaphoris et hyperbolis; ex quibus illa non imitabilis orationis majestas oritur. Quo enim litterali sensu explicari possunt illa verba Isaiæ c. 11, v. 6: *Habitabit lupus cum agno, pardus cum hædo cubabit; vitulus et leo et ovis simul morabuntur, et puer parvulus minabit eos... Leo quasi bos comedet paleas, et delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis... Non nocebunt et non occident in universo monte sancto meo,... quia repleta est terra scientiâ Domini, sicut aquæ maris operientes.* Hæc enim interpretari solent Judæi metaphoricè de illâ pace, quæ fuit Ezechiæ temporibus post calamitatem exercitui Sennacherib divinitùs inflictam : nos verò multò meliùs de pace evangelicâ, propter antecedentia et consequentia, in quibus de Messiâ mentio est. Sed nemo unquàm illa verba sensu litterali proprio interpretatus est. Dico sensu litterali proprio, quia sæpè sensus metaphoricus reverà litteralis est. Sic etiam ista verba ejusdem Prophetæ, cap. 55, v. 12: *Quia in lætitiâ egrediemini, et in pace deducemini : montes et colles cantabunt coram vobis laudem, et omnia ligna regionis plaudent manu : pro saliuncâ ascendet abies, et pro urticâ crescet myrtus, et erit Dominus nominatus in signum æternum, quod non auferetur.* Hæc etiam metaphorica sunt et ad novam dispensationem referenda propter magnificam præfationem hanc: *Non enim cogitationes meæ cogitationes vestræ; neque viæ vestræ viæ meæ, dicit Dominus : quia sicut exaltantur cœli à terrâ, sic exaltatæ sunt viæ meæ à viis vestris, et cogitationes meæ à cogitationibus vestris.* In quibus profectò non tantùm innuitur mutatio, sed mutatio à rebus terrenis ad res cœlestes, à carnalibus ad spiritalia. Idem propheta c. 65, v. 17, habet : *Ecce ego creo cœlos novos et terram novam, et non erunt in memoriâ priora, et non ascendent super cor.* Quæ necessariò etiam sunt metaphoricè accipienda, et significant clarè novam religionem et novam legem, quæ per novum cœlum et novam terram aptissimè repræsentantur, et olim erant istarum rerum symbola hieroglyphica.

Certum igitur est Prophetas usos esse metaphoricâ oratione. Sed dico etiam istam scribendi formam fuisse aptissimam, ob hanc duplicem causam, quòd satis exprimeret res evangelicas, ut viri pii inter Judæos illas ante eventum aliquo modo intelligerent, et ut Christiani post eventum clarè suam Religionem cernerent; satis etiam involutè et obscurè, ut homines perversos et incuriosos salutis suæ verus sensus lateret. Secunda ratio est, quòd ille modus scribendi metaphoricus apud Judæos semper fuerit valdè communis, sicut apud alios omnes Orientales, multùmque conferat ad sermonis dignitatem. Jam verò si certum sit Prophetas metaphoricâ usos esse oratione, si etiam constet hanc scribendi rationem valdè communem fuisse, nobis crimini verti nequit quòd eorum scripta metaphoricè interpretemur. Nemo mirari debet, exempli gratiâ, quòd in istâ prophetiâ Osee : *Dies multos sedebunt filii Israel sine rege et sine principe et sine sacrificio*

et sine altari; et post hæc revertentur filii Israel, et quærent Dominum Deum suum, et David regem suum, et pavebunt ad Dominum, et ad bonum ejus, in novissimo dierum : quòd, inquam, in istâ prophetiâ per vocem David intelligamus cum Judæis Messiam Davidis filium. Sic in istâ prophetiâ Malachiæ : *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequàm veniat dies Domini magnus et horribilis,* etc : rectè intelligimus per Eliam prophetam, præcursorem Christi Joannem Baptistam, qui cùm venerit in spiritu et virtute Eliæ, propterea in prophetico sermone aptissimè Elias nuncupari potuit, sicut in præcedenti Messias nominatur David.

II. Prophetæ non solùm metaphoris utebantur, sed etiam parabolis ad res adumbrandas : hæc concedunt Judæi fermè omnes. Maimonides inter omnes alios doctissimus, in præfatione operis inscripti More Nevochim, multa de Scripturæ sacræ parabolis disserit. Ac primùm ostendit non solùm hoc dicendi genere usos esse veteres scriptores, sed et necessariò fecisse, nec aliter facere potuisse. Tum multiplices ait esse parabolarum formas, et ad id potissimùm susceptum sibi istud opus, ut ad Prophetarum parabolas intelligendas lectori viam aperiret; nec enim ad propheticarum vaticinationum intelligentiam posse perveniri, nisi enodandarum parabolarum ratio teneatur; atque id confirmat hoc Loco Osee 12, 10 : *Ego visionem multiplicavi, et in manu Prophetarum assimilabo,* sive *similitudinem proponam*. Utitur et hoc Ezech. 17, 2 : *Fili hominis, propone ænigma, et narra parabolam ad domum Israel.* Et hoc altero cap. 20, v. 29 : *Et dixi, a, a, a, Domine Deus; ipsi dicunt: Numquid per parabolas loquitur iste?* Quibus addit ista Salomonis, Prov. 1, 5 : *Audiens sapiens sapientior erit, et intelligens gubernacula possidebit; animadvertet parabolam et interpretationem, verba sapientùm et ænigmata eorum.* Auctor etiam Ecclesiastici capite 39 docet nos libros V. T. reconditam et involutam continere sapientiam : *Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens, et in Prophetis vacabit ; narrationes virorum nominatorum conservabit, et in versutias parabolarum simul introibit : occulta proverbiorum exquiret, et in absconditis parabolarum conversabitur.* Hincque Christus Dominus discipulis sciscitantibus sensum parabolæ facilioris respondit : *Nescitis parabolam hanc : et quomodò omnes parabolas cognoscetis?* videlicet veteres parabolas Prophetarum.

Hæc methodus tam apta ad aliquam doctrinam involutè tradendam semper visa est, ut in hunc finem summo etiam in usu apud ethnicos, seu theologos, seu philosophos fuerit: apud theologos quidem, propterea quòd crederent non esse utile clarè et apertè docere res ad Religionem pertinentes ; apud philosophos etiam, quia à vestigiis theologorum recedere non audebant: hincque tot habemus tractatus olim editos de allegoricâ interpretatione. Sed illa methodus, quæ à vanâ opinione profluxit apud philosophos et theologos paganos, omninò erat necessaria in Prophetarum scriptis ob rationes supra allatas, et has alias quibus utitur S. Chrysostomus, homiliâ primâ de Prophetarum obscuritate. « Multa Judæis, inquit, Prophetæ mala prædicunt, ac fore ut ejiciantur, nos recipiamur, templum evertatur, nec ampliùs excitetur : ut concidant Jerosolyma et omnibus sint pervia; tum verò Judæi errabundi per universum orbem dispergantur, ac civitate destituti, ne veteres quidem ritus retineant; sed omnes illis res ipsorum priores auferantur, prophetiæ, sacrificia, sacerdotium et regnum : neque verò tantùm ista, sed alia multa ejusmodi prædicabant Prophetæ, dùm innumeras suis libris tragœdias immiscerent. Ne igitur ab initio Judæi manifestò hæc audientes eos interficerent qui hæc dicebant, interpretationis difficultate, prædictione occultorum, ac multâ obscuritate rebus offusâ, per eorum quæ dicebantur obscuritatem, prophetiarum incolumitati consuluerunt. » Et ut habet idem S. doctor : « Si à principio didicissent legem ad tempus duraturam, illam omninò contempsissent; propter hoc ipsum etiam occulta vaticinia esse voluit Deus. » Et profectò illi, qui tanto in Prophetas furore abrepti sunt ob prædictam calamitatem 70 annorum, ut eos exquisitis suppliciis afficerent, nullo modo ferre potuissent clara de præsenti, tam diuturno, tamque acerbo infortunio vaticinia. Hâc etiam methodo usum esse propter similes rationes Christum Dominum deprehendimus in N. T. ; nam judaicæ civitatis et templi ruinam, illasque calamitates, quæ hanc ruinam comitatæ sunt, solis discipulis aperuit claris verbis, in suis verò ad populum sermonibus eadem annuntiabat, nonnisi involutè et in parabolis : v. g., assumptâ similitudine vel vineæ improbis agricolis locatæ, qui interfecti sunt à Domino propter occisos servos et ipsum filium, vel urbis homicidarum, quæ flammis tradita est, et cujus cives internecione deleti sunt, ob rejectam

cum barbaro furore invitationem ad convivium nuptiale; vel regis nefarios servos punientis, propterea quòd nollent eum regnare super eos. Si igitur Christus, jamjam intereunte lege, ita cum Judæis agere necesse duxit, multò magis hâc uti methodo oportebat veteres Prophetas, qui multis ante excidium urbis seculis prophetabant, ne in furorem Judæos impellerent. Jam verò si manifestum sit, ex propriâ Prophetarum confessione, eos in parabolis locutos esse; si habeamus Judæos in hâc re consentientes; si aliunde constet hanc methodum valdè necessariam fuisse: ergo certè non est à recto aliena interpretatio christiana, cùm prophetiarum quasdam partes allegoricè vertit et de rebus evangelicis exponit.

III. Auctores librorum sacrorum utuntur meditatâ confusione, quæ confusio in duplici re præcipuè posita est : primò quòd Prophetæ tempora præsentia et futura conjungant, à præsentibus rebus subitò ad futuras ferantur, atque ab illis personis, quæ in vitâ aliquam similitudinem cum Messiâ habebant, vel typi Messiæ constituti fuerant, statim transferantur ad Messiam; secundò quòd iidem Prophetæ soleant varios characteres et diversa officia Messiæ promiscuè referre, simulque canere nullo observato ordine, quæ gessit ut propheta, quæque in fungendo sacerdotio præstitit, et quæ regium ejus munus spectabant, vel quæ ad duplicem ejus adventum pertinebant. Confusionis ex primâ causâ ortæ exempla infinita sunt in psalmis et in omnibus Prophetis; sed inter alia omnia eminet ille locus Isaiæ prophetæ cap. 7, ubi subitò à rebus præsentibus devolvitur oratio ad nativitatem Emmanuelis, patris futuri seculi et principis pacifici; et ille locus psalmi 72, ubi David à Salomone conditore templi temporalis delabitur ad Messiam conditorem templi spiritalis, quem locum habere duplicem sensum solent Judæi confiteri. Confusionis etiam ex altero fonte multa sunt argumenta : David, Isaias et Daniel in multis vaticiniis simul de Messiæ exaltatione et gloriâ, ejusdemque humilitate, afflictionibus et morte vaticinantur. Cujus rei hanc rationem reddit illustrissimus Huetius in Demonstratione evangelicâ : « Narrationis ordinem et contextum, inquit, vix patitur afflatus ille divinus, quo agitati Prophetæ futura præcinebant. Scabrum quid et salebrosum ac dissipatum edere solet extasis, et per varias species rerum sibi adversantes præcipitatur instinctus animus, nec ullis sese legibus coerceri patitur. » Neque hoc verti in prophetiarum accusationem potest : nam si poesis omnis accuratam descriptionem, rerum nativum ordinem, argumentorum explicationem, investigationem causarum, omnemque affectatam et præceptis plus æquo obnoxiam dispositionem respuat; nihilque magis apud Pindarum et alios lyricos placere soleat, quàm inordinati illi motus et exlex calor, cur istum ordinem desiderabimus in Hebræis vatibus? apud quam gentem frequentior erat etiam in quotidiano et ordinario sermone figurarum audacissimarum licentia, et quorum fidem obscuris imaginibus rerum futurarum fovere volebat Deus : si perpetuâ orationis serie, et apertissimis verbis, nullâ rerum aliarum permixtione confusis, Christum Prophetæ prædixissent, jam utique non prophetiæ essent, aptæ ad fidei exercitationem, sed historiam continerent evangelicam. (Vide librum elegantissimum Cl. Lowth de sacrâ Poesi Hebræorum.) Cùm ergo certum sit valdè confusas esse prophetias, cùm hanc confusionem Judæi agnoscant, fueritque hæc methodus apud istos vates Hebræos planè necessaria, malè arguuntur Christiani quòd quandoque à contextu orationis prophetias quasdam abstrahant. Multùm, ut observat Huetius, propositione 9, c. 7, distat hæc ratio colligendarum prædictionum à centonibus : in his verba tantùm aut breves aliquæ enuntiationes colliguntur et inter se connectuntur; illæ verò prophetiæ, quamvis à contextu abstractæ, certæ alicujus et definitæ sententiæ circumscriptionem, et singulare ac notis suis distinctum pronuntiatum continent, suisque personis, vel locis, vel temporibus adstrictæ sunt, nec in alium, aliumve sensum conferri queunt, itidem ut centones.

IV. Nequaquàm vanitatis argui potest expositio christiana V. T. in eâ parte ubi typica est, ob easdem causas; quòd reverà typos usurpare non fuerit alienum ullo modo à sapientiâ ad significandas sub veteri lege res evangelicas; quòd reverà typos usurpaverint frequenter Judæorum Prophetæ; quòd denique certum sit ex consensione V. et N. T. illud totum hujus figuram fuisse. Dico itaque primò non posse damnari typicam rerum repræsentationem, quasi aliena foret à sapientiâ et prorsùs ridicula : nam per typum intelligimus nihil aliud quàm personam, vel rem, vel eventum, analogiâ quâdam, alteram personam, rem, vel eventum ex intentione et consilio Dei significantem. Atqui certè valdè propriè per-

sona, aut res, aut eventus assumi potest in significationem alterius personæ, rei et eventûs : actionibus repræsentari possunt res, sicut et verbis. Præterea expediebat certè maximè ista ratio repræsentandi res futuras in eâ dispensatione, quæ erat prævia et præparatoria ad aliam dispensationem, quamque propterea aliquo modo continere debebat. Dico igitur secundò valdè familiare fuisse apud Judæos usurpare typos et figuras ad res significandas. Sic Deus solebat Prophetas suos plerùmque per visiones et species rerum docere, quibus designabantur futuri eventus et quæ quamdam eorum imaginem continebant : ipsi Prophetæ ea, quæ futura erant, annuntiabant sæpiùs populo per actiones externas, et quædam exempla supra attulimus. Vide Is. 20, 2; Ez. 3, 4, 12, 24; Jer. 13, 18, 19, 27, 28, 43; Osee 1, 2; Zach. 1, 13. Innumera alia exempla sunt in ipsâ lege Moysis ejusmodi typorum cum hàc differentiâ, quòd essent perpetui. Omnes fermè ritus Mosaici non ad exercendam solùm pietatem inventi sunt, sed præterea aliam typicam habebant rationem; v. g., cæremoniæ servandæ in manducatione agni paschalis efficiebant quamdam picturam earum rerum, quæ Judæis ex Ægypto discedentibus contigerunt, ut ipse docet Moyses his verbis Exodi 13 : *Narrabisque filio tuo in die illo dicens : Hoc est quod fecit mihi Dominus, quando egressus sum de Ægypto : et erit quasi signum in manu tuâ et quasi monumentum ante oculos tuos, et ut lex Domini semper sit in ore tuo; in manu enim forti eduxit te Dominus ex Ægypto.* Hic etiam ritus, ut aliàs dicemus, repræsentabat mortem agni immaculati Christi, et salvationem à servitute diabolicâ per aspersionem sanguinis ejus.

Certum est igitur, nec vanam in se fuisse, nec inutilem istam per typos repræsentationem : certum etiam est istam methodum communem apud Judæos fuisse ad res repræsentandas, sive præteritas, sive futuras. Restat igitur ut efficiamus quasdam personas constitutas fuisse typos Messiæ, et eam esse consensionem inter utrumque Testamentum, ut manifestum sit Christum Dominum esse illum Messiam in V. T. adumbratum. Sed hanc comparationem alio in loco instituemus : sufficit hìc ad elevandam objectionem, ostendisse typicam rerum repræsentationem non esse ex naturâ suâ vanam, aut inutilem, aut incognitam Judæis scriptoribus : proindeque de auctoritate typicæ interpretationis, quâ utuntur Christiani, ex nullâ aliâ re judicandum esse, quàm ex analogiâ utriusque Testamenti.

V. Denique Prophetæ ad significandas res evangelicas usurpârunt prophetias duplicem habentes sensum. Hæ prophetiæ ex typorum institutione spontè natæ sunt : nam statim atque David, Salomon, Zorobabel, Jesus filius Josedech, etc. instituti sunt typi Messiæ, promptum erat in prophetiis de ipsis factis, vel etiam in sermonibus ad eos habitis ulteriùs prospicere, et eâ uti magniloquentiâ, quæ soli antitypo perfectè conveniebat. Harum prophetiarum natura meliùs intelligetur ex comparatione cum typis legalibus, quibus perfectè respondent. Sicut enim isti typi duplicem habent significationem, utramque ex intentione Dei : v. g., sicut mactatio agni paschalis et cæremoniæ servatæ in illius manducatione simul et eodem tempore significabant liberationem præteritam à servitute Ægyptiacâ et illâ plagâ inflictâ Ægyptiis per angelum exterminatorem, atque etiam liberationem futuram à servitute diabolicâ per sanguinem agni immaculati, sic in V. T. haud paucæ sunt prophetiæ, quæ primam habuerunt in veteri dispensatione adimpletionem, habituræ perfectiorem in novâ œconomiâ. Atque sicut typi legis, qui erant ritus religiosi, differunt ab actionibus ad simplicem repræsentationem compositis, quales erant actiones Prophetarum res futuras significantes, in istâ parte, quòd alium etiam moralem sensum haberent, quem actiones simplices, non religiosæ, haud habebant : sic prophetiæ duplicem habentes sensum in hoc solummodò differunt ab allegoriis et parabolis quibuscumque, quòd in his sensus obvius et exterior, quem verba propriè accepta gignunt, planè contemnatur, et sensus interior omnem sibi conciliet attentionem; prophetiæ verò duplicem habentes sensum sint allegoriæ, sed in quibus exterior sensus non est contemnendus, verumque habet objectum. Hæ ergo prophetiæ, cùm ejusdem planè sint generis ac typi legales, intelligitur eamdem esse earum vim ad conficiendum ac typorum, et eam esse petendam ex analogiâ inter verba et eventum. Ubi autem hæc analogia conspicua est in multiplici re, et in circumstantiis planè singularibus, in casum omninò refundi non potest, quod hisce exemplis demonstrari potest. — Sit scriptura arcana et occulta, quæ vulgò Cyfra appellatur; illius sensus est duplex, alter obvius et apertus, alter verò latens et reconditus. Secundum illum sensum arcanum, ubi ex clavi intelligitur,

scimus statim fuisse sensum scriptoris præcipuum, alterum verò sensum obvium fuisse solummodò velum et involucrum quoddam externum ad eumdem sensum interiorem oblegendum et celandum. Sic si ulla veritas subsit Religioni revelatæ, ullamve vim habeant argumenta quæ hactenùs pro ejus veritate protulimus, est V. T. Cyfra quædam, cujus exterior sensus est civitatis judaicæ historia, interior Christi et Ecclesiæ : aut, ut verbis S. Aug. utar ,est V. T. « occultatio novi, et no« vum revelatio veteris. » — Sic etiam tabulæ quædam sunt singulari artificio ita concinnatæ, ut dùm juxta illas progrederis varias rerum et sæpè multùm diversarum imagines exhibeant ; ubi verò perveneris ad punctum, uti dicitur, visûs, tum altera quædam species et imago longè diversa conspicitur enascens ex omnibus aliis objectis : quæ eò magis præcipua judicatur, quò ad illam efformandam ars major in pictore requirebatur. Est V. T. ejusmodi tabula, scil. initio sumpto à Genesi dùm per varias ejus partes lectio decurrit, variæ exhibentur rerum imagines, diversi objiciunt sese eventus : at ubi ad Christum ejusque dispensationem perveneris, nova sese aperit et augustior rerum species, in quam omnes ferè per tot secula eventus conveniunt. Quæ convenientia, cùm in multiplici et infinitâ re appareat, et valdè expressa sit, dubitari non potest eam à Dei consilio et providentiâ, non à casu et fortunâ enatam. Præterea hæc eadem eventuum V. T. prophetica ratio cognoscitur ex Judæorum traditione, ut sæpè diximus et probavimus, et infra ad idem conficiendum (1) plura adjiciemus. Hæc quæ ad defensionem interpretationis christianæ adeò damnatæ à Deistis dicta sunt, breviora et obscuriora videri possunt ; sed festinare ad alia cogit amplitudo argumenti : aliunde hæc clariora evadent ex typorum veteris legis explicatione infra instituendâ (1).

(1) Antequàm hoc argumentum missum faciamus, lectoris considerationi in exempla orationis duplicem habentis sensum proponemus, tum prophetiam Christi Domini de urbis et templi Hierosolymitani ruinâ Matth. 23, Marc. 12, Luc. 21, et visionem S. Petri Act. 10 ; et ex profanis scriptoribus oden Horatii 14, l. 1, *O navis*, etc., quam Tanaquillus Faber sensu litterali exponendam putavit, alii fermè omnes post Quintilianum allegoricè explicârunt ; et verisimiliter sensum duplicem habet. Ut et illa Virgilii Æn. l. 8, in fine :

Talia per clypeum Vulcani dona parentis
Miratur ; rerumque ignarus imagine gaudet ,
Attollens humero famamque et fata nepotum.

Quem ultimum versum, sic notavit Servius : « Hunc versum notant critici, quasi superfluè et inutiliter additum, nec convenientem gravitati ejus, namque est magis neotericus. » Sed hi critici parùm conscii fuisse videntur secundarii et præcipui sensûs : quòd illud scutum esset quoddam ancile, cujus præsidio ab Æneâ fundarentur fata nepotum, non esset tantùm pictura fatorum eorumdem.

(1) Vide de toto hoc argumento librum, qui inscribitur : Divina Moysis Legatio, auctore clar. Warburton, apud Anglos Glocestriæ episcopo l. 6, sect. 6, qui in eo doctè et ingeniosè, uti solet, versatur.

Objicies 4° cum Judæis : Christiana veterum prophetarum expositio non modò aliena est à communi Ecclesiæ judaicæ fide, sed omninò pervertit Scripturas, idque multiplici in re.

1° Christiani contendunt oportuisse pati Christum, et ita intrare in gloriam suam, cùm reverà de opprobriis , passione atque morte Messiæ ne cogitaverint quidem unquàm Prophetæ , sed eum futurum pronuntiaverint regem semper felicem atque gloriosum. Neque ad hoc efficiendum laudare necesse est Prophetarum testimonia , cùm id satis pateat ex communi et constantissimâ totius olim Judaicæ gentis opinione , quam constat adeò inhæsisse eorum animis, ut Christus, dùm viveret, etiam discipulos suos ad aliam fidem inclinare non potuerit. Legimus in ipso Evangelio Apostolos post magistri mortem adeò mente confusos fuisse et perturbatos, ut omnem spem deposuerint , dixerintque ad invicem : *Nos quidem sperabamus, quia redempturus erat Israel.* Illa ergo supra laudata de morte Messiæ vaticinia intelligenda sunt, uti reverà intellexêre Judæi olim, vel de Josiâ rege apud Mageddo ab hostibus interfecto, vel de Jeremiâ prophetâ, qui multa à Judæis passus est , vel de populo Judaico hâc tam diuturnâ captivitate oppresso, vel denique de alio Messiâ filio Joseph , diverso à Messiâ filio David et rege Judæorum.

2° Iidem Prophetæ clarissimè docent Messiam futurum regem proprium Judæorum ; nam Jerusalem futuram sedem regni declarant : *Erit*, inquit Michæas c. 4 , *in novissimo dierum mons Domini præparatus in vertice montium et sublimis super colles, et fluent ad eum populi et properabunt gentes multæ , et dicent : Venite , ascendamus ad montem Domini et ad domum Dei Jacob, et docebit nos de viis suis , et ibimus in semitis ejus : quia de Sion egredietur lex, et verbum Domini de Jerusalem.* Declarant etiam congregandos esse ex omnibus gentibus in adventu

Messiæ Judæos: *Erit in die illâ*, inquit Isaias c. 11, *adjiciet Dominus secundò manum suam ad possidendum residuum populi sui, quod relinquetur ab Assyriis et ab Ægypto et à Phetos et ab Æthiopiâ et ab Ælam et à Sennaar et ab Emath et ab insulis maris : et levabit signum in nationes, et congregabit profugos Israel, et dispersos Juda colliget à quatuor plagis terræ.* Declarat etiam sequentibus verbis propheta Judæos devicturos esse alios populos: *Et volabunt in humeros Philistiim per mare; simul prædabuntur filios Orientis; Idumæa et Moab præceptum manus eorum et filii Ammon obedientes erunt: et desolabit Dominus linguam maris Ægypti, et levabit manum suam super flumen in fortitudine spiritûs sui.* Jam verò in adventu Christi hæc nequaquàm contigêre, sed planè opposita; destructa est urbs Jerosolymitana ad quam ascendere debebant omnes gentes; dispersi sunt Judæi, qui erant congregandi à Messiâ; oppressi sunt à nationibus, quas vincere debebant.

3° Iidem vates perspicuè prænuntiant fore regnum Messiæ regnum terrestre, et pacem illam atque felicitatem, quam allaturus esset, esse temporalem et positam in rerum omnium copiâ. Inter infinita alia clarum est hoc vaticinium Isaiæ c. 60: *Surge, illuminare, Jerusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est... tunc videbis et afflues, et mirabitur et dilatabitur cor tuum: quando conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi; inundatio camelorum operiet te, dromedarii Madian et Epha; omnes de Sabâ venient, aurum et thus deferentes.... Et aperientur portæ tuæ jugiter, die ac nocte non claudentur, ut afferatur ad te fortitudo gentium et reges earum adducantur : gens enim et regnum, quod non servierit tibi, peribit.* Quàm sunt hæc in litterali et obvio sensu remota à doctrinâ christianâ!

4° Denique Christiani sibi finxêre Messiam æternum regem esse oportere, cùm reverà Prophetæ prædixerint solummodò regnum, ab ipso constituendum, sempiternum futurum, seu Messiam semper habiturum posteros, qui sedeant in throno ejus.—Respondeo doctrinam christianam de Messiâ, ejusque imperio, nedùm in ullâ parte contraria et opposita sit vaticiniis Prophetarum, litteralem reverà esse et obviam earumdem interpretationem: hocque efficiemus ista quatuor separatim demonstrando : 1° Oportuisse juxta litteralem et obvium sensum Prophetarum pati Christum, et ita intrare in gloriam suam; 2° regnum Messiæ non temporale aut terrenum et posteris suis relinquendum, sed æternum et cœleste esse debuisse juxta litteralem Prophetarum sensum; 3° regnum Messiæ non ad Judæos solùm, sed ad omnes gentes pertinere debuisse, ita ut Judæorum nullæ futuræ essent præ cæteris populis prærogativæ; 4° denique pacem et felicitatem, quam afferre debebat Messias, positam non fuisse in copiâ bonorum temporalium, sed in justitiâ et judicio.

Dolores Messiæ, prævii ejus exaltationi.

Dico igitur oportuisse juxta litteralem Prophetarum sensum pati Messiam, atque ita intrare in gloriam suam. Duo sunt V. T. loca in quibus hi Messiæ dolores clarissimè et fusè describuntur, nempe capite 53 Isaiæ et Psalmo 21. Ut brevitati consulamus, prius solummodò evolvemus, illiusque applicationem ab Apostolis factam defendemus, idque duplici argumento: 1° Ostendendo vanitatem manifestam doctorum Judæorum verba Prophetæ ad alios, quàm Messiam, transferentium; 2° directè demonstrando illa verba de nullo alio quàm de Messiâ intelligi posse, et in Christo esse adimpleta.

I. Vanissimæ sunt Judæorum interpretationes.

Prima et maximè communis sententia verba Isaiæ accommodat populo Judaico in præsenti luctuosâ conditione constituto, quasi Judæorum infortunia et calamitates cecinisset Isaias sub nomine et similitudine viri justi scientis infirmitatem. Hanc opinionem tenebant Judæi veteres, teste Origene contra Celsum, et solebant dividere caput 53 à 52, eamdemque sententiam recentiores etiam Judæi, ut plurimùm, propugnârunt. Sed reverà si diligentiùs capitis 53 partes expendamus, inveniemus ex duodecim, quibus constat, versiculis, ne unum quidem consistere cum prædictâ explicatione. In margine ponemus Chaldaicam Jonathanis paraphrasim, quia ejus interpretatio recentiores Judæos arguet summæ temeritatis, et horum vicissim explicationes paraphrastam confutabunt.

Versiculus primus est: *Quis credidit auditui nostro?* (*Syr.* narrationi nostræ) *et brachium Domini cui revelatum est* (1)? Continet in istâ Judæorum expositione querimoniam genti-

(1) Quis credidit huic nuntio nostro? Et fortitudo brachii potentiæ Domini cui revelata est?

lium, qui etiam sequentibus versibus dicunt : *Vidimus eum, non reputavimus eum : nos putavimus eum quasi leprosum et percussum à Deo.* Sed profectò ista verba priora gentilium esse nequeunt, quia nunquàm justitiæ et veræ Religionis prædicatores extiterunt, nec annuntiaverunt veri Dei brachium, seu potentiam. Præterea ridiculum est existimare prophetam assumere in toto capite personam gentilium. Pergit propheta v. 2 et 3 : *Et ascendet sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terrâ sitienti* (hebr. siccitatis). *Non est species ei neque decor ; et vidimus eum, et non erat aspectus ejus, et desideravimus eum, despectum et novissimum virorum; virum dolorum et scientem infirmitatem; et quasi absconditus vultus ejus et despectus, unde nec reputavimus eum* (1). Quomodò populus infinitus ubique terrarum dispersus dici potest virgultum? Aut quomodò virgultum hoc, si significat Judæos, accipit succum quo nutriatur ex terrâ sitienti, id est, à gentilibus? An in præsenti Judaicæ gentis dispersione gentiles sunt spectatores ortûs Judaicæ nationis?

Pergit propheta v. 4, 5 : *Verè languores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portavit, et nos putavimus eum quasi leprosum et percussum à Deo et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra : disciplina pacis nostræ* (*hebr.* castigatio pacificationum nostrarum) *super eum, et livore ejus sanati sumus. Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit ; et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrûm* (2). Hæc etiam nullâ arte de Judæis exponi possunt. Quomodò enim dici potest Judæos portare dolores et peccata gentilium? aut livorem et afflictiones Israel afferre pacem atque salutem gentilibus persecutoribus? Propheta non significat, uti contendunt doctores Judæi, innocentes puniri, dùm illi, qui merentur pœnam, evadunt ; sed proprio sensu transferri in illum hominem dolorum et scientem infirmitatem pœnam peccatis aliorum debitam declarat : quâ ratione agere cum Judæis Deus non potuisset, utpote qui fœdere Mosaico sese devinxerat ad eosdem tuendos et cumulandos bonis temporalibus, quamdiù futuri essent innocentes.

Propheta pergit v. 7 : *Oblatus est quia ipse voluit, et non aperuit os suum ; sicut ovis ad occisionem ducetur et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum* (1). Quâ fronte hæc de Judæis exponi possunt? Num dici potest perditissimos homines, qui olim tempore Vespasiani Romanorum odia et totius orbis invidiam suâ crudelitate provocaverunt, et inaudito furore in apertam perniciem ruerunt, se ipsos etiam intra septa templi jugulârunt, fuisse victimam innocentem et agnum mansuetum coram tondente se obmutescentem? Desideramus etiam in eorum posteris illam patientiam et mansuetudinem à prophetâ decantatam, nisi eam agnoscere nos jubeant Judæi in dirissimis conviciis et votis, quibus in omni ætate execrati sunt nomen christianum. Sequuntur hæc verba v. 8 : *De angustiâ et judicio sublatus est : generationem ejus quis enarrabit? Quia sublatus est de terrâ viventium : propter scelus populi percussi eum* (2). Hæc ultima verba ad populum Judaicum relata, nullum sensum pariunt. Quomodò dici potest populum percussum esse propter scelus populi? Manifestissimè in hoc loco dividitur populus ab eo qui percutitur propter populum. Præterea quomodò abscissùs est de terrâ viventium populus Judaicus, cùm adhuc maneat, et in terram suam, juxta Judæos, reducendus sit? Sequuntur hæc v. 9 : *Et dabit impios pro*

(1) Et magnificabitur justus coram eo, sicut surculi qui florent, et sicut arbor quæ mittit radices suas juxta torrentes aquarum. sic multiplicabitur gens sancta, in terrâ quæ indigebat eo. Non erat aspectus ejus sicut aspectus communis, nec timor ejus sicut timor idiotæ, sed erit decor ejus decor sanctitatis, ut omnis qui viderit eum contempletur eum. Erit quidem contemptus, verùm auferet gloriam omnium regum : erunt infirmi et dolentes, quasi vir doloribus et infirmitatibus expositus. Et cum subtrahebat vultum majestatis à nobis, eramus despecti et in nihilum reputati.

(2) Propterea ipse deprecabitur pro peccatis nostris, et delicta nostra propter eum dimittentur, et nos reputati sumus vulnerati, percussi à facie Domini et afflicti. Et ipse ædificabit domum sanctuarii, quod violatum est propter peccata nostra, et traditum est propter iniquitates nostras. Et in doctrinâ ejus multiplicabitur pax super nos : et cùm obedierimus verbis ejus, dimittentur nobis peccata nostra. Omnes quasi oves dispersi sumus, universi versus viam suam migravimus : et à facie Domini voluntas fuit, ut dimitteret peccata nostra propter eum.

(1) Deprecatus est, ipse exauditus est, et antequàm aperiret os suum acceptus est, robustos populorum quasi agnum ad victimam tradet, et sicut ovem quæ tacet coram tondente se, et non erit qui aperiat os suum in conspectu ejus et loquetur verbum.

(2) Ex infirmitatibus et ultione congregabit captivitatem nostram : et mirabilia quæ fiunt nobis in diebus ejus quis poterit enarrare? Quia auferet dominium populorum de terrâ Israel : peccata quæ peccaverunt populus meus usque ad eos pervenient.

sepulturâ, et divitem pro morte suâ: (*hebr.* et dedit cum impiis sepulturam ejus et cum divite in mortibus ejus), *eò quòd iniquitatem non fecerit, nec dolus fuerit in ore ejus* (1). Hæc etiam posteriora verba nullo modo Judæis convenire possunt. Constat enim ex testimonio Josephi, et omnium aliorum, Judæos tempore Vespasiani impietate et perfidiâ superâsse omnes populos, quorum superest aliqua memoria: experimur etiam eorum posteros ad fraudem esse propensissimos, ita ut commune sit apud eorum doctores effugium: Messiæ adventum dilatum esse propter peccata populi. De illo igitur dicere non potuit propheta, quòd *iniquitatem non fecisset, neque dolus fuisset in ore ejus.*

Pergit propheta v. 10 et 11: *Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate: si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, et voluntas Domini in manu ejus dirigetur. Pro eo quòd laboravit anima ejus, videbit et saturabitur: in scientiâ suâ justificabit ipse justus meus multos, et iniquitates eorum ipse portabit* (2). Num, quæso, Judæi voluntariè pro peccato ponunt animas suas, cùm valdè inviti ferant præsentem calamitatem? Nequeunt certè alios justificare per suî cognitionem: absurdum dictu est populum Judaicum post mortem suam visurum semen longævum; nam etsi privati moriuntur, populus non moritur. Hæc ergo non conveniunt Judæis. Denique non minùs aliena sunt à Judæorum opinione hæc ultima verba: *Ideò dispertiam ei plurimos, et fortium dividet spolia, pro eo quòd tradidit in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est; et ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit* (3). Cùm enim longissimè absit à mente Judæorum rogare pro nobis, vel portare peccata nostra, et animas suas ponere pro nostris transgressionibus; è contrario quotidiè apostatis et hæreticis, sic vocant Christianos, exitium precentur; manifestum est hæc ad eos nequaquàm pertinere. Ex totius hujus capitis lectione nemo non intelligit hìc non agi de multis hominibus, sed de uno aliquo qui dicitur justus servus Dei; et idcircò Abravanel celebris inter Judæos doctor sententiam modò confutatam deserendam duxit, et Josiam regem hìc intelligi docet, quæ opinio ad examen revocanda est breviter.

2° Dico non minùs vanam esse istam alteram hujus loci expositionem, juxta quam verba Isaiæ accommodantur Josiæ regi sagittâ confixo in prælio contra regem Ægypti apud Mageddo. Nam ex iis quæ diximus, manifestum est virum hunc dolorum longissimè abfuisse ab omni errore et scelere; propter peccata populi, non sua, percussum et humiliatum fuisse; liberè et sponte suâ dolores suscepisse et pertulisse gravissimos; nihil conquestum esse; passione suâ expiâsse populi peccata; scientiâ suâ justificâsse multos; et denique vidisse post mortem suam semen longævum et voluntatem Domini directam in manu ejus, mortisque suæ fructibus saturatum fuisse. Jam verò horum omnium nulla pars Josiæ accommodari potest: fuit quidem princeps pietate insignis, et multa pro religione præclarè gessit; sed tamen illud ultimum bellum, in quo occubuit, inconsultò susceperat, quia non solùm nullam acceperat à rege Ægypti injuriam, verùm etiam divina sprevisse monita intelligitur ex sacris litteris, et idcircò mortem invenit, pœnam temeritatis: non igitur longissimè abfuit ab omni errore. Deinde nequaquàm fuit voluntaria et libera mors Josiæ: nam ab illis ipsis, quos profligare studebat, interemptus est, eumque è prælio ad curandum vulnus excessisse Paralipomena tradunt. Non fuit percussus propter peccata populi, neque ejus dolores vim habuêre expiatricem, neque scientiâ suâ multos justificavit, neque vidit post mortem semen longævum, neque divisit spolia fortium, neque fructibus mortis suæ saturatus est: nam illius mors divinam à gente Judaicâ iracundiam non avertit, è contrario post ejus interitum latè populati sunt universum regnum Chaldæi, et nonnullis postea annis omninò everterunt.

3° Non minùs vana est illa tertia expositio

(1) Et tradet impios in gehennam, et divites substantiis, qui vim attulerunt morte exitiosâ, ut non permaneant facientes peccatum, neque loquantur dolum in ore suo.

(2) A facie Domini voluntas fuit, ut conflaret et mundaret residuum populi sui, ut purificaret à peccatis animas eorum: videbunt regnum Christi sui, multiplicabunt filios et filias, prolongabuntur dies eorum; et facientes legem Domini, in voluntate ejus dirigentur. A subjectione populorum liberabit animas eorum: videbunt ultionem de inimicis suis, saturabuntur prædâ regum eorum. In sapientiâ suâ justificabit justos, ut subjiciat multos legi: et pro peccatis eorum ipse deprecabitur.

(3) Ideò dividam ei prædam populorum multorum, et divitias civitatum fortium: dividet spolia, eò quòd tradidit morti animam suam, et transgressores subjecit legi, et ipse pro peccatis multorum deprecabitur, transgressoribus dimittetur propter eum.

Grotii, qui ducem secutus inter Hebræos Saadiam Gaonem totam istam vaticinationem Jeremiam et ipsius adversos casus, contumelias, ignominias, carcerem, et demùm gloriam propriè et præcipuè præmonstrare contendit. Nam quæ causa fuit, cur Deus istius prophetæ qui aliis pluribus inferior erat, nativitatem, vitam et mortem, humilitatem et gloriam, sepulturam et resurrectionem tam accuratè describeret? Quâ in re adeò differebat Jeremiæ generatio vel duratio à generatione seu duratione alterius cujuscumque, ut exclamaret Isaias: *Generationem ejus* (seu durationem ejus) *quis enarrabit?* Quo sensu verba hæc de Jeremiâ queant intelligi: *Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, propter scelus populi percussi eum, et livore ejus sanati sumus.* Num propheta Jeremias malè à Judæis mulctatus, suis doloribus pacem et justitiam Judæis peperit? Numquid non è contrario Judæorum in prophetam crudelitas divinam auxit iracundiam, et multa mala Judæis attulit? Quî etiam dici potest Jeremiam in scientiâ suâ justificâsse multos, id est, per sui ipsius cognitionem, cùm nonnisi in nomine Dei vel Messiæ alios valeret sanctificare? Quis audeat dicere Jeremiam oblatum esse quia ipse voluit, et non aperuisse os suum? Tumne, ut habet Huetius, cùm in nervum missus à Phassure, indeque adductus maximas illi calamitates vaticinaretur, dein suas ipse conquereretur miserias, et natalem suum execraretur? Tumne, cùm à sacerdotibus et Prophetis comprehensus ac supplicio proximus mortem deprecabatur? Tumne cùm Sedeciam supplici hâc oratione obtestabatur: *Nunc ergo audi, obsecro, domine mi rex, valeat deprecatio mea in conspectu tuo, et ne me remittas in domum Jonathan scribæ, ne moriar ibi?* Aut cùm iterùm à Sedeciâ accersitus et de futuris interrogatus, respondit: *Si annuntiavero tibi, numquid non interficies me?* Denique ubi invenerunt Judæi aut eorum defensor Grotius, Jeremiam ad occisionem ductum fuisse, et pro transgressoribus rogâsse, aut post se vidisse semen longævum? Hæc contigisse vult prædictus interpres, cùm in lacum cœnosum demissus est, et cùm se ipse mortis periculo pro tuendâ veritate objecit. Sed quis ferat hanc interpretationem contra expressissima verba prophetæ, qui dicit abscissum esse de terrâ viventium justum illum, de quo loquitur; posuisse animam suam, illamque tradidisse in mortem; vulneratum, seu trucidatum propter iniquitates populi? Candidiùs ergo et veriùs de prædictionis hujus sensu disseruit Grotius in libro de Veritate Religionis christianæ, ubi confutatis iis qui Judaicam gentem hìc denotari volunt, totam prophetiam Christo asseruit.

4° Denique doctores quidam Judæi permoti vanitate manifestâ præcedentium expositionum, et auctoritate etiam veterum Judæorum qui retulerunt illud vaticinium ad Messiam, aliam viam ad hæc Isaiæ verba explicanda inierunt: nempe commenti sunt duos Messias, unum filium David, qui semper felix futurus est, de quo Isaias cap. 52 vaticinatur; et alterum Messiam, filium Joseph, quem liberare Judæos tentantem multa manent infortunia, de quo propheta loquitur c. 53. Sed quid hoc aliud est quàm se victos confiteri, et cruci Christi, à quâ adeò abhorrent, illustre præbere testimonium? Omni certè caret fundamento illa duplicis Messiæ distinctio: nullum ex lege vel ex Prophetis proferre possunt locum, quo illa adstruatur; nihil reperitur in antiquioribus eorum libris, quod ei afferat ullam auctoritatem; atque etiam in recentioribus illis scriptis quæ hujus opinionis meminerunt, tanta est confusio et obscuritas, ut Maimonides Judæorum planè doctissimus hanc opinionem inter judaicas traditiones de Messiâ, quas cum summâ curâ collegit, numerare dedignatus sit: ii ipsi doctores, qui illam amplexi sunt, nec illius alterius Messiæ Ben-Joseph officia, nec ejus adventûs finem seu scopum nos docere potuerunt. Videtur ergo ob nullam aliam causam inventa hæc opinio, nisi ad solvendum invictum illud argumentum, quod nobis Christianis subministrat caput 53 Isaiæ. Præterea, etiamsi daremus Judæis non esse vanam illam suam opinionem de duplici Messiâ, nihil proficient: nam nullam lucem afferret illa opinio aut huic vaticinio, aut sententiæ veterum Judæorum; tum quia ex unâ parte, ut modò dicemus, certum est Judæos veteres etiam eas partes hujus vaticinii, quibus significatur Messiam fore doloribus obnoxium, accommodâsse Messiæ Ben-David; tum etiam quia manifestum est ex contextu orationis prophetam loqui de uno eodemque viro justo, qui pati extrema et ipsam mortem debebat; et tamen post mortem videre semen longævum, saturari fructibus suæ passionis, videre omnem voluntatem Dei adimpletam, et dividere spolia fortium. Manifestum est itaque vanissimas esse Judæorum expositiones, quod primùm demonstrandum nobis fuerat.

II. Dico totum illud caput quinquagesimum tertium pertinere ad Messiam, spem gentis Judaicæ, et Davidis filium, atque in Christo adimpletum accuratissimè.

Quòd illud caput quinquagesimum tertium pertineat ad Messiam filium David duplici hoc constat argumento : inprimis quia certum est illud necessariam habere connexionem cum capite 52 : series enim et connexio utriusque capitis ita colligata est ut unius ejusdemque argumenti contextus, continuæ et nusquàm interruptæ orationis complexio appareat, ut cuivis legenti patet ; et parùm cautè sanè factum est, ut observat Huetius, quòd hæc apta sponte suâ et connexa in duas partes dissociata sint, neglectâ argumenti serie ac auctoritate veterum, sancti Justini, Origenis et sancti Augustini, qui hæc simul conjunxerunt, et uno tenore repræsentârunt unicam etiam prophetiam videlicet trigesimam constituunt apud Hebræos. Jam verò istud caput quinquagesimum secundum, ex concessione omnium Judæorum, de Messiâ, filio David, intelligendum est præcipuè à versu septimo ; in quo propheta magnum aliquid et inexpectatum portendit his verbis : *Quàm pulchri super montes pedes annuntiantis et prædicantis pacem, annuntiantis bonum, prædicantis salutem, dicentis Sion : Regnabit rex tuus!* Subnectitur deinde quasi ex Dei personâ v. 13 : *Ecce intelliget servus meus, exaltabitur, et elevabitur, et sublimis erit valdè;* hæc duo loca unanimi consensu Judæi exposuêre de Messiâ : cum quibus sequentia ista habent necessariam connexionem et continent totum argumentum capitis quinquagesimi tertii : *Sicut obstupuerunt super te multi, sic inglorius erit inter viros aspectus ejus et forma ejus inter filios hominum. Iste asperget* (vel docebit, vel stupore percellet) *gentes multas, super ipsum continebunt reges os suum, quia quibus non est narratum de eo, viderunt, et qui non audierant, contemplati sunt.* Deinde sequitur caput quinquagesimum tertium quod inchoatur his verbis : *Quis credidit auditui nostro? Aut brachium Domini cui revelatum est?* quæ manifestè cohærent cum præcedentibus.

Secundò caput quinquagesimum tertium consideratum etiam separatum à quinquagesimo secundo, necessariò Messiæ accommodandum est. Quia ille justus sciens infirmitatem fert omnia nomina et characteres Messiæ, dicitur surculus, radix, et servus Dei per antonomasiam, quibus nominibus sæpè designatur Messias; quia dicit propheta ejus generationem non posse oratione comprehendi, quia fortium dividere spolia debebat. Præterea Judæi veteres etiam hoc caput Messiæ accommodârunt, ut patet, tum ex eo quòd Apostoli cum summâ securitate hoc loco usi sint sine ullâ defensione adversùs Judæos ; tum ex eo quòd non solùm Jonathan paraphrastes Chaldaicus, sed alii quamplurimi, qui majorum suorum auctoritatem sequi se tradunt, sic hunc locum intellexerint. Rabbi Machir lib. 2 Pulveris aromatici, clarissimo suffragio universa Messiæ adscripsit, neque alienus est ab interpretatione christianâ : docet enim Deum in procreatione rerum Messiæ animam rogâsse, an post certa annorum curricula homines redimere vellet, eorumque sustinere morbos, ut deinde ab Isaiâ prædictum, atque hæc se libenter obiturum respondisse. Hoc eodem Isaiæ loco adducti sunt Judæi quidam in illam vanissimam et ridiculam opinionem, nempe Messiam eo ipso die, quo destructum est templum, natum esse, et leprâ affectum inter ægros in portâ Romæ sedere. (Vide Huetium propositione 7. Raym. Martin. Pug. fidei.)

Denique ex nullâ re magis constat Isaiam illa omnia cecinisse, non de populo judaico, vel Josiâ rege, vel de Jeremiâ prophetâ, sed de Messiâ nostro Christo Jesu, quàm ex eventûs et prædictionis accuratissimâ consensione, quæ profectò talis est ut fuerit in hâc parte Isaias Evangelista potiùs quàm propheta. Primò in duobus primis versiculis conjunctis liquet sermonem habere Isaiam de viro, cujus humilitas et ignobilitas effectura erat, ut nullam fidem obtineret, et ut brachium Dei seu divinum consilium, quùm revelandum erat, non agnosceretur. *Quis credidit auditui nostro? Et brachium Domini cui revelatum est? Et* (nam) *ascendet sicut virgultum coram eo, sicut radix de terrâ sitienti.* Quod vidimus in Christo Jesu perfectissimè adimpletum : ortus quidem est Christus illustri stirpe, sed quæ depressa erat et quodammodò arida, et idcircò aptissimè dictus est virgultum de terrâ sitienti ascendens. Certum etiam est Christi Domini humilem et abjectam conditionem, atque mala quibus conflictabatur, fuisse causam præcipuam, quæ ab eo hominum animos alienabat, conciliare non potuerunt ejus divinam originem cum tantâ humilitate ; facta est ejus crux Judæis scandalum, gentibus stultitia : nihilominùs tamen Christi Jesu passionem fides prædicatio, revelatio brachii Domini comitatæ sunt, quod nulli alii contigit. Secundò, virum

prænuntiat propheta, qui languores nostros ferre et dolores nostros portare debebat, cui nulla species, nullus decor, nullus aspectus futurus erat ; qui etiam onerari debuit opprobriis atque contumeliis. Christus Dominus inter omnes mortales unus est, qui inter opprobria et contumelias declaravit se venisse ad portandos dolores nostros, et ponendam pro salute multorum animam suam. Tertiò, propheta canit virum, qui inter transgressores reputandus erat, et quasi percussus à Deo et humiliatus ; qui tamen reverà propter iniquitates nostras vulnerari, et propter delicta nostra atteri debebat, et nos suo livore sanare. Hæc soli Christo conveniunt. Quartò, loquitur propheta de viro afflicto propter peccata populi, non sua ; qui propter singularem patientiam et mansuetudinem, ovis et agnus nuncupari meruit : frustra quæres in ullo alio istum characterem. Quintò, propheta dicit illum justum in morte suâ cum malefactoribus et sceleratis esse debuisse, et inter divites tamen reperiri : Christus Dominus inter latrones duos mortuus est, et sepultus est à Joseph ab Arimathiâ, homine divite ; vel si istæ voces *sepultura* et *mors* ibi synonymæ sint, sensus hic esse poterit, nempe justum illum pretio mortis suæ sibi acquisiturum eos qui longiùs distant à salute, impios et divites. Sextò, canit propheta virum qui iniquitatem non fecit, et in cujus ore dolus non est inventus, qui propter peccata populi à Deo percussus est. Non solùm nullus unquàm præter Christum hunc tulit characterem, sed profectò nemo etiam unquàm fuit tam vanus, ut illum assumeret. Septimò, ille justus videre debet post mortem semen longævum, eò quòd liberè posuerit animam suam. Jesus Christus solus per mortem suam peperit filios, quos sanctificatos et justificatos consociat familiæ Dei, vel solus per mortem suam infinitos sibi adjunxit discipulos, quos nomine filiorum Dei donavit. Octavò, solus Christus morte suâ divinam gloriam auxit, solus vidit voluntatem Dei directam in manu ejus. Nonò, solus Christus per fidem in nomine ejus homines ab idololatriâ, et vitiis avocavit. Ad eum solum igitur pertinent ista verba : *In scientiâ suâ justificabit ipse justus servus meus multos, et iniquitates eorum portabit.* Decimò denique iste vir justus propterea quòd posuit animam suam, pro transgressoribus oravit, et portavit peccata eorum : hæc ei promittit Deus : *Ideò dispertiam ei plurimos, fortium dividet spolia.* Moyses quidem, postquàm pastor ovium apud Jethro fuerat, obtinuit principatum ; Joseph postquàm fratrum suorum invidiâ multa tolerâsset, gloriâ splenduit ; David etiam postquàm paverat greges patris sui, et multa dura expertus fuerat à Saüle, super solium Israel collocatus est ; sed profectò solus Christus ob meritum passionis suæ obtinuit principatum : fuerunt isti quidem typi et figuræ Christi humiliati, et ipsius postea exaltati, sed illum proprium Christi characterem non tulerant.

Regnum Messiæ æternum.

Ad secundam partem supra propositæ objectionis respondeo, juxta litteralem prophetiarum sensum oportuisse Messiam potiri regno æterno, et nihil tam abhorrere à totius Scripturæ sensu, quàm illam quorumdam recentiorum Judæorum opinionem de temporario regno Messiæ, posteris suis relinquendo.

1° Necessariò sequitur æternitas regni Messiæ sine ullâ hæreditariâ successione ex iis quæ modò disputata sunt de exaltatione Christi post mortem suam : si enim accipere solummodò imperium debebat, jam immortalis factus, et exaltatus ad dexteram Patris, nullo modo potuit esse temporarium ejus regnum, aut illud debuit posteris suis hæreditario jure relinquere.

2° Æternitas ejusdem regni clarissimè prædicitur in istis quæ supra retulimus, vaticiniis; in istis Davidis verbis : *Dixit Dominus,* etc. ; et istis Isaiæ : *Parvulus natus est nobis...... multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis. Super solium David, et super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud, et corroboret in judicio et justitiâ amodò et usque in sempiternum.* Eadem canit Daniel in omnibus vaticiniis de regno Messiæ.

3° Semper designatur Messias ut rex unicus sine successoribus. Vocatur princeps futuri seculi. Unicus indicatur rex in istis Michææ : *Et tu, Bethleem Ephrata, ex te mihi egredietur qui sit Dominator in Israel, et egressus ejus ab initio, à diebus æternitatis.* Unicus designatur in istis Zachariæ : *Ecce vir Oriens nomen ejus.* Et istis ejusdem prophetæ : *Ecce rex tuus venit tibi justus et salvator.* Et in istis Malachiæ : *Statim veniet ad templum suum dominator, quem vos quæritis, et angelus testamenti quem vos vultis.* Sanctus Paulus, qui ad pedes Gamalielis institutus fuerat, et qui certè linguam hebraicam novit, in suâ ad Hebræos Epistolâ negat istam vocem *semen* intelligi debere de pluribus in isto vetustissimo vaticinio seu promis-

sione factâ Abrahæ : *Benedicentur in semine tuo omnes gentes;* et aliis similibus. Denique habemus in hâc parte consentientes plerosque Judæos, qui communiter docent immortalem fore regem Messiam, et resurrecturos esse omnes Israelitas, ut participes sint regni ejus : nullo modo igitur in hâc parte recedimus à litterali Scripturæ sensu.

Regnum Messiæ universale.

Dico etiam juxta litteralem prophetiarum sensum nequaquàm esse debuisse Messiam regem proprium Judæorum, sed universalem. Quod clarissimè patet ex tot vaticiniis supra allatis, infinitisque aliis quæ describere supervacaneum est. Levia certè sunt illa quæ in objectione relata sunt ad confirmandam opinionem Judæorum. Ille locus Michææ in quo significatur sedem regni Messiæ fore Sion montem, et alia similia vaticinia, nullo modo possunt intelligi sensu litterali proprio, sed planè intelligenda sunt sensu litterali metaphorico de Jerusalem cœlesti et Sion illo, ubi thronus est Messiæ æternus, et quò congregabuntur omnes justi : atque hæc fuerunt adimpleta quando *per sanguinem Christi ministratus est nobis introitus in æternum regnum ; quando accessimus ad novi Testamenti mediatorem Jesum ad Jerusalem cœlestem, multorum millium angelorum frequentiam et Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis.*

Sensus certè litteralis proprius admitti non debet ob multiplicem hanc causam. 1° Quia nequaquàm consistit cum iis quæ de exaltatione Messiæ ad dexteram Dei patris post mortem suam ab iisdem Prophetis prædicta sunt. 2° Quia non consentit cum iis quæ ab iisdem prænuntiata sunt de æternitate absolutâ regni Messiæ et pacis seu salutis afferendæ. *Levate*, inquit Isaias cap. 51, *in cœlum oculos vestros, et videte sub terrâ deorsùm : quia cœli sicut fumus liquescent, et terra sicut vestimentum atteretur, et habitatores ejus sicut hæc interibunt : salus autem mea in sempiternum erit, et justitia mea non deficiet.* Ubi clarissimè declarat propheta Messiæ regnum stabile magis esse, quàm cœlum et terram. 3° Quia sensus litteralis proprius destruitur aliis vaticiniis planè oppositis : Sophonias etenim declarat cap. 2 omnes homines non esse accessuros ad Jerosolymam ad adorandum Deum : *Horribilis Dominus, et attenuabit deos terræ ; et adorabunt eum viri de loco suo, omnes insulæ gentium.* Contraria sunt etiam hæc Malachiæ : *Non est mihi voluntas in vobis, et munus non suscipiam de manu vestrâ*, etc. 4° Quia sensus litteralis proprius planè repugnantia continet : nam quomodò litterali sensu proprio compleri possunt ista Jeremiæ c. 3 : « In tempore illo vocabunt « Jerusalem solium Domini, et congregabuntur « ad eum omnes gentes in nomine Domini in « Jerusalem ; » aut illa Zachariæ c. 14 : « Omnes « qui reliqui fuerint de universis gentibus, « quæ venerunt contra Jerusalem, ascendent « ab anno in annum, ut adorent regem Domi- « num exercituum ; » aut illa Isaiæ c. 66 : « Et « erit mensis ex mense et sabbatum ex sabbato, « et veniet omnis caro ut adoret coram facie « meâ ad montem sanctum meum Jerusalem. » Nullo sanè modo fieri potest, ut omnes homines proficiscantur de anno in annum, et de sabbato in sabbatum ad offerenda super altare Dei in Jerusalem sacrificia. 5° Quia in istis vaticiniis in quibus significatur sedem regni Messiæ fore Sion montem, alia verba conjuncta sunt quæ ad metaphoricum sensum totam seriem orationis determinant : nam in isto loco Michææ laudato in objectione hæc verba reperiuntur : *Erit mons Domini præparatus in vertice montium, et sublimis super colles.* Quæ sanè nullo modo intelligere licet sensu litterali proprio, quasi altior futurus esset mons Sion omnibus montibus. Et laudatum modò Isaiæ textum hæc verba præcedunt : *Quia sicut cœli novi et terra nova, quæ ego facio coram me, sic stabit semen tuum.*

Infinita quoque alia sunt, quæ determinant verba prophetica ad sensum litteralem metaphoricum, quem illis Christiani tribuunt : ille mons Sion et urbs Jerusalem erit civitas et sedes regis immortalis et æterni, ac civium immortalium ; erit quasi cœlum novum et terra nova in æternum duratura ; erit civitas sanctorum : nam ad istum montem Sion ii solummodò accedere debent, qui longissimè absunt ab omni scelere, ut declaratur in istis verbis Isaiæ c. 65 : « Hæc dicit Dominus.... educam « de Jacob semen et de Judâ possidentem « montes meos, et hæreditabunt eam electi mei « et servi mei habitabunt ibi.... Et vos qui de- « reliquistis Dominum, qui obliti estis montem « sanctum meum, numerabo vos in gladio et « omnes in cæde corruetis, pro eo quòd vocavi « et non respondistis; locutus sum et non au- « distis.... Ecce servi mei comedent, et vos « esurietis ; ecce servi mei bibent, et vos sitie- « tis; ecce servi mei lætabuntur, et vos con- « fundemini ; ecce servi mei laudabunt præ

« exultatione cordis, et vos clamabitis præ do-« lore cordis, et præ contritione spiritùs ulu-« labitis; et dimittetis nomen vestrum in ju-« ramentum electis meis, et interficiet te « Dominus Deus, et servos suos vocabit nomine « alio..... Ecce ego creo cœlos novos et terram « novam: et non erunt in memoriâ priora et « non ascendent super cor, sed gaudebitis et « exultabitis in his quæ ego creo. » In regno isto Messiæ habere sortem debebant non tantùm illi, quos Messias inveniret vitam agentes; sed etiam primi parentes generis humani, quibus promissus est, omnesque qui in expectatione redemptionis humanæ vixerunt. Hoc confirmare ex Prophetis necesse non est, cùm habeamus doctissimos inter Judæos consentientes. Rabbi Manasse Ben Israel in suo de mortuorum resurrectione tractatu scribit communem esse magistrorum opinionem, omnes Israelitas, etiam antea mortuos, participes fore regni Messiæ, et ut eo potiantur omnes ex mortuis resuscitandos esse. Sed regnum in quod congregabuntur omnes Israelitæ, tam vivi quàm defuncti, jam immortales facti, nequit esse regnum terrenum vel hujus vitæ, cui mortalitas adjuncta est. Hoc argumento adeò commotus est Judæus Orobio, ut communem Judæorum opinionem rejiciendam esse decreverit. Certissimum est igitur illa omnia loca laudata in objectione sumenda esse sensu litterali metaphorico.

2° Ea etiam, quæ secundo loco allata sunt, de congregatione Israelitarum temporibus Messiæ litterali etiam sensu, sed metaphorico, sicut superiora, intelligenda sunt, de bonorum omnium congregatione in Jerusalem cœlestem: eorum quippe sensus pendet ex sensu istarum vocum, *Jerusalem, Sion, mons,* etc. Præterea sensus litteralis proprius contrarius est evidentissimis Prophetarum oraculis, quæ declarant maximam Judæorum partem Messiam rejecturam esse in primo suo adventu, ac dispergendam esse propter hanc causam (Præter vaticinia supra laudata Vide Isaiam c. 6, 8, 29): nonnisi minimam partem, quæ vocatur *reliquiæ Israel,* ipsum recepturam (Is. 10 et 24); de quâ minimâ parte vaticinantur, quòd omnibus abundatura sit virtutibus, quòd invictam ostensura sit animi constantiam; quòd gentiles ad cognitionem veri Dei esset adductura: quæ omnia contigisse videmus in adventu Christi Domini.

3° Ea quæ de victoriis Judæorum canunt Prophetæ propter easdem causas necessariò metaphorica sunt, nihilque aliud significant quàm spirituales successus Messiæ et Ecclesiæ triumphos.

Sed inquies: Prophetæ semper exhibent conversionem gentium, ut accessionem quamdam regno Israel. Fatemur quidem: et ratio in promptu est. Vera Religio diù apud Judæos obtinuerat, antequàm ejus luce perfunderentur gentiles; fuerat ecclesia judaica regnum Dei à vocatione Abrahæ; præterea gentiles adducendi erant ad veram Religionem per virtutem Messiæ filii David, peculiari ratione regis Judæorum, et ministerio Apostolorum Judæorum: idcircò pronum erat exhibere conversionem gentium, ut insertionem veteri trunco et coaptationem in ecclesiam judaicam. Propter hanc ipsam causam apud Prophetas Ecclesia Christi vocatur Israel, et servi veri Dei, ex quâcumque sint gente, vocantur Israelitæ, quia scilicet pertinebunt ad regnum sancti Israel: et consequenter etiam per hostes Israel, non significantur gentiles, sed hostes Messiæ seu regni Israel, id est, increduli, qui ejus doctrinam aspernantur, sive sint ex semine Abrahæ, sive ex gentibus. Non negamus tamen quin ultimis temporibus, cùm omnes gentes adductæ fuerint ad fidem et obedientiam Christi, tunc etiam Judæi converti debeant et quærere principem suum et salvatorem Jesum: ut consentiens vox V. et N. T. docere videtur. Inter alia multa clarissimum est in hanc rem vaticinium Osee: *Dies multos sedebunt filii Israel sine rege,* etc. Et hùc referri potest vaticinium Isaiæ laudatum in objectione: *Et erit in die illâ, adjiciet Dominus secundò manum suam ad possidendum reliquias populi sui,* etc. Quibus consentiunt hæc N. T.: *Jerusalem calcabitur à gentibus, donec impleantur tempora nationum,* Luc 21. Et ista B. Pauli ad Rom. c. 11: *Cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret.*

Felicitas regni Messiæ spiritalis et cœlestis.

Tandem manifestum est regnum Messiæ juxta litteralem et obvium sensum Prophetarum, non terrenum esse debuisse, sed cœleste; pacem illam atque felicitatem, quam esset Messias allaturus, non esse positam in abundantiâ et copiâ rerum temporalium, sed in judicio et justitiâ, ac perpetuâ in cœlis post mortem felicitate. Hæc pars doctrinæ christianæ sponte derivata fluit ex iis quæ jam confecta sunt. Etenim si Christus honorem et regnum accepturus erat, nonnisi post suam exaltationem

ad dexterum Patris sui, si ejus regnum æternum sit, si sit regnum universale in omnes Dei creaturas, necesse est, ut sit cœleste, et ut bona et commoda illius regni sint cœlestia. Sed quoniam gravissimam causam agimus, non pigebit quædam adjungere. Illud regnum profectò non est terrenum, cujus rex carere debebat divitiis atque opibus terrenis, carere etiam fastu et apparatu regum, regere legibus spiritalibus, pacem afferre hominibus æternam sine bello atque sine victoriis. Atqui rex Messias sine divitiis aut ullis opibus obtinere regnum debebat, ut valdè manifestum est ex istâ prophetiâ Zachariæ : « Exulta satis, filia « Sion; jubila, filia Jerusalem : ecce rex tuus « venit tibi justus et salvator, ipse pauper et « ascendens super asinam et super pullum filium asinæ; et dispergam quadrigam ex « Ephraim et equum de Jerusalem, et dissipa« bitur arcus belli; loquetur pacem gentibus, « et potestas ejus à mari usque ad mare, et à « flumine usque ad fines terræ; tu quoque in « sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos « de lacu in quo non est aqua (ultima verba « sic reddi possunt : Te quoque quod spectat, « ô Sion, in sanguine testamenti emisi vinctos « tuos, etc.) » Ergo Messias rex Israel, asinâ vectus, sine ullo apparatu regali, sine arcu belli aut equis, trimphos aget, sanguine educet vinctos, non quidem de regum terræ carceribus; sed de lacu in quo non est aqua, ab inferis videlicet. Deinde consentienter huic prophetiæ declarat Isaias Messiam sine fastu regnaturum : *Non clamabit nec audietur vox ejus foris, non erit tristis neque turbulentus, calamum quassatum non conteret, et linum fumigans non extinguet.* Ea etiam verba, quæ apud Isaiam favere videntur opinioni Judæorum, planè contrarium sensum habere deprehenduntur : v. g., ista Is. c. 60 : *Pro ære afferam aurum, et pro ferro argentum, et pro lignis æs, et pro lapidibus ferrum :* manifestè nihil aliud significant, quàm quòd res spiritales allaturus esset pro temporalibus. Ad quem sensum sequentia immediatè verba priora illa determinant. *Ponam visitationem tuam pacem et præpositos tuos justitiam, populus tuus omnes justi, germen plantationis meæ, opus manus meæ ad glorificandum.* Idem planè sensus est istorum verborum c. 54 : *Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, et fundabo te in sapphiris, et ponam jaspidem propugnacula tua, et portas tuas in lapides sculptos, et omnes terminos tuos in lapides desiderabiles.* Hæc explicantur et determinant-r ad sensum spiritalem per verba sequentia : *Ponam universos filios tuos doctos à Domino et multitudinem pacis filiis tuis ; in justitiâ fundaberis.* Denique sexcentis in locis declaratur pacem illam, quam erat allaturus Christus, sine cæde et victoriis obtinendam esse et in justitiâ perpetuâ positam : ut in eo ipso loco, qui in objectione laudatus est, ad confirmandam opinionem contrariam : *Surge, et illuminare........ non erit ampliùs sol ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illuminabit te, sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, et Deus tuus in gloriam tuam......... Populus autem tuus omnes justi in perpetuum hæreditabunt terram.* Hæc sanè clara sunt et explicationem continent metaphoricæ orationis quæ præcessit.

SCHOLIUM (edit. 1774).

Dùm hæc typis mandarentur, significatum est auctori, desiderare plures juniores theologos in hoc opere pleniorem tractationem illorum insignium vaticiniorum, quibus tempus adventûs Messiæ præsignificatum est, Jacobi scil. Gen. 49, Danielis c. 9 : cùmque auctori nihil magis gratum sit, imò nihil sibi gloriosum magis reputet, quàm eorum posse inservire utilitatibus, hoc loco has breviores de his prophetiis dissertationes adjiciendas editori tradidit.

De prophetiâ Jacobi Gen. 49

Inter V. T. oracula nullum est quod tot doctorum virorum disquisitionibus materiam præbuit, ac illud quod continetur isto versiculo : *Non auferetur*, etc.; interpretesque in tantâ sunt discordiâ, ut de nullius fermè vocis significatione consentientes sint. At omnis illa opinionum diversitas nullo modo sensum principalem afficit, qui idem est in omnibus versionibus (1) : ex quarum auctoritate verba

(1) Textus Hebræo-Samaritanus habet : « Non auferetur virga vel sceptrum de Juda et dux de vexillis ejus, donec veniat pacificus, et ad ipsum congregabuntur populi. » Eadem refert versio Samaritana. — 70 Interpretes verterunt : « Non deficiet princeps (ἄρχων) ex Juda et dux (ἡγούμενος) de femoribus ejus donec veniant, quæ reposita sunt ei (vel juxta alios codices : Donec veniat cui repositum est); et ipse erit expectatio gentium. » — Targum seu paraphr. Chald. Onkelosi : « Non auferetur habens principatum à domo Judæ, neque scriba à filiis filiorum ejus usque in seculum, donec veniat Messias, cujus est regnum, et ei obedient populi. » — Targum Jerosol. : « Non deficient reges de domo Juda, neque periti doctores legis de filiis filiorum ejus, usque ad tempus, quo veniat rex Messias, cujus est regnum, et ei subjicientur tandem omnia regna. » — Targum Jonathanis : « Non cessabunt reges et

) ebræa, לא יסור שבט מיהודה ומחקק מבין רגליו עד כי יבא שילה ולו יקהת עמים sic reddi possunt : *Non recedet virga* (seu sceptrum, seu potestas, seu tribus) *de Juda et scriba* (seu peritus doctor legis, seu legislator, seu dux) *de inter pedes ejus* seu de femore ejus, seu de vexillis ejus), *donec veniat Schilo* (id est, pacificus, vel qui mittendus est, vel filius ejus, vel cui repositum est), *et ei erit obedientia* (seu congregatio) *populorum*.

Duplex de hâc prophetiâ institui solet disputatio, una principalis cum Judæis, an ex hoc Jacobi morientis oraculo concludi possit Messiam jam advenisse ; altera minùs necessaria, et ad perfectiorem illius intelligentiam pertinens inter christianos interpretes agitata, nempe quænam potior sit hujus vaticinii interpretatio.

Quæstio prima.

AN EX JACOBI VATICINIO ADVENTUS MESSIÆ CONCLUDI POSSIT.

Duplex Judæorum sententia est de hujus prophetiæ sensu : alia recentiorum, qui spretâ majorum suorum auctoritate oraculum illud ad Messiam nullomodò pertinere contendunt : sed illud ad Moysen, vel Saülem, etc., referunt. Alia veterum Judæorum, qui Messiam hoc oraculo prænuntiatum confessi, negant illud completionem habuisse : inter quos alii asserunt completam non esse prophetiam, propterea quòd hypothetica erat, et ex conditione aliquâ suspensa ; unde illius completionem propter peccata Judæorum dilatam esse. Alii verò voces in illo, quæ vertuntur *donec*, sic reddunt : *In æternum postquàm venerit....* ita ut initium completionis in adventu Messiæ, non verò finem collocent. Alii denique penès tribum Judæ etiamnum sceptrum existere defendunt, adversùs quos omnes sit.

PROPOSITIO

In prædicto oraculo Jacobi patriarchæ continetur prædictio Messiæ, quæ suam completionem jam sortita est.

PARS PRIMA.

In prædicto oraculo contineri prædictionem Messiæ probant 1° ipsa oraculi verba hæc : *Donec veniat Schilo, et ipse erit expectatio gentium.* Nam inprimis quæcumque admittatur origo et etymologia vocis *schilo*, is sensus efficietur, qui in Messiam solum conveniat. Si vertas cum vulgato interprete, *qui mittendus est*, quis alius antonomasticè et eximiè mittendus dici potest, quàm Messias, promissus primis parentibus tanquàm communis hominum omnium liberator ; postea Patriarchis tanquàm gentibus benedictionem allaturus, et qui apud posteriores Prophetas tanquàm angelus Dei suo tempore mittendus describitur? — Si eo nomine intelligas cum exemplari Samaritano, quod summæ est auctoritatis, *pacificum, pacis auctorem ;* quem alium intelligemus sponsorem pacis inter Deum et homines, quàm principem pacis et cujus tempore esse debebat abundantia pacis et de quo dicitur per Michæam, *et erit iste pax ?* — Si vocem *schilo* interpreteris *filium ejus*, vel *illum cui est regnum, vel donum,* seu *munus ei :* quis est ille filius singularis et eximius, nisi semen ab initio mundi promissum, nisi Messias? Quis ille cui repositum est regnum, nisi ille de quo prædicitur : *Parvulus natus est nobis... multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis... Super solium David et super regnum ejus sedebit... amodò et usque in sempiternum :* et alia passim ejusmodi. Vel tandem quis est illud insigne donum et munus Judæ concedendum, nisi ille liberator promissus primis parentibus, illud semen in quo benedicendæ sunt omnes nationes ? Haud minùs luculentum ducitur argumentum ex istis vocibus יקהת עמים, quæ ab aliis vertuntur, ipse erit *expectatio gentium*, ab aliis, ipse erit *obedientia*, vel *congregatio, purificatio*, populorum : nam in nullum alium quadrant nisi in illum, de quo dicitur Gen. 22, 18 : *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.* Ps. 71, v. 11 : *Omnes gentes servient ei.* Is. 11, 10 : *Stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur.* Agg. 2, 8 : *Veniet desideratus cunctis gentibus.*

2° Colligitur in hoc oraculo contineri præ-

præsides ex domo Juda et scribæ docentes legem ex semine ejus usque ad tempus quo veniat rex Messias minor filiorum ejus, et propter eum colliquescent populi. » — Aquila : « Non exurget sceptrum à Juda, et peritus doctor legis de inter pedes ejus, donec veniat cui repositum est, et ipsi erit cœtus populorum. » — Symmachus : « Non auferetur potestas (ἐξουσία) à Juda : » cætera desunt, sed ipsum simul et Theodotionem aliis consensisse Eusebius annotavit. — Versio Syriaca : « Non deficiet virga (seu sceptrum) de Juda et expositor de inter pedes ejus, donec veniat is, cui illud est, et ipsum expectabunt gentes. » — Arabica : « Non præteribit de Juda et legislator de sub imperio ejus, donec veniat is cujus ipse est et ad quem congregabuntur populi. » — Persica : « Non recedet imperium à Juda et scribâ de medio filiorum ejus, donec veniat Christus ejus, et ei congregabuntur gentes. »

dictionem adventûs Messiæ ex omnibus aliis ejus partibus et ex variis adjunctis. Nam eximium illud et emphaticum exordium... *Juda, te laudabunt fratres tui... adorabunt te filii patris tui*.... singularem certè Judæ benedictionem pollicentur. Ea verò quænam sit intelligi non potest, nisi nomine *schilo* Messias significetur ex stirpe Judæ nasciturus, ad cujus usque regnum perseveratura sit potestas designata per vocem שבט, *schebet*, sceptrum. Deinde jam diximus duplicem fuisse partem pacti cum Abraham initi, aliam quæ spectabat multiplicationem sobolis, possessionem terræ Chanaan et prosperitatem temporalem; aliam spiritalem, nempe benedictionem omnium gentium in Messiâ; promissionem verò prosperitatis temporalis communicatam fuisse cum Ismaele ab Abrahamo, et postea cum Esaü ab Isaaco; at peculiarem benedictionem, appellatam pactum Dei, derivatam fuisse in solum Isaac et postea in Jacobum. Unde à priori colligimus in benedictione Jacobi duplicem illam benedictionem existere, et illum patriarcham patres suos imitatum benedictionis temporalis fecisse participes omnes filios suos; benedictionem verò spiritualem, quæ ad plures pertinere non potest, cùm Messias ex unâ tribu solummodò oriri potuit, uni ex filiis reservatam fuisse, qui alius à Juda esse non potest: et profectò nisi illa benedictio spiritualis collata fuerit Judæ per prædicta verba: *Juda, te laudabunt fratres tui*, etc., dicendum esset Jacobum præcipuam partem benedictionis acceptæ à patribus omisisse; illam partem quæ insigni nomine dicta est pactum Dei. Præterea nihil esse videtur hoc Jacobi oraculum, quàm eorum quæ præcesserunt oraculorum interpretatio et ad Judam promissionum restrictio. Nam promissum fuerat primis parentibus semen quoddam benedictum, à quo esset imperium diaboli penitùs evertendum, et homines revocandi ad justitiam et felicitatem. Deinde Patriarchis Deus pollicitus est omnes gentes per illud semen benedictum iri: quid ergo est hoc oraculum Jacobi, nisi ejusdem promissionis evolutio quædam, per quam significatur ad Judam restrictam esse illam benedictionem et ex semine ejus venturum eximium quemdam, cui imperium sit in gentes, cui gentes obediant et obtemperent, et sic benedicantur? Et sanè idem planè est exordium hujus Jacobææ benedictionis ac illius factæ Patriarchis: hæc enim verba: *Juda, te laudabunt fratres tui*, etc., idem sonant ac illa ad Abrahamum à Deo dicta Gen. 12, 2: *Erisque benedictus*; et ad Jacobum Gen. 17, 29: *Esto Dominus fratrum tuorum*.

3° Idem conficitur ex consensu veterum Judæorum, quos de Messiâ hoc oraculum intellexisse patet ex paraphrastis, qui vocem *schilo* expressè Messiam interpretantur,' uti jam diximus: patet ex Talmude, ubi multis in locis declaratur *schilo* nomen esse Messiæ; patet ex vetustissimis scriptoribus, quos laudatos videre licet apud Huetium in Dem. evang. Certè constans et unanimis in omni ævo opinio Judæorum fuit Messiam oriturum ex tribu Judæ, quæ opinio alio oraculo nixa non fuisse videtur, quàm hoc Jacobæo. Ergo, etc.

PARS II.

Quòd prædictio Messiæ contenta in vaticinio Jacobi jampridem completionem sortita sit.

Nam hoc vaticinio prædicitur non auferendum esse *schebet* ex Juda et legislatorem de femore ejus, donec veniat *schilo*: atqui jampridem ablatum est *schebet* ex Juda, quæcumque admittatur probabilis hujus vocis interpretatio. Nam duæ tantùm hujus vocis interpretationes cum aliquâ probabilitate admitti possunt: ut scilicet primò per *schebet* è Juda non auferendum intelligatur sceptrum, seu supremam potestatem penès Judam futuram; vel secundò tribum Judæ non amissuram formam reip. propriis utentis legibus: cæteræ quas comminisci solent Judæi hujus loci expositiones vanissimæ sunt. Atqui sive nomine *schebet* intelligatur suprema potestas, sive forma tribûs et reip. propriis legibus utentis, utrumque jampridem ablatum est. Primò quidem ab excidio Jerosolymitano sub Tito imperatore ne umbram quidem summæ auctoritatis et imperii Judæi retinuerunt: sed omni dominio spoliati, miserâ ubique dispersi premuntur servitute et ipsis reverà accidit quod ab Osee prophetâ prædictum est c. 3: *Dies multos sedebunt filii Israel sine rege et sine principe et sine sacrificio et sine altari*: quod oraculum impletum fatentur doctiores Judæi. « Hi sunt dies exitii, inquit David Kimchi in Osee c. 3, in quibus hodiè sumus, nec regem habemus, nec principem ex Israel. Nam sub potestate gentium sumus, et regum atque principum eorum. » Et Rabbi Manasse in Conciliatorio ad cap. 49 Gen. scribit: « Quam pœnam nunc patimur sine rege, sine principe, sine regimine agentes. » Secundò, tribus Juda pariter amisit omnem reip. vel etiam tribûs distinctæ formam: nam ex quo tempore eversa est Jerosolyma, et Judæi pulsi terrâ suâ sunt

in omnes regiones sic dispersi, sicque permixti et confusi cum reliquis tribubus, ut nullum distinctionis supersit vestigium. Et verò in vaticinio Jacobi prædicitur quoque, ut in adventu illius qui dicitur *schilo*, gentes ei aggregentur et ei obtemperent. Atqui jampridem contigit illa congregatio et obedientia gentium ; cùm nempe per Evangelii prædicationem gentes ab idolorum cultu ad veram Religionem conversæ sunt per Christum, ex tribu Judæ oriundum, ejusque Apostolos. Ergo, etc.

Objectiones quas in contrarium movere soleat Judæi, quæque vanissimæ sunt, in marginem conjecimus, ne eas omninò prætermisisse videremur (1).

Habet multorum admirationem, quòd hæc Jacobi prophetia, cujus summam vim ad convincendos Judæos agnoscunt omnes christianæ Religionis defensores, neque à Christo, neque ab Evangelistis, neque ab Apostolis in illum

(1) Objicies cum recentioribus quibusdam Judæis contra primam propositionis partem :

Prophetiam illam Jacobi ad Messiam pertinere probat maximè vox *Schilo*. Atqui illa vox non designat necessariò Messiam. Nam 1° *Silo* est nomen loci, nomen videlicet urbis, in quâ erectum est tabernaculum, quod ibidem permansit usque ad tempora Davidis, qui illud transtulit in urbem Sion. Unde sensus prophetiæ est : « Non accedet sceptrum ad Judam, donec occidat seu desinat Silo, id est, tabernaculum Dei in Silo : » quæ prophetia sic intellecta manifestam habuit completionem cùm David regno potitus est. Hinc dicitur Ps. 77, 60 : *Et repulit tabernaculum Silo, tabernaculum suum ubi habitavit in hominibus... et repulit tabernaculum Joseph, et tribum Ephraim non elegit: sed elegit tribum Juda, Sion montem quem dilexit... et elegit David servum suum.*

2° Per vocem *Schilo* intelligi potest Moyses. Nam idem est valor arithmeticus litterarum, ex quibus utrumque nomen componitur ; unde juxta leges cabbalæ invicem possunt commutari. Itaque oraculi sensus erit : « Non auferetur virga sive imperium à Juda, donec venerit Moyses; tunc enim ereptum Judæ imperium tradetur Moysi ex tribu Levi, qui rex appellatur Deut. 33, 5, et ad eum congregabuntur populi, videlicet Israelitæ. » Neque enim credibile est Jacobum non meminisse primæ et proximæ redemptionis posterorum suorum per ministerium Moysis.

3° Vox *Schilo* fortassè designat Saülem, qui in Silo fuit per Samuelem creatus et consecratus rex ; adeò ut oraculi sensus sit : « Non auferetur sceptrum de Juda, donec veniat tempus unctionis Siloensis, quo Saül ex tribu Benjamin est in regem consecrandus. »

4° Exponi potest eadem vox *Schilo* de Davide : nam plures interpretantur illam vocem per has alias, *filius ejus*. Atqui David fuit insignis filius Judæ, sub cujus imperium multi venerunt; adeò ut prophetiæ sensus sit : « Non accedet sceptrum ad Judam, donec veniat filius ille insignis David. »

5° Per eamdem vocem *Schilo*, quæ vertitur à pluribus, *pacificus*, intelligi potest Salomon, cujus nomen idem significat, et cujus temporibus summa pax obtinuit.

6° Intelligi etiam potest Jeroboam, qui decem tribuum rex constitutus est ab Ahiâ prophetâ in Silo : vel intelligi potest ipse Ahias propheta dictus Silonites, qui Dei nomine Jeroboamum in regem decem tribuum constituit, adeò ut sensus sit : « Non auferetur virga seu imperium à Juda donec veniat Ahias Silonites, qui partem imperii in integrum Judæ concessi communicet cum aliis tribubus, instituto rege Jeroboam, ad quem aggregatæ sunt gentes, nempe decem tribus. »

7° Nomine *Schilo* intelligi quoque potest Nabuchodonosor, sive legamus cum vulgato interprete, *qui mittendus est* ; nam à Deo missus est Nabuchodonosor ad ulciscenda Judæorum scelera ; sive cum 70 Interpretibus, *donec veniat cui repositum est.* Nam ipsi repositum fuit à Deo regnum Judæorum, quod in Sedeciâ finem habuit : prætereà ad illum aggregatæ sunt gentes plurimæ in Oriente.

8° Nihil vetat quin per *Schilo* intelligamus Cyrum, qui vocatur Christus, et de quo vaticinatur Isaias c. 45 : *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, cujus apprehendi dexteram, ut subjiciam ante faciem ejus gentes... ipse ædificabit civitatem meam et captivitatem meam dimittet.*

Respondeo vanitatem earum omnium interpretationum satis elucere ex ipsâ earum varietate : sunt conjecturæ valdè leves, quæ nec in auctoritate majorum, vel traditione, ullum habent fundamentum, et quas commenti sunt Judæi ut sese quoquo modo expedirent ad incitas redacti.

1° Admitti nequit prima expositio de urbe Silo ob multiplicem causam : quia Silo nomen urbis non eodem modo scribitur ac vox Schilo : hæc habet litteram *jod* in medio, quâ caret altera ; — quia ista interpretatio pervertit naturalem sensum plurium verborum; etenim verba לא יסור, *lo iasour,* vertuntur, *non accedet,* quæ reverà significant, non recedet; et verba עד כי יבא, *ad ki iabo,* vertuntur, *donec desinat;* quæ tamen significant, *donec veniat,* uti nôrunt linguæ hebraicæ periti ;—quia nullo modo occidit seu desiit urbs Silo, quando sedes arcæ fœderis esse desiit; unde patriarcha Jacob dicere non potuit, *donec occidat Silo,* quia sceptrum reverà non accessit ad tribum Judæ, quando ex urbe Silo translata est arca : nondùm Saül in regem electus fuerat; neque ex Ps. 77 ullam confirmationem accipit prædicta expositio, ut legenti patebit ; in historiâ ibidem institutâ longè disjungitur electio Davidis à reprobatione Silo; — quia denique de urbe Silo intelligi nullo modo possunt hæc ultima oraculi verba : *Et ipsi erit obedientia, seu aggregatio populorum ;* neque de Davide, cujus ibidem nulla planè designatio est, præsertim cùm nec in Silo unctus fuerit; neque ruina vel reprobatio urbis Silo extiterit ullo modo causa vel occasio unctionis ejusdem in regem.

2° Expositio de Moyse vanitatis etiam convincitur. Quia 1° sceptro seu supremâ potestate, quâ Moyses instructus à Deo fuit, nondum tribus Juda potitus fuerat, sed sub durissimâ servitute cum aliis tribubus gemuerat in Ægypto : unde dicere non potuit patriarcha

finem fuerit adhibita. At ratio in promptu est. Illâ prophetiâ præsertim continetur significatio temporis, quo venturus erat Messias. Quare cùm nulla esset de illo tempore controversia, imò constaret apud Judæos jam advenisse tempus Messiæ; nihil attinebat illam prophetiam adhibere ad id efficiendum de quo consentiens et unanimis erat Judæorum opinio. Præterea stabat tempore Christi et Apostolorum ejus aliquâ ratione respublica Judæorum; atque ideò

Jacob : *Non auferetur sceptrum de Juda, donec veniat Moyses.* Quia 2° de Moyse exponi nequeunt hæc verba : *Ipse erit expectatio gentium, seu ipsi erit obedientia populorum :* nam per gentes et populos in textu sacro hebraicè *ammim* non intelligitur familia seu gens Israelitarum, cujus legislator extitit Moyses, nisi ad hunc sensum per alias voces vox ista restringatur; sed gentiles per orbem dispersi designantur, eâdem cognatione nullatenùs conjuncti, et in quos nullum exercuit imperium. Ad probationem ex cabbalâ adductam respondeo ostendisse Huetium et alios, nihil esse futilius omni genere cabbalæ, juxta cujus regulas contraria ex quoque Scripturæ textu facilè elici possunt.

3° Iisdem fermè argumentis refellitur tertia expositio de Saüle : siquidem 1° Saül non fuit expectatio populorum nec ad ipsum gentes aggregatæ sunt. 2° Deinde sceptrum seu regia potestas, quæ in Saülem collata est, nondùm collata fuerat tribui Judæ, unde dicere non potuit patriarcha Jacob, illam non esse auferendam donec veniret Saül. 3° Ridiculè vox *Silo*, vertitur unctura, seu consecratio Siloensis. Tandem illa expositio repugnat historicæ veritati; nam Saül non fuit unctus in regem apud urbem Silo, sed in Ramatha; postea renuntiatus est in Maspha, et confirmatus in Galgalis, ut patet ex cap. 8, 9, 10, lib. 1 Reg.

4° Etiam interpretatio de Davide vanissima est, quia pervertit sensum hujus vocis *lo iasour*, quæ vertuntur *non accedet*, cùm certò ibidem significent, *non recedet :* quia etiam David non fuit expectatio populorum, nec filius ille insignis, ob quem prædicare de Juda poterat patriarcha : *Te adorabunt filii patris tui.*

5° Appellatio pacifici, per antonomasiam nòn in Salomonem convenit, sed in solum Messiam qui à subsequentibus prophetis dicitur princeps pacis : nec ad Salomonem aggregati sunt populi, nec circa tempora Salomonis defecit sceptrum in tribu Juda.

6° Eadem non conveniunt Jeroboamo. Quia 1° reverà non in Silo, uti supponitur, rex creatus fuit, ut patet ex l. 3 Regum c. 12, unde ruit istius expositionis fundamentum unicum. Quia 2° in ejus defectione non ablatum est sceptrum à Juda, quod per annos fermè quadringentos post illam defectionem duravit in Davidis familiâ. Quia 3° nullo modo fuit idem expectatio populorum. Haud magis eadem conveniunt, uti patet, prophetæ Ahiæ Silonitæ.

7° Non conveniunt Nabuchodonosori, cujus tempore non est ablatum sceptrum à Juda, quod durante captivitate et post captivitatem, uti infra docebimus, permansit. Non fuit ille rex expectatio populorum; nec talis cur in ejus missione vel imperio lætaretur patriarcha Jacob et exclamaret : *Juda, te laudabunt fratres tui; te adorabunt filii matris tuæ.* Neque sunt magis probabiles duæ quæ laudantur in objectione versiones : nam summa est in hâc re auctoritas exemplaris Samaritani juxta quod vox *Schilo* idem, quòd *pacificus,* sonat : quæ appellatio certè nullo modo quadrat in Nabuchodonosorem, qui bellum cruentum et funestum contra Judam movit, ferrum atque ignem, non pacem attulit.

8° Denique interpretatio de Cyro rege Persarum iisdem rationibus refellitur : Dicitur apud Isaiam *Christus Domini,* sive quia fuit typus Messiæ; vel quia supremâ potestate, quæ sacra est, instructus, Dei minister in terris fuit. Tantùm obfuit, ut ablatum fuerit à Juda sceptrum illius regis tempore, ut è contrario redintegratum fuerit sceptrum et respublica restituta.

Objicies contra secundam conclusionis partem: Non demonstratur prædictam prophetiam de Messiâ intellectam jam adimpletam esse, ob multiplicem causam. 1° Quia nondùm defecit *Schebet* in tribu Juda, nam per vocem illam intelligi potest simpliciter tribus, ita ut sensus oraculi sit : « Non interibit tribus Juda donec veniat Messias » ; sed tribus Juda non est sublata; adhuc enim Judæ posteri conspicui sunt per totum orbem dispersi. Deinde etiamsi nomine *Schebet* intelligatur sceptrum seu regia potestas, nondùm etiam ablatum est à Juda, quia constat in Oriente infinitam esse Judæorum multitudinem, quæ suis utuntur legibus ; eligunt sibi et semper elegerunt patriarcham, qui summâ gaudet potestate; atqui è tribu Juda semper est oriundus. Ita testatur Rabbi Benjamin Tudelensis in Itinerario : similia narrant quoque alii scriptores Judæi de Judæorum copiis non solùm in Oriente, sed in aliis etiam mundi partibus.

2° Vox *Schebet* in illo Jacobi vaticinio sceptrum quidem significat, sed tyrannicum, hoc est, sævum et ferreum dominatum, quo sensu illa vox usurpatur Ex. 21, et Ps. 2, unde oraculi sensus est : « Calamitati cui Judæi obnoxii sunt, non imponendum esse finem, donec venerit Messias. »

3° Vox *Schebet* significat *baculum consolationis* et auxilii, seu fulcimentum in maximis calamitatibus : adeòque prænuntiat patriarcha Jacob « nunquàm defuturum Judæis in quibuscumque suis afflictionibus fulcimentum et adminiculum, donec advenerit Schilo, nec defuturos in lege peritos, qui eos officii sui commonefaciant. »

4° In prædicto oraculo voces עד כי *ad ki*, quæ vertuntur per vocabulum *donec*, debent separari propter accentum, quo notantur. Jam verò si separatim legantur, prior עד *ad*, significat in æternum, posterior כי *ki*, significat quando, postquàm ; adeòque sensus erit : « Non auferetur sceptrum de Juda in æternum, postquàm venerit Messias. »

5° Oraculum Jacobi conditionatum fuit, et ejus complementum ex aliquâ conditione pendebat, quæ cùm posita non fuerit, dilatus est Messiæ adventus. Peccata populi verisimiliter

si argumentum ex istâ prophetiâ adversùs eos tunc adhibitum fuisset, illius vim eludere potuissent, et negare sibi ablatum esse penitùs sceptrum. At verò eversis Jerosolymis, qui primi christianæ Religionis defensionem susceperunt, facilè ostendebant nullum superesse judaici principatûs vestigium, atque inde argumentum petebant ineluctabile, quo advenisse Messiam conficerent. Neque etiam ante prædicationem Apostolorum et felicem ejus

sunt in causâ, cur non perceperit hactenùs divinarum promissionum effectum. Certè ablatum fuit sceptrum à Juda tempore captivitatis Babylonicæ, neque tamen tunc advenit Messias: quidni ergo contingere potuit captivitas magis diuturna, et iterùm ejusdem Messiæ differri adventus? Ergo, etc.

Respondeo hæc Judæorum effugia vanissima esse. Et primum quidem: nam sive vertas *Schebet* per tribum, vel per sceptrum, utrumque sublatum est, quia nullo modo habent Judæi in hâc suâ tam diuturnâ dispersione rationem tribûs; extraneis subduntur principibus, alienis parent legibus, omni carent ditione propriâ; et sic permixtæ et confusæ sunt eorum genealogiæ, ut earum series, nullis authenticis instrumentis consignata, nullatenùs verificari possit, vel etiam suspicione internosci: multò minùs manet apud illos verum sceptrum. Illud commentum Benjamini Tudelensis et aliorum quorumdam de Judæorum regno in Oriente et aliis in locis, jam ab Origenis temporibus inventum est; idemque vanissimum ostendunt omnium gentium historiæ et authenticæ peregrinatorum relationes; neque fidem dant ipsi inter Judæos doctores magis cordati et celebriores.

2° Falsum esse vocem *Schebet*, ubi ponitur sine addito, significare tyrannicum dominatum: in Ps. 20 determinatur ad illum sensum per vocem sequentem, *in virgâ ferreâ*; in vaticinio Jacobi determinatur ad sensum contrarium per voces sequentes istas, *et dux vel legislator de femore ejus*, et quòd læta prænuntiet Jacobus filio suo Judæ usque ad Messiam. Præterea ad sensum objectionis intellecta prophetia nihil proprium tribui Judæ præ cæteris fuisset promissum.

3° Vox *Schebet* absolutè et simpliciter significat virgam seu baculum; nunquàm verò usurpatur pro fulcimento auxilii sine addito: atque si Ps. 23 legamus: *Virga tua et baculus tuus, ipsa me consolata sunt*, subjecta totius Psalmi materia, et verbum, *consolata sunt*, et pronomen possessivum *tua*, verba ad significandum auxilium et opem divinam determinant. At in vaticinio Jacobi voces quæ sequuntur, nempe hæ, *et legislator de femore ejus*, nomen virgæ ad significationem auctoritatis vel regiæ, vel judicialis necessariò restringunt. Deinde tribus Juda nec plura cæteris Israelitis mala perpessa est, sicut nec ipsis major consolatio adfuit. Denique etiam hâc admissâ interpretatione sequitur advenisse Messiam: nam ex multis jam seculis durissimâ premuntur servitute, neque ulla ipsis affulget spes liberationis, neque ulla consolatio, quandoquidem ubique odio et ludibrio sunt omnibus gentibus, et facti in proverbium.

4° Vanissima est illa quorumdam Judæorum observatio, quòd voces *ad ki*, utpote accentu notatæ, dividi debeant, quia 1° certum est accentuum nullam planè esse auctoritatem, qui à grammaticis quibusdam, dictis Massorethis, nonnisi serò litteris hebræis cum punctis vocalibus adjecti fuerunt. 2° Constat infinitis exemplis non esse illam vim accentûs ibidem appositi, qui dicitur *Jetib*, ut voces dividat: nam in istâ phrasi: *Catulus leonis Juda*, apponitur voci גור *gour*, qui redditur catulus leonis, quam nullus unquàm propterea à voce immediatè subsequente *Juda* divellendam censuit: præterea vox immediatè præcedens eas voces *ad ki*, nempe *raglau* notatur accentu, qui dicitur *athnac*, qui major est accentu *jetib* et cujus ea vis est ut periodum dividat et distinguat; ergo post vocem *ad*, alia interpunctio absurdè collocaretur, et innumera alia loca sunt, in quibus post accentum *athnac* nulla accentûs *jetib* ratio habetur.

Cùm harum observationum veritatem admittere cogantur Judæorum doctiores, eamdem servare interpretationem admissâ copulatione vocum *ad* et *ki* decreverunt. Definiunt ergo per *ad ki*, seu *donec*, non significari cessationem sceptri, sed ipsius potiùs continuationem in longos annos duraturam: quem sensum eadem vox habet Gen. 8, ubi de corvo quem Noe emiserat ex arcâ dicitur: *Non revertebatur donec siccarentur aquæ super terram.* Cujus loci sensus non est rediisse corvum, postquàm siccatæ sunt aquæ, sed potiùs nullatenùs reversum esse, seu pastum invenerit, seu in aquis perierit. Sic quoque Matth. 10 dicitur de beatissimâ Virgine Mariâ: *Et non cognoscebat eum* (Josephum virum suum), *donec peperit filium suum primogenitum.* Ubi particula *donec* non obstat quin intelligamus beatam Dei genitricem, etiam post partum, Virginem permansisse, imò perpetuam fuisse ejus virginitatem indicat. Ergo pariter vox *donec* in vaticinio Jacobi significare potest sceptrum fore perpetuum in Juda post Messiæ adventum, adeòque cùm nullum sit penès Judæos sceptrum, fieri non potest ut Messias advenerit et prophetia completa sit.

Respondeo vocem *donec* neque continuationem perpetuam, neque cessationem absolutè designare, sed continuationem usque ad rei cujuspiam eventum. Certè continuationem perpetuam per istam vocem non significari patet ex innumeris Scripturæ locis: v. g. Gen. 3, 19, hanc in Adamum tulit Deus sententiam: *In sudore vultûs tui vesceris pane, donec revertaris in terram.* Sensus certè non est: Vesceris pane in æternum, etiam postquàm reversus fueris in terram. Gen. 38, 8, his verbis alloquitur Judas nurum suam Thamar: *Esto vidua donec crescat Sela filius meus.* Ubi particula *donec* non significat: Esto vidua in æternum, sed usque dùm filius meus habilis sit ad conjugium. Idem est manifestò sensus vocis *donec* in duobus exemplis supra laudatis: significatur in priori, permanente aquarum inundatione non rediisse corvum; in secundo, ante partum suum Mariam non cognovisse virum suum. Unde si

exitum facta est promissa in vaticinio Jacobi gentium aggregatio. Alii verò addunt cum Huetio fortè adhibitum fuisse illud oraculum à Christo et Apostolis, neque tamen ab Evangelistis in scriptis notatum esse; neque omnia Christi verba, sicut nec omnia ejus divina opera memoriæ sunt prodita : deinde Christo et Apostolis propositum non fuisse omnia sigillatim proferre et adhibere Prophetarum vaticinia, quæ ad Messiam pertinebant; satis esse duxerunt si Judæos ad scrutandas Scripturas remitterent, et generatim admonerent in Christo Jesu consummata esse omnia. Paucis his verbis rem totam concludebat Christus Lucæ 16, v. 29 : *Habent Moysen et Prophetas, audiant illos;* et Joannis c. 5, v. 39, v. 45, 56 : *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere, et illæ sunt quæ testimonium perhibent de me... Nolite putare, quia ego accusaturus sim vos apud Patrem; est qui vos accusat Moyses, in quo speratis : si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi.* His admonitionibus, inquit Huetius, Christus Judæos in memoriam vaticiniorum ad se pertinentium revocabat, ut quotiescumque ea sibi prælegerentur, ut in synagogis fieri consueverat quotis quibusque sabbatis, pium adhiberent animum et veritatis studiosum, et in re exitum hæc habuisse agnoscerent. Eamdem methodum ac rationem secutus est Apostolus Act. 13, ubi paucis cuncta repetens ab ipsâ rerum origine ostendit ex semine David ortum esse Salvatorem, in quo consummata sunt omnia quæ de Christo scripta erant.

Quaestio secunda.

INTER CHRISTIANORUM INTEPRETUM VARIAS HUJUS VATICINII EXPOSITIONES QUÆNAM POTIOR SIT ?

Questio est, quomodò cum multiplici regiminis formâ, quam civitas judicia successivè induit, et cum variis in eâ mutationibus concordent, hæc verba : *Non auferetur sceptrum de Juda donec venerit Messias,* et disputatur præsertim de propriâ significatione vocis *schebet* et vocis *Juda.* An enim sceptrum fuit in Judâ à tempore patriarchæ Jacobi usque ad Moysem, quo tempore universæ tribus Israel premebantur gravissimâ servitute in Ægypto? An fuit quo tempore rexit populum Israel Moyses vel Josue, cùm prior è tribu Levi oriundus esset, posterior ex tribu Ephraim? An postea per quadringentos circiter annos quo tempore rerum summa erat penès principes tribuum; et quo judices extraordinariè à Deo præfecti reipublicæ omnes, præter Othoniel et Abesan, neutiquàm ex tribu Juda extitêre? Postea verò cùm primùm instituta est regia potestas, designatus est à Deo Saül et à populo electus, qui erat ex tribu Benjamin, nulla habita est ratio tribûs Judæ. Successit quidem David ex illâ tribu, et regnum tenuerunt ejus posteri; at post Salomonem solummodò duarum tribuum cum Levitis usque ad excidium Jerosolymitanum. Post captivitatem Babylonicam Judæorum respublica formam aristocraticam accepit et à ducibus administrata est, qui ferè omnes è tribu Levi sacerdotes fuerunt. Ex quibus Assamonæi, qui et Machabæi dicti sunt, paulò ante Christum regis nomen obtinuerunt. Postea cùm Hircanus et Aristobulus fratres de imperio dissiderent, vocatus ab Hircano Pompeius Jerusalem expugnavit, et, relicto Hircano rege, tributum annuum Judæis imposuit. Atque post Hircani mortem Herodes à Romanis rex constitutus successorem habuit Archelaum; quo postmodùm Viennam relegato, Judæa in provinciam Romanam redacta est, et præsides habuit à Romanis imperatoribus missos, relictâ quidem Judæis facultate patriis utendi legibus, sed ablato jure gladii, id est, vitæ et necis jure. Tandem nonnisi 70 post natum Christum annis circiter, à Vespasiano et Tito imperatoribus funditùs eversa est urbs Jerosolymitana, et extinctum omne gentis imperium.

E quibus liquet à Jacobo ad Moysen servi

eamdem tribuas significationem voci *donec* in vaticinio Jacobi, significabit permansurum sceptrum in Juda usque ad eventum *Schilo* : quod sceptrum cùm jam à multis seculis sublatum sit, sequitur habuisse illam omnem completionem quam habere debuit.

5° Contra fidem et auctoritatem majorum suorum hoc oraculum Jacobi conditionatè accipiendum esse statuunt Judæi, simul ac contra textûs ipsius naturalem et obvium sensum: si hæc licentia concederetur convertendi prophetias absolutè editas in conditionatas sine causâ, ex nullâ prophetiâ quidpiam concludere liceret. In captivitate Babylonicâ contigit quidem sceptri interruptio, sed nequaquàm interitus, tum quia brevius fuit illud temporis intervallum, comparatum cum sceptri duratione : siquidem à deportatione Sedeciæ usque ad solutionem captivitatis intercesserunt anni solummodò 52, tum etiam quia magna populi multitudo in Judæâ permanserat; et captivi adducti Babylonem, collecti cum principibus suis et Prophetis Dei quasi à latere legatis, vixerunt, cum certâ spe et expectatione futuræ post aliquot annos libertatis. Nunc per septemdecim secula, quibus duravit hodierna calamitas, ubique dispersi sine principe, sine prophetâ, omni sunt spe legitimâ destituti.

tutem, à Moyse ad Saülem theocratiam, à Saüle ad deportationem Babylonicam monarchiam, inde ad Christum natum aristocratiam apud Judæos viguisse. Unde multiplex subnascitur controversia de initio, de continuatione et de cessatione sceptri apud Judæos. 1° Enim quæritur an sceptrum, de quo patriarcha loquitur, jam ab illius morte in Juda extiterit, an ab egressu ex Ægypto, an ex quo David Judæ nepos regiâ dignitate potitus est, hæcque prima disputatio est de initio *sceptri* in Juda. 2° Quæritur quânam ratione sceptrum, quod saltem in Davide ad tribum Juda pertinere incœpit, in Juda remanserit, in captivitate Babylonicâ, et post eamdem captivitatem. Denique disputatur de fine et cessatione sceptri in Juda. Has difficultates ut explicarent interpretes diversam viam inierunt. Præcipuas et probabiliores sententias ac plurium roboratas consensu exponemus.

Prima sententia eorum est, qui hoc oraculum non ad Judæ tribum separatim, sed ad eamdem cum reliquis conjunctam, ac præstantiâ quâdam et excellentiâ florentem, atque in iis primas tenentem, referunt. Id igitur sibi velle Jacobum statuunt, non defuturos in judaicâ gente principes, ex quâlicumque ortos tribu, eamque gentem legibus suis usuram, quoad Messias veniat : qui cùm venit, ad Herodem hominem, ut inter illos plerique volunt, alienigenam, sceptrum transiisse. Docent verò Jacobum ideò solummodò Judam nominare, quia prævidebat sceptrum reverà penès ejus posteros futurum per 500 et ampliùs annos, et post illud tempus universum populum à Juda nomen accepturum, et eos qui principes futuri essent, etsi ex aliâ tribu oriundi, ditione, regno et civitate Judæ potituros : atque in his specialem prærogativam promissam tribui Judæ constituunt. Quæ opinio hoc fundamento innititur, quòd reipublicæ Hebræorum duces per maximam durationis partem ex peculiari Judæ tribu non extiterint. Hâc admissâ nominis Judæ interpretatione, manifestum est initium sceptri saltem ab exitu ex Ægypto repeti posse, finem verò collocari, vel in Herode, ut vult Pererius, vel in Hierosolymitano excidio, ut contendit Casaubonus, qui negat Herodem fuisse extraneum et alienigenam. At ex contextu sacro patet omnia data ad Judam verba spectare peculiarem tribum Judæ; sicut ea quæ ad alios filios data sunt, eorum tantùm conveniunt posteritati : Moyses enim in exordio expressè annotavit Jacobum benedixisse singulis filiis benedictionibus propriis. Deinde in hoc concordes omnes interpretes sunt, initium et finem benedictionis ad Judæ tribum peculiarem pertinere : unde cum prioribus et consequentibus cohærentia intermedia ad universas tribus detorquere absonum omninò est. Habet præterea eadem interpretatio sibi contrariam omnium olim Judæorum sententiam, et manifestè ob nullam aliam causam inventa est, quàm ad secandum nodum, cujus solutio difficilior visa est.

Secunda sententia est eorum qui prophetiam ad tribum Judæ restringentes, asserunt in eâdem tribu semper extitisse principes usque ad adventum Christi : non ergo postremum Sedeciam à tribu Judæ sceptrum gessisse, sed in eâdem hâc tribu ad Christum usque per Assamonæos perseverâsse, quorum suprema inter Judæos potestas erat; his autem ab Herode sublatis, à quo et regnum judaicum usurpatum est, tum unà defecisse sceptrum Judæ. Pro hâc sententiâ laudatur Origenes et alii. Jam verò de Assamonæorum origine ex Juda inter se non consentiunt : Origenes illos paterno genere Levitas fuisse confitetur, sed per matres ex Juda prognatos docet. Nam tribules Levi uxores vulgò ducebant ex Juda, ut patet ex 6 cap. Exodi, ubi legitur Aaron duxisse uxorem filiam Aminadab, et ex cap. 22 l. 2 Paralip., in quo Joiada pontifex filiam regis Joram in matrimonium assumpsisse narratur. At Genebrardus et Baronius ulteriùs progressi eosdem Assamonæos etiam genere paterno ex Juda ortos esse asserere non dubitârunt.—At primùm Assamonæos non fuisse origine paternâ ex tribu Juda oriundos probatur multiplici argumento; idque agnovit Baronius qui sententiam mutavit. Nam 1° Matthatias, qui pater fuit Assamonæorum, dicitur in l. 1 Mach. c. 2 : *Sacerdos de filiis Joarib,* cujus sors prima exiit in descriptione stationum, quas ordine debebant obire Aaronitides familiæ juxta 1 Paral. 24, tempore Davidis. 2° Mattathias 1 Mach. c. 2, Eleazari filium et nepotem Aaronis Phineam appellat patrem suum. 3° Constat Machabæos sacerdotes fuisse. Atqui nemini fas erat servire altari aut sacerdotalia munera obire, nisi esset ex tribu Levi. 4° Principatus Machabæis obtigit non jure hæreditario, quasi originem ducerent è tribu Juda et Davidis stirpe, sed per electionem populi, donec surgeret propheta fidelis, uti legitur Mach. 1, c. 14, et ejusdem libri c. 9, v. 22. Denique Assamonæos non proprio jure, vel tanquàm Davidis hæredes sce-

ptrum tenuisse constat ex his Jeremiæ c. 22, de Jechoniâ : *Hæc dicit Dominus : Scribe virum illum sterilem, virum qui in diebus suis non prosperabitur. Nec enim erit de semine ejus vir qui sedeat super solium David et potestatem habeat ultra in Juda.* Unde 1 Mach. c. 5, v. 63, dicitur de Machabæis : *Et viri Juda magnificati sunt valdè in conspectu omnis Israel.* Ideò appellantur *viri Juda,* quòd essent comites Judæ Machabæi, ipsiusque fratres, non quòd essent oriundi ex patriarchâ Juda, et ideò græcus interpres habet : *Et vir Judas et fratres ejus.* Eosdem Machabæos fuisse genere materno ex tribu Juda nullo modo ostenditur : nam quamvis quandoque contigerit, ut Levitæ ex tribu Judæ uxores duxerint, non sequitur hanc fuisse generalem consuetudinem. Et quamvis genere materno reverà è tribu Juda oriundi essent, propter istam affinitatem non fuissent habiti ex tribu Juda; non is erat Judæorum mos : neque propterea sceptrum ad eos jure spectâsset. Jam diximus prædictum esse per Jeremiam neminem de semine Jechoniæ sceptrum laturum : ergo hoc jure hæreditatis illud non tenuerunt Machabæi.

Tertia sententia est nomine *schebet,* significari virgam judicis, et nomine *mekokek* scribam seu judicem seu senatorem : adeòque prædictum esse à Jacobo synedrium magnum seu senatum magnum, ex viris de stirpe Judæ compositum, usque ad Messiam esse propagandum. Id autem reipsà impletum dicitur : nam institutus est à Moyse supremus senatus, cui concessum est legis interpretandæ munus, uti legitur Numerorum c. 11 : atque ille senatus usque ad Christi tempora permansit; etenim senatores erant illius synedrii, qui dicuntur in Evangelio *seniores et principes populi.* Quòd autem illi senatores essent è tribu Judæ testes sunt auctores Talmudici. Alii verò statuunt non totum senatum ex Judæ posteris fuisse, sed tantùm senatûs principem, qui Moysi perpetuâ serie successit, et à Judæis olim dicebatur caput scholæ, vel princeps. Hunc ego gentis Hebrææ sceptrum tenuisse volunt, eamque ex legis statutis rexisse ac judicia exercuisse, dùm alter ex aliâ familiâ, puta Assamonæorum, etiam regis titulum et insignia gerens munia obiret militaria. Docent Talmudici insigne istius potestatis, quæ competebat huic senatûs principi, fuisse sceptrum suspensum in medio conclavi supremi Hierosolymitani synedrii.

Sed 1° nullo modo probatur, quòd senatus septuaginta seniorum à Moyse institutus, fuerit ex solis tribulibus Judæ compositus; imò ex contextu sacro contrarium concluditur. Nam Exod. 11, 16, hæc verba facit Deus ad Moysem : *Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nôsti quòd senes populi sint.* Et v. 24 legitur Moysen reverà congregâsse septuaginta viros de senibus Israel. Jam verò per vocem *Israel* intelligitur semper universus populus ex omnibus tribubus conflatus. Sic etiam Exod. 18 legimus Moysem ex consilio Jethro soceri sui *electis viris strenuis de cuncto Israel constituisse eos principes populi.... qui judicabant plebem omni tempore.* Postea cùm rex Josaphat res ad veterem normam restituere vellet, judices ex omni Israel elegit, ut legitur 2 Paralipomenon c. 19 : *In Jerusalem quoque constituit Josaphat,* ait auctor sacer, *Levitas et sacerdotes et principes familiarum ex Israel, ut judicium et causam Domini judicarent habitatoribus ejus : præcepitque eis dicens... Amarias autem sacerdos et pontifex noster in his quæ ad Deum pertinent præsidebit: porrò Zabadias filius Ismael, qui est dux in domo Juda, super ea opera erit quæ ad regis officium pertinent, habetisque magistros Levitas coram vobis.* Sic quoque in N. T., ubi mentio fit senatûs Hebræorum, senatores dicuntur *seniores populi et sacerdotes.* Ex quibus omnibus patet synedrium Judaicum nullo ævo ex solis tribulibus Judæ fuisse compositum, quod etiam docent præstantiores inter Judæos doctores.

2° Non probatur ipsum senatûs principem è solâ Judæ tribu semper esse debuisse : talis legis nullum vestigium est neque apud Moysen, neque apud alium quempiam auctorem sacrum. Maimonides doctissimus Judæorum docet illum in senatûs principem deligi consuevisse, qui in omni gente sapientiâ cæteris præcellere videbatur. Quarta sententia est cardinalis Cajetani, qui docet in vaticinio Jacobæo res duas prædici : primùm fore ut prodeat aliquando Messias è tribu Juda ; deinde ut æternum eadem tribus Judæ regnum obtineat, à Messiâ videlicet tribuli Judæ propagandum. Æternitatem igitur imperii posteris Judæ his verbis promitti vult : *Non auferetur sceptrum de Juda.* Sequentia ista verba ; *Donec veniat qui mittendus est,* ad sensum quorumdam Judæorum vertit : *Cùm venerit qui mittendus est,* ita ut æternitas regni in Messiâ complementum habitura sit. Confitetur sceptrum, quod perpetuum etiam ad Messiam usque fore promissum est, ablatum fuisse à tribu Juda, sed non penitùs, quia semper erat apud Judæos certa spes et expectatio ven-

turi Messiæ, qui restitueret tribui Judæ sceptrum et imperium in æternum mansurum. Ad eamdem sententiam quoad secundam ejus partem proximè accedit Melchioris Cani interpretatio : ait enim hunc nodum facilè expediri, si ex primo libro Machabæorum intelligamus populum Judaicum ducatum Machabæis tradidisse non tanquàm proprium et hæreditarium, sed ad legem depositi conservandum, ut videlicet Israeliticam plebem interea tuerentur, donec surgeret propheta fidelis..... Alii distinguunt inter usumfructum supremæ potestatis et ejusdem proprietatem, seu inter usum sceptri et jus ad sceptrum : docent in tribu Judæ semper mansisse supremam potestatem quoad jus et proprietatem, quamvis non perpetuò manserit quoad usum et exercitium. Sed est hæc sententia parùm probabilis. Prior pars interpretationis cardinalis Cajetani, deprompta ex Judæorum scriniis, nimis aliena est à christianâ expositione, qualem nobis tradiderunt omnes Ecclesiæ Patres et Scripturæ interpretes, uti supra diximus. Notam et significationem temporis, quo venturus erat Christus detrahit vaticinio Jacobi contra veterum etiam Judæorum opinionem, qui hoc oraculo tempus Messiæ signari docuerunt. Aliud prætcrea vitium inhæret isti Cajetani interpretationi, quòd simillimis fermè Jacobi verbis, sceptrum nempe et dux, duas res planè diversas significari dicatur, regnum nempe temporarium quod usque ad Messiam non erat penitùs auferendum, et regnum æternum quod post Messiam debuit constitui, licet nullam distinctionis interpositam notam assignet, quâ aliud ab alio, temporarium ab æterno, distingui debere comprobet. Quod spectat verò secundam interpretationis partem, longissimè certè distant hæc duo *sceptrum* et *spes sceptri*, vel sceptri exercitium et jus ad sceptrum. Auferri sceptrum dicitur ab aliquo quando solio dejicitur, nec illi ullus permittitur supremæ potestatis usus, maximè si ille sceptri usus per annos quingentos auferatur, neque unquàm recuperetur. Propter hanc aliam rationem Jacobi verba, quibus significatur sceptri perpetuus usus et successio perpetua judicum, converti non debent ad significandam spem regni, quòd in istâ sententiâ tolleretur nota temporis adventûs Messiæ, et hodiè etiam dicere Judæi possent, manere apud ipsos, et illam spem, et illud jus imperii, quod juxta eorum fidem in Messiâ recuperaturi sunt.

Quinta sententia est illustrissimi Huetii, qui observat res quatuor notandas esse in his Jacobi verbis : *Non auferetur sceptrum de Juda et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium.* Prima prædictionis pars, inquit, hæc est : *Non auferetur sceptrum de Juda*, quâ æterna sceptri possessio Judæ spondetur. Alterum prophetiæ membrum hoc est : *Et dux de femore ejus*, quo temporarius et caducus Judæ præsignificatur principatus. Tertium est istud : *Donec veniat qui mittendus est*, quo temporarii hujus regni finis et Messiæ adventus prædicuntur. Postremum hoc : *Et ipse erit expectatio gentium*, quo Messiæ regnum non Chananææ terræ claudendum angustiis, sed quaquàversùs per universum orbem patens et spiritale futurum nuntiatur.

Tria itaque docet vir clarissimus : 1° Sceptrum illud Judæ promissum in Davide tantùm apud Judæ posteros cœpisse : neque enim, inquit, id sibi Jacobus vult, statim post suam prædictionem Judam regni possessionem aditurum ; imò verò prospiciebat in longitudinem cùm hæc diceret : *Congregamini ut annuntiem quæ ventura sunt vobis in diebus novissimis.* 2° Ut ostendat sceptrum et ducatum penès Judæ posteros fuisse usque ad Messiam, eadem ferè habet quæ Cajetanus et Melchior Canus, scilicet potestatem sceptri Judæ posteris promissam et attributam fuisse, ut secundùm proprietatem ad eos pertineret, quamvis ususfructus ad alios transiret. Itaque licet Davidis posteri regni usumfructum interdùm amiserint tamen ipsius jus regni, ejusque per Messiam recuperandi spes certa ablata non est. 3° Ut ostendat sceptrum promitti æternum, statuit idem fuisse Davidis et Messiæ regnum, quamvis in Davide ejusque posteris ante Christum terrena fuerit potestas, in Christo autem spiritalis. Enimverò prior illa rudimentum quoddam et adumbratio fuit posterioris. Unde Messias Davidis hæres fuit propterea quòd illius regnum jure sanguinis tandem recuperavit, velut debitam hæreditatem ; at immutatam, auctiorem ac nobiliorem, maximisque incrementis et insigni accessione amplificatam ; quam enim terrenam, angustam et temporariam reliquerat David, immensam, cœlestem, æternam, nullisque deinceps mutationibus obnoxiam Christum cepisse. Quemadmodùm enim, ait illustrissimus auctor, Pharamundi successor verè est et habetur Ludovicus XIV, licet non eamdem ditionem tenuerit Pharamundus, alterique regioni præfuerit, ita verus ac legitimus Davidici regni successor habendus

est Christus, licet alterius generis imperium obtineat; præsertim cùm hic Davidico sanguine cretus sit, ille Pharamundi non sit.

Quamplurima sunt certè in prædictâ interpretatione, quæ ab auctore nullatenùs probantur, scilicet per *schebet* seu sceptrum aliam potestatem intelligendam esse, quàm per vocem *mekokek* seu ducem. Est illa assertio contraria, tum veterum Judæorum, tum omnium fermè Christianorum sententiæ, et hujus vaticinii etiam contextui : nam verba quæ præcedunt et sequuntur, respiciunt tribûs Judæ numerositatem, regionis ab eâ incolendæ ubertatem, ejus fortitudinem et triumphos, quæ omnia ad temporalem prosperitatem pertinent: ergo nec intermedia hæc, *non auferetur sceptrum*, de regno æterno et spiritali debent intelligi. Præterea est id maximè singulare et nullo satis probabili nixum argumento, quòd voci *donec* ab eo in eâdem sententiâ duplex tribuatur significatio : nempe quatenùs illa vox refertur ad temporale regnum Judæ, indicat ejus finem et significat *usque dùm*; quatenùs verò regnum Judæ æternum et non auferendum respicit, rei continuationem denotat, idemque sonat ac *interea*.

Sexta sententia est quam clarissimus vir de Tournemine exposuit in diario Trevoltiano, initio hujus seculi, mense scilicet martio anni 1705, et quam si suam non fecerit, commendavit saltem illustrissimus Aniciensis episcopus in suo elegantissimo de Prophetiis opere. Censent hi omnes, quibus implicatur hoc vaticinium, ambages ex pravâ fortassè textûs interpretatione oriri : et ubi legitur : *Non auferetur sceptrum de Juda et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est*, legendum potiùs esse : *Non auferetur sceptrum de Juda et dux, de femore ejus donec veniat qui mittendus est.* Scilicet virgulam quæ in vulgatâ editione posita est post illas voces *de femore ejus*, ab illo loco transfert et collocat immediatè post vocabulum *dux*, ita ut vox ista *dux* conjungatur cum prioribus verbis, *non auferetur* sceptrum de Juda; verba autem ista, *de femore ejus*, copulentur cum immediatè subsequentibus, *donec veniat*, etc. Ex quâ interpunctione sensus planè novus oritur, et significatur solummodò nunquàm defuturum principem et legislatorem in Juda, donec ex ejus stirpe seu progenie nascatur qui mittendus est; nec necesse est ut ille princeps et legislator sit de stirpe Juda ; potest his nominibus designari ipse Deus, qui juxta pactum initum ad montem Sinai, fuit rex et legislator in Israel : *Dominus Judæ noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster*, inquit Jeremias, *ipse salvabit nos.* Benè ergo exponi potest prophetia hoc sensu : Non auferetur regnum Dei, præsidium Dei, legislatio Dei, favor Dei ex domo Juda, donec ex stirpe ejus nascatur Messias. In hâc sententiâ 1° non est necesse reges seu principes in domo Judæ longo ordine enumerare, qui usque ad Messiam Judæis imperitaverint : vel probare tribui Judæ toto illo tempore fuisse singulare regnum sui juris, nec alienæ auctoritati obnoxium, quod maximam molestiam facessere solet aliarum expositionum assertoribus. 2° In hâc interpretatione eventus ostenditur mirè consentire cum vaticinio : nam divinus favor et præsidium semper conspicua fuêre in tuendâ et augendâ tribu Judæ, nec minùs in rebus adversis quàm in rebus prosperis enituêre ; nunquàm magis quàm in ipsâ captivitate Babylonicâ, quo tempore plures habuêre Judæi Dei Prophetas, et plura edidit Deus pro eorum salute miracula : et profectò sufficit in hâc sententiâ ostendere tribum Judæ nunquàm fuisse exterminatam aut dispersam per gentes, et cum illis sic permixtam, ut genealogiarum seriem amiserit. 3° Tollitur in hâc sententiâ illa objectio petita ex Christi et Apostolorum silentio circa istud vaticinium Jacobi, quia hoc sensu intellectum laudatum sæpiùs invenietur quàm ullum aliud, ut Matthæi 21, v. 43 : *Ideò dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus.* Notat idem auctor hanc suam interpretationem consistere etiam cum vulgari lectione et absque mutatione interpunctionis, si illas voces, *de femore ejus*, vertas per has, *de medio civium suorum.*

Sed hæc interpretatio ob multiplicem causam admitti non posse videtur : 1° quia nova est et aliena ab interpretatione omnium Patrum et scholæ theologorum, nec licere videtur unicuique partes Scripturæ principales, quæ pertinent ad adstruenda fidei fundamenta, quales sunt prophetiæ, pro libito interpretari ; id à synodo Tridentinâ sessione quartâ vetitum est. 2° Quamvis Scripturæ sacræ interpunctio, qualis habetur in bibliis nostris, non sit per se magnæ auctoritatis, tamen ubi aliqua interpunctio fuit confirmata auctoritate præcedentium seculorum, et suffragio non tantùm SS. Patrum, sed etiam veterum Judæorum, non videtur licere ab illâ recedere saltem in re gravi. Da istam licentiam Socinianis, vix ullum est nostræ Religionis mysterium quod

suis argutiis tollere non conentur. 3° Cuique in Scripturarum sacrarum sermone versato statim patebit, novæ interpunctionis rationem alienam esse ab usu scripturum sacrorum, atque convenientius Scripturarum sacrarum indoli illa verba, *de femore ejus*, referri ad præcedentia, quam ad subsequentia. 4° Quia verba prophetiæ à nativâ eorum significatione detorquet: nulli enim interpreti christiano in mentem venit, vocabula, *sceptrum* et *legislator*, vertere per regnum vel providentiam Dei: omnes intellexêre vel regiam, vel supremam, vel politicam aliquam potestatem, ut patet ex superiùs dictis et ex modo dicendis magis erit in conspicuo. 5° Quia hæc interpretatio nimis accedit ad quorumdam Judæorum recentiorum effugia quærentium sensum, qui ut suprà diximus per *schebet* intelligunt *baculum consolationis*, et consequenter aliquam ansam Judæis præbet, levem equidem fateor atque futilem, sese defendendi. Siquidem contendent etiam in præsenti suâ calamitate multa existere divini favoris et providentiæ suis rebus invigilantis argumenta: ipsam suam conservationem tam singularem, per tot secula et in tanto infortunio, summum esse Dei beneficium et per eam compleri etiamnùm hæc Dei per Jeremiam verba: *Noli timere, serve meus Jacob, quia ego disperdam omnes gentes ad quas ejeci te, te verò non disperdam; sed castigabo te in judicio, nec quasi innocenti parcam tibi*: non esse ergo etiam nunc ablatum sceptrum à Judâ.

Septima sententia eorum est, qui putant per sceptrum intelligendam esse potestatem regiam vel regiæ æqualem, qualis juxta eos non extitit apud Hebræos ante Saülem, septingentis circiter annis post prolatam prophetiam: hâc supremâ potestate tandem potitum esse Davidem, et perseverâsse in domo ejus usque ad deportationem Babylonicam: tunc temporis contigisse brevem sceptri interruptionem. Illud restitutum Judæ fuisse edicto Cyri regis Persarum, et permansisse usque ad Herodem alienigenam, non sub formâ monarchicâ, sed aristocraticâ.

Sententia hæc quamplurimos habet defensores: at multis est obnoxia difficultatibus. Nam 1° differtur initium sceptri per longissimum septingentorum annorum intervallum usque ad Davidem: quod abhorret à naturali sensu horum verborum, *non auferetur sceptrum à Juda*, quæ supponere videntur jam illud in Judâ existere. Quod verò asserunt Jacobum expressè noluisse vaticinari nisi de novissimis temporibus, verum non est, et ad rem non pertinet. Verum non est, quia vox hebræa quæ vertitur, *novissimis temporibus*, verti potest, futuris vel subsequentibus temporibus. Ad rem non pertinet, quia in istâ prophetiâ quædam reverà spectant novissima tempora, nempe continuatio sceptri usque ad Messiam; sed non proptereà initium sceptri rejiciendum est ad illa novissima tempora. 2° Illius sententiæ auctores sibi non constant: nam omnis civitas libera gaudet supremâ potestate: si ergo tribus Judæ unquàm fuerit ante Davidem libera, habuit supremam potestatem sub formâ, vel monarchicâ, vel aristocraticâ, vel democraticâ, vel mixtæ politiæ. Cùm ergo tribus Judæ fuerit libera multis seculis ante Davidem, cur supremam potestatem habuisse dicenda non est? Post tempora Josue cùm tribus Judæ primas partes egerit in populo Israel, habuerit principes, quibus competebat non tantùm judiciaria potestas, sed omnis potestas executiva, seu civilis, seu militaris, et jus vitæ et necis, omnis quoque potestas fœderativa, seu jus belli et pacis, fœderumque sanciendorum; nullâ certè parte caruit supremæ potestatis quàm legislativâ, quæ post Moysen nunquàm in republicâ hebraicâ fuit. 3° Non ostenditur supremam potestatem, qualis extitit in Davide, perseverâsse in tribu Judæ usque ad Messiam. Nullam fuisse potestatem legislativam in illâ tribu fatentur prædicti auctores: sed nec semper habuisse videtur eam partem supremæ potestatis quæ fœderativa dicitur, seu jus belli et pacis, fœderumque paciscendorum, cùm obnoxii viverent Persis, Græcis, et Romanis, et eorum essent vectigales. Nescio etiam an defendi possit remansisse apud eam tribum potestatem executivam, saltem integram, quando pontifices et supremi magistratus per exteros principes deligerentur. Judiciaria quidem mansit ac civilis, sed ea pars minima est supremæ potestatis, omnibusque devictis gentibus fuit semper relicta, quibus leges suas servare concessum est.

Octava sententia, cujus vindices laudantur SS. Epiphanius, Cyrillus, Augustinus et recentiores quamplurimi, statuit vocem *schebet* significare non regiam auctoritatem, vel aliam regiæ similem, sed facultatem suis legibus et magistratibus utendi; et hæc prædici à Jacobo tribum Judæ in ratione communitatis seipsam regentis et civiliter gubernantis semper esse permansuram, donec adveniat Messias; quo tempore sublatum iri tum regimen tribûs Judæ,

tum ipsam communitatem. Quæ explicatio cum eventu consonat : nam decem tribubus in dissitas regiones expulsis ac dissipatis, sola tribus Judæ sedibus propriis restituta jurisdictionem suam civilem, propriam politiam et aliquas supremi imperii partes usque ad Christum Dominum servavit.

Itaque 1° in hâc sententiâ nomine sceptri intelligenda est politia seu administratio civilis propria et legibus suis utendi libertas; unde quamvis potestatis hujus seu jurisdictionis exercitium penès viros fuerit è tribu Judæ minimè oriundos, tamen illi magistratus semper proprii fuêre tribus Judæ, eamque administrârunt propriis ipsius legibus, quod satis erat ut penès ipsam sceptrum permaneret. 2° Nomen Judæ juxta hanc sententiam non solùm significat tribum Judæ, sed præterea Benjaminitas ac Levitas, qui unam cum eâ tribu civitatem conflabant, et eodem nomine continebantur. Enimverò tribûs Judæ proprium erat sceptrum, licet multi ex aliis tribubus in Judæ sorte ejus posteris immixti habitarent, quia sub dominatu Judæ censebantur. 3° Plerique hujus sententiæ defensores, cùm existiment in oraculo Jacobi non significari sceptrum semper fore penès aliquos è tribu Judæ oriundos, necesse habuerunt hæc verba : *Mibben raglau, de inter pedes ejus,* aliter exponere quàm cæteri interpretes. Non enim significari putant hâc formâ loquendi genus et stirpem, quasi patriarcha diceret, *de semine ejus,* sed possessionem, similitudine sumptâ à leone, qui constrictam pedibus suis prædam sibi eripi non patitur. Itaque prædixit patriarcha tribum Judæ, quam leoni comparaverat, sceptrum et imperium postquàm ad ea pervenerit semper esse ad Messiam usque retenturam.

Ad statuendum autem initium et finem sceptri in tribu Judæ, duo præterea observari jubent. Primum est ad partem terræ sanctæ, quâ tribus Judæ potitura erat, respexisse patriarcham, sicut et in reliquis filiorum suorum benedictionibus : unde initium sceptri repetendum esse ex illo tempore, quo in terrâ Chanaan sortem suam tribus Judæ obtinuit. Tunc enim primùm Judæ tribus in sorte sibi assignatâ reipublicæ formam habere cœpit : et promissum est illam in portione sibi assignatâ usque ad Messiam mansionem et formam reipublicæ semper habituram. Alterum est, hoc oraculo Jacobi non præfiniri punctum aliquod temporis, quo cùm advenerit Messias, tribus Judæ statim excidat omni potestate suâ et formam reipublicæ amittat : neque enim simul, sed gradatim ablata videtur à Judæis potestas sua politica. Primùm enim impleri cœptum est oraculum tempore Herodis, quem cùm Judæi è numero fratrum non esse intelligerent, jam adventare præfinitum Messiæ tempus agnoverunt. Nondùm tamen tunc penitùs ablatum esse sceptrum multi docent, quia licet regem haberent Herodem alienigenam et sibi invitis datum, proprium tamen usque ad mortem Archelaï Herodis filii habuerunt. At mortuo Archelao propriè sceptrum defecisse volunt : tunc enim Judæa in provinciam Romanam redacta est, et deinceps nulli proprio regi, vel duci, vel judici paruit, sed præsides tantùm inferioresque magistratus ab imperatoribus Romanis habuit. Tandem post ultimam urbis vastitatem ne vestigium quidem et umbram civilis jurisdictionis retinuerunt Judæi, tuncque in tribu Judæ plenè completum est, quod olim decem tribubus contigerat, quando deportati sunt in Assyriam, aliasque regiones, ubi nullos duces, nullos magistratus proprios, à quibus regerentur, habuerunt.

Sententiam hanc multùm habere probabilitatis fatetur illustrissimus Huetius, at in eâ tria reprehendit : 1° Quòd per sceptrum intelligatur civilis administratio et facultas propriis legibus utendi, cùm principes aliquos Judâ oriundos sequentia ista demonstrent, *et dux de femore ejus,* nec ulla afferatur distinctionis nota unde probetur ad diversa pertinere *sceptrum* et *dux.* 2° Improbat quòd vox *Juda* non de solâ tribu Judæ intelligatur, sed etiam de reliquis aggregatis tribui Judæ, cùm Moyses clarissimè significaverit ad solam tribum Judæ ea spectare. 3° Quòd Judæi post captivitatem Babylonicam ex Babyloniorum Persarumque nutibus dependentes, et Græcis postea tributarii, dici non possint supremum ac verum habuisse imperium, sed precarium et alienis arbitriis obnoxium. At prima ratio vana est, quia autonomia seu facultas suis utendi legibus et judex non sunt res tam dissimiles, ut in eâdem phrasi non possint conjungi : nihil habet inconditum hæc sententia : *Non auferetur à Juda potestas civilis sua et judex :* et reverà sceptrum propriè non significat principem, sed insigne potestatis. Secunda etiam ratio nulla est, quia hujus sententiæ patroni dicere possunt verba prophetiæ spectare propriam tribum Judæ et in eâ habuisse complementum, uti mox ostendemus. Tertia ratio prædicti auctoris impugnat omnes alias expositiones præter suam minimè proba-

bilem : sententiæ hujus assertores non contendunt extitisse apud Judæos post captivitatem imperium prorsùs liberum, sed facultatem suis utendi legibus, quod in dubium revocari non potest. Id unum desiderari videtur ut ab ipso Judæ oraculo initium sceptri deducatur. Malè quoque supponi videtur sub præsidibus Romanis ablatas fuisse omnes partes supremæ potestatis.

Nona et ultima sententia est, quæ per vocem *schebet* sceptrum *tribale* significatum docet, adeò ut sensus prophetiæ sit : *Non deficiet sceptrum tribûs Judæ, seu auctoritas tribûs constitutiva et illius administratrix, donec veniat Messias.* Jam verò talis auctoritas reverà in tribu Judæ ab ipsâ morte Jacobi usque ad Christum semper fuit, atque in nullâ aliâ permansit. Cùm hæc sententia simplicior sit, verbis prophetiæ æquè consonet ac superior modò memorata, imò pleniùs evolvat prophetiam, minùs sit objectionibus obnoxia, illam ut potiorem brevissimè defendemus.

PROPOSITIO. — *Inter varias vaticinii Jacobi expositiones illa potior videtur, quæ per* schebet *intelligens sceptrum tribale seu auctoritatem tribûs constitutivam, et per* mekokek *judicem, sic vertit verba Jacobi : Non auferetur virga seu sceptrum tribûs Judæ, nec deficient judices ex eâ, donec veniat Messias.*

PROBATIO.

Illa expositio potior est, quæ 1° magis est obvia et naturalis; 2° juxta quam evidentem et plenissimam completionem habuit eadem prophetia; 3° quæ iisdem objectionibus, quibus cæteræ patent, non est obnoxia; 4° quæ æqualiter valet ad revincendos Judæos. Atqui 1° est illa expositio maximè naturalis et obvia. Nam vox *schebet* significat propriè baculum, unde translata est ad varios usus et ad varias significationes deflexa; sed præsertim apud Judæos prioribus temporibus ad significandum insigne tribûs usurpabatur, cùm regius baculus apud ipsos nullus esset. Ex Numerorum c. 17, v. 2, colligitur principes tribuum virgas gestare consuevisse; et c. 18, v. 2, illa virga à vulgato interprete sceptrum vocatur. Propter hanc rationem tribus ipsa sæpiùs quàm alia quævis res, per vocem *schebet* denotatur : « Traductum nomen est, inquit Menochius de Republicâ Hebræorum lib. 1, c. 4, ad significandam tribum, quòd unaquæque tribus suam peculiarem virgam haberet, nomine suo inscriptam, quam tribuum principes gestare consueverant... Cùm Dominus Aaronem his verbis alloquitur : *Sed et fratres tuos de tribu Levi et sceptrum patris tui sume tecum :* intellige sceptrum ipsum et totam tribum, quæ sceptro significabatur et regebatur. » — Non est eadem interpretatio ullo modo aliena à veteribus versionibus, quarum pleræque vocem *schebet* vertunt generatim virgam, potestatem, imperium. Neque abhorret ab iis quæ vertunt principem, habentem principatum, regem : nam juxta antiquam loquendi consuetudinem erant duces variarum tribuum, constante aristocratiâ, reverà principes et reges, quæ voces non semper monarchicam designant potestatem, quæ post captivitatem Babylonicam in civitate judaicâ nusquàm fuit, quamvis ex Assamonæis quidam nomen et insignia regis assumpserint. Et reverà tam his capitibus tribuum competebat nomen principis, vel ducis, vel etiam regis, quàm ducibus familiarum Esaü; quàm quatuor illis regibus, quos manu 318 servorum et auxiliaribus quibusdam copiis fudit Abraham; quàm triginta et uni regibus, quorum ditionem partiti sunt principes duodecim tribuum Israel. In libris Paralipomenon hi principes familiarum, etiam dùm in Ægypto essent, exhibentur ut exercituum duces, qui quandoque contra exteros bella gerebant : de filiis enim Ephraïm dicitur : *Occiderunt autem eos viri Geth indigenæ, quia descenderant ut invaderent possessionem eorum.* Septuaginta interpretes sexcentis in locis capita tribuum appellant principes et duces, sicut et tribus appellant sceptra, ut 1 Reg. 10, v. 19 : *Nunc autem state coram Domino per sceptra vestra.* Ergo sensus naturalis verborum Jacobi est : Inter varia sceptra tribuum illud Judæ non auferetur usque ad Messiam.

2° Juxta hanc interpretationem evidentem et plenam completionem habuit prophetia. Nam inprimis ab ipsâ morte Jacobi exitum habuit. Constat enim ejus filios non constituisse diversas tribus, distinctosque populos ante mortem istius patriarchæ : Geneseos 46, v. 26, satis indicatur omnes filios cum patre familiam unam effecisse : *Cunctæ animæ quæ ingressæ sunt cum Jacob in Ægyptum et egressæ sunt de femore illius, absque uxoribus filiorum ejus, sexaginta sex. Filii autem Joseph, qui nati sunt ei in terrâ Ægypti, animæ duæ. Omnes animæ domûs Jacob fuêre septuaginta.* Vivente ergo Jacobo unica erat domus. At verò Jacob in extremis positus familiam suam in duodecim domos et tribus divisit, atque singulis singulas benedictiones impertivit : duodecim filios totidem populorum principes constituit. Id ex eo patet, quòd fa-

milias Ephraim et Manasse ex uno Josepho prognatas in duas tribus constituerit Jacob, jusseritque eos post mortem patris suis Josephi esse principes populorum duorum; vetuerit autem ne eadem ratio aliorum ejus filiorum haberetur : *Ephraïm et Manasses,* ait patriarcha Geneseos c. 48, v. 5, *sicut Ruben et Simeon reputabuntur mihi : reliquos autem quos genueris post eos, tui erunt, et nomine fratrum suorum vocabuntur in possessionibus suis.* Ad nullum aliud tempus referri potest divisio tribuum, qualis postea semper obtinuit, et reverà Jacobus in his ipsis benedictionibus filios suos alloquitur non tanquàm privatos, sed ut capita repræsentantia tribus suas : ideò in benedictione Dan ait : *Dan judicabit populum suum, sicut alia tribus in Israel :* quia, ut exponit Vatablus, penès ejus sobolem in communi politiâ pars gubernationis et imperii erit, ut tribus ista caput unum efficiat. Hinc etiam Moyses ait Gen. 49, 28 : *Omnes hi in tribubus Israel duodecim;* Hebraicè : *Omnes istæ tribus Israel duodecim.* Tunc ergo incœpit politia tribûs Judæ et sceptrum tribule communitatis; nam quid est tribus nisi multitudo hominum regimine aliquo coadunata? et hoc sceptrum sine dubio illud fuit, quod continuandum in Judâ usque ad Messiam prædixit Jacob, cùm à cæteris esset sceptrum auferendum et earum communitas dissolvenda.

Deinde ex illo tempore extitit sceptrum in Judâ et dux de femore ejus. Hâc potestate tribuli usi sunt principes tribuum in ipsâ terrâ Ægypti, ut patet ex multis locis. Ex. c. 3, v. 16, Deus ait ad Moysen : *Vade, et congrega seniores Israel,* vel ut habent septuaginta Interpretes, *senatum filiorum Israel;* c. 16, v. 22 : *Venerunt omnes principes multitudinis et narraverunt Moysi.* Similes formæ loquendi passim inveniuntur, ex quibus constat in ipsâ Ægypto fuisse aliquam auctoritatem principum in tribules suos et etiam quoddam regimen aristocraticum atque commune consilium.

Idem seniorum regimen obtinuit sub Moyse in deserto : hinc lapides duodecim pectoralis summi pontificis inscripti sunt nominibus duodecim tribuum. Hinc Numerorum c. 1, cùm esset recensio facienda filiorum Israel, Moyses jussus est eam facere cum Aarone et principibus tribuum : *Eruntque vobiscum,* ait Deus, *principes tribuum ac domorum in cognationibus suis, quorum ista sunt nomina.* Post recitata nomina v. 16, hæc adduntur : *Hi nobilissimi principes multitudinis per tribus et cognationes suas.* Superiore certè gaudebat potestate Moyses, sed extraordinariâ et ad tempus divinitùs concessâ, sicut post eum Josue ac cæteri judices; sed eorum supereminens auctoritas auctoritatem ordinariam principum in tribubus suis non prorsùs tollebat.

Obtinuit multò magis idem imperium post Moysen, cujus multa sunt indicia : libri Josue c. 22, v. 14, legimus : *Et miserunt in terram Galaad Phinees filium Eleazari sacerdotis et decem principes cum eo, singulos de singulis tribubus.* In cantico Debboræ principes isti sic describuntur Judicum c. 5, v. 9 : *Cor meum diligit principes Israel : qui propriâ voluntate obtulistis vos discrimini, benedicite Domino, qui ascenditis super nitentes asinos, et sedetis in judicio.* « Hi tribuum principes, ait Menochius de Republicâ Hebræorum libro 1, cap. 6, reipublicæ Hebraicæ erant megistanes et capita et totius populi magistratus; sive judex esset, sive rex, aderant, et cum illo sedentes partim consilium inibant, partim jus reddebant : quin etiam simul cum summo reipublicæ capite, judice aut rege obligabant, si quid esset jurejurando publico sanciendum. » Negare multò minùs potest sceptrum in Juda mansisse sub regibus, præsertim à Davide usque ad captivitatem Babylonicam. Imò quæcumque fuerit illorum regum auctoritas, non prorsùs sustulit auctoritatem principum tribuum, ut loco modò citato docet Menochius. Hincque illæ, quæ tempore Davidis factæ sunt ordinationes pro servitio divino, factæ dicuntur auctoritate principum sicut et Davidis, Esdræ 8, 20.

Post decem tribuum discessionem à Roboamo Salomonis filio, tribus Benjamin et pars tribûs Simeon, plurimæque familiæ seu Leviticæ seu ex aliis tribubus ad tribum Judæ sunt aggregatæ, inter quas tamen sic eminebat tribus Juda, ut sæpè illarum nulla ratio habeatur et nomen suum amiserint : sic 3 Regum c. 11, v. 31, Ahias propheta ait ad Jeroboam : *Tolle tibi decem scissuras* (nempe pallii) *: hæc enim dicit Dominus Deus Israel : Ecce ego scindam regnum de manu Salomonis, et dabo tibi decem tribus. Porrò una tribus remanebit ei.* Post captivitatem Assyriacam in tribûs Judæ ditionem concesserunt reliquiæ decem tribuum, ut patet ex historiâ regis Josiæ 2 Paralipomenon cap. 33 : *Abstulit ergo Josias,* inquit auctor sacer, *cunctas abominationes de universis regionibus filiorum Israel, et fecit omnes qui residui erant servire Domino Deo suo.* Et tamen 4 Reg. c. 17, v. 18, legimus : *Iratus est Dominus vehe-*

menter Israeli, et abstulit eos à conspectu suo, et non remansit nisi tribus Juda tantummodò. Ubi nulla ratio habetur neque tribûs Benjamin, neque reliquiarum ex aliis tribubus aggregatarum tribui Judæ, quia hæc sola servavit sceptrum suum et duces suos : atque ex hoc eventu intelligimus aliquatenùs, cur Deus permiserit separationem decem tribuum à domo Juda, nempe ut eâdem calamitate cum Israelitis non includeretur, quod accidisset si tempore captivitatis Assyriacæ unum regnum tribus Juda cùm cæteris constituisset ; quem eventum ad completionem suæ promissionis Deus pluribus ante seculis præcavit.

Ipso tempore captivitatis Babylonicæ non ita ex alieno jure et imperio pendebant Judæi, quin suis institutis et magistratibus uterentur, quod patet ex duobus edictis Artaxerxis regis Persarum relatis in libro Esdræ capitibus 13 et 16. In priore, quod latum est contra Judæos, dicitur, quòd Judæi *perversis uterentur legibus, et contra omnium gentium consuetudines facerent.* In secundo verò, quod datum est in eorum gratiam, dicitur, *quòd justis uterentur legibus.* Quisquis fuerit ille rex Artaxerxes, patet ex istis edictis Judæos usos esse in captivitate propriis legibus. Idem etiam constat ex historiâ Susannæ, Danielis c. 13, ex quâ concluditur etiam mortis pœnâ plectendi reos relictam Judæis potestatem fuisse. Varia quoque loca ex libris Esdræ et Estheris laudari possunt, in quibus docemur Judæos etiam captivos formam servâsse communitatis, quæ proprios optimates et judices habuerit, qui postea populum reducem in patriâ suâ gubernârunt. Quin etiam regiæ dignitatis aliquod vestigium retinuit Joachim rex Juda. Legimus enim 4 Regum c. 25, v. 27 : *Sublevavit Evilmerodac rex Babylonis caput Joachim regis Juda de carcere, et locutus est ei benignè, et posuit thronum ejus super thronum regum qui erant cum eo in Babylone.* Ex quibus omnibus liquet Judæos à rege Babylonis translatos fuisse non tanquàm mancipia, sed potiùs tanquàm colonos, quibus urbs regia, nuper multùm amplificata, magis frequentaretur, et ideò sine dubio à Jeremiâ c. 29, jussi sunt Judæi domos ædificare, hortos plantare et inquirere pacem civitatis ad quam translati sunt : quæ præcepta servis et mancipiis data non fuissent. — Sed demus intermissum fuisse sceptrum tempore captivitatis Babylonicæ, non est ablatum, tum quia brevissimum fuit istius deportationis tempus, comparatum cum tribûs duratione : tum etiam quia certa spes erat post definitum tempus illud recuperandi ; habueruntque apud se prophetas, Dei quasi à latere legatos, ad eorum erigendam spem. Daniel c. 9, exhibetur attendens ad numerum annorum, de quo factus fuerat sermo Domini ad Jeremiam prophetam, ut complerentur desolationis Jerusalem septuaginta anni. Judæi in canticis et precibus suis Jerusalem semper memores fuerunt, et in servandis genealogiis diligentes extiterunt, ut ex Psalmis et libris Esdræ atque Paralipomenon conspicuum est.

Postea verò solutâ edicto Cyri captivitate, mansit in tribu Juda civilis potestas. Primùm ista tribus sola fermè in patrias sedes remeavit; unde et regio omnis Judæa dicta fuit, et civitas ipsa appellata est populus, seu regnum Judæorum. Deinde leges proprias propriosque magistratus illo tempore habere Judæis concessum est : id expressè permissum fuit ab Artaxerxe in decreto quod legitur Esdræ 7 his verbis : *Tu autem, Esdra, secundùm sapientiam Dei tui, quæ est in manu tuâ* (id est, secundùm legem Moysis) *constitue judices et præsides, ut judicent omni populo, qui est trans flumen : et omnis qui non fecerit legem Dei et legem regis* (id est, hoc constitutum) *diligenter judicium de eo erit, sive in mortem, sive in exilium, sive in condemnationem substantiæ ejus, vel certè in carcerem.* Præterea testatur Josephus reipublicæ Judaicæ formam post reditum è captivitate aristocraticam fuisse.

Denique sub Assamonæorum, Herodis et præsidum Romanorum regimine civilem quoque jurisdictionem et legitimæ reipublicæ formam tribus Juda seu populus Judaicus retinuit. 1° Sub Assamonæis, quia isti non tantùm ex electione populi summæ rei præfuerunt, donec surgeret propheta fidelis, ut habetur libro 1 Machabæorum, c. 9 et 13, sed etiam graviora negotia ex consilio et auctoritate senatûs administrabant, ut patet ex epistolis Judæorum ad Spartiatas et ad Romanos iisdem libris Machabæorum descriptis. 2° Sub Herode, qui, fuerit alienigena necne (atavis Judæis prognatus haberi voluit, et à multis ortus creditus est) summum zelum pro religione Judaicâ semper testatus est, et propriis sumptibus templum magnificentissimè instauravit, populum juxta legem Moysis, veteresque consuetudines, proprius ejus rex gubernavit. 3° Sub præsidibus etiam Romanis, sub quorum administratione non fuit Judæis ablata, neque lex sua, neque judiciaria omnis potestas, ut patet ex

multis testimoniis quæ ex ipso Evangelio afferre licet; v. g. Joannis c. 8, v., 31, legimus: *Dicebat ergo Jesus ad eos, qui crediderunt ei, Judæos: Si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis, et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos. Responderunt ei: Semen Abrahæ sumus, et nemini servivimus unquàm: quomodò tu dicis: Liberi eritis?* Ex quo loco patet Judæos non existimâsse se isto tempore libertate suâ excidisse. Idem constat ex historiâ mulieris in adulterio deprehensæ, quæ legitur initio ejusdem capitis: *Adducunt autem,* inquit beatus Joannes, *scribæ et pharisæi mulierem in adulterio deprehensam; et statuerunt eam in medio, et dixerunt ei: Magister, hæc mulier modò deprehensa est in adulterio; in lege autem Moyses mandavit nobis hujusmodi lapidare: tu ergo quid dicis?* Matthæi c. 18, v. 17, quando hæc verba ad discipulos suos fecit Christus: *Cavete autem ab hominibus, tradent enim vos in conciliis, et in synagogis suis flagellabunt vos;* supponit pœnas irrogandi potestatem judicibus Judæorum relictam fuisse; quâ potestate usos reverà esse in Actis Apostolorum et in Epistolis beati Pauli legimus. Quando Pilatus judicium Christi Domini à se amovere volens dixit ad Judæos: *Accipite eum vos, et secundùm legem vestram judicate eum;* et c. 19, v. 6: *Accipite eum vos, et crucifigite: ego enim non invenio in eo causam:* significavit non esse ablatam à Judæis omnem jurisdictionem etiam capitalem. Nequaquàm certè verisimile est voluisse Pilatum derogare supremæ jurisdictioni imperatorum Romanorum; eumque, si Judæis à Cæsare omnis facultas capitaliter in sontes animadvertendi adempta esset, illius exercendæ licentiam concedere ausum fuisse. Præterea numquid non Saulus spirans minarum et cædis in discipulos Domini accepit à principe sacerdotum epistolas ad synagogas, ut si quos invenisset Christi discipulos, vinctos perduceret in Jerusalem? Numquid non sanctus Stephanus publicè coràm concilio accusatus est, et auditis falsis testibus publico judicio condemnatus propter verba adversùs locum sanctum et legem, et morte mulctatus? Numquid non et beatum Paulum in judicium pertrahere et interficere volebant, cùm à Lysiâ tribuno militum ex eorum manibus ereptus est? quod Ananias princeps sacerdotum cum senioribus coràm Felice præside apud ejus tribunal confiteri non dubitavit: *Invenimus*, dicebant, *hunc hominem pestiferum et concitantem seditiones omnibus Judæis in universo orbe, qui etiam templum violare conatus est, quem et apprehensum voluimus secundùm legem nostram judicare: superveniens autem tribunus Lysias, cum vi magnâ eripuit eum de manibus nostris.* Fatendum tamen est, hoc jus gladii non semper à præsidibus Romanis liberum Judæorum synedrio relictum fuisse, ut patet ex hoc beati Pauli exemplo: hincque Judæi, cupientes Christi Domini injustam necem in Pilatum et Romanos rejicere, clamâsse leguntur: *Nobis non licet interficere quemquam:* quasi dixissent: Cur hujus hominis judicium nobis defers, cùm talia judicia exercere per te nobis non liceat? Ex hâc rerum Judaicarum expositione patet sceptrum datum Judæ à tempore Jacobi usque ad Christum Dominum semper mansisse: at eo tempore res Judæorum ad ruinam et interitum præcipiti lapsu vergere cœperunt. Post paucos annos urbs cum templo funditùs eversa est et dissoluta penitùs respublica. Nec fuêre Judæi ut in deportatione Babylonicâ deducti in aliquam regionem, ubi suis legibus uterentur et separatim à cæteris populis consisterent, sed publicè in foris tanquàm jumenta sub hastâ venditi, et in omnes oras tanquàm mancipia delati, ex eo tempore, nec ditionem ullam propriam, nec principem habuerunt.

3° Paucioribus difficultatibus est hæc sententia obnoxia, imò planè nullis, cùm omnis alia eas habeat, quæ multùm eruditorum torserunt ingenia. 1° Ista verba: *Non auferetur sceptrum de Judâ*, significare videntur, uti supra notavimus, sceptrum jam penès Judam esse, quia pronum fuisset, si sermo esset de sceptro futuro post septingentos circiter annos, priùs prædicere sceptri possessionem quàm ejusdem continuationem. Certè hic non obvius est verborum sensus: Post septingentos annos tandem potieris sceptro quod usque ad Messiam non auferetur. Sed iste potiùs: Sceptrum tuum non auferetur, quæ forma loquendi significat actualem possessionem. 2° In nostrâ sententiâ ipso tempore captivitatis Babylonicæ non est ablatum sceptrum à Judâ, quia mansit in Judæâ cum Jeremiâ magna populi pars, et cæteri translati Babylonem principes ac judices suos habuerunt, atque distinctam communitatem efficiebant cum spe certâ post brevissimum tempus redeundi in patriam. Sed omnis sublata tunc est suprema potestas, et interruptio sceptri contigit in contrariâ sententiâ. 3° Post captivitatem Babylonicam quomodò permanserit in Juda suprema potestas in magnâ discordiâ

sunt interpretes. Alii quidem non ipsam potestatem mansisse, sed solummodò jus ad illam cum spe recuperandi; quæ tamen spes vana fuit, cùm in Christo non temporalem quam habuerat David, sed æternam et spiritualem adepta sit tribus Judæ in Christo Domino. Alii putant mansisse supremam potestatem sub Persarum et Syrorum regibus, sed accisam et exterorum regum imperio obnoxiam, et hi quidem initia defectionis sceptri, alii cum Casaubono repetunt ab anno 63 ante Christum, quo Pompeius adversùs Aristobulum arma movens universam Judæam expugnavit, Judæosque Romanis vectigales fecit. Alii verò non priùs defecisse sceptrum volunt, quàm Herodes, juxta ipsos alienigena, invitis Judæis regnum adeptus, eos tyrannico more gubernavit, tunc verò penitùs fuisse abolitum. Alii etiam regnante Herode mansisse regnum existimant, sive quòd non existiment fuisse alienigenam, sive quòd etsi alienigena, tamen rex proprius Judæorum fuit eorum religioni addictissimus; arbitranturque non penitùs defecisse sceptrum, nisi in ultimo Jerosolymorum excidio. Hæ omnes ambages in nostrâ sententiâ planè amputantur, nec nostrâ refert fuerit alienigena necne Herodes, vel quæ imminutiones variis temporibus contigerint potestati Judæorum politicæ; fuerit administratio diversis temporibus monarchica, vel aristocratica, vel democratica, vel ex his mixta, et magis vel minùs obnoxia extraneorum imperio. Sufficit nobis quòd usque ad excidium sub Vespasiano et Tito imperatoribus servaverit tribus Juda regionem suam, legem suam, instituta et consuetudines suas, judices suos ac civilem aliquam jurisdictionem; fueritque Juda populus suis consistens legibus et ab omni alio separatus, quod est extra controversiam positum.

Et verò nulla alia causa esse potest, cur possessio sceptri per septingentos annos usque ad Davidem differatur, quàm quia per sceptrum intelligendum est unius tribûs in alias imperium, quod tunc tantùm tribui Judæ concessum est : at ista interpretatio vocis sceptri nullo modo admitti potest, quia sequeretur, nonnisi per quartam partem durationis statûs hebræi Judam tali sceptro potitum esse. Consentientibus adversariis sceptro caruit per septingentos annos usque ad Davidem; post mortem Salomonis imperium exercuit tribus Juda in solam tribum Benjamin, et post captivitatem Babylonicam sic aliarum tribuum reliquiæ ad Judam sunt aggregatæ, ut unam cum eâ tribum nullâ factâ regionum distinctione effecerint. Si per sceptrum non sit intelligendum in alias tribus imperium, cur non admittamus illud extitisse in Judâ tempore aristocratiæ à Moyse ad Davidem, imò in deserto sub Moyse, imò in Ægypto, cùm in terrâ Gessen separati ab Ægyptiis vixerint Hebræi suis consuetudinibus et suis ducibus utentes. Toto hocce intervallo, quod patet à Jacobo ad Davidem, haud magis obnoxii fuêre exterorum principum potentiæ, quàm post captivitatem Babylonicam potestati seu Persarum, seu Syrorum, seu Romanorum.

4° Demùm æqualiter valet hæc sententia ad revincendos Judæos : quia manifestissimè interiit in Judâ omnis generis sceptrum et quæcumque auctoritas politica; nullos habet duces, vel principes, vel judices, quia regionem, ubi consistebat et quæ tot promissionibus ipsi confirmata fuit, quæ in vaticinio Jacobi possidenda usque ad Messiam significatur, amiserunt à mille octingentis annis sine ullâ restitutionis spe; imò ab Adriano imperatore sub pœnâ capitali cuique eorum vetitum fuit ad illam regionem propiùs accedere, quia jam haud secùs ac decem tribus, ab Assyriis dispersæ, ipsa tribus Juda interiit; non solùm nulla remansit eorum societas propriè dicta et tribulis communitas, sed posteri Judæ jam à cæteris Israelitis distingui nullo modo possunt. Cùm olim obsessa à Romanis fuit urbs Hierosolymitana, illùc confluxerat ingens ex omnibus tribubus multitudo, quæ per omnes Orientis et Occidentis partes disjecta est, quod idem sub Adriano illis ad impostorem Barkokebam convenientibus contigit, atque post illud tempus nullibi in corpus coalescere potuerunt : hinc qui hodiè se Judâ prognatos gloriantur, nulla proferre valent suæ genealogiæ instrumenta, sed vanissimas solummodò traditiones nobis obtendunt.

Hactenùs quid per vocem *schebet*, seu sceptrum, in vaticinio Jacobi intelligendum sit explicavimus; nullam planè difficultatem involvunt alia verba quæ vertuntur à vulgato interprete, *et dux de femore ejus*. Vox *mekokek* derivatur à radice quæ significat exsculpere, scribere, describere, ac etiam statuere : unde ab aliis vertitur, legislator, ab aliis scriba, ab aliis peritus doctor legis, quamcumque versionem elegeris eumdem habes fermè sensum.

Voces *mibben-raglau,* quæ à vulgato interprete redduntur per hæc latina, *de femore ejus,* ad litteram significant, *de inter pedes ejus;* et R. Aben-Ezra et R. Kimhi ideò hoc loco usurpatas existimant, quia mos erat ut scribæ ad judicum pedes sederent. Alii verò putant Judam, ut in superioribus, sic in istis quoque assimilari leoni : ut enim leo prædam pedibus constrictam firmissimè retinet, nec illam sibi extorqueri patitur, sic à Jacobo prædicitur sceptrum usque ad Messiam Judæ haudquaquàm ereptum iri. Verùm interpretes ferè omnes his verbis significari existimant originem Judicum, qui ex Juda sunt prodituri, hincque vulgata editio habet *de femore ejus.* Onkelos et Jerosolymitanus paraphrastes vertit, *de filiis eorum,* et Jonathan, *de semine ejus,* quo sensu usurpantur eædem voces Deut. 28, 58; Is. 7, 20, et 36, 12.

De prophetiâ Isaiæ c. 7.

Ad ea quæ de hoc vaticinio superiùs disputata sunt juvat majoris perspicuitatis gratiâ hæc attexere.

In hoc Isaiæ vaticinio si quid sit obscuri, id totum oritur ex confusione duorum, qui prædicuntur, eventuum : quorum unum paucos post annos adimplendum *Achazo* prænuntiatur; alterum verò, cujus prius erit pignus, domui David, adimpletionis tempore non fixo, promittitur. Jerusalem, ut domum David evertant, proficiscuntur hostium exercitus : Dei jussu, filium suum Sar-Jasub assumit Isaias; regi et populo occurrit, eisque pollicetur futurum, ut tanquàm *titiones fumigantes* extinguantur hostes, et avertatur instans periculum. Quò vaticinio fidem conciliet, et trepidantibus addat animos, à Deo miraculum spondet : miraculum petere renuit Achaz : in hæc igitur verba prorumpens Isaias : *Audite ergo*, inquit, *domus David : numquid parùm vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis et Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum* (miraculum). *Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel*, v. 13, 14, quasi dixisset : Timetis ne familia Achaz deleatur, simulque pereat Dei promissio regni æterni in domo David? Etsi verò perierint omnes mares domûs David, attamen per feminam, per virginem intactam, potens est Dominus suscitare promissum David semen. Dabit quippe vobis salvatorem, dabit Emmanuel ex intactâ virgine; cujus tanti futuri miraculi ideò vos facio certiores, ut in imminenti discrimine non desperetis de Domini auxilio. Hactenùs Messiam ex virgine nasciturum prædicit Isaias, totamque domum David compellat : *Audite, domus David.* Quæ subsequuntur, addita forsan post intervallum, spectant ad instans discrimen, et ad Achaz dicuntur : *Butyrum et mel comedet* (nutrietur terræ copiis) *ut* (donec) *sciat reprobare malum et eligere bonum.* Dùm hæc dicebat, Sar-Jasub digito monstrabat propheta. *Quia antequàm sciat* (הנער, hicce puer) *reprobare malum et eligere bonum, derelinquetur terra, quam tu, ô Achaz, detestaris, de quâ tu sollicitus es à facie duorum regum suorum,* 15, 16, usque ad finem capitis. Hæc duo vaticinia per actionem prophetæ, nunc domum David, nunc Achaz compellantis, simulque Sar-Jasub manu ostendentis, facillimè discerni poterant. Filio sanè prophetæ nullo modo accommodari possunt, quæ de Emmanuel dicuntur; nec Emmanuel convenire, quæ de puero dicuntur, non priùs ad usum rationis perventuro, quàm discedent hostes ex regno Judæ. *Alma,* cui præfigitur *He* emphatica, nunquàm non designat virginem absconsam, à radice *Alam,* sive viro incognitam; ἡ παρθένος verterunt ante Christum Græci interpretes, atque profectò nihil dignum tantâ promissione protulisset vates, si dixisset solummodò fore ut puella conciperet, pareretque filium. Hoccine miraculum, *quod dabit Dominus ipse,* splendidius quàm ullum *in profundum inferni, sive in excelsum supra?* Perpendenti tempus, vaticinii præstantiam, vim pondusque verborum, manifestum erit, non hic agi de puero ordinario, et benè dixisse S. Matth. de nato Jesu : *Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est à Domino per prophetam dicentem : Ecce virgo in utero habebit, et pariet filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel*, c. 22, v. 23.

Actis jam quæ in c. 7 narrantur, novum à Deo mandatum accipit Isaias. Sumit volumen grande, in quo, præsentibus Uriâ et Zachariâ, hæc verba scribit : *Velociter spolia detrahe, citò prædare.* Accedit deinde ad prophetissam, quæ concipit et parit filium. Infanti, Dei jussu, imponitur nomen illud mysticum. Ut autem Sar-Jasub non debebat usum rationis attingere, antequàm hostes terram vacuam relinquerent, ita novus hic puer non debet, pater mi, mater mi, balbutire, priusquàm reges inimici spolientur. Sequitur novum vaticinium, in quo terra Judæ terra Em-

manuel, utpote ex familiâ David nascituri, dicitur, et propter eum conservatur v. 8, 10. Rectè igitur semetipsum et pueros suos vocat Isaias, *signum et portentum in Israel* quippe qui non solùm mox futuram terræ liberationem, sed etiam adventurum Emmanuel, terræ Dominum, adumbrarent. Hinc c. 9, hymno nobili laudes Emmanuel prosequitur, ejusque imperium sine fine concelebrat; et statim ad vaticinii occasionem relapsus, Ephramitis Syrisque gravissimas denuntiat calamitates.

Quæritur autem an Judæi Messiam ex virgine nasciturum expectabant? Ex imperfectis quibusdam de Messiâ traditionibus suadetur, antiquos Judæos, qui tempori Christi propiùs accedebant, haud ignorâsse Messiam nasci debere modo supernaturali. Hanc obtinuisse in Jerusalem persuasionem liquet ex Joan. 7, 26, 27, ubi contra Christi missionem urgetur: *Numquid verè cognoverunt principes quia hic est Christus? Sed hunc scimus unde sit: Christus autem cùm venerit, nemo scit unde sit.* Hæc loquendi formula, *unde sit*, πόθεν ἐστίν idem sonat, ac altera, *quo patre natus sit.* (Conf. Joan. 19, 7, 9; 1 Reg. 30, 13.) Cap. præc. v. 42, dixerant Judæi, postquàm Jesus se de cœlo descendisse affirmâsset: *Nonne hic est Jesus, filius Joseph, cujus novimus patrem ac matrem? Quomodò ergo dicit hic: quia de cœlo descendi?* Adeò ut Jesum tanquàm Messiam agnoscere nollent Judæi, quia eum non modo supernaturali, sed sicut cæteros homines ex patre et matre mortalibus natum credebant. Quidquid autem dicebant, fateri renuebat Christus Judæos noscere patrem suum, sive unde venerit; hoc pacto innuens, ne hunc quidem Messiæ characterem in se desiderari. *Clamabat ergo Jesus in templo docens ac dicens*, Κἀμὲ οἴδατε, καὶ οἴδατε πόθεν εἰμί; quæ verti debent: *Numquid profectò me scitis, et unde sim scitis?* Non scitis, ut quæstionem negativè solvit Tert. adv. Prax. Originem quidem suam apertè non explanat Christus, sed ea subjicit, quæ Judæis suadeant, non eum Josephi sed Dei Filium esse. *Et à meipso non veni, sed est verus, qui misit me, quem vos nescitis: ego scio eum, quia ab ipso sum, et ipse me misit*, ibid. v. 28, 29. (Conf. Luc. 1, 34, 35; Joan. 3, 29, 31.)

Videmus in antiquissimis Judæorum scriptis ipsos expectâsse Christum *de cœlo venturum, cujus ortum nemo scit. Messias semen est de alio loco venturum*; שקם במקום אחר Beres. Rab. in Gen. 37, 2, et aliàs passim; quibus vocibus id significant, Messiam debere aliud quàm homines generationis principium habere. Id constat diversis modis, quibus eamdem persuasionem exprimunt: ***Ortus Messiæ solius sine defectu erit; nativitas ejus non erit similis nativitati cæterarum creaturarum; nemo noscet patrem ejus priusquàm ipse dixerit: Redemptor venturus est absque patre.*** Mirum profectò esset, nisi olim apud Judæos talis obtinuisset traditio impostores, qui se Messiam esse profitebantur, se ex virgine natos esse, seu Deum habere patrem asseruisse. Docebat Simon Magus, unus ex impostoribus, se à matre suâ Rachele, dùm virgo erat, antequàm conveniret cum marito suo Antonio, conceptum fuisse: Clem. Recogn. 11, c. 7, ff. 4. Refertur de Domitiano, ut patri Vespasiano nomen Messiæ detulerant Judæi, ita ipsum idem nomen affectâsse, et voluisse eos, qui ex familiâ David residui erant, interimere, ne fortè ex ipsis haberet competitorem: Euseb. Hist. eccl. 1. Et quò meliùs nomen conservaret, creditur edidisse palàm se ex Minervâ (virgine) natum, et præcepisse ut, per totum imperium, pro ipso sub hoc nomine supplicationes fierent. Philost. Vit. Apol. 7, 14. Ita Virgilius, dùm puero, cujus laudes prosequitur in 4 Buc. tribuit quidquid dictum fuerat de Messiâ in traditionibus sybillinis, id est, judaicis, non prætermittit egregiam illam laudem, fore ut puer è cœlo veniret:

Jam nova progenies cœlo demittitur alto:
Chara Deûm soboles, magnum Jovis incrementum.

Hæc omnia simul congerenti patebit, Judæorum doctores, tempore Christi, hanc prophetiam de Emmanuel, non minùs quàm S. Matthæum, de Messiâ intellexisse.

De vaticinio Danielis cap. 9.

Cùm Daniel circa finem captivitatis Babylonicæ defigeretur in consideratione prophetiæ Jeremiæ, per quam definita fuerat ad annos 70 ista captivitas, atque ardentissimâ pietate precaretur pro illius felici exitu, ad altiorum mysteriorum contemplationem avocatus est, ipsique per nuntium angelicum declaratum est, usque ad liberationem longè excellentiorem à servitute peccati et usque ad adventum liberatoris promissi ab origine mundi superesse solummodò 70 hebdomadas annorum, id est, septies numeratos captivitatis Babylonicæ annos, numero inito à sermone seu edicto pro

(1) Vide Rabbinorum opera, quæ lauda Chandler, Defence of Christianity p. 253.

instauratione urbis Jerosolymitanæ. Verba prophetiæ sunt : « In anno primo Darii filii « Assueri de semine Medorum, qui imperavit « super regnum Chaldæorum : anno uno re- « gni ejus, ego Daniel intellexi in libris nu- « merum annorum, de quo factus est sermo « Domini ad Jeremiam prophetam, ut com- « plerentur desolationis Jerusalem 70 anni. « Et posui faciem meam ad Dominum Deum « meum rogare et deprecari in jejunio, sacco, « et cinere..... cùmque adhuc loquerer et « orarem, et confiterer peccata mea, et pec- « cata populi mei Israel, et prosternerem pre- « ces meas, pro monte sancto Dei mei : adhuc « me loquente in oratione, ecce vir Gabriel, « quem videram in visione à principio, citò « volans tetigit me in tempore sacrificii ves- « pertini; et docuit me, et locutus est mihi, « dixitque : Daniel, nunc egressus sum ut « docerem te et intelligeres. Ab exordio pre- « cum tuarum egressus est sermo : ego autem « veni ut indicarem tibi, quia vir desiderio- « rum es; tu ergo animadverte sermonem et « intellige visionem. Septuaginta hebdomades « abbreviatæ sunt (hebr. decisæ, id est, defi- « nitæ) super populum tuum, et super urbem « sanctam tuam, ut consummetur (seu consu- « matur) prævaricatio, et finem accipiat pec- « catum, et deleatur iniquitas, et adducatur « justitia sempiterna, et impleatur visio et « prophetia, et ungatur Sanctus sanctorum « (hebr. sanctitas sanctitatum). Scito ergo et « animadverte : ab exitu sermonis, ut iterùm « ædificetur Jerusalem, usque ad Christum « ducem (hebr. Naghid, quâ voce Messias de- « signatur Paral. c. 5), hebdomades septem, « et hebdomades sexaginta duæ erunt : et (vel, « nam) rursùm ædificabitur platea et muri in « angustiâ temporum; et post hebdomades « (septem) sexaginta duas occidetur (hebr. « exscindetur, quæ vox usurpatur sæpè ad « significandam pœnam capitalem judicis sen- « tentiâ inflictam) Christus, et non erit ejus « populus qui eum negaturus est (hebr. veen- « loh, id est, nemo ei, vel non ejus, supplet « vulgatus interpres, erit populus, etc., vel « non ei, supple judicium : vel non sibi, id est, « non propter sua peccata, vel suam utilita- « tem occidetur), et civitatem et sanctuarium « dissipabit populus cum duce venturo (hebr. « populus ducis venturi) : et finis ejus vasti- « tas (hebr. in diluvio, vel in submersione), et « post finem belli statuta desolatio (hebr. us- « que ad finem belli). Confirmabit autem pa- « ctum multis hebdomadâ unâ : et in dimidio « hebdomadis deficiet hostia et sacrificium, « et erit in templo abominatio desolationis, « (hebr. abominationes desolationis vel deso- « lantis super alam, vel oram, vel per circui- « tum) et usque ad consummationem et finem « perseverabit desolatio (hebr. et usque ad « consummationem determinatam effundetur « super desolatum, nempe ira Dei). »

Duplex hîc quæstio institui solet : alia cum Judæis et quibusdam Christianis judaizantibus, an ex prædicto oraculo confici possit Messiam, spem gentis Judaicæ, jam venisse : 2° quænam sit, quod ad calculos spectat chronologicos, potior istius vaticinii explicatio.

Quaestio prima.

AN EX PRÆDICTO VATICINIO PROBARI POSSIT JAM ADVENISSE MESSIAM.

Certè obvius prædictorum verborum sensus hic est : 1° In fine 70 hebdomadum sabbaticarum, seu annorum 490 post determinatam epocham, quæ designatur istis verbis : *Ab exitu sermonis ut iterùm ædificetur Jerusalem*, venturum esse Messiam seu Christum ducem; 2° ipsum publico judicio morte damnandum esse; 3° non sibi, id est, non propter sua scelera, vel juxta aliam interpretationem, non ei populus, id est, non futurum ampliùs ejus populum peculiarem Judæos; 4° delendam esse eodem tempore iniquitatem, adducendam justitiam sempiternam; 5° tunc implendam esse visionem et prophetiam; 6° tunc confirmandum esse pactum novum; 7° vastandam civitatem Judæorum et proculcandam, et idola constituenda in circuitu; hancque ruinam usque in finem perseveraturam. Sed hæc continent simplicem historiam Domini nostri, fidemque omnium nostrûm; adeòque mirum est Christianum aliquem unquàm extitisse, qui ob leves aliquas in chronologicis calculis difficultates hæc aliò transferre ausus sit, præsertim cùm ipse Christus Dominus hanc de se et eventibus mortem suam subsecuturis prophetiam clarè explicaverit, ubi his verbis Matth. 24, c. 15, discipulos admonuit : « Cùm ergo videritis « abominationem desolationis, quæ dicta est « à Daniele prophetâ, stantem in loco sancto, « qui legit intelligat : tunc qui in Judæâ sunt « fugiant ad montes..... Erit enim tunc tribu- « latio magna, qualis non fuit ab initio mundi, « neque fiet. »

PROPOSITIO.

Vaticinium Danielis continet certissimè prædictionem adventùs Messiæ, et habuit in Christo Domino eventibusque, qui ejus adventum subsecuti sunt, evidentissimam completionem.

PROBATIO.

Prima pars.

Ille cujus adventus atque mors prædicitur, is est qui jure nuncupari potuit Messias seu Christus simpliciter, et Christus NAGHID seu Christus dux *et ungendus sanctus sanctorum*, in quo impleri debebat visio et prophetia; qui mortem subire debebat, per quam expiari debebat peccatum, et adduci justitia sempiterna; qui afferre debebat pactum novum, abolere hostiam et sacrificium; cujus mortem sequi debebat interitus reipublicæ Judaicæ, et dissipatio populi. Atqui hæc omnia Messiæ conveniunt et Messiæ soli conveniunt juxta perpetuam et constantem omnium Prophetarum vocem.

1° Solus Messias spes gentis Judaicæ et ab origine mundi promissus dici potuit Messias seu Christus antonomasticè : est proprium ejus nomen consentientibus Judæis, nec alteri unquàm communicatur sine addito.

Multo minùs aliquis alius designari potuit per voces, Messiam Naghid, seu Christum ducem : quia Naghid alia est appellatio Messiæ, ut patet ex Paralip. l. 1, c. 5, v. 1 et 2 : « Data « sunt primogenita ejus (Rubeni scilicet) filiis « Joseph et non est ille reputatus in primoge« nitum. Porrò Judas, qui erat fortissimus « inter fratres suos, de stirpe ejus principes « germinati sunt (seu potiùs, juxta hebraicum « textum, ex eo prodire debebat Naghid, id est, « Messias). » Sensus auctoris sacri hic est, primogenita Rubeni partita fuisse inter Josephum et Judam, priorem habuisse portionem duplicem in terrâ Chanaan : Judam verò hæreditàsse illam benedictionem spiritalem, ut ex ejus stirpe nasceretur Naghid seu Messias. Sic etiam Isaiæ c. 55, v. 4, eâdem voce designatur Messias : « Ecce testem populis dedi « eum, ducem (Naghid) et præceptorem « gentibus. »

Si nullus præter verum Messiam nuncupari potuit antonomasticè Messias, nec Messias Naghid, minimè certè dici potuit ullus alius Sanctus sanctorum specialiter unctus : etenim hæ voces : « Ut ungatur sanctus Sanctorum, » idem sonant ac si dixisset propheta : « Ut ve« niat Christus seu unctus sanctissimus. » Ille Christus seu unctus sanctissimus sine dubio ille est de quo Psal. 44, dicitur : « Thronus « tuus, Deus, in seculum seculi, virga æqui« tatis virga regni tui. Dilexisti justitiam et « odisti iniquitatem ; propterea unxit te Deus « Deus tuus oleo exultationis præ participibus « tuis : » quæ de Christo Domino dicta docet S. Paulus, et secum consentientes habuit omnes olim Judæos in applicatione istorum verborum Messiæ, ut satis patet ex paraphraste Chaldæo qui hæc verba exponens habet : « Et « tu, rex Messia, eò quòd amâsti justitiam, « propterea unxit te Deus, » etc. Ille est de quo Isaias c. 61 : « Spiritus Domini super me, « eò quòd unxerit Dominus me ; ut mederer « contritis corde, et prædicarem captivis in« dulgentiam. » Quem locum etiam Judæi de Messiâ interpretari solent, et ad eum pertinere totus contextus demonstrat, hæc præsertim verba cum Psal. 44 consonantia : « Induit « me vestimento salutis, et indumento justitiæ « circumdedit me.... sicut enim terra profert « germen suum, et sicut hortus semen suum « germinat, sic Dominus Deus germinabit « justitiam et laudem coram universis gen« tibus. »

2° In solo Messiâ impleri debuit visio et prophetia. Hoc etiam confitentur Judæi, præter unum aut alterum à communi gentis suæ fide temerè et impiè recedentem : omnium sensum expressit Abravanel in istis verbis jam à nobis laudatis : « Dominus noster Moyses et omnes « Prophetæ de Messiâ testantur ; omnes illi con« veniunt, prænuntiant atque loquuntur de ad« ventu regis Messiæ. »

3° Ille solus mortem subire debebat non pro suis, sed aliorum delictis juxta clarissimam illam prophetiam Isaiæ c. 53 : « Vulneratus est « propter iniquitates nostras, attritus est prop« ter scelera nostra. Disciplina pacis nostræ « super eum, et livore ejus sanati sumus, » etc.

4° Per solum Messiam expiari debebat peccatum et adduci justitia sempiterna. Etenim ille promissus est ab origine mundi, tanquàm hominum liberator à servitute dæmonis; ille Patriarchis promissus est tanquàm allaturus omnibus gentibus benedictionem. De eo dicitur apud Isaiam c. 49 : « Ecce dedi te in lucem « gentium, ut sis salus mea usque ad ultimum « terræ. » Ille solus apud Prophetas designatur nomine justi et justitiæ : Isaiæ 45, « nubes « pluant justum ; » et c. 51 : « Propè est justus « meus; » et Jeremiæ 23 : « Suscitabo David ger« men justum. . . et hoc est nomen quod voca« bunt eum, Dominus justus noster. » Ibid. 33:

« Germinare faciam David germen justitiæ. » Denique Malachiæ c. 2 : « Orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ. »

5° Per solum Messiam promulgandum erat pactum novum promissum his verbis Jer. c. 31 : « Ecce dies venient, dicit Dominus : et feriam domui Israel et domui Juda fœdus novum, non secundùm pactum quod pepigi cum patribus eorum in die quâ apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terrâ Ægypti : pactum, quod irritum fecerunt, et ego dominatus sum eorum; sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel : Post dies illos dicit Dominus, dabo legem meam in visceribus eorum et in corde eorum scribam eam, » etc., et. Is. c. 55 : « Audite, et vivet anima vestra, et feriam vobiscum pactum sempiternum; misericordias David fideles. »

6° Per Messiam transferendum erat sacerdotium et abolenda sacrificia, ut liquet ex notissimis istis prophetiis Davidis Psal. 109 : « Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. » Zachariæ cap. 6 : « Hæc dicit Dominus exercituum : Ecce vir, Oriens nomen ejus ; ipse portabit gloriam, et sedebit et dominabitur super solio, et erit sacerdos super solio suo. » Et ex istis aliis de abolitione veterum sacrificiorum; Psal. 39 : « Holocaustum et pro peccato non postulâsti, tunc dixi : Ecce venio. » Et Malachiæ 1 : « Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestrâ : ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda. »

7° Post mortem Messiæ sequi debebat interitus reipublicæ judaicæ et vocatio gentium, ut patet ex clarissimis istis verbis Isaiæ cap. 65 : « Quæsierunt me, qui ante non interrogabant; invenerunt, qui non quæsierunt me. Dixi : Ecce ego, ecce ego ad gentem, quæ non invocabat nomen meum. . . . . . educam de Jacob semen et de Judâ possidentem montem meum, et hæreditabunt eum electi mei et servi mei habitabunt ibi. . . et vos qui dereliquistis Dominum, qui obliti estis montem sanctum meum, numerabo vos in gladio, et omnes in cæde corruetis : pro eo quòd vocavi et non respondistis; locutus sum et non audistis... Ecce servi mei comedent, et vos esurietis; ecce servi mei bibent, et vos sitietis; ecce servi mei lætabuntur, et vos confundemini... et dimittetis nomen vestrum in juramentum electis meis, et interficiet te Dominus Deus tuus, et servos suos vocabit nomine alio... Ecce ego creo cœlos novos et terram novam, et non erunt in memoriâ priora, et non ascendent super cor, sed gaudebitis et exultabitis usque in sempiternum in his quæ ego creo. » Hæc et alia ejusmodi ad vocationem gentium pertinentia, si colligere vellemus omnia, nullum planè exitum inveniremus.

Secunda pars.

Quòd hæc omnia prænuntiata à Daniele in Jesu filio Mariæ habuerint evidentem et notoriam completionem, atque etiam tempore præfinito factam, manifestum est. Inprimis habuerunt completionem in Christo et in eventibus qui ejus mortem proximè subsecuti sunt.

1° Is solus obtinuit apud homines nomen Christi per antonomasiam, et discipulis suis nomen Christianorum conciliavit. Is etiam fuit Christus Naghid seu Christus dux, cùm ipse sit à Deo constitutus non solùm caput Ecclesiæ, sed omnium hominum Dominus, judex atque princeps regum terræ; constitutus est etiam juxta fidem nostram « supra omnem principatum et potestatem et virtutem et dominationem et omne nomen quod nominatur non solùm in hoc seculo, sed etiam in futuro. » Idem tulit omnia alia Messiæ nomina, solusque apud suos dictus unquàm est Deus, Dei Filius, sanctus Dei, Emmanuel, filius hominum, propheta antonomasticè, *sacerdos secundùm ordinem Melchisedech*, rex Israel, Nazareus, pastor, doctor, stella, lux, oriens, flos, radix, virga, lapis, fundamentum, ostium, via, veritas et vita, et si quid aliud est in veteribus Scripturis Messiæ nomen. Is fuit Sanctus sanctorum, qui naturâ cum Deo conjunctus in castissimo virginis utero Spiritûs sancti virtute carnem induit. Illa omnia in ipsâ angelicâ annuntiatione nativitatis ejus continentur : « Superveniet in te Spiritus sanctus, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideòque et quod nascetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei. Hic erit magnus et Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum. »

2° In Christo Domino impleta est visio et prophetia. Nam non tantùm demonstrant Religionis nostræ defensores omnia directa de Messiâ vaticinia, quæque veteres Judæi de Messiâ suo intellexêre, in eo complementum habuisse, sed etiam universæ legis cæremonias totidem fuisse prophetias typicas, qui eumdem adum-

braverunt, ita ut juxta vocem Domini nostri, « ne iota quidem aut unus apex præterierit « de lege, donec omnia completa fuissent. »

3° Christus Dominus mortem subiit sponte suâ, non pro suis, sed aliorum delictis, et « de« dit semetipsum redemptionem pro omni« bus. » Hoc ipse dùm in vivis esset professus est. « Filius hominis, dicebat, non venit mini« strari, sed ministrare, et dare animam suam « redemptionem pro multis. » Hic etiam præcipuus fidei omnium Christianorum articulus est, « Christum Dominum dedisse semetipsum « pro peccatis nostris, ut eriperet nos de præ« senti seculo nequam; ut nos redimeret ab « omni iniquitate et mundaret sibi populum « acceptabilem, sectatorem bonorum operum; « ut per mortem suam destrueret eum qui ha« bebat mortis imperium, id est, diabolum, et « liberaret eos qui timore mortis per totam « vitam obnoxii erant servituti. »

4° Per Christum Dominum « deletum est « peccatum, et adducta est justitia sempiterna: » siquidem hæc completa sunt, quemadmodùm interpretatur Apostolus (nec ulla alia interpretatio fingi potest), « quando Christus assistens « pontifex futurorum bonorum, per amplius « et perfectius tabernaculum, non manufa« ctum... neque per sanguinem hircorum aut « vitulorum, sed per proprium sanguinem in« troivit semel in sancta, æternâ redemptione « inventa... non enim in manufacta sancta Je« sus introivit exemplaria verorum, sed in « ipsum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei « pro nobis; neque ut sæpè offerat semetip« sum, quemadmodùm pontifex intrat in san« cta per singulos annos in sanguine alieno, « alioquin oportebat eum frequenter pati ab « origine mundi : nunc autem semel in con« summatione seculorum, ad destitutionem « peccati per hostiam suam apparuit. »

5° Christus Dominus abolevit, ut par erat, « hostiam et sacrificium: atqui reprobatio fa« cta est præcedentis mandati propter infir« mitatem ejus et inutilitatem; » postquàm factus sacerdos secundùm ordinem Melchisedech obtulit in holocaustum corpus suum victimam impollutam, et in arâ crucis positus exauditus est pro suâ reverentiâ, sedensque nunc in dexteris Dei non cessat interpellare pro nobis, manetque sacerdos in æternum super solio suo. Legem novam dedit, non uni regioni alligatam, sed ad omnes mortales pertinentem, non in tabulis lapideis exaratam et ad carnis munditiam externamque justitiam procreandam aptam, sed in visceribus et tabulis cordium carnalibus inscriptam, vi suâ peccata diluentem et sanctificantem; non temporariam in locorum, temporum et personarum circumstantiis positam, sed omnium hominum conditioni accommodatam et in æternum permansuram.

6° Ille rebellem populum punivit et dissipavit, percussit terram Chanaan anathemate, quam summam calamitatem vivus sæpiùs prædixit dicens: « Non relinquetur hìc lapis super « lapidem : ecce relinquetur domus vestra de« serta. » Novam constituit Ecclesiam, collectis in eam gentibus, et etiam juxta propheticam vocem, « servos suos vocavit nomine « alio: » quod etiam prædixit Dominus noster dicens: « Ecce transferetur à vobis regnum « Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus. »

2° Omnia ista completa sunt tempore præfinito à Daniele. Nam definiti fuerunt ab illo prophetâ ad istarum rerum memorabilium eventum anni 490, « post exitum sermonis « pro reædificandâ Jerusalem; » et hi 490 anni ducunt nos ad eventus prædictos.

1° Determinati sunt à Daniele anni 490, numerandi à notatâ epochâ; scilicet numerat 70 hebdomades, quæ aliæ esse non possunt quàm hebdomades annorum, et conficiunt prædictum annorum numerum. Siquidem in Scripturis duo solummodò hebdomadarum genera reperiuntur, dierum videlicet et annorum : sed intra 70 hebdomadas dierum illi eventus conjici nequaquàm possunt. Quòd verò usitatus esset numerandi per hebdomades annorum mos, patet ex Lev. c. 27, v. 3 : « Sex « annis seres agrum tuum, et sex annis putabis « vineam tuam... septimo autem anno sabba« tum erit terræ requietionis Domini. » Et ibid. v. 8: « Numerabis quoque tibi septem heb« domadas annorum, id est, septies septem, » quæ simul faciunt annos 49: animadvertendum etiam est Danielem, quando quæstio est de aliis hebdomadis dierum, id expressè notare, ut c. 10, v. 3. Constat ex Aristotele et Varrone eumdem usum invaluisse etiam apud ethnicos. Denique in hâc parte consentientes habemus omnes ferè Judæos, inter quos si qui ad elevandam hujus oraculi vim verba prophetæ interpretati sunt de hebdomadis decenniorum vel seculorum, cùm hæc determinatio arbitraria sit, nullâ nixa ratione, nec ullius gentis usu confirmata, admitti non potest.

2° Christi adventus, et memorabiles eventus qui illum consecuti sunt, inciderunt in finem

490 annorum ab epochâ determinatâ, seu ab exitu sermonis ut iterùm ædificetur Jerusalem. Nam quatuor fuerunt edicta in gratiam Judæorum, de quibus fusiùs infra dicemus: unum Cyri anno ante Christum 536, aliud Darii Hystaspis anno 519, tertium anno Artaxerxis Longimani 7, et quartum ejusdem regis anno regni sui 20: de illis epochis quædam est inter eruditos controversia, sed eò rem perduxit eorum diligentia, ut inter plerosque de sex vel octo annis solummodò sit disputatio: et ab his edictis inchoatæ hebdomades 70 desinunt in eventus à prophetâ prædictos. Et certè ubicumque 70 hebdomadum ponatur initium, eas elapsas esse omninò necesse est. Exactis illis ungi debuit Sanctus sanctorum, nasci Christus et occidi; ergo unctum esse Sanctum sanctorum, natum et occisum Christum fatendum est. Illo occiso dirui debuerunt templum et urbs: atqui hæc diruta sunt: ergo ille occisus est. Præterea in dimidio ultimæ hebdomadis abrogari debuerunt sacrificia et aliæ veteris legis cæremoniæ: atqui abrogata ea sunt; ergo suprema hebdomada præteriit. Denique 70 hebdomadis hic præstitutus est finis ut deleantur peccata hominum, adducatur justitia sempiterna et compleantur vaticinia Prophetarum: atqui hæc in Christo nostro nacta sunt exitum; ergo venit Christus, spes gentis Judaicæ.

Objicies 1° cum Judæis quibusdam recentioribus.

1° Per Christum, quem occidendum prædicit Daniel, intelligi potest cum Rabbi Jarchi rex Agrippa junior interfectus in ultimo Jerosolymorum excidio, post cujus mortem civitatem et sanctuarium dissipavit populus Romanus: per Christum ducem intelligi potest Cyrus rex Persarum, et in priore parte vaticinii nihil vetat quominùs intelligatur Messias. Variarum igitur prophetiæ partium hic sensus esse potest. — Verba hæc priora: « 70 hebdomades abbreviatæ sunt super populum « tuum et super urbem sanctam tuam, ut « consummetur prævaricatio et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur « visio et prophetia, et ungatur Sanctus sanctorum, » pertinent quidem ad Messiam, et illa post 70 hebdomadas eventura erant, non quidem immediatè sed tempore indefinito; et significant Judaicam nationem tot vexatam calamitatibus, tandem peccatis finem daturam et justitiæ in perpetuum addicturam se; prophetias omnes in Messiâ exitum habituras, et ab eo templum et vasa ejus instauranda et sanctificanda. —Verba sequentia: « Scito ergo « et animadverte: ab exitu sermonis, ut « iterùm ædificetur Jerusalem usque ad « Christum ducem, hebdomades 7 et hebdomades 62 erunt, et rursùm ædificabitur « platea et muri in angustiâ temporum, » sic verti possunt et debent: « Scito et animadverte quæ tibi annuntio circa sermonem de reædificandâ Jerusalem, seu quid sancitum est à Deo de urbis Jerusalem instauratione: usque ad Christum ducem, nempe Cyrum regem Persarum, hebdomades 7 erunt, deinde hebdomadibus 62 revertetur populus è captivitate, et ædificabitur platea in tempore parùm fortunato. » Ergo juxta hanc sententiam 70 hebdomadis continetur totum temporis intervallum, quod à primo urbis excidio usque ad secundum effluxit. — Verba hæc: « Et post « hebdomadas 62 occidetur Christus, » etc., significant mortem regis Agrippæ et eventus subsecutos. —Tandem hæc ultima verba: « Et « finis ejus vastitas, et post finem belli statuta « desolatio, » non significant Judaicam gentem diuturnas calamitates passuram esse, sed è contrario populum Romanum à Messiâ vincendum, et tunc finem accepturam desolationem populi Judaici.

2° Alia probabilis explicatio excogitata est ab erudito Judæo Aben Ezra, juxta quam per Christum ducem intelligendus est Nehemias, et inchoandæ sunt hebdomades ab anno primo Darii Medi, seu à sermone quem angelus fecit ad Danielem eodem anno. Septem hebdomades juxta istum auctorem desinent in annum vigesimum Artaxerxis, quo Nehemias Judæis præesse et urbem ædificare cœpit: et ab eo anno ductæ 62 hebdomadæ cum dimidiâ ad templi et urbis exscidium excurrent. Per Christum verò post illas hebdomadas excindendum significatur regiam potestatem tunc apud Judæos penitùs interituram; vel sacerdotium potest intelligi, vel etiam ipsum templum, juxta quorumdam Judæorum interpretationem.

3° Si hæ non placeant expositiones, aliam offert Orobio Judæus Hispanus, cujus sententiam habemus in collatione de veritate Religionis christianæ editâ à Philippo à Limborch: « Daniel in prædicto capite, aiebat ille Judæus, non agit de Messiâ filio David, sed clarè et apertè de primo summo sacerdote, qui cum Nehemiâ et post eum regnavit,

utramque jus et ecclesiasticum et quasi regium in populum exercens. Hoc fuit in fine 7 hebdomadum, quo sacerdotum mixto regimine populus per 62 septimanas variis cum fortunis perseveravit : tandem in medio septuagesimæ ultimo sacerdote occiso Ananeo, *et non ei*, id est, non ampliùs ei successor aliquis fuit, qui jam ab angelo non appellatur princeps unctus, sed simpliciter unctus ; quippe regiam potestatem ab aliquibus annis Herodiana domus usurpaverat.... nihil aliud ab angelo prædicitur, nisi quod totum id tempus Israeli concedebatur ut resipisceret, ut peccato finem imponeret, ut prævaricatio finiretur, et sic Scriptura prophetica de universali populi redemptione adimpleretur. Prædixit etiam quòd cùm populus aliter facturus esset ac Deus exigebat, aliter etiam ei debebat contingere, quod per capitis seriem usque ad extremam ruinam depinxit ; ergo, » etc.

Resp. vanitatem manifestam istarum expositionum, in quibus fingendis omne suum ingenium et acumen contulère Rabbinorum doctissimi, magno argumento esse verba prophetæ nullam aliam pati, quàm christianam interpretationem. 1° Illa Salomonis Jarchi admitti nequit ob triplicem præsertim causam : inprimis quia absurdè tres Christos distinguit, Messiam verum et Cyrum regem Persarum, et regem Agrippam : cùm omnes partes prophetiæ cohæreant, se mutuò illustrent et manifestum sit de uno eodemque vaticinari Danielem, designato generaliùs in priore parte ejus adventu atque illius adventûs effectu ; deinde specialiùs expressis Christi venturi muneribus, morte et subsecuturis eventibus. Neque ullo modo Cyrus designari potuit à prophetâ nomine Christi ducis simpliciter et antonomasticè, propter rationes supra allatas : multò minùs Christus simpliciter dici potuit Agrippa, qui Judæorum rex nunquàm fuit, quamvis ei concessæ fuerint apud gentem suam à Romanis prærogativæ quædam. — 2° Ratio est, quòd in istâ interpretatione gravissimi sint errores contra veritatem chronologicam et historicam : numerantur scilicet ab excidio urbis priore usque ad ultimum tempore Titi imperatoris anni solummodò 490, cùm reverà intercesserint anni 660 ; deinde constat ex Josepho de Bello judaico lib. 2, et ex Tacito Historiarum lib. 5, Agrippam minorem, qui supponitur interfectus à Romanis in obsidione urbis, Romanorum è contrario partes esse secutum, et Hierosolymis cùm expugnarentur abfuisse, belloque Judaico per plures annos superstitem fuisse. — 3° Ratio est, quòd in illâ interpretatione pervertatur in multis partibus naturalis et obvius verborum sensus : v. g., prophetiæ priora verba sic vertuntur, quasi 70 hebdomades concessæ fuerint Judæis, ut mererentur peccati abolitionem et adductionem justitiæ, impletionem prophetiæ et unctionem Sancti sanctorum, uno verbo adventum Messiæ ; cùm è contrario asserat propheta absolutè præcisum, determinatum et definitum tempus esse ad istarum rerum eventum. Unde et angelus idem explicans clariùs sic pergit : « Scito ergo et animadverte, ab exitu sermo- « nis, » etc. Deinde voces hebrææ, *min motsa dabar*, quas vertit Jarchi : « Circa exitum « sermonis, » significant reverà « ab exitu « sermonis, » ut habent omnes antiqui interpretes, neque ullum exemplum proferri potest in quo propositionis istius *min* alia potestas sit. Juxta istam interpretationem sensus prophetiæ esset : Ab exitu sermonis, non pro ædificandâ Jerusalem, sed pro exscindendâ eâdem, etc. Sic vertere Scripturas est easdem pervertere. Præterea septem hebdomades et hebdomades 62 temerè ab invicem divelluntur et in diverso casu ponuntur : si simul conjungantur et numeres à sermone pro ædificandâ Jerusalem, tunc omnia clara sunt et connexa : si dividas, nulla erit via expediendi sese, quia neque per illud temporis spatium duravit urbis ædificatio, neque populi reditus, uti supponit Jarchi supplens : « Et revertetur « populus à captivitate. » Legimus populum in patriam remeâsse cum Zorobabele, cum Esdrâ et cum Nehemiâ ; quòd postea aliqui perrexerint reverti, ut vult Jarchi, non legimus. Aliarum partium ejusdem interpretationis vanitas satis patet : nullus profectò præter illum doctorem Judæum in istis verbis : « Et finis « ejus vastitas, et post finem belli statuta deso- « latio, » Judæorum victorias et triumphos de Romanis reportatos perspexit.

2° Sententia quoque Aben Ezræ vana est : nam 1° ille etiam in calculis suis multùm aberrat : à primo Darii anno, quo juxta eum Daniel orationem suam fudit, numerat 7 tantùm hebdomadas usque ad profectionem Nehemiæ anno 20 Artaxerxis Longimani, cùm reverà intercedant hebdomades plusquàm 15. Deinde ab hoc Artaxerxis anno numerat 62 hebdomadas cum dimidiâ ad secundam templi conflagrationem, cùm plusquàm 75 interce-

dant. 2° Is etiam ineptè dividit 7 hebdomadas ab hebdomadis 62, ut priores terminet in Christo suo Nehemiâ, cùm angelus dixerit futuras usque ad Christum ducem hebdomadas 7 et hebdomadas 62. — 3° Ridiculè ponit per Christum, quem angelus prænuntiat occidendum esse, regiam dignitatem significari; quæ inter Judæos unà cum templo et urbe delenda esset; tum quia post primi templi interitum, docentibus ipsis Judæis doctoribus, nulla erat legitima unctio, neque ullo modo Christi seu uncti fuerunt, qui stante secundo templo populum rexerunt; tum quia, ut modò notavimus, nec cum templo secundo ad sensum Aben Ezræ regia potestas extincta fuit, cùm Agrippa junior, ille Christus seu unctus Aben Ezræ, superstes postea fuerit.

3° Quod attinet alias interpretationes in secundâ parte objectionis indicatas, iisdem rationibus refelluntur : siquidem non magis verba prophetæ de Christo duce referri possunt ad Zorobabelem vel ad Jesum filium Josedec sacerdotem, quàm ad Cyrum vel Nehemiam : neque alter Christus, qui ibidem dicitur exscindendus, magis de sacerdotio, quàm de regiâ potestate exponi potest; nam juxta ipsos Judæos, neque sacerdotes post primum excidium uncti sunt, neque ipsum secundum templum unctione consecratum est, quod ibidem significatum aliqui vanissimè commenti sunt.

4° Ultima interpretatio conficta à Judæo Orobio admitti nequit : non solùm quòd et ille peccet contra legitimam chronologiam, numerans à Nehemiâ seu anno 20 Artaxerxis usque ad excidium hebdomadas 62 cum dimidiâ, seu annos 437 et sex menses, cùm reverà effluxerint anni circiter 520; quòd duos Christos temerè et sine ullâ causâ assignet, primum post captivitatem sacerdotem, et Ananeum sacerdotem ultimum, qui Christi simpliciter dici nullo modo potuerunt : sed præsertim, quòd hanc prophetiam, quæ inter omnes alias maximè absoluta est, conditionatam efficiat, quasi verò 70 hebdomadæ concessæ essent populo ut resipisceret, quod cùm facturus non esset, experturus erat summam calamitatem, cùm è contrario propheta clarissimè pronuntiet definitas esse hebdomadas 70 usque ad illos memorabiles eventus ad unctionem Sancti sanctorum, ad expiationem peccati ad completionem prophetiarum, ad adventum Christi ducis, ad cædem Christi, et significet non obscurè in illius cædis ultionem obventuram Judæis ruinam. Et certè nullo modo adscribi posse hoc tam diuturnum Judæorum infortunium aliis criminibus quàm rejectioni Messiæ, jam confectum est, et infra, ubi de præsenti Judæorum sorte.

Obj. 2° cum eodem Orobio, « caput hoc Danielis ita difficile intellectu esse, ut Hieronymus id explicate non ausit, sed suum sensum omninò declinat exprimere, suamque etiam de aliorum sententiâ censuram. Augustinus Epist. ad Hesychium, nullatenùs sibi persuaderi ab aliquibus passus est, ut hoc Danielis caput explicaret, rei difficultate deterritus, quod si ut vulgò intelligendum esset, satis clarè ibi et mors et passionis Christi tempus depicta jacent. Renoldus, Scaliger, Junius et plurimi, non credunt has hebdomadas in morte Christi finiri, sed in destructione templi per Titum. Eusebius de Christo in his hebdomadis tractans haudquaquàm concedit, oppositum mordicùs sustinet, et in ultimo ex Machabæis pontifice penultimam hebdomadam claudi constanter asseverat, ultimam ad captam Jerosolymam per Pompeium extendi, annis 100 ante Christi adventum. Videat ergo, pergit Orobio, cujus verba hactenùs descripsimus, doctissimus vir quomodò Judæi possent ex hoc capite Messiæ mortem prænoscere, cùm à christianis doctoribus nec nunc ibi contineri credatur. »

Quibus adjici potest, quòd inter Christianos illi qui majorem diligentiam posuère in expendendâ istâ prophetiâ, illam ad alia tempora aliosque eventus retulerint. Sic Marshamus, in historiâ veteri et rebus chronologicis versatissimus, universum illud caput Danielis de iis quæ sub Cyro rege Persarum et postea sub Antiocho Epiphane Judæis contigerunt, explicavit. Apud ipsum Christus dux est Cyrus, ad quem à sermone angeli cum Daniele, à quo petit exordium hebdomadum, numerat hebdomadas 7 : et proinde illum sermonem habitum supponit anno captivitatis 21. Deinde verba hæc, *et post hebdomadas 62 occidetur Christus*, vel ut habet versio 70 Interpretum, *peribit unctio*, intelligit de persecutione Antiochi Epiphanis, quo tempore sacerdotes amoti sunt, sacrificia intermissa, destructum altare, sanctuarium profanatum et idolum Jovis Olympii in templo erectum est. Hæc juxta ipsum contigerunt 60 hebdomadis post excidium primi templi, quod alligat primo captivitatis anno, à quo numerat 62 hebdomadas, quamvis 7 priores inchoa-

visset ab anno 21 captivitatis. Verba ista : *Confirmabit pactum multis hebdomadâ unâ*, intelligit de septennio, quo primum regnavit Antiochus pacis fœdera cum Judæis non disrumpens. Ista denique : *Et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium....* exponit de his, quæ idem Antiochus adversùs Judæos et Judaicam religionem trium annorum spatio cum sex mensibus et diebus aliquot molitus est.

Sic quoque Harduinus idem vaticinium retulit ad eadem tempora, numerans hebdomadas à primo anno captivitatis Babylonicæ, quo exiisse à Deo sermonem seu promissionem de populo reducendo à captivitate existimat. Numerat 7 hebdomadas usque ad annum, quo Cyrus Medis imperare cœpit; is est juxta eum Christus dux. Deinde ab eodem initio numerans 62 hebdomadas, alium invenit Christum ducem, nempe Judam Machabæum : Christus verò occidendus est Onias summus sacerdos, typus veri Messiæ, qui proinde typicè solummodò post definitum à Daniele numerum annorum occisus est. Cætera interpretatur primario sensu et litterali de persecutione Antiochi, quam fatetur figuram fuisse postremæ Judæorum calamitatis: intra has, inquit, hebdomadas 70 abbreviatas (id est, reductas ad 63), complebitur antiquæ prævaricationis pœna, delebitur prisca iniquitas, inducetur cultus religionis longo tempore duraturus, implebitur visio et prophetia oblata Jeremiæ de ædificandâ iterùm civitate, de ungendo sacerdote, de sanctuario restituendo.

Ab istis expositionibus non multùm recedit doctissimus Scripturæ interpres Calmetus, qui Harduini explicationem in quibusdam partibus emendavit. Exordium hebdomadarum petit à prophetiâ de populi reditu, non quidem ea quæ extat c. 25 et 29, sed alia quæ habetur c. 50, quamque supponit editam fuisse eodem anno, quo Jerusalem à Chaldæis eversa est. Per Christum ducem intelligit Cyrum, non Medis imperantem, ut Harduinus, sed Babylone regnantem, et Judæos è captivitate dimittentem, atque ad eum 7 hebdomadas priores numerat : et post istas 7 hebdomadas collocat ea quæ in priore parte prophetiæ prædicuntur de peccati consummatione, de delendâ iniquitate, de adducendâ justitiâ sempiternâ, de ungendo Sancto sanctorum ; quæ omnia interpretatur de populi receptione in gratiam divinam et abolitione peccatorum gentis, de ablegatione idolorum, et de instauratione ac consecratione templi. Deinde ab hoc anno numerat 62 hebdomadas usque ad mortem Oniæ, quem putat esse Christum illum occidendum ; reliquam oraculi partem explicat de iis quæ tempore Antiochi contigerunt, censetque habuisse plenam completionem, quando à Judâ Machabæo templum repurgatum est : et generatim pronuntiare non dubitat hunc esse unicum scopum vaticiniorum Danielis c. 7 et cæteris usque ad 13, ut per illum prophetam declararetur, quid nationi Judaicæ ac totius Orientis populis contingere deberet à regno Cyri usque ad Antiochum Epiphanem.

Resp. 1° inter SS. Patres et plerosque interpretes christianos de substantiâ vaticinii nullam esse discordiam, nec opinionum varietatem. Evidentissimis characteribus, ut supra confecimus, designatur Messias et eventus prædicti à Daniele, scilicet novæ Religionis introductio, Ecclesiæ christianæ constitutio, abolitio sacrificiorum, reipublicæ interitus, profanatio templi et sanctæ terræ, qui ejus adventum debebant consequi, in propatulo ponunt omnibus, qui oculis uti volunt, jam advenisse Messiam et prophetiam in Christo nostro habuisse completionem suam. Neque alia mens fuit sancti Hieronymi, qui in Præfatione Commentarii sui in Danielem, lectorem expressè monuit, nullam prophetiam tam apertè dixisse de Christo : « Non enim, ait, solùm scribit eum esse venturum, quod est commune cum cæteris, sed etiam quo tempore venturus sit docet, et reges per ordinem digerit, et annos enumerat, ac manifestissima signa prænuntiat. » Non alia fuit sententia sancti Augustini, qui in laudatâ Epistolâ ad Hesichium, docet vaticinium Danielis prædictionem Christi Domini continere, ac in eo manifestè impletum esse, neque posse contra tot expositores et sacri contextûs sensum ad ultimum Christi adventum referri. Ipse Eusebius priorem partem vaticinii de Messiâ interpretatus est, sicut et ista verba : *Confirmabit autem pactum multis hebdomadâ unâ ;* atque in morte Christi defecisse hostiam et sacrificium asserit ; uno verbo ex hoc vaticinio Messiam jam venisse eumque esse Christum Dominum demonstrat. Si ergo quasdam partes aliter quàm nos explicet, id fecit inductus in errorem versione 70 Interpretum, quam contra aliorum interpretum sensum temerè probavit, neque ejus explicationes ullo modo defendi possunt. Omnis ergo inter sanctos Patres et doctissimos Scripturæ interpretes dissensio

est circa vaticinii illius circumstantias rationem calculorum instituendam, quæ omnis oritur ex obscuritate quâ regum Persarum chronologia involvitur.

Resp. 2° paucissimorum interpretum christianorum sententiam, ad alia quàm Messiæ tempora prædictum vaticinium detorquentium, nullum præjudicium communi et receptæ expositioni inferre ob duplicem præsertim causam: 1° quòd iidem non tantùm contradicant omnium SS. Patrum et interpretum christianorum unanimi sententiæ, sed habeant etiam sibi contrarium gentis Judaicæ olim consensum; 2° quòd istarum expositionum manifesta vanitas et temeritas ipsa per se interpretationis christianæ in omnibus partibus connexæ confirmationem contineat.

1° Quidem, qui inter Judæos recentiores aut Christianos ad alia quàm Messiæ tempora prædictum Danielis vaticinium referunt, contradicunt communi totius gentis judaicæ olim fidei et persuasioni: inprimis id constat ex testimoniis antiquissimorum scriptorum. Scribunt Talmudistæ Jonathanem Chaldæum paraphrasten Prophetarum, cùm ad interpretanda hagiographa se accingeret, monitum fuisse voce cœlesti, ne faceret; quippe ab iis, Daniele nimirùm, prædictum esse tempus Messiæ, qui finis est. Scilicet Danielem non inter Prophetas sed scriptores hagiographos recensere solent Judæi, quòd non ut prophetæ in solitudine, sed in aulâ regum vitam transegerit.— R. Berachia, doctor summæ antiquitatis, olim observâsse legitur tempus adventûs Messiæ et futuræ redemptionis à duobus præfinitum fuisse, à Jacobo patriarchâ videlicet et Daniele. — Rabbi Nehemia, laudatus apud Grotium, lib. de Ver. Religionis christianæ, qui annis vixit ante Christum quinquaginta, declarâsse legitur adventum Messiæ ultra annos 50 differri non posse: quæ computatio fundari in nullâ re aliâ quàm in Danielis prophetiâ potuit. Josephus historicus, in cujus testimonio sensum universæ nationis habemus, hæc de Daniele scribit: « Libri enim, quotquot à se conscriptos reliquit, leguntur hodiè apud Judæos, et ipsi fidem faciunt Danielem cum Deo colloquia habuisse: non enim futura solùm, quemadmodùm et alii vates, prædicere solebat, sed et tempus, quo hæc eventura erant, præfinivit. » Idem historicus post relata ejus vaticinia de iis quæ sub Persarum, Macedonum et Cyri imperio contigerunt, sic pergit: « Similiter autem Daniel de Romanorum etiam imperio scripsit, illosque magnam vastitatem genti nostræ illaturos esse: ut qui ea legerint et eventus perspexerint, Danielem mirentur ob tam insignem honorem illi à Deo habitum. » Manifestum est Josephum in illo loco interpretari prophetiam Danielis non de eventibus qui contigerunt tempore Antiochi Epiphanis, sed de ultimâ calamitate cujus auctores fuerunt Romani. Nullam quidem mentionem facit hoc loco Messiæ, sed videtur ex hoc eventu collegisse jam advenisse Messiam et cum aliis Judæis adductum fuisse ad deserendam fidem popularium suorum, illumque titulum Vespasiano tribuendum: siquidem cùm videret frustra expectari principem aliquem ex gente suâ liberatorem, in eam delatus est sententiam, sufficere ad vaticinii completionem, ut imperator qui summâ rerum potiri debebat in Judæâ crearetur: atque ideò quando à Romanis captus est et delatus ad Vespasianum ipsi imperium prænuntiavit, ac post expugnatas Jerosolymas prophetiam de Messiâ adimpletam declaravit. Idem de Bello Judaico, l. 6, c. 4, hæc scripsit: « Cùm multa contempsissent zeloti statuta majorum, etiam quæ de patriâ olim prædicta fuerunt vera esse comprobavere: vetus enim quidam sermo ferebatur, tunc demùm civitatem captum iri, et sancta flammis exurenda jure belli, cùm manus propriæ polluissent Dei templum. » In quibus verbis evidens est allusio ad prophetiam Danielis; et explicat verba hebræa, quæ apud vulgatum interpretem vertuntur: *Et occidetur Christus*; apud 70 interpretes vertuntur, *peribit unctio*, de pollutione templi.

Neque à majorum suorum fide prorsùs recesserunt Judæi recentiores, ut patet ex supra relatis eorum expositionibus, in quibus primam partem prophetiæ de Messiâ interpretantur. Et Manasse Ben Israel ipse testatur, alios ex Judæis olim expectantes eventum rerum à Daniele prædictarum sese spontè Romanis tradidisse: alios verò confisos Messiam venturum stante secundo templo et ante finem hebdomadarum Danielis, hâc spe usque ad extremum solatos sese fuisse. Hinc istis temporibus tot prodière pseudo-Christi, cùm antea nulli extiterint, et pauci postea prodierint. Herodes juxta plurimos ab Herodianis Messias est habitus; Josephus Theudæ et aliorum mentionem fecit, à quibus ante excidium urbis non semel deceptus est populus et in desertum abductus. Omnium maximè insignis fuit Barcokeba sub Adriano. Liquet etiam ex Evangelio hanc tum

temporis omnium Judæorum expectationem fuisse. Ut enim omittam testimonium Simeonis et Annæ, Luc. 2, 25, colligitur ex Joan. 1, 19, Judæos omnes, ubi Joannes Baptista prædicare cœpit, in hanc dubitationem fuisse adductos, an non is esset Messias, quem expectabant : « miserunt Judæi ab Jerosolymis, sacerdotes et Levitas ad eum, ut interrogarent : Tu quis es ? » an esset Christus necne ? Hinc « cùm natus esset Jesus in Bethleem Juda, » et Magi ab Oriente venissent Jerosolymam ut eum inquirerent, « audiens Herodes turbatus est, et omnis Jerosolyma cum illo ; et congregans omnes principes sacerdotum et scribas populi, sciscitabatur ab eis, ubi Christus nasceretur. » Vide etiam Matth. 11, 3 ; Luc. 7, 9 : Hinc pariter mulier Samaritana Joan. 4, 25, *scio,* inquit, *quia messias venit.* Eadem denique expectatio per totum Orientem communis erat, ut constat ex profanorum auctorum testimoniis superiùs à nobis relatis.

2° Summam confirmationem habet expositio christiana ex ipsâ vanitate manifestâ et temeritate oppositarum expositionum Marshami, Harduini et Calmeti, quæ in omnibus suis partibus sunt gratis conflictæ, et legitimæ chronologiæ dissentientes, et textui sacro repugnantes. Ponamus ob oculos, quàm breviter fieri poterit, illorum auctorum discordium.

1° Marshamus, ut interpretationem suam tueri possit, duplex initium hebdomadarum ridiculè fingere cogitur, aliud à quo numerandæ sunt 7 hebdomades, quas temerè auspicatur à sermone angeli ad Danielem, et quem sermonem cum eâdem temeritate collocat anno 21 captivitatis; aliud verò initium 62 hebdomadum, quas repetit, nec ab exordio, nec à fine 7 priorum, sed ab excidio urbis et templi. Harduinus autem, ut calculos suos possit inire, supponit sermonem de ædificandâ Jerusalem esse prophetiam Jerem. cc. 25 et 29, editam anno Joachim quarto et anno primo captivitatis. Calmetus sermonem, à quo inchoandæ sunt hebdomades 70, statuit esse prophetiam aliam Jerem. c. 50, v. 18, 19, 20, quamque supponit editam eo anno quo Jerusalem à Chaldæis eversa est. 62 numerat à fine hebd. 7. Quo fundamento finguntur hæ variæ hypotheses ? Deinde Marshamus 7 priores hebdomadas deducit ad illum annum quo Cyrus Babylone regnare cœpit, quod et facit Calmetus; at Harduinus ad annum solummodò quo Cyrus Medis cœpit imperitare; 62 hebdomades deducunt, prior ad persecutionem Antiochi et amotionem sacerdotum. Harduinus et Calmetus ad necem Oniæ anno ante æram vulg. 170, hebdomades 63 simul et 79. Satis apparet omnia in hisce explicationibus esse arbitraria, et quo jure ponuntur, et eodem negari.

2° Eædem hypotheses non sunt legitimæ chronologiæ consonæ : duplex est error Calmeti; numerat 1° 7 hebdomadas a prophetiâ Jerem. c. 50, usque ad annum primum Cyri, falsò supponens illam editam fuisse anno ipso quo à Chaldæis eversa est Jerusalem; cùm constet ex c. 51, illam datam fuisse octo antea annis, id est, anno quarto Sedeciæ. Deinde numerat 62 hebd. seu ann. 434 à liberatione populi usque ad necem Oniæ, cùm juxta peritissimos chronologos atque auctores Marshamum et Harduinum, ad ejus necem alligatam anno 170 ante Christ. effluxerint anni solummodò 366 : error est ergo 68 annorum, et juxta ipsam tabulam chronologicam Calmeti, 57 annorum. Harduinus verò in calculis etiam aberrat : nam Judas Machabæus in illo systemate est etiam Christus dux, æræ græcæ 141, ante æram christianam 172, ad quam juxta eum excurrunt hebdomades 62. Sed ex eodem nonnisi anno ab hinc quinto post obitum Mattathiæ Judas constitutus est dux Judæorum et militiæ princeps ; nempe anno Græc. 146 et ante Christ. 167, quod ex l. 1 Mach. c. 2, v. 70, et c. 3, v. 1, liquidò constat.

Eædem nullo modo respondent verbis prophetiæ. Absurdum est cum Harduino ab eâdem epochâ numerare hebdomadas 7 et hebd. 62, et efficere contra vocem angeli ut sint solummodò 63 hebdomadæ, cùm angelus clarissimè pronuntiet futuras hebdomadas 70. Longè magis abhorret à ratione cum Marshamo eumdem numerum 70 hebdomadum non modò dividere, sed à diversis initiis sine fundamento et contra tenorem verborum à diversâ epochâ repetere : non magis tempora ut ita dicam parallela, id est, simul decurrentia in unam summam componere licet, quàm ponere duas lineas parallelas coincidere posse, ut una recta ex ambabus confletur. Absurdum est cum his tribus auctoribus tres vel quatuor Christos confingere, per Christum ducem intelligere Cyrum et Judam Machabæum post 62 hebdomadas venturum, aut Christum Antiochum Epiphanem, qui confirmârit pactum multis hebdomadâ unâ. Absurdum est per Christum morte damnandum intelligere seu sacerdotes amotos à servitio templi per annos tres vel quatuor (et etiamsi legamus cum Marshamo : *Et peribit unctio*, seu

sacerdotium, id verum non esset : nam post tres aut quatuor annos expurgatum est templum et sacerdotes denuò restituti sunt), seu cum Harduino et Calmeto Oniam : sicut absurdum est per ista verba : « Deficiet hostia et sacri-« ficium, et erit in templo abominatio desola-« tionis, et usque ad consummationem et finem « perseverabit desolatio, » intelligere solummodò interruptionem sacrificiorum per tres vel quatuor annos.

Quaestio secunda.

QUÆNAM POTIOR SIT VATICINII DANIELIS EXPLICATIO QUOAD CALCULOS CHRONOLOGICOS.

Omnis in eo posita quæstio est, à quo sermone pro ædificandâ urbe Jerosolymitanâ, initium computandarum Danielis hebdomadarum sumendum sit. Necesse est illum sermonem esse vel sermonem Dei ipsius prophetiâ aliquâ contentum, vel sermonem seu decretum regis alicujus Persarum, qui ditione suâ Judæam continebat. Jam verò prophetiæ de reædificandâ urbe apud Isaiam, Jeremiam, Baruch, Habacuc, præter hanc Danielis quàm plurimæ sunt; edicta verò regum Persarum quatuor recensentur : primum Cyri, qui regni sui in Babylone anno primo, ante æram vulgarem juxta receptissimam chronologiam 536, Judæos liberos fecit et in patriam remeandi ædificandique templi sui potestatem fecit. Quod edictum legitur l. 1 Esdræ c. 1, vi cujus templi tamen ædificatio non est executioni demandata. Secundum dedit Darius Hystaspis filius, in confirmationem præcedentis anno ante æram vulgarem 519, id est, 17 annis post primum edictum, atque hoc quoad ædificationem templi executionem suam sortitum est. Tertium decretum factum est ab Artaxerxe, vulgò habito Longimano, anno regni sui septimo, et ante æram christianam, ut videtur 454, id est, 82 annis post Cyri edictum, 65 post illud Darii. Edictum hoc habetur Esdræ l. 1, c. 7, et ejus vigore Esdras scriba omnia ad politiam secundùm legem Moysis pertinentia instituit. Non fuit tamen tunc temporis perfecta murorum instauratio. Quartum denique edictum seu potiùs rescriptum datum est ab eodem rege, efflagitante Nehemiâ post 13 annos, vigesimo scilicet regni ejus anno : quo rescripto vel quibus litteris Nehemias obtinuit à rege licentiam perficiendi ædificationem urbis, et ligna ut tegere posset portas turris domûs et muros civitatis, et domum quam ingressus fuisset : quibus tantâ diligentiâ incubuit ut 52 diebus omnia perfecta fuerint. Cùm in hujus vaticinii interpretatione multiplex extiterit opinionum diversitas, quæ diligenter ab aliis collectæ sunt et expositæ, et complures ex illis vanitatis convictæ exoleverint, nos ergo hoc loco eas solummodò exponemus sententias, quarum præcipua inter cæteras auctoritas est, quæque majoris nominis patronos habent.

1° Ex supra disputatis patet esse aliquos qui haud dubitârunt arcessere hebdomadarum exordium ab aliquâ ex prophetiis, quibus reædificatio templi prædicta est. Sic Marshamus 7 hebdomadas numerat à sermone angeli Gabriel ad Danielem; Harduinus verò hebdomadarum initium petit à prophetiâ Jeremiæ c. 25 et 29; et Calmetus à prophetiâ Jeremiæ c. 50. Sed hi omnes de aliis quàm Messiæ temporibus prophetiam interpretantur, et interpretari necesse est : cum illis ergo hoc loco nobis disputatio non est. Animadvertere tamen licet vanissimum esse eorum consilium : nam cùm novem ad minimum inveniantur varia de urbis Jerosolymitanæ instauratione vaticinia, si ab iis petendum statuatur hebdomadarum exordium, jam illud est planè incertum et indeterminatum contra archangeli claram professamque mentem. Necesse est ergo idem initium repetere ab uno è quatuor edictis.

2° Eusebius Cæsariensis l. 8 Demonstrationis Ev. explicationem vaticinii Danielis proposuit, at quam ipse parùm probabilem putabat, in quâ hebdomadarum initium petebatur ab edicto Cyri, et 69 hebdomadæ desinebant circa initia imperii Hircani regis : 70 verò à cæteris avulsa ad Christi prædicationem et mortem referebatur. Non defuêre inter recentiores, qui ad eamdem rationem tenendam propensi fuerunt, nec profectò nos hæreremus, si calculi constarent : nam vix dubitari potest quin Cyrus urbis ædificationem permiserit, cùm de ipso prædicatum sit Is. 44, 28 : « Qui dico « Cyro : Pastor meus es, et omnem voluntatem « meam complebis. Qui dico Jerusalem : Ædi-« ficaberis. » Et c. 45, 13 : « Ego suscitavi « eum (Cyrum) ad justitiam, et omnes vias « ejus dirigam : ipse ædificabit civitatem meam, « et captivitatem meam dimittet. » Cùm apud Esdram c. 2, legamus, quòd qui ascenderunt è captivitate reversi sint Jerusalem et Judam, unusquisque in civitatem suam, ubi certè sub dio non habitabant; cùm legamus Aggæum Judæis exprobrâsse, quòd neglecto Dei templo, vel eo nondùm perfecto, domos sibi construerent laqueatas : cùm denique Josephus testetur

l. 11. Antiq. c. 1, Cyrum Judæis reædificandæ urbis potestatem fecisse. Sed doctis omnibus probata et argumentis certis innixa chronologia ab hâc epochâ initium hebdomadarum repetere vetat : edictum tulit Cyrus 536 annis ante æram vulgarem, et annis circiter 569 ante Christi prædicationem atque mortem ; ergo cùm 70 hebdomadis contineantur anni solummodò 490, qui numerus annis 79 minor est, toto hoc intervallo aberrant qui ab hoc edicto numerare volunt : neque ullo modo licet 70^am et ultimam hebdomadam ab aliis dividere ; quia textus nedùm huic divisioni ullam causam præbeat, è contrario omnes hebdomades in unam summam collectas repræsentat, et successivè sine ullâ interruptione fluere supponit.

3° Idem Eusebius Cæsariensis aliam proposuit prophetiæ Danielis explicationem l. 8 Dem. Ev. quæ magis probabilis ipsi videtur, in quâ exordium hebdomadum petit ab edicto Darii Hystaspis anno regni ejus 2, quæ fuerat antea sententia Clementis Alexandrini, et habuit etiam quorumdam recentiorum assensum. Sed hoc edictum, quo confirmatum est decretum Cyri, antiquitate superat epocham à quâ initium computandarum hebdomadarum sumi potest. Nam inter edictum Cyri et hoc Darii intercesserunt solummodò anni 17, qui si detrahentur à numero 79 annorum quibus edictum Cyri antiquitate prætergreditur legitimam epocham, invenietur et hoc annis 62 eamdem prætergredi.

4° Julius Scaliger, secutus inter veteres Sulpitium Severum aliosque, ut ipse ait, in anno Darii Nothi 2, ante æram Christ. 422, hebdomadum 70 initium statuit, finem in anno Neronis 12, quo anno Judæos inter et Romanos bellum tumescebat : deinde addit mediam hebdomadam seu annos tres cum dimidio, quibus sacrificium abolendum prædicitur ut tempora apud Danielem notata perducat ad excidium Hierosolymitanum, quod designatum putat his verbis : 70 *hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum et super sanctuarium.* Darium ergo illum, cujus anno secundo inchoatam templi refectionem, sexto absolutam tradit Esdræ liber, non Hystaspidem Darium esse credit, uti vulgò creditur, sed Nothum Artaxerxis Longimani successorem, alterius Artaxerxis cognomento Mnemonis vel Memoriosi decessorem. Præterea aliter spectari vult hanc 70 septimanarum simul collectam multitudinem, aliter expressam à Daniele ipsarum partitionem in septem, sexaginta duas, et unam : sexaginta quippe et duas hebdomadas, ductas à quinto anno Artaxerxis Memoriosi, quo anno de restituendâ Jerosolymâ edictum promulgatum fuisse ait, cadere in interitum Christi. Septem reliquæ septimanæ, quò pertineant nescire se fatetur. De postremâ nihilò certiora affert. Probationes doctrinæ suæ has dat.

Tria lata sunt de instaurandis Hierosolymis et templo edicta ; prius à Cyro, alterum à Dario, quem Nothum esse vult, tertium ab Artaxerxe quem Mnemonem esse statuit. Non patitur annorum discrepantia, ut inchoatum ab edictis Cyri vel Artaxerxis illius Memoriosi intervallum quod præscripsit Daniel, desinat in assignatis ab eo temporibus : igitur Darii Nothi edictum à Daniele notatur. Alterum ex his Zachariæ verbis depromit argumentum c. 7, v. 5 : « Cùm jejunaretis et plangeretis in « quinto et septimo per hos 70 annos, num- « quid jejunium jejunâstis mihi? » Ex jejuniis, inquit, illis per 70 annos celebratis, intelligitur 70 jam annos Hierosolymis ritus suos et cæremonias obiisse Judæos ; nam ejusmodi solemnibus in captivitate Judæi abstinebant. Atqui à reditu ad Darium Hystaspidem tot anni non effluxerant. Ergo Darius ille, cujus ævo hæc vaticinabatur Zacharias, Nothus erat, non Hystaspides.

Deinde verba hæc ex c. 4 Esd. profert : « Conduxerunt autem adversùs eos consiliato- « res ut destruerent consilium eorum omnibus « diebus Cyri regis Persarum, et usque ad « regnum Darii (Hystaspidis) regis Persarum. « In regno autem Assueri (Cambysis), in prin- « cipio regni ejus, scripserunt accusationem « adversùs habitatores Judæ et Jerusalem ; et « in diebus Artaxerxis (Smerdis regis), scri- « psit Beselam Mithridates et Tabeel et reliqui « qui erant in consilio eorum ad Artaxerxem « regem Persarum. » Quibus hæc ad calcem capitis subjiciuntur : « Tunc intermissum est « opus Domini in Jerusalem, et non fiebat « usque ad annum secundum Darii regis Per- « sarum. » Profert et ista ex cap. 6 : « Se- « niores autem Judæorum ædificabant, et « prosperabantur, juxta prophetiam Aggæi « prophetæ, et Zachariæ filii Addo ; et ædifi- « caverunt et construxerunt, jubente Deo « Israel et jubente Cyro et Dario et Artaxerxe « regibus Persarum. » (Hic duobus præcedentibus additur per anticipationem, quia in Judæos benevolus fuit.) « Et compleverunt do- « mum Dei istam, usque ad diem tertium men- « sis adar, qui est annus sextus Darii regis

Ordine, inquit Scaliger, hìc recensentur Persarum reges, sub quibus inchoata, provecta et perfecta demùm est templi exstructio, Cyrus, Darius, Assuerus, Artaxerxes, Darius alter sive Nothus, Artaxerxes alter à quo Esdras ad templum colendum missus est; is est Artaxerxes Memoriosus.

Magnum insuper sententiæ hujus propugnaculum statuit in spatio temporis, quod Cyri edictum et annum Darii secundum intercessit. Nam cùm necesse habuerit Darius hoc Cyri edictum consulere et archiva lustrare, ut de concessâ olim Judæis à Cyro redeundi facultate constaret, liquet utique rem fuisse non novam, neque heri vel nudiustertiùs factam : fuisset autem si Darius ille esset Hystaspides ; nam à primo anno Cyri, quo latum est de Judæorum postliminio edictum ad secundum Hystaspidis annum, omninò elapsi sunt anni, ut ipse putat, duodecim ; vel ut rectiùs putare debuit 18, brevius scilicet intervallum, quàm ut archivorum reserandi fuerint foruli et lustranda tabularia, ad rem explorandam, cujus testes in vivis ferè supererant. His nititur rationibus Scaligeri sententia quam olim viris quibusdam eruditis persuasit, sed penè exolevit. Vanissima siquidem sunt ejus fundamenta et gravissima habet incommoda. Vana sunt fundamenta : nam 1° ratio ex enumeratione edictorum est mera petitio principii, et in istâ enumeratione evidens error est. Nam non tria, sed quatuor de urbis et templi restauratione lata sunt edicta, primum anno primo Cyri, secundum à Dario anno regni secundo, tertium septimo et quartum vigesimo Artaxerxis.

Vana est etiam ratio petita ex intervallo quod Cyri edictum intèr et annum Darii secundum medium jacet. Nec enim idcircò ad tabularia recurrere opus fuit, quòd de facultate à Cyro concessâ dubitaretur; sed ut facultatis hujus conditiones ac cuncta item edicti, ad quod provocaverant Judæi, capita cognoscerentur, ad ejusque formam illud Darii conscriberetur, quod haud secùs fuisset factum, si ante mensem vel annum edictum hoc tulisset Cyrus : ante octodecim annos latum fuerat. 2° Vanum est præsidium, quod quæsivit Scaliger ex c. ult. Zach. et jejuniis ibidem memoratis quinti et septimi mensis, quæ per 70 annos observata fuisse ibi narrantur. Nam ibi non agitur de 70 annis, qui effluxerant à reditu à captivitate ad annum secundum Darii ; sed de annis qui effluxerant à templi urbisque incendio et Godoliæ nece, quæ maximas peperit calamitates : jejunium scilicet mensis quinti propter eversam civitatem institutum est, et illud septimi mensis propter reliquiarum populi dispersionem in vindictam necis Godoliæ, et utrumque ipso tempore captivitatis celebratum est, et ab istis eventibus usque ad annum quartum Darii intercesserunt reverà anni 70, adeò ut ex hoc loco confirmetur illum Darium esse Hystaspidem. Petavius et Huetius verba prophetæ interpretantur de 70 annis captivitatis. Anno, inquit Huetius, secundo Darii, septuagesimum annum propheta numerat ; anno item quarto septuagesimum : numerâsset scilicet 72 anno quarto, si 70 in annum secundum incidisset. Utròbique autem numeratur 70, quod in annos illos Darii secundum et quartum 70 annorum finis non congrueret : definitum quippe jamdiù, ac circumscriptum annorum significabat spatium, quo Babylone captivi fuerant Israelitæ. Hebraica verò verba , versio 70 interpretum et Jonathanis paraphrasis, non magis præsens quàm præteritum tempus notant. 3° Ex cap. etiam 4 Esd. et recensione regum Persarum nedùm confirmetur Scaligeri sententia, omninò eadem refellitur, ut patet. Nam ibid. numerantur ad Darium usque tres solummodò reges, Cyrus, Assuerus et Artaxerxes, qui alii esse non possunt quàm Cyrus, Cambyses et Smerdis Magus , quos excepit Darius Hystaspes : usque ad Darium Nothum fuêre reges octo, qui in laudatis textibus nullatenùs numerantur.

Deinde graviora sunt ejusdem sententiæ incommoda ; quippe 1° si Darius Nothus fuisset hujus edicti auctor, cùm ille non regnaverit nisi 112 annis post solutam captivitatem, oporteret Zorobabelem, Jesum sacerdotem et Esdram captivitatis reducendæ duces, vitam ad incredibilem ætatem produxisse : nam et anno secundo Darii, edicto exequendo operam dederunt. Præterea hypothesis Scaligeri totius prophetiæ tenorem perturbat: in illâ siquidem dividuntur septem hebdomades ab hebdomadibus 62. Priores deducuntur ab anno secundo Darii Nothi, et antequàm effluxerint, 62 inchoantur ab anno quinto Artaxerxis Mnemonis. Quo jure hebdomadas 7 et hebd. 62, quas propheta in unam summam colligit, ille dividit? quo jure annos perpetuâ serie decurrentes, ille in duas series simul fluentes distribuit? non mirum quòd in imaginariâ distributione ipse hæreat, nec intelligat quorsùm septem hebdomades à prophetâ separatim numerentur.

5° Tertium habemus edictum in gratiam Ju-

dæcrum latum ab Artaxerxe Longimano anno regni ejus septimo, a quo initium hebdomadarum Danielis petunt viri doctissimi complures, Jacobus et Ludovicus Capellus, Cornelius à Lapide et Ayroles presbyteri e Societate Jesu, Prideauxius in historiâ Judæorum, et alii. Hic est tenor edicti, uti legitur Esdræ c. 7: « Artaxerxes rex regum, Esdræ sacerdoti, scribæ legis Dei cœli doctissimo, salutem. A me decretum est, ut cuicumque placuerit in regno meo de populo Israel, et de sacerdotibus ejus, et de Levitis ire in Jerusalem, tecum vadat: a facie enim regis et septem consiliatorum ejus missus es, ut visites Judæam et Jerusalem in lege Dei tui, quæ est in manu tuâ. » Deinde post varia ad templi cultum pertinentia hæc sequuntur: « Tu autem, Esdra, secundùm sapientiam Dei tui, quæ est in manu tuâ, constitue judices et præsides ut judicent omni populo qui est trans flumen, his videlicet qui noverunt legem Dei tui, sed et imperitos docete liberè; et omnis qui non fecerit legem Dei tui et legem regis diligenter, judicium erit de eo, sive in mortem, sive in exilium, sive in condemnationem substantiæ ejus, vel certè in carcerem. » Hoc edicto, quod inter omnia alia maximè solemne fuit, restituta est Judæis autonomia seu facultas suis legibus utendi; restauratus est status seu civilis, seu ecclesiasticus.

Fatendum sanè est, inquit Huetius, eos qui ab hoc edicto exordiuntur hebdomadas Danielis, veri quam simillima disserere, atque hanc quæsiti annorum numeri cum historiæ veritate convenientiam penè nobis assensum extorquere. Verùm ad hanc calculi fidem reliqua non congruunt: inchoandas quippe hebdomadas esse definit apud Danielem angelus Gabriel, *ab exitu sermonis ut iterum ædificetur Jerusalem*, ab edicto videlicet, quo Hierosolymorum instauratio permissa est. At in Artaxerxis edicto, quo Esdræ reditum anno regni sui septimo concessit, de reparandis Hierosolymis nulla omninò mentio fit, sed de instaurando tantùm templi cultu, et lege restituendâ. Nec nodum solvit Ludovicus Capellus, cùm ait licentiam reficiendorum murorum, etsi verbis non expressam, at reipsà fuisse Esdræ concessam: cur enim, inquit, instaurationem murorum, vel prohibuisset, vel non concessisset Artaxerxes ille, qui se usque adeò benevolum erga Judæos eo edicto præbuit? eamdem nimirùm ob causam, quæ Cyrum erga Judæos itidem benevolum, quæ Darium absterruit, quo minùs id ipsis permitterent, experta nimirùm gentis pervicacia et mobilitas, et cupidus rerum novarum animus. Quòd si promovendi cultûs templi expressa verbis facultas tacitam instaurandi muri continet facultatem, jam igitur non à septimo anno Artaxerxis, sed à primo Cyri, vel à secundo Darii 70 hebdomadum sumenda sunt initia, qui Judæis restituendi templi fecerunt potestatem: veri profectò simile non est, hoc Artaxerxis edictum, cùm res alias momenti minoris sigillatim exprimat, sumptusque ad templi cultum conferendos minutatim percenseat, concessam murorum et urbis extruendæ facultatem, sic tanquàm rem nihili, silentio prætermisisse. Crederemus fortasse, si rem in edicto prætermissam opere ipso Esdras complevisset. Verùm nec ex edicti verbis, nec ex gestis ab Esdrà rebus, ulla sumi possunt opinionis hujus argumenta.

6° Denique multò apud Scripturæ interpretes et theologos communior sententia est quæ ab Artaxerxis Longimani anno 20 hebdomadas Danielis exorditur. Illam olim defendit Julius Africanus, vetustissimus scriptor chronologiæ peritissimus, quem secuti sunt Petavius, Usserius, Huetius et alii. Quæ verò illo tempore gesta sunt sic narrantur, c. 1 et 2 Nehemiæ: « Et factum est in mense casleu, anno 20, et ego Nehemias eram in Susis castro; et venit Hanani unus de fratribus meis, ipse et viri ex Juda. Et interrogavi eos de Judæis qui remanserant et supererant de captivitate et Jerusalem, et dixerunt mihi: Qui remanserunt et relicti sunt de captivitate ibi in provinciâ, in afflictione magnâ sunt, et in opprobrio, et murus Jerusalem dissipatus est, et portæ ejus combustæ sunt igne. Cùmque audissem verba hujuscemodi, sedi, et flevi, et luxi diebus multis; jejunabam et orabam ante faciem Dei cœli .... Factum est autem in mense nisan anno vigesimo Artaxerxis regis et........ eram quasi languidus ante faciem ejus. Dixitque mihi rex: Quare vultus tuus tristis est, cùm te ægrotum non videam? Et dixi regi: Rex, in æternum vive: quare non mœreat vultus meus, quia civitas domus sepulcrorum patris mei deserta est, et portæ ejus combustæ igne? Et ait mihi rex: Pro quâ re postulas? et oravi Deum cœli, et dixi ad regem: Si videtur regi bonum, et si placet servus tuus ante faciem tuam, ut mittas me in Judæam, ad civitatem sepulcri patris mei, et ædificabo eam..... Et dixi regi: Si regi videtur bonum, epistolas det mihi ad duces regionis trans flumen ut traducant me, donec veniam in Judæam, et epistolam ad

Asaph custodem saltûs regis, ut det mihi ligna ut tegere possim portas turris domûs et muros civitatis, et domum quam ingressus fuero. Et dedit mihi rex juxta manum Dei mei bonam mecum. Et veni ad duces regionis trans flumen, dedique eis epistolas regis : miserat autem rex mecum principes militum et equites ..... et veni Jerusalem...... et indicavi magistratibus manum Dei mei quòd esset bona mecum, et verba regis quæ locutus esset mihi, et aio : Surgamus et ædificemus....... completus est autem murus vigesimo quinto die mensis elul quinquaginta duobus diebus.»

Quamvis hæ litteræ Artaxerxis datæ Nehemiæ non habuerint edicti solemnitatem, ejus vim habuerunt, et iis contineri videtur gratia, quæ nondùm fuerat impetrata. Nisi rem novam et nondùm concessam ab Artaxerxe et ejus decessoribus efflagitaverit Nehemias, cur tantus ipsum incessit timor, cùm doloris sui causa regi erat exponenda et petitio offerenda? Si mœniorum extruendorum facultatem antea Judæi obtinuerant, cur tanto tempore ab opere tam necessario cessârunt? Cur statim atque ipsis explanata fuit regis benevolentia, cum tanto studio et alacritate operi incubuerunt, ut spatio 52 dierum fuerit completum, nequaquàm indignantibus per circuitum adversariis, et operi moram per vim apertam et per insidias atque fraudem injicere molientibus? Hæ ergo litteræ magis quàm ullæ aliæ spectabant murorum et ædificiorum publicorum refectionem, et earum vigore reverà completa est hæc pars prophetiæ : *Et rursùm ædificabitur platea et muri in angustiâ temporum.* At hæc explicatio suas habet difficultates, quæ multis visæ sunt suspendere eas, quibus obnoxia est sententia proximè exposita. Non tam benè constant in hâc calculi, quàm in superiori. Nam annus Artaxerxis vigesimus incidit juxta peritissimos chronologos in annum ante æram christianam 445. Jam verò si ab hoc anno numeres 70 hebdomadas, seu annos 490, pertingentesque ad annum æræ vulgaris 45, et ultima hebdomada intra quam mors Christi contingere debet (scilicet in ejus medio vel fine pro diversâ textûs sacri interpretatione), invenietur posita aliquibus annis post Christi mortem, quæ à doctis fermè omnibus alligatur anno æræ christianæ 33, adeòque in istâ hypothesi 70 hebdomades prætergrediuntur metam annis ad minimum octo, et juxta alias interpretationes totis tredecim et ampliùs annis.

Ad hanc tollendam difficultatem varias vias inierunt Scripturæ interpretes et theologi. 1° Julius Africanus hujus sententiæ primus auctor laudatus ab Eusebio, Dem. Ev. l. 8, et à S. Hieron. Comm. in Dan., difficultatem solvere nititur ope annorum lunarium. Supponit rescriptum Artaxerxis anno quarto Olymp. 83 datum esse, id est, initio anni ante æram vulgarem 444, à quo numerans annos 490 lunares deducitur ad annum Olymp. 202 secundum, qui est trigesimus æræ vulgaris, qui annectit mortem Christi. Hâc ratione ex numero annorum 490, detrahit 15 : quia cùm anni lunares minores sint solaribus 11 diebus, 70 hebdomades annorum ejusmodi efficiunt solummodò annos lunares 475, cum aliquot mensibus; finis ergo hebdomadarum, qui, si per annos solares numeres, desinent in annum æræ christianæ 45, numerando per annos lunares finem habebunt in anno 30. Africani auctoritatem et rationes plures secuti sunt, et inter recentiores præsertim Huetius : at certissimum est Judæos usos olim esse annis solaribus, aut quod eòdem redit, annis lunaribus per dierum intercalationem ad solares redactis. Ni fecissent, festa paschatis, pentecostes et tabernaculorum, quorum sedes erat ex lege certis anni tempestatibus affixa, per omnes anni partes vagata fuissent : et festum, verbi gratiâ, paschæ rarò æquinoctium vernum occupâsset. Nec probabile est angelum verba facientem ad hominem hebræum, alterius anni significationem adhibuisse, quàm qui inter Hebræos usu communi esset receptus.

Et certè vana sunt, quæ in contrarium affert Huetius; primùm post Pererium hanc affert rationem : idcircò annos lunares ad præfiniendum vaticinii sui tempus adhibuisse Gabrielem, quòd Hebræis parùm cogniti, nedùm usitati forent, quo nimirùm majore prædictionem suam obscuritate involveret, et ab intuendâ nudâ veritate profani vulgi oculos prohiberet; atque idcircò præmonuisse septuaginta hebdomadas abbreviatas esse super populum, ut de vulgatâ et populari annorum hebraicorum formâ delibandum aliquid, et decerpendum Daniel intelligeret. Cui talis ratio placeat, omnis qualiscumque placebit. Deinde aliam hanc affert rationem : Danieli prædictionem hanc edidit Gabriel angelus in ditione Darii Medi, quem ait ipse Daniel imperàsse super regnum Chaldæorum. Hinc sequitur probabile esse in annorum designandis intervallis ad eam anni formam spectàsse angelum, quæ popularis et pervulgaris erat gentibus, inter quas versabatur Daniel, et apud quas honoribus et muneribus

insigniebatur. Sed incertum planè est an anni Chaldaici, Medici et Persici fuerint solares necne : si id incertum sit, quomodò ex re incertâ auctoritatem accipere potest Africani sententia? Præterea rem non esse incertam probavit Petavius et extra omne dubium est annos æræ Nabonassari, quâ usi sunt Chaldæi, solares fuisse.

Tertia Huetii ratio sic se habet : Duplex erat, fatente Petavio, hebraicus annus, lunaris et solaris, quos certis temporibus ad easdem metas revocare necesse fuit, ad determinandos nimirùm annos remissionis, seu sabbaticos seu jubilæos. In describendis quoque annalibus, solaris anni rationem fuisse habitam non inficior : in communi verò et populari usu lunarem adhibitum fuisse verisimile est, utpote notiorem populo cujus captum subtilis hæc embolismorum doctrina superabat, adeò ut gemina Judæis fuerit temporis putandi consuetudo, altera eruditiorum hominum per solares annos, perque lunares solaribus accommodatos et intercalationibus emendatos; altera profani vulgi et indocti per lunares annos simplices. Sed et hæc ratio quoque vana est, quia et hìc agitur de plurium annorum curriculo, quo in casu fatetur Huetius solitos esse annalium scriptores uti annis solaribus, quia fieri non potest, ut non fuerit apud Hebræos notissima anni solaris ratio, cùm omnes religionis cæremoniæ et sacrificia præstituta ex illâ penderent, et ex Religionis institutis penderent etiam res civiles, ut tempora remittendorum debitorum et solvendæ servitutis, et alia ejusmodi quæ ad omnes attinebant; v. g., quando sic præcipit Moyses Lev. 25 : « Numerabis tibi (ab anno sabbatico seu requisitionis) septem hebdomadas annorum, id est, annos 49, sanctificabisque annum quinquagesimum, et vocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ tuæ, ipse enim est Jubilæus; revertetur homo ad possessionem suam, et unusquisque redibit ad familiam pristinam. . . . quandò vendes quippiam civi tuo, vel emes ab eo, juxta numerum annorum jubilæi emes ab eo.... Quantò plures anni remanserint post Jubilæum, tantò crescet et pretium. » Manifestum est et hâc lege suspensam fuisse rem familiarem civium invicem, et rationem calculi instituendi notam propterea omnibus fuisse. Sed rationem calculi instituendi fuisse per annos solares necesse est, et in confesso est apud omnes.

2° Joannes Lucidus, Galatinus et alii, ut sese expediant, et annum Artaxerxis 20, 490 annis Christi mortem antiquitate antecessisse demonstrent, regibus Persarum Artaxerxem subsequentibus plures annos, quàm fert recepta chronologia, tribuunt; at id faciunt contra historiæ fidem et vetustiorum monumentorum auctoritatem.

3° Usserius, Lancelotus, Bossuetius, durationi regni Xerxis, cui successit Artaxerxes Longimanus annos octo detrahunt, quos annis Artaxerxis adjiciunt. Statuunt ergo Xerxem non anno regni 21, ut vulgò creditur, sed 12 ab Artabano occisum fuisse, et filium ejus Artaxerxem non annis 40, sed 48 regnâsse : hâc ratione 20 annum Artaxerxis totis octo annis antiquiorem efficiunt, atque hanc suam sententiam confirmant vetustissimorum auctorum testimoniis, nempe Thucydidis, Charontii Lampsaceni, Annalium Persicorum, Cornelii Nepotis, Eusebii; ex quibus colligi posse videtur Themistoclem Athenis pulsum confugisse non ad Xerxem, sed ad ejus filium Artaxerxem, pluribus annis ante vulgò suppositum regni Xerxis terminum, 21 nempe annum : hâc ratione efficiunt ut mors Christi occupet medium ultimæ hebdomadæ. At hæc sententia impugnatur auctoritate omnium chronologorum veterum, Ptolomæi, Diodori Siculi, Eusebii, etc., qui unanimi consensu annos 20 et ampliùs regnâsse Xerxem definiunt : impugnatur auctoritate omnium fermè historicorum, Dinonis, Clitarchi, Heraclidis, Josephi Hebræi, Diodori Siculi, Plutarchi, aliorumque multorum, qui affirmant Themistoclem ad regem Persarum illum ipsum, quem ad Salaminam vicerat et ex Græciâ expulerat, confugisse. Is non alius quàm Xerxes fuit, quem etiam plerique eorum nominant, clarè affirmantes Xerxis adhuc viventis et regnantis patrocinium quæsivisse Themistoclem.

4° Petavius autem, Tirinus, Tourneminius et alii victi auctoritate tot gravissimorum scriptorum fatentur Xerxem anno 21 regni sui interemptum, et ut calculos suos ineant, supponunt Artaxerxem à patre suo in consortium regni ante mortem pluribus annis fuisse assumptum. Hunc aiunt fuisse morem regum Persarum, et hâc viâ non tantùm egregiè explicari prophetiam Danielis, sed etiam conciliari repugnantes veterum scriptorum narrationes. At hi inter se non consentiunt. Petavius ponit Artaxerxem ascitum à patre in regni consortium fuisse anno regni sui 12, cùm in Græciam secundam expeditionem instrueret. Tirinus autem putat Artaxerxem anno regni

Xerxis quinto participem auctoritatis supremæ factum : eo scil. anno quo non solùm in Græciam expeditionem meditabatur Xerxes, sed reverà fecit. In hâc sententiâ hoc singulare est, quòd cùm edictum Esdræ concessum editum censeatur anno 7 à morte Xerxis, et hoc de quo nunc agitur, datum putetur anno 20 post 5 annum Xerxis, necesse est ut Nehemias cum suis litteris Jerusalem venerit duobus annis priusquàm Esdras ad eam pervenerit. Tourneminius tandem statuens expeditionem Xerxis in Græciam non fuisse factam ante annum ejus regni septimum et ab hoc numerans viginti annos Artaxerxis, efficit ut Esdras et Nehemias ambo eodem anno Jerosolymam advenerint. Nam annus septimus à morte Xerxis est annus 20 Artaxerxis computatus ex primâ coronatione anno regni patris sui septimo.

At contra Tourneminium probant chronologi Xerxem non anno regni septimo, sed quinto expeditionem in Græciam fecisse, et ex libro Nehemiæ apparet Esdram non duobus annis post Nehemiam Jerosolymam advenisse, et ibi tum fuisse quando cum litteris Artaxerxis illùc se contulit Nehemias : quod omninò convellit systema Tirini. Ipsa et Petavii hypothesis est planè arbitraria, nec satis legitimo nixa fundamento ; scilicet assumit 1° in more apud Persas positum fuisse ut reges socios asciscerent, quod nullo modo probatur : probatur quidem auctoritate Herodoti et factis aliquibus solemne apud ipsos fuisse successores suos designare ; quòd auctoritatem suam et insignia regia cum aliis communicaverint, nullo argumento ellicitur.

Deinde Plutarchus ex Thucydide, Charonte Lampsaceno et vetustis quibusdam chronicis, defuncto jam Xerxe, Themistoclem ad Artaxerxem venisse scribit : quo testimonio, ait Huetius, labefactatur penitiùs Petavii sententia ; quippe quod apertè demonstrat neutiquàm fuisse persuasum Plutarcho, vel iis quos laudat scriptoribus simul regnàsse patrem et filium, cùm in Persidem Themistocles secessit. Id si fuisset, aliqua procul dubio ejus extaret apud auctores significatio, quæ penitùs nulla est ; nec in diversis eorum referendis sententiis laborarent Cornelius Nepos et Plutarchus : nulla enim tum foret eorum discrepantia.

Præterea Petavius affirmat Artaxerxem procreatum esse Xerxe jam rege, et igitur prælatum fratri Dario, genito ante regiam patris dignitatem ; ascitum verò in communionem regni duodecimo circiter anno, postquàm rex Xerxes creatus est. Ergo minor erat duodecim annis cùm particeps regni factus est ; atqui ad Artaxerxem recens regnantem fugisse Themistoclem narrat Thucydides, ex quibus colligitur nondùm eum excessisse pueritiæ annos hoc tempore : at verò manifestè repugnat Thucydidis et Plutarchi testimonio, quia adveniente Themistocle ea gesta ab Artaxerxe dictaque referunt, quæ nonnisi ab homine virilem prudentiam jam adepto poterant proficisci. Non demonstrat Petavius 12 anno regni Xerxis necessitatem aliquam fuisse, vel justam causam, cur Xerxes filium suum in societatem regni assumeret, quia si eo anno aliquam novam expeditionem animo conceperit ad ulciscendam Pausaniæ in Lacedæmonios mortem, nullam sanè fecit. Tandem etiamsi concedatur ascitum fuisse in regni societatem Artaxerxem, non propterea sequitur Nehemiam annos regni Artaxerxis computantem ab hoc tempore initium computandi fuisse ducturum, sed ab eo quo post defunctum Xerxem plenam et integram potestatem adeptus est et solus regnavit. Postulabat id historiæ ratio, et historicorum consuetudo, quam secutum esse Esdram fatetur Petavius : et si qua in contrarium sub Romano imperio exempla sint, cùm variæ totius fermè orbis noti partes à diversis regerentur, ea sunt perpauca, nec in exemplum trahi possunt.

PROPOSITIO.

Hebdomades septuaginta Danielis numerandæ videntur ab edicto, quod Artaxerxes Longimanus anno regni sui septimo, in Judæorum gratiam tulit.

PROBATIO.

Illa sententia aliis anteponenda est, in quâ meliùs et accuratiùs ineuntur calculi chronologici, in quâ omnes ejus partes inveniuntur habuisse perfectam completionem, et quæ verbis prophetiæ ex omni parte satisfacit. Atqui : 1° In hâc sententiâ meliùs et accuratiùs instituuntur calculi chronologici. Nam ex supradictis patet non posse hebdomadum initium peti nec ab edicto Cyri anno 1°, nec ab edicto Darii anno regni sui secundo, nec ab edicto Artaxerxis anno 20, propter errorem 13 annorum, vel ad minimum octo, quem qui tollere voluerunt, infinitis se ambagibus implicuerunt. Sed si numeres hebdomadas Danielis ab ejusdem regis anno septimo, omnia erunt in calculis chronologicis expedita. Nam juxta veriores calculos mortuus est Xerxes ante æram christianam anno 464, adeò-

que annus septimus Artaxerxis successoris incidit in annum 457, à quo si numeres annos 490 quibus constant 70 hebd. incides in annum æræ vulgaris 33, quo Christus à plerisque morti addictus censetur.

2° In hâc sententiâ omnes prophetiæ partes inveniuntur habuisse perfectissimam completionem. Tres scilicet in prædictâ prophetiâ distingui possunt partes. Prima generalis continens summatim præcipuos eventus, eorumque tempus accuratissimè describens his verbis: « Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt... » Secunda pars specialior continens etiam descriptionem temporum magis minutam his verbis : « Scito ergo et animadverte : ab exitu sermonis, » etc. Tertia pars eos eventus continet qui contingere debebant post finem 70 hebdomadarum, his verbis : « Non erit ejus populus qui eum negaturus est, et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio, » etc. Atqui hæ omnes partes in hâc sententiâ habuerunt perfectam completionem intra illud temporis intervallum et illas temporis differentias, quæ apud prophetam significatæ sunt. Inprimis id patet quoad priorem partem : contentos in eâ eventus in Christi Domini morte et resurrectione complementum habuisse jam probatum est, et hæc mors ac resurrectio contigêre in fine 70 hebdomadum in hâc sententiâ. Deinde etiam eventus secundæ partis in hâc sententiâ reverà intra notatas temporis differentias contigerunt. Nam in illâ parte tres designantur ab archangelo temporum periodi. 1ª Periodus est hebdomadarum septem seu annorum 49 ; 2ª periodus est hebdomadarum sexaginta duarum seu annorum 434 ; 3ª periodus est unius hebdomadis, seu annorum septem. Atqui eventus particulares hi, prout ad quamlibet periodum referuntur, accuratè contigerunt. Ad primam periodum referri videtur reædificatio urbis : quæ reædificatio, simul cum instauratione civitatis, seu statûs civilis et ecclesiastici ab Esdrâ vi edicti Artaxerxis anno septimo inchoata, non habuit verisimiliter perfectionem suam nisi post annos 49. Vel fortassè non est necesse septem hebdomadas à 62 divellere, cùm soleant Hebræi summam alicujus numeri per partes enuntiare, et minores numeros præponere majoribus, præsertim verò septenarium : eo enim gaudebant tum ob religionem sabbati, tum ob decursum septimanæ et temporis quod omne septem diebus decurrit et jugiter recurrit. Ad secundam periodum 62 hebdomadarum post septem priores pertinet adventus Christi ; hæ hebdomades 69 efficiunt annos 483 et pertingunt usque ad annum Tiberii 15, quo Joannes Baptista prædicare baptismum pœnitentiæ, et proximam Messiæ manifestationem annuntiare cœpit. Annus hic 15 Tiberii numeratur et numerari debet non à morte Augusti, sed ab eo tempore quo Tiberius ab Augusto in partem imperii assumptus est ; tum quippe, ut Velleius Paterculus et Suetonius referunt, provincias cum Augusto Tiberius administrabat et censor simul agebat. Denique eventus tertiæ periodi tempore definito contigerunt. Nam eventus illi sunt confirmatio pacti per hebdomadam unam, defectio hostiæ et sacrificii, ac demùm occisio Messiæ. Atqui hæc singula per unam eamque ultimam hebdomadam evenerunt. Nam in ejus initio per Joannem, deinde per seipsum Evangelium prædicavit confirmavitque fœdus novum multis Judæis, qui in eum crediderunt. Postea in alterâ medietate ejusdem hebdomadæ, cùm ipse se Messiam spem gentis præ se ferret, tribueretque ex fide remissionem peccatorum, sacrificia legis inutilia reddidit, ac demùm in arâ crucis moriens illa priora egena elementa sacrificio corporis sui planè vacua effecit et abolevit. Eventus qui continentur parte tertiâ habuerunt quoque complementum suum : nam illi eventus sunt dispersio populi Judaici, urbis et templi destructio, abominatio desolationis in loco sancto, constituta et ruina in perpetuum duratura. Qui quàm accuratam nacti sunt completionem paulò post Christi mortem, jam supra dictum est.

3° Hæc opinio verbis prophetiæ abundè satisfacit. Edictum Artaxerxis anno septimo benè designatur per *sermonem ut iterùm ædificetur Jerusalem*, vel ut habet textus hebraicus : *Ad reverti faciendum, ædificandam Jerusalem*. Quia per hoc edictum reverà dimissæ sunt reliquiæ populi, accepit potestatem Esdras reædificandæ urbis, et prætereà prorsùs redintegratus est status civilis et ecclesiasticus, et reddita est Judæis autonomia seu libertas suis legibus utendi, et videtur consilium Danielis fuisse ætatem ecclesiæ Judaicæ definire à tempore suæ instaurationis post captivitatem Babylonicam usque ad interitum ejusdem. Hoc edictum est inter alia omnia maximè solemne et cumulum addidit gratiis et beneficiis hactenùs factis à regibus Persarum : litteræ posteà datæ Nehemiæ hujus solummodò appendix et

mantissa erant ad procurandum executionem eorum quæ hoc edicto præcepta erant.

PROPOSITIO III.

Christum Spiritu plenum divino vaticinia plura ostendunt.

PROBATIO.

I. Christus plura prædixit quæ ad seipsum pertinebant. Cùm enim per aliquot annos Jerosolymis, et in Judæà prædicàsset, quos fructus sibi esset allatura ista prædicatio, discipulis aperuit : nempe oportere se tradi Judæis, ab ipsis multa pati et morte damnari ; deinde tradi gentibus, ab ipsis flagellari, illudi et tandem crucifigi, et post hæc resurgere tertià die. Hæc multis parabolis significavit in suis ad Judæos sermonibus, sed quatuor præsertim vicibus claris verbis admonuit discipulos, Matth. c. 16 : « Tunc præcepit discipulis suis, inquit Evangelista, ut nemini dicerent, quia ipse esset Jesus Christus. Exinde cœpit Jesus ostendere discipulis suis, quia oporteret eum ire Jerosolymam et multa pati à senioribns et scribis et principibus sacerdotum, et tertià die resurgere. » Item cap. 17 : « Conversantibus autem eis in Galilæà, dixit illis Jesus : Filius hominis tradendus est in manus hominum, et occident eum, et tertià die resurget : contristati sunt vehementer. » Et c. 20, alià vice eadem annuntiàsse discipulis suis refertur his verbis : « Ecce ascendimus Jerosolymam, et Filius hominis tradetur principibus sacerdotum et scribis, et condemnabunt eum morte, et tradent eum gentibus ad illudendum et flagellandum, et tertià die resurget. » Vide etiam c. 26, ubi quartà vice eadem prænuntiavit. Quàm accuratè hæc omnia completa fuerint patet ex supra dictis.

Litem quidem movent deistæ, sed planè ridiculè : negant nempe hanc prophetiam completam fuisse, quia Christus non mansit in tumulo per tres integros dies atque noctes, præsertim cùm in aliquibus locis dicatur Christum post diem tertium resurgere debuisse, et Matth. 12, 40, sic legamus : « Erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus. » Sed si considerare velint quòd dies Judæorum à vesperà inchoaretur et desineret in proximæ diei vesperà, invenient corpus Christi in tumulo conditum fuisse die Veneris, ibique mansisse per totum secundum diem, nempe sabbati, et nonnisi post magnam partem diei tertiæ è tumulo excitatum fuisse. Jam verò hæ voces *die tertio* et istæ *post diem tertium* eumdem sensum habent in Scripturis, et apud alios scriptores (1) Et cùm Judæi nullam haberent vocem quæ significaret viginti quatuor horas, diem-noctem, solebant in familiari sermone uti istà phrasi, dies et nox, eàdem plane ratione ac utebantur voce hàc, dies ; adeòque hæc verba, tres dies et tres noctes, idem valent ac istæ, tres dies ; ac cùm partes pro totis sumerentur, verum erat, quòd Christus fuerit in tumulo tribus noctibus-diebus, et profectò supponi nequit Evangelistas in hujusmodi re sibi contradixisse.

II. Multa prædixit Christus, quæ ejus discipulos attinebant : proditorem fore ejus Judam, negaturum ipsum ter in unà nocte Petrum, omnes ipsum deserturos; accepturos Apostolos post ascensionem suam virtutem Spiritùs sancti, per quam omnia audere et pati, per quam miracula patrare possent ; eos ad ultimos fines terræ fidem propagaturos et in isto suo ministerio extrema passuros à Judæis, à falsis doctoribus et à gentilibus. Petri mortem speciatim designavit, Joannem verò excidii urbis Jerosolymitanæ spectatorem fore significavit. Hæc omnia, etsi contra omnem verisimilitudinem et expectationem humanam dicta fuerint, eventu tamen vera sunt comprobata.

III. Gentis Judaicæ fata accuratissimè descripsit, tum in parabolis multis, quibus solebat uti verba faciens ad Judæos, tum etiam claris verbis ad Apostolos datis, quæ habemus Matth. 24, Marc. 13, Luc. 19 et 20 : « Egressus, inquiunt, Jesus de templo, ibat, et accesserunt discipuli ejus, ut ostenderent ei ædificationes templi. Ipse autem respondens dixit illis : Videtis hæc omnia ? Amen dico vobis, non relinquetur hìc lapis super lapidem, qui non destruatur. Sedente autem eo super montem Oliveti accesserunt ad eum discipuli secretò dicentes : Dic nobis quando hæc erunt....... Et respondens Jesus dixit eis : Videte ne quis vos seducat ; multi enim venient in nomine meo dicentes : Ego sum Christus, et multos seducent : audituri enim estis prælia et opiniones præliorum; videte ne turbemini : oportet enim hæc fieri, sed nondùm finis. Consurget gens in gentem et regnum in regnum, et erunt pestilentiæ et fa-

(1) Vide 2 Paral. c. 10. Cic. Tusc. disp. l. 1. Apollo se id daturum ostendit post ejus diei diem tertium : qui ut illuxit mortui sunt reperti.

mes, et terræ motus per loca, terroresque de cœlo et signa magna erunt. Hæc autem omnia initia sunt dolorum : tunc tradent vos in tribulationem et occident vos. Et eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum, et tunc scandalizabuntur multi et invicem tradent et odio habebunt invicem. Et multi pseudo-prophetæ surgent et seducent multos. Et prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe in testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet consummatio. Cum ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele prophetâ, stantem in loco sancto, qui legit intellegat : tunc qui in Judæâ sunt, fugiant ad montes..... Væ autem prægnantibus et nutrientibus in illis diebus....... Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modò, neque fiet ».

In istâ Christi ad discipulos oratione, tot sunt fermè vaticinia, quot verba; quorum completionem ex ipsâ Josephi historiâ demonstrabimus.

1° De templo dixit Christus : « Non relinquetur hìc lapis super lapidem, qui non destruatur. » Narrat Josephus loco mox laudando post expugnatam à Tito urbem Jerosolymitanam nulla remansisse indicia urbis. Eleazar apud eumdem historicum l. 7, c. 34, in sermone ad Judæos affirmat diruta atque effossa ipsa templi fundamenta. Maimonides insignis apud Judæos doctor tradit postea templi solum aratro versum fuisse à Turno Rufo. Animadvertendum etiam est hæc contigisse præter omnium expectationem; nam imperator Titus omnem industriam contulit ad servandum templum : dixerat enim se invitis Judæis illud servaturum, et reverà cum magno non solùm periculo, sed etiam exercitûs sui damno, diù servavit. Vetuit ne quidquam in templum milites auderent : ignem ut emicuit extinguere conatus est, istiusque infortunii auctorem nullum alium esse, nisi ipsum Deum, contestatus est. De urbe dixerat Christus, Luc. 19, 44 : « Quia venient dies in te, et circumdabunt te inimici tui vallo... et ad terram prosternent te.... et non relinquent in te lapidem super lapidem. » Et c. 21, v. 24 : « Jerusalem calcabitur à gentibus, » quorum adimpletionem accipe in his Josephi verbis, l. 7, c. 1 de Bello J. : « Illi qui urbem destruxerunt, æquârunt universum urbis circuitum, ut nulla remanserint indicia, ex quibus accedentes possent agnoscere urbem ibi antea fuisse. » Prædixit Christus signa omnia hunc eventum antecessura. 1° Ait : « Multi venient in nomine meo, dicentes : « Ego sum Christus, et multos seducent. » Quibus verbis significavit venturos plures impostores, qui spe vanâ victoriarum deluderent plebem, ut patet ex Luc. c. 24. Josephus verò hæc habet : « Impostores et magi turbas illectas post se trahebant in solitudines, dicentes se eis ostensuros manifesta prodigia et signa. Talis erat referente eodem historico l. 20, c. 2 Antiq. Theudas, Fado procurante Judæam, qui ingentem multitudinem sibi adjunxit, pollicitus se aquas Jordanis divisurum. Talis pseudo-propheta Ægyptius, qui, ut habet Josephus l. 2, c. 23 de Bello J., triginta millia hominum sibi adjunxerat, quorum pars maxima à Romanis deleta est. Multos alios numerat idem historicus, omniaque loca illis pseudo-Christis et latronibus infesta fuisse scribit. 2° Addit Christus : « Audituri estis prælia et opiniones præliorum : consurget enim gens in gentem et regnum in regnum. » Consentienter huic prædictioni narrat Josephus Cæsareæ, Scythopoli, Ptolomaide, Tyri, Gadari, Damasci, Alexandriæ exortas esse seditiones. Exarserunt etiam in imperio Romano bella civilia Galbæ, Othonis et Vitellii, quæ describit Josephus paulò ante institutam judaicæ calamitatis historiam. Imperium quoque Romanum istis temporibus infestârunt barbari : Parthi Armeniam, Pannoniam Sarmati in fine regni Tiberii occupârunt. Regnante Claudio Peucines, Ostrogothi, Virtingi, Ægypidæ provincias ultimas depopulati sunt. 3° Adjecit Christus : « Et erunt pestilentiæ et fames et terræ motus per loca. » Josephus de Bello J. l. 6, c. 27, scripsit tam gravem fuisse famem, ut ad extrema homines compulerit; quòd verò pestilentia famem hanc comitata sit, tradit idem historicus l. 7, c. 25. Quod ad terræ motus attinet, Josephus l. 4, c. 17, refert in illâ intempestâ nocte, quâ Idumæi urbem Jerosolymitanam occupare conati sunt, exortam esse ingentem procellam; tantam fuisse vim ventorum, tam graves pluvias, tam crebra fulgura, tam insolita tonitrua, mugitusque tremefactæ telluris, ut nemini dubium fuerit quin mundi fabrica laboraret. Istis temporibus etiam contigêre terræ motus in Cretâ, Smyrnâ, in Melitâ insulâ, in Chio et Samo, Colossi, Hierapoli, Laodicææ, etc. 4° Adjunxit etiam Christus istis signis alia in cœlo, ut discimus ex Luc. c. 21 : « Terroresque de cœlo et signa magna erunt. » Jose-

phus l. 7, c. 31, refert sidus ensis formam imitatum et cometam urbi per annum integrum imminentem visa fuisse; conspectas etiam acies atque currus; tantâ subitò luce collustratum templum fuisse nocte in festo azymorum, ut per mediam horam dies videretur; æream templi januam, cui movendæ vix pares erant viginti viri, quæque prætera obicibus tenebatur, spontè patuisse; auditam in templo vocem clarè auribus insonantem: « Exeamus, exeamus. » Quæ omnia etiam à Tacito confirmantur Hist. l. 5, c. 13: « Evenerunt prodigia, ait, quæ neque hostiis, neque votis piare fas habet gens superstitioni obnoxia; visæ per cœlum concurrere acies, rutilantia arma et subito nubium igne collucere templum; expansæ delubri fores, et audita major humanâ vox, excedere deos, » etc.

3° Modum et circumstantias tristissimi istius excidii graphicè depingit Christus. 1° Notatur tempus: illud non statim eventurum erat, nec etiam multò post; sed antequàm præteriret ista, quæ tum agebatur, ætas: « Amen dico « vobis, non præteribit generatio hæc, donec « omnia fiant, » dicebat Christus. Et reverà post 36 vel 37 annos omnia contigêre. 2° Expressè docuit cladem illam ex bello externo obventuram et obsidendam esse urbem, Luc. 21, v. 20: « Cùm autem videritis circumdari « ab exercitu Jerusalem, tunc scitote, quia « appropinquavit desolatio ejus. » 3° Significavit gentem ethnicam et signa ethnicismi proferentem, bellum adversùs Judæos moturam; id enim denotatur per abominationem desolationis stantem in loco sancto: hinc etiam dicitur Jerusalem calcanda à gentibus. Imò verò proverbio illo: « Ubi cadaver, illic aquilæ » subobscurè designavit Romanos, qui aquilis, ut, sacris insignibus, utebantur, et iisdem in areâ templi constitutis sacrificârunt. 4° Addit Christus tunc fore tribulationem magnam, qualis non fuit ab initio mundi. Et certè quicumque legerit Josephi historiam Belli Judaici, hæc intelliget perfectè adimpleta ex ipsis, quæ ibidem narrantur, factis. Utemur solummodò testimonio scriptoris, qui in prooem. parag. 4, scribit: « Omnium post condita secula res adversæ si cum eis conferantur, quæ Judæis contigerunt, longè ab iis superari mihi videntur. » Et l. 6, c. 37, dicit in eâ se esse opinione, quòd eò dementiæ et impietatis devenerant Judæi, ut si Romani non movissent adversùs eos arma, aut terræ motu absorpti, aut diluvio submersi, aut igne de cœlo consumpti sicut Sodoma interiissent, cùm illos omnes, qui ita perierunt, malitiâ et impietate superarent. 5° Denique asserit Christus evidentem fore in istâ judaicâ calamitate divinam iram, vocatque dies illos dies ultionis, venturum super eos omnem sanguinem justum ab Abele usque ad Zachariam; unde et hæc verba valdè pathetica dedit: « Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophe« tas.... ecce relinquetur domus vestra de« serta, » etc. Hanc divinam ultionem non tantùm Josephus agnovit, sed et Titus imperator; nam conspectâ turrium altitudine, murorum magnitudine ac accuratâ compage, dixisse eum refert Josephus: « Deo favente, bellum gessimus; Deus est, qui Judæos ab istis munimentis detraxit; nam quid manus hominis vel machinæ adversùs has turres valeant? » Cùmque finitimæ gentes ob victoriam coronas offerrent, eas respuit imperator, negavitque esse se talium operum auctorem, sed Deo contra Judæos iracundiam demonstranti manus suas præbuisse. Et sanè quisquis belli Judaici seriem omnem ac circumstantias diligentiùs expenderit, quomodò illa gens extremam perniciem sibi creaverit, omnesque salutis vias quasi datâ operâ præcluserit, non poterit certè in istis omnibus non vindicem Dei manum agnoscere.

4° Ea quæ cladem hanc sequi debebant non minùs accuratè prænuntiavit Christus. 1° Judæos patriâ excedere fore coactos. Et reverà postea non tantùm patriâ pulsi, sed negata ipsis copia fuit ad illum locum accedendi, ubi sita erat Jerusalem, aut etiam in eam partem convertendi oculos. 2° Dixit Christus: « Ca« dent in ore gladii, et captivi ducentur in « omnes gentes. » Quæ verba completionem habuisse hæ clades efficiunt: A Vespasiano apud Japham primùm 1200 et deinde in eodem loco 15000 interfecti sunt præter captivos 2130 (Jos. l. 3, c. 21). Samaritanorum interière apud Garisim 11600 (ibid. c. 22), apud Jotapatam 40000 Judæorum, captis 1200, interfecti sunt (c. 25), in alio loco 6500 (c. 35), ad Gamalam 4000 occisi à Romanis, 5000 sese confecerunt (l. 3, c. 7). Postea interfecti 6000 (c. 9) Jerosolymis, in Idumæorum expugnatione 8500 (l. 4, c. 17). Ab Idumæis præterea occisi 1200 (c. 17). Apud Engeddi 700 (c. 24), interfecti alio die 15000, captis 2200 (c. 25). Interfecti postea 1000 (c. 28); 2000 in ipsis castris Romanorum à militibus interempti sunt, ut in eorum visceribus aurum quærerent; uno

verbo obsidionis tempore, tum gladio, tum fame perierunt undecies centena millia, capta verò ac vendita nonaginta septem millia. Quibus si illi adjungantur, qui antea jam in hoc bello occubuerant, summa erit teste Josepho 1,337,490. Postea Adriani temporibus post ingentem eorum cladem residui per universum orbem dispersi sunt, plerisque ad instar pecorum sub hastâ venditis. 3° Populi Judaici reprobatio et vocatio gentium significatæ sunt à Christo his verbis: « Auferetur à vobis regnum « Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus: » quorum veritatem mille septingentorum fermè annorum experientia comprobavit. 5° Alios pseudo-prophetas et falsos Messias post excidium futuros prædixit Christus his verbis: « Tunc si quis vobis dixerit : Ecce hìc est « Christus aut illìc, nolite credere : surgent « enim pseudo-christi; »quæ verba ad litteram adimpleta fuerunt, præsertim temporibus Adriani in Barcocheba, quo duce Judæi rursùs rebellantes oppressi sunt à Romanis.

IV. Denique reipublicæ christianæ fata prænuntiavit Christus. 1° Prædixit discipulis suis statim post ascensionem suam et Spiritûs effusionem, ante calamitatem judaicam, fore ut à parentibus et fratribus, cognatis et amicis traderentur in synagogas et custodias, et traherentur ad reges et præsides propter nomen suum, quòd etiam aliqui ex illis morte essent afficiendi. Quàm citò hæc verba completa fuerunt, liquet ex Act. Apost. 2° Præcepit Christus ut ponerent in cordibus suis non præmeditari quemadmodùm responderent. « Ego « dabo vobis, dicebat, os et sapientiam, cui « non poterunt resistere, et contradicere om« nes adversarii vestri. » Et reverà illi piscatores timidi, qui ad propagandam Christi fidem carebant doctrinâ et constantiâ, subitò in die pentecostes et docti et constantes effecti sunt. 3° Fidem per totum orbem annuntiandam esse ante excidium Jerosolymitanum declaravit. « Prædicabitur hoc Evangelium regni in uni« verso orbe in testimonium omnibus genti« bus, et tunc veniet consummatio. » Quæ verba adimpleta fuisse constat ex Epist. B. Pauli, qui ipse ante excidium illud post peragratas omnes fermè gentes, pro Religione mortem oppetiit. In Epist. ad Rom. c. 1, habet : « Primùm quidem gratias ago Deo meo per « Jesum Christum pro omnibus vobis, quia fi« des vestra annuntiatur in universo orbe; » et c. 15 : « In virtute signorum et prodigio« rum, in virtute Spiritûs sancti, ita ut ab « Jerusalem per circuitum usque ad Illyri« cum repleverim Evangelium Christi. » Et ad Coloss. c. 1, scribit : « Quod pervenit (ver« bum Evangelii) ad vos, sicut et in universo « mundo est, et fructificat et crescit, sicuti in « vobis, ex eâ die quâ audistis et cognovistis « gratiam Dei in veritate. » Prædixit Christus inanes fore semper inferorum adversùs Ecclesiam conatus, illam nec ab externis expugnatam hostibus, nec intestinis dissidiis discerptam, unquàm interituram : quod feliciter comprobatum per annos 1700 videmus.

Obj. Nulla inest istis vaticiniis ad conficiendum vis, nisi certò constet illa scripta fuisse ante rerum eventum, nec potuisse res in illis prædictas sagacitate humanâ præsciri. Atqui, etc.—Resp. : Neg. min. Ista enim duo certissima sunt, et scripta fuisse multa ex illis vaticiniis ante eventum; et nullâ sagacitate humanâ potuisse illos eventus præsciri.

Primum superiori articulo jam à nobis confectum est, ubi Evangeliorum antiquitatem demonstravimus. Addemus igitur hìc solummodò rationes quasdam, ex quibus manifestum sit illas prophetias non potuisse libris Apostolorum ante eventum confectis inseri post eventum. Etenim 1° non hìc agitur de uno tantùm capite, sed de pluribus sermonibus Christi et parabolis benè multis; quas nequeas tollere quin totius libri contextum sustuleris. 2° Quia cùm tantam partem Scripturarum componant hæc vaticinia, eamque tanti momenti, fieri non potuit, ut libris Apost. inscii Christianis insererentur. 3° Ex historiâ Apost. constat ista Christi vaticinia de Judaicæ gentis infortunio Christianorum animis, jam inde ab ipso Ecclesiæ primordio, altè impressa fuisse. Inter accusationes contra Stephanum prolatas, hæc occurrit : « quòd dixisset Jesum Nazar. locum « sanctum, id est, Jerosolymam et templum « destructurum. » Ex Epist. ad Thess. et speciatim secundâ, liquet Christianos non paucos vaticiniis illis abusos esse, arbitratos proximum esse mundi finem : unde S. Paulus necesse duxit eorum errorem arguere, et docere alios eventus insignes diem Domini antecessuros. Tandem ex historiâ eccl. discimus Christianos hisce vaticiniis admonitos, adventantibus Romanis, ex urbe Jerosolymitanâ Pellam sese recepisse.

Deinde verò illos eventus nullâ potuisse sagacitate humanâ prævideri evidens est, cùm plerique præter omnem humanam spem et expectationem contigerint. 1° Quidem ea quæ

sibi obventura prædixit Christus, erant contra communem expectationem : nihil certè egit quo talem sortem mereretur; erat legis Mosaicæ servantissimus ; illam servare alios docebat ; erat propheta potens in opere et sermone, qui omnem potentiam suam ad aliorum salutem conferebat; rebus publicis civitatis Judaicæ nunquàm se immiscuit; omnium virtutum exempla dabat, quibus hominum admirationem excitare potiùs quàm furorem debebat. 2° Magis erant ob omni verisimilitudine aliena ea, quæ de discipulis suis prænuntiavit : et incredibilia discipulis ipsis videbantur. Quâ sagacitate Apostolorum, qui tantum testabantur zelum, tantamque gloriabantur animi constantiam, proximam ignaviam et præsertim amantissimi discipuli Petri perfidiam præsagire potuit? Vel si ex eorum perspectâ indole suspicari pusillanimitatem potuit, quî subsequentem eorum fortitudinem prævidere? Ex quâ re augurium cepit cruentæ mortis Petri Apostoli, et longævæ vitæ Joannis? 3° Quod spectat fata Judaicæ gentis, certè nullo modo intelligitur quomodò sagacitate ullâ humanâ potuerint prænosci. Nam tempore Christi nihil erat quod istam incredibilem cladem portenderet : Romanis satis erat Judæam in provinciæ formam redegisse, sævire in victos non consueverant; et Judæorum reges ex Herodis familiâ Romanis ut plurimùm acceptissimi erant. Judæi etiam non multùm causæ habere videbantur, cur in Romanos rebellarent, siquidem suis legibus vivere permittebantur, nec multùm vexabantur à Romanis ; imò verò multùm aberant Judæorum principes à rebellione : ex hist. Evang. patet eos Romanorum iram maximè reformidâsse, unde illæ voces : « Nolumus alium regem « præter Cæsarem ; » et : « Præstat hominem « mori, ut populus salvus fiat. » Verùm demus Christum propter perspectum Judæorum ingenium, libertatis supra modum cupidum, futuros tumultus, et secuturam cladem quodam modo præsagire potuisse : sed quomodò circumstantiæ omnes tam multiplices tamque singulares præsciri potuerunt? Nempe illa mala in eà ipsâ ætate obventura, post bella, post famem, post pestem, post terræ motus, etc. Unde prænosci potuit modus omnis excidii illius? Quomodò consectaria omnia tam luctuosa, ut nihil simile historia memoriæ prodiderit? 4° Quàm fuerint ea quæ de Ecclesiæ fortunâ prædixit Christus, præter omnium expectationem satis per se patet : plura de hâc re dicemus ubi de Religionis christianæ propagatione: v. g., admonuit Apostolos, fore ut adducerentur coram regibus et judicibus propter nomen suum : quod erat planè singulare et inauditum: nam nullus à Romanis tormentis affectus fuerat propter doctrinam ; in summâ securitate inter ipsos vivebant Epicurei omnis religionis contemptores : quæ ergo causa fuit ut in tantâ opinionum licentiâ suspicaretur discipulos suos qui doctrinam purissimam afferebant, pœnis et morte ipsâ esse damnandos? Deinde verò quis non admiretur Christi singularem fidentiam, dùm inter immanissimas persecutiones, omnisque generis impedimenta Evangelium suum vires et incrementa accepturum, et propagandum esse per totum orbem in illâ ipsâ generatione, frustra frementibus provinciarum præfectis atque regibus : cùmque ipse nullum aliud daret incitamentum præter hanc vocem : « Qui confitebitur me coram hominibus, con- « fitebor et ego eum coram Patre meo. »

PROPOSITIO IV.

Christus Dominus noster in eâ fuit vitæ conditione, tantisque enituit virtutibus, ut vanitatis, in eum nulla suspicio cadere possit : dignusque fuit cui propter ipsam sanctitatem fides haberetur.

PROBATIO.

1° Nam ille longissimè abfuit ab omni imposturæ suspicione, qui propter humilem vitæ conditionem caruit fallendi facultate, et propter excellentes virtutes certum est caruisse fallendi voluntate : atqui 1° Christus caruit facultate fallendi propter humilem vitæ conditionem. Nam fallaciæ adjumenta ea sunt, quibus apud homines conciliatur auctoritas; nempe nobilitas generis, dignitates, opes, potentia, etc.; magna sunt impedimenta generis ignobilitas, humilis vitæ conditio, paupertas, imbecillitas, sine ullâ spe melioris fortunæ. Atqui Christus caruit illis omnibus adjumentis et hisce fuit subjectus incommodis. Natus est muliere pauperculâ, quæ fabro lignario nupserat : primum domicilium stabulum fuit : educatus est in patris officinâ, et in Galilæâ, ex quâ nullum prophetam, multò minùs Messiam, venire potuisse, commune apud Judæos proverbium significabat : in totâ vitâ eamdem humilem conditionem servavit, siquidem nunquàm habuit ubi caput reclinaret, nec aliunde quàm ex piorum quorumdam hominum, piarumque mulierum liberalitate sustentabatur. Tam longè abfuit ab excitandâ in Apostolorum animis honorum bonorumque temporalium ex-

pectatione, ut e contrario eos constantissimè docuerit ferre oportere unumquemque crucem suam, seseque ad omnia patienda parare : magnorum odia et persecutionem semper tulit, et tandem crudelissimâ morte affectus est, cui prævisæ et prædictæ noluit sese subducere. Qui verò hanc vitam ad fallendos homines aptam esse dixerit, aut ad eos sibi conciliandos, sine excellenti virtute, sine præstanti doctrinâ, sine miraculis, certè sensum communem exuit.

2° Christus certissimè caruit voluntate fallendi. Nam non solùm nullas partes impostoris egisse deprehenditur, verùm etiam dedit egregia specimina omnium virtutum, quæ humanam sortem videntur superare, pietatis in Deum, charitatis in omnes homines, summæ integritatis; animi à vanitatibus hujus vitæ prorsùs alieni ; à vitiis omnibus, ab avaritiâ, ab ambitione, à voluptatibus planè abhorrentis ; incomparabilis mansuetudinis, singularis modestiæ et humilitatis, incredibilis in rebus adversis constantiæ et patientiæ. Enituit primò in ejus vitâ ferventissima in Deum pietas; omnia siquidem ad Dei gloriam referebat : eò tendunt omnia ejus facta et sermones; ubique Deum loquitur, ubique de Dei regno promovendo sollicitus est : hoc est ejus opus, imò opus unicum, cui indesinenter vacat, unde dicit cibum suum esse, facere voluntatem ejus qui ipsum miserat, ejusque opus perficere: si quos diligit, eos diligit præ cæteris omnibus qui exequendæ Dei voluntati operam dant : « Quicumque, dicebat, fecerit voluntatem Patris mei qui est in cœlis, is meus frater, et soror, et mater est. » Orationi sæpiùs vacabat, nomenque Dei et sacra omnia maximè reverebatur. 2° Non minùs conspicua fuit effusa ejus in omnes homines charitas : immensos tulit labores ad erudiendos rudes, ad avocandos à sceleribus improbos, ad ægros sanandos, hominesque omnes ad meliorem frugem revocandos : dedit etiam præcepta discipulis, ut non modò fraterno amore prosequerentur omnes homines, sed speciatim ut inimicos diligerent : quæ præcepta ipse semper executus est, tumque præsertim cùm in cruce positus pro crudelissimis interfectoribus oravit. 3° Tam in aperto erat ejus puritas constituta, ut omnem superaverit invidiam, nec quidquam fingere potuerint ejus inimici, nisi quòd cum peccatoribus vivere dignaretur ; quam accusationem pulcherrimo responso refellit, dicens, « non esse opus medico valentibus, sed malè habentibus. » 4° Ab affectibus omnibus perversis se liberum ostendit : quid avaritia in eo potuit, cui ne hospitium quidem suppetebat, qui vitam ex alienâ liberalitate sustentabat ? Quàm abhorrebat ab ambitione, qui populi ipsum regem proclamantis oculis subduxit sese ? Qui publicum contemptum in morte maximè ignominiosâ sustinere valebat ? Quod ad sobrietatem attinet, nullus sanè unquàm adeò à voluptatibus temperavit, in nullâ re propriis serviisse commodis deprehenditur : nec opes, nec dignitates, nec famam apud homines quæsivit ; nec usus unquàm est illis artibus, quibus hæc comparantur, adulatione, assentatione, dissimulatione. Tanta fuit in eo humilitas et mansuetudo, ut se ad omnia dimitteret, diceretque se non venisse ut sibi ministraretur, sed ut aliis serviret ; hincque se ut istarum virtutum exemplar proponere discipulis potuit : « Discite à me quia mitis « sum et humilis corde..... Exemplum dedi vo« bis, ut quemadmodùm ego feci, ita et vos fa« ciatis. » Denique incredibilis in eo fuit et planè inaudita patientia et constantia animi ; atrocissimis suppliciis et infami morti sese objecit ; inter impios et crudelissimos homines tanquàm ovis obmutescens stetit ; nullum exulcerati animi vel levissimè commoti prodidit indicium ; si quas edidit inter patiendum voces, spirabant pietatem, charitatem, mansuetudinem. Frustra quæres inter homines ab origine mundi eamdem animi magnitudinem : imò finge filium Dei de cœlo descendere ad homines erudiendos virtutum præceptis et exemplis ; atque contende ingenio, ut convenientem ei invenias personam : potesne cogitatione comprehendere virtutes magis excellentes, majorem pietatem, charitatem, fortitudinem, æquanimitatem, etc ? Sed si fingas, absit blasphemia, pseudo-prophetam, qui eam habuerit temeritatem et stultitiam, ut filium Dei se diceret, quantam in omni ejus vitâ, in actibus, in sermonibus disconvenientiam esse oportuisset ! Animadvertere sine dubio licuisset, singularem quamdam conjunctionem prudentiæ et dementiæ, gravitatis et futilitatis, scientiæ et ignorantiæ, malitiæ et bonitatis ; non verò incredibilem in omni re mansuetudinem, sapientiam, constantiam, majestatem (1).

(1) Je vous avoue aussi que la majesté des Ecritures m'étonne, la sainteté de l'Evangile parle à mon cœur. Voyez les livres des philosophes avec toute leur pompe; qu'ils sont petits près de celui-là ! Se peut-il qu'un livre, à la fois si sublime et si simple, soit l'ouvrage

II. Quamvis ab istâ Magistri summâ perfectione distârint multùm discipuli, hi tamen humanæ virtutis apicem attigerunt. Unum præ cæteris seligemus sanctum Paulum, cujus ad fidem conversio et prædicatio novum est veritatis christianæ Religionis argumentum, distinctum à cæteris omnibus, si demonstremus improbum non fuisse impostorem. Quanta primùm in ipsâ ejus conversione enituit commodorum omnium temporalium despicientia! Reliquit familiares, cognatos, amicos, eos qui in potestate constituti honorum omnium, dignitatum, præmiorum distributores erant, ut se adjungeret viris ignobilibus, contemptis, invidiæ publicæ obnoxiis, gregi ad cædem damnato; ut hujus nempe sortis particeps esset: « Usque in hanc horam et esurimus, et sitimus, « et nudi sumus, et colaphis cædimur, et « instabiles sumus, et laboramus operantes « manibus nostris; maledicimur et benedici- « mus; persecutionem patimur et sustinemus; « blasphemamur et obsecramur; tanquàm pur- « gamenta hujus mundi facti sumus, omnium « peripsema usque adhuc. » 1 Cor. 4. Quàm frigida est hæc Judæi Orobio observatio! « Quòd Apostoli nec famam, nec honorem ex suâ prædicatione conquisiverint, dubium est, id tamen certum, quòd neque famam, nec honorem amittere poterant; quippe non habebant, cùm homines infimæ plebis et abjectissimæ fortunæ essent, pauperes piscatores, et Saulus coriorum sutor. Non enim solent tales proprio decori et famæ maximè consulere. » Certè etiam homines infimæ sortis, honestorum et religiosorum virorum famâ gaudent; et saltem constat illos piscatores nullâ re adeò affectos fuisse. Paulus quamvis coriorum sutor (1), juxta eumdem Orobio, « non erat idiota, nec indoctus, sed et satis sapiens Rabbinus, qui discipulus fuit insignis illius magistri Gamalielis, à quo plurima in Misnâ circa legalium explicationem doctissima documenta habemus. » Et addi potest, magistratibus, quibus commodabat operam suam, satis fuisse acceptum, atque ab ipsis mercedem sperare potuisse.

Qualis in eodem post conversionem lucri contemptus et abhorrentia ab omni avaritia! Qui, quamvis immensos susciperet labores in instituendis hominibus ad veram Religionem, operâ tamen suâ victum et vestitum quærebat, ne quem gravaret: unde sic ad Thess. scribere potuit 2 Epist. c. 3: « Ipsi enim scitis, quem- « admodùm oporteat imitari nos: quoniam non « inquieti fuimus inter vos; neque gratis pa- « nem manducavimus ab aliquo, sed in labore « et in fatigatione, nocte et die operantes, ne « quem vestrùm gravaremus. » Vide 1 Cor. 9 et 15; 2 Cor. 11, 12 et 13; 1 Thess. 11. Quàm vanus est Orobio, ubi primorum Christianorum beneficentiam et fraternam charitatem in Apostolorum contumeliam convertit! Divitias non acquirebant, inquit, « quia nonnisi per infimam plebem vagabantur; sed neque aliquas habebant, quas pro Evangelio enuntiando perderent, saltem commodum victum ex eadem prædicatione consequebantur; siquid in collectæ ab Ecclesiis tunc enascentibus flagitabantur, quas gratiæ nomine Paulus appellabat, atque pro spiritualibus, quæ ipse largiebatur, temporalia petebat, textum sacræ paginæ ex-

des hommes? Se peut-il que celui dont il fait l'histoire ne soit qu'un homme lui-même? Est-ce là le ton d'un enthousiaste ou d'un ambitieux sectaire? Quelle douceur, quelle pureté dans ses mœurs, quelle grâce touchante dans ses instructions! Quelle élévation dans ses maximes! quelle profonde sagesse dans ses discours! Quelle présence d'esprit, quelle finesse et quelle justesse dans ses réponses! quel empire sur ses passions! Où est l'homme, où est le sage, qui sait agir, souffrir et mourir sans faiblesse et sans ostentation? Quand Platon peint son juste imaginaire couvert de tout l'opprobre du crime, et digne de tous les prix de la vertu, il peint trait pour trait Jésus Christ: la ressemblance est si frappante, que tous les Pères l'ont sentie, et qu'il n'est pas possible de s'y tromper. Quels préjugés, quel aveuglement ne faut-il point avoir pour oser comparer le fils de Sophronisque au fils de Marie? quelle distance de l'un à l'autre! Socrate mourant sans douleur, sans ignominie, soutint aisément jusqu'au bout son personnage, et si cette facile mort n'eût honoré sa vie, on douterait si Socrate, avec tout son esprit, fut autre qu'un sophiste. Il inventa, dit-on, la morale. D'autres avant lui l'avaient mise en pratique: il ne fit que dire ce qu'ils avaient fait; il ne fit que mettre en leçons leurs exemples. Aristide avait été juste avant que Socrate eût dit ce que c'était que justice; Léonidas était mort pour son pays avant que Socrate eût fait un devoir d'aimer sa patrie; Sparte était sobre avant que Socrate eût loué la sobriété; avant qu'il eût défini la vertu, la Grèce abondait en hommes vertueux. Mais où Jésus avait-il pris chez les siens cette morale élevée et pure dont lui seul a donné les leçons et l'exemple? Du sein du plus furieux fanatisme la plus haute sagesse se fit entendre, et la simplicité des plus héroïques vertus honora le plus vil de tous les peuples. Emile, t. 3, p. 179.

(1) Mos erat doctissimis Judæorum opificium aliquod discere, unde, ubi res ferret, se sustentarent: alii fuère sutores, alii pistores, alii pelliones, uti probat Grotius ex Josepho, aliisque, in annotationibus ad Matth. 13, 55; et Act. c. 18, v. 3.

plicans: *Non obturabis ora bovis triturantis.* Fortassè tales gratiæ non erant valdè exiguæ, siquidem *vendebant omnia quæ habebant, et imponebant pretium pedibus Apostolorum.* » Sed hæ collectæ ad pauperes Hierosolymis sustentandos fiebant, iisque procurandis diaconi præpositi sunt; non in Apostolorum sunt conversæ emolumentum. Et etiam quam proportionem habet tenuis victus, cum molestiis, ærumnis, periculis, flagris, carceribus, ignominiosâ morte, quibus perpetuò exponebantur; tum apud Judæos, ut Orobio confitetur; tum apud gentiles, ut Pauli historia, omnesque Epistolæ docent (1): quæque efficiebant ut miserabiliores verè essent omnibus hominibus, ut et ipsi arbitrabantur, nisi spes beatæ immortalitatis ipsis fuisset perpetuum adminiculum et incitamentum.

Quàm longè idem distabat ab omni ambitione! Quanta in eo humilitas et modestia! Semper vocat se Apostolorum minimum, peccatorum maximum. Ait ad Tim. Ep. c. 1: « Fidelis sermo, et omni acceptione dignus: « quòd Christus Jesus venit in hunc mundum « peccatores salvos facere, quorum primus « ego sum; sed ideò misericordiam consecu- « tus sum, ut in me primo ostenderet Christus « Jesus omnem patientiam ad informationem « eorum qui credituri sunt illi in vitam æter- « nam. » Et in Ep. ad Cor. c. 1, scribit: « Significatum est mihi, quia contentiones « sunt inter vos. Hoc autem dico, quod unus- « quisque vestrûm dicit: Ego quidem sum « Pauli; ego autem Apollo; ego verò Cephæ; « ego autem Christi. Divisus est Christus? « Numquid Paulus crucifixus est pro vobis? « Aut in nomine Pauli baptizati estis? Gratias « ago Deo, quòd neminem vestrûm baptizavi, « nisi Crispum et Caium: ne quis dicat quòd « in nomine meo baptizati estis. » Suntne hæ voces hominis factiosi et turbulenti? Et quis ferat Orobio objicientem « quòd haberet rerum divinarum magisterium. » Quasi verò magni æstimare debebat Gamalielis discipulus, si haberetur magister inter homines plebeios, invisos, contemptos; et prædicatio ei, si deferretur doctrinæ, quæ gentibus erat stultitia, Judæis scandalum? Quanta in eo pietas! ut omnes ejus sermones, omnisque vita pietatem spirat!

(1) 1. Thess. 2, 14: « Vos enim imitatores facti estis, fratres Ecclesiarum Dei, quæ sunt in Judæa in C. J., quia eadem passi estis et vos à contribulibus vestris, sicut et ipsi à Judæis, qui et Dominum occiderunt Jesum, etc.

quantus erga Christum amor! Quanta in cruce Christi fiducia!... Quanta in fideles charitas, quos liberos suos, gloriam, gaudium, coronam suam vocat, et pro Judæis quoque, pro quibus anathema fieri optat! Quanta pro omnium salute sollicitudo! Nullum planè exitum inveniremus, si ejus immensos labores, fortitudinem, patientiam, sapientiam exponere vellemus: finem imponamus his pulcherrimis ejusdem verbis, animi benè sibi conscii tranquillitatem exprimentibus. « Ego jam delibor; et tempus « resolutionis meæ instat. Bonum certamen « certavi, cursum consummavi, fidem servavi; « in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, « quam reddet mihi Dominus in illâ die justus « judex: non solùm autem mihi, sed et iis « qui diligunt adventum ejus. »

At, inquies, si tantis virtutibus instructi fuerunt Christus et ejus Apostoli, qui factum est ut omnium in se odia concitaverint, et experti sint sævitiam? Resp. id factum esse 1° quia in corruptissima ætate virtutum suarum splendore nimio molesti impiis et sceleratis hominibus fuerunt. In omni ætate et in omni gente viri virtutibus conspicui, ærumnis suis inclyti floruërunt. 2° Apud Judæos exarsit adversùs Christum magistratuum et Pharisæorum furor, quòd ejus metuerent apud plebem auctoritatem, quam sibi et etiam reipublicæ fatalem esse posse existimabant; et post primum in magistrum scelus non est quærenda causa, cur novis in discipulos criminibus primum illud defenderint; hæc est improborum natura. 3° Apud paganos puniebantur Christiani multis legibus: primò illâ quâ vetabantur novæ religiones, et quam Paulus Julius servavit Sent. recep. l. 5, tit. 21: « Qui novas et usu, vel ratione incognitas religiones inducunt, ex quibus animi hominum moveantur, honestiores deportantur, humiliores capite puniuntur » (1). Secundò aliûs legis contra conventicula pœ-

(1) Si quis aliquid fecerit, quo leves hominum animi superstitione numinis terrerentur, D. Marcus ejusmodi homines in insulam relegari rescripsit, Dig. l. 48. Tit. 19, 30. Separatim nemo habessit deos, neve novos; sed ne advenas nisi publicè adscitos, privatim colunto. Cic. de Leg. 3. Sacella nemo in privatâ domo habeat: cùm verò animum quis ad sacrificandum induxerit, ad publica sacrificaturus accedat. Plato de Leg. 10. Hinc Act. 16, 1: « Hi homines conturbant civitatem nostram cùm sint Judæi; et annuntiant morem quem non licet nobis suscipere, neque facere, cum simus Romani. » Hinc qui christianè vivebant, illegitimè, seu dissentienter legibus vivere dicebantur.

nam incurrebant, contra quam sic disputat Tertull Apol. 38 : « Hæc coitio Christianorum meritò sanè illicita, si illicitis par ; meritò damnanda, si quis de eâ queritur eo titulo, quo de factionibus querela est. In cujus perniciem aliquando convenimus? Hoc sumus congregati, quòd et dispersi : hoc universi, quòd et singuli ; neminem lædentes, neminem contristantes. Cùm probi, cùm boni coeunt ; cùm pii, cùm casti congregantur, non est factio dicenda, sed curia. » Tertiò aliud erat, ut habet D. Ruinart præf. in Acta martyrum, quod maximè gentiles in Christianos commovebat, « quòd hi scilicet pro bono reipublicæ statu, aut imperatorum, vel patriæ salute offerri sacrificia improbarent, iisque nec adesse, nec etiam sive per publicos, sive per privatos imperatorum genios jurare acquiescerent. Ad hæc Christiani à festis solemnibus, ludis publicis, aliisque ejusmodi spectaculis, quæ pro victoriis adversùs hostes partis, aut imperatorum natalitiis fieri consueverant, sese abhorrere testabantur. » Quartò populum adversùs Christianos sæpè armavit pontificum, augurum, aruspicum, artificum, aliorumque ethnici cultûs ministrorum avaritia : dolebant sacra deorum negligi, templa deseri, contemni oracula, imminui auctoritatem et quæstus suos.

Ad minuendam Christi Domini et Evangelistarum auctoritatem varias collegerunt Judæi et Deistæ objectiones, quæ valdè vanæ sunt, neque omnes pertinent ad hunc locum : 1° multùm versati sunt in calumniandâ V. T. interpretatione typicâ et allegatione multorum vaticiniorum factâ ab Evangelistis, quarum objectionum vim ex generalibus quibusdam, iisque certissimis principiis jam fregimus ; quasque, modò sinant hujus voluminis angustiæ, ad accuratius examen revocabimus. 2° Putant doctrinam christianam longiùs à Moysis et Prophetarum doctrinâ recedere ; cujus rei consideratio rejicienda est in eas hujus operis partes, in quibus defendetur Christi doctrina et analogia inter legem et Evangelium. 3° Exprobrant Evangelistis quòd in narrando varii sunt, imò et oppositi. 4° Etiam iis displicent multæ Christi actiones : quas solas objectiones, quantùm fieri poterit, breviter refellemus.

Objiciunt itaque 1° magnam existere inter Evangelia diversitatem ; actiones alias à Matt., alias à Lucâ, alias à Joan. memorari : ex quâ varietate sequi videtur incertam fuisse, cùm hæc scriberentur, rerum à Christo gestarum memoriam ; Evangelistas vanos esse rumorum collectores. 2° Non solùm diversa Evangelia variam rerum gestarum historiam continent, sed dissentientem : exempla sunt in duplici re maximi momenti ; relationes contrariæ resurrectionis Christi, ejusque circumstantiarum ; et duæ Josephi apud Matth. et Luc. discrepantes genealogiæ. 3° Multi sunt apud eosdem errores. 1° Legimus Joan. 2, 20 : « Dixerunt « ergo Judæi : Quadraginta et sex annis ædi« ficatum est templum hoc, et tu in tribus « diebus excitabis illud ? » At Herodes illius templi conditor regnavit solummodò annis 37; atque, ut tradit Ben Gorion, 8 annorum spatio templum exstructum est. 2° Matth. 23, 35, habemus : « Ut veniat super vos omnis sanguis « justus, qui effusus est super terram à san« guine Abel usque ad sanguinem Zachariæ « filii Barachiæ, quem occidistis inter templum « et altare. » Hìc error est, quia, ut constat ex 2 Paral. c. 24, Zacharias iste erat Joiadæ filius. 3° Matth. 27, 9 : « Tunc impletum est, « quod dictum est per Jeremiam prophetam « dicentem : Et acceperunt triginta argen« teos, » etc. Hic Jeremias laudatur pro Zachariâ. 4° Mar. 2, 25: « Et ait illis (Pharisæis) : Nunquàm legistis quid fecerit David, « quando necessitatem habuit, et esuriit ipse, « et qui cum ipso erant? Quomodò introivit « in domum Dei sub Abiathar principe sacer« dotum, et panes propositionis manducavit. » Est hìc manifestus error, quippe erat tunc Achimelech summus sacerdos, cujus filius Abiathar postea fuit pontifex maximus. 4° Cap. 21 Matth. duas exhibet Christi actiones, quæ parùm ejus virtutibus dignæ minutis nostris philosophis videntur : 1° ubi privatâ suâ auctoritate ejecit vendentes et ementes ex templo, et mensas nummulariorum et cathedras vendentium columbas subvertit ; 2° cùm postero die ficui maledixit, eò quòd non invenisset in eâ fructum, præsertim cùm ibi nullus esse potuisset : *non erat*, inquit Marcus, *tempus ficorum*.

Resp. 1°, maximam esse Evangelistarum concordiam in historiæ summâ, in omnibus doctrinæ partibus, in factis principalibus et, ut ita loquar, cardinalibus : varietatem quidem existere in rerum minùs principalium relatione ; sed in re nullâ oppositionem. Convenientia in principalibus ostendit eos veritatem secutos, et idem exemplar, nempe vitam Christi, omnibus fuisse : varietas sine contrarietate in aliquibus eventibus particularibus, eorumque circumstantiis efficit, eos non

scripsisse collatis consiliis, nec se mutuò exscripsisse, seu illam consensionem non esse meditatam. Habemus Dionis Cassii breviaria duo, composita à Xiphilino et Theodosio, in quibus similis deprehenditur convenientia et disconvenientia : eventus principales ab utroque describuntur et eodem modo, sed multa ab uno minutiùs relata ab altero omninò prætermittuntur. Ista in multis partibus convenientia clarissimè ostendit, eos secutos esse eumdem auctorem ; et ineptus haberetur is, qui putaret ea, quæ ab uno tacentur, non fuisse ab altero ex eodem auctore excerpta ; et multò quidem magis ridendum se præberet is, qui diceret Theodosii breviarium esse contrarium breviario Xiphilini. Sic vita Christi Evangelistis scribendi exemplar et materies fuit, ut historia Dionis Xiphilino et Theodosio. Evangelistæ, ut illi breviatores, res principales referunt et eodem modo, atque quamvis ab uno res aliquæ minutiùs referantur, nulla tamen inter eos oppositio est. Par ergo utrobique ratio : neque apud minutos nostros philosophos valet tam ridiculum argumentum, nisi quia apud eos contra Religionem quidquid valet.

2° Varias Evangelistarum de circumstantiis resurrectionis Christi relationes jam supra conciliavimus : restat ergo ut ostendamus nullam esse inter genealogias oppositionem. Quamvis profectò omnem obscuritatem ab hâc re depellere non possemus, nullius habere deberet admirationem ; « qui gnari sunt, inquit Grotius Annot. in Luc. c. 3, morum populi Judaici, sciunt multas esse posse genealogias, quæ pugnare videantur, nec tamen pugnent : idque non uno modo accidere solere, ut ex iis libris, quos Judæi nobiscum agnoscunt, facile est probatu. »

Duæ sunt in istis genealogiis difficultates : prima spectat stirpem Josephi, qui à S. Matt. dicitur filius Jacobi, cujus texitur retrò, omissis quibusdam nominibus, genealogia usque ad Abiud filium Zorobabelis; dùm S. Lucas scribit Josephum fuisse filium Eli, cujus majores retrò recitantur usque ad Rhesi, alium filium Zorobabelis. Secunda difficultas spectat stirpem Salathielis, quem S. Matthæus filium Jechoniæ fuisse tradit ; cujus texitur genealogia à Davide per Salomonem et cæteros reges Judæ : dùm S. Lucas dicit eumdem fuisse filium Neri, cujus deducitur genealogia à Davide per Nathanem, alium Davidis filium, et majores minùs illustres.



Hæc secunda difficultas planè evanescet, si ponas in utrâque lineâ fuisse duos cognomines, id est, in lineâ Nathanis fuisse Salathielem et Zorobabelem diversos à Salathiele et Zorobabele in alterâ lineâ Salomonis, quæ suppositio nullam habet absurditatem. At parùm refert admittatur hæc hypothesis, necne, cùm utraque difficultas sit planè ejusdem generis, et eadem sit utriusque solvendæ ratio.

Antiquissima hujus difficultatis tollendæ ratio et summo Patrum probata consensu, ea est quam explicatam habemus ab Africano (qui initio tertii seculi floruit) in epist. ad Aristidem apud Eus. H. E. l. 1, c. 7. Hic auctor docet duplicem fuisse Josephi genealogiam, aliam naturalem, aliam legalem ; illam à S. Matt., hanc à S. Lucâ descriptam (1).

Quod ut intelligatur, sciendum est Moysem Deut. 25, 5, præcepisse ut frater duceret uxorem fratris sui absque liberis defuncti et *suscitaret semen fratri suo*. Quæ lex verisimiliter in consanguineis proximis locum habebat,

(1) Ideò ponit Africanus naturalem describi à Matth., quia utitur voce, *genuit* ; et Luc. verò is *qui putabatur filius Joseph, qui fuit Heli*, etc. At Grotius multas probabiles rationes affert, cur potiùs credamus legalem et politicam generationem describi à S. Matth., naturalem à S. Lucâ.

ut colligi posse videtur ex c. 4 lib. Ruth, et ex Josepho Ant. l. 5, c. 9, aliàs 11. (Judæi tamen vulgò contrarium docent, ut videre licet apud Seldenum de Successione in bona defunctorum c. 15.) Ergo supponit Africanus Jacobum duxisse uxorem cognati sui Eli, ut suscitaret illi semen, adeòque Josephum ex hoc conjugio prognatum fuisse filium naturalem Jacobi, et habuisse majores naturales eos omnes recitatos à S. Matt., ac simul fuisse filium legalem et hæredem Eli, eorumque omnium qui nominantur à S. Lucâ.... Manifestum est hanc explicationem conferri po-se ad tollendam alteram difficultatem : nempe dici potest Salathielem filium fuisse naturalem Jechoniæ et legalem Neri; vel, ut Grotio magis placet, fuisse filium naturalem Neri et legalem ac hæredem Jechoniæ..... In hâc sententiâ magna sese offert difficultas, quæ mirificè torsit eruditorum ingenia : scilicet vix credibile ipsis visum est, Jacobum jure leviratûs sibi conjungere potuisse uxorem Eli, si nullum communem parentem habuissent post Zorobabelem, id est, si utraque linea fuisset divisa per quingentos circiter annos. Ad hanc igitur objectionem elevandam finxit Africanus Jacobum et Eli fuisse fratres uterinos prognatos ex eâdem matre Esthâ, quæ Mathano et Matthato (1) successivè nupserat; extenditque jus leviratûs ad fratres uterinos contra sensum omnium Judæorum, ut videre licet apud Seldenum libro mox laudato c. 14. Grotius verò collectis variis traditionibus statuit : « In Mathane extinctam stirpem naturalem Abiudis, quæ prima erat stirpium prosatarum ex Zorobabele : quare ex lege viduæ matrimonium ad sobolem in nomen mortui excitandum debitum fuit ei qui princeps esset familiæ secundæ per Resam ab eodem Zorobabele venientis; atque eum fuisse Melchim, qui Jacobum genuerit, patris naturalis cognomine dictum vulgò Pantherum, legis autem æstimatione filium Mathanis mortui et juris omnis successorem. Hujus Jacobi sine liberis functi jus devolutum ad Josephum : atque ita Josephum dici Jacobi filium, non ex lege leviratûs, sed quòd hæreditas ejus ad ipsum pervenisset, quomodò Sedecias fuit filius Jechoniæ. Erat autem Josephus filius fratris Jacobi, ac proinde Jacobus patruus Josephi. Mariam autem, cùm ab altero Melchis filio veniret et esset unica hæres, nuptam Josepho, quia nemo extabat propior ad cujus tutelam confugeret. » Erat juxta hunc interpretem Eli pater Josephi et abavus Mariæ : nam numerat ex veteri traditione inter Eli et Mariam, Bar-Pantherum, Pantherum et Eliacim, vel Joachim.

(1) Apud Africanum Melchi locum tenet Matthat, et pater Eli dicitur.

Secunda est utrumque Evangelistam conciliandi ratio à verisimilitudine nullo modo aliena; si ponas S. Matth. repræsentare genealogiam Josephi, S. Lucam illam B. Virginis Mariæ. In hâc sententiâ hæ voces apud S. Luc. *qui putabatur filius Josephi,* parenthesi includendæ sunt : ita ut voces sequentes, *qui fuit Eli,* etc., non referantur ad Josephum, sed ad Jesum, et hic sensus sit Jesum per Mariam fuisse filium Eli seu Eliacim, qui idem est ac Joachim ; hæc enim non tria sunt, sed unum idemque nomen. Sic ergo legendum erit : « Erat Jesus (qui putabatur filius Jo- « seph) filius (id est, nepos) Eli, filius Mat- « that, » etc. Quæ opinio aliquam confirmationem accipit ex eo quòd Judæi veteres in Talmude Jerosolymitano tradidisse videntur Mariam fuisse filiam Heli, ut observat Lightfoot ad hunc Lucæ locum....... vel si in parenthesi includere tantùm velis has voces, *qui putabatur,* tunc dicendum, quòd Josephus nuncupatus fuerit filius Eli, quia per conjugium cum *Mariâ* filiâ initum, ejus gener erat.

3° In nullâ re Evangelistæ erroris convinci possunt, neque id efficitur ex exemplis tertio loco in objectione citatis. Primò, quamvis non teneamur defendere et ab errore excusare omnia Judæorum verba relata ab Evangelistis, tamen facilè ostenditur eos non fuisse à veritate devios, ubi dixêre insumptos fuisse annos quadraginta sex in ædificando templo, idque eò libentiùs præstabimus, quòd ex hâc levi Judæorum observatione magnum colligi possit argumentum pro Evangelistarum in levissimis rebus veracitate et accuratione, quam scriptores non afflati divino Spiritu nunquàm attigissent. Etsi Herodes spatio novemdecim annorum, quibus post incœptam templi constructionem regnavit, vel etiam annos octo, multùm promoverit ædificium, ita ut sacris usibus aptum fuerit, ut refert Ben Gorion levissimus auctor, tamen constat ex multiplici Josephi loco non prorsùs perfectum idem ædificium temporibus Neronis, sed semper operarios ibidem occupatos fuisse. Vide Antiq. l. 20, c. 8, adeòque numerabant Judæi, ut in illo convicio promptum ipsis erat omne illud tempus, quod elapsum est à jactis fundamentis anno Herodis 18. ad usque illum

diem quo Christum alloquebantur. Jam verò Herodes illud ædificium annis 19 promovit, et à morte Herodis usque ad Christi publicum ministerium intercesserunt anni 27, qui numeri simul juncti conficiunt annos 46.

Secundò, ille filius Barachiæ de quo Matth. c. 23, verisimiliter diversus est à Zachariâ filio Joiadæ; fueratque recentioribus temporibus à Judæis interfectus, vel si idem fuerit, dicere possumus Joiadam dictum etiam fuisse Barachiam; quæ duo nomina idem planè hebraicè significant, nempe *laudate Deum*; multa sunt in Scripturis exempla hominum duobus nominibus appellatorum : vide Selden. de Succ. Pont. liv. 1, c. 5.

Tertiò, ad exemplum tertio loco prolatum respondeo cum S. Aug. de Consensu Evang. lib. 3 : « Noverit (Judæus vel deista), « non omnes codices Evangeliorum habere, « *quod per Jeremiam dictum est;* sed tantum- « modò, *per prophetam :* possemus ergo di- « cere his potiùs codicibus esse creden- « dum, qui Jeremiæ nomen non habent. » Ita etiam glossa ordinaria...... Deinde fortè ista laudantur ex aliquo libro Jeremiæ apocrypho : nam S. Hieron. in hunc locum narrat talem librum à Nazaræis sibi monstratum fuisse, in quo hæc continerentur...... Est doctorum multorum opinio quædam Zachariæ capita ad Jeremiæ volumen pertinere...... Denique probat Surenhusius juxta morem Judæorum Jeremiam potuisse laudari pro Zachariâ, quia volumen, quo continebantur prophetiæ Zachariæ, inchoabatur à vaticiniis Jeremiæ et ejus propterea nomine inscribebatur.

Quartò nullus error est Marc. 2; probata quippe est opinio etiam apud Judæos, nomina Achimelech et Abiathar, parenti et filio utrumque commune fuisse : vide Selden. de Succ. Pont. lib. 1, c. 12........ Præterea Abiathar, quo tempore David panes propositionis manducavit, erat sacerdos et patris sui vicarius, ac paulò post in summo pontificatu successor; ejusdem nomen multò magis notum et celebre apud Judæos fuit quàm Achimelechi patris sui : potuit ergo Christus tacito patre solius Abiatharis mentionem facere; eòque magis, quòd temporibus Christi summi pontificis vicarii et etiam nobilissimi inter sacerdotes dicerentur archipontifices. Vide Selden. ibid.

4° Quod spectat illas duas Christi actiones memoratas Matth. 21, nihil in illis egit Christus alienum à suâ dignitate. Primò, non carebat Christus auctoritate ad ejiciendos ementes et vendentes ex templo, cùm esset non solùm propheta legatus à Deo, sed ipse Judæorum rex : atque illo die in ingressu triumphali hoc nomine agnitus à populo, qui clamabat : *Hosanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini.* Non carebat legitimâ causâ : nam quamvis rectè à legisperitis erat constitutum, ut qui victimas aut dona ex lege aut voto deberent (præsertim si procul Hierosolymis habitarent), possent pecuniam domo afferre, proque eâ Hierosolymis victimam aut quod donandum esset sibi comparare, nimirùm lege illâ quæ est de decimis Deut. 14, 24, ad alias factorum similium species non iniquâ interpretatione productâ. Sed id in templo fieri minimè oportuit, in eâ areâ, quæ gentilibus ad veram Religionem conversis vacare debebat; quos balatu ovium, boum mugitu et tumultu turbatos esse necesse fuit. Præterea occasio inde orta est captandi illicita et injusta lucra : verisimiliter sacerdotes faciebant quæstum ex loci locatione; vendentes, mercium aucto pretio, sese redimebant; cùmque aliqui unde emerent non haberent, constituti erant ibi nummularii qui mutuam sub cautione pecuniam darent et usuras exercerent : hinc dixit Christus : *Fecistis domum Patris mei speluncam latronum,* seu prædonum.

Secundò, maledictio ficûs erat actio typica, quales innumeræ sunt in V. T., quâ significavit Christus severitatem judicii quæ infrugiferos homines, et præsertim gentem Judaicam manebat : quòd auferendum ab illis esset regnum Dei et transferendum in gentem *facientem fructus ejus.* Si quæras cur speraverit Christus in arbore ficos, cùm non esset tempus ficorum, resp. S. Marcum per illas voces, *non enim erat tempus ficorum,* significare solummodò non fuisse tempus earumdem colligendarum; proindeque hâc observatione confirmâsse ficum esse sterilem. Nam si fuisset *tempus ficorum*, nullius habere debuisset admirationem, quòd in arbore nullæ reperirentur, utpote quæ maturæ vel collectæ fuissent à domino vel à prætereuntibus, vel in terram decidissent : at cùm nondùm esset tempus, quo colligerentur, et ista arbor, nisi sterilis sit, nunquàm habeat folia sine fructu, sperare in eâ fructum potuit Christus. Et si non erat tempus ficorum, cur Christus esuriens perrexit ad arborem ficos quæsiturus? Respondeo quòd

quamvis nondùm esset tempus ficorum, illud jam proximum erat (siquidem in Judæâ erant fici præcoces et serotinæ; illæ cum messe, in mense nisan, quo tempore hæc peragebantur, hæ cum vindemiâ maturescebant), et in quâque arbore paulò ante tempus colligendorum fructuum solet quædam pars præcox citiùs dulcescere.

§ 2. *De singulari Christi in tuendâ Ecclesiâ suâ providentiâ.*

Conquesti sæpiùs sunt in libris suis Judæi, quòd Christum magnum regem prædicemus, eique applicemus magnifica illa V. T. de Messiæ triumphis vaticinia, nullos tamen regii muneris actus recitare possimus: olim, inquiunt, Deus manifestè gessit personam judicis atque regis; perpetuâ miraculorum serie Judæorum animos atque oculos in se convertebat, habuit semper in rep. Judaicâ Prophetas, qui quasi illius à latere legati divinam mentem populo et principibus aperiebant; eventibus singularibus et conversionibus rerum subitis, et præter omnem expectationem, providentiam suam manifestabat, dùm apud alias gentes res cursu ordinario procederent: sed Christiani eamdem sortem experiuntur, ac reliqui infideles; nullos apud eos prophetas, nulla miracula, nullas conversiones rerum mirabiles videmus. Hanc deprimere Judæorum arrogantiam in hoc paragrapho volumus. Haud ægrè profectò damus, Deum rebus merè temporalibus non adeò sese nunc immiscere, ac olim in Judaicâ constitutione; et ratio in promptu est, quòd esset olim politicum reip. caput, et ad ipsum pertinuerit publica et civilis reip. administratio; sit verò in Ecclesiâ Christus caput spiritale, omnesque ejus regii actus ad fines tendant spiritales: quòd olim bonis malisque temporalibus ac terrestribus leges suas sanxerit; nunc autem spe solummodò bonorum spiritalium et cœlestium confirmatas esse voluerit, suosque subditos docuerit in tribulationibus esse gloriandum. Negamus tamen nulla propterea esse indicia singularis Christi providentiæ in Ecclesiam suam: è contrario contendimus plura et majora istius divinæ procurationis argumenta continere historiam Ecclesiæ quam Synagogæ: nempe, in effusione donorum Spiritûs S. in primos Christianos, eorumdemque in Ecclesiâ continuatione; in mirabili propagatione Evangelii; in incredibili efficaciâ doctrinæ christ. ad adducendos homines ad bonam vitam; in constantiâ martyrum; in oraculorum cessatione; in fortunâ gentis Judaicæ; in mortibus Cæsarum, qui persecuti sunt Religionem christ., in triumphis denique Ecclesiæ, quæ licet variis jactata tempestatibus, ab externis atque internis impugnata hostibus, tamen incolumis semper permansit. Hæc in Ecclesiam beneficia Christi tantò veteribus in Judæos augustiora sunt, quantò res spiritales præstant terrenis; tantò sunt illustriora, quantò orbis universus theatrum est terrâ Chanaan majus et magnificentius.

De effusione donorum Spiritûs sancti, et eorum in Ecclesiâ continuatione.

Communis erat omnium Prophetarum vox, Messiæ tempora futura illustria abundantiori Spiritûs S. effusione: « Et erit post hæc, effundam Spiritum meum super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri et filiæ vestræ, senes vestri somnia somniabunt, et juvenes vestri visiones videbunt: sed et super servos meos et ancillas in diebus illis effundam Spiritum meum, » Joel 2. 28. Hæc Spiritûs S. amplior effusio consequi debebat mortem Messiæ: « Et effundam super domum David et super habitatores Jerusalem, Spiritum gratiæ et precum, et aspicient ad me, quem confixerunt: et plangent eum planctu quasi super unigenitum; et dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti, » Zachar. 12, 10. Idem perpetuus fuit Christi ad Apostolos sermo. « Et ego mitto promissum Patris mei in vos: vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto, » Luc. 24, 49. « Expedit vobis ut ego vadam; si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos; et cùm venerit ille, arguet mundum de peccato, et de justitiâ, et de judicio; de peccato quidem, quia non crediderunt in me; de justitiâ verò, quia ad Patrem vado; de judicio, quia princeps hujus mundi jam judicatus est... cùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem..... quæ ventura sunt annuntiabit vobis, » Joan. 16, 7. « Dixit eis: Signa eos qui crediderint hæc sequentur: in nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis; serpentes tollent; et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit; super ægros manus imponent, et benè habebunt. » Marc. 16, 7. « Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet, » Joan. 14, 11. Hæ promissiones fuerunt: videamus jam quomodò eventus illis responderit.

PROPOSITIO.

Prædicta vaticinia adimpleta sunt, et clarissimè simul enituit divina Christi virtus in effusione *donorum Spiritûs sancti, eorumdemque in Ecclesiâ* continuatione.

PROBATIO.

I. Prima donorum spiritualium effusio in hunc modum facta legitur : « Cùm complerentur dies pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco, et factus est repentè de cœlo sonus, tanquàm advenientis spiritûs vehementis, et replevit totam domum, ubi erant sedentes, et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquàm ignis, seditque supra singulos eorum, et repleti sunt omnes Spiritu S., et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus dabat eloqui illis, » Act. 2. Cum donis sapientiæ, scientiæ, fidei et linguarum conjuncta in ipsis erat facultas ad stupenda patranda miracula : « Per manus autem Apostolorum fiebant signa et prodigia multa in plebe... ita ut et in plateas ejicerent infirmos, et ponerent in lectulis ac grabatis, ut, veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, et liberarentur ab infirmitatibus, » Act. 6. Hanc Spiritûs S. in Apostolos effusionem confirmat, 1° illorum donorum in Ecclesiâ continuatio, de quâ modò; 2° subitò et sine mediis humanis concepta Apostolorum, qui antea rudes erant et idiotæ, sapientia et Scripturarum intelligentia ; 3° incredibilis eorumdem hominum, qui antea timidi fuerant, fortitudo et constantia ; 4° supernaturalis Judæorum, qui paulò ante tam crudeles in Christum fuerant, docilitas; 5° novorum Christianorum heroicæ virtutes; 6° manifesta completio istius prophetiæ, Jerem. 31, 33 : « Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam, et ero eis in Deum, et ipsi mihi erunt in populum. » Hæc indicâsse satis est post superiorem disputationem.

II. Dona externa Spiritûs S. in Apostolos largiter effusa, in reliquos discipulos minore mensurâ divisa sunt. « Divisiones gratiarum sunt, inquit Apostolus, Ep. ad Cor. c. 12, idem autem Spiritus; et divisiones operationum sunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus ; unicuique autem datur manifestatio Spiritûs ad utilitatem. Alii autem per Spiritum datur sermo sapientiæ ; alii autem sermo scientiæ secundùm eumdem Spiritum; alteri fides in eodem Spiritu; alii gratia sanitatum in uno Spiritu ; alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. » Ex quo loco intelligimus quæ fuerunt dona illa externa et supernaturalia. Sermo sapientiæ erat externus sermo divinorum, quo quis sine humano studio et labore ita de mysteriis divinis disserebat, ut appareret Spiritum S. in eo loqui, et nemo valeret illi contradicere, et per quem increduli convertebantur ad fidem, credentes in fide firmabantur. Sermo scientiæ erat sermo seu locutio de rebus moralibus relatis ad salutem æternam, promptè, sine humano studio et labore, scripto aut verbo ; ex quo audientes conjiciebant eum sermonem non esse ex humanâ virtute, sed divinâ. Fides erat ille fervor et constantia fidei, quam martyres exhibebant coram tyrannis : hoc sensu est donum externum et gratia gratis data, cùm ex hâc constantiâ extiterit maxima Ecclesiæ utilitas. Gratia sanitatum per se satis intelligitur ; erat facultas, quâ quis divinâ virtute corporum morbos curabat. Operatio virtutum erat facultas per quam quis poterat evidenter et sensibiliter operari magna miracula, quæ ad sanationes corporum non pertinent. Prophetia erat propriè futurorum præcognitio ; at extendebatur ad præterita, quorum nec memoria, nec certa signa extabant, et ad præsentia loco distantia, et occulta, et ad internas cordium cogitationes (1), ita ut propheta esset, qui divinitùs cognoscebat ea quæ longè distabant à sensu et naturali cognitione hominum, et ea poterat manifestare. Gratia discretionis spirituum erat mentis illustratio, quâ perfusus homo facilè et sine errore dijudicabat, à quo principio tum proprii, tum alieni motus et cogitationes ad electionem pertinentes excitarentur, quid scilicet à bono, quidve à malo spiritu suggereretur. Gratia generum linguarum, erat facultas eloquendi vario populorum sermone ; quâ donatus, quandoque ipse non intelligebat quæ Spiritus suggerebat. Interpretatio sermonum duobus modis explicari potest : unus est ut interpretatio sermonis ad significationem verborum referatur; alter est ut de sensibus et mysteriis in verbis inclusis intelligatur : priori

(1) « Si conveniat universa Ecclesia in unum... si omnes prophetent, intret autem quis infidelis, vel idiota, convincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus; occulta cordis ejus manifesta fiunt, et ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuntians quòd verè Deus in vobis sit. » 1 ad Cor. 14, 23.

modo interpretari sermonem, est verba unius idiomatis per alterius verba exponere, quod fieri potest scripto, vel voce. Secundo modo interpretari sermonem, non est verba unius idiomatis per alterius verba exponere, sed mysteria docere, quæ in verbis latent, et sæpè non intelliguntur ab iis qui significationem verborum non ignorant. Vide l. 3 de servorum Dei Beatificatione et beatorum Canonisatione, auctore eminentissimo S. R. E. cardinali de Lambertinis, nuper universalis Ecclesiæ sanctissimo pontifice Benedicto XIV, ubi hæ definitiones dilucidè exponuntur, et eruditè defenduntur.

Dona hæc in Christianos per manûs impositionem ab Apostolis reverà collata fuis e demonstrant, 1° accurata et simplex descriptio circumstantiarum omnium temporis, loci, personarum, antecessionum, consequentiarum, omnium denique adjunctorum, quæ has effusiones S. Spiritûs comitabantur: ut in impositione manuum peractâ Samariæ à Petro et Joanne, præsente et stupente Simone Mago, Act. 8; ut in conversione Cornelii centurionis, Act. 10; ut in baptismo et confirmatione discipulorum Joannis Bap. Ephesi, Act. 19. 2° Repetita enumeratio illorum donorum, eorumdemque distinctio et æstimatio facta à S. Paulo in Epist. fermè omnibus: « Quosdam quidem « posuit Deus in Ecclesiâ, et primùm Apostolos, secundò Prophetas, tertiò doctores, « deinde virtutes, exinde gratias curationum, « opitulationes, gubernationes, genera lingua- « rum, interpretationes sermonum, » 1 ad Cor. 12, 28. 3° Apostoli Pauli argumentatio ex his virtutibus adversùs Christianos judaizantes, qui volebant gentiles conversos jugo legis submittere: « O insensati Galatæ! quis vos fascinavit « non obedire veritati?... Hoc solùm à vobis « volo discere: ex operibus legis Spiritum ac- « cepistis, an ex auditu fidei?... qui ergo tri- « buit vobis Spiritum, et operatur virtutes in vobis: ex operibus legis, an ex auditu fidei? » Ad Gal. 3. 4° Variæ præceptiones Apostoli circa hæc dona, ut omnis vitaretur confusio et Ecclesia magis ædificaretur: « Cùm conve- « nitis, unusquisque vestrûm psalmum habet, « doctrinam habet, apocalypsim habet, lin- « guam habet, interpretationem habet, omnia « ad ædificationem fiant. » 1 Ad Cor. 14, 26. « Qui loquitur linguâ, oret ut interpretetur... « si autem non fuerit interpres, taceat in Ec- « clesiâ, sibi autem loquatur et Deo.... volo « autem vos loqui linguis, magis autem pro- « phetare: nam major est qui prophetat, « quàm qui loquitur linguis, nisi fortè inter- « pretetur, ut Ecclesia ædificationem acci- « piat... linguæ in signum sunt non fidelibus, « sed infidelibus; prophetiæ autem non infi- « delibus, sed fidelibus... sive linguâ quis lo- « quitur, secundùm duos, aut ut multum tres « et per partes, unus interpretetur... Pro- « phetæ autem duo, aut tres dicant, et cæteri « dijudicent. Quòd si alii revelatum fuerit se- « denti, prior taceat, » etc. Ibid. Ex hisce præceptionibus manifestissimè patet illa dona valdè fuisse communia, neque cuiquam in mentem venire posset talia scribere, nisi communia essent. 5° Quis suspicari poterit hæc ab Apostolo composita ad adulationem vel ad vanitatem, cùm eumdem audit Corinthios docentem hæc omnia dona tam admirabilia, nullius pretii per se esse; ornare quidem Ecclesiam exteriùs, et apta esse ad conciliandam hominum reverentiam, ad interiorem verò sanctitatem non conferre; idcircò sic eosdem adhortantem: « Æmulamini autem charismata « meliora, et adhuc excellentiorem viam vobis « demonstro. Si linguis hominum loquar et « angelorum, charitatem autem non habeam, « factus sum velut æs sonans, aut cymbalum « tinniens. Et si habuero prophetiam, et no- « verim mysteria omnia, et omnem scientiam; « et si habuero omnem fidem, ita ut montes « transferam, charitatem autem non habuero, « nihil sum; et si distribuero in cibos paupe- « rum omnes facultates meas; et si tradidero « corpus meum ita ut ardeam, charitatem au- « tem non habuero, nihil mihi prodest. » Quid ergo erit charitas, tantis præstans virtutibus? « Charitas patiens est, benigna est: charitas « non æmulatur, non agit perperàm, non in- « flatur, non est ambitiosa, non quærit quæ « sua sunt, non irritatur, non cogit at malum, « non gaudet super iniquitate, congaudet au- « tem veritate: omnia suffert, omnia credit, « omnia sperat, omnia sustinet. » Quàm longè est talis præceptor tam sanctè, tam severè pretia rebus imponens ab omni assentatione, adulatione, vanitate!

III. Ex testimoniis vetustissimorum scriptorum constat Ecclesiam in morte Apostolorum, iis donis privatam non fuisse. « Si aliquis fidelis, inquit S. Clemens Rom. Ep. ad Cor. § 48, sit potens in enarrandâ cognitione, sit sapiens in sermonum justa adjudicatione, sit in operibus purus: tantò humilior esse debet, quò major esse videtur; et quærere quod omnibus utile est, non autem suum. » In quem locum

sic commentatur Dodwellus diss. 4 Cyprianicâ de Visionibus : « Non aliò spectant hæc nomina, quàm ad dona illorum temporum prophetica. Fides illa de quâ gloriari poterant, non alia erat quàm miraculorum; cognitio illa non quælibet cognitio, sed mysteriorum.... Eadem sapientia, quam sermonem sapientiæ nuncupat Apostolus: discretio sermonum eadem ac discretio spirituum. »

S. Ignatius Ep. ad Phil. § 7, suam ipsius prophetiam commemorat, quam sibi verè revelatam fuisse Deum ipsum testem appellat. « Quanquàm enim secundùm carnem voluerunt quidam me seducere : at spiritus meus non seducitur. A Deo namque illum accepi. Scit enim unde veniat et quò vadat, et secreta coarguit : clamavi cùm interessem, locutus sum magnâ voce : non meus est sermo, sed Dei. Episcopo attendite, presbyteris et diaconis. Si autem suspicamini me hæc dicere, quia prænoverim divisionem quorumdam, testis mihi is est, propter quem vinctus sum, quòd non cognoverim ab ore humano; sed Spiritus annuntiavit mihi, hæc dicens : Sine episcopo nihil facite, » etc. Et in Ep. ad Trall. c. 5 : Numquid non poteram magis mystica vobis scribere? At ne parvulis vobis damnum inferam metuo; et mihi ignoscite, ne vim illorum capere non valentes, strangulemini. Etenim ego non quia vinctus sum, et cœlestia intelligere possum, angelicos ordines, et archangelorum et militiarum discrimina, virtutum dominationumque differentias, thronorum potestatumque distantias, seculorum magnitudines, cherubinorum et seraphinorum excellentias, Spiritûs sublimitatem et Domini regnum, et super omnia incomparabilem Dei omnipotentis majestatem. »

Ignatium proximè excepit Quadratus, qui Apologiam pro Christianis Adriano dicavit. Hunc unà cum Philippi filiabus, quas S. Lucas prophetissas appellat, propheticâ quoque gratiâ illustrem fuisse scribit Euseb. Hist. eccl. l. 3, 37, qui deinde sic pergit : « Præter hos alii quoque complures eodem tempore viguerunt inter Apostolorum successores principem tenentes locum. Qui utpote discipuli tantorum virorum admirabiles planè ac divini Ecclesiarum fundamenta, quæ variis in locis Apostoli prius jecerant, additis ædificiis extruxerunt... Hi postquam remotis quibusdam ac barbaris regionibus fundamenta fidei jecerant, aliosque pastores constituerant, et novellæ plantationis curam iisdem commiserant, eo contenti ad alias gentes, comitante Dei gratiâ ac virtute, properabant. Quippe divini Spiritûs vis ac potentia multa per eosdem miracula etiam tum operabatur; adeò ut primâ statim auditâ prædicatione, universi simul populi numinis cultum promptissimo animo susciperent. » Illis temporibus Polycarpo de suo martyrio somnium propheticum oblatum esse, testes sunt exceptione majores ipsi Smyrnæi in eâ quam de ejus martyrio dederunt ad Philom. Epist. apud Eus. l. 4, 15. Hunc doctorem apostolicum iidem atque propheticum appellant : fatenturque nihil esse ab eo prædictum, quin esset eventu comprobatum. Ejus etiam martyrium miraculis celebre fuit, ut videre licet apud Eus. ibidem.

IV. Inter secundi seculi miracula celebre est illud christianorum militum in exercitu Marci Antonini : cùm ille imperator in expeditione contra Marcomanos et Quados cum exercitu locorum angustiis pressus, et aquæ inopiâ laborans in summo versaretur periculo, imbres de cœlo christiani milites impetrârunt, dùm grandine et fulminibus copiæ barbarorum obruerentur : de quibus consuli possunt Tertull. l. ad Scapulam, et in Apolo. c. 5; Euseb. Hist. l. 5, c. 5. Claruêre etiam in illo seculo Christiani donis Spiritûs sancti ut testantur Just. Martyr. Iræn. Tertull. Euseb S. Justinus, Dial. cum Tryph. Judæo. « Apud nos enim hùcusque etiam prophetica extant dona, unde et vos (Judæi) intelligere debetis, quæ olim in genere vestro fuerunt, ea esse in nos translata : » et in hunc Isaiæ locum : « Egredietur virga de radi- « ce Jesse, et conquiescet super eum spiritus « Dei, spiritus sapientiæ et intellectûs, » ait : « Virtutes Spiritûs, quæ recensitæ sunt, verbum non ita super eum venisse ait, quasi indignus earum fuerit, sed quòd acquieturæ in illo essent, hoc est, in eo finem facturæ, ita ut in genere vestro non ampliùs, more veteri, Prophetæ futuri essent, quod et oculis ipsi vestris cernere potestis. Post illum namque nullus omninò apud vos natus est propheta... est apud nos videre et feminas et masculos dona à Spiritu Dei habentes. » In eod. Dialogo habet : « Vim Christi nominis dæmonia trementia, et hodiè adjurata per nomen crucifixi J. C. sub Pontio Pilato imperata faciunt. » Idem in 1 Apol. : « Multos arreptitios per totum orbem, et in hac ipsâ civitate (Romanâ) multi ex nostris Christianis adjuratos per nomen J. C. sub Pontio Pilato crucifixi, sonârunt, quos nec adjuratores alii, nec incantatores, expiatoresve sanare potuerunt. »

S. Irenæus Lugdun. episc. ejusdem rei locuples testis est : in secundo ejus libro contra hæret. divinæ admirandæque virtutis specimina adhuc suâ ætate in quibusdam Ecclesiis superfuisse testatur his verbis : « Tantùm abest, inquit c. 59, ut mortuum excitent per orationem, quemadmodùm Dominus et Apostoli fecerunt. Sed et sæpenumerò inter fratres, totâ simul loci Ecclesiâ ob aliquam necessitatem id flagitante cum jejuniis multis et orationibus, reversa est in corpus anima defuncti, et sanctorum precibus hominis vita donata est. » Et aliquantò post : « Quòd si, inquit, simulatione quâdam ac præstigiis hæc Dominum fecisse dicturi sunt, ad Prophetarum oracula eos deducentes, ex illis demonstrabimus cuncta de ipso ita prædicta, et gesta esse certissimè, eumque solum esse Filium Dei. Unde etiam in ejus nomine, quotquot veri sunt ejus discipuli, acceptâ ab eo gratiâ ad salutem atque utilitatem reliquorum omnium ea faciunt, prout unusquisque ipsorum ab eo munus acceperit. Alii enim dæmones expellunt certissimè et verissimè ; adeò ut, qui ejusmodi malis spiritibus liberati, sæpè fidem amplectantur, et in Ecclesia permaneant. Alii præscientiam futurorum et visiones sortiti sunt, et propheticas prædictiones. Alii infirmos per impositionem manuum curant, ac pristinæ sanitati restituunt ; sed et mortui aliquoties, ut supra diximus, excitati sunt, et pluribus deinceps annis nobiscum remanserunt. Quid plura? Non potest numerus iniri donorum, quæ per universum orbem Ecclesia à Deo accipiens, in nomine ejus, qui sub Pontio Pilato crucifixus est, J. C. quotidiè ad opitulationem gentium operatur ; nec fallens quemquam, nec pecuniam corrodens. Ut enim gratis accepit à Deo, sic etiam gratis ministrat. » Idem in alio loco ita scribit : « Siculi multos è fratribus audimus in Ecclesiâ, qui propheticæ dona consecuti sunt, et omni linguarum genere per Spiritum loquuntur, et ad hominum utilitatem occulta in lucem proferunt, atque arcana Dei mysteria exponunt. » Ex his (concludit Euseb. Hist. l. 5, c. 7, unde hæc desumpta sunt) apparet, multiplicem donorum spiritalium varietatem ad illa usque tempora penès eos, qui digni essent, permansisse.

Imò adeò enituit usque ad finem secundi seculi supernaturalis Christianorum virtus, ut ausus sit Tertull. in Apol. c. 23, imperatorem et Romanos sic compellare : « Edatur hic aliquis sub tribunalibus vestris, quem à dæmone agi constet. Jussus à quolibet Christiano loqui spiritus ille, tam se dæmonem confitebitur de vero, quàm alibi Deum de falso : æquè producatur aliquis ex iis qui de Deo pati existimantur, qui aris inhalantes numen de nidore concipiunt, qui ructando curantur, qui anhelando profantur, ista ipsa virgo cœlestis pluviarum pollicitatrix, iste ipse Æsculapius medicinarum demonstrator, aliàs demorituris scordii et denatii et asclepiodoti subministrator, nisi se dæmones confessi fuerint, Christiano mentiri non audentes, ibidem illius Christiani procacissimi sanguinem fundite. Quid isto opere manifestius, quid hâc probatione fidelius? Simplicitas veritatis in medio est ; virtus illi sua assistit ; nihil suspicari licebit, magiâ aut aliquâ fallaciâ fieri. Dictis non stetis, si oculi vestri et aures permiserint vobis. »

V. Seculo tertio habemus miracula Greg. Thaum. de quibus consuli possunt S. Basil. l. de Spiritu sancto c. 29 ; S. Greg. Nyss. in ejus Vitâ ; S. Hieronymus l. de Viris illustribus, et Euseb. in Hist. eccl. Mansit etiam in Ecclesiâ hoc seculo illa extraordinaria potestas in dæmones, ut testantur omnes, qui istis temporibus contra ethnicos scripserunt. Origenes passim : unum tantùm locum referemus ex l. 1 contra Cels. c. 46 : « Quin et etiamnum apud Christianos nonnulla supersunt illius Spiritûs sancti qui columbæ specie apparuit, vestigia. Nam dæmonia ejiciunt, morbos curant, et volente Verbo, futura prævident. Irrideat licet Celsus aut Judæus quem introduxit, quod dicetur, dicam nihilominùs multos ad Religionem christianam accessisse velut invitos, Spiritu quodam repentè sive per visum, sive per somnium, in illorum animos agente, atque ita illos immutante, ut quod in illam conceperant odium deponerent, et pro illâ mortem oppetere statuerent. Multa ejusmodi novimus, quæ si scriberemus, tametsi eorum oculati testes fuerimus, benignam risûs materiam præberemus incredulis, qui nos ex eorum ingeniis, quos talia finxisse nôrunt, judicantes, hæc etiam à nobis conficta esse existimarent. Testis tamen est Deus, cui arcana conscientiæ nostræ patent, nos divinam Jesu doctrinam non falsis narratiunculis, sed veris iisque evidentibus argumentis confirmare velle. » Minutii Felicis hæc verba sunt : « Hæc omnia sciunt plerique vestrum, ipsos dæmones de semetipsis confiteri quoties à nobis tormentis verborum et orationis incendiis de corporibus exiguntur. Ipse Saturnus, et Serapis, et Jupiter, et quidquid

dæmonum colitis, victi dolore, quod sunt eloquuntur, nec utique in turpitudinem sui, nonnullis præsertim vestrûm assistentibus, mentiuntur. Ipsis testibus eos esse dæmones de se verum confitentibus credite; adjurati enim per Deum verum et solum, inviti, miseri corporibus inhorrescunt; et vel exiliunt statim, vel evanescunt gradatim, prout fides patientis adjuvat, aut gratia curantis aspirat. » S. Cyprianus in Epist. ad Demet. Africæ proconsulem, qui Christianos persequebatur, sic illum alloquitur : « Si audire eos velles et videre, quando adjurantur et torquentur spiritalibus flagris, et tormentis verborum de obsessis corporibus ejiciuntur, quando ejulantes et gementes voce humanâ, et potestate divinâ flagella et verbera sentientes, venturum judicium confitentur! veni et cognosce vera esse quæ dicimus. » Et paulò post addit : « Videbis sub manu nostrâ stare vinctos, et tremere captivos quos suspicis et veneraris, ut dominos. » Lactantius div. Instit. l. 5 habet : « Audito nomine Christi tremunt (dæmones), exclamant, et uri se, verberarique testantur; et interrogati qui sint, quando venerint, quando in hominem irrepserint, confitentur, sic extorsi et excruciati virtute divini nominis exulant : propter hæc verbera et minas sanctos et justos viros semper oderunt. » In rem nostram multa alia afferre possemus testimonia, in quibus eadem fiducia et securitas, certissimum veritatis signum, elucet.

VI. Seculo quarto habemus miracula SS. Antonii, Hilarionis, Martini, Nicolai et aliorum relata à doctissimis atque SS. viris Athan, Hieron., Sulp. Severo et aliis. Habemus miracula facta Mediolani ad tumulum SS. Gervasii et Protasii referente S. Amb. eademque confirmante S. Aug. Habemus prodigium quod Juliani temporibus Jerosolymis contigit, cùm studeret imperator novi templi fundamenta ponere, de quo supra. Memorabile et illud fuit, quo Eugenii et Arbugastis confœderatorum rebellionem compressit Theodosius, et adversùs robustissimum exercitum magis orando quam feriendo pugnavit, » ut Aug. verba usurpem de Civ. Dei l. 5, c. 26 : « Milites, pergit, nobis qui aderant retulerunt extorta sibi esse de manibus quæcumque jaculabantur, cùm à Theodosii partibus in adversarios vehemens ventus iret, et non solùm quæcumque in eos jaciebantur concitatissimè raperet, verùm etiam ipsorum tela in eorum corpora retorqueret. Unde et poeta Claudianus, quamvis à Christi nomine alienus, in ejus tamen laudibus dixit (vel potiùs in laudibus Honorii, cujus fatis, magis quàm Theodosii pietati, per assentationem hæc adscribit) :

Te propter gelidis aquilo de monte procellis
Obruit adversas acies, revolutaque tela
Vertit in auctores, et turbine reppulit hastas.
O nimiùm dilecte Deo, cui fundit ab antris
Æolus armatas hyemes, cui militat æther,
Et conjurati veniunt ad classica venti.
(De 3 Consul. H.)

Seculo verò quinto habemus miracula plurima, quæ describit S. Aug. facta suo tempore, l. 22 de Civ. Dei. Uno verbo ad hanc usque ætatem perpetuam seriem prodigiorum Christi nomine factorum nobis exponit eccl. Hist., quorum fides certa et indubitata est secundùm omnes critices regulas. Vide eruditissimum opus supra laudatum de servorum Dei Beatificatione et beatorum Canonisatione, l. 4, et auctores ibidem citatos.

De mirabili propagatione Evangelii.

Antequàm eas evolvamus rationes, ex quibus elucebit divina procuratio in Evangelii propagatione, originem et progressus Religionis nostræ consideremus. Certissimum est usque ad Tiberii imperatoris tempora christiani nominis nullam occurrere mentionem : id Judæi, ethnici et Christiani uno ore confitentur. « Auctor nominis ejus, inquit Tacitus Annal. l. 15, c. 44, Christus, qui Tiberio imperitante per procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus est. » Fuit hæc novella doctrina, quamdiù Christus in vivis fuit, ut et ipse pronuntiavit, semen minimum, id est, minùs propagata, quàm quævis alia : nempe reliquit paucissimos discipulos, eosque trepidos et pusillanimes. Tamen statim atque crucifixus est, omnia, ut ipse prædixerat, traxit ad semetipsum; ita crevit granum sinapis, minimum semen, ut factum sit subitò majus omnibus oleribus : nondùm enim elapsi erant à morte Christi viginti anni, cùm totum imperium Romanum, quod vix peragrare quis potuisset tam brevi temporis spatio, hæc nova Religio occupaverit, atque non solùm loca ditioni Romanorum subjecta, sed etiam omnes barbarorum gentes : scribit enim Apostolus Paulus in Epist. ad Rom. datâ circa annum 57, « eorum fidem annuntiari in universo mundo; seipsum verò replevisse à Jerusalem per circuitum usque ad Illyricum Evangelium Christi. » S. Justinus Martyr, qui medio seculo secundo florebat, scribit nullum esse

genus hominum, sive barbarorum, sive Græcorum, sive etiam aliorum omnium, quocumque appellentur nomine, vel in plaustris degentium, vel domo carentium, vel in tentoriis viventium et pecoribus vitam tolerantium, inter quos non fiant preces et gratiarum actiones Patri et Creatori omnium per nomen J. C. crucifixi. » Neque solùm hujus rei testes habemus Apostolos et Christianos, sed ethnicos quoque scriptores : Suetonius et Tacitus referunt ingentem Christianorum multitudinem fuisse Romæ sub Nerone, qui imperium adeptus est viginti circiter annis post Christi mortem, atque credulitatem suam in eos exercuisse imperatorem, devolutâ in eosdem patrati à se incendii invidiâ. S. Aug. l. 6 de Civ. Dei c. 11, hæc ex Senecâ laudat : « Sceleratissimæ gentis (Judæorum, sic gentiles initio Christianos designabant) consuetudo usque eò invaluit, ut per omnes jam terras recepta sit; victi victoribus leges dederunt. » Sub finem seculi primi Plinius Bithyniæ proconsul sic scripsit ad Trajanum imperatorem de Christianis : « Visa est enim mihi res consultatione dignissima, maximè propter periclitantium numerum : multi enim omnis ætatis, omnis ordinis, utriusque sexûs etiam, vocantur in periculum et vocabuntur; neque enim civitates, sed vicos etiam atque agros superstitionis istius contagio pervagata est, » etc. Circa finem seculi sequentis, cùm perpetuæ atque crudelissimæ imperatorum persecutiones infinitam Christianorum multitudinem sustulissent, non erat tamen imminutus eorum numerus : « Hesterni sumus, ait Tertull. in Apol. c. 37, et vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum; sola vobis relinquimus templa. » Neque hæc vana est hominis gloriatio, sed ipsi ethnici, ut discimus ex eodem, « obsessam vociferabantur civitatem, in agris, in castellis, in insulis Christianos; omnem sexum, ætatem, conditionem, etiam dignitatem transgredi ad hoc nomen quasi detrimento mœrebant. » Tandem interjecto iterùm seculo post novas easque sævissimas persecutiones, triumphos egit de superstitione ethnicâ Evangelium, et suæ ditioni adjecit Christus imperatores ipsos Romanos. Quæritur an hæc Religionis christianæ propagatio cum tam incredibili celeritate humanis mediis atque subsidiis perfici potuerit.

PROPOSITIO.

In incredibili celeritate cum quâ propagatum est per tria priora secula Evangelium, clarè enitet divina Christi potestas.

Probatio. — Illa religio divinitùs propagata est, quæ sine ullis humanis adminiculis et subsidiis contra omnem humanam spem atque expectationem obtinuit. Atqui Religio christiana propagata tam brevi temporis spatio fuit sine ullis humanis subsidiis contra omnem humanam expectationem. Nam novis opinionibus hæc solent auctoritatem conciliare : 1° Si illæ ad hominum ingenia atque propensiones sint accommodatæ; 2° si defendantur ab hominibus scientiæ famâ conspicuis, vel si edictis principum obtrudantur populis, vel si arte multâ instillentur hominum mentibus; 3° si illæ opiniones inveniantur et disseminentur in ætatibus illiteratis, quando homines rudes et inculti, vel non valent veritatem ab errore secernere, vel tam sunt ignavi ut nolint in exploratione veri operam ponere; 4° si sensim, et gradatim, et secretò istæ opiniones propagentur. Sine hisce subsidiis nullus unquàm suis opinionibus fidem conciliavit apud omnes homines, nec conciliare omninò potest. Longè, v. g., latèque olim propagata est ethnica superstitio; verùm non obtinuit statim ubique atque subitò; sed labentibus seculis propagata est apud homines, cùm carerent civilibus institutis omnique fermè cultu; confirmata deinde est legislatorum decretis et ita attemperata erat hominum depravatis ingeniis atque propensionibus, ut rectè passionum humanarum proles censeri possit : nedùm igitur ethnica superstitio caruerit istis subsidiis, omnia habuit. Obtinuit etiam in multis regionibus superstitio mahumetana; sed apud Arabas primùm populum ignarum et carentem omni cultu, vi et armis firmitatem accepit, et sibi etiam animos orientalium propter suam cum propensionibus istorum populorum consensionem multum conciliavit. Sed Religio christiana in hàc parte ab omni aliâ absimilis fuit, quòd reverà non tantùm caruerit istis omnibus subsidiis, sed etiam omnia sibi in humanis habuerit maximè contraria.

1° Religio christ. nequaquàm erat ingeniis et propensionibus hominum accommodata. Nam avocabat a religione, quam cum lacte nutricis omnes suxerant; quam antiquitas et consuetudo majorum sacram fecerat; quam apud Romanos felicitas imperii charam reddiderat;

quam orbis universi consensus confirmaverat. Quantùm paganos hæ rationes olim moverent, patet ex scriptis eorum qui superstitionem paganam defenderunt : omnes uno ore decernunt, « servandam esse tot seculorum fidem et sequendos esse parentes, qui secuti sunt feliciter suos. Ita Libanius. Cæcilius etiam apud Minutium Felicem contendit, decere hominem bonum, majorum excipere disciplinam, religiones traditas colere, deos quos à parentibus acceperit timere, nec de numinibus ferre sententiam, sed prioribus credere; et planè tantam esse auctoritatem vetustatis, ut inquirere in eam nefas sit . . . . . » Deinde verò Religio christ. valdè abhorrebat ab humano ingenio, dùm dogmata fide tenenda proponebat, quæ non posset assequi ratio : nam nihil humanæ naturæ adeò inhæret quàm elata de se opinio et superba curiositas. . . . . . Distabat etiam ab humanis propensionibus in præceptis vitæ, quæ amicitiam hujus mundi inimicam Deo docebant, atque contendendum esse ad virtutem, beatamque vitam, per sui ipsius abnegationem et mortificationem sensuum.

2° Religio christ. nulla habuit præsidia in auctorum suorum, vel scientiâ, vel astutiâ, vel auctoritate. Apostoli nempe, qui generis humani ad Christi Religionem conversionis causæ extiterunt, erant homines piscatores prorsùs sine litteris, ad artem omnem inepti et omni carentes auctoritate, uti toties nobis exprobravêre ethnici. Et ex alterâ parte contrariam habuêre philosophorum sapientiam, sacerdotum paganorum artes omnes, principum et magistratuum potestatem. Vicère tamen homines idiotæ et inermes. Erat ergo in stultitiâ Apostolorum, quid divinius sapientiâ Græcorum; erat in eorum simplicitate, quid efficacius sacerdotum fraude et astutiâ; erat in eorum imbecillitate, quid fortius omni humanâ potestate; quid hoc esse potuit, nisi Christi suprema voluntas quæ infirma mundi elegerat, ut confunderet fortia?

3° Dici etiam nequit Religionem christ. inventam et propagatam fuisse in seculo carente bonis omnibus artibus et litteris, atque præsidia habuisse in hominum ignorantiâ. Nam ad gloriæ et splendoris fastigium venerat imperium Romanum : à mundi initio nunquàm adeò, propter diuturnam et universalem à bellis quietem, ad inquisitionem veri vacui fuêre homines, aut in omnes rumores magis curiosi. Istis tamen temporibus sese philosophorum examini Athenis atque Romæ obtulit doctrina christ., nec eorumdem metuit aut subtilitatem, aut malevolentiam.

4° Dici nequit christ. doctrinam gradatim introductam fuisse, et conciliâsse sensim apud homines fidem quam nudè proposita in initio nunquàm assecuta fuisset. Nam Apostoli totam doctrinæ christ. complexionem, quam hodiè tenemus, clarè et sine ambiguitate ullâ exposuêre : neque unquàm persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis fidem obtinere conati sunt, ut satis liquet ex eorum scriptis. Mysterium crucis tanquàm totius Religionis fundamentum, quamvis esset Judæis scandalum et gentibus stultitia, ubique prædicant. Ergo omni humano præsidio caruit Evangelium : ergo divinitùs propagatum est.

Sed, inquies, Religio christ. ante Constantinum imperatorem fidem non obtinuit, nisi apud plebem et ignarum vulgus, novarum rerum semper avidum. — Resp. 1° vulgus in iis quæ ad Religionem pertinent non adeò esse avidum rerum novarum, imò multò magis avitæ Religionis retinens esse, quàm esse solent potentes et sapientes hujus seculi : et præsertim ubi omnia motiva humana in eâdem avitâ religione plebem confirmant, præjudicia infantiæ, exempla sacerdotum, auctoritas legum, potentia principum et majorum suorum reverentia; cùmque ex alterâ parte omnia deterrent à mutatione, doctrinæ molesta puritas et nimia in speciem severitas, fortunarum atque vitæ periculum, etc.

Resp. 2° falsum esse omnes Christianos ante Constantinum imperatorem homines plebeios fuisse : nam plures nobiles habuit Jerosolymis cum Josepho ab Arimathiâ discipulos Christus; *multa etiam turba sacerdotum obediebat fidei,* Act. 6, 7. Multos præter Dionysium Areopag. postea habuit Athenis; et cum Clemente senatore Romano complures alios in mundi Metropoli. Hi adeò veritatis Religionis christ. convicti erant in primis ejus incunabulis, ut vitam pro illâ profundere non dubitaverint. Apud Tertull. legimus, quòd conquererentur pagani omnem ætatem, omnem conditionem, omnem dignitatem transgredi ad nomen Christi. Et propterea sic audet Arnobius ethnicos compellare : « Vel hæc saltem fidem vobis faciant argumenta credendi, quòd jam per omnes terras in tam brevi tempore immensi nominis ejus sacramenta diffusa sunt : quòd nulla jam natio est, tam barbari moris et mansuetudinem nesciens, quæ non ejus amore versa mollíverit asperitatem suam, et

in placidos sensus assumptâ tranquillitate migraverit; quòd tam magnis ingeniis præditi oratores, grammatici, rectores, consulti juris ac medici philosophiæ etiam secreta rimantes, magisteria hæc expetunt, spretis quibus paulò ante fidebant, » etc. Et reverà non inania esse verba hæc Tertull. probant magna nomina, quæ nobis servavit traditio; Athenis, Dionysii, Quadrati, Aristidis, Athenagoræ; in Alexandriâ, Clementis, Ammonii, Dionysii, Origenis, Arnobii, Anatolii, et plurimorum aliorum, qui in istâ ætate, eruditione atque litteris omnibus, nullis philosophis cessêre. Benè ergo scribere potuit S. Hieron. in Præfatione ad Catal. scrip. ecc.: « Discant igitur Celsus, Porphyrius, Julianus, rabidi adversùs Christum canes, discant eorum sectatores, qui putant Ecclesiam nullos philosophos et eloquentes, nullos habuisse doctores, quanti et quales viri eam fundaverint, extruxerint, ornaverint; et desinant fidem nostram rusticæ tantùm simplicitatis arguere; suamque potiùs imperitiam agnoscant. »

De singulari efficaciâ christianæ religionis ad inclinandos homines ad virtutem.

Veteres Religionis christ. defensores in nullo argumento sæpiùs versati sunt, quàm in extollendâ singulari atque incredibili virtute christ. Religionis in animos hominum; quæ tanta olim fuit, ut tot numeraret Ecclesia sanctos, quot sinu filios complecteretur. Imò verò non dubitaverunt asserere hanc divinam vim fidei ad inclinandos homines perditissimos ad virtutem, tantam afferre Religioni auctoritatem, quantam attulit virtus sanandi ægrotos, curandique omnis generis morbos. Et profectò si in rebus humanis valeat plerùmque hæc regula, ex opere cognosci artificem; et si Dei majestati atque sapientiæ consentaneum sit, ut ea doctrina, quæ ab ipso fuerit profecta, uberrimos saluberrimosque fructus proferat; quis ex illâ mirâ ac incredibili conversione morum et præclaris multis effectibus, quos habuit christ. doctrina, illam verè divinam esse non colligat? quo indicio se prodere clariùs potuit divina sanctitas?

PROPOSITIO PRIMA.

Christianæ Religionis singularis efficacia in inclinandis hominibus ad bonam vitam et ad omne virtutis genus divinam Christi virtutem arguit.

PROBATIO. — Duo hic demonstranda sunt: 1° quòd reverà stupenda contigerit mutatio in hominum moribus, prædicato Christi Evangelio; 2° quòd illa conversio rerum nulli possit causæ adscribi, nisi divinæ Christi virtuti.

I. Reverà contigit stupenda mutatio in hominum moribus ex prædicatione Evangelii. Nam quo tempore prædicatum fuit Evangelium, ad summum provecta fuit impietas; nunquàm adeò in omne flagitium et scelus projecti fuerunt homines; et subitò tamen eadem illa ætas corruptissima ex prædicatione Apostolorum præbuit infinita maximarum virtutum exempla: ita ut facta fuerit juxta propheticam vocem nova creatio, cœli novi et terra nova.

1° Illa certè ætas erat flagitiosissima: hoc testantur non solùm christiani scriptores, sed historici pagani, et quotquot edita sunt in illo seculo volumina; consuli possunt Sallust. prooœmium ad bellum Catil. vel Taciti Hist. vel Juven. et Pers. Satyræ, etc., in quibus non tantùm habemus judicium historicorum, sed flagitiorum exempla, quæ probant omnem ablegatum fuisse à terris pudorem. In re tam evidenti congerere testimonia valdè supervacaneum videtur.

2° Non minùs certum est stupendam accidisse mutationem in hominum moribus per Evangelii prædicationem. Hoc inprimis testantur Christiani cum eâ fidentiâ et securitate, atque in illis circumstantiis, ut eorum verbis falsum subesse suspicari non liceat. Apostolus Paulus in Ep. 1 ad Cor. c. 6, sic eos alloquitur: *Et hæc fuistis aliquando* (fornicarii, idolis servientes, adulteri, fures, avari, ebriosi, maledici, rapaces, etc.); *sed abluti estis et sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri J. C. et in Spiritu Dei nostri.* Idem in omnibus aliis Epistolis, in quibus sanè nulla est adulatio, virtutes Christianorum extollit. Imò in illâ sanctissimâ Apostolorum ætate, ea fuit fidelium omnium unanimis pietas, et effusa in invicem charitas, ut unam magnam composuerint familiam, in quâ habebant omnia communia.

Neque minor eluxit pietas in proximi seculi fidelibus. Antiquissimus post Apostolos scriptor Clemens Rom. in Epist. suâ ad Cor. sic eorum mores describit: « Quis apud vos diversatus virtute omni plenam, firmamque fidem vestram non probavit? Modestam et decentem in Christo pietatem non est admiratus? Magnificentiam hospitalitatis vestræ non prædicavit? Nam sine personarum acceptione cuncta faciebatis, et in Dei legibus ambulabatis: subditi præpositis vestris, et honorem debitum senio-

ribus vestris tribuentes...... Sic pax alta et præclara omnibus dabatur, insatiabile benefaciendi desiderium, et plena Spiritûs S. super omnes effusio erat: atque pleni sanctæ voluntatis, bonâ alacritate cum piâ confidentiâ extendebatis manus vestras ad Deum, supplicantes ut propitius esset si quid inviti peccâssetis. Vobis, dies et noctes, sollicitudo erat pro universâ fraternitate, ut salvaretur numerus electorum Dei; sinceri et simplices eratis, atque injuriarum immemores; omnis seditio et scissura vobis erat abominationi; de proximorum delictis lugebatis; eorum defectus, vestros judicabatis. Parati eratis ad omne opus bonum,» etc. En vera descriptio Ecclesiæ christianæ in flagitiosissimâ ætate.

Hincque S. Justinus Martyr in Apol. quam pro Christianis scripsit, sic compellat imperatorem: «Nos autem verbo persuasi, ab illis quidem (nempe dæmonibus) descivimus, solum verò unigenitum Deum per Filium sequimur; et qui flagitiis gaudebamus, nunc castitatem solam complectimur: qui magicis artibus utebamur, bono et ingenito Deo nos consecramus; qui pecuniarum et possessionum quæstus præ rebus omnibus amabamus, nunc ea etiam quæ habemus in commune conferimus, et cum indigentibus quibusque communicamus; qui odiis et cædibus mutuis inter nos grassabamur, et cum eis qui tribules nostri non essent communem focum non habebamus; nunc post Christi adventum convictores sumus, et pro inimicis oramus; quique nos inique prosequuntur odio, eos suasione flectere conamur, ut secundùm Christi præcepta vitam agentes spem habeant, se eadem nobiscum à Deo omnium dominatore consecuturos.»

Athenagoras in Legat. pro Christ. habet: «Quòd si quis vel parvi vel magni alicujus criminis nos convicerit, non deprecamur supplicium; sed vel crudelissimum illud tolerare parati sumus..... Sistamur judiciis, ut à criminibus illis, quæ nobis intentant, aut absolvamur, aut si convicti fuerimus, puniamur. Nemo Christianus malus, nisi qui professionem mentitus fuerit.» Et alio in loco idem scribit: «Apud nos homines etiam plebeii, quique ex manuum labore victum sibi parant, et vetulæ, si sermonibus utilitatem professionis nostræ ostendere nequeant, rebus ipsis et operibus eam declarant. Nec enim orationes compositas recitant, aut annumerant verba, sed actiones honestas et virtutum exempla de se præbent; dùm percussi non repercutiunt, spoliantibus dicam non scribunt, petentibus largiuntur, proximos quosque ut se ipsos amant.»

In eumdem modum Tertull. ethnicos ipsos testes appellat, quòd inter sceleratos, qui præsidum judiciis quotidiè damnabantur, Christianus nullus occurreret. «Vestros contestamur actus, qui quotidiè judicandis custodiis præsidetis. Tot à vobis nocentes variis criminum elogiis recensentur: quis illic sicarius, quis manticularius, quis sacrilegus, aut corruptor, aut lavantium prædo, idem etiam Christianus adscribitur? Aut cùm Christiani suo titulo offeruntur, quis ex illis etiam talis, quales tot nocentes? De vestris semper æstuat carcer; de vestris semper metalla suspirant; de vestris semper bestiæ saginantur; de vestris semper munerarii noxiorum greges pascunt. Nemo illic Christianus, nisi hoc tantùm: aut si aliud, jam non Christianus.» Apol. c. 44. Idem alibi testatur Christianorum probitatem ab ethnicis ipsis agnitam esse. «Bonus vir Caius Sejus; tantùm quòd Christianus. Ego miror Lucium Titium, sapientem virum, repentè factum Christianum.» Ib. c. 3.

«Philosophorum supercilia, ait Minucius Felix, contemnimus, quos corruptores et adulteros novimus, et tyrannos, et semper adversùs sua vitia facundos. Nos non habitu sapientiam, sed mente præferimus; non eloquimur magna, sed vivimus; gloriamur nos consecutos quod illi summâ intensione quæsiverunt, nec invenire potuerunt.»

Eodem utuntur omnes alii argumento: unum solummodò adjiciemus Lactantii locum: «Quod ipsi facere non potuerunt (ethnici philosophi), sola hæc efficit doctrina cœlestis, quia sola sapientia est. Illi scilicet persuadere cuiquam potuerunt, qui nihil persuadent etiam sibi? Aut cujusquam cupiditates oppriment, iram temperabunt, libidinem coercebunt, cùm ipsi se dant vitiis, et fateantur plus valere naturam? Dei autem præcepta quantùm valeant in animis hominum quotidiana experimenta demonstrant. Da mihi virum qui sit iracundus, maledicus, effrenatus, paucissimis Dei verbis, tam placidum quàm ovem reddam. Da cupidum, avarum, tenacem; jam tibi eum liberalem dabo, et pecuniam suam plenis manibus largientem. Da timidum doloris et mortis: jam cruces et ignes, et Phalaridis taurum contemnet. Da libidinosum, adulterum, ganeonem; jam sobrium, castum, continentem videbis. Da crudelem et sanguinis appetentem: jam in veram clementiam furor ille mutabitur.

Da injustum, insipientem, peccatorem : continuò æquus et prudens et innocens erit. Tanta divinæ sapientiæ vis est, ut in hominis pectus infusa matrem delictorum stultitiam uno semel impetu expellat. » Inst. div. l. 3, cap. 26.

Ejusmodi honorificentissimis nomini christiano testimoniis scripta veterum plena sunt, neque vanitatis suspicio in eadem ullo modo cadere potest, ob multiplicem causam, quia non unus aut alter vanus disputator hæc loquitur; sed quàmplurimi eruditionis sanctitatisque famâ perillustres viri; quia hæc affirmant in publicis scriptis missis ad imperatores, ad senatum Rom. ad infensissimos hostes christiani nominis, quorum omnium fidem appellant; quia efflagitant, ut inquiratur in mores suos, et gravissimis puniantur suppliciis si vanitatis argui possint; quia non generatim Christianorum vitam commendant, sed particulatim prædicant eorum pietatem adversùs Deum, fidem erga imperatores, mansuetudinem, benevolentiam ac etiam beneficentiam erga universos, erga ipsos hostes suos; in contemptu voluptatum, divitiarum, honorum et potestatis suam omnem gloriam collocant; et se non tantùm malum fugere gloriantur, sed ab omni etiam specie mali alienos esse; quia eos qui istos mores non habebant, negant ad cœtum suum ullo modo pertinere, sed sui nominis usurpatores et simulatores esse contendunt. Uno verbo, cum eâ confisione suam jactant innocentiam; cum eâ securitate, sanctitate suâ, tanquàm luculentissimo argumento divinæ originis religionis suæ utuntur; adeò philosophos insectantur comparatione factâ cum moribus Christianorum, ut planè necesse sit magnam fuisse inter Christianos atque ethnicos in vitæ ratione discrepantiam. Quàm facile fuisset eorum arrogantiam retundere, si in his essent mentiti? Præterea, ut jam monuimus, habemus præclarissima ipsorum paganorum testimonia, quæ inveniuntur in scriptis veterum Christianorum : habemus Rom. præsidum judicia, imperatorum ipsorum rescripta, v. g., celebrem illam Plinii ad Traj. Epistolam et Serenii Graniani ad Adrianum, et litteras Antoninorum ad civitates Græciæ et commune Asiæ, etc. (1). Ergo certissimum est Evangelium introduxisse stupendam mutationem in hominum mores.

II. Nulli potest causæ adscribi tam singularis conversio morum, nisi divinæ virtuti, cui illam adscribebant Apostoli. Nam divinæ virtuti certè adscribendus est eventus, cui producendo impares erant omnes causæ naturales, et in cujus productione nullam causam reverà adhibitam fuisse, quæ ullam haberet cum exitu proportionem, novimus. Atqui primò nullæ causæ naturales pares erant producendæ tam universali et tam subitæ mutationi in hominum moribus : nam illi effectui producendo causas naturales impares esse certè convincimus, quas certum est nunquàm habuisse talem effectum (siquidem in rebus moralibus ex constanti experientiâ rectè desumitur argumentum), et quas causas philosophi sapientissimi ex perspectâ hominis naturâ impares esse judicârunt. Atqui ex unâ parte certum est tam subitam, tamque universalem conversionem in hominum moribus nunquàm alibi contigisse, nisi in prædicatione Evangelii. Hic fidem appellare licet omnium historiarum, quæ si aliquam mutationem repræsentent, aut certè illa in deterius facta, ut canit poeta :

> Damnosa quid non imminuit dies?
> Ætas parentûm pejor avis tulit
> Nos nequiores, mox daturos
> Progeniem vitiosiorem.

Ex alterâ parte philosophi omnes desperatam humani generis sortem arbitrati sunt, neque sine Deo nisi philosophiâ posse homines ad virtutem converti : id Socrates asseruit; id Plato sexcentis in locis pronuntiavit : imò negat Cicero philosophiam habuisse efficaciam ullam ad inclinandos ipsosmet philosophos animos ad virtutem. « Quotus enim quisque philosophorum, ait, inventus est, qui sit ita moratus, ita animo et vitâ constitutus ut ratio postulat; qui disciplinam suam non potiùs ostentationem scientiæ, quàm legem vitæ putaverit; qui obtemperaverit ipse sibi et decretis suis paruerit? »

Deinde nego ulla media naturalia adhibita fuisse ad istam conversionem producendam, quæ ullam habeant proportionem cum tam singulari eventu : et Christus, quando prædixit illum eventum, rem pronuntiavit planè contra omnem spem et expectationem. In sententiâ adversariorum, qui negant Christi miracula, ejusque divinam virtutem, quænam esse potuerunt illa media, quibus Christus usus est ad reducendos homines ad bonam vitam? Nulla certè [illegible] potuerunt quàm [illegible] ejus [illegible], cum [illegible] ipse [illegible] ? Cùm [illegible]

(1) Vide illorum testimonia [illegible] § 2.

à terrâ, omnia traham ad meipsum. » Jam verò videant deistæ an infamis Christi mors habere ullam naturalem efficaciam debuerit ad inclinandos Apostolos ad ejus sequenda præcepta.

Prætereà quibus mediis usi sunt Apostoli ad convertendos homines post Magistri mortem? num disputationibus philosophicis? num orationibus ad eloquentiæ leges compositis, aut quovis alio adminiculo humano? Nequaquàm profectò : manifestum est ex eorum scriptis se in nullâ re aliâ spem suam posuisse, quàm in virtute crucis Christi ; et ideò confidentissimè crucem Christi prædicabant, etsi scirent Judæis scandalum esse et gentilibus stultitiam. Monstrent itaque deistæ vel Judæi naturalem aliquam connexionem inter prædicationem infamis mortis Christi, seu doctrinam crucis, et generis humani conversionem. Rem certè non tentabunt, quia si id feliciter ostendere possent, quid aliud concludendum esset, quàm divinam esse doctrinam illam, quæ cum pietate et virtute naturalem habet connexionem? Ergo certum est illam incredibilem morum conversionem contigisse divinâ virtute Christi Domini, qui effudit Spiritum suum super omnem carnem juxta vaticinia Prophetarum.

At, inquies, nihil in hâc parte Christianis contigit, quod omnibus sectis in sui fervoris initiis non contigerit ; laudantur apud veteres paganos mores Pythagoræorum, apud Judæos Esseniorum ; et recentioribus temporibus virtutibus claruerunt, etiam fatentibus adversariis, initio reformationis, Lutherani, Calvinistæ, Anabaptistæ, Quakeri... Deinde si fervebant initia, citò descitum est, et in omni ætate multa fuêre Christianorum flagitia atque immania crimina, adeò ut incertum sit an post primum seculum ullum habuerit ad reformationem hominum momentum Religio christiana. Ita passim omnes deistæ ; et in exaggerandis apud Christianos sceleribus jucundissimè versantur, et nullus magis, proh pudor! quàm ingeniosus aliunde et doctus vir auctor libri, qui inscribitur : Examen apologistarum Religionis christianæ, qui suæ acerbitatis virus duplici capite evomit; uno, in quo negat ullam lucem hominibus in rebus ad Religionem et moralem vitam spectantibus attulisse revelatam Religionem; altero, in quo affirmat Christianos nullo modo veteres paganos moribus antecellere. — Hic mortalium omnium fidem imploramus, neque eamdem causam singulis paginis perorare possumus. Si quis hujus hominis, aliorumve Religionis revelatæ contemptorum auctoritate ductus, contra gentis humanæ sententiam dubitet, conferat ea quæ infra articulo quarto de legis christianæ perfectione dicturi sumus, cum iis quæ in appendice de paganâ superstitione disseremus. Sed non est necesse; bonâ fide nullus dubitat, an non sit purior doctrinæ christianæ complexio, an non sit sanctior disciplina, an non uberioribus præmiis ad virtutem Christiani excitentur, an non efficacioribus motivis à vitiis retrahantur : et mirum quid esset, si hæ causæ nullam haberent in vitam et mores hominum efficaciam. Quàm absurdum est Ecclesiam Christi omnem ætatem, sexum, conditionem per universum fermè orbem complectentem conferre cum paucis Pythagoræ asseclis, aut Esseniorum sodalitiis? Nolumus hìc deprimere primorum reformatorum virtutes, quas non adeò admirabatur Erasmus, aut Melanchton, aut ipse Lutherus ; sed quæcumque illæ fuerint, salutari Evangelii doctrinæ sine dubio debebantur. Quàm parùm ingenuum est sanctissimæ Religioni exprobrare crimina sceleratorum hominum, qui omni deposito pudore omnem metum numinis, omnem sensum honestatis exuerunt; aut magnarum virtutum, ad quas tam ingentem hominum turbam, in omni à suâ origine ætate et etiamnùm instituit, nullam rationem habere! Aut summa illius in omne genus hominum confessa etiam à philosophis, merita non agnoscere, extinctionem idololatriæ cum omni vanissimæ superstitionis apparatu et impuris ritibus, et introductionem sanctissimi cultûs; morum majorem mansuetudinem, servitutis abolitionem ; supremæ potestatis in civitatibus temperationem, inter civitates jus gentium humanum magis, quod etiam inter arma viget (1)?

(1) « Dire que la Religion n'est pas un motif réprimant, parce qu'elle ne réprime pas toujours, c'est dire que les lois civiles ne sont pas un motif réprimant non plus. C'est mal raisonner contre la Religion de rassembler dans un grand ouvrage une longue énumération des maux qu'elle a produits, si l'on ne fait pas de même celle des biens qu'elle a faits. Si je voulais raconter tous les maux qu'ont produits dans le monde les lois civiles, la monarchie, le gouvernement républicain, je dirais des choses effroyables. » Esprit des lois, l. 24, c. 2. « Si la Religion chrétienne est éloignée du pur despotisme, c'est que la douceur étant si recommandée dans l'Evangile, elle s'oppose à la colère despotique avec laquelle le prince se ferait justice et exercerait ses cruautés... C'est

De constantiâ plus quàm humanâ Christianorum Martyrum.

Ad abolendum nomen christianum nullam viam securiorem iniri posse putavêre reipublicæ Judaicæ principes et imperatores Romani, quàm si in homines istius sectæ populorum odia excitarent, eosdemque ob ipsum nomen atrocissimis addictos suppliciis crudeliter necarent. Et reverà humana prudentia nihil suadere potuit efficacius : nunquàm enim factum est, ut homines cæteris omnibus mortalibus invisi, posthabitis commodis omnibus hujus vitæ, famâ, re familiari et vitâ ipsâ, pertinaciter vanæ adhærerent disciplinæ, ad quam temerè et fortuitò sine ratione delati fuissent. Neque solùm postquàm ceperat incrementa Religio nostra, et confirmata jam fuerat, exarsit hæc invidia, hæc orbis universi conjuratio adversùs eam inita est : sustulit ipsum auctorem Religionis, sustulit Apostolos, et per tria Ecclesiæ secula in aperto vitæ discrimine vixêre omnes Christiani, quorum infinitus numerus variis persecutionibus sublatus fuit : imò verò, ut observat Lactant. l. 5 Inst. c. 3, «non tantùm pro fide mortem subierunt, sed etiam morituros se sciebant ; et postea universos qui eorum disciplinam secuti erant, acerba et nefanda esse passuros. » Fefellit tamen spem humanam eventus, et quod nunquàm antea, nec postea, visum est, sævitia illa in Christianos non modò non extirpavit sectam hanc ; sed fuit è contrario stabilitatis ejus et diffusionis præcipua causa. S. Justinus Martyr, Tertullianus, Arnobius, Lactantius et alii, scripsêre se permotos incredibili fortitudine martyrum, ad examen causæ Christianorum, pro quâ tam fortiter occumbere non dubitabant, excitatos fuisse. Suspicati sunt quiddam esse divinum in eo instituto, quod in omni ætate, in omni sexu, in omni conditione athletas formaverat, quales philosophia suis præceptis nunquàm instituerat (1). Hincque iidem nequaquàm dubitant illam constantiam martyrum in argumentum afferre adversùs paganos : « Nec quidquam proficit, ait Tertull. ibid. ad imperatorem, exquisitior quæque crudelitas vestra ; illecebra est magis sectæ ; plures efficimur, quoties metimur à vobis ; semen est sanguis Christianorum. » Arnobius inter argumenta credendi, quæ ethnicis proponit, hoc annumerat : «Quòd cùm genera pœnarum tanta sint à vobis proposita Religionis hujus sequentibus leges, augeatur res magis, et contra omnes minas atque interdicta formidinum animosiùs populus obnitatur, et ad credendi studium prohibitionis ipsius stimulis excitetur. Numquid hæc fieri passim et inaniter creditis? fortuitis incursibus assumi has mentes? Itane istud non divinum et sacrum? aut sine Deo, eorum tantas animorum fieri conversiones, ut cùm carnifices, unci, aliique innumeri cruciatus impendeant crediturus, veluti quâdam dulcedine atque omnium virtutum amore correpti, cognitas accipiant rationes, atque mundi omnibus rebus præponant amicitias Christi? » Inquirendum igitur hìc est, utrùm homines fortitudinis christianæ spectatores temerè olim judicaverint eos à Deo adjutos fuisse.

PROPOSITIO.

In constantiâ Martyrum Christianorum divina virtus Christi valdè conspicua fuit.

PROBATIO. — Nam illa fortitudo Christianorum, non brevis aliquis furor et momentaneus

la Religion chrétienne qui, malgré la grandeur de l'empire et le vice du climat, a empêché le despotisme de s'établir en Ethiopie, et a porté au milieu de l'Afrique les mœurs de l'Europe et ses lois... Que l'on mette devant les yeux les massacres continuels des rois et des chefs Grecs et Romains, et de l'autre côté la destruction des peuples et des villes par ces mêmes chefs ; Thimur et Gengiskan, qui ont dévasté l'Asie ; et nous verrons que nous devons au Christianisme, et dans le gouvernement un certain droit politique, et dans la guerre, un certain droit des gens que la nature humaine ne saurait assez reconnaître. C'est ce droit des gens qui fait que, parmi nous, la victoire laisse aux peuples vaincus ces grandes choses, la vie, la liberté, les lois, les biens, et toujours la religion, lorsqu'on ne s'aveugle pas soi-même. » *Ib.* c. 4.

« Nos gouvernements modernes doivent incontestablement au Christianisme leur plus solide autorité et leurs révolutions moins fréquentes ; il les a rendus eux-mêmes moins sanguinaires : cela se prouve par le fait, en les comparant aux gouvernements anciens. La Religion mieux connue, écartant le fanatisme, a donné plus de douceur aux mœurs chrétiennes. Ce changement n'est pas l'ouvrage des lettres ; car partout où elles ont brillé, l'humanité n'a pas été plus respectée ; les cruautés des Athéniens, des Egyptiens, des empereurs de Rome, des Chinois, en font foi. » Emile t. 3.

(1) «Nam et ego, ait S. Justinus, apud Euseb. lib. 4, c. 8, cùm Christianos calumniis appeti audirem, eosque adversùs mortem et cætera, quæ formidabilia habentur, fortes atque intrepidos viderem, sic apud me reputabam, fieri non posse ut ii cum vitiis ac voluptatibus dediti essent, » etc. ; et Tertull. in Apol. c. 5 : « Illa ipsa obstinatio, quam exprobratis, magistra est. Quis enim non contemplatione ejus concutitur, ad requirendum quid intus in re sit? Quis non ubi requisivit, accedit ? Ubi accessit, pati exoptat ? »

fuit, sed placida et quieta firmitas animi per 300 annos, semper æqualis atque constans: non in paucis aliquibus, quos natura fortes et constantes effecerat, emicuit; sed in infinitâ multitudine hominum cujuscumque ætatis ac conditionis (vide Præf. in Acta martyrum, auctore D. Ruinart.); in viris et mulierculis; in senibus, in adolescentibus, in pueris et puellis; in nobilibus et in ignobilibus; in sapientibus et rudibus: erat eadem illa fortitudo non mediocris aliqua firmitas animi, sed summa et incredibilis, quam exquisitissima tormenta (1) non solùm non vincebant, verùm etiam ne commovebant quidem. Atqui talis fortitudo tam diuturna, tam universalis, tam incredibilis, naturalis non erat, sed divina, ob duplicem hanc causam: 1° quòd natura hominum istius constantiæ per se nequaquàm capax videatur; 2° quòd nullum motivum naturale inveniri possit, quo martyres ita incenderentur.

I. Igitùr contendimus tantæ fortitudinis non esse per se capacem naturam hominum, et illam tam diuturnam, tam universalem, tam magnam constantiam perpetuum fuisse per 300 annos miraculum. Nam si aliquando contigerit, ut homines fanatico abrepti furore extrema toleraverint, citò illa febris sedata est: neque unquàm factum, ut ille fanaticus furor post vitam priorum fanaticorum propagatus fuerit, non dico per 300 annos, sed ad proximos eorum discipulos.... Demus etiam quandoque accidisse ut homines pauci numero imaginandi magnâ vi præditi in fanaticum furorem incidentes pro absurdissimis opinionibus vitam profuderint; certè ille furor nunquàm invasit simul et eodem tempore homines linguâ, moribus, religionibus à se invicem maximè divisos.... Si denique experti sumus homines aliquos naturali quâdam fortitudine præditos mortem minimè timere; nunquàm tamen accidit, ut illi exquisitissima et diuturniora tormenta, qualia martyres tolerârunt, sedato et tranquillo animo omninò spernerent, darent quoque lætitiæ indicia; quia cùm in contumeliam sarmentitii et semaxii dicerentur, quòd ad ignem et crucem damnati essent, reponerent: « Hic est habitus victoriæ nostræ, hæc palmata vestis, tali curru triumphamus. » Quicumque enim tentare se ipsum velit et animo reputare, quantùm homines moveat fama, honorum, commodorum et vitæ amor; quantùm timeant ignominiam, paupertatem, orbitatem, cruciatus et crudelem mortem; et præcipuè quàm difficile sit obniti omnibus propensionibus naturalibus etiam contra rationis imperium nitentibus: facilè intelliget impossibile esse iisdem omnibus non parere, cùm rationem sibi habent consentientem; et consequenter tam diuturnam, tam universalem, tam incredibilem constantiam naturalem esse non posse, præsertim in hypothesi deistarum, qui negant illam sapienter conceptam. Si hoc naturale esset, esset naturale furere, atque agere contra rationis imperium omnibus propensionibus naturalibus confirmatum, id est, esse naturale naturam exuere.

II. In hypothesi adversariorum nulla ratio reddi potest illius inauditæ constantiæ, seu nullum motivum excogitari potest, quo Christiani ita incenderentur ad exuendos omnes sensus naturæ humanæ. Num stupidæ et insanæ pertinaciæ adscribent adversarii illam singularem fortitudinem? an fanatico furori? an gloriæ cupiditati? an emolumenti alicujus temporalis expectationi? an promissis et pollicitationibus æternæ vitæ, quas à Christo temerè et inaniter factas existimant adversarii? Nihil aliud menti occurrit in quod tam singularis constantia refundi possit. Sed certè illa non est profecta in Christianis à stupidâ et insanâ pervicaciâ: quia Christiani nequaquàm

(1) « Pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent; aut crucibus affixi, aut flammandi, atque ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur. » Hæc Tacitus de Neronianâ pers. Ann. l. 15. Supplicia quibus vexabantur Christiani recenset Euseb. Hist. l. 8, c. 14: « Ignem ac ferrum, clavorum suffixiones, bestias, profundos maris gurgites, membrorum abscissiones ac perustiones, confixiones et effossiones oculorum, totius denique corporis mutilationes; ad hæc famam, metalla, vincula, » etc. Lactan. l. 5; Just. c. 11 scribit: « Exquisitos colores corporibus immittunt, et nihil aliud devitant, quam ut torti moriantur... Pertinaci stultitiâ jubent curam tortis diligenter adhiberi, ut ad alios cruciatus membra renoventur, et reparetur novus sanguis ad pœnam. » Idem de Mortibus persecutorum c. 21, habet, Galerii exquisitam sævitiam exponens: « Cùm deligati fuissent, subdebatur primò pedibus levis flamma tamdiù, donec callum solorum contractum igni ab ossibus revelleretur. Deinde incensæ faces et extinctæ admovebantur singulis membris, ita ut locus nullus in corpore relinqueretur intactus. Et inter hæc suffundebatur facies aquâ frigidâ, et os humore abluebatur, ne arescentibus siccitate faucibus, citò spiritus redderetur. Quod postremò accidebat, cùm per multam diem decoctâ omni cute, vis ignis ad intima viscera penetrâsset: corpora jam cremata, lecta ossa, et in pulverem comminuta jactabantur in flumine ac mari. »

stupidi et insani fuerunt, nisi statuas clarissimas virtutes, effusam in Deum pietatem, charitatem in omnes, magnitudinem animi incredibilem, totidem esse argumenta stupiditatis; nisi etiam ponas præclarissimos philosophos, dùm inter ethnicos versabantur, eruditione et sapientiâ conspicuos, stupidos factos esse statim ac sua nomina Christo dederunt.... Non est eadem illa fortitudo profecta à fanatico furore: illum enim furorem, cujus adeò mirabiles effectus prædicantur, non satis definiunt adversarii, et in eorum ore vana videtur vox sine ullâ vi et potestate ad fucum faciendum. Præterea si quis unquàm placidi et quieti animi ac ab omni perturbatione liberi signa dedit, dedêre certè martyres christiani... Neque sanè quærebant vanam gloriam moriendo martyres christiani: nam nihil adeò erat dedecori ac nomen christianum; et præterea etsi valere multùm in paucos aliquos gloriæ cupiditatem deprehendamus, et eos ad extrema toleranda illâ cupiditate quandoque adductos fuisse, nunquàm profectò evenit, ut illa gloriæ stolida cupiditas invaderet simul homines omnis ætatis, omnis conditionis, omnis nationis... Non est illa constantia nata ex emolumenti alicujus temporalis expectatione: quid enim in terris sperare poterant, qui cum alacritate incredibili amicis, uxoribus, liberis, parentibus, patriæ, fortunis atque vitæ pro fide tuendâ renuntiabant?.... Denique fatemur quidem hanc fortitudinem profectam esse ab expectatione certâ præmiorum in alterâ vitâ, quam Christi promissiones excitavissent, ab istâ Christi voce: *Qui me confitebitur coram hominibus, confitebor et ego illum coram Patre meo qui in cœlis est.* Sed unde hæc vox tantam habuit vim? Nam et philosophi apud gentiles vitam beatam post hanc mortalem sortem bonis promittebant: non deprehendimus tamen mirabiles unquàm fuisse istorum promissorum effectus. Suis ergo promissionibus virtutem aliquam addebat Christus, omnibus naturalibus motivis potentiorem, quam divinam et supernaturalem fuisse necesse est.

Sed, inquies, judaica religio, et quævis alia superstitio martyres suos habuit, et etiamnùm habet. Resp. multùm interesse inter Christianos martyres, et eos cujuscumque alterius sectæ, non solùm in numero et constantiæ magnitudine, sed in hâc etiam parte, quòd Judæi martyres pro avitâ religione, in quâ instituti à parentibus fuerant, mortui sint; primi Christiani pro novellâ fide majorum institutis suisque opinionibus contrariâ occubuerint; quòd Judæi aliique mortui plerùmque sint pro opinionibus quibusdam speculativis, vel pro factis, quorum veritas auctoritate majorum suorum nitebatur; Christiani verò mortem oppetebant ad confirmanda facta in quibus falli haudquaquàm poterant: Judæos aliosque adversùs terrores omnes armat conscientia; Christiani nisi compertam habuissent factorum veritatem, non modò terrores mundi, sed ipsum conscientiæ angorem contrarium experti essent. Uno verbo, adeò differebat Christianorum constantia à pertinaciâ Judæorum et aliorum quorumcumque in omnibus circumstantiis, ut hi nullos unquàm adduxerint ad suam fidem patiendo vel moriendo; fuerint verò passiones Christianorum martyrum propagationis Religionis suæ præcipua causa.

De cessatione oraculorum apud paganos.

Inter notas et characteres Messiæ regis, quem adeò veteres Prophetæ cecinêre, hic erat maximè conspicuus, quòd ejus virtute idola conteri et omnes dii terræ profligari deberent: *Horribilis Dominus,* inquit Sophonias, *attenuabit* (1) *omnes deos terræ.* Hoc vaticinium in adventu Christi tam accuratè completum est, ut ipsis gentilibus maximum stuporem injecerit, et illo eventu omnes nostræ Religionis defensores in ipso initio uti potuerint ad confirmandam doctrinam suam. Quippe cùm dæmones ad ea usque tempora variis oraculis hominum fovissent superstitionem, paulò ante et post Christi adventum cœperunt obmutescere, et tandem confirmatâ Ecclesiâ omninò conticuêre.

Hincque S. Athan. post multos alios sic argumentatur lib. de Incarn. Verbi Dei: « Quis itaque quantusque ille est Christus, qui suo numine ac suâ præsentiâ divinâ usquequàque obscurat et delet, solusque cæteris omnibus fortior est, atque universum orbem suâ doctrinâ replet! Respondeant gentiles, qui tam effrenatè et impudentissimè rident. Enimverò si homo ille est, qui fieri potest, ut unus homo omnium, quos ipsi colunt, deorum superet potentiam, nihilque prorsùs illos esse suâ virtute evincat? Quòd si magum eum esse dicunt, qui fit ut à mago ars omnis magica destruatur, et non potiùs confirmetur? » Et paulò post sic pergit: « Et ut summatim di-

(1) *Fame seu macie consumet,* significat propheta abolitionem sacrificiorum ethnicorum, quorum nidore nutritos dæmones putabant pagani.

cam, attende quomodò Salvatoris quidem doctrina per totum orbem terrarum diffundatur; contra autem universa idololatria, et quod Christi fidei adversatur quotidiè decrescat, debilitetur et cadat. Quæ cùm videas, Salvatorem omnium hominum, et potentissimum Dei Verbum adora; eos autem quos ille deficere et evanescere cogit, sperne ac rejice: ut enim sole præsente nulla ampliùs vis est tenebris, sed si quæ supe. fuerint, expelluntur, ita divino Dei Verbi adventu vim nullam retinent idolorum tenebræ, sed omnes omninò totius orbis terrarum partes ejus doctrinâ illuminantur. » Hæc S. Athan. cum quo consentientes sunt omnes Ecclesiæ christianæ veteres doctores. Non dubitemus igitur cum istis in fide parentibus sic statuere.

PROPOSITIO.

Oraculorum apud paganos defectio Christi Domini nostri virtutem manifestè demonstrat.

PROBATIO. — Tria hìc demonstranda sunt: 1° quòd ad Christi usque tempora fuerint data apud paganos ab ipsis dæmonibus in variis locis oracula; 2° quòd paulatim post adventum Christi, prout incrementa capiebat Religio nostra, obmutuerint, tandemque confirmatâ Ecclesiâ prorsùs conticuerint; 3° quòd ista defectio oraculorum apud paganos nulli possit causæ adscribi, nisi divinæ virtuti Christi.

I. Quamvis pleraque paganorum oracula sacerdotum fraudi adscribenda sint (1), tamen quorumdam auctores absque dubio dæmones extitêre apud plures gentes. Nam in re facti summam habet auctoritatem universalis consensus omnium hominum, præcipuè si opinionibus, moribus et religionibus à se mutuò dividantur. Atqui constans et universalis erat olim omnium hominum in hâc parte consensio. Id constanter ethnici non rudes tantùm sed etiam docti et sapientes credebant. Id etiam putabant Judæi, à gentibus in omni vitæ ratione adeò discrepantes, ut patet ex eorum libris sacris: id confessi sunt etiam Christiani in omni ætate, quamvis ad infringendam vim argumenti petiti ex prophetiis sua opponerent gentiles oracula Pythæa, Dodonæa, Claria, Jovis Hammonis, etc. Qui ampliorem hujus rei confirmationem desiderat, legat librum qui inscribitur, Réponse à l'Histoire des oracles de M. de Fontenelle.

II. Paganorum oracula post natum Christum et propagatam ejus Religionem paulatim conticuêre, quatenùs Christus hominibus cognosci et ejus doctrina passim obtinere cœpit. Hoc etiam constat unanimi confessione auctorum omnium, qui illorum temporum res memoriæ tradiderunt. Omnium Christianorum sententiam habemus in sequentibus verbis Eusebii, quo nullus profectò versatus magis in præcedentium seculorum rebus gestis fuit. Ille in Præp. evang. capite primo lib. 5, hunc titulum præfixit, « iterùm probatur vaticinia et oracula apud paganas gentes edita, à malis dæmonibus data fuisse: et illa omnia defecisse et planè fuisse sublata post evangelicam Salvatoris nostri doctrinam. » Deinde verò sic idem caput exorditur: « Quanquàm ea quæ à nobis sunt disputata, non jam aut deorum aut bonorum dæmonum in loco habendos illos esse omnes, satis superque conficiunt, qui à gentilibus per urbes passim atque pagos tanquàm dii colebantur: juvat tamen plurium insuper argumentorum vim ac pondus adjungere, quibus susceptæ quæstionis demonstratio magis confirmetur, quæ Servatoris nostri evangelicæ doctrinæ beneficio allatam hominum generi à superioribus malis liberationem in omnium oculis constituat. Audi ergo, quemadmodùm scriptores ipsi græci oracula sua ex omni memoriâ tum denique primùm defecisse fateantur, cùm salutaris hæc evangelica unius Dei ac Salvatoris nostri doctrina hominum animis cœpit, solis instar, illucescere: et quidem statim post ejus adventum, et dæmonum interitus celebratos esse, et egregia illa, totque pridem jactata seculis oracula conticuisse jamjam ostendemus. » Idem doctiss. scriptor in Demonstr. evang. l. 5, cùm probâsset dæmones esse oraculorum auctores, sic pergit: « Denique illorum inertis, imbecillæque naturæ maximum argumentum est, quòd extincta sint oracula, neque ampliùs, ut olim, respondeant; et extincta non aliàs quàm sub adventum Salvatoris nostri J. C.; ex quo enim illius in omnes gentes evang. doctrinæ penetravit verbum, ex illo item oracula defecerunt, et dæmonum mortes memorantur. » Hæc auctoritas Christianorum confirmatur unanimi voce etiam paganorum scriptorum, quorum testimonia nobis servavit idem Euseb. in Præp. evang., Porphyrius, quo nullus magis infestus Christianis fuit, ita mentem suam expressit: « Et nunc mirum nulli videatur civitatem hoc morbo tot jam annos conflictari, cùm Æsculapius cæterique dii hominum consuetudini se consortioque subduxerint: ex quo enim coli Jesus

(1) Vide Vandale de Oraculis paganorum et Historiam oraculorum Cl. viri de Fontenelle.

cœptus est, communem ac publicam deorum opem nemo sensit. » Plutarchus verò librum scripsit de Defectu oraculorum, in quo istius mutationis causas invenire studet. Julianus Apostata, ut videre est apud S. Cyrillum l. 6 contra Julian., confitetur oracula jampridem desiisse : « Divinus ille afflatus, ait, rarò sanè et in paucis fit, nec quilibet ejus particeps facilè esse potest, nec quovis tempore; perinde cessavit apud Hebræos, nec apud Ægyptios perdurat adhuc : sed videntur quidem oracula cedere temporum conversionibus. » Idem fatentur Strabo, Juvenalis, Lucanus, et alii.

III. Oraculorum defectio nulli causæ adscribi debet nisi divinæ virtuti Christi, ob duplicem causam : 1° quòd multa sint evidentissima argumenta, quæ directè efficiant illud dæmonum silentium non liberum, sed coactum fuisse, Christumque istius silentii causam extitisse; 2° quòd ridiculæ sint quæcumque afferuntur à paganis, præsertim à Porphyrio et Plutarcho, hujus eventûs causæ.

1° Multa planè et directè demonstrant Christum istius silentii causam extitisse : id enim constat, quia istum eventum prænuntiavit, ut suâ virtute certò futurum : *Nunc,* dicebat, *princeps hujus mundi ejicietur foràs....* Quia ipse dùm inter homines versatus est, in dæmones supremam exercuit potestatem eosque præsentiâ suâ fugabat.... Quia eamdem discipulis suis in dæmones dedit potestatem : *Ecce dedi vobis,* dicebat, *potestatem calcandi omnem virtutem inimici.* Ac post acceptam hanc potentiam legimus reversos esse 72 discipulos cum gaudio dicentes : *Domine, dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo...* Quia non solùm suis discipulis per se communicavit illam potentiam; sed ipsis etiam eamdem aliis conferendi dedit facultatem : *Signa autem eos,* aiebat, *qui crediderint, hæc sequentur : in nomine meo dæmonia ejicient.* Et reverà illa extraordinaria potentia mansit in Ecclesiâ christianâ per tria priora secula, ut supra dictum est... Quia id sæpissimè confessi sunt dæmones non solùm in responsis, quæ sæpiùs coacti dedêre Christianis, sed in pluribus etiam ad paganos factis. Notissima est S. Gregorii Thaumaturgi historia, qui Apollinem oracula in templo reddentem obmutescere et templo suo excedere coegit; quam videre licet apud S. Gregorium Nissenum in Vitâ S. Gregorii Thaumaturgi. Ipsi quoque martyrum christianorum cineres dæmonibus oraculorum præsidibus imponere silentium, eosque fugare valebant. Exemplum hujus rei præclarum legitur apud Sozom. lib. 5 Hist. Eccl., cujus hæc verba sunt : « Antiochiæ in suburbano Daphne locus erat Apollini sacer, clarus oraculis, qui ab Apolline amari præsertim et coli credebatur : locus hic paganis venerabilis, magnoque in honore erat. Postquàm verò Gallus frater Juliani, Cæsar à Constantio nuncupatus, Antiochiæ sedem fixit, cùm esset Christianus, eosque qui Religionis causâ martyrium pertulerant, impensè veneraretur; cum locum superstitione gentilium et intemperantium hominum flagitiis purgare constituit. Id autem se facilè consecuturum arbitratus, si Ecclesiam illic ex adverso templi Apollinis construxisset, loculum Babylæ martyris, qui olim Ecclesiam Antiochenam summâ cum laude rexerat, et glorioso martyrio occubuerat, Daphnem transtulit. Ex eo tempore dæmon more solito oracula reddere desiit; et initio quidem credebatur ideò obmutuisse, quòd victimis et cultu illo careret, quo priùs observabatur; verùm ex iis quæ secuta sunt apparuit, martyrem, qui in proximo collocatus erat, obstitisse quominùs responsa redderet. Etenim cùm Julianus orbem Romanum solus administraret, quamvis libamenta et nidor et hostiarum copia dæmoni abundè suppeteret, nihilominùs conticuit, tandemque responso dato causam prioris silentii ipse reddidit. Nam cùm imperator de quibus ipsi visum erat negotiis oraculum illic consulere decrevisset, templum ingressus victimis ac donariis magnificis dæmonem veneratus est, oravitque ut de iis rebus quas in animo habebat responsum dare vellet. At dæmon non quidem apertè significavit oracula à se reddi non posse propter Babylam martyrem, cujus arca in proximo erat; sed locum cadaveribus refertum esse dixit, idque impedimento esse quominùs oracula ederet. Porrò cùm in Daphne multa essent sepulta cadavera, imperator tamen conjiciens solum martyrem oraculis obstare, arcam illius transferri jussit. » Ita Sozom. qui c. 20 narrat : « Translato quidem martyre, ignem non multò post in templum Apollinis ex improviso illapsum totam ædem absumpsisse (1). »

2° Rationes allatæ à Porphyrio et Plutarcho defectûs oraculorum planè sunt ridiculæ. Prima est malitia hominum, quæ divinam tandem coegit providentiam, ereptis humano generi oraculis quodammodò à communitate homi-

(1) Vid. præsertim præclaram de eodem facto D. Chrysostomi orationem, t. 1, Orat. de S. Babylâ, *in Gentiles.*

num recedere. Secunda est, rerum omnium, quas dii hominibus dederunt, conditio, quæ nihil sinit esse immortale et perpetuum. Tertia est, dæmonum sive geniorum, qui Deum inter et homines medii sunt, et per quos oracula reddebantur, mors vel fuga, vel discessio. Quarta denique ratio est, vaporum sive halituum è terrâ vel è fontibus, qui spiritus divinatores hominibus immittebant, extinctio ac dissipatio. Atqui hæ omnes rationes planè vanæ sunt et ridiculæ.

Primò non potest illa oraculorum defectio tribui malitiæ hominum : nam, ut argumentatur ipse Plutarchus in libro de oraculorum defectu, « quare jamdudùm ab edendis oraculis Apollo animum non avertit, cùm obscœnas et impias quæstiones passim homines proponerent, alii eum tanquàm sophistam tentantes, alii de thesauris, hæreditatibus, castisve nuptiis sciscitantes? Quasi verò non tum quoque inter homines mali bonos numero vincerent, cùm oracula in multis terræ partibus vocalia fuerunt. » Absurdè etiam diceretur conticuisse deos subiratos, quòd homines relicto veteri cultu Christi Religionem essent amplexi. Nam si dii indignantes, quòd Religio Christi tam latè propagaretur, pœnam repetere à mortalibus voluerunt, quare in solâ divinatione et in solis oraculis acceptæ injuriæ rationem habuêre : neque cætera ad vitam beatè ducendam necessaria etiam hominibus detraxerunt? Ita disputat ibidem modò laudatus Plutarchus, qui negat esse consentaneum providentiæ deorum, quæ veluti benevola mater omnia ad utilitatem nostram parat et conservat, in solâ divinatione rationem habere acceptarum injuriarum. Præterea imperiti et valdè stolidi dii fuêre, si oracula in vindictam propagatæ Religionis christianæ hominibus eripuerunt : etenim hâc ratione augebant Christi auctoritatem, quæ imminutâ per cessationem oraculorum deorum majestate, necessariò crescere debebat : oportebat ergo magis miracula vera Christi miraculis opponere et frequentibus oraculis suo honori consulere.

Secundò non minùs absurdum est dicere cum Juliano Apostatâ rerum et temporum conversionibus contigisse, ut oracula silerent : nam, ut ait S. Cyrillus adversùs eumdem disputans, non intelligitur quomodò res divinæ conversionibus obnoxiæ sint, nec qui Deus verus temporibus cedere cogatur, quasi verò angustior ejus cognitio rerum futurarum sit quàm antea fuit. Et verò vel oracula sine numine ac providentiâ deorum, vel eorumdem providentiâ edita sunt. Si primum, potuerunt quidem conversionibus temporum aboleri ; sed in istâ hypothesi nequaquàm ad Religionem pertinebant, nec testimonium divinæ providentiæ continebant, uti omnes contenderunt pagani, et inprimis Julianus imperator. Sin alterum, quomodò id temporum conversionibus cedere potuit, quod deorum vi et providentiâ contingebat? Quod verò spectat tertiam et quartam causam supra memoratam silentii oraculorum, nimiùm illæ absurdæ sunt, quàm ut ullam mereantur responsionem : nam si oracula olim edita sunt à geniis aliquibus mortalibus, vel si terrestribus aliquibus halitibus debebantur, planè nihil erat in oraculis divinum quo adeò superbirent pagani.

De fortunâ luctuosâ populi judaici.

Versabimur breviùs in hoc argumento, quia in superiori parte, ubi de interitu reipublicæ Judæorum et legis Mosaicæ perpetuâ abrogatione, plura hùc pertinentia jam præoccupavimus. Post demonstratam scilicet contra Judæos constitutionis Mosaicæ mutabilitatem ex variis vaticiniis, quæ ejus abrogationem clarè annuntiabant et ex ipsius legis naturâ, quæ æterna et universalis esse haudquaquàm potuit ; ostendimus legem illam reverà jam abrogatam esse, tum quia præteriit tempus, quo juxta prophetas aboleri debuit lex Mosaica; tum etiam quia multa sunt signa evidentissima rescissi fœderis Mosaici in præsenti conditione Judæorum. Demonstrabimus igitur solummodò in hoc loco vanissimas esse Judæorum defensiones, et illam, in quâ jam tamdiù fuerunt, calamitosam sortem nulli causæ nisi divinæ Christi virtuti tribui posse.

PROPOSITIO.

Miserabilis Judæorum conditio nulli causæ nisi divinæ Christi virtuti tribui potest.

PROBATIO. — I. Multa directè demonstrant nullam aliam esse hujus infortunii causam; II. vanissimæ sunt Judæorum defensiones. — 1° Multa directè probant calamitatis judaicæ nullam esse aliam causam, præter Christi, ulciscentis mortem suam, virtutem. Id constat 1° ex vaticiniis V. T. quàmplurimis, præsertim verò ex celebri vaticinio Danielis, quod incipit his verbis : « Septuaginta hebdomades abbreviatæ « sunt, » etc. : in quo hæc verba valdè clara habemus : « Occidetur Christus, et non erit « ejus populus, qui eum negaturus est, et civi-

« tatem et sanctuarium dissipabit populus « cum duce venturo, et finis ejus vastitas, et « post finem belli statuta desolatio. » 2° Quia, ut supra ostendimus, Christus Dominus admonuit discipulos suos imminentis calamitatis, et omnes ejus circumstantias clarissimè prænuntiavit; declaravitque illos dies esse dies iræ, et venturum super eos omnem sanguinem justum, quem ipsi et patres eorum fudissent. 3° Quia hæc Judæorum calamitas immediatè subsecuta est eorumdem in Christum sævitiam et istam vocem populi : *Sanguis ejus super nos et super filios nostros.* 4° Quia tam diuturna et tam acerba calamitas demonstrat clarè abolitum esse fœdus Mosaicum, et percussam esse terram Judæ anathemate, sicut prænuntiavit Malachias (1).

II. Dico vanissimas esse Judæorum defensiones : nam 1° negant se puniri ob rejectum Messiam, quia etiamsi istius erroris rei fuerint eorum patres, id fecerunt non ex odio et malitiâ, sed ex ignorantiâ invincibili, uti fatebatur Christus in cruce, dicens : *Pater, ignosce illis; nesciunt enim quid faciunt.* Neque consentire videtur cum divinâ clementiâ aut justitiâ, tam severè ulcisci peccatum admissum ex ignorantiâ invincibili. 2° Negant esse consentaneum divinæ justitiæ universam gentem punire per tot secula ob crimen quorumdam olim magistratuum, vel etiam ob crimen totius istius generationis quæ Christi mortem efflagitaverat; proindeque aliam causam quærendam esse omnibus seculis communem. 3° Negant ob hanc etiam causam adscribi posse calamitatem suam iracundiæ Christi, quia si propter rejectum Christum punirentur, mala eadem experiri deberent omnes qui christianum nomen detestantur : ubi enim communia sunt delicta, pœnæ etiam communes esse debent. 4° Si infideles in Christum Judæi in varias gentes propter infidelitatem dispersi sunt, et variis affecti malis, è contrario christiana regna florere semper et bonis omnibus affluere deberent : non ita tamen contingere deprehendimus. 5° Si rejectio Messiæ causa extitisset infortunii judaici, Judæi ad Religionem christianam aliquando conversi, patriæ suæ iterùm reddi deberent : nam cessante causâ, cessare debent et effectus. Atqui tamen contrarium asseritur in Evangelio, ubi sempiterna prænuntiatur Jerosolymorum eversio. 6° Si Judæi propter rejectum Messiam captivitatis tædium et ærumnas experirentur, qui relicto Moyse christianam Religionem amplectuntur, non ampliùs esse deberent miseri et captivi; et ex aliâ parte, qui à judaicâ Religione deflectentes aliam amplectuntur abhorrentem à christianâ, esse semper deberent miseri; eos siquidem tamdiù Christi vindicta insequeretur, quamdiù ipsum non agnoscerent. Atqui tamen utrumque falsum est : Judæi enim, qui apud Græcos Christiani fiunt, manent miseri et captivi; qui verò divinam Moysis legem deserentes mahumetanam superstitionem amplectuntur, felices et nonnunquàm principes evadunt. 7° Decem tribus, quæ regnum Israel componebant, ab Assyriorum tempore ad hunc usque diem captivæ sunt, et extorres à patriâ. Atqui dici non potest has decem tribus propter rejectum Messiam captivas esse et ærumnis damnatas. 8° Denique benè potest judaica calamitas adscribi istius populi criminibus, quæ non sinunt Deum iracunda ponere fulmina. Ita disputat Judæus Orobio apud Limborchum. Atqui vanissimæ sunt omnes istæ rationes.

Primò, nullo modo est contrarium divinæ justitiæ populum Judaicum in omnes gentes dispergere ob nefandum crimen, quod admiserunt cruci affigendo Messiam, regem suum. Nam hæ erant fœderis Mosaici conditiones, ut tamdiù felices essent Judæi, quamdiù Deo ejusque Prophetis obedientiam præstarent; tamdiù etiam infelices et dispersi, quamdiù Deo et ejus legatis morem gerere recusarent : atque idcircò quoties in idololatriam olim prolapsi sunt, et Dei Prophetas violârunt, toties hostile ferrum senserunt : urbs ipsa cum templo funditùs semel est eversa, et populus 70 annorum captivitatem expertus est. Stat igitur suis promissis Deus, dùm Judæos rebelles voci, non prophetæ alicujus, sed ipsius Messiæ, et ausos summum in Filium Dei scelus, ærumnis conficit, donec *convertantur, et quærant Deum et David regem suum,* juxta vaticinium Oseæ. Falsò certè asseritur Judæorum ignorantiam invincibilem fuisse, neque hoc affirmavit Christus Dominus, imò maxima est admirandi causa, quomodò Christum tot legationis suæ signa ferentem rejicere potuerunt, ut satis liquet ex illis quæ hactenùs à nobis disputata sunt.

Vana est etiam secunda ratio : quia falsum est crimen illud deicidii et læsæ majestatis in [illegible] Messiam privatorum quorumdam fuisse. Fuit crimen supremi senatûs Judæorum, qui in judicio suo totum repræsen-

(1) « Redde Judææ statum, quem inveniat Christus, et aliam contende venire. » Tertull. contra Judæos.

tabat populum. Deinde populus Judaicus judicium illud approbavit, ejus mortem poposcerunt non tantùm incolæ Jerusalem, sed infinita multitudo quæ ex omnibus civitatibus ac regionibus ad pascha celebrandum in urbem confluxerant. Post resurrectionem verò Christi Apostoli missi sunt ad omnes Judæos in quascumque gentes dispersas, ipsisque Evangelium prædicârunt ante destructionem templi et urbis, atque ab ipsis Evangelium rejectum est. Denique patrum suorum facinus approbârunt ab istâ ætate omnes filii et seri nepotes. Fuit ergo istud crimen non privatorum aliquorum, sed reverà totius gentis; multò magis quàm crimen illud idololatriæ, propter quod tam graves pœnas olim luit gens Judaica in captivitate Babylonicâ.

Vana est etiam tertia ratio, quia longè diversa est conditio populi Judaici et aliorum populorum. Judæis promiserat Deus à temporibus Abrahæ gentis suæ æternitatem, quam promissionem sæpiùs renovavit, ut per Jeremiam prophetam istis verbis : « Noli timere, « serve meus Jacob, quia tecum ego sum; « quia ego consumam cunctas gentes, ad quas « ejeci te; te verò non consumam, sed casti- « gabo te in judicio, nec quasi innocenti par- « cam tibi. » Cum eodem populo Judaico tempore Moysis fœdus sanxerat, quo caput politicum et rex gentis constitutus est, quo etiam Judæi omnibus malis sese devoverunt, si unquàm Dei imperio rebelles essent. At cæteris populis, nec æternitatem pollicitus est Deus, nec eos speciali pacto in subditos unquàm accepit. Extraordinariâ ergo providentiâ regere alios populos Deus non tenetur, nec eorum incolumitati consulere, nec pro meritis semper temporalia præmia vel temporales pœnas infligere; sed populum Judaicum, si suis stare velit promissis, extraordinariâ providentiâ regere, eosdem obedientes legibus suis tueri, inobedientes verò punire, omninò tenetur.

Vana quoque est quarta ratio; nam quamvis Deus æquabili providentiâ regere Judæos teneatur, et tribuere pro meritis bona vel mala temporalia, non eamdem propterea æquabilem providentiam in rebus temporalibus erga Christianos servare debet : quia fœdus Christianum in hoc differt à fœdere Mosaico, quòd illud in spiritualibus bonis omninò positum sit, hoc verò temporalibus præmiis etiam sanctum fuerit. Dicebat Moyses : Hæc faciens homo vivet in illis : Christus verò docuit oportere nos per multas tribulationes intrare in regnum Dei, et non esse condignas passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis » : imò verò Christianis gloriandum esse in tribulationibus, quæ sub V. T. erant opprobrium Israel, et plerùmque certissimum signum divinæ iracundiæ.

Et idcircò vana est quinta ratio : licet enim Messiæ rejectio sit causa præsentis miserrimæ conditionis et manifestum divinæ iræ indicium, non sequitur tamen privatos inter Judæos, cùm convertunt se ad Religionem Christi, debere statim in Judæam reverti. Nam hi conversi ad fidem Christi separant se à gente suâ, et cum cæteris gentibus eadem bona dividunt : pertinent ad pactum novum spiritale, potius quàm ad illud fœdus Mosaicum temporale et terrenum.

Ut manifesta sit vanitas sextæ rationis, observandum est Judæos duplici modo spectari posse, nimirùm vel collectivè, quatenùs constituunt populum quemdam ab aliis populis, religione, legibus et institutis distinctum; vel distributivè. Jam verò videmus quòd dùm staret respublica Judaica, Deus rebus communibus totius gentis semper ratione speciali invigilaverit, et ob communia peccata, communes pœnas irrogaverit : sed non fuerit adeò conspicua divina providentia in procurandis rebus privatorum, ob multiplicem causam supra expositam. Nam in civitate illâ multi semper extitêre pii ac boni viri qui communis calamitatis participes erant; et multi etiam Judæi inter gentes constituti, relictâ patriâ religione, feliciter ævum duxerunt. Dùm igitur Deus hodiè patitur, ut Judæi cum populo, cui se adjungunt, parem sortem in hoc mundo experiantur, et tamen gentem ipsam persequitur, eamdem servat, ac antea, providentiæ rationem.

Non minùs ridicula est septima ratio : nam ex eo quòd ab Assyriis in captivitatem ducti fuerint Israelitæ, nullo modo sequitur Judæos non experiri captivitatis tædium propter rejectum Messiam. Verùm falsum est decem tribus, quæ constituebant regnum Israel, ab Assyriorum temporibus ad hanc nostram ætatem captivas esse : nam ex illis decem tribubus, quamplurimi in Judæam post captivitatem Babylonicam rediêre, et cum Judæis conjuncti manserunt usque ad excidium urbis sub Tito : qui verò in Mediâ et aliis Assyriorum regionibus remanere maluerunt, miscuerunt cum gentibus connubia, et relictâ patriâ religione cum iisdem eumdem populum conflaverunt. Liberi igitur haud

minùs ac Judæi censeri debent Israelitæ usque ad excidium totius gentis, et liberè etiam sicut cæteri Messiam rejecêre; cum Judæis igitur eamdem sortem meritò experiuntur.

Denique nullo modo adscribi potest tam diuturnum Judæorum infortunium aliis criminibus, quàm Messiæ rejectioni : inveniendum est crimen aliquod idololatriâ majus, et commune toti genti. Nam propter idololatriam et usurpationem omnium rituum impurissimorum ad septuaginta solummodò annorum captivitatem damnatus populus fuit : et illo jam spatio temporis habuit suos principes atque judices, qui jus dividebant juxta legem Moysis; habuit etiam Prophetas multos, qui annuntiando proximum captivitatis finem, spem et solamen captivis afferebant : hæc verò præsens captivitas jam 1700 annis duravit, id est, diutiùs quàm stetit olim respublica : siquidem à Moyse ad captivitatem hanc numerantur circiter 1500 anni. Nullos habent jam principes, nullos judices, sed omnibus hominibus invisi vivunt sub alieno imperio, et parent regibus nomini suo infestis. Nullos habent Prophetas, qui eos divinis recreent promissionibus : imò verò spes omnes suas vanas et cassas experiuntur, suis conatibus incœptis constantissimè obstare numen. Si ergo delictum est ex pœnâ metiendum, uti reverà metiendum est in judaicâ civitate, quam regebat Deus æquabili providentiâ temporali, longè fuit scelus illud, ob quod nunc puniuntur, gravius idololatriâ, et illis quibus sese polluerunt criminibus sub Manasse et aliis impiis olim regibus : et quoniam nullum aliud peccatum majus admissum est, si neges rejectum ab eis Messiam; ergo necesse est ab iis rejectum esse Messiam, et ob illud crimen puniri (1).

Objicies 1° : In rejectionem Messiæ non est necessariò refundenda præsens Judæorum calamitas, si possit adscribi quamplurimis aliis causis : atqui, etc. Nam 1° adscribi potest idololatriæ, à quâ non videntur immunes fuisse post captivitatem Babylonicam. 2° Adscribi potest multis quibus olim sese polluerunt Judæi criminibus et quotidiè se polluunt; homicidiis, adulteriis, proditionibus, perjuriis : hæc certè scelera graviora esse possunt quàm ipsa idololatria, quia ex majori malitiâ, cordisque pravitate quamplurimùm oriuntur, quàm idololatria, in quam plebs Judaica adeò propensa fuisse videtur ex levitate et studio imitandi consuetudines florentissimorum imperiorum: Si igitur Deus plectere olim Judæos 70 annorum captivitate potuit ob crimen idololatriæ, nullius habere admirationem debet, quòd per 1700 annos, populum suum castiget ob ista graviora crimina, quibus tota gens, tempore Titi, valdè addicta fuit. 3° Si hæc crimina, quæ Judæi admittebant paulò ante excidium, et quotidiè etiam admittunt, non videantur sufficere, licet adjungere ad cumulum perficiendum peccata parentum suorum ab ipsâ gentis origine. Consuevit enim Deus in istâ republicâ ulcisci in filios delicta parentum, uti comminatus fuerat Moyses, ubi filii peccata sua et parentum pœnitentiâ non redimebant.

Respondeo, nego minorem; et 1° quidem nullo modo potest præsens Judæorum captivitas adscribi eorumdem idololatriæ tempore Titi et Vespasiani : nam ex quo à captivitate Babylonicâ redux in patriam populus fuit, abhorruit semper ab idolorum cultu, et extrema maluit pati quàm patria instituta deserere. Cùm impius rex Antiochus mutare illius gentis consuetudines decrevisset, ac opibus, potentiâque suâ abuteretur ad promovendum impium consilium, sensit inflexibilem atque invictam populi constantiam, quam nulla potuerunt flectere tormenta, nullæ mollire blanditiæ : idem expertus est, ejusque postea successores, cum suo ingenti damno, ducentibus Judæorum copias Machabæis, cum quanto zelo patriæ legi adhærerent. Ejusdem constantiæ post illa tempora non minora dedêre indicia : videre licet apud Josephum l. 2 de B. J. c. 14, quam ægrè tulerit universa gens Romanas aquilas templi porticibus appensas ab Herode, cum quantâ pertinaciâ obstiterint Pilato vexilla militaria cum imagine Tiberii in urbem introducenti; et postea Petronio statuam Caligulæ in templo collocare meditanti. Sed præterea, etiamsi idololatræ tunc temporis fuissent Judæi, illi crimini tam diuturna calamitas adscribi non posset, propter rationes jam allatas et modò afferendas.

2° Non potest eadem calamitas adscribi aliis criminibus enumeratis in objectione. Nam quæcumque sit illorum criminum gravitas, si in

(1) Istud argumentum contra Judæos tantam mutuat vim ex miraculo planè insigni quo Julianus imperator templum Jerosolymitanum instaurare in odium Christi volens, ab incœpto desistere fuit coactus, ut ultius facti uberiorem expositionem afferemus, quamvis de eodem jam aliquid supra, de abrogatione legis Mosaicæ auctor delibaverit. — Vide ad calcem hujus vol. § 3. P.-S.

se spectentur, certum est propter singularem constitutionem reipublicæ judaicæ, in quâ Deus princeps et caput politicum gentis fuit, summum crimen fuisse idololatriam, quia erat crimen læsæ majestatis, et dissolvebat rempublicam, in quâ politia et religio indissolubili nexu erant conjunctæ; ideòque in lege Moysis actiones levissimæ quæ fiebant, ut loquitur Moyses, *manu elatâ*, id est, cum contemptu majestatis divinæ, ultimo supplicio puniebantur; v. g., si quis colligeret ligna die sabbati ex contemptu legis, vel negligeret aliquod præceptum rituale, morte plectebatur, dùm graviora scelera contra legem naturalem minùs severis legibus coercerentur. Necesse est igitur ut crimen ob quod hodiè puniuntur Judæi, fuerit, habitâ ratione constitutionis reipublicæ, gravius ipsâ idololatriâ, quod fuerit crimen *læsæ majestatis divinæ*, quod naturâ suâ rempublicam dissolverit. Jam verò illud crimen aliud esse non potuit, quàm violatio Messiæ Filii Dei, regis Judæorum.

3° Non potest eadem calamitas adscribi peccatis majorum suorum; vanum est istud effugium. Deus quidem comminatus est se idololatriam puniturum usque ad tertiam et quartam generationem: et reverà sæpiùs punivit. Sed crimina parentum in filios per 1700 annos visitaturum se nunquàm minatus est, nec reverà in pacto veteri ita crimina majorum persequi potuit in filios etiam nocentes, quia nisi breves inflixisset populo suo pœnas, finem suum nunquàm obtinuisset. Siquidem fuit Dei consilium in promulgandâ lege Mosaicâ, ut apud gentem saltem unam vigeret suî cognitio et pura Religio, et esset illa gens *in laudem et gloriam nominis sui*. Jam verò manifestum est Deum, cùm hunc sibi finem proponeret, nullo modo potuisse dissolvere rempublicam per annos 1700. Præterea si per tam longum tempus puniret peccata parentum in filios, vanæ et illusoriæ essent illæ toties repetitæ promissiones, quibus pollicitus est se non ampliùs recordaturum scelerum pristinorum, statim atque essent obedientes ejus præceptis: « Repentè loquar adversùs gentem, ait Deus, « apud Jerem. c. 18, et adversùs regnum, ut « destruam et disperdam illud; si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, agam et « ego pœnitentiam super malo quod cogitavi « ut facerem ei. »

Obj. 2°: Illi causæ adscribenda est hæc præsens calamitas, quam Scripturæ V. T. designant. Atqui Scripturæ V. T. non rejectioni Messiæ, sed idololatriæ et contemptui legis Mosaicæ præsentem calamitatem adscribunt. Moyses enim in Lev. c. 26, et in ultimis Deut. capitibus de præsenti captivitate vaticinatur, illius omnes describit circumstantias, quasi testis esset oculatus. 1° Ait Deut. c. 2, 49: « Adducet Dominus super te gentem de longinquo « et de extremis terræ finibus, in similitudinem aquilæ volantis cum impetu, cujus linguam intelligere non possis. » Quæ verba optimè designant Romanos, qui erant à Judæâ maximè remoti. 2° Declarat v. 64, non solùm adducendos esse Judæos in captivitatem, sed « dispergendos esse in omnes populos, à summitate terræ usque ad terminos ejus. » Quæ verba nulli captivitati nisi præsenti conveniunt. 3° Pronuntiat v. 68 deducendos esse Judæos in Ægyptum: « Reducet te Dominus « classibus in Ægyptum. » Id nequaquàm contigit Israeli in captivitate Assyriorum, nec Judæ in captivitate Babylonicâ; sed tantummodò post excidium sub Tito. 4° Scribit Moyses congregandos esse ex omnibus populis, inter quos dispersi fuerunt, Judæos, et in terram suam reduces multò magis multiplicandos, quàm antea fuerant: « Reducet Dominus Deus tuus « captivitatem tuam, et miserebitur tuî, et « rursùs congregabit te de cunctis populis, « inter quos te antea dispersit. Si ad cardines « cœli fueris dissipatus, inde te retrahet Dominus Deus tuus, et assumet atque introducet in terram, quam possederant patres « tui, et obtinebis eam, » etc. Hæc profectò hactenùs non fuerunt adimpleta, sicut nec hæc alia verba: « Circumcidet Dominus Deus tuus « cor tuum et cor seminis tui, ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo et in « totâ animâ tuâ: tu autem revertens exaudies vocem Domini Dei tui, faciesque universa mandata ejus quæ ego præcepi hodiè « tibi. » Tota igitur prophetia illa intelligenda est de præsenti captivitate. Atqui tamen Moyses declarat nullam aliam esse hujus captivitatis causam nisi idololatriam et contemptum legis à se traditæ. Deut. 29, 24, hæc legimus clarissima verba: « Et dicent omnes gentes: « Quare sic fecit Dominus terræ huic? Quæ « est hæc ira furoris ejus immensa? Et respondebunt: Quia reliquerunt pactum Domini, quod pepigit cum patribus eorum, « cùm deduxit eos de terrâ Ægypti, et servierunt diis alienis, et adoraverunt eos; et « iratus est furor Domini contra terram « istam. » Ex eodem fonte, nempe idololatriâ,

derivandam præsentem Judæorum calamitatem declaratur etiam capite præcedenti, et in subsequentibus: « Ipsi me provocaverunt, ait « Deus c. 32, in eo qui non erat Deus, et irritaverunt in vanitatibus suis (en proprium « et unicum crimen), et ego provocabo eos in « eo qui non est populus. » En pœna. Ergo præsens captivitas non rejectioni Messiæ, sed idololatriæ tribuenda est.

Resp. nego min. Nam è contrario Scripturæ hujus calamitatis, quæ sæpiùs prædicta est, causam nullam aliam designant præter rejectionem Messiæ. Certè valdè evidens est supra laudatum Danielis vaticinium: non minùs clara est prophetia Oseæ supra etiam citata, quibus addi possunt hæc Isaiæ verba: « Quis credidit « auditui nostro, aut brachium Domini cui re« velatum est? » etc. Idem alio in loco de Messiâ verba faciens ait: « Abscondit faciem suam « à domo Jacob: » et aliàs: « Erit in lapidem « offensionis duabus domibus Israel. » Ad confirmationem autem resp. nego maj. Nam 1° illæ comminationes factæ à Moyse in fine Deut. non absolutè de aliquâ speciali captivitate, sed conditionatè sumi possunt; hincque pleraque quæ Moyses enuntiat, cuicumque captivitati conveniunt, quia generalia sunt.

2° Multa vetant ne verba Moysis speciatim intelligamus de præsenti captivitate. Captivitatis enim illius, de quâ loquitur Moyses, causa futura erat idololatria: jam verò certissimum est præsentis captivitatis causam idololatriam non esse. In eâdem suâ prophetiâ Moyses scribit regem Judæorum abducendum esse in captivitatem: « Ducet te Dominus et regem « tuum, quem constitueris super te, in gentem « quam ignoras tu et patres tui; » sed tempore Titi nullum habebant regem, qui captivus ductus est à Romanis.

Si reverà intelligenda sint verba Moysis de speciali aliquâ captivitate, optimè conveniunt captivitati Babylonicæ, quia tunc reverà regem habuerunt et propter idololatriam pœnas luerunt. Neque ea quæ observata sunt in objectione, contrarium efficiunt: nam 1° per gentem illam ignotam venientem in similitudinem aquilæ volantis cum impetu, quam ignorabant Judæi et patres eorum, et cujus linguam nesciebant, non necessariò intelligendi sunt Romani; sed optimè intelligi possunt Chaldæi et Babylonii, qui istis characteribus sæpiùs denotantur apud Prophetas. Jerem. enim c. 5, v. 15, sic eosdem describit: « Ecce ego adducam super « vos gentem de longinquo, domus Israel... « gentem antiquam, gentem cujus ignorabis « linguam, nec intelliges quid loquatur: » quæ verba de Romanis certè intelligi non possunt, qui tunc temporis in cunabulis erant. Eadem gens Chaldæorum denotatur apud Ezech. c. 17, et Dan. c. 7, sub symbolo aquilæ; et Jerem. c. 9 et 16, Chaldæi nominatim vocantur gens quam non noverunt Judæi neque patres eorum. 2° Optimè intelligi etiam possunt verba Moysis de Judæorum dispersione *usque ad terminos terræ,* de captivitate Assyriorum et Babylonicâ, in quâ toto Oriente per Babyloniam, Persidem, Mediam, disjecti sunt: vide l. 4 Reg. c. 25; 2 Paral. 36, quia ita illa intellexit Nehemias, ut patet ex his verbis illius ducis Judæorum petentis à Deo populi reditum: « Memento verbi « quod mandâsti Moysi servo tuo, dicens: « Cùm transgressi fueritis, ego dispergam vos « in populos, et si revertamini ad me... etiamsi « abducti fueritis ad extrema cœli, inde con« gregabo vos. » Completa etiam verba Moysis existimavit Jeremias, quia iisdem verbis describit captivitatem Babylonicam: « Migravit « Judas propter afflictionem et multitudinem « servitutis; habitavit inter gentes, nec invenit « requiem. » Daniel quoque maledicta à Moyse pronuntiata tunc completa fuisse putavit, ut patet ex oratione illâ quam c. 9 legimus: « Tibi, Domine, justitia, ait, nobis autem con« fusio faciei... Stillavit super nos maledictio « et detestatio quæ scripta est in libro Moysis « servi Dei, quia peccavimus ei: et statuit ser« mones suos, quos locutus est, super nos et « super principes nostros, ut superinduceret « in nos magnum malum, quale nunquàm fuit « sub omni cœlo. » Quæ verba nullo indigent commentario. Verba etiam ista Moysis quæ sequuntur, *et ibi servies diis alienis,* conveniunt captivitati Babylonicæ, et falsò asserit Judæus Orobio Israel in captivitate illâ idololatriæ crimen non admisisse. Clara quippe sunt hæc verba Jerem. c. 16, ubi propheta loquens de proximâ captivitate Babylonicâ habet: *Servietis ibi diis alienis, die ac nocte.* Imò universus populus coactus fuit edicto Nabuchodonosor erectam ab ipso statuam adorare, et tres tantùm Danielis socii præceptum illud contempsisse leguntur; quod indicio est maximam Judæorum partem fornacis ardentis metu genua coram idolo flexisse; constat quoque magnam Judæorum multitudinem relictâ patriâ religione inter Babylonios mansisse post liberationem.

3° Etsi tempore illius excidii sub Nabucho-

donosor non fuerit deducta populi maxima pars in Ægyptum, sed in Babylonem, tamen certum est multos ex iis qui cum Jeremiâ in terrâ Juda manserant, interfecto Godoliâ, quem ipsis præfecerat Nabuchodonosor, in Ægyptum fugisse, iram regis reformidantes, ut expressè refertur l. 4 Reg. c. 25 : « Consurgens omnis populus, « ait historicus sacer, à parvo usque ad magnum « et principes militum, venerunt in Ægyptum « timentes Chaldæos. » Post captivitatem Babylonicam, valdè frequentes in Ægypto Judæos fuisse ex historiâ illorum temporum constat. In Vespasiani ac Titi captivitate id contigisse nequaquàm certum est. Josephus etenim, qui istius excidii circumstantias omnes minutè refert, prorsùs silet de prætensâ eorum in Ægyptum deportatione.

4° Promissiones de Judæis in patriam reducendis, iisdemque majoribus quàm antea beneficiis cumulandis, quæ leguntur initio capitis 30 Deut., intelliguntur à Nehemiâ de reditu à captivitate Babylonicâ ; quo tempore reverà partim adimpleta sunt, quæ de incremento gentis et cordis circumcisione vaticinatur Moyses. Populus etenim in majorem excrevit numerum redux in patriam, et legis tenacior factus abhorruit semper ab idololatriâ et impurìs cultibus in quos antea adeò fuerat proclivis. Sed profectò istæ promissiones à Moyse factæ non tam absoluta sunt vaticinia, quàm conditionatæ stipulationes ; non continent prædictionem ejus quod præcisè futurum sit : quòd nempe post captivitatem Judæi ex toto corde sint ad Deum se conversuri, et quòd Deus ipsos ex omnibus mundi partibus reducturus esset in terram Chanaan : sed continent promissionem cum appositâ conditione, quòd nempe si se converterent ex toto corde ad Deum, esset reducturus eos in terram, etiamsi ad cardines cœli fuissent dispersi.

De ultione Christi Domini in imperium Romanum et Cæsares Ecclesiæ suæ persecutores.

Christus Dominus dùm in terris fuit, ad exemplum nostrum vitam mansuetudine et patientiâ conspicuam egit : ita prædixerant Prophetæ, quorum communis hæc erat vox : *Non erit tristis neque turbulentus, nec audietur vox ejus foràs ; calamum quassatum non conteret, et linum fumigans non extinguet.* Sed juxta eosdem prophetas post istam vitam pacatissimam, et mortem tanquàm ovis libenter susceptam, accipere imperium debebat, dividere spolia fortium, regere inimicos in virgâ ferreâ, et tanquàm vas figuli conterere eos. Quæ vaticinia in Christo partim completa jam vidimus in defectione oraculorum ac fugâ dæmonum et severissimâ Dei in miserrimos Judæos animadversione. Eadem Christi virtus non minùs conspicua est in sorte imperii Romani, et mortibus imperatorum, quorum sævitiam terribiliter ultus est.

PROPOSITIO.

Divina Christi virtus clarissimè enituit in fortunâ imperii Romani et Cæsarum, qui ejus Ecclesiam persecuti sunt.

PROBATIO. — Nam 1° in immaturis et infaustis mortibus Cæsarum Romanorum, qui persecuti sunt Ecclesiam Dei, et in fatis interituque imperii Romani divinæ ultionis notæ omnes sunt ; 2° certum est ex vaticiniis Danielis, et B. Joannis in Apoc., illam ultionem exercitam esse à Christo propter Romanorum idololatriam, et in persequendâ Ecclesiâ crudelitatem.

I. Evidens est divina ultio in infaustis mortibus Cæsarum Romanorum, et in fortunâ imperii. Hoc patebit ex simplici descriptione rerum gestarum, quam verbis præcipuè Lactantii seu auctoris libri de Mortibus persecutorum dabimus. Persecutores omnium crudelissimi fuêre Nero, Domitianus, Decius, Valerianus, Aurelianus, Diocletianus, Maximianus, Galerius, Maximianus Herculius, Maximinus, Maxentius, Severus, Licinius et Julianus : Ecclesiæ verò partes primi tuiti sunt, Constantius Chlorus et filius Constantinus. Atqui illorum omnium infelix et infaustus exitus fuit, hi verò in vitâ et in morte divinæ benevolentiæ plurima experti sunt argumenta. Nero enim, persecutionum quasi dedicator, nudus et profugus, siti et fame ferè enectus, hostis patriæ à senatu judicatus, et ad mortem conquisitus ut more majorum puniretur, omnibus destitutus defecit, extantibus rigentibusque ad horrorem formidinemque visentium oculis : et juxta Lactantium nusquàm sepulturæ locus in terrâ tam malæ bestiæ apparebat (1)... Domitianus domi interfectus est, et gravissimo decreto ignominiæ sempiternæ notam etiam mortuus incurrit. Nam cùm multa mirabilia opera fabricâsset, cùm Capitolium, aliaque nobilia monumenta fecisset, senatus ejus nomen ita persecutus est, ut neque titulorum ejus reliqueret ulla vestigia... Decius vix contra Chri-

(1) Contrarium testantur Suetonius l. 6, c. 50, et Plutarchus in Vitâ Galbæ.

stum furere cœpit, cùm protinùs cecidit cum magnâ exercitûs parte circumventus à Carpis, qui tum Daciam Mœsiamque occupaverunt, nec sepulturâ quidem potuit honorari, sed exutus ac nudus pabulum feris volucribus jacuit... Valerianus, magnus aliunde imperator, ex quo cœpit Ecclesiam persequi, imperatorum fuit infelicissimus. Nam à Parthis captus unà cum imperio, quo insolenter fuerat usus, libertatem, quam cæteris ademerat, ipse perdidit, vixitque in servitute turpissimè : rex quippe Persarum Sapores, qui eum ceperat, si quando libuerit aut vehiculum aut equum ascendere, inclinare sibi Romanum jubebat ac terga præbere. Mortuus perinde ac vivus victori fuit ludibrio. Etenim postquàm pudendam vitam in illo dedecore finivit, direpta est ei cutis et exuta visceribus pellis, infecta rubro colore, ut in templo barbarorum deorum ad memoriam clarissimi triumphi poneretur, legatisque Romanis semper esset ostentui.... Aurelianus inter initia furoris sui extinctus est : nondùm ad provincias ulteriores cruenta ejus scripta pervenerant, cùm apud Cœnophrurium (qui locus est Thraciæ) ipse cruentus jacuit, ab amicis interemptus... Severus venis incisis mori coactus est... Diocletianum deseruit felicitas statim atque edicto persecutionis consensit : gemitus, suspiria, crebræ lacrymæ, jugis volutatio corporis, nunc lecto, nunc humi, æstuante vi doloris animâ, insomnia, et alternis horis insania illum ægritudine tabescentem, fame atque angore dejectum, injuriis proculcatum, è vivis sustulerunt... Maximianus Herculius eliso et fracto gutture vitam detestabilem turpi et ignominiosâ morte Massiliæ finivit.... Galerius Maximianus insanabili plagâ percussus, vermibus undequàque scaturientibus, vivus depastus, visceribusque computrescentibus, tandem malis domitus, Deum coactus est confiteri : doloribus ejus per intervalla crescentibus, sanguinis martyrum veniam deprecatur; clamat se templum Dei restituturum, et pro sceleribus satisfacturum; etiam deficiens edictum dedit in Christianorum gratiam... Maximinus christianum nomen delere Jovi voverat ; at fusus à militibus christianis, post turpem fugam, hausto veneno, viru præcordia ejus urente, intolerabili dolore usque ad rabiem mentis elatus haustam manibus terram esuriens devorat; deinde post multos gravesque cruciatus, cùm caput suum parietibus infligeret, exilierunt de capite ejus oculi ; et amisso visu, Deum videre cœpit de se judicantem : clamabat ergo sicut ii qui torqueri solent, et non se, sed alios fecisse dictitans : tum quasi tormentis adactus fatebatur Christum, subinde deprecans et plorans ut suî misereretur. Sic inter gemitus, quos tanquàm cremaretur reddebat, nocentem spiritum detestabili mortis genere efflavit.... Maxentius Tiberi submersus est... Licinius à Constantino interfectus... Denique Julianus Apostata diis suis Christianorum sanguinem voverat, si è Persis victor rediret : diem, ut alter Aman indixerat, quo christianum nomen aboleret, Jerosolymis amphitheatrum construi jusserat, ut episcopi, monachi, et omnes illarum regionum fideles bestiis exponerentur : at in infelici suâ contra Persas expeditione, incertâ manu plagâ lethali percussus se victum agnovit et in hæc impia verba erumpens : *Vicisti, Galilæe,* miserè periit. Hi exitus Cæsarum Romanorum, qui Ecclesiam persecuti sunt, fuêre, in quorum infortuniis cæcus sit qui non agnoscat ultricem Dei manum : è contrario Constantium Chlorum et Constantinum, qui primi Ecclesiæ partes tuiti sunt, nunquàm deseruit felicitas. Constantinum verò adhuc juvenem speciali providentiâ texit Deus ab imperatorum aliorum adversùs eum conjuratorum insidiis, et ita favore ad mortem prosecutus est, ut gloriâ vicerit quoscumque ipsum præcesserant imperatores, et cognomento Magnus dici meruerit.

Si ad imperii fata oculos convertamus, non minùs evidentem divinam vindictam deprehendemus : statim à morte Christi undique erumpentes Barbari imperium, cùm maximè floreret, devastare cœperunt, cæsæ sunt passim copiæ, deleti exercitus, contemptus populus orbis antea domitor, inglorii Cæsares, Augustorum depressa dignitas, ipsa urbs mundi regina centum annorum intervallo quinquies capta et direpta est, ita ut omnia loca nobilibus viduis domo pulsis complerentur et omnes regiones Romanorum illorum, qui se regibus æquaverant, gemitibus resonarent. Ergo 1° in luctuosa sorte imperii Romani, et in mortibus persecutorum evidens fuit divina ultio.

II. Non minùs certum est ex vaticiniis Danielis et B. Joannis in Apoc. illas omnes calamitates Romanos eorumque Cæsares attigisse propter idololatriam et summam in Christianos sævitiam, pœnas repetente Christo, de quâ re vide Commentaria Bossuetii in Apocalypsim.

De Ecclesiæ Christi stabilitate.

Ut inter omnes Christi voces factas ad duodecim homines plebeios et idiotas, nullæ magis habere debent admirationem nostram, quàm hæ factæ ad Petrum : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam :* sic nullum luculentum magis argumentum divinæ Christi virtutis est ipsâ successionis ecclesiasticæ stabilitate et fidei perpetuitate. In superioribus Christi verbis est significatio auctoritatis, et securitas quæ clarissimè prodit supremam loquentis potestatem : est in eorumdem completione evidentissima dexteræ Dei manifestatio.

Hoc satis intelliget quicumque in conspectu suo ponere velit humanarum omnium rerum vicissitudinem; qui consideraverit, ut ex levissimis causis maximæ fiant conversiones, quàm facilè ad extrema quæque abripi se patiantur homines; quàm fluxa et volubilia sint, quæ ab eorum commutabilibus pendent voluntatibus. Cùm humana omnia temporis motui obsequi, ejusque cursu deferri cernet, facilè perspiciet divinum esse illud institutum, cœlestique vi sustineri, quod inter res torrentis instar profluentes, solum permanet immotum.

Si diligentiùs Ecclesiæ historiam quis expenderit, et perviderit quòd variis semper fuerit jactata tempestatibus, nunc ab externis violenter impugnata hostibus, nunc intestinis graviter commota dissidiis, quandoque ignorantiâ et morum depravatione quasi lue multùm tabefacta in discrimen venerit; si idem diligenter inquisierit quibus præsidiis munita constiterit, utque gravissima mala maximorum bonorum causæ extiterint : nulla erit Ecclesiæ ætas, in quâ valdè conspicuam fuisse Dei in Ecclesiam providentiam non sentiet. Ad Religionis primam constitutionem, suam hominibus commodavit Deus potentiam, et naturam eorum voci obedientem fecit. Quùm Ecclesia injustis ageretur persecutionibus, Christianos virtutibus auxit ; crescebat in illis studium Religionis, difficultate illius retinendæ, et fortunarum omnium ac vitæ discrimen, non mœrorem et formidinem, ut solet, sed constantiam peperit, magnitudinemque animi. Ubi intestinis dissidiis post quietem à persecutionibus labefactari cœpit Ecclesia, hæreticorum potentissimorum impetus fregit paucorum episcoporum doctrinâ et auctoritate, quorum saluti peculiariter invigilavit, et quorum quandoque vitam ad longam produxit ætatem. Quùm barbarorum incursionibus bellisque perpetuis, ex urbibus fugatæ essent scientiæ et virtutes, illis asyla et perfugia in solitudinibus præparavit; ex quibus sanctissimis sedibus magna lux in ætatibus maximè illitteratis ac barbaris spargebatur. Cùm advenisset tempus, quo Evangelii luce collustrandæ erant gentes remotissimæ, atque orientis et occidentis oræ patefactæ essent, procuravit divina providentia magnas religiosorum hominum societates, quæ solæ tanto operi sine extraordinariâ Dei providentiâ non feliciter posunt incumbere. Ex ipsis vulneribus, quæ variis temporibus matri intulerunt perduelles filii, Ecclesia semper novas vires sumpsit : atque illa maxima defectio, quam ætas decima sexta oriens vidit, forsitan majores attulit utilitates quàm damna, cùm omne statim effloruerit doctrinæ genus, castigati mores, emendata disciplina, avocata theologia à disserendi subtilitate ad Scripturarum et traditionis elucidationem; ita ut majora jam habeat Religio præsidia, quàm unquàm fortassè habuerit.

Qui hujus divinæ in Ecclesiam procurationis argumenta omnia colligere velit, specialem adhibebit attentionem ad considerandam illam accurationem cum quâ definitæ sunt semper circa fidem quæstiones ; quæ cùm omnis generis et circa omnes doctrinæ christianæ partes enatæ sint, sic illas diremit Ecclesia, ut sit christianæ doctrinæ, ut ita loquar, systema aptum et cohærens in omnibus partibus, nec in eo ullam partem mutare possis, quod fecerunt hæretici, quin interrumpatur totius series et continuatio. Idque eò stupendum magis est, quòd à mediâ et regiâ viâ Ecclesiam disjicere conatæ semper sint portæ inferorum; hinc Sabellianis, inde Photinianis, Arianis, semi-Arianis summis viribus impellentibus ; postea Nestorianis et Eutychianis, Prædestinatianis et Pelagianis, ad extrema Ecclesiam rapere volentibus. Hujus argumenti evolutio est universa Ecclesiæ historia.

Articulus III.

De regni Christi constitutione et naturâ, conditionibusque fœderis gratiæ; atque de notis divinæ originis in doctrinâ christianâ elucentibus.

In superiori de lege Mosaicâ disputatione eumdem titulum præ se fert tertius articulus; atque in eo docuimus : 1° Formam Judaicæ reipublicæ à Moyse constitutæ fuisse theocraticam, id est, Deum communi liberoque populi

suffragio, propter liberationem à servitute Ægyptiacâ, solemni ritu electum, præfuisse semper reipublicæ usque ad Christum ducem non tantùm cum titulo, sed cum insignibus et auctoritate principis politici. 2° Ostendimus legem Mosaicam litteraliter intellectam sanctionem habuisse in præmiis et pœnis temporalibus, à Deo tanquàm judice civili in hâc vitâ retribuendis. 3° Ex hâc regiminis formâ, quæ multùm abhorrebat ab exemplis aliorum legislatorum et à prudentiâ etiam humanâ, confecimus Moysem in constituendâ civitate judaicâ non suopte usum esse ingenio aut hominum consiliis, sed divinis monitis paruisse. Eâdem methodo, quia ex eâ magis elucebit judaicarum et christianarum rerum analogia, disputabimus de lege novâ, distributo in tres paragraphos hoc titulo. In primo de regni Christi constitutione et regis nostri officiis disputabimus : ostendemus nempe Christum Dominum præesse Ecclesiæ Dei cum titulo et auctoritate regis, potitumque esse hâc summâ auctoritate, non propter aliquam temporalem liberationem, sed propter liberationem à virtute peccati et à servitute diabolicâ. In secundo de naturâ et conditionibus fœderis gratiæ, cujus mediator Christus est, disseremus : et efficiemus in eo non solùm hominum saluti, sed uti decebat, divino honori consultum esse : legesque Christianas nullo modo positas esse in præmiis et pœnis temporalibus, sed unicè in melioribus repromissionibus ; in peccatorum remissione, in auxiliis gratiæ divinæ et in resurrectione æternisque in cœlo præmiis. Ideò quantùm expectare debebant ex divino præsidio Judæi propter præstitam legi obedientiam temporalia commoda, tantùm Christianos depelli ab hâc spe lege evangelicâ, quæ docet tribulationem sortem esse plerùmque electorum, et in eâ esse gloriandum. Ex hâc Ecclesiæ constitutione, ubi caput invisibile fidei solummodò oculis apprehenditur, et in quâ nihil cupere vel sperare datum est præter bona spiritalia, atque ex totâ doctrinæ Christianæ complexione concludemus legis novæ divinam originem.

§ 1. *De regni Christi constitutione et officiis mediatoris.*

Religio christiana sub duplici respectu considerari potest, vel quatenùs est nova naturalis Religionis promulgatio, accommodata omnium hominum captui sine ullius erroris admixtione, quâ non tantùm faciliùs et perfectiùs quisque nósse possit Religionis et vitæ moralis officia, sed fortiùs quoque excitetur ad amplectendam virtutem ; vel quatenùs novum aperit rerum ordinem, non tantùm antea incognitum, sed impervium prorsùs rationi, cui originem dedit Christi pro hominibus à primævâ perfectionis felicitatis sorte lapsis mediatio, quique ejus virtute et auctoritate procedit. Sub utroque hoc respectu maximas habet utilitates Religio Christi, et cœlestis originis notas clarissimas continet : in sequenti articulo de lege christianâ quatenùs est perfectissima morum regula disputabimus ; hìc solummodò de mysterio mediationis Christi disseremus, ex quo reverà pendet omnis vitæ christianæ moderatio, eaque officia, quæ propriè christiana sunt. Cùm universa theologia in exponendo hoc mediationis Christi mysterio tota versetur, intelligitur non posse nos in hoc loco omnia, quæ pertinent ad hoc argumentum, fusè prosequi : brevem solummodò divinæ œconomiæ summam conficiemus, quæ nobis præbeat opportunitatem, et evolvendi divinæ originis notas, quibus abundat doctrina christiana, et confutandi objectiones minutorum philosophorum, qui ad convellendos fidei nostræ articulos omnem artem contulerunt.

1° Itaque docet christiana Religio universum genus hominum lapsum per peccatum à primævâ perfectionis et felicitatis sorte in irreparabilia humanis viribus mala incidisse, neque potentiâ suâ, aut illâ industriâ impedire potuisse illa peccati tristia consectaria, quæ Deus justissimo decreto legum suarum violationi adjunxerat : tantam peccati esse fœditatem, ut abfuerit à Dei sanctissimâ majestate cum creaturis perduellibus servare communionem. En prima divinæ in homines providentiæ ratio : exigebatur perfecta obedientia; stipendium peccati mors erat æterna.

2° Quoniam miserationes Dei sunt super omnia opera ejus, stupendo charitatis mysterio desperatæ hominum saluti consuluisse Deum docet Religio christiana, eumque instituisse ordinem rerum « in quo verè *misericordia et veritas obviaverunt sibi, justitia et pax osculatæ sunt*, id est, in quo dùm hominum saluti consultum est, nihil est derogatum supremi numinis sanctitati ; servatus imperii divini honor, et vindicata legum divinarum auctoritas. Constituit scilicet inter se et homines mediatorem, cujus interventione rupta per peccatum communio restitueretur ; qui nostro omnium nomine plenissimam offerret satisfactionem, causamque nostram tanquàm advocatus

apud Deum ageret; quique ex alterâ parte pro Deo tanquàm rex et judex ageret apud homines. Quandoquidem huic supremo muneri obeundo impar omnis creatura fuerit, et is esset assumendus, qui in divino solio sedere gestareque sceptrum Dei poterat: et ex alterâ parte pro hominibus ea præstare, quibus divini imperii temerata majestas redintegraretur, unigenitum filium suum, sibi coæternum, ejusdem naturæ participem, ad hoc munus assumpsit; ille solus propter omniscientiam et omnipotentiam divino uti sceptro valebat in regendis hominibus, solusque poterat pro hominibus cum eâ agere apud Deum auctoritate quæ ad perficiendam reconciliationem fuerat necessaria.

3° Fide credimus unigenitum Dei Filium ex propensissimâ Dei Patris, et suâ ergà homines voluntate constitutum N. T. mediatorem, tria præstitisse in suâ humani generis procuratione: fuisse videlicet lucem mundi, agnum quo tollitur peccatum mundi, et regem mundi, id est, prophetico, sacerdotali et regio munere perfunctum esse. Postulabat quippe depravata hominum conditio, ut instituerentur ad veram Religionem revelatione divinâ, ut pro ipsis satisfieret, et ut legibus divinis, ejusque gratiâ regerentur. Hæc tria Christi officia complexus est Apostolus in suâ ad Heb. Ep. c. 1: « Multifariàm, multisque modis olim Deus « loquens patribus in prophetis, novissimè « diebus istis locutus est nobis in Filio, quem « constituit hæredem universorum, per quem « fecit et secula: qui cùm sit splendor gloriæ, « et figura substantiæ ejus, portansque omnia « verbo virtutis suæ, purgationem peccato- « rum faciens, sedet ad dexteram majestatis « in excelsis. »

Prophetico munere aliquo sensu ab initio mundi perfunctus Christus dici potest, cùm per Prophetas suo afflatos spiritu, homines Dei voluntatem docuerit, effeceritque variis et repetitis revelationibus, ut vera Religio inter homines, in omnium errorum et superstitionum colluvione, permanserit. Quòd verò Prophetæ Christi spiritu afflati vaticinati sint, docet S. Petrus in Ep. 1, c. 1, his verbis: « De quâ salute (nempe per Christum allatâ) « exquisierunt atque scrutati sunt Prophetæ « ...... Scrutantes in quod vel quale tempus « significaret in eis spiritus Christi, prænun- « tians eas, quæ in Christo sunt, passiones et « posteriores glorias. » Sed tunc Prophetam propriè se gessit, cùm cœlo delapsus, nobisque assumptâ carne cognatione conjunctus, mysteria in sinu Patris abscondita revelavit, et omnem Dei patefecit voluntatem, relinquens etiam omnium virtutum exempla, ut sequamur vestigia ejus. Hinc meritò apud Moysem, Prophetas et Evangelistas propheta per antonomasiam nuncupatur, quia nullus unquàm cum tantâ auctoritate apud homines prophetavit.

Sacerdotali etiam munere perfunctum ab initio mundi Christum aliquo sensu asserere licet, cùm preces ad thronum Dei pro hominibus fuderit, et intuitu futuri sui sacrificii à Deo gratiæ dona obtinuerit: idcircò appellatur *agnus occisus ab origine mundi*. Hocque supponit S. Paulus in Ep. ad Heb. c. 9, ubi perfectionum sacrificii Christi ex oblatione semel factâ pro seculis præteritis et futuris concludit: « Neque ut sæpè offerat semetipsum, quem- « admodùm pontifex intrat in sancta per sin- « gulos annos in sanguine alieno; alioquin « oportebat eum frequenter pati ab origine « mundi: nunc autem semel in consumma- « tione seculorum ad destitutionem peccati « per hostiam suam apparuit. » Sed tunc demùm propriè sacerdotale munus adimplevit, cùm semetipsum obtulit victimam pro peccatis mundi, et in arâ crucis fundens preces, « exauditus est pro suâ reverentiâ. » Munus etenim sacerdotale, apud Judæos et etiam quasvis alias nationes, duplici parte constare censebatur: prior erat oblatio donorum et sacrificiorum pro peccatis: « Omnis pontifex, ut habet « Apostolus ad Heb. c. 5, ex hominibus assum- « ptus, pro hominibus constituitur in iis quæ « sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia « pro peccatis. » In quibus sacrificiis expiatoriis victimæ in hominum locum substitutæ censebantur, juxta hæc verba Levit. c. 17: « Anima carnis in sanguine est: ego illum de- « di vobis, ut super altare in eo expietis pro « animabus vestris, et sanguis pro animæ pia- « culo sit. » Altera pars sacerdotalis muneris erat intercessio apud Deum, quæ apud Judæos fiebat per repræsentationem sanguinis victimæ coram arcâ fœderis intrà Sancta sanctorum. Jam verò Christus duplicem hanc partem perfectissimè implevit. Primò quidem obtulit in cruce sacrificium, quale lex postulabat, impollutum, maximi valoris et proprio sensu propitiatorium pro hominum omnium peccatis. Hunc enim sensum habent, neque alium ullum habere possunt, tum illi Scripturarum textus, quibus significatur Christum in se assumpsisse peccata nostra, loco nostro expungenda. « Pec-

« cata nostra, inquit B. Petrus in 1 Ep. c. 2, « ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut « peccatis mortui justitiæ vivamus; cujus livore « sanati sumus. Deus, inquit S. Paulus ad « Cor., eum qui non noverat peccatum, pecca- « tum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in « ipso. » Eumdem habent necessariò sensum illa loca, quibus significatur Christum per mortem suam nos Deo reconciliàsse, qualia sunt sequentia ex Ep. ad Rom. c. 5 : « Cùm inimici « essemus, reconciliati sumus Deo per mortem « Filii ejus. » Ad Ephes. c. 2 : « Nunc autem in « Christo Jesu, vos qui eratis longè, facti estis « propè in sanguine Christi. Ipse enim est pax « nostra, qui fecit utraque unum, et medium « parietem maceriæ solvens, inimicitias in « carne suâ. . . . . . Et reconciliet ambos in « uno corpore per crucem, interficiens inimi- « citias in semetipso. » Tandem declaratur expressis verbis Christum, ut pontificem, semetipsum in victimam piacularem pro nobis et nostro loco obtulisse, Heb. c. 7 : « Talis enim « decebat ut nobis esset pontifex, qui non ha- « bet necessitatem quotidiè, quemadmodùm sa- « cerdotes, priùs pro suis delictis hostias of- « ferre, deinde pro populi ; hoc enim fecit « semel, semetipsum offerendo. » Hinc Heb. c. 9 : « Christus dicitur se in hostiam dedisse ad « destitutionem peccati. » Hinc dictus fuerat à Joanne Baptistâ « agnus Dei qui tollit peccatum mundi. » Infinita alia loca congerere liceret in hanc rem ad refellendos Socinianos ; sed hæc planè sufficiunt ut intelligatur Apostolorum fuisse hanc constantissimam doctrinam, Christum corpus suum in arâ crucis tanquàm vicariam victimam pro peccatis mundi obtulisse ; et propterea ad defensionem Religionis christianæ vindicandam esse istam doctrinam de Christi satisfactione et sacrificio. . . . . . . Secundam etiam partem officii sacerdotalis executus est Christus, cùm in arâ crucis positus fudit pro nobis preces ; eamdemque prosequitur in cœlis per jugem et continuam oblationem corporis sui immolati : hincque dicitur « assistens pontifex futurorum bonorum , « semper vivens ad interpellandum pro nobis. »

Denique regium etiam munus auspicatus est Christus ab ipso mundi initio. Nam regia illa sua dignitas eamdem habet antiquitatem ac ejus inter Deum et homines mediatio, cujus pars est essentialis : neque dubitamus , quod et docuerunt antiquiores Eccl. Patres , quin ipse fuerit angelus ille dictus Jehova, qui toties Patriarchis apparuit, qui legem tulit in monte Sina , qui duxit exercitum Israel , quique in magnificâ gloriâ inter cherubim super propitiatorium videbatur. Hincque in diebus carnis suæ ante exaltationem ad dexteram Dei Patris non tantùm à discipulis suis rex Israel dictus est, sed interrogante Pilato, se regem esse asseruit. Ex quo sequitur unum semper fuisse sine mutatione regnum Dei, eamdemque Ecclesiam, ad quam pertinebant ante legem Mosaicam illi homines, qui per fidem Christo conjungebantur , post vocationem Abrahæ et legem Mosaicam Judæi inprimis , non exclusis tamen aliis gentibus : sed tunc propriè et solemni modo in regnum inauguratus est , cùm post resurrectionem, devictâ morte, « expolians principatus et potestates , et palàm triumphans eos in semetipso, ascendit in altum. » Tunc propriè « accepit gentes hæreditatem suam et possessionem suam terminos terræ, » omnemque judicium datum est ei, juxta hæc verba Apostoli ad Philipp. c. 2 : « Humiliavit semetipsum factus obediens usque « ad mortem, mortem autem crucis. Propter « quod et Deus exaltavit illum et donavit illi « nomen quod est super omne nomen ; ut in « nomine Jesu omne genu flectatur , cœles- « tium , terrestrium et infernorum, et om- « nis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus « in gloriâ est Dei Patris. » Hâc supremâ potitus auctoritate misit Spiritum sanctum Patri et sibi coæternum et consubstantialem tanquàm suum in regendâ Ecclesiâ administrum, qui ex ejus arbitrio donaret remissionem peccatorum, et divideret gratiæ dona ; punivit rebelles Judæos, dæmonum imperium evertit, Ecclesiam suam contra conjuratas potestates inferorum tuitus est, et tandem venturus est cum gloriâ judicare vivos et mortuos.

Hæc sunt Christi mediatoris et regis nostri officia; in quibus posita est omnis nostra Religio ; non tantùm ea pars , quæ ad fidem speculativam pertinet, verùm etiam illa quæ practica est. Ideò nempe baptizamur in nomine Patris et Filii et Spiritûs sancti, quia reverà in illâ dispensatione , quam nobis aperuit Evangelium , divinitas nobis sub hâc distinctione revelata est , et uniuscujusque personæ magna sunt in nos beneficia. Habemus in istâ officiorum descriptione illa mysteria, à quibus abhorrent deistæ, trinitatem personarum in unitate naturæ divinæ, incarnationem Dei, peccati originalis tristes effectus, satisfactionem Christi, in quibus mysteriis defendendis modò erimus. Hæc solummodò istâ brevi œconomiæ chris-

tianæ descriptione consequi voluimus, ut intelligeretur quænam essent fundamenta christianæ Religionis, quatenùs divisæ à religione naturali, et quænam illa mysteria sint, in defensione Religionis christianæ necessariò ab impiorum objectionibus vindicanda.

§ 2. *De naturâ et conditionibus fœderis gratiæ.*

Antiquato per Christi mortem priore pacto, illud dico quod Deus cum primis parentibus inierat, novum fœdus sancitum est, quod certis conditionibus continetur. Intelligimus ex Scripturis Christum Dominum, uti mediatoris postulabat officium, pro utrâque parte, id est, Deo et hominibus, quædam stipulâsse : nobis quasdam imposuisse conditiones sine quibus ad Deum accedere non possumus, et obtinuisse ex alterâ parte pro nobis à Deo optima beneficia : sicque eodem tempore consuluisse et hominum saluti, et honori Patris sui. Pactus est pro hominibus apud Deum ea gratiarum dona, quibus illi servire et placere possent; cùmque jam homines majoribus obnoxii post lapsum tentationibus ingentes difficultates in exercitatione virtutum experiantur, primi fœderis, in quo peccata erant irremissibilia, rigorem temperavit et pro hominibus etiam peccatoribus ea stipulatus est auxilia, quibus pœnitere et pro gravissimis delictis Deo satisfacere sub ejus insignibus valerent. Tandem in bonorum operum mercedem magna præmia obtinuit, majora fortassè quàm quæ perfecta obedientia sub priore pacto invenisset... Ex alterâ parte ut divino consulat honori, exigit ab hominibus fidem, et in suis meritis plenissimam fiduciam; exigit et pœnitentiam post peccata admissa; et denique postulat obedientiam suis præceptis, et ut juxta novam legem in Evangelio traditam vitam instituamus. Sunt igitur novi fœderis ex parte nostrâ tres conditiones, fides, pœnitentia et obedientia : et totidem ex parte Dei beneficia; placabilitas seu remissio peccatorum, sanctificatio, et post mortem glorificatio; de quibus singulis unum aut alterum locum ex Evangelio addemus, non quidem ad perfectam hujusce materiæ explicationem, sed qualemcumque informationem.

I. Prima ex parte hominum conditio, sine quâ fœderis gratiæ fructus percipi nequeunt, fides est juxta hæc verba Christi : « Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui « vero non crediderit, condemnabitur; » et hæc alia : « Hæc est voluntas Patris mei qui « misit me, ut omnis qui videt Filium et credit « in eum, habeat vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die. » Et Apostolus in Ep. ad Rom. c. 10, fidei efficaciam his verbis declarat : « Quia si confitearis ex ore tuo Dominum Jesum, et in corde tuo credideris « quòd Deus illum suscitavit à mortuis, salvus « eris; corde enim creditur ad justitiam, ore « autem confessio fit ad salutem. »

Secunda ex parte hominum conditio pœnitentia est, nihilque adeò abhorret à totâ doctrinâ Evang. quàm error quorumdam hæreticorum asserentium fide solâ omnia peccata deleri, uti patet ex his verbis Christi ad Apostolos post resurrectionem suam Luc. 24 : « Tunc aperuit eis sensum ut intelligerent « Scripturas, et dixit eis : Quoniam sic scriptum est, et sic oportuit Christum pati, et « resurgere à mortuis tertiâ die, et prædicari « in nomine ejus pœnitentiam et remissionem « peccatorum, incipientibus ab Jerosolymâ. » Hincque Apostolus Petrus, in primâ suâ concione ad Judæos, petentibus illis, quid sibi faciendum, respondit : *Pœnitentiam agite.*

Tertia ex parte hominum conditio est obedientia omnibus præceptis evangelicis, sive moralibus, sive positivis : atque ad hanc obedientiam multò strictiùs tenemur, quàm tenebantur Judæi ad præstandam obedientiam præceptis veteris legis, ut docet Apostolus ad Heb. c. 2 : « Propterea, inquit, abundantiùs « oportet observare nos ea quæ audivimus, « ne fortè pereffluamus; si enim qui per an« gelos dictus est sermo, factus est firmus, et « omnis prævaricatio et inobedientia accepit « justam mercedis retributionem, quomodò « nos effugiemus, si tantam neglexerimus sa« lutem? » etc. Quibus consentientia sunt ista c. 10 : « Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda à conscientiâ « malâ, et abluti corpus aquâ mundâ. Teneamus spei nostræ confessionem indeclinabi« lem, et consideremus invicem in provoca« tionem charitatis et bonorum operum..... « Voluntariè enim peccantibus post acceptam « notitiam veritatis jam non relinquitur pro « peccatis hostia, terribilis autem quædam « expectatio judicii, et ignis æmulatio, quæ « consumptura est adversarios : irritam quis « faciens legem Moysi, sine ullâ miseratione « duobus vel tribus testibus moritur; quantò « magis putatis deteriora mereri supplicia, « qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem « Testamenti pollutum duxerit, in quo sancti« ficatus est, et Spiritui gratiæ contumeliam

« fecerit? » Hincque Apostolus Jacobus docet nihil prodesse fidem sine operibus legi evangelicæ consonis ; sic enim concludit : « Videtis « quoniam ex operibus justificatur homo, non « ex fide tantùm... sicut enim corpus sine « spiritu mortuum est, ita et fides sine operi- « bus mortua est. » Ex istis conditionibus manifestum est Christum Dominum, quantùmvis propensa sit ejus in nos voluntas, nec velle nec posse homines salvare, nisi virtutibus ornatos, non minùs illi cordi esse Patris sui honorem, quàm nostram salutem; et proinde oportere nos « cum metu et tremore salutem « operari, et satagere per bona opera, ut cer- « tam nostram vocationem faciamus. »

II. Ex parte Dei, prima, ut diximus, conditio est remissio peccatorum. Constantissima vox est Scripturæ, omnibus, qui per fidem Christo conjunguntur, suaque nomina ipsi dant in sacramento Baptismi, remitti universa delicta, et pœnas peccatis debitas; hâc ratione regenerari eos et fieri in Christo novam creaturam, deinde per pœnitentiam dilui peccata quævis post Baptismum admissa. Non minùs constans est Scripturæ assertio, nulla peccata unquàm remissa esse, aut remitti posse, nisi in nomine Christi; et in totâ Ep. ad Heb. omnibusque aliis negat Apostolus virtute sacrificiorum legalium aut operum legis condonata esse unquàm peccata, sed à mundi exordio tantummodò per fidem saltem implicitam in Christum remissa fuisse docet. Secundum novi fœderis beneficium est gratiæ divinæ auxilium actuale ad exercitium virtutis. Aperuit enim nobis Evangelium sine gratiæ divinæ auxilio nihil posse nos facere in ordine ad salutem æternam : « Non enim sufficientes « sumus, ut habet Apostolus, aliquid cogitare « ex nobis quasi ex nobis, sed omnis sufficien- « tia nostra ex Deo est... Ipse est qui operatur « in nobis et velle et perficere. » Hoc munere gratiæ non donantur homines nisi propter mediationem Christi, et Christo dispensante ; hincque dixit Christus : « Sine me nihil potestis facere. » Præterea sanctificatio hominis est opus Spiritùs sancti, qui non agit nisi missus à Christo, et tanquàm regni ejus administer. Tertium novi fœderis beneficium resurrectio est, et immortalis ævi æterna felicitas, juxta hæc verba Apostoli : « Quoniam quidem per « hominem mors et per hominem resurrectio « mortuorum ; et sicut in Adam omnes mo- « riuntur ita et in Christo omnes vivificabun- « tur. »

Si ex prioribus conditionibus concludere licuit Christum mediatorem partes Dei Patris sui apud nos tueri, et ejus imperii majestati consulere; ex his certè non minùs elucet effusa in omnes homines ejus charitas. Quid enim pro nobis pacisci melius potuit, quàm divinam benevolentiam, quam peccando amiseramus? Quàm divina auxilia, quibus indigebamus ad virtutem? Quàm æternam felicitatem, à quâ excideramus? Aut quibus motivis excitare nos potentiùs ad virtutem, quàm afferendo spem divinæ amicitiæ, divinæ opis, et æternæ cum Deo beatitudinis. Hæ fœderis gratiæ conditiones, sicut et officia Christi obscuriùs hominibus ab origine mundi innotuêre; in lege judaicâ umbris et figuris bonorum temporalium tegebantur : pertinebat nempe ad Messiam hoc magnum aperire sacramentum, et docere nos omnes thesauros sapientiæ et scientiæ absconditos in mysterio suæ mediationis, atque « illuminare vitam et immortalitatem. »

§ 3. *De doctrinæ christianæ præcellentiâ et divinæ originis notis in eâ elucentibus.*

Quicumque Religionem christianam à Deo profectam credit, in eâ esse debet opinione adversùs ejus doctrinam nullam esse posse veram et propriè dictam objectionem ex ratione petitam, ob generalem hanc causam, quòd veritas res sit una et secum consistens; sicque concordent necessariò omnia quæ vera sunt, ut mutuam sibi præstent lucem. Nulla veritas veritati opposita esse potest; imò nec rationi videri ullo modo contraria, si diligentiùs excutiatur; et idcircò quò magis quisquis contulerit animum ad res Religionis expendendas, eò magis habebit confirmatam hanc sententiam. Quod à Bacono est in atheos verissimè dictum, « leves gustus in philosophiâ movere fortassè ad atheismum, sed pleniores haustus ad Religionem reducere, » in omnes convenit minutos philosophos revelatæ Religionis contemptores. Hærere solent in quibusdam objectionibus, quæ sese in limine offerunt ac incognita multùm aspernantur, quæ si ulteriùs progressi fuissent diligentiùs contemplati, haberent eorum admirationem ; sæpiùs jam experti sumus in hoc opere objectiones Deistarum habere vim argumenti pro causâ quam impetere videntur; sed ex iis quæ jam dicenda sunt, id manifestiùs patebit; arrepturi quippe sumus arma ex ipsis eorum armamentariis et præsidiis, videlicet ex altitudine incomprehensibili mysteriorum ; ex summâ christ. doctrinæ sa-

pientiâ, seu consensione cum ratione naturali; ex analogiâ cum religione judaicâ cujus complementum est; ex ejus antiquitate et convenientiâ cum vetustissimis omnium gentium religionibus, quibus conjungenda erunt quæ supra in procemio sunt disputata de providentiæ supernaturalis et naturalis concordiâ.

De altitudine incomprehensibili doctrinæ christianæ.

Hæc Religionis nostræ incomprehensibilitas in omni ævo scandalum fuit paganis, Judæis et deistis : alienavit à Christo dùm viveret quamplurimos, qui se ipsi adjunxerant. *Multi enim*, inquit Joan. c. 6, *ex discipulis ejus dixerunt : Durus est hic sermo, et quis potest eum audire ?..... Ex hoc multi discipulorum ejus abierunt retrò et jam non cum illo ambulabant.* Hoc argumento utebantur etiam adversùs Apostolorum prædicationem gentiles et Judæi, ut ex S. Paulo discimus. Postea verò videmus Celsum et alios Religionis nostræ adversarios in hoc argumento valdè acres et diligentes : neque quidquid etiamnùm Judæos et deistas à Religione Christi amplectendâ deterret magis, si ipsis danda fides sit. Est profectò in hâc parte planè singularis et ab omni aliâ disjuncta Religio christiana ; nemo unquàm, neque philosophus, neque legislator, credidit, quæ ipse non apprehendebat ; aut alios ad doctrinam erudire tentavit, quam complecti cogitatione ipse non valebat. Hoc solis contigit Christianis. Scimus enim plenè comprehensam habuisse doctrinam hanc Christum Dominum ; quia Pater in ipso erat, et ipse in Patre, quia in ipso habitabat *omnis divinitatis plenitudo corporaliter*, et ideò de maximis mysteriis valdè familiariter, sine ullâ admiratione, loqui solebat, ut decebat eum qui perfectam habebat eorum cognitionem. At Apostoli, qui Christi Ecclesiam fundârunt, ingenuè impares se confessi sunt mysteriis evangelicis comprehendendis, neque ipsis suppetunt verba ad significandam mentem suam : dicunt se annuntiare mysterium absconditum à seculis in Deo, investigabiles divitias Christi, id quod *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit.*

Verumtamen nedùm illa incomprehensibilis altitudo doctrinæ christianæ visa sit Apostolis habere vim argumenti adversùs Religionem, è contrario S. Paulus 1 Cor. 2, argumentum ex eâ sumere non dubitavit. Nam cùm christianæ dispensationi istum locum Isaiæ applicâsset : *Oculus non vidit*, etc., pergit hoc modo : *Nobis autem Deus revelavit per Spiritum suum; spiritus enim omnia scrutatur etiam profunda Dei.* Deinde prosequitur argumentum, ostendens solum spiritum hæc revelare potuisse, quia harum rerum cognitio ab humano ingenio derivari nequaquàm potest, provocatque ad communem hominum intelligentiam, ut decernat, an doctrina, quam cogitatione complecti non potest mens humana, possit esse mentis humanæ fœtus : et in hoc posita videtur vis ratiocinii in versu 11 contenti : *Quis enim hominum scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est ? ita et quæ Dei sunt nemo cognovit, nisi spiritus Dei.* Igitur cum S. Paulo ponamus.

Propositio.

Doctrinæ christianæ inscrutabilis altitudo ejus divinam arguit originem; et evangelicum consilium homines ad Religionem instituendi, non per rationem, sed per fidem, humanum esse nequit.

Probatio. — Illam doctrinam habere divinam originem rectè concludimus, in quâ nulla sunt humani ingenii judicia, et in quâ tamen omnia Deum sapiunt; seu, quæ cùm sit longissimè disjuncta ab humanis cogitationibus, habet tamen reconditam sapientiam et utilitates maximas. Atqui doctrina christiana ex unâ parte est longissimè disjuncta ab humanis cogitationibus, et nulla habet indicia humani ingenii : et ex alterâ parte, quatenùs est incomprehensibilis, habet reconditam sapientiam et utilitates maximas.

I. Doctrina christiana, etc. Præcipua quippe doctrinæ christianæ capita hæc sunt : 1° Deum trinum esse in personis, seu in divinâ naturâ invisibili et simplicissimâ tria distingui, quæ propter mutuam habitudinem, Pater et Filius et Spiritus nuncupari possunt ; 2° hujus Trinitatis secundam personam, Filium nempe sponsorem et mediatorem pro hominibus constitutum, carnem induisse, assumptâ in unitatem personæ humanâ naturâ, vitam inter homines vixisse, et præceptis atque exemplis ad sanctissimos mores instituisse ; 3° eamdem personam victimam factam pro hominibus tulisse in corpore suo omnia delicta nostra, et persoluto pro nobis superabundanti pretio, nobis Deum propitium reddidisse ; 4° hunc mediatorem propter passionem mortis gloriâ et honore coronatum obtinere regnum in omnes homines, sibi per fidem et obedientiam conjunctos gratiis augere spiritalibus, donaturum post hanc

mortalem conditionem eosdem resurrectione corporis et æternâ felicitate. Atqui in hâc doctrinâ nulla sunt humani ingenii indicia, ob duplicem præsertim causam: 1° quòd illa mysteria ita sint extra aciem humanæ mentis posita, ut nec ratiocinando invenisse ea philosophus, nec fanaticus in illa incidisse, supponi possit; 2° quòd eadem mysteria ita abhorreant ab humanâ indole, ut nunquàm apud homines invenissent fidem, nisi divinâ confirmatâ auctoritate.

1° Illa mysteria ita sunt posita extra aciem humanæ mentis, ut nec philosophus invenire ea ratiocinando, nec fanaticus ullo modo in illa incidere supponi possit. Primum facilè concedunt adversarii, qui illa mysteria à ratione maximè abhorrere existimant; sed et alterum propter easdem causas concedendum est, quia eadem illa mysteria non sunt minùs disjuncta à vi imaginandi quàm à ratione; imò verò multò magis separata sunt. Si enim nullius hominis ratio quantùmvis exculta, nulla sagacitas, quantùmvis acuta, hæc attingere valeat propter reconditam naturam, non intelligitur certè quomodò imaginando ea sequi quis valeat, præsertim cùm quævis facultas versari non possit, nisi circa objecta, vel sensibus nota, vel intellectu comprehensa. Uno verbo, non magis illa mysteria imaginando apprehenduntur, quàm comprehenduntur ratiocinando: jam verò repugnantia loquitur, qui ab homine inveniri posse contendit, quod eodem tempore fatetur eum nullâ facultate assequi posse; absurdum est asserere hominem non habere comprehensum ingenii sui fœtum. Exempli gratiâ, si quis cæcus à nativitate vulgaret tractatum de coloribus, negaremus eum esse istius libri auctorem, ob eam causam quòd nullâ facultate assequi potuisset naturam et proprietates colorum; sed in istis mysteriis partes valdè obscuræ sunt quædam, et quas omninò non cernimus; nam nullo modo trium personarum hypostases, aut earum differentias, quales in se sunt, cogitatione complectimur. Ergo non proprio marte, sed divinitùs instituti, ista mysteria docuerunt primi religionis auctores.

Deinde illa mysteria non tantùm nullo modo inveniri ab hominibus potuerunt, sed etiamsi inveniri potuissent, adeò sunt eadem contraria hominum indoli ut nunquàm humanam obtinuissent approbationem, nec sibi in animum aliquis inducere potuisset in illis ponere Religionem suam, nisi essent divinâ confirmata auctoritate. Nam nihil adeo hominum animis inhæret, quàm superba atque elata de se opinio, nihilque adeò solent homines adversari, quàm quod illum deprimit naturalem fastum. Hinc periti impostores hominum ingenio semper sese accommodârunt, eorum opinionibus et propensionibus morem gesserunt, et nulli unquàm contigit, nisi Christo et Prophetis ejus, in mysteriis incomprehensibilibus suas leges ponere (1); hinc experti sumus nihil tam alienâsse philosophos à christianâ Religione, quàm illius altitudinem inscrutabilem; hinc etiam nihil tam homines in Religione christianâ educatos turbare solet, quàm illa necessitas captivandi intellectum in obsequium fidei. Manifestum ergo est mysteria ista repugnare innatis hominum propensionibus: originem ergo ex iisdem capere non potuerunt.

Animadvertendum est, accipere hoc argumentum magnam auctoritatem ex hisce observationibus: quòd illa doctrina incomprehensibilis in omnibus suis partibus aptè cohæreat, ut mox ostendemus, fueritque propagata à viris idiotis, qui non modò non excogitare novum Religionis systema, sed qui vix valebant cogitata philosophorum comprehendere; quòd iidem illi Religionis magistri ingenuè confessi sint se illa mysteria non comprehendere, tantùmque absint, ut careant vocabulis ad ea docenda idoneis; quòd iidem etiam benè habuerint perspectum, quantas allatura esset illa obscuritas difficultates et moras suis successibus; sciebant enim doctrinam suam esse scandalum Judæis, gentibus stultitiam; quòd denique fuerint nullatenùs avocati à prædicandâ illâ doctrinâ incomprehensibili insuperabilibus istis difficultatibus, nec timidè et secretò istam doctrinam discipulorum animis instillaverint, nec ad eam ornandam usi sint *persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis*; sed cum maximâ fiduciâ et securitate universam illam doctrinam palàm et apertè docuerint: *Nam quia*, dicebat gentium Apostolus, *non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes.*

II. Doctrina christiana, etsi disjuncta à nostris cogitationibus, et repugnans nostris affectibus, habet tamen reconditam sapientiam,

(1) Sua quidem habuére mysteria et ethnici, sed ista non exhibebant veritates inscrutabiles ab hominibus credendas; benè verò arcana longè à vulgo posita, de quibus alii aliæ senserunt. Hujusmodi extitêre mysteria apud Ægyptios, Græcos et Romanos. P.-S.

quatenus incomprehensibilis est, et divini muneris notas omnes; ob has causas

1° Christus inscrutabili altitudine mysteriorum suæ Religionis dignitati consuluit. Solent siquidem homines parvi pendere et parùm suspicere ea quæ habent comprehensa, è contrario multùm admirari illa quæ non sine studio et labore assequuntur; et ideò inter scientias illæ præcipuè hominum oculos in se convertunt, et habent eorum admirationem, non quas dignitas vel utilitas commendat, sed quæ versantur circa res obscuras et reconditas, longiùsque à vulgi sensu et intelligentià disjunctas. Imò solent etiam ista, quæ olim summo studio sunt prosecuti, et summo labore sunt adepti, apud eos vilescere, ubi comparata sunt; sapienter igitur factum est, ut illis involverentur tenebris dogmata, quæ quamdam ipsis majestatem afferrent, et nostram foverent reverentiam. Si Christus solummodò reliquisset discipulis suis doctrinam, quam philosophando invenire potuissemus, et quam alii philosophi ante ipsum invenissent, famam adeptus fuisset magni philosophi, sed nequaquàm viri divini, quam ipsi jure peperit scientia plus quàm humana.

2° Christus altitudine inscrutabili suæ doctrinæ attulit remedium maximis humanæ naturæ vitiis. Sunt etenim maxima hominum vitia superbia et vana curiositas, quæ causæ extiterunt omnium errorum in quos impegêre philosophi, et reverà fuêre origo in primis parentibus malorum omnium. Experitur quisque inhærere animis libidinem quamdam libertatis et independentiæ, quam non tantùm in agendo, sed in cogitando affectamus: hanc ergo radicem errorum extirpare oportebat; et quâ ratione meliùs deprimere potuisset Christus illum nativum fastum, quàm novum nobis aperiendo rerum ordinem prorsùs rationi impervium; quàm exhibendo nobis divinam naturam ejusque consilia in tantâ à nostris cogitationibus distantiâ, ut illa attingere nullo modo possimus; quàm stultam faciendo sapientiam hujus mundi, et efficiendo ut in rebus Religionis omnes homines docti et indocti pares et æquales essent; quàm sublato fundamento scientiæ, in quâ posita erat religio naturalis, et quam pauci adipisci potuerunt, ponendo fundamentum fidei, cujus omnes homines capaces sunt, et à quâ nihil removet nisi arrogantia et inanis philosophorum tumor?

3° Christus mysteriorum incomprehensibilitate nobis ministravit opportunitatem exercendæ omnimodæ adversùs se Religionis. Si nulla esset in doctrinâ divinâ pars quam ratio humana non haberet comprehensam, nostram quidem obedientiam testari possemus parendo præceptis rationi consonis, sed nulla fuisset occasio captivandi intellectûs in obsequium Dei, et divinæ voci ipsam rationem submittendi, quod præstamus dùm fide Deo revelanti adhæremus: eòque certè magis fides hæc Deo placere et meritoria esse debet, quòd nulla res sit, aut magis difficilis et repugnans naturæ, aut quæ nostram erga Deum magis testetur reverentiam.

4° Mysteriorum inscrutabilis altitudo aperuit novam methodum homines instituendi breviorem, faciliorem et perfectiorem, nempe per fidem, cujus utilitates vide supra, ubi de revelationis necessitate.

5° Illa incomprehensibilitas mysteriorum fortiùs excitat ad virtutem. Nam illa mysteria hunc relinquunt in animis sensum, esse infinitas Dei divitias, immensam charitatem, quæ superat omnem scientiam, et manere bonos ea præmia, quæ nec cogitatione valemus complecti. Jam verò hi sensus, quos parit illa incomprehensibilitas doctrinæ christianæ, multò fortiùs movent animum, potentiùsque excitant ad virtutem, quàm si Religio cum paganis philosophis nonnisi immortales homines pro diis nobis exhiberet, mediocrem et levem eorum erga nos benignitatem doceret, et Elysios campos post mortem promitteret.

6° Incomprehensibilitas videtur appendix omnis veræ de Deo doctrinæ. Nam illa, quæ ratio de Deo docet, planè sunt incomprehensibilia, ut immutabilitas, æternitas, futurorum scientia, etc. Est etiam ordo divinæ providentiæ naturalis planè incomprehensibilis. Multa eveniunt, quæ confundunt rationem humanam, et quæ nobis videntur abhorrere à sapienti Dei administratione (1).

Obj.: Nedùm incomprehensibilis altitudo mysteriorum dici possit argumentum divinæ originis Religionis christianæ, ejusdem doctrinæ vanitatem planè demonstrat. Nam hoc ita est,

(1) Istæ rationes omnes, præter ultimam, sunt secundariæ. Quippe incomprehensibilitas nostrorum mysteriorum tum ex naturâ ipsorum dogmatum altissimorum, tum ex naturalibus humanæ rationis limitibus essentialiter oritur. Quare verò hujusmodi dogmata nobis revelaverit Deus, ratio primaria est quòd homines ad ordinem supernaturalem sublimare voluerit. P.-S.

si rerum incomprehensibilium nulla fides reverà esse possit. Atqui, etc. Etenim fides nihil aliud est, quàm assensus intellectûs alicui propositioni. Atqui nullo modo intellectus assentiri potest propositioni haud comprehensæ : in istâ hypothesi non assentiretur alicui veritati, sed cuidam verborum combinationi ; et articuli fidei essent solummodò modi loquendi, non cogitandi. Ergo, etc. — Resp. dist. min. Nullo modo potest intellectus assentiri propositioni haud comprehensæ, vel adæquatè vel inadæquatè, concedo : adæquatè tantùm, nego. Igitur confitemur necesse esse, ut in mysteriis aliquid assequatur intellectus, quod assensûs possit esse objectum ; nam fides non est credere id quod planè nescias : sed eodem tempore contendimus ad fidem necessariam non esse plenam objecti vel propositionis comprehensionem ; quandoque valdè imperfectam ac obscuram sufficere non tantùm ad fidem, sed etiam ad scientiam, ut jamjam explicabimus. At profectò quàm ridicula sit illa objectio patet ex ipsâ notione fidei : siquidem cùm fides non sit clara perceptio veritatis, sed assensus intellectûs propter testimonium, non potest dici impossibilis fides rei non comprehensæ, nisi defendatur res non comprehensas divino testimonio firmari non posse : seu cùm objectum fidei non sit veritas perspecta, sed veritas ex revelatione accepta, et veritas rerum non pendeat à capacitate intellectûs humani, manifestè absurdum est dicere omnem veritatem non comprehensam, non esse veritatem, aut non posse esse objectum fidei.

Et verò hoc clariùs patebit, si rerum incomprehensibilium varias classes recenseamus : 1° per res incomprehensibiles illæ quandoque intelliguntur, quæ adeò reconditæ sunt et tam disjunctæ à nostris cogitationibus, adeòque à liberâ Dei voluntate dependentes, ut naturali lumine detegi nullo modo potuissent, quamvis post eorum factam revelationem clarè apprehendantur : v. g., docet Religio christ. corpora nostra ex terræ pulvere esse ad vitam immortalem revocanda : quid per corporum resurrectionem intelligendum sit satis clarè perspicimus, et tamen censetur illa veritas hoc sensu incomprehensibilis, quòd humana sagacitas assequi illam non potuisset. Hujus sanè generis incomprehensiblia objecta fidei esse possunt.

2° Per res incomprehensibiles eæ quandoque intelliguntur, quarum etsi cognitione perfectâ careamus, easdem tamen habemus cognitas sufficienter ad nostros usus ex quibusdam proprietatibus et affectibus. Universa natura hoc sensu planè est incomprehensibilis : nullam enim illius partem habemus penitùs exploratam ; v. g., nec quid sit spiritus, nec quid materia, neque quid sit vis motrix intelligimus ; tamen hæ res non solùm fidei, sed scientiæ objectum esse possunt propter obscuram ex proprietatibus et effectibus cognitionem. Sic etiam in Religione nostrâ scimus bonos post mortem Deum intuitivè esse visuros, nos spiritûs Dei gratiâ excitari ad virtutem ; quamvis nullam habeamus claram cognitionem neque visionis intuitivæ, neque gratiæ divinæ. Hoc genus incomprehensibilium, cùm non respuat scientia, certè extra fidei limites non ponitur.

3° Rerum incomprehensibilium alius ordo est, quando termini propositionis clarè intelliguntur, eorumdem verò convenientiam non perspicimus : sic ista propositio ex geometriâ desumpta : « Quadratum lineæ ordinatæ in circulo ad diametrum est æquale rectangulo facto ex duabus partibus abscissis diametri, » est incomprehensibilis cuilibet nescienti hujus propositionis demonstrationem, etiamsi clarè apprehenderet aliquis, quid sit quadratum lineæ ordinatæ ad diametrum, et quid sit rectangulum duarum linearum abscissarum in diametro. Sic in Religione multas credere possumus propositiones, quarum termini intelliguntur, connexio verò et convenientia non apprehendatur. Hæc profectò incomprehensibilia fidei objecta esse possunt, et stultus sanè esset, qui universis geometris testantibus, veritatem superioris propositionis fidem denegaret, quòd ipse, propter inscientiam, terminorum non perspiceret connexionem; multòque insaniret magis, si Deo testanti non crederet.

4° Per res incomprehensibiles illæ intelligi possunt, quarum in se nullam prorsùs habemus notionem, vel quas solummodò et aliquo effectu, vel analogicè conjecturâ quodammodò assequimur, obscurè valde et involutè ; v. g., hæc propositio, respectu hominis cæci à nativitate : « Corporum distantium situs, figuræ et colores visione apprehenduntur : » illa, inquam, propositio respectu hominis cæci est planè incomprehensibilis ; neque alia magis incomprehensibilis esse potest. Cæcus certè nullam ideam mente habere potest colorum aut visionis. Est tamen verissima eadem propositio, et etiam cæcus ille convinci potest ejus veritatis ex testimonio hominum et multiplici experientiâ ; atque hæc ejus fides causa esse potest

variorum in ejus animo affectuum, nempe fiduciæ in homine dicente se oculos habere, ita ut sese ejus ducatui committat; doloris ob negatum sibi istud beneficium naturæ humanæ, optimè siquidem habebit visionem cognitam in effectibus. In Religione nullæ sunt propositiones æquè incomprehensibiles, ac est ista respectu hominis cæci; at demus in mysterio Trinitatis, aliisque terminos, quibus enuntiantur, esse planè incertæ respectu nostri significationis, possunt tamen eadem illa mysteria eodem modo esse objectum fidei propter divinam auctoritatem, et inservire etiam ad moderandos affectus, si eadem ex effectibus aut analogicè quoquo modo apprehendantur. Ad unam vel alteram rerum incomprehensibilium classem revocari possunt omnes doctrinæ christ. partes. Possunt ergo mysteria, quamvis inscrutabilia, esse fidei nostræ objecta.

Inst. 1° : Atqui rebus incomprehensibilibus ultimæ classis, ad quam revocanda sunt mysteria propriè dicta, nullo modo assentiri potest intellectus. Nam hæ res sunt prorsùs extra aciem intellectûs positæ et supra rationem : hoc omnes confitentur. Atqui quæ sunt supra rationem, sunt reverà contra rationem : vel quod eòdem redit, rationi opposita nobis videntur. Ista nempe distinctio rerum supra rationem et rerum contra rationem planè vana est, et inventa ad defendendas absurdissimas opiniones cum falsà specie reverentiæ et devotionis adversùs Deum, cùm reverà quod videtur abhorrere à ratione, videri quoque debeat alienum à pietate et à divinâ mente, propter hanc evidentissimam causam, quòd certum sit rationem nobis datam esse à Deo vitæ magistram et præceptricem.

Resp. : Nego min. Nam necessariò admittenda est illa distinctio rerum supra rationem et rerum contra rationem : siquidem illa planè distinguuntur, quæ diverso modo concipiuntur. Atqui, etc. Qui agnoscit quidquam supra rationem, nihil aliud agnoscit, quàm quòd rei rationem, modum et convenientiam non perspiciat; at qui aliquid contra rationem esse pronuntiat, declarat se percipere rei disconvenientiam, aut ejus cum aliâ veritate repugnantiam : dicere aliquid esse supra rationem humanam, nihil aliud significat, quàm quòd nec nos, nec homines alii illas res perspicere valeant, sine ullo judicio de veritate aut falsitate rei, aut de illius perceptibilitate ab illis intelligentiis; sed dicere aliquid esse contra rationem, est affirmare rem non esse perceptibilem à quâcumque perfectiore mente; quia ratio differre quidem potest ratione extensionis seu capacitatis in diversis entibus, sed diversæ naturæ esse nequit, et propterea quòd unius rationi contrarium est, omnibus mentibus repugnans est. Ergo tantùm differunt esse supra rationem et esse contra rationem, quantùm discrepant rem non comprehendi, et rem comprehendi; aut, rem posse esse veram vel falsam, et rem certissimè esse falsam : quæ profectò sunt opposita. Deinde non solùm rerum supra rationem, et rerum contra rationem distinctæ sunt notiones ; sed manifestè absurdum est nulla agnoscere supra humanam rationem : nam ad id defendendum dicere necesse est, humanâ ratione nullam esse intellectum perfectiorem, nostrasque facultates carere limitibus; quia si existant mentes perfectiores, quarum major vis sit ad cognoscendam veritatem, vel quæ majorem habeant capacitatem, esse etiam necesse est res cognoscibiles, quæ nostram cogitandi vim superant.

Ad id verò quod additur in objectione rationem esse regulam et magistram vitæ à quâ quidquid abhorrere videtur, à pietate et à divinâ mente alienum videri debet, resp. illud vanissimè dici in præsenti controversiâ. Numquid enim avocamus minutos philosophos à ratione? Quid, quæso, aliud agimus, in quâ re occupamur, quàm in argumentis conferendis ad defensionem Religionis petitis ex ipsâ ratione? Magnum discrimen est apud nos, inter credere ex fide res supra rationem; et credere sine ratione. Communis vox fuit omnium Christianorum ab ipsis incunabulis nostræ Religionis oportere unumquemque paratum esse ad satisfaciendum cuilibet interroganti de *eâ quæ est in nobis, spe.* Si igitur candidi et ingenui essent adversarii, faterentur disputationem non esse, utrùm utendum sit ratione, necne, sed quænam sit in rebus ad revelationem pertinentibus rationis provincia, quam profectò assignare non est adeò difficile. Rationis quippe negotium est, in hâc disquisitione de verâ Religione, sicut in omnibus aliis rebus, inquirere in opinionum fundamenta, ut perspiciat an illa sufficientem habeant vim quâ intellectus ad assentiendum inclinetur. Sed cùm diversarum rerum diversa esse soleant principia et argumenta, manifestum est rationem omnia ad eamdem normam et regulam revocare non posse; in rebus mathematicis, quæ nituntur evidentiâ, ridiculum foret assensum ponere in solâ auctoritate aliorum et rationis pars est

inquirere in convenientias rerum quæ matheseos sunt objecta, in quibus solis ponitur earum certitudo : sed in rebus historicis quæ è contrario nullam auctoritatem accipere possunt ex rerum abstractarum convenientiis, sed solummodò ex testimonio hominum, non minùs ridiculum foret circinum et regulam geometricam ad illas res expendendas conferre. In his rationis pars est, inquirere in fidem et auctoritatem testium, atque in illa omnia, quæ factorum certitudinem firmare, vel minuere possunt. Jam verò revelatio est factum historicum, et doctrinæ revelatæ auctoritas omnis pendet ex testimonio divino, quod ex factis tantùm potest innotescere. In hisce igitur exerceat sese ratio humana; hùc conferant minuti philosophi omnes ingenii vires : expendant utrùm miracula, quæ in Evangeliis memorantur, non sint divinæ virtutis opera ; fuerint, necne, patrata ; quamque fidem mereantur libri sacri? In Christi et Apostolorum ejus vitam atque mores inquirant diligentiùs ; imposturæ et vanitatis notas omnes colligant ; præcepta vitæ ab ipsis tradita ad examen revocent; videant an in Religione quidquam, aut humanâ naturâ indignum, aut alienum à divinâ majestate, ab hominibus requiratur. In his omnibus exerceat sese ratio; si ullas notas vanitatis, doli mali, inscientiæ, malitiæ ; si non omnes contra notas veritatis, bonæ fidei, divinæ sapientiæ, deprehendat vir sapiens et cordatus, causâ cecidimus.

Inst. 2° : Ibi nulla potest esse fides seu assensus intellectûs, ubi nulla est cognitio et rerum apprehensio. Atqui rerum incomprehensibilium, qualia sunt mysteria, cognitio nulla esse potest. Nam cognitio est perceptio convenientiæ vel disconvenientiæ idearum, quæ terminis propositionis subsunt : et consequenter nulla potest esse earum rerum cognitio, quarum nullas habet mens humana ideas, vel quas sociare per actum intellectûs nequit. Omnis propositio, quæ terminis constat non habentibus adjunctam claram ideam, ita ut excitet in mente propositionem mentalem, quæ propositioni verbis conceptæ respondeat, caret omni sensu, nec illi interiorem assensum ulla dare potest intelligentia : siquidem verba signa sunt idearum, nec potestatem habent ullam, nisi in quantum ideas repræsentant. Atqui in propositionibus incomprehensibilibus, quales sunt illæ, quibus enuntiantur mysteria, verbis nullæ planè respondent ideæ, nec etiam idearum apprehenditur convenientia; non excitatur in mente propositio aliqua mentalis, quæ respondeat vocali : et ut exemplo utamur valdè obvio, *gratia* vox est in christ. dispensatione valdè usurpata ; nullius rei frequentior mentio est in Scripturis, beneficium planè præcipuum Incarnationis Filii Dei existimatur, nulla res tantas peperit inter Christianos controversias : et tamen manifestissimum est vacuam esse vocem, cui nulla subest idea clara, omnesque propositiones, quarum hic terminus pars est, nullas excitare in mente propositiones mentales. Abstrahe per mentem ab istâ voce Deum, qui auctor gratiæ supponitur ; subjectum, videlicet animam humanam ; et effectus, scilicet virtutem et bona opera ; omnia sustulisti, nihil in mente remanet. Hincque ortæ sunt illæ interminabiles de naturâ gratiæ quæstiones, et theologorum discrepantes opiniones. Sic etiam quid sit peccatum originale, quo omnes Deo debitores nascimur, nemo unquàm intellexit : nulla huic voci respondet idea clara. In istâ quoque propositione : Tres sunt personæ in substantiâ Dei, non modò non apprehenditur convenientia terminorum, sed nec ipsis terminis claræ respondent ideæ. Idem dicendum est de Incarnationis mysterio, in quo docemur duas esse naturas in unâ personâ sine ullâ hujus rei perceptione. Ergo.

Resp. : Nego minorem prioris syllogismi. Nam res incomprehensibiles, quamvis in se non cognoscamus, cognoscere tamen possumus ex effectibus, et per adjuncta. Negamus pariter majorem propositionem sequentis syllogismi, et contendimus posse nos habere cognitionem rerum aliquam sine claris et perspicuis ideis, et sine perceptâ idearum convenientiâ : consequenter negamus voces omnes necessariò habere debere ideas claras sibi adjunctas, aut omnem propositionem debere excitare in mente propositionem mentalem, quæ vocali respondeat, in quâ idearum percipiatur convenientia aut disconvenientia.

Et 1° quidem, ut supra diximus, falsissimum est nullam esse posse cognitionem rerum, nisi deprehendatur convenientia idearum, quibus in mente repræsentantur : nam omnes veritates geometricæ non minùs sunt veritates, etsi non apprehendantur ab omnibus scientificè, seu quamvis non cognoscantur demonstrationes, ex quibus perspicitur idearum convenientia ; sic, v. g., aliquis scire potest tres angulos trianguli æquales esse duobus rectis ex auctoritate mathematicorum, nunquàm perspectis hujus theorematis demonstrationibus : et re-

verà mechanici seu artifices hujusmodi veritatibus utuntur in rebus conficiendis, etsi planè ignorent geometriam.

2° Dico sine claris ideis dari cognitionem rerum sufficientem ad usus vitæ, et falsum esse in oratione omnes terminos esse signa idearum distinctarum, aut excitare necessariò debere ideas earum rerum, quas ex institutione hominum significarent. Nam infinitæ voces sunt, quibus utimur in omnibus scientiis, quæ nullas habent sibi adjunctas ideas claras : quales sunt etiam istæ, spiritus, materia, etc. Ubi dicimus materiam esse extensam et impenetrabilem; subjectum istius propositionis nullam excitat in mente ideam distinctam et separatam à qualitatibus, extensione, impenetrabilitate et cæteris quæ de illis prædicantur. Sic cùm dicimus spiritum esse substantiam cogitantem, subjectum nullam excitat ideam claram separatam à vi cogitandi.

Quod autem spectat exempla in objectione laudata, illa neminem movere debent, quia scientiarum particularium objecta non sunt clariora, quàm ista nostræ theologiæ revelatæ, ut facilè demonstrare licet. Et primùm certè negamus esse clariorem ideam vis motricis in physicis, quàm gratiæ in spiritalibus. Si enim abstrahamus ab ideâ vis motricis auctorem, in quo esse vim illam putamus; corpora, quæ sunt subjectum in quod exercetur illa vis; et effectus sensibiles, quales sunt translatio corporis et permutatio motûs ; nulla planè remanebit in mente idea, non magis quàm gratiæ divinæ : et ratio est, quòd vis motrix sicut et gratia non cognoscatur in se, sed in suis adjunctis et effectibus. Non minùs disputatum est à philosophis de vi motrice, quàm à theologis de gratiâ divinâ. Ad explicandam illius naturam, distinguendasque varias species, tot voces inventæ sunt à physicis quàm gratiæ divinæ : hæ nempe vis inertiæ, vis insita, vis impressa, vis mortua, vis viva, gravitas, reactio, impetus, momentum, sollicitatio, conatus, etc. Non consentiunt philosophi sitne vis spiritalis, an corporea? an post actionem subsistat? quomodò ab uno ad aliud corpus transferatur? Paradoxa multa à quibusdam circa ejus naturam et proprietates defensa sunt. Ex quibus patet nullam omninò ideam esse vis motricis separatam à corpore, tempore, spatio, translatione et omnibus ejus mensuris, effectibus et adjunctis, non magis quàm gratiæ divinæ. Attamen multæ sunt de vi motrici in mathematicis utilissimæ propositiones, quæque peperêre clarissima inventa in mechanicis et philosophiâ. Si igitur doctrina hæc de naturâ vis motricis, etsi obscurissima speculativè spectata, nihilominùs contineat multas propositiones utilissimas; cur, quæso, non esse poterit eadem ratio gratiæ divinæ, quantùmvis obscura sit ejus notio, quantacumque fuerit theologorum de ejus naturâ dissensio? Hoc nullo modo impedit, quominùs multæ de gratiâ enuntientur propositiones, quibus fidem dare possumus, et quæ ad mores instituendos, moderandamque vitam conducere possunt, ad excitandam in Deo fiduciam, et ad ingenerandum ex persuasione nostræ insufficientiæ humilitatis sensum.

Idem de peccato originali dici potest : etsi nullam haberemus claram ideam reatûs illius cui omnes obnoxii nascimur, etsi variæ et discrepantes sint de illius naturâ et propagatione theologorum opiniones, tamen fide apprehendi ex effectibus sufficienter potest ad excitandum in animis nostris salutarem sensum nostræ indignitatis et summæ misericordiæ Redemptoris nostri, ex quibus sensibus recti habitus procreantur; haud secus ac in religione naturali ex doctrinâ creatoris, quæ nullatenùs clara est, nostræ dependentiæ valdè clarus sensus oritur. Sic in mysterio Incarnationis, licet nullo modo intelligamus unionem hypostaticam duarum naturarum in Christo, tamen hoc credere possumus; et ista fides potest esse utilis ad moderandam vitam, dùm hâc persuasione adducimur ad nos omninò submittendos regimini Christi, et ad ejus doctrinam cum majori reverentiâ amplectandam, ejusque præcepta diligentiùs servanda. Sed argumentum retorqueamus. Numquid quotidiè non videmus homines impios assentire his propositionibus : « Mundus Fato regitur ; » vel, « Fortunâ gubernatur ; » et ex hâc persuasione, quâ temerè imbuti sunt, vitam moderari solutos omni terrore, quem procreare solet divinæ providentiæ fides. Attamen certum est eos nullam habere ideam neque Fortunæ, neque Fati, nisi negativam, quatenùs significant absentiam causæ intelligentis; quamvis in eorum voluntatem et affectus, maximam habeant potestatem. Multæ aliæ voces sunt in familiari oratione, quibus nullæ ideæ respondent, saltem claræ et distinctæ, ex quibus tamen inclinantur homines ad diversas agendi rationes; v. g., quidam satis stolidi sunt ut negent divinam sapientiam conspicuam esse in belluarum operationibus, quia putant eos ex instinctu, ut aiunt, oriri

posse : sed quid sit instinctus, nunquàm explicârunt. Quàm ridiculi ergo sunt minuti nostri philosophi, dùm nobis objiciunt mysteriorum obscuritatem, quæ ab eorum doctrinâ non abest!

Denique mysterium SS. Trinitatis non videtur majorem difficultatem involvere, quàm illa mysteria religionis nat. de æternitate et immensitate Dei atque rerum ex nihilo creatione. Non habemus claras ideas personalitatis quam triplicem dicimus in substantiâ divinâ, sed neque claram ideam habemus substantiæ divinæ, quam immensam dicimus sine diffusione; nec æternitatis successivæ, nec actionis illius, quâ res transit à non esse ad esse. Et sicut ex fide istorum mysteriorum naturalium oritur in animis erga divinam majestatem summa reverentia, terrorque major omniscientis, omnipotentis, et omni-præsentis numinis, sic in religione revelatâ ex fide redemptoris et sanctificatoris oriuntur in animis amor, gratus animus, spes et resignatio divinæ voluntati. Hoc solùm interest inter naturalia mysteria et Evang. quòd illa innotescant ex effectibus naturæ et interiori revelatione, quæ lumen naturæ dicitur; hæc ex Dei externâ testificatione. Ex his omnibus patet voces semper quidem esse signa, et habere significationem aliquam, etsi non semper suggerant ideas simplices, claras et distinctas; et propositiones, in quibus usurpantur, inservire posse ad moderandam voluntatem, temperandas passiones, vitamque regendam, quamvis non excitent in mente propositiones mentales claras et distinctas : homines non tantùm posse istis propositionibus assentiri, sed reverà in rebus ad Religionem non pertinentibus assentiri solere.

Manifestum ergo est mysteria illa Religionis in se spectata nullo modo posse probari vel impugnari ex principiis rationis : nam probationes et objectiones necessariò sumerentur ex comparatione terminorum ex quibus componuntur articuli fidei. Atqui istorum terminorum nulla fieri potest comparatio in mente. Ut ista fieret comparatio, et dignosceretur eorum convenientia vel disconvenientia, necesse foret ut claras haberemus eorum ideas, et ut ista propositio, v. g. « Tres personæ sunt in unâ naturâ divinâ, » claram excitaret mentalem propositionem respondentem vocali. Atqui negamus ullas claras ideas subesse istis terminis, quæ possint comparari. Supponamus rei solummodò explicandæ causâ similem esse istam propositionem huic alteri factæ homini cæco : « Corpora apparent visui coloribus distincta ». Hujus propositionis terminos nullo modo apprehenderet, uti nos apprehendimus; rideremus tamen hunc hominem, si contra omnium mortalium testimonium et varia quæ habere potest ipse de visionis existentiâ experimenta, negaret istius propositionis veritatem, nolletque aliorum hominum uti consilio et operâ, propter quædam argumenta petita ex sensu tactûs. Multò magis absurdus est quisquis Deo de se testanti non vult credere, propter argumenta desumpta ex rebus finitis et creatis, quæ sunt prorsùs diversæ naturæ, longiùsque disjunctæ ab infinito, quàm sensus tactûs disjunctus est à sensu visionis. Hâc brevi responsione refellentur immensa Socinianorum volumina adversùs mysteria nostræ Religionis. Sed tamen hoc non impedit quin mysteria aliquo sensu ad trutinam rationis explorentur; modò non considerentur in suâ naturâ, quæ est incomprehensibilis, sed in effectibus et adjunctis, quæ clarè cognoscuntur. Sicut cæcus de utilitate videndi fert rectum judicium propter effectus istius facultatis, quos dignoscit ex ducatu quem illi præbent alii homines : sic etiam nos novimus effectus Incarnationis Christi et causas ejus, saltem aliquas, atque illius mysterii utilitatem colligere ex illius effectibus facilè possumus. Ad hanc ergo partem fidei christ. confirmandam, vel oppugnandam se conferre potest ratio, et illam modò in hanc rem conferemus.

(*Annotatio, auctore* P. S.)

Hic minùs tribuere videtur auctor rationi in notione quam de mysteriis nostris habemus. Equidem claris et completis ideis menti nostræ haud innotescunt; alioqui non essent ampliùs mysteria. Verumtamen, præter causas et effectus, aliquam intrinsecam eorumdem notitiam intellectui afferunt termini quibus exprimuntur. Non valet igitur exemplum à cæci experientiâ petitum, quale saltem ab auctore adducitur; quippe cæcus à nativitate nihil omninò, præter sonum, percipit, audito colorum nomine, atque tantùm id ex testimoniis hominum admittere potest, scilicet per voces luminis et colorum, homines visu donatos aliquid intelligere sibi gratum et valdè utile, quod ex præsentiâ corporum experiuntur; e contra, termini mysteria exprimentes aliquid in se mentibus intelligibile significant, adeò ut

multas inter ideas mysterii alicujus deprehendamus convenientias, simulque nullam pronuntiemus in terminis adesse contradictionem. Sed eâ de re potissimùm audiatur P. De la Mare in suo opere : *La Foi justifiée de tout reproche de contradiction avec la raison*, in quo mysteria nostra contra incredulorum subtilitates solerter vindicavit ; voces quibus mysteria exprimuntur haudquaquàm inanes et incomprehensibiles esse probat his verbis :

« C'est un reproche des incrédules que j'ai promis de réfuter, et d'abord il faut exposer leur raisonnement. On ne peut, disent-ils, selon vous, ni démontrer de contradiction dans les mystères de la révélation, ni démontrer aussi par la raison, ou par l'évidence de l'objet, la conformité de ces mêmes mystères avec la raison, parce que, de votre aveu, on n'a pas une idée claire et distincte de ces mystères, et des termes dans lesquels ils sont énoncés; donc, concluent-ils, la religion ne donne aucune connaissance véritable; donc elle se réduit à des termes vides de sens, et tout à fait inintelligibles. Car, est-ce connaître véritablement les choses, que de n'en avoir pas une idée claire et distincte? et quel sens peuvent présenter à l'esprit des termes dont on n'a pas une idée claire et distincte ?

« C'est sur ce fondement que Bayle, et, à son exemple, les autres incrédules prétendent que ce seul titre suffit pour qu'on doive dans les disputes leur adjuger la victoire. « On juge, dit Bayle, que pendant le cours du procès, la victoire se déclare plus ou moins pour le soutenant ou pour l'opposant, selon qu'il y a plus ou moins de clarté dans les propositions de l'un que dans les propositions de l'autre; enfin, on juge que la victoire se déclare contre celui dont les réponses sont telles qu'on n'y comprend rien, et qui avoue qu'elles sont incompréhensibles. On le condamne dès-là par les règles de l'adjudication de la victoire; et lors même qu'il ne peut pas être poursuivi dans les brouillards dont il s'est couvert, et qui forment une espèce d'abîme entre lui et ses antagonistes, on le croit battu à plate couture; et on le compare à une armée qui ayant perdu la bataille, ne se dérobe qu'à la faveur de la nuit, à la poursuite des vainqueurs. »

« Cette difficulté, que quelques-uns regardent comme peu de chose, paraît à d'autres une difficulté sérieuse, et qui demande une réponse solide et raisonnée. Je vais tâcher de satisfaire les derniers; et pour entrer tout de suite en matière, je dis qu'une proposition peut être l'objet d'une connaissance véritable, quoiqu'elle ne soit point parfaitement à portée de la raison humaine. Soit cette proposition qui regarde directement le mystère de l'Incarnation, et qui suppose celui de la Trinité : *Le Verbe, la seconde personne de la très-sainte Trinité, s'est uni d'une manière physique, substantielle et personnelle à la nature humaine, de façon que dans Jésus-Christ Dieu-homme, la nature divine et la nature humaine, parfaitement distinguées l'une de l'autre, sont terminées par la seule personnalité du Verbe.* Voilà une vérité dont j'acquiers la connaissance par la révélation. J'avoue que l'évidence de l'objet me manque, et que par cet endroit je ne puis pas dire que la connaissance de cette vérité soit une science proprement dite; mais l'évidence du témoignage supplée tellement et avec tant d'avantage à l'évidence de l'objet, que la connaissance de cette vérité n'en est pas moins certaine, ni moins infaillible.

« Il n'est donc pas vrai que tout se réduit à introduire des termes, et une espèce de jargon vide de sens et d'idées. Car autre chose est de ne pas comprendre parfaitement la force et la signification des termes, et autre chose est de prononcer des termes vides de sens. Parce que je ne comprends point parfaitement la force et la signification des termes, il s'ensuit bien que je ne puis pas concevoir et expliquer à bien des égards *la manière d'être* des dogmes et des mystères.

« Ainsi, parce que je ne comprends point parfaitement ce qu'on appelle personnes dans le mystère de la Trinité, je ne puis concevoir et expliquer le τὸ πῶς, c'est-à-dire *comment le Verbe, la seconde personne de la très-sainte Trinité, s'est uni d'une union physique, substantielle et personnelle à la nature humaine, de façon que dans Jésus-Christ Dieu-homme, la nature divine et la nature humaine, parfaitement distinguées l'une de l'autre, sont terminées par la seule personnalité divine du Verbe.* Mais je conçois parfaitement que c'est là une vérité à laquelle je ne puis me refuser, étant fondée sur l'autorité de la parole de Dieu; et cette vérité, telle qu'elle est énoncée, est si peu un jargon vide de sens et d'idées, que, si on vient à l'attaquer, je m'en aperçois tout d'un coup; je m'élève, et je dénonce à l'Eglise le téméraire qui ose altérer ma foi. S'il veut se déguiser, s'il cherche à s'envelopper sous des expressions équivoques, je le poursuis dans tous ses faux-

fuyants, je le serre de près, et je ne quitte point prise qu'il ne se soit expliqué nettement pour ou contre la vérité révélée.

« Ainsi, vit-on, au commencement du troisième siècle, Tertullien prendre la plume et s'élever avec force contre Praxéas, qui le premier avait apporté d'Asie à Rome l'hérésie des Patripassiens, lesquels combattaient la distinction réelle des personnes de la très-sainte Trinité, en soutenant que le Père s'était incarné et avait souffert. Avec quelle précision n'établit-il pas contre son adversaire le dogme de la Trinité des Personnes divines dans l'unité de la nature? L'hérésiarque et ses adhérents se vantaient, comme le font les Unitaires de nos jours, de n'adorer qu'un seul Dieu, et reprochaient aux catholiques d'en adorer deux et trois. Cette objection, bien loin de déconcerter le docteur africain, ne fait que lui donner lieu de développer avec la plus grande netteté, et de mettre dans tout son jour, la révélation du mystère de la Trinité des Personnes divines, dans l'unité numérique d'une seule et même nature. On lui objectait encore que les dénominations de Verbe et de Saint-Esprit, n'étaient que des noms sans réalité. Cette nouvelle objection ne sert également qu'à lui faire naître une occasion de donner de nouveaux et de plus grands éclaircissements qui supposent que, sans comprendre le mystère, on en conçoit assez pour éviter et combattre l'erreur, et pour établir la vérité.

« Ainsi vit-on, l'an 431, S. Cyrille dans le concile Œcuménique d'Éphèse, et le même concile tout entier, développer admirablement le mystère de l'Incarnation par rapport à l'unité de la Personne divine, terminant dans Jésus-Christ Dieu-homme la nature divine et la nature humaine, contre l'erreur de Nestorius, patriarche de Constantinople, qui, comme on admettait deux natures en Jésus-Christ, voulait aussi qu'on y reconnût deux substances, chacune propre de sa nature; ou deux personnes, la personne divine, et la personne humaine; de manière qu'il n'y eût entre les deux personnes qu'une union morale, et nullement une union physique, substantielle et personnelle; d'où il concluait, en parlant de la très-sainte Vierge, qu'elle devait être appelée non mère de Dieu, Θεοτόκος, mais seulement mère de Christ, Χριστοτόκος; ou que si on l'appelait mère de Dieu, ce ne pouvait être qu'improprement, et à raison de l'union morale des deux personnes.

« Ainsi, vit-on, dans le même siècle, le concile général de Calcédoine composé de six cent trente évêques, frapper d'anathème l'erreur d'Eutychès, prêtre et archimandrite, ou abbé du célèbre monastère de Constantinople; et expliquer le dogme catholique contre cet hérésiarque tombé dans une hérésie opposée à celle de Nestorius, parce qu'il voulait qu'on n'admît qu'une nature en Jésus Christ, comme on n'y admettait qu'une personne.

« Ainsi, vit-on, dans le VII[e] siècle, les pères du sixième concile Œcuménique tenu à Constantinople, démêler et confondre les sophismes des monothélites, lesquels soutenaient qu'il n'y avait qu'une volonté et une opération dans Jésus-Christ Dieu-homme, et établir en même temps, contre les sentiments hétérodoxes de Cyrus, évêque d'Alexandrie, et de Sergius, patriarche de Constantinople, la distinction des volontés et des opérations propres des deux natures dans le Verbe incarné, comme la foi obligeait d'y reconnaître la distinction des deux natures sans aucune confusion.

« Ainsi, vit-on le concile de Frioul, l'an 791, celui de Ratisbonne, l'an 792, et celui de Francfort, l'an 794, proscrire l'erreur de Félix, évêque d'Urgel, et d'Elipand, évêque de Tolède, qui osèrent avancer que Jésus-Christ n'était pas fils propre et naturel de Dieu, mais seulement fils de Dieu par adoption et par grâce.

« Mais peut-on appeler des termes vides de sens et d'idées, ceux qu'on emploie pour fixer toute l'étendue d'un dogme, avec une précision si exacte, qu'on ne peut rien dire de plus ou de moins, qu'on n'aperçoive l'écart? Or, les termes consacrées pour énoncer nos mystères sont de cette nature, comme le prouvent sensiblement et invinciblement la pratique et l'autorité des pères et des conciles que je viens de citer.

« Qu'on approfondisse la doctrine lumineuse de ce que l'école appelle *communication d'idiomes*, et qui consiste à attribuer à la personne du Verbe incarné les dénominations des deux natures et de leurs propriétés, premièrement parce que c'est une maxime universellement reçue que les dénominations qui signifient les natures ou les propriétés des natures sont dénominations des suppôts ou des personnes, et leur doivent être attribuées; secondement, parce que dans Jésus-Christ, les deux natures ne subsistant que par la seule personne du Verbe, on doit conséquemment attribuer à cette personne les dénominations des deux na-

tures et de leurs propriétés. Qu'on approfondisse cette doctrine avec tous les théologiens catholiques, et l'on verra clairement que, quoique le fond du mystère de l'Incarnation soit incompréhensible à bien des égards, on peut néanmoins, la révélation de ce mystère une fois bien établie, raisonner très-juste et d'une façon très-intelligible sur le même mystère.

« Encore un exemple pour éclaircir de plus en plus la difficulté proposée. Quand je dis : *Je crois d'une foi ferme, sur l'autorité infaillible de la révélation divine, que Dieu a tiré ce monde du néant, ou qu'il l'a fait sans qu'il y eût aucune matière préexistante,* cette proposition contient une vérité dont la révélation me donne une connaissance certaine. De plus, il n'est pas de déiste qui ne convienne que cette même proposition n'est pas énoncée en termes vides de sens et d'idées. Ni lui ni moi ne concevons néanmoins la création ; nous ne concevons pas comment ce qui est dans le néant peut acquérir l'être ; et comme il n'appartient qu'à la toute-puissance de Dieu de faire une pareille opération, il n'appartient non plus qu'à son intelligence infinie de comprendre comment elle se peut faire. Je puis donc, à la faveur de la révélation, acquérir des connaissances certaines, et les exprimer par des termes qui ne soient pas vides de sens et d'idées. Donc la révélation, avec toute l'incompréhensibilité des objets qu'elle propose à croire, ne met pas ses partisans dans le cas d'*une armée qui, ayant perdu la bataille, ne se dérobe qu'à la faveur de la nuit, à la poursuite du vainqueur.* Ce cas est bien plutôt celui des incrédules ; ils n'ont de ressources que les ténèbres, quand on les suit pied à pied. Il faut nécessairement qu'ils s'y réfugient pour cacher leur honte et celle de leurs dogmes, qui, écartés des notions communes, ne peuvent se concilier avec le bon sens, et ne laissent rien apercevoir de plus clair que leur absurdité.

« Au reste, ce que j'ai dit de la création a également son application par rapport à tous les autres mystères. En effet, quoiqu'il soit vrai, par exemple, que je n'aie pas de l'unité de la nature divine et de la Trinité des personnes divines une idée claire et distincte ; quoiqu'il soit encore vrai, qu'à raison de l'infini qui est essentiellement en Dieu, il n'y ait pas de commensurabilité en ce qu'on appelle en Dieu nature et personnes, et ce qu'on appelle nature et personnes dans les hommes ; j'ai néanmoins une idée générale de ce que c'est que nature et personne, soit que je parle de Dieu, soit que je parle des hommes ; or, cette idée générale, toute imparfaite qu'elle est, me suffit pour assurer que je ne prononce pas des termes vides de sens et d'idées, lorsque je produis cet acte de foi : *Je crois, sur la parole infaillible de Dieu, qu'il n'y a qu'une nature divine, d'une unité numérique et indivisible, laquelle a trois substances, ou laquelle est terminée par trois personnes réellement distinguées, le Père, le Verbe et le Saint-Esprit.* L'incompréhensibilité du mystère n'en subsiste pas moins, et doit subsister pour l'exercice de ma foi, et pour me mettre en état de rendre à Dieu l'hommage de mon esprit, dont je ne lui suis pas moins redevable que de l'hommage de mon cœur, et de celui de toutes mes autres puissances.

« Mais, pour répandre un plus grand jour sur cette matière, il faut observer que, lorsqu'il est question des objets de la foi, il est nécessaire d'avoir recours à des termes dont les idées naturelles aient quelque relation, plutôt que quelque proportion, avec les idées transcendantes de la même foi. Je m'explique : relation et proportion sont des choses qui, en bonne logique, ne doivent pas être confondues. Il peut y avoir une relation très-réelle entre le fini et l'infini, et il ne saurait y avoir aucune proportion réelle entre l'un et l'autre. Ainsi, les termes qu'on emploie pour exprimer les objets de la foi, ont bien quelque relation aux objets naturels qu'on exprime par les mêmes termes, mais de proportion, il n'y en a aucune. Or, la relation suffit pour fonder la même façon de s'énoncer ; mais le défaut de proportion ne permet pas l'identité d'idées par rapport aux objets, quoique exprimés de la même manière.

« En deux mots, en tant que les termes de nature et de personne ont, dans la définition qu'on en donne, quelque chose de commun à Dieu et aux hommes, je conçois ce quelque chose qui est commun à Dieu et aux hommes ; mais en tant que ce qui s'appelle dans Dieu nature et personne, est infini, et d'un ordre tout différent de ce qu'on appelle nature et personne dans les hommes, je cesse de comprendre ; et sur la parole de Dieu, dont je me suis auparavant bien assuré, je crois et j'adore ce que je ne puis comprendre.

« C'est de la sorte qu'ayant une idée de justice et de miséricorde, dont je vois quelque exercice parmi les hommes ; quand je parle de

la justice et de la miséricorde de Dieu, je ne tiens pas un langage frivole et dépourvu de sens. Ce n'est pas, pour me servir des expressions de Tertullien, une simple agitation de l'air qui se fait bien entendre aux oreilles, mais qui ne présente rien à l'esprit : *Aer offensus, intelligibilis auditu, cæterùm, vacuum nescio quid, et inane ;* et je conçois quelque chose de réel en parlant de la source de toute justice et de toute miséricorde. Mais, quand il s'agit d'une justice infinie, en tant qu'infinie, et d'une miséricorde infinie, en tant qu'infinie, telle que l'une et l'autre est en Dieu, et surtout quand il s'agit de l'union de ces deux attributs dans un degré infini, ces idées sont si transcendantes, que mon esprit succombe sous le poids de cet infini; et dans les différents mystères qu'on propose à ma foi, rien ne peut me rassurer que l'autorité souveraine de la vérité par essence. Dès ce moment, je n'entreprends plus de raisonner, et de porter des regards téméraires sur une majesté infinie; mais je me borne, sagement et par raison, à croire et à adorer.

« Voilà comment, selon l'expression de saint Paul : Nous connaissons en partie, *ex parte enim cognoscimus,* et la partie que nous connaissons forme le côté lumineux et proportionné à notre faible intelligence, à la faveur duquel nous pouvons nous exprimer d'une manière qui ne soit ni vide de sens, ni tout à fait intelligible, et même raisonner jusqu'à un certain point sur les mystères, *et ex parte prophetamus.* Mais nous ne connaissons qu'en partie, et la partie que nous ne connaissons pas forme le côté voilé et couvert de ténèbres mystérieuses qu'il n'est pas donné à la raison de percer, mais qu'il est ordonné à tout entendement humain d'adorer en silence, et dans les sentiments d'une foi vive et respectueuse : *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* » (Explicit annotatio P. S.)

De doctrinæ christianæ sapientiâ.

Religio christ. si partes contineat, quas nullo modo possit mens humana cogitatione complecti, tamen in iis omnibus quæ pertinent ad praxim et moderationem vitæ, valdè clara atque perspicua est : mysteria Trinitatis et unionis hypostaticæ nullam obscuritatem afferunt cæteris revelatis veritatibus, quæ principia nostrarum actionum esse debent : verbi gratiâ, clarè intelligimus ex doctrinâ evangelicâ nos non posse salvari nisi in nomine Christi, nec sperandam esse remissionem peccatorum nisi ex meritis passionis ejus. Illud fundamentale totius nostræ Religionis principium valdè clarum est, et illi opponere solent deistæ hasce propositiones, Deum non esse colendum per mediatorem, nec veniam sperandam propter virtutem passionis Christi, vel alicujus sacrificii, sed Deum ex arbitrio et gratis remittere posse peccata, ac semper eadem remittere propter pœnitentiam. Jam verò cùm huius controversiæ materia clarè perspiciatur, ad illam dirimendam adhiberi ratio potest : nec puto timendum esse ne veritates ullæ clarè perceptæ sibi invicem oppositæ videantur : meminerimus solummodò infinitam sapientiam infinitas habere posse agendi rationes, quas nos non pervidemus. Habemus sanè in hâc parte ducem S. Paulum, qui in primâ suâ Ep. ad Cor. c. 1, hæc verba habet : « Verbum enim crucis pereuntibus stultitia « est, iis autem qui salvi fiunt, id est, nobis, « Dei virtus est..... quoniam et Judæi signa « petunt, et Græci sapientiam quærunt, nos « autem prædicamus Christum crucifixum, « Judæis quidem scandalum, gentibus autem « stultitiam; ipsis autem vocatis Judæis at« que græcis Christum Dei virtutem et Dei « sapientiam, quia quod stultum est Dei sa« pientius est hominibus, et quod infirmum « est Dei fortius est hominibus. » Quorum verborum sensus non est christ. fidem Judæis reverà scandalum esse propter defectum miraculorum, et gentibus stultitiam propter manifestam doctrinæ absurditatem : nam paulò post Apostolus addit se multa miracula in confirmationem doctrinæ christ. fecisse : *Sermo meus*, ait, *et prædicatio mea non fuit ad vos in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritûs et virtutis ;* dicit etiam *se loqui sapientiam inter perfectos.* Sensus igitur est, Christum, etsi non fecerit signa et prodigia in cœlo, qualia volebant Judæi, etsi ejus doctrina aliena sit à philosophiâ paganorum; tamen reverà usum esse illis mediis quæ adhibere eum decebat ad convincendos Judæos, et in ejus doctrinâ contineri reconditam sapientiam, quam facilè perfecti percipiunt, sive illi qui animum attentum nec perturbatum cupiditatibus afferunt. Contendimus igitur cum S. Paulo Religionem christ. in hâc parte non minùs quàm in suâ incomprehensibilitate, distare à cæteris omnibus religionibus et philosophorum systematibus, quòd cùm hominum inventa nequaquàm cohæreant, et temeritatem

vulgi vel philosophorum vanitatem sapiant, sola doctrina Christi sit in totâ suâ complexione secum consistens, sola Deo digna, sola ad homines excitandos ad pietatem et sanctitatem benè comparata.

PROPOSITIO.

Doctrina christiana est ex omni parte sapientissima.

PROBATIO. — Illa doctrina sapientissima est, et propter sapientiam divina censeri debet, in quâ nulla sunt indicia humanæ vanitatis : sed quæ è contrario Dei dignissima est propter excellentem, quam ingenerat animis, divinæ naturæ ideam ; homini quoque est utilissima, atque ad promovendam virtutem aptissimè comparata : nam Religionis istæ duæ sunt partes, ut homines in divinæ naturæ perfectissimam notitiam ducat, eosdemque ad sanctissimam vitam instituat. Atqui, etc.

PRIMA PARS. — Doctrina christ. est Deo dignissima, propter excellentem quam nobis exhibet divinæ naturæ formam. Illa quippe doctrina Deum veriùs exprimit, quæ illum exhibet quàm longissimè remotum ab omni levitate et temeritate, sibi semper constantem, semper agentem secundùm leges æternas et immutabiles æquitatis : nulla etenim res est tam divina quàm constantia et rata voluntas semper agendi secundùm ordinem rerum æternum et immutabiles earum naturas. Tolle hanc in Deo constantiam, sustulisti omnem majestatem, quæ in ente, quod temerè et sine causâ ex arbitrio agit, nulla est; sustulisti justitiam, quæ nihil aliud est quàm constans voluntas agendi juxta incommutabiles virtutis et vitii naturas; sustulisti sapientiam, quæ est rerum administratio juxta easdem æternas regulas; sustulisti sanctitatem, cujus cum iisdem legibus necessariam concipimus habitudinem; sustulisti etiam bonitatem, quæ nequaquàm est in Deo temeraria, et sine lege benignitas, sed voluntas benefaciendi quantùm leges sapientiæ, æquitatis et sanctitatis permittunt; uno verbo, sublatâ illâ divinâ constantiâ, omnem naturam divinam sustulisti, et Spinosæ Deum omnia agentem temerè et sine consilio posuisti. Atqui in doctrinâ christ. magis elucet divina constantia, atque etiam illa omnia attributa, quæ ex illâ dependent, quàm in quâcumque aliâ doctrinâ, quæ fuit unquàm conficta, vel fingi potest.

Doctrina christ. ad has tres partes revocari potest : 1° ad ea quæ de primâ rerum constitutione post creationem docet, seu de primævâ rerum conditione, et mali moralis atque physici origine, ac peccati naturalibus effectibus; 2° ad ea quæ ob Christi merita in hominum præsenti et futurâ conditione mutata sunt, seu quæ de fœdere gratiæ, ejusque conditionibus tradit; 3° ad methodum redemptionis hominum atque officia Christi mediatoris. Atqui in his omnibus partibus multùm elucet divina constantia, et omnia quæ ex illâ dependent attributa.

I. In his quæ Religio docet de primâ rerum constitutione. In istâ scilicet hæc obtinebant : 1° homo creatus est in statu perfectionis et felicitatis ad imaginem et similitudinem Dei, et hoc quidem liberè, gratuitò et ex indebitis; 2° Deus postulabat ab homine perfectam obedientiam; 3° fuit Dei consilium, ut felicitas stabilis et immortalitas essent præmium obedientiæ, et ita cum illâ conjungerentur, ut inobedientia illarum esset amittendarum causa; 4° tamdiù mors et miseria, quas attulisset peccatum, manere debebant, quamdiù reatus peccati maneret; 5° denique peccatum à Deo remittendum non erat gratis et arbitrariè, nec etiam ob hominum pœnitentiam. Atqui in istis omnibus partibus et conditionibus primævi fœderis magis elucet divina constantia, quàm si contrarias conditiones statuisset Deus.

Dico 1° æquè consentaneum esse rationi, quòd Deus hominem creaverit ad suam imaginem, rectum et immortalem, in statu perfectionis et felicitatis liberè et gratuitò, quàm quòd primitùs eum fecerit obnoxium omnibus illis malis quibuscum nunc colluctatur, et cum illâ nativâ ad benè agendum difficultate, quod volunt deistæ et Pelagiani. Hoc per se evidentissimum est : si enim satis boni contineat mortalis hæc hominum conditio, ut digna Deo optimo habeatur, ergo à fortiori Deo dignus erat ille status primævus perfectior, quem docet religio christ. Præterea nihil adeò in omni ætate mentes doctissimorum hominum perturbavit ac miserabilis sors generis humani, dùmque ad atheisticam impietatem leviores philosophos compulit, sapientiores quosdam, ut Pythagoram, Platonem et alios, ad opinionem deduxit non valdè à nostrâ abhorrentem : hi etenim, nullâ aliâ ratione divinam providentiam defendere posse se arbitrati sunt, nisi propugnando præsentem vitam esse statum calamitatis, in quem ob peccata olim admissa devenimus : ex quo videtur sequi difficiliorem atque obscuriorem esse cogitationem, quomodò

Deus optimus hominem, in eo ignorantiæ et concupiscentiæ gradu, in quo nascitur, creare initio potuerit, quàm quòd ex felici conditione in hunc statum suâ culpâ deciderit.

Dico 2° magis esse consentaneum rationi, quòd Deus ab homine perfecto et instructo omnibus dotibus, imò majoribus quàm quæ ad naturæ suæ excellentiam pertinebant, perfectam exegerit obedientiam, quàm quòd eamdem non exegerit. Nam Deus, qui seipsum amat, et in suis perfectionibus, sanctitate et puritate, delectatur; qui semper in propriis suis actionibus sequitur æternum rerum ordinem, et immutabiles earum relationes, non potest non velle, ut creatura auctorem suum, quantùm licet, suis perfectionibus exprimat et eâdem lege æternâ teneatur : imò verò tantò magis propendet in creaturas suas, quantò perfectiores sunt suî imagines : necesse igitur fuit, ut à creaturâ suâ exigeret Deus obedientiam et sanctitatem. Si illam exigere debebat, propter eamdem causam debebat illam exigere, quantùm homo eam præstare poterat : sed in eo in quo erat statu perfectionis, integram et perfectam facilè præstare potuit : ergo perfectam exigere debuit Deus.

Dico 3° magis esse consentaneum rationi, quòd Deus leges suas sanxerit comminatione pœnarum, et felicitatem cum virtute consociaverit, quàm quòd contrarium egerit. Docent philosophi et jurisconsulti nullam esse omninò imperii majestatem, nullam legum auctoritatem sine sanctione pœnarum, seu si impunè leges contemni possint, nullam esse earum vim, nullam eas inducere necessitatem saltem externam ex intuitu felicitatis suæ. Erat ergo eadem necessitas leges confirmandi sanctionibus pœnarum, quæ fuerat eas omninò ferendi. Prætcrea cùm de naturâ divinâ, ejusque perfectionibus judicemus ex divinis præceptis, signisque divinæ approbationis aut iracundiæ, si nullam Deus habuisset rationem bonorum ac impiorum in suâ rerum administratione, non modò liceret nobis non esse bonis, propter impunitatem; verùm etiam dubitandi causa esset, an in nobis Deus pietatem exigeret.

Dico 4° magis esse consentaneum rationi, ut pœnæ peccato debitæ hominem peccatorem semper comitentur, quamdiù nulla est inter Deum et hominem reconciliatio, quàm quòd manente peccato homo ad pristinam felicitatem restituatur (1). Nam si justissimo Dei decreto injuncta fuerit homini perfecta obedientia sub pœnâ mortalitatis et miseriæ, nullo modo concipitur, quomodò manente peccato tolli possit pœna, ac homines immortales et felices denuò efficiantur, quamvis peccatores.

Dico denique 5° nullam spem legitimam affulgere potuisse hominibus lapsis delendi peccatum per pœnitentiam, aut veniam obtinendi ex arbitrariâ et gratuitâ Dei condonatione ; seu saltem minùs videri consentaneum rationi, ut Deus peccatum gratuitò condonet, aut propter pœnitentiam remittat. Gratuita certè remissio peccati minùs Deo digna videtur ob plurimas causas; eas videlicet ex quibus concludunt theologi judicii divini necessitatem post hanc vitam ad bonorum remunerationem. Ista gratuita remissio minùs consona videtur divinæ sapientiæ : non est quippe sapientis leges ferre, et illas semel latas non servare : non est sapientis sui imperii majestatem, et legum suarum auctoritatem contemptui exponere. Videtur etiam minùs consentiens divinæ justitiæ : nam tunc divina administratio non procederet juxta incommutabiles rerum naturas : virtutis et vitii nullam haberet rationem : bonos et malos pares efficeret, quos natura rerum divisisset quàm maximè. Esset minùs conveniens cum divinâ sanctitate : nam in condonatione gratuitâ nullum vitii odium vel levissimum appareret. Imò esset minùs consona divinæ bonitati : nam alienum est à bonitate bonas leges invertere; et non servare rectam constitutionem rerum ad commune bonum prorsùs necessariam. Uno verbo, illa agendi ratio, si locum semper haberet, perverteret omnia principia naturalis legis; nec virtutis necessitatem ullo modo ostendere possemus.

Deinde verò alienum quoque videtur à divinâ constantiâ peccata remittere propter solam pœnitentiam : nam si Deus arbitrariè remittere peccatum non debeat, ergo necessaria est peccati expiatio, quâ servetur divini imperii majestas, quâ legum divinarum auctoritas adstruatur, quâ numinis sanctitas in odio et vindictâ peccati manifesta sit, quâ denique crea-

(1) His planè consentiunt sequentia Bossuetii verba : « La peine rectifie le desordre, inquit; qu'on pèche, c'est un désordre; mais qu'on soit puni quand on pèche, c'est la règle. Vous revenez donc par la peine dans l'ordre que vous éloignez par la faute. Mais que l'on pèche impunement, c'est le comble du désordre. Ce serait le désordre, non de l'homme qui pèche, mais de Dieu qui ne punit pas. Ce désordre ne sera jamais, parce que Dieu ne peut être déréglé en rien, lui qui est la règle » (*Médit. sur le sermon sur la Mort*. XIe jour.)

P.-S.

tura restituatur ad pristinam sanctitatem. Atqui pœnitentia nullo modo vera et propriè dicta expiatio censeri potest, quia neque satisfacit divinis attributis, neque efficit creaturam sanctam et impollutam. 1° Non satisfacit divinis attributis : illius enim legislatoris honori non est sapienter consultum , qui contemni potest impunè : neque ille legislator testatur odium peccati, qui facilis arripit omnem occasionem ignoscendi; neque justus est, seu constans in agendo secundùm rerum immutabiles naturas, qui sanctiones legum, quas posuit sapientia, et quæ prorsùs necessariæ sunt ad bonum commune, violat leviter et sine causâ. Atqui si Deus ob solam pœnitentiam remitteret peccata, manifestum est non esse satis Dei honori consultum, et majestatem ejus imperii contemni posse impunè : vita creaturæ rationalis posset esse perpetua successio iniquitatis et pœnitentiæ. Non sufficienter manifestaret Deus infinitum, quo detestatur peccatum, odium; sanctionem quippe legum prorsùs aboleret, quæ post admissa scelera non necessitatem tantùm pœnitentiæ, sed pœnæ inducit : ita enim existimaverunt omnes legislatores, quibus nunquàm contigit ponere in legibus suis, pœnitentiam sufficientem fore criminum expiationem. 2° Non intelligitur quomodò per pœnitentiam recuperari possit pristina justitia et sanctitas; et consequenter felicitas, quæ in constitutione entis sanctissimi à sanctitate divelli non potest. Nam in pœnitentiâ tria tantùm distingui possunt, videlicet dolor pro peccato, emendatio vitæ, et voluntaria quædam castigatio : sed nulla est horum vis ad eluendum peccatum, procreandamque sanctitatem. Non doloris : nam ille nos arguit solummodò peccatores, cùm sit angor ex transgressione legis et delicti conscientiâ ortus in animo; sed nullo modo declarat, vel hominem efficit innocentem. Non emendatio vitæ: etenim cùm debeamus omnes nostros actus ad Deum referre, ejusque legibus semper obtemperare, dùm benè vivimus, nihil nisi officium præstamus, nihil reddimus indebitum ex quo oriri possit satisfactio vel expiatio pro præterito peccato. Non pœna aliqua voluntariè suscepta illam vim abolendi peccatum habere potest : tum quia pœnam nullam in se suscipere creatura potest parem offensæ Deo illatæ; tum quia etiamsi hoc posset, pœna illa per se sine acceptatione liberâ personæ læsæ, à quâ semper pendet satisfactionem oblatam, vel admittere, vel respuere, nullam habet efficaciam; igitur pœna hæc, sicut dolor, arguit peccatricem creaturam illam, quæ proprio judicio pœnæ obnoxia est.

II. Si ad ea spectemus, quæ ob merita Christi in præsenti et futurâ generis humani conditione mutatâ docet Religio christiana, seu ad naturam conditionesque fœderis gratiæ, omnia sunt Deo dignissima, quia in isto fœdere quantùm fieri potuit, sapienter consultum est, et divino honori, et saluti hominum. Consultum quidem est, quantùm fieri potuit, divino honori: nam nihil aliud in præsenti conditione exigere potuit Deus ab hominibus, quo suam sanctitatem demonstraret, præter fidem, quæ sit omnis nostri cultûs fundamentum, pœnitentiam, quâ Deo satisfaceremus, si non ad strictos juris apices, saltem pro viribus; et obedientiam, quàm fieri posset, perfectissimam. Nihil aliud præstare possumus. Atqui hæc strictissimè injunxit Deus, ut supra diximus. Consultum est etiam, quantùm fieri potuit, hominum saluti: nam nihil aliud præstare in hunc finem potuit Christus, saltem sine mutatione conditionis humanæ et providentiæ suæ naturalis, præter remissionem peccatorum, tum originalis, tum actualium; distributionem gratiarum, quibus benè vivere, et sanctitatem pristinam consequi possemus; æternamque in ejus intuitivâ visione beatitudinem. Atqui hæc omnia commoda sunt partes fœderis gratiæ.

III. Si spectemus methodum, quam in reparando humano genere secutus est Deus, omnesque partes mediationis Christi, mirè in illâ elucere deprehendemus omnia attributa Dei, idque magis quàm in aliâ quâcumque hypothesi, ob duplicem hanc causam, quòd in istâ reparatione generis humani immensam charitatem Deus significaverit, eamque demonstraverit cum maximâ dignitate. Deus 1° summam demonstravit erga homines misericordiam et charitatem; neque si ullam aliam methodum secutus fuisset, tantam potuisset demonstrare. Nam in hâc dispensatione rerum, non modò nobis concessit maxima beneficia, ex quibus summoperè commendatur divina bonitas; sed illa, quâ hæc beneficia largitus est, ratio tam stupendam charitatem arguit, ut planè obscuretur ea, quæ in ipsis beneficiis reperitur, benignitas: neque remissio peccatorum, neque gratiarum distributio, neque æternæ vitæ concessio tantam continet divinæ erga nos charitatis significationem, quantam Incarnatio Filii Dei, voluntaria ejus demissio ac humilitas, et

ista constantia ac patientia cum quâ crudelissima tormenta et acerbissimam mortem tulit ad expugnanda nostra peccata. Etenim, ut habet S. August. : « Cùm Deus sit omnipotens, plus dare non potuit ; cùm sit sapientissimus, plus dare nescivit ; cùm sit ditissimus, plus dare non habuit. » Hincque rectè in extollendâ divinâ charitate ex hâc methodo reparandi generis humani versantur plurimùm scriptores sacri : *Verè,* inquit Apostolus, *magnum est pietatis sacramentum : verè apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum ut vivamus per eum.* Et profectò si, juxta vocem Christi, *majorem dilectionem nemo habet quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis*, quantò major est Dei benignitas, qui pro impiis et inimicis Filium suum tradidit? Sic argumentatur Apostolus ad Rom. c. 5: *Ut quid enim Christus, cùm adhuc infirmi essemus, secundùm tempus pro impiis mortuus est? Vix enim pro justo quis moritur; nam pro bono forsitan quis audeat mori. Commendat autem charitatem suam Deus in nobis quoniam, cùm adhuc peccatores essemus, secundùm tempus Christus pro nobis mortuus est.*

Deus 2° suam charitatem demonstravit cum maximâ dignitate et gravitate. Nam 1° Deus in istâ methodo nihil leviter, et, ut dicimus vulgò, arbitrariè egit ; 2° benignum se præstitit cum maximâ demonstratione sapientiæ, justitiæ et sanctitatis.

Deus certè nihil egit leviter et arbitrariè : nam in christ. dispensatione condonatur quidem peccatum; sed manet infinita inter virtutem et vitium distantia, manet peccatum dignissimum infinito odio et iracundiæ divinæ obnoxium: ipsa constitutio primæva non tam immutata est, quàm adimpleta et confirmatâ : omnia denique peracta sunt juxta ratas et immutabiles leges æquitatis. Manet certè infinita distantia inter virtutem et vitium, cùm ad expiationem peccati persolutum fuerit pretium verè infinitum : si enim ex unâ parte peccatum fuerit offensa infinita propter violatam infinitam Dei majestatem, sic etiam ex alterâ parte oblata à Christo pro nobis satisfactio valorem habet infinitum propter infinitam satisfacientis personæ dignitatem. Manet etiam peccatum divino odio semper obnoxium, eique infinito, cùm illud ultus sit Deus quantâcumque potuit severitate in morte Filii sui. Ipsa quoque primæva constitutio, quæ perfectam postulabat obedientiam, non immutata est, sed potiùs confirmata : nam Christus, mediator et caput nostrum effectus, illam præstitit perfectam obedientiam, ad quam primus parens tenebatur ; et à nobis exigit obedientiam quantùm nunc possumus perfectissimam. Tandem omnia perfecta sunt juxta æternas et immutabiles leges æquitatis : hoc sequitur ex eo quòd servaverit suam primam constitutionem Deus, et infinitum reverà testatus sit erga peccatum odium. Finge quamcumque aliam hypothesim, seu methodum aliam reparandi generis humani, non erit in illâ vitii et virtutis naturâ infinitè divisâ, neque expressum infinitum Dei odium adversùs peccatum, neque servabitur prima constitutio rerum : condonare enim peccatum arbitrariè quid aliud est, quàm declarare se nullam habere rationem virtutis et vitii, sanctitatis jura parùm curare, et in agendo nullatenùs sequi immutabiles leges æquitatis? Ergo, ut supra posuimus, Deus sese benignum ostendit cum maximâ demonstratione sapientiæ, justitiæ et sanctitatis : sapientiæ quidem, cùm servaverit etiam in miserendo imperii sui majestatem et auctoritatem legum ; justitiæ, cùm juxta naturas rerum, et immutabiles leges æquitatis processerit hominum redemptio ; sanctitatis, cùm testatus sit Deus se maximè abhorrere à peccato. Ergo ex omni parte doctrina christ. est Deo dignissima propter excellentem, quam nobis exhibet, divinæ naturæ formam.

Secunda pars. — Doctrina christiana est aptissimè comparata ad promovendam virtutem. Nam illam vim habent, tum beneficia fœderis gratiæ, tum ipsa christianæ doctrinæ dogmata.

I. Singularem vim ad promovendam virtutem habent fœderis gratiæ beneficia : tria sunt, nempe placabilitas numinis, seu virtus pœnitentiæ sub Christi insignibus ad abolenda peccata ; auxilia gratiæ divinæ ; et certa spes resurrectionis, summæque felicitatis.

1° Multùm promovet virtutem certa spes divinæ amicitiæ per pœnitentiam conciliandæ. Quamvis ante Religionis christianæ propagationem homines spem veniæ conceperint, et divinæ placabilitatis quædam præsumptio inhæreat naturaliter hominum mentibus, tamen cùm ex solâ ratione effici nequaquàm possit Deum obstrictum esse ad remittenda peccata, è contrario verò doceat ratio supremum moderatorem et judicem mundi ad vindicandam legum auctoritatem severitate uti debere, nunquàm ab omni anxietate liberi esse potuerunt homines, et ideò videmus populos omnes magnam vim posuisse in sacrificiis propitiatoriis.

Nihil igitur magis congruebat, nihil divinâ bonitate dignum magis, nihil hominibus jucundius et ad alacritatem excitandam aptius, quàm certa spes veniæ, et divinæ recuperandæ amicitiæ post quævis patrata crimina : et spes præsertim posita in illis principiis, quæ simul maximam ingenerarent fiduciam, neque peccati minuerent turpitudinem. Hoc præstitit Religio christiana et nullâ aliâ methodo præstari potuit. Si gratis et sine causâ pro arbitrio Deus declarâsset se condonaturum esse peccata, multò minùs nobis vitii fœditatem demonstrâsset, neque etiam tantam fiduciam et securitatem attulisset illa declaratio, quantam attulit crux Christi, quæ sincerissimi Dei erga nos amoris signum est maximè luculentum, speique fundamentum cum nullo alio comparandum.

2° Auxilium divinæ gratiæ, quod quisque sperare potest et debet, aliud est efficacissimum in Religione pietatis præsidium et incentivum. Nihil adeò ad pugnam adhortatur, quàm certa spes auxilii necessarii ad victoriam. Inter philosophos sapientissimi adeò erant pravitatis humanæ conscii; tantam experiebantur hominum esse incogitantiam, mobilitatem et stupiditatem; tanta ex pravâ eorum institutione præjudicia et falsas opiniones; tantam appetituum vim, ut hominum reformationem rem planè desperatam existimaverint, nec, sine divinâ ope, ratione vel præceptione philosophiæ eam perfici etiam posse, atque idcircò rem nunquàm tentârunt. In istâ conditione, quid melius et jucundius hominibus afferre potuit Deus pollicitatione divinæ opis ac demonstratione illius præsentiæ ex subitâ orbis conversione?

3° Clariores futuræ vitæ et resurrectionis promissiones confirmatæ non tantùm divinâ voce, sed etiam resurrectione Christi tertium sunt motivum ad excitandos homines ad virtutem, quo caruit omnis alia religio. Nam etsi probari ex ratione possit animæ immortalitas, et divini post mortem judicii necessitas, tamen certissimum est hoc mortalis vitæ principium contrariis philosophorum opinionibus, et plebis erroribus adeò fuisse obscuratum, ut vix ullam habuerit ad moderandam hominum vitam efficaciam. Multùm igitur hominibus profuit Evangelium, cùm *illuminavit vitam et immortalitatem, et iram Dei declaravit super omnem injustitiam*, nullumque reliquit dubium, quin immensum gloriæ pondus ex virtute consecuturi essent justi, et tormenta in vindictam scelerum experturi essent improbi à Deo vivo, in cujus manus incidere horrendum est.

II. Ipsa dogmata religionis christ. multa continent virtutis incentiva, ad omnia excitant potentiùs officia, sive religionis erga Deum, sive humanitatis erga alios homines, sive prudentiæ, quæ nosmetipsos spectant.

Religionis officia sunt reverentia, amor, timor, fiducia et devotio. Jam verò hæc omnia confirmat doctrina christ. Reverentiam quidem auget, dùm Deum semper augustum, sanctum et justum etiam in exercendâ misericordiâ exhibet. Amorem et gratos animi sensus auget, dùm immensam ejus benignitatem quæ superat omnem sensum in mysterio redemptionis aperit. Auget timorem, dùm nunquàm nisi secundùm æternas æquitatis leges operantem repræsentat, nobisque omnibus argumentis inculcet felicitatem cum iniquitate sub Dei imperio consistere non posse. Auget fiduciam, cùm non in arbitrariâ benevolentiâ, sed in æternis et immutabilibus rerum relationibus, propter satisfactionem Christi, Dei benevolentiam positam ostendat. Auget devotionem seu perfectam resignationem animi nostri divinæ voluntati; cùm in dispensatione christ. intelligamus Christum Dominum nostrum non otiosum esse nostrarum rerum spectatorem, sed maximè de nobis sollicitum, ac gerere erga nos illos affectus, qui sunt amici, qui sunt fratris, qui sunt parentis optimi.

Deinde verò fortiùs etiam excitat Religio christ. ad mutuam charitatem, et illa omnia officia, quæ ex charitate dependent, cùm nobis strictissimè injungat reddere nos conformes imagini illius, qui pro salute hominum asperrimam vitam, gravissimos dolores et acerbissimam mortem sustinere non dubitavit. Et reverà nulla Religio in hominum cordibus accendi illum zelum et ardorem, quo pro hominum conversione flagrârunt Apostoli, et post illos in perpetuâ serie alii benè multi eorum secuti vestigia. Denique confirmat Religio christ. et quodammodò intendit officia hominis omnia erga seipsum; cùm ex hâc œconomiâ div. intelligat Christianus magis quàm ex aliâ quâcumque re, quàm excellentis sit naturæ; quis enim se redemptum tam incomprehensibili ratione per incarnationem et mortem Filii Dei putare potest, quin summâ ope nitatur, ut tanto Dei munere semper aliquid dignum et sentiat et faciat?

Obj. 1°: Sapientia divinæ œconomiæ ponitur præcipuè in hoc principio, quòd peccata hominum nec Deus debuerit gratis condonare,

nec propter pœnitentiam remittere. Atqui utrumque falsum est : 1° Quidem gratuitò potest peccata condonare, nec hæc gratuita condonatio peccati fuisset contraria divinis attributis, et speciatim justitiæ. Nam ille non est injustus, qui nemini facit injuriam, sed solummodò de jure suo cedit. Injuriam nemo sibi inferre potest. Atqui Deus gratuitò condonando peccatum nemini faceret injuriam : non peccatori, in cujus commodum cederet gratia; non aliis creaturis, quibus nihil detraheret per datam alteri veniam. 2° Pœnitentia sufficiens est pro peccato expiatio, propter duplicem rationem. Prima est, quòd Deus non irascatur nisi propter peccatum, et proinde aversio à peccato Dei favorem debet recuperare. Secunda est, quòd pœnitentia sit finis unicus pœnæ inflictæ, quo obtento cessare debet pœna : nam omnis punitio referri debet ad bonum patientis, et ob alias causas punire crudelitas est. Apud homines non infliguntur pœnæ nisi ad impedienda alia mala.

Nego min. : Nec debuit Deus gratis peccata condonare, nec est per se pœnitentia sufficiens peccati expiatio propter rationes supra allatas. Ad confirmationem primæ partis resp. : Nego maj. Nam non solùm is est injustus, qui aliis infert injuriam ; sed etiam qui sibi infert, aut sibi inferri ab aliis ignavè patitur : nam officia sunt erga seipsum, sicut et erga alios. Deus denegare non potest sua attributa, non potest non vindicare majestatem suam auctoritatemque legum, quas ad bonum commune sanxit æterna sapientia ; hoc sibi debet multò magis, quàm tenetur ad non violandas creaturas suas. Si condonare possit peccatum gratis, potest etiam relinquere imperii moralis habenas ; potest dispensare à legibus æternis et immutabilibus æquitatis ; potest nullam habere rationem, aut virtutis, aut vitii.

Resp. etiam : Nego min. Nam Deus inferret aliis, et ipsi aliquo modo peccatori, injuriam : violaret nempe, et pro arbitrio rescinderet leges universales æquitatis, in quarum strictissimâ observatione communis felicitas consistit, et ex quibus derivatur omnis in vitâ humanâ ordo et harmonia : haud secùs ac rex injuriam inferret omnibus civibus, qui leges fundamentales reip. violaret et impunitatis spem improbis daret ; quamvis ex illâ violatione nihil detrimenti caperet directè et immediatè respub. Ad confirmationem secundæ partis resp. vanissimam esse utramque rationem ibidem allatam. Primam quidem ; quia ex eo quòd Deus non irascatur nisi propter peccatum, non sequitur recuperari divinum favorem per aversionem creaturæ à peccato, ejusque pœnitentiam. Nam in peccato displicet Deo non solùm inordinatio actualis creaturæ, sed etiam contemptus legum et spreta majestas imperii. Hinc criminis naturam habet peccatum, et ex peccato oritur debitum, quo justitiæ divinæ obligamur. Jam verò etiamsi inordinatio actualis voluntatis creatæ tolleretur per pœnitentiam et aversionem à peccato, non solvitur illud debitum, quo peccator obligatur justitiæ divinæ ; non diluitur crimen ortum ex contemptâ majestate legum divinarum ; et proinde, quamvis Deus non irascatur nisi propter peccatum, ejus favor non recuperatur per aversionem à peccato, sed necesse est ut solvatur debitum, et deleatur reatus (1).

Vanissima est etiam secunda ratio. Nam correctio seu emendatio peccatoris non est unicus finis pœnæ inflictæ, sed vigor et auctoritas legis, sed majestas imperii. Ob illam enim causam infligitur pœna, ob quam illam comminatur lex. Atqui lex pœnam comminatur non tantùm ad correctionem peccatoris, sed ad conciliandam vim legi ex metu pœnæ. Consequenter etiam falsum est pœnam referri solummodò ad bonum patientis : refertur ad bonum commune reip. et ad ordinis conservationem, quæ aliter obtineri non potest. Nulla est crudelitas in sequendo rerum ordine, et in agendo juxta ratas et immutabiles leges æquitatis ad bonum commune planè necessarias. Ob has easdem causas certum est, pœnis sanciri leges humanas et earum violationem vindicari, nullâ habitâ ratione pœnitentiæ malefactoris.

Obj. 2° : Multùm abhorrere videtur à sapientiâ divinâ tota ratio mediationis Christi, ut exposita est in Scripturis. Traditur hoc titulo obiisse munera tria, propheticum, sacerdotale

(1) De illâ necessitate controversia inter theologos movetur : alii nempe volunt Deum ita de jure suo cedere posse, ut peccatum peccatori saltem dolenti, etiam absque ullâ satisfactione, condonet, alii verò cum nostro auctore contendunt justitiæ vindicativæ in Deo aliquam pro reatu pœnam esse solvendam. Quidquid sit, neque ex priori opinione contra bonitatem divinam licet arguere. Esto quidem quòd Deus posset peccatum simul et pœnam debitam remittere ; sed id fiet essentialiter liberè. Nihil ergo inde concludendum, si reverà pœnam jn tam dari voluerit. Quòd si contra omnium sententiam adversarius hanc pœnæ remissionem negaret esse liberam, tunc contra hujusmodi erroneam assertionem omnes recurrerent rationes ab auctore supra expositæ. P.-S.

egregium. Atqui ex omni parte à divinâ sapientiâ abhorrere videtur ista mediatio. 1° Prophetici muneris ratio non satis cum Dei dignitate consistere videtur : non fuit Deo dignum, ut homo fieri vellet, seque infirmitate carnis oneraret ; ut passionibus, ut dolori, ut morti seipsum subjiceret : quasi non facile illi fuisset, citra corporis imbecillitatem se hominibus ostendere, eosque justitiam docere majore auctoritate professi Dei : paruissent sanè homines cum majori alacritate præceptis cœlestibus, si ad ea virtus ac potestas Dei præcipientis manifesta accessisset. Hæc communis est omnium hominum sententia : Judæi in suo Messiâ, quem tamen divinæ naturæ consortem non credunt, gloriosum et semper felicem regem expectant, nihilque adeò quoscumque infideles alienat à Christi Religione, quàm miserabilis auctoris sors!

2° Sacerdotalis muneris ratio non minùs abhorret à divinâ sapientiâ, cæterisque attributis. Nam primùm nullo modo intelligitur, quomodò consentiens sit divinæ bonitati et justitiæ, innocentem et vacuum omni crimine malis omnibus afficere ; multò minùs quomodò filium suum dilectissimum illis obnoxium facere potuerit : quasi verò punitio innocentis et absolutio rei possit divinam justitiam et sanctitatem apud homines commendare. Secundò non intelligitur quomodò passiones Christi, quæ sunt tam diversæ naturæ, tum ratione qualitatis, tum ratione durationis (impiorum pœnæ ex conscientiâ delicti oriuntur, Christi mens pacatissima supponitur ; illorum æternæ sunt, Christi breves ; innumerabiles sunt hominum mortes, Christi mors unica), potuerint substitui in locum passionum quibus homines obnoxii devenerant. Tertiò non videtur consentiens sibi doctrina christ., nam si satisfecit pro hominibus Christus, debet esse peccati condonatio absoluta, nihilque repetendum est ab eo, pro quo persolutum est pretium. Hæc tamen non ita sunt.

3° Regii etiam muneris ratio repugnat : nullam causam sanè videmus cur Deus omnem potestatem Christo tribueret, et ipse quasi dimitteret habenas regni : id alienum videtur à Dei constantiâ et majestate.

Nego min., quoad omnes partes : in istis tribus Christi muneribus elucet sapientia divina.

I. In ratione muneris prophetici : quia illa humilis conditio Christi in vitâ mortali meliùs erat comparata ad fines omnes assequendos, quos sibi proposuit, quàm alia quævis in quâ potuisset versari. Nam venit Christus ad expianda delicta hominum ; venit ad homines instituendos ad Religionem et ad bonam vitam ; venit ad constituendum regnum spiritale ; seu in vitâ suâ gerebat personam victimæ piacularis pro peccatis hominum, et doctoris justitiæ, et regis spiritalis. Atqui ad hos fines consequendos meliùs comparata erat conditio humilis, quàm alia quævis. Primò quatenùs sacerdos et victima venerat ad expianda delicta, decebat ut doloribus et morti esset obnoxius, omnisque ejus vita esset pars istius sacrificii, quod in cruce oportebat eum consummare ; oportebat ut à partu virgineo hostia efficeretur. Secundò quatenùs doctor justitiæ ad homines venerat erudiendos, oportebat etiam eum versari potiùs in humili quàm in altiori vitæ conditione, ob duplicem præcipuè causam : quia major in istâ sorte erat Christi auctoritas ; quia etiam omnium virtutum exempla dare poterat. Inprimis quidem in istâ humili sorte magis elucebat Christi divina auctoritas, quàm si solium apud Judæos occupâsset. Etenim ex unâ parte, temporalis felicitas, divitiæ, honores, potentia, rerum omnium affluentia, nullo modo sunt pignora certa divinæ benevolentiæ erga eos, qui istis potiuntur ; cùm quotidiè videamus eos abundare his opibus, qui sunt maximè flagitiosi, sibique eas facinoribus sæpissimè comparaverunt. Dignitas hominis, ejusque cum numine communio meliùs intelligitur ex præclaris virtutibus, ex excellenti doctrinâ, ex operibus quæ divinam opem præsentem significant. « Sed patibulo affixus interiit? Quid istud, ait Arnobius, ad causam? Neque enim qualitas aut difformitas mortis dicta ejus immutat aut facta. » Apud Judæos quot Prophetæ sorte nascendi haudquaquàm conspicui et à popularibus pessimè habiti? Apud paganos numquid præclarissimi philosophi obscuro loco nati sunt et indignissimâ morte perempti? Quorum tamen famæ et laudibus nihil inde decessit. « Cicuta magnum Socratem fecit, ait Seneca ; Rutilii innocentia et virtus lateret, nisi accepisset injuriam ; dùm violatur, effulsit. » Socrates philosophorum sapientissimus, exploratâ consummatæ virtutis ideâ, sic definivit : Ut ille inter malos est maximè improbus, qui malitiam ita tegeret, ut præmiis virtuti debitis frueretur, sic ille est perfectissimus virtutis assecla, qui virtutum splendore hominum sibi pareret invidiam, atque odia excitaret, ita ut sine ullo adminiculo præter innocentiæ conscientiam crucem sustineret.

Ergo nullo modo affluentia rerum omnium divinæ benevolentiæ aut innocentiæ significatio est, neque adversa fortuna argumentum est iniquitatis. Ex alterâ verò parte, cùm in magnâ fortunâ majora sint industriæ et scientiæ adjumenta, majora quoque, si quis fallere velit, fraudis adminicula; multam vim amitterent argumenta, quibus hactenùs usi sumus ad efficiendam divinam originem Religionis christ. si Christus in vitâ suâ mortali occupâsset solium judaicum. Et certè multò magis conspicuus fuit in nativitate Christi divinus favor, cùm virginali partu editus, choris cœlestibus angelorum salutatus stellâ novâ demonstratus est, etsi sit in stabulo vitam auspicatus, quàm si in regio Herodis palatio editus fuisset. Magis etiam enituit ejus divinitas in istâ vi sibi naturali, et quam adeò facilè suis discipulis communicabat, patrandi miracula, quàm si armis totum orbem imperio judaico adjecisset; in iis quæ mortem ejus comitata sunt, vel secuta, clariùs se naturæ dominum demonstravit, quàm si mortem passus non fuisset, et in throno Davidico ad hunc usque diem permansisset.

Ob hanc etiam aliam causam, eamque præcipuam, decebat doctorem justitiæ in humili versari conditione, scilicet ut omnium virtutum exempla dare posset. Nam, ut ingeniosè argumentatur Lactantius : « Quicumque præcepta dat hominibus, ac vitam moresque fingit aliorum, debet ipse facere quæ præcipit; si non fecerit, soluta præcepta sunt; si enim bona sunt, quæ præcipiuntur, si vitam hominum in optimo statu collocant, non se debet ipse præceptor à numero cœtuque hominum segregare, inter quos agit, sed ipsi eodem modo vivendum est, quo docet esse vivendum; ne si aliter vixerit, ipse præceptis suis fidem detrahat; levioremque doctrinam suam faciat, si reipsà resolvat, quod verbis nitatur adstruere. Unusquisque enim cùm audit præcipientem, non vult imponi sibi necessitatem parendi, tanquàm sibi jus libertatis adimatur. Respondebit itaque doctori hoc modo : Non possum facere quæ jubes, quoniam sunt impossibilia. Vetas me irasci, vetas cupere, vetas mortem timere; sed hoc adeò contra naturam est, ut iis affectibus animalia universa subjecta sint; vel si adeò putas repugnari posse naturæ, tu ipse, quæ præcipis, fac ut sciam fieri posse. Cùm autem ipse non facias, quæ insolentia est ut homini libero imponere velis leges quibus ipse non pareas ? . . . Quis neget justam esse responsionem hanc?... Quid ergo faciat ille præceptor, si hæc ei fuerint opposita? Quomodò adimet excusationem contumacibus, nisi ut præsentibus factis doceat possibilia se docere ? Inde evenit ut philosophorum præceptis nullus obtemperet : homines enim malunt exempla quàm verba, quia loqui facile est, præstare difficile. Qui præcipiunt nec faciunt, abest ab iis fides ; et si homines fuerint, contemnentur ut leves ; si Deus, opponetur excusatio fragilitatis humanæ. » Hæc Lactantius. Jam verò virtutes in quibus inculcandis versari debet Religio, illæ sunt quæ pertinent ad omnes homines, videlicet mansuetudo, charitas, longanimitas, patientia, puritas, rerum terrenarum contemptus : et harum virtutum prædicatorem idoneum nullo modo futurum principem gloriosum et bello felicem facilè intelligitur. Quomodò prædicare mansuetudinem et charitatem etiam erga inimicos posset bello occupatus ? quomodò rex qui splendore et potentiâ omnes alios vinceret et in nullâ re experiretur adversam fortunam, doctor esse posset æquanimitatis et patientiæ, paupertatis voluntariæ et contemptûs rerum terrenarum? Christus ergo quatenùs doctor justitiæ debebat esse in humili vitæ conditione.

Tertiò, quatenùs rex spiritalis venerat ad constituendum regnum positum in rebus cœlestibus et spiritalibus, oportebat eum affectare nullum aliud imperium nisi in animos hominum, nulla alia bona dividere nisi spiritualia : parùm apta fuisset certè methodus homines avocandi à rebus temporalibus ad cœlestia, distribuendo bona terrestria, suosque asseclas assumendo in consortium regni. Repugnabat ergo ex omni parte, ut Christus in aliâ quàm humili vitæ conditione versaretur, et vanissima est illa Judæorum et Deistarum querela, quòd magnifici et gloriosi principis speciem et apparatum non habuerit.

II. Nego sacerdotale Christi munus ex ullâ parte repugnare. Et primùm quidem haud ægrè concedimus innocentiam non esse per se obnoxiam pœnæ, et innocentem non posse puniri, ut innocentem. Fatemur veniam concessam reo et pœnæ translationem in innocentem, nec Dei adversùs peccatum odium aut Dei amorem erga innocentiam testari posse : sed defendimus innocentem, si vadem se pro reo constituerit, et ejus loco pœnam subire consenserit, posse experiri severitatem legis. In hoc casu pœna inflicta æquè est punitio criminis, æquè legislatoris odium adversùs peccatum significat, ac si in ipsum reum pœna cade-

ret. Unica quæstio est, utrùm sit æquitati consentiens illos vades et vicarios suscipere, atque in illos transferre pœnam debitam iis pro quibus se vades constituerunt?

Jam verò in suscipiendis et puniendis vadibus, nihil adeò à communi sensu alienum esse probat ipse consensus nationum, quem Grotius, minimè in hâc re suspectus judex, nobis favere declaravit de satisfact. Christi, c. 4. Et reverà ex historiâ discimus apud gentes humanissimas in more positum fuisse, ut obsides quandoque trucidarentur ob violatam fidem ab illis, pro quibus se reos supposuerant. Etsi non probanda sit ista consuetudo, quia potestatem sibi arrogabant obsides in propriam vitam, quæ reipsà sibi non competebat, id tamen indicio est, illis gentibus non visum fuisse iniquum, si, ubi potestas legitima est, homo innocens nocentis loco puniretur. In causis verò pecuniariis semper licitum judicatum est, hominem etiam in carcerem trudere, qui se dedit pro alio vadem : quæ actio civilis in eodem posita est principio, quòd liceat homini in alterius locum sua et sese subrogare. Consuetudo illa antiquissima et universalissima sacrificia offerendi in eodem principio posita erat, sive apud Judæos, sive quoscumque alios populos. Nam apud omnes victimæ in reorum locum substitutæ censebantur, et per omnes qui adhibebantur ritus significabatur translatio pœnæ à reo in victimam.

Sed non in consuetudine solâ ponimus doctrinæ nostræ auctoritatem, sed in ipsâ ratione. Subrogatio innocentium pro nocentibus esse potest illicita ob has præcipuè causas. 1° Si in id non consentiant innocentes: nam planè iniquum est, ut innocens invitus ferat pœnam criminis non sui. 2° Si non sit potestas sufficiens : nulli homini in vitam suam potestas competit, nec ulla etiam est judicibus data potestas in aliorum civium vitam, nisi ubi grave crimen ab iis admissum est. 3° Si multa ex eo in remp. incommoda redundarent; ut redundare multa necesse esset, si bonis et probis viris orbaretur resp. ad servandam vitam sceleratorum civium. Ob has præcipuè causas, fidei jussiones in causis capitalibus meritò vetitæ fuerunt bonis legibus. Sed si sponsor consentiat, si plenum habeat in se dominium aut Dei consensum, si se vadem dando non solùm nulla sibi et reip. afferat incommoda, sed è contrario multas et magnas utilitates, licebit profectò in istis circumstantiis se vadem offerre. Nemini quippe inferet injuriam: non Deo, qui annuit; non sibi, cùm multa commoda exinde arripiat; non reip. cujus etiam utilitates prosequitur. At ista omnia in Christo concurrunt; nam 1° Christus habuit plenum in suam vitam dominium, et aliunde ipsius in locum nostrum subrogationem probavit Deus : *Proprio Filio suo,* ait Apostolus, *non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* 2° Christus in id ipse consensit : *nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam à meipso.* Maximas sibi peperit utilitates, cùm propter mortem illam voluntariam Deus exaltaverit illum, et donaverit illi nomen quod est super omne nomen, omnia subjecerit sub pedibus ejus, et caput fecerit supra omnem Ecclesiam. 1° Tandem maxima etiam commoda toti reip. attulit, homines Deo reconciliavit, eos in libertatem filiorum Dei asseruit, et fecit cohæredes regni Dei : præterea confirmavit imperii divini majestatem per peccatum violatam, et legum Dei auctoritatem.

Secundò ad id, quod deinceps objicitur adversùs Christi satisfactionem, resp. Christi pœnam non fuisse quidem ejusdem generis ac hominum peccatorum : impossibile quippe erat ut castissima ejus anima elideretur illis angoribus, qui ex conscientiâ delicti nascuntur: impossibile etiam erat ut teneretur vinculis mortis, aut innumerabiles mortes pro omnibus hominibus ferret. Sed neque id necessarium erat. Nam Christi dolores, etiamsi diversi generis, tum ratione qualitatis, tum durationis, tamen propter dignitatem ejus æquivalebant omnibus pœnis et mortibus quæ hominibus peccatoribus debebantur. Si durationis non fuerint infinitæ, fuerunt infiniti valoris, et consequenter præponderabant passionibus cunctorum hominum; et *unâ oblatione,* quia perfecta erat, *consummavit in æternum sanctificatos.* Deinde animadvertendum est Deum, partem læsam, jure potuisse determinare naturam passionum, quibus satisfieret; et illarum passionum, hanc fuisse mensuram, sicut et finis erat ut suum erga peccatum odium testaretur, satis ad vindicandam auctoritatem legum suarum et imperii sui majestatem : quod profectò æquè perfectum est temporalibus Christi doloribus et unicâ morte, ac si innumerabiles mortes oppeteret, et omnium in se damnatorum pœnas susciperet.

Et certè, Deus in reparatione humani generis per mediationem Christi eamdem legem secutus est, juxta quam omnes homines ceciderant. Perfecta est primi fœderis et secundi

similitudo; et inter Adamum atque Christum convenientia. Adamus parens omnium hominum, eorum caput et sponsor, ad obtemperandum divinis mandatis devinctus erat, eâ lege ut omnes ejus actus affecturi essent posteros : ex ejus innocentiâ et immortalitate omnes homines innocentiam et immortalitatem trahere debebant; sic etiam debebat ejus inobedientia omnibus esse lethifera. Eâdem ratione, et juxta easdem administrationis leges Christus, assumptâ humanâ naturâ, caput et sponsor noster, sicut fuerat Adam, constitutus est eâdem lege, ut omnia ejus merita nos afficerent. Sic obedientia Christi facta est obedientia naturæ humanæ, satisfactio oblata à Christo imputatur naturæ humanæ, resurrectio Christi à mortuis, et ejus victoria, est resurrectio generis humani et ejus victoria in potestates tenebrarum. Hinc Apostolus vocat Christum secundum Adam, et Adam dicit figuram ejus qui venturus erat. Hinc etiam scribit : *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, ita per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ.* Cùm igitur Christus loco nostro obtemperaverit legi, et eâdem methodo fuerit perfecta reparatio, quâ derivata est in nos pernicies, sequitur præstitisse Christum id omne quod necessarium erat, et vanas proinde esse supra allatas objectiones.

Ad id denique, quod tertio loco additur, resp. nullam esse in doctrinâ christ. repugnantiam, dùm Christi admissâ satisfactione negat omnibus absolutè et sine conditione remitti peccata. Nam in hoc differt satisfactio propria, et satisfactio per vicarium seu imputativa, quòd ex priori necessariò et absolutè fiat peccatorum omnium expiatio; quia si quis plenam pro suis peccatis offerret satisfactionem, eodem tempore quo satisfaceret, pretium etiam applicaret ad abolenda peccata. Sed res ita se non habet ubi satisfactio oblata est ab alio : manet in potestate tum ejus cui satisfactum est, tum ejus qui satisfecit, quasdam leges et conditiones ponere juxta quas imputabitur satisfactio. Sic Christus quidem reconciliationem nostram morte suâ promeruit, et tanta certè sunt ejus merita, quanta universo orbi simul ac semel liberando sufficiant. Sed id fieri non potest, nisi meritum singulis applicetur. Hæc autem applicatio juxta varias leges fieri potest, quarum aliquæ quæ pertinent ad nostros usus innotescunt, aliæ nobis sunt incognitæ. Novimus, v. g., in sacramento Baptismi Christum totam satisfactionis suæ vim exerere, et peccata omnesque peccato debitas pœnas condonare. Sed ne socordes simus, et ut peccati pondus ac gravitatem sentiamus, voluit ut si in peccata relabamur, tunc quidem esset infirmitati nostræ post naufragium tabula in pœnitentiæ sacramento; ita tamen ut æterna pœna in temporalem mutaretur, et ut nonnisi laborando ad salutis portum pervenire, meritaque Christi nobis applicare possemus.

III. Denique regium Christi munus ex nullâ parte repugnat. Ad illius defensionem dixisse satis esset hoc munus partem esse essentialem mediationis Christi, et proinde eamdem esse ejus necessitatem ac mediationis ipsius. Sed quoniam speciatim munus propheticum et sacerdotale asseruimus, non pigebit pauca addere ad ostendendam utilitatem muneris regii, et evolvendas aliquas rationes, cur Deus per mediatorem naturâ nobiscum conjunctum regere voluerit. 1° Testatur Deus hâc regiminis formâ suum erga peccatum odium, et nobis ingenerat vividiorem sensum suæ majestatis : cùm ex eâ intelligamus tantam esse peccati fœditatem, tantùmque nos à Deo removere, ut illo indignum sit cum peccatoribus immediatam servare communionem. 2° Committendo habenas imperii Christo Domino nos regit modo magis accommodato naturæ nostræ depravatæ, in quâ non ratio, sed imaginatio solet imperare. Ab ipsâ mundi origine homines propensos fuisse experimur ad effingendos sibi deos, quos imaginando assequi possent: factum igitur sapienter videtur, ut etiam illa facultas, quæ tantam habet in vitâ humanâ potestatem, certum objectum haberet. Hanc rationem probat S. Athan. de Incar. Verbi div. par. 15 : « Quia homines Dei contemplatione repudiatâ, depressisque in terram oculis, in naturâ et rebus quæ sentiuntur Deum conquirebant, mortalesque homines, necnon dæmones, sibi deos effingebant; idcircò humanissimus et communis omnium servator, Dei Verbum, sibi corpus accepit, et tanquàm homo inter homines versatus est, omniumque hominum sensus assumpsit, ut qui in rebus corporeis Deum esse putabant, ex his quæ Dominus corporis ministerio agebat, agnoscerent veritatem et Patrem per ipsum intelligerent, » etc. Hæ rationes inter multas alias satis Deum absolvunt, quòd rerum humanarum imperium dederit Christo homini : neque dubium est quin infinitæ sint aliæ, quæ nos omninò lateant.

ARTICULUS IV.

De legum omnium christianarum sapienti institutione et perfectione.

Cùm in præcedenti articulo fuerint exposita divinæ sapientiæ indicia, quæ elucent in regni Christi constitutione et in generali, ut ita dicam, systemate œconomiæ evang., sintque proinde vindicata omnia Religionis nostræ fundamentalia principia, restat solummodò ad perfectam legis christianæ defensionem, ut specialia quæ continent præcepta, seu moralia, seu cæremonialia, seu ecclesiastica, suâ divinâ origine dignissima esse ostendamus.

De lege morali.

Omnis moralis institutionis, quocumque vocetur nomine, hic unicus et professus finis est, ut homines perducantur ad beatam vitam per virtutem. Legislatio humana externum præsertim habitum componit et salutem spectat civitatis publicam. Philosophia moralis interiores affectus moderatur, et ad vitam hanc tranquillè pacatèque agendam instituit. Religio verò invisibilem Deum supra naturam omnem positum, æternumque ejus rectorem contemplatur, atque extra hujus conditionis mortalis limites excurrens, ad Dei similitudinem hominem fingit, et ad sempiternam illius societatem informat. Omnes hæ institutiones ad fines suos progrediuntur per præcepta, quibus homines doceantur, et motiva, quibus ad virtutem excitentur : ac si quæ disciplina existat, quæ propter exquisitam ex omni parte temperationem et convenientiam cum hominum naturâ ac conditione nihil reliquit hominum sapientiæ et industriæ perficiendum, ei non modo sese accommodabit vir sapiens, sed divinam esse certò judicabit, cùm in omnibus humani ingenii inventis vanitatis et imprudentiæ indicia multa semper deprehenderit. Talem esse ethicam christ. ostendere animus est, non fusè et stylo oratorio, quod multi cum laude fecerunt, sed scholastico nostro more breviter perstringentes summa capita, in quibus exponendis exultare posset oratoris facundia.

PROPOSITIO.

Lex moralis contenta in novo Testamento non solùm in nullâ re dissentiens est legi naturæ, sed est perfectissima vitæ regula, quâcumque aliâ institutione multò præstantior.

PROBATIO. — Illa constitutio continet perfectissimam Religionis et vitæ regulam, quæ exhibet perfectam complexionem omnium præceptorum ad Religionem et mores pertinentium, sine ullius erroris admixtione : quæ eadem proponit modo perfectissimo aptissimoque ad docendos homines ; quæ eadem ponit in principiis perfectissimis ; quæ ad eadem observanda incitat motivis efficacissimis ; quæ perfectissimam præscribit vitæ disciplinam , quâ omnes virtutes perpetuò foveantur ; quæ denique his mediis, et virtutum omnium statum heroicum injungit et ad eumdem informat. Hæc omnia sic pertinent ad perfectam Religionem, ut uno aut altero deficiente tantùm detrahi intelligatur ejus perfectioni ; at ubi hæc sunt omnia, nihil addi potest. Atqui hæc omnia habet Evangelium : « In eo, ut ait Apo« stolus, reverà apparuit gratia Dei Salva« toris nostri omnibus hominibus, erudiens « nos, ut abnegantes impietatem et secularia « desideria, sobriè et justè, et piè vivamus in « hoc seculo, expectantes beatam spem et ad« ventum gloriæ magni Dei et Salvatoris nostri « J. C., qui dedit semetipsum pro nobis ut « nos redimeret ab omni iniquitate, et munda« ret sibi populum acceptabilem, sectatorem « bonorum operum. »

PRÆCEPTIONES.

Evangelium est perfecta complexio omnium præceptorum ad Religionis et morum moderationem pertinentium, sine ullius erroris admixtione. Supersedere hìc omninò possemus ab horum præceptorum recensione, cùm omnis illa doctrina ad quam à pueritiâ imbuti sumus, et quâ nihil perfectius comprehendimus cogitatione, ex hoc fonte hausta fuerit ; et præterea in Evang. novam confirmationem acceperit lex moralis V. T., quam continere omnia præcepta naturalia jam supra confecimus. At quoniam non paucis supra in laudem rationis et philosophiæ collegimus graves de officiis veterum sapientium sententias, religionem nostram justâ commendatione fraudare videremur, si illis non opponeremus multò excellentiora Christi et Apostolorum ejus præcepta. Itaque, ut jampridem dictum est, officia omnia, vel Deum, vel alios homines, vel seipsum spectant. Religio autem omnis tribus continetur, rectis de Deo sententiis, piis in Deum affectibus, et actibus externis his sententiis affectibusque consentaneis.

I. Inprimis Evangelium cùm veteri legi superstructum fuerit et Judæis annuntiatum, supponit jam impressam hominum mentibus fidem unius veri Dei ; Spiritûs necessarii, æterni, infiniti, immutabilis, omniscientis, omnipotentis, sibi sufficientis, suî possessione beatissimi ; sapientissimi ac optimi rerum omnium

creatoris et gubernatoris; omnium denique humanarum actionum aut remuneratoris magnificentissimi aut æquissimi vindicis. « Accedentem enim ad Deum oportet credere, quia « est, et quòd inquirentibus se remunerator « sit. » Atque in hâc fide, quatenùs per evang. doctrinam habetur, positam esse docemur viam ad æternam vitam : « Hæc est vita æterna ut « cognoscant te solum verum Deum et quem « misisti J.-C. » Unum tamen est legi christ. magis peculiare, quodque, ut modò dicemus, ex evang. dispensatione sponte oritur : nempe quòd Deus ubique nominetur et exhibeatur ut suorum pater amantissimus, imò ut essentialis amor. 1° Joan. 3, 1 : « Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus. » Ad Gal. 4, 6 : « Quoniam « autem estis filii, misit Deus spiritum filii sui « in corda vestra clamantem : Abba, pater. « Itaque jam non est servus, sed filius : quòd « si filius et hæres per Deum. » Hinc quoque Christus perpetuam precandi formulam præscribens, jussit Deum compellare Patrem nostrum.

Ex his præconceptis de Deo sententiis omnes ibidem deducuntur piæ animi affectiones. 1° Adoratio interior : « Deus spiritus est, et « eos qui adorant eum, in spiritu et veritate « oportet adorare, » Ex quâ nasci debet divini nominis magnificatio. 1 Pet. 2, 9 : « Vos autem genus electum, regale sacerdo- « tium, gens sancta, populus acquisitionis ; ut « virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris « vos vocavit in admirabile lumen suum. »

2° Divinæ justitiæ timor, Matt. 10, 28 : Nolite timere eos qui occidunt corpus, ani- « mam autem non possunt occidere ; sed po- « tiùs timete eum qui potest et animam et « corpus mittere in gehennam. » Hic metus consideratum de Deo sermonem parere debet, et à nobis impetrare ut per nullum alium unquàm juremus. Ib., 5, v. 34 : « Ego autem dico « vobis non jurare omninò, neque per cœlum, « quia thronus Dei est ; neque per terrram, « quia scabellum est pedum ejus.... Sit autem « sermo vester, est, est. »

3° In divinâ ope fiducia, Joan. 14, 13 : « Quodcumque petieritis Patrem in nomine « meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in « Filio. » Matt. 7, 7 : « Petite et dabitur vobis, « quærite et invenietis ; pulsate et aperietur « vobis. Omnis enim qui petit accipit, et qui « quærit invenit, et pulsanti aperietur. Aut « quis est ex vobis homo, quem si petierit « filius suus panem, numquid lapidem porriget « ei ? Si ergo vos cùm sitis mali nôstis bona « data dare filiis vestris, quantò magis Pater « vester qui in cœlis est, dabit bona petenti- « bus se ? »

4° Submissio divinæ voluntati et omnimoda devotio, Matt. 6, 25 : « Ideò dico vobis, ne « solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, « neque corpori vestro quid induamini. Nonne « anima plus est quàm esca, et corpus plus quàm « vestimentum ? Respicite volatilia cœli, quo- « niam non serunt neque metunt, nec congre- « gant in horrea; et Pater vester cœlestis pascit « ea. Nonne vos magis pluris estis illis ?.... « Quærite ergo primùm regnum Dei et justi- « tiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis. »

5° Gratus pro beneficiis sensus et amor, Matt. 22, 38 : « Diliges Dominum Deum tuum ex « toto corde tuo, et in totâ animâ tuâ, et in « totâ mente tuâ : hoc est maximum et primum « mandatum. » 1 Tim. 1, 5 : « Finis præcepti « est charitas. » 1 Joan. 4, 16 : « Deus charitas « est ; et qui manet in charitate, in Deo ma- « net, et Deus in eo. » Hic amor se prodere debet, publicâ fidei confessione, Rom. 10, 10 : « Corde creditur ad justitiam, ore autem con- « fessio fit ad salutem. » Mandatorum divinorum observatione, 1 Joan. 5, 3 : « Hæc est « enim charitas Dei, ut mandata ejus custo- « diamus. » Joan. 14, 23 : « Si quis diligit me, « sermonem meum servabit.... Qui non diligit « me, sermones meos non servat. » Divinæ gloriæ prosecutione, 1 Cor. 10, 31 : « Sive « ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid « facitis, omnia in gloriam Dei facite. » Eph. 3, 17 : « Omne quodcumque facitis in verbo « aut in opere, omnia in nomine Domini J.-C. « gratias agentes Deo per ipsum. » Matt. 5, 16 : « Sic luceat lux vestra coram hominibus, « ut videant opera vestra bona, et glorificent « Patrem vestrum qui in cœlis est. » Divinæ perfectionis imitatione, Matt. 5, 38 : « Estote « ergo vos perfecti, sicut et Pater vester cœ- « lestis perfectus est. » Eph. 5, 1 : « Estote « ergo imitatores Dei, sicut filii charissimi. » Laudibus et gratiarum actionibus, Hebr. 13, 15 : « Per ipsum (Christum) ergo offeramus « hostiam laudis semper Deo, id est, fructum « labiorum confitentium nomini ejus. » Eph. 5, 18 : « Implemini Spiritu S. loquentes vo- « bismetipsis in psalmis et hymnis et canticis « spiritualibus, cantantes et psallentes in cor- « dibus vestris Domino gratias agentes semper « pro omnibus, in nomine Domini nostri

« J. C. » Exultatione in Deo, Philip. 4, 4 : « Gaudete in Domino semper ; iterùm dico, gaudete.... Nihil solliciti sitis, sed in omni oratione et obsecratione, cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum ; et pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras in C. J. »

II. Omnem societatem humanam duabus virtutibus contineri supra diximus, justitiâ, quæ vetat violationem juris alieni, et charitate, quæ tribuit quod nostrum est ex benevolentiâ. Lex christ. utramque consociat et ad solam revocat charitatem : quod Apost. Paulus explicat, Rom. 13, 8 : « Qui diligit proximum, legem implevit. Nam, non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces; et si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur : Diliges proximum tuum sicut teipsum. Dilectio proximi malum non operatur : plenitudo ergo legis est dilectio. »

Charitatis hujus characteres, eodem Apostolo recensente, 1 ad Cor. 13, 4, sunt : « Patiens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperàm, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati; omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. » Qui characteres aliis in locis evolvuntur.

1° Charitas hæc justa et æqua est : hoc est, nec damnum nec injuriam infert, constans et fidelis est in promissis, verax et ingenua in sermone. Eph. 5 : « Ut filii lucis ambulate ; fructus autem lucis est in omni bonitate, et justitiâ, et veritate, probantes quid sit beneplacitum Deo. » 1 Thess. 4, 6 : « Ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum, quoniam Deus vindex est de his omnibus. »

2° Charitas hæc patiens est, Matth. 5, 38 : « Audistis quia dictum est : Oculum pro oculo, et dentem pro dente, ego autem dico vobis non resistere malo, sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi et alteram; et ei qui vult tecum contendere et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium. »

3° Benigna est in omnes, etiam in inimicos, Matth. 5, 4 : « Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. » Ib. 44 : « Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos. »

4° Pacifica est, Matth. 5, 9 : « Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. » Matth. 5, 23 : « Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversùm te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade priùs reconciliari fratri tuo, et tunc veniens, offeres munus tuum, » Luc, 17, 4 : « Et si septies in die peccaverit in te, et septies in die conversus fuerit ad te, dicens : Pœnitet me, dimitte illi. »

5° Liberalis et hospitalis est, Matt. 5, 44 : « Qui petit à te, da ei; et volenti mutuari à te, ne avertaris. » Heb. 13, 2 : « Hospitalitatem nolite oblivisci : per hanc enim latuerunt quidam, angelis hospitio receptis. »

6° Clemens est et misericors, Matt. 5 : « Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. » Ib. c. 6, 14 : « Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester cœlestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus peccata eorum, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra. » Imò misericordiæ, eleemosynæ et totius pietatis officia tam impensè commendantur, ut ipsis æternæ salutis vel ruinæ decretoria sententia, teste ipso judice, innixa sit.

7° Sollicita est pro salute proximi, Matt. 18, 15 : « Si autem peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum ; si te audierit, lucratus eris fratrem tuum : si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum : quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ. » 1 Thess. 5, 14 : « Rogamus autem vos, fratres, corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes. »

8° Ædificat, Matt. 18, 6 : « Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis qui credunt in me, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo suo, et demergatur in profundum maris. Væ homini illi per quem scandalum venit! » Ad Eph. 4 : « Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat; sed si quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus. »

9° Tandem modesta est, non inflatur, non est ambitiosa, non cogitat malum, Matt. 7, 1 : « Nolite judicare, ut non judicemini. In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini; et

« in quâ mensurâ mensi fueritis, remetietur « vobis. Quid autem vides festucam in oculo « fratris tui, et trabem in oculo tuo non vides? « Aut quomodò dicis fratri tuo : Sine, ejiciam « festucam de oculo tuo, et ecce trabs est in « oculo tuo? Hypocrita, ejice primùm trabem « de oculo tuo, et tunc videbis ejicere festu- « cam de oculo fratris tui. »

III. Omnia adversùs seipsum officia vel ad cultum corporis vel ad animi culturam pertinere jam supra dictum est; priora posterioribus continentur. Cultura autem animi posita est in mentis informatione ac voluntatis temperatione. Jam verò lex christ. mentem informat amplissimâ rerum digniorum scientiâ, ut fusiùs modò explicabimus. Dei naturam, et infinitas perfectiones, quæ venerationem, fiduciam, amorem alliciunt, aperit. Hominis ex alterâ parte dignitatem ex divinâ ejus origine et similitudine, ex nobilissimâ ad finem supernaturalem destinatione, ex præclarissimis et cœlestibus dotibus commendat, 1 Cor. 6, 20 : « An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritûs S. qui in vobis est, quem « habetis à Deo, et non estis vestri? Empti « enim estis pretio magno; glorificate et portate Deum in corpore vestro. » 2 Cor. 6 : « Vos enim estis templum Dei vivi, sicut dicit « Dominus : Quoniam inhabitabo in illis, et « inambulabo inter eos, et ero illorum Deus, « et ipsi erunt mihi populus... et ego recipiam « vos : ero vobis in patrem, et vos eritis mihi « in filios et filias, dicit Dominus omnipotens. « Has ergo habentes promissiones, charissimi, « mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritûs, perficientes sanctificationem « in timore Dei. » Atque in his principiis ponit omnem voluntatis temperationem, jubetque generatim ; Philip. 4, 8 : « Quæcumque « sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque « justa, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, « si qua laus disciplinæ, hæc cogitate. » Speciatim verò : 1° Ut nos totos dedicemus Deo aut dedicatos existimemus, et cœlestia cogitemus, Philip. 3, 20 : « Nostra conversatio in « cœlis est; unde etiam salvatorem expectamus « Dominum nostrum J.-C., qui reformabit « corpus humilitatis nostræ configuratum cor- « pori claritatis suæ, secundùm operationem, « quâ etiam possit subjicere sibi omnia. » Matt. 6, 19 : « Nolite thesaurizare vobis thesauros in terrâ, ubi ærugo et tinea demoli- « tur, et ubi fures effodiunt et furantur. « Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, ubi « neque ærugo neque tinea demolitur, et ubi « fures non effodiunt nec furantur; ubi enim « est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum. » Ibid. : « Nemo potest duobus dominis servire... « Non potestis servire Deo et mammonæ; ideò « dico vobis : Ne solliciti sitis animæ vestræ « quid manducetis, neque corpori vestro quid « induamini... Quærite primùm regnum Dei « et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur « vobis. »

2° Ut erga Deum et homines humiles simus, nec in ullâ re gloriam propriam quæramus, 1 Cor. 4, 7 : « Quis enim te discernit? Quid au- « tem habes quod non accepisti? Si autem « accepisti, quare gloriaris quasi non accepe- « ris? » Luc. 17, 10 : « Cùm feceritis omnia « quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inu- « tiles sumus; quod debuimus facere, feci- « mus. » Matt. 20, 26 : « Quicumque voluerit « inter vos major fieri, sit vester minister; et « qui voluerit inter vos primus esse, erit ve- « ster servus. » Ib. 6, 1 : « Attendite ne ju- « stitiam vestram faciatis coram hominibus, « ut videamini ab eis... Cùm autem facis elee- « mosynam, noli tubâ canere ante te, sicut « hypocritæ faciunt in synagogis et in vicis, « ut honorificentur ab hominibus : amen dico « vobis, receperunt mercedem suam. Te autem « faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua « quid faciat dextera tua, ut sit eleemosyna « tua in abscondito, et pater tuus qui videt « in abscondito, reddet tibi. Et cùm ora- « tis, » etc.

3° Ut animi puritatem cum corporis castimoniâ diligentissimè servemus, Matth. 5, 8 : « Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum vi- « debunt. » Et v. 27 : « Audistis quia dictum « est antiquis : Non mœchaberis; ego autem « dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem « ad concupiscendum eam, jam mœchatus est « eam in corde suo. » Eph. 5 : « Fornicatio « autem et omnis immunditia nec nominetur « in vobis; sicut decet sanctos, aut turpitudo, « aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem « non pertinet; sed magis gratiarum actio. »

4° Ut omnem fortunam æquanimiter et cum interiori gaudio toleremus, Matth. 5, 3 : « Beati « pauperes spiritu (hoc est, cum patientiâ « pauperes et miseri) quoniam ipsorum est re- « gnum cœlorum.... Beati qui lugent, quo- « niam ipsi consolabuntur... Beati qui perse- « cutionem patientur propter justitiam quo- « niam ipsorum est regnum cœlorum. Hebr,

12 : « Quia quem diligit Deus castigat; et omnis « disciplina in præsenti quidem videtur non « esse gaudii, sed mœroris, postea autem fru- « ctum pacatissimum exercitatis per eam red- « det justitia, »

5° Ut vigiles semper et experrecti simus, ne quid contra officium admittamus, et res charissimas, si offendiculo sint, projiciamus, Matth. 12, 36 : « Dico autem vobis, quoniam omne « verbum otiosum quod locuti fuerint homines, « reddent rationem de eo in die judicii. » Ibid. 5, 39 : « Quòd si oculus tuus dexter scanda- « lizat te, erue eum et projice abs te; et si « dextera manus tua scandalizat te, abscide « eam et projice abs te; expedit enim tibi ut « pereat unum membrorum tuorum, quàm to- « tum corpus tuum eat in gehennam. »

6° Ut in nullo gradu perfectionis segniter consistamus : « Nec nos arbitremur compre- « hendisse; sed quæ retrò sunt obliviscentes, « ad ea verò quæ sunt priora extendentes nos- « metipsos, ad destinatum persequentes, ad « bravium supernæ vocationis in C. J. »

Has et infinitas alias præceptiones evangelicas nusquàm nisi in N. T. collectas reperies, et per eas eruditur Christianus ad statum verè heroicum virtutis, dùm charitas erga Deum extenditur usque ad suî ipsius odium, id est, commodorum omnium et vitæ contemptum; charitas erga proximum ad inimicorum et persequentium amorem; moderatio autem appetituum, usque ad extinctionem omnium pravorum affectuum, qui nobis sunt interiores. Omnes vitæ status ex his principiis novam accipiunt perfectionem. Cœlibatus commendatur ut imitatio vitæ angelicæ, Deo castisque amoris cœlestis deliciis unicè intentæ. Conjugium ad primævam formam reducitur, et conjugalis amor non dispergitur inter plures, neque habet finem; domini docentur ut tanquàm charissimos filios servos complectantur, et servi ut heris etiam crudelibus alacriter obsequantur, Deum in dominis observantes. Reges se ministros regni Dei, cujus thronum stipant judicium et misericordia, esse discunt, et cives intelligentes omnem potestatem à Deo esse, Deum in legibus civilibus imperantem cognoscunt. (1) Impiorum hominum impuris exceptionibus aut vanis cavillationibus respondere haud dignamur. (1) Hoc solummodò moneb-

(1) Ut completam legis christianæ notitiam habeamus, ea naturæ humanæ adeò stupenda nobis innotescant consilia evangelica oportet, quibus ad ipsa vocati homines cœlestem in terris vitam agere conspiciuntur. De illis autem sic habet eruditus auctor *Institutionum catholicarum* : « Consilia evangelica sunt res quædam eximiæ, quas fieri à Christianis Christus hortatus est, non præcepit. Hoc ergo interest inter consilia et præcepta, quòd præcepta omnibus de necessitate sunt salutis; consilia non item, nisi fortè quis ad consiliorum observationem se voto obstrinxerit.

« Consilia evangelica præcipua sunt castitas, paupertas et obedientia. *Castitas* evangelica, est propositum perpetuæ virginitatis vel continentiæ. *Paupertas* evangelica, est abnegatio voluntaria divitiarum, ut sequamur perfectiùs vestigia Christi pauperis. *Obedientia* evangelica, est abnegatio propriæ voluntatis, et propositum subjiciendi se in omnibus voluntati superioris alicujus.

« Proposuit Christus ea ut res ex naturâ suâ eximias, quæ ducunt ad perfectionem, et faciliorem reddunt executionem præceptorum.

« Consilia evangelica sunt quid eximium; id per se patet. Nemo non intelligit nihil fieri posse Deo gratiùs quàm oblationem et veluti sacrificium sui corporis, suæ voluntatis, suæ pecuniæ et fortunæ. Id autem fit per evangelicam castitatem, obedientiam et paupertatem.

« Consilia evangelica ducunt ad perfectionem. Nam christiana perfectio in eo posita est, ut diximus, ut alieni ab omni peccato, Deo uni adhæreamus perfectâ charitate. At nihil est quod ad hunc statum animi nos ducat feliciùs quàm evangelica castitas et obedientia et paupertas. Alieni enim efficimur per castitatem evangelicam à concupiscentiâ carnis, per paupertatem evangelicam à concupiscentiâ oculorum, per obedientiam evangelicam à superbiâ vitæ. Hæc autem triplex concupiscentia, fons et origo peccatorum omnium, sola causa est cur non adhæreamus Deo, ut par est.

Tandem consilia evangelica faciliorem reddunt executionem præceptorum. Id demonstrare juvat in supradictis tribus consiliis evangelicis.

« Omnibus hoc præceptum est, ut uni Deo serviant nec claudicent in duas partes, ita ut unam partem cordis Deus, partem alteram creatura possideat : Deus toto corde diligendus. Atqui uni Deo servire longè facilius est ei qui vitam agit cœlibem, qui sine conjuge est, quàm ei qui matrimonio est implicatus.

« Omnibus præceptum est habere cor alienum à divitiis. Atqui illud facilius est cùm divitiæ abjiciuntur omninò, quàm ubi conservantur.

« Omnibus præceptum est abnegare semetipsos, frenare superbiam, sibi ipsi mori. Atqui illud longè facilius est illi qui superioris alicujus voluntati in omnibus subjicitur, quàm illi qui in suo arbitrio positus, facit quod lubet. » Pouget, *Instit. cathol.* t. 1, p. 988, etc.

Ex his videre est quàm sapienter, quàm sanctè condita fuerint à christo consilia evangelica!

P.-S.

(1) Equidem vanissimæ sunt ac impuræ cavillationes quibus divina Christi documenta labefactare vellent homines pudore atque sanâ philosophiâ æquè carentes. Eas tamen refellere et quidem locuplete argumento curabimus. (Vid. ad calcem, § 4.) P. S.

mus : quòd cùm Evangelium majorem Dei gloriam et publicam utilitatem spectandam doceat, non potest avocare homines ab omni injuriarum et damnorum prosequendâ reparatione, quod quidam litteræ ridiculè contra sensum inhærentes asseruerunt; extinguit solummodò spiritum vindictæ, et jubet ut charitatem in omnibus et erga omnes servemus. Certè si omnes, qui christiano gloriantur nomine, ad hanc normam mores suos componerent, nihil aliud esset eorum cœtus quàm angelorum visibilium communitas, et civitatis illius æternæ quæ posuit fines suos pacem, adumbratio.

PRÆCIPIENDI MODUS.

Præcepta evang. tradita sunt modo perfectissimo, ob triplicem causam; quia tradita sunt cum maximâ auctoritate, eaque vulgi captui attemperata ; quia tradita sunt claris et brevibus sententiis, ut à maximè idiotis intelligi et memoriâ teneri possint; quia exemplis confirmata sunt.

1° Legislatoris nostri Christi summa auctoritas est, utpote confirmata illis omnibus argumentis, quæ fidem impetrare possunt ; iisque sensibilibus ac rudium captui accommodatis : videlicet miraculorum splendore, vaticiniorum completione, suis præclarissimis virtutibus, summâ consensione cum antiquioribus scriptoribus sacris : et respectu hujus nostræ ætatis infinitis divinæ suæ post mortem virtutis signis. Adeò ut ab origine mundi ad hunc usque diem generis humani historia perpetuum ipsi præbeat testimonium. Hinc *cùm consummâsset Jesus verba hæc* (sermonem in monte) *admirabantur turbæ super doctrinâ ejus: erat enim docens eos, sicut potestatem habens, et non sicut scribæ eorum et pharisæi.* Matt. 7, 28. Philosophi verò hujus auctoritatis nullam quidem partem habuerunt. Novi erant doctores, in antiquitate nullum habentes præsidium. Socrates primus philosophiam ad mores hominum formandos è cœlo deduxit : ante quem quædam ferebantur parùm cohærentes sapientum, Thaletis, Solonis et paucorum aliorum sententiæ. Nullam quoque habebant ex consensione, cùm circa omnia fermè capita dissiderent ; nullam ex virtute, cùm plerique vitiis fœdissimis essent mancipati ; multò minùs aliquam sibi arrogare poterant ex virtute, seu potentiâ divinâ, quâ nulli ad patranda miracula instructi fuerunt. Nullius ergò habere debet admirationem, quòd à multitudine neglecti fuerint, aut eorum præcepta citò animis elapsa sint : cùm nihil habuerint, quo frangeretur vis passionum, præjudicatarum opinionum et pravæ consuetudinis.

2° Commendatio singularis christianæ legis est, quòd præcepta modò memorata clarè ac dilucidè exposita sint, sermone familiari, ut omnes facilè intelligant, brevibus etiam sententiis, ut benè memoriæ mandari possint. Hinc forma brevis et sententiosa ab omnibus legislatoribus usurpata est; et quia philosophi ab eâ recesserunt, eorum institutiones parùm aptæ populis erudiendis fuerunt. Doctrina Pythagoræ mystico quodam sermone continebatur, vix doctis intelligibili; Plato suam munierat obscurioris metaphysicæ ambagibus; Stoici dicti sunt dialectici, quòd logicam seu artem disserendi præter omnes excoluerint, quâ subtilitate in ethicâ nimiùm usi sunt. Hinc scholæ quædam eorum nominibus nuncupatæ extiterunt; populi nulli Pythagoræi, vel Platonici, vel Stoici.

3° Exemplorum vis ad adducendos homines ad virtutem confessa ab omnibus est ; hinc illa adagia : « Longum iter per præcepta, breve per exempla. » Et : « Segniùs irritant animos demissa per aures, quàm quæ sunt oculis subjecta fidelibus, et quæ ipse sibi tradit spectator. » Inde quoque evenit ut philosophorum præceptis nullus obtemperaverit, quòd ipsi decretis suis non parerent, levioremque doctrinam suam facerent, dùm reipsà resolvebant, quod verbis nitebantur adstruere. Legislator ergo noster omne tulit punctum, qui virtutum planè omnium specimina dedit, et suis asseclis dicere potuit : *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodùm ego feci, ita et vos faciatis.* Effecitque ut iidem se mutuò ad virtutem accendere possint hâc cohortatione apostolicâ. Heb. 12, 2 : *Aspicientes in auctorem vitæ et consummatorem Jesum qui, proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contemptâ ; atque in dexterâ sedis Dei sedet. Recogitate enim eum, qui talem sustinuit à peccatoribus adversùm semetipsum contradictionem : ut non fatigemini animis vestris deficientes : nondùm enim usque ad sanguinem restitistis, adversùs peccatum repugnantes.*

MOTIVA SPEI.

Christiana lex ad virtutem motivis accendit potentissimis. Omnem legem duabus partibus constare sæpiùs jam diximus, præceptione et sanctione : priorem sine alterâ vix ullam in homines vim retinere : quia in hâc posita est

obligatio parendi præcepto ex intuitu propriæ felicitatis : adeòque lex perfectissima esse nequit, nisi habeat sanctionem perfectissimam. Conferamus ergo hanc partem legis christianæ cum promissionibus philosophorum.

Tria promittit lex christiana peccatis omnibus, etiam gravissimis, veniam propter pœnitentiam : *Siquidem peccata nostra pertulit Christus in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui, justitiæ vivamus.* Divinæ gratiæ auxilia paria superandis omnibus difficultatibus : *Non enim habemus pontificem qui non potest compati infirmitatibus nostris; tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato. Adeamus ergo cum fiduciâ ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno.* Æternam in Dei fruitione felicitatem, tum spiritualem, tum corporalem, bonorum operum mercedem infinitam. Quanta sit horum promissorum vis ad excitandos homines ad pietatem, satis per se intelligitur, et supra breviter expositum fuit. Nihil homines desiderare vel cogitare excellentius, nihil Deus dare melius potest. Atque hæc non modò promisit Christus, sed suis virtutibus, et præsertim suâ resurrectione complere posse monstravit.

Plinius inter res Deo impossibiles, et hanc recenset: « mortales æternitate donare, aut revocare defunctos. » Indigna philosopho opinio: nam cùm inter physicos constet rebus quantùmcumque mutatis manere eadem diversarum specierum elementa, absurdum est asserere, aut Deum nescire quibus in locis sint illa quæ ad hominis corpus pertinuerunt; aut deesse ei potentiam, quâ eadem reducat atque recomponat.

Neque majorem habet difficultatem quod à quibusdam affertur de humanis corporibus, quæ in ferarum aut pecudum alimenta transeunt, quibus ita pastis homines iterùm pascuntur; vel quæ comesta à barbaris in eorum videntur corpora directè transmutari. Nam eorum quæ comeduntur pars maxima non in corporis nostri partem abit, sed in excrementa aut accessiones corporis, quales sunt pituita et bilis: et de eo ipso quod alendi vim habet, multùm absumitur interno calore et morbis. Quæ cùm ita sint, Deus qui etiam multorum animantium genera ita curat ut nullum intereat, potest humanis corporibus singulari quâdam curâ prospicere, ut quod inde in aliorum hominum escam pervenit, non magis in substantiam eorum vertatur, quàm solent venena aut medicamenta; eòque magis, quòd perspicuum sit, humanam carnem ad hominum victum non esse datam, et ex relatione peregrinatorum constet apud barbaros illas epulas valdè ingratas esse, ex vindictæ potiùs studio paratas, quàm nutritionis causâ. Et prætcrea quamvis hominum corporibus deberet aliquid in resurrectione decedere, quod aliunde accessisset, hoc tamen non efficeret ut non idem sit corpus, cùm etiam in hâc vitâ major contingat particularum mutatio, et sine dubio ad corpus illud æthereum ac quasi spiritale componendum non est necessaria illa omnis moles, quâ constant corpora in hâc conditione mortali. Quidam philosophi putârunt prima corporum humanorum stamina in aliorum nutritionem transire nullatenùs posse, neque eadem unquàm interire ; atque ex his præsertim primis elementis corpus gloriosum componendum esse, vel solis, vel adjectâ, prout Deo libuerit, materiâ.

At quàm vana fuit in hâc parte omnis veterum philosophia ! Epicureorum secta latè diffusa, in diis neque gratiam, neque iram agnoscebat, et hominem ex omni parte mortalem faciebat; ex quo principio satis benè concludebat stultissimi esse hominis non hinc vitæ consulere, ut sit quàm diutina et commodis omnibus plena contemptâ virtute; vel si illa advocaretur, adhiberetur ut famula voluptatis. Sicque honestum omne extinguebat, hominemque ad sublimia naturaliter erectum, in sensum pecudum dejiciebat.... Stoici gratiam quidem diis relinquebant, at iram detrahebant, et cum hâc voluntatem puniendi, et consequenter futurorum suppliciorum metum (1). Plerique animorum immortalitatem sustulerunt; et tamen cùm honesti caperentur pulchritudine, eò sunt perducti, ut dicerent virtutem sibi esse præmium, et satis beatum esse sapientem in tauro Phalaridis. Quasi verò felicitas, eaque summa, cum periculis, incom-

(1) At hoc quidem commune est omnium philosophorum, non eorum modò qui Deum nihil habere ipsum negotii dicunt, et nihil exhibere alteri: sed eorum etiam qui Deum semper agere aliquid et moliri volunt, nunquàm nec irasci Deum, nec nocere. Cic. de Offic. l. 3, c. 28. Quæ causa est diis benefaciendi? Natura. Errat si quis putat eos nocere velle : non possunt. Nec accipere injuriam queunt, nec facere, lædere etenim lædique conjunctum est. Summa illa et pulcherrima omnium natura, quos periculo exemit, nec periculosos quidem facit. Senecæ epist. 95. Adversùs hanc opinionem scripsit librum de Irâ Dei Lactantius.

modis, cruciatibus posset, nisi verbis, consistere.... Pythagoræi et Platonici aliud principium assumpserant cum quo futura præmia atque pœnæ vix consistere possunt (vide Arnob. p. 29), nempe animas hominum ex divinâ naturâ haustas sempiternas esse, et à corporibus separatas in eamdem Dei naturam referri.... Quàmplurimi animarum quamdam transmigrationem de hominibus in bestias, et de bestiis in homines commenti sunt; quam alii sic explicabant ut hi transitus animorum meritis responderent, et morali providentiæ imperio regerentur: alii verò sic, ut causis physicis et fato cuidam ferreo permitterentur.... Socrates, philosophorum sapientissimus, qui solus omne studium ad excolendam moralem disciplinam contulit, valdè hæsitanter de futurâ vitâ loquebatur. Cicero quoque et Seneca, quamvis multa de immortalitate animi præclara passim habeant, tamen de eâ sæpè etiam dubitanter loquuntur, quandoque videntur negare (1).... Denique plebs, quæ in hâc re plus sapiebat quàm philosophi, imbuta futurorum seculorum fide ex sensibus naturalibus et veteri traditione, vanissimas sibi effinxerat, aut à poetis confictas acceperat, futurorum præmiorum et pœnarum imagines, quæ in eorum vitam et mores levissimam vim habebant. In his tenebris et dubitationibus palabatur genus humanum eâ ætate, cùm Christus *illuminavit vitam et immortalitatem*, promittens sectatoribus suis post hoc ævum vitam, non modò vacuam dolore et molestiâ, sed summo æternoque gaudio cumulatam: neque id parti tantùm hominis, id est, animo, verùm etiam corpori; et id autem justissimè, ut corpus quod ob legem divinam sæpè incommoda, dolores, mortem ipsam pati debet, repensationis expers non esset. Gaudia autem quæ promittuntur summa sunt: in corporibus vigor perpetuus, et quædam spiritalitas dotesque conjunctæ; in animo intellectio sine errore in Dei admiratione occupata; voluntas tranquilla vel tota in amorem Dei effusa; majora omnia, quàm ut optimarum ac maximarum rerum comparatione concipi possint.

FUNDAMENTA FIDEI.

Omnia christ. officia et omnia ad virtutem motiva posita sunt in firmissimis principiis: imò verò fides christ. unicum est firmum omnis pietatis fundamentum. Etenim cùm philosophia per plura secula occupata fuisset in investigandis Dei naturâ, hominis conditione, mali origine, summo bono, cæterisque omnis Religionis et vitæ moralis principiis, homines dimisit è scholis suis circa multa planè inscios, circa alia anxios et incertos, pluribus etiam implicatos erroribus. (Vide dissert. de Necessitate revelatæ religionis.) Unde hoc sine dubio insigne est revelationis christ. munus, quòd hæc omnia principia naturalis religionis, sine ullâ erroris admixtione, confirmaverit; omnemque divinâ suâ luce fugaverit anxietatem et obscuritatem. At longè major ejusdem excellentia in eo sita est, quòd in novam rerum scenam nos deducat; in quâ illustrior numinis species, præclarior nostra conditio, nobilior rerum omnium ordo.

Inprimis patent per fidem Christiano profunda Dei, longissimè extra humanæ mentis aciem posita. In naturæ ejus inscrutabili altitudine cernit Patris, et Filii, et Spiritûs S. seu mentis infinitæ, sapientiæ et amoris personales differentias; atque cujusque personæ in rerum humanarum procuratione diversa munera. Novum accipit splendorem, tum divinorum operum magnificentia in hominis nobilissimâ destinatione ac innumerabilium spirituum thronum magni regis stipantium turbis; tum sanctitas numinis ab omni impuritate et malitiâ morali immenso distans intervallo, eamdemque in creaturis rationalibus, simulacris suis, odio prosequens infinito; tum justitia tremenda eamdem ulciscens æternis pœnis; tum bonitas et misericordia supra omnem intellectum hominibus peccatoribus et rebellibus succurrens per crucis mysterium. Novus

(1) Nam nunc quidem quid tandem illi mali mors attulit? nisi fortè ineptiis ac fabulis ducimur, ut existimemus illum apud inferos impiorum supplicia perferre.... Quæ si falsa sunt, id quod omnes intelligunt, quid ei tandem aliud mors eripuit præter sensum doloris? Cic. pro Cluentio. Sed ut illa secunda moderatè tulimus, sic hanc non solum adversam, sed funditùs eversam fortunam fortiter ferre debemus; ut hoc saltem in maximis malis boni consequamur, ut mortem, quam etiam beati contemnere debeamus, propterea quòd nullum sensum esset habitura, nunc sic affecti non modò contemnere debeamus, seu etiam optare. Fam. ep. l. 5, ep. 21, ad Mescinium. Cogita nullis defunctum malis affici: illa quæ nobis inferos faciunt terribiles, fabulam esse: nullas imminere mortuis tenebras, nec carcerem, nec flumina flagrantia igne, nec oblivionis amnem, nec tribunalia et reos, nec in illa libertate tam laxâ ullos iterùm tyrannos: luserunt ista poetæ, et vanis nos agitavêre terroribus. Mors omnium dolorum solutio est et finis, ultra quam mala nostra non exeunt; quæ nos in illam tranquillitatem, in quâ, antequàm nasceremur, jacuimus, reponit. Seneca in Consol. ad Marciam c. 19.

divinæ providentiæ ordo panditur, cujus hic finis est, ut homines divinæ naturæ fiant participes, et perpetuâ fruantur contemplatione. Quantùm ex his principiis intendantur omnia devotionis et amoris erga Deum officia, mutuæ erga homines charitatis, et reverentiæ erga seipsum, jam supra dictum est.

Deinde fugatur divinâ Evangelii luce caligo, quâ humana conditio involuta fuit. Explicantur animorum nostrorum pugnantes vires et qualitates, quæ veteribus philosophis occasionem fingendi præbuerunt quòd essent ex diversis substantiis, iisque contrariis compositi, vi quâdam maleficâ et aurâ cœlesti. Docemur hominem ad imaginem Dei conditum, summis atque supra naturalem sortem dotibus ornatum, ad immortalitatem destinatum, retinere quidem tantæ dignitatis reliquias, hincque existere naturalem illam humanæ menti excelsitatem, magnificam de se opinionem, ambitionemque, quam nulla res intra Deum ipsum satiare valeat; at in humili et depressâ conditione nunc versari propter peccatum, mancipatum vitio et errori, falsis imaginibus bonorum perpetuò delusum, omnis veræ felicitatis, ut extorrem factum, sic naturaliter inscientem esse, hincque esse illam nunquàm residentis animi volutationem: mundum hunc multò pulchrioris ruinam esse, locum exilii, vallem miseriæ, ubi potestates tenebrarum quasi in imperio suo grassantur.

Igitur hunc perturbatum statum vanitatis damnat christiana fides; humanam sapientiam dementiæ, voluntatem infirmitatis arguit: quòd non simus sufficientes aliquid cogitare ex nobis quasi ex nobis, sed omnem nostram sufficientiam ex Deo esse; sine Christo nihil nos posse facere; Deum esse qui operatur omnia in omnibus: sed novus succedit status, isque magnificentissimus. Homo induit Christum et factus conformis imagini filii Dei, ipse adoptivus filius efficitur, templum Spiritûs S., civis sanctissimæ civitatis, hæres regni æterni; divina sapientia rationis vices supplet et ejus gressus omnes regit; divina gratia voluntatem occupat et moderatur. Illi hic mundus crucifixus est et ille mundo; nullum aliud novit malum nisi peccatum, quo alienatur à Deo; nullum bonum nisi gratiam, quâ ei assimilatur; nullum studium honestum aut jucundum, quo in Deum non progreditur; nullam veram vitam, nisi quæ posita sit in rectâ et ab omni malitiâ expurgatâ conscientiâ, in perpetuâ in cœlis conversatione ac cum Deo communione: cætera omnia evanida jam mors occupat. Sicque in cœlis mente positus, et ex illâ altissimâ speculâ res humanas despectat, omnia fugientia contemnit, et in hujus mundi turbine, quo vehitur exterior homo, quietus consistit. « Charitas Christi urget nos; æstimantes « hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus « est, ergo omnes mortui sunt; et pro omni- « bus mortuus est Christus, ut qui vivunt jam « non sibi vivant; sed ei qui pro ipsis mortuus « est et resurrexit. Itaque nos ex hoc nemi- « nem novimus secundùm carnem, et si cogno- « vimus secundùm carnem Christum, sed « nunc jam non novimus. Si qua ergo in Chri- « sto nova creatura, vetera transierunt; ecce « facta sunt omnia nova. » 2 Corinth. 6.

Potestne esse aliquis tam vacuus omni sensu virtutis, ut hâc doctrinâ non delectetur, aut non sentiat in eâ esse divinæ sapientiæ et sanctitatis characterem? Præsertim cùm contulerit præclarissimorum ingeniorum vanissimas conjecturas. Non dico Leucippi, Democriti, Protagoræ, Epicuri, aliorumque atheorum dementiam, ad vilem pulvisculum, ludibrium fortunæ, totum hominem, imò universa redigentium; neque dico Academ. et Scepticorum tenebras, nihil veritati relinqui, omnia opinionibus et institutis teneri, asserentium; sed Stoicorum, Platonicorum et Pythag. graviores sententias. Quorum philosophia aptior quidem ad excitandos homines ad virtutem, sed aut incertis traditionibus, aut conjecturis inanibus nitebatur; ac præterea multis erat gravissimis erroribus dehonestata: aliis fatalem rerum omnium concatenationem, cui fato non solùm homines, sed Deus ipse subjiceretur, defendentibus; in quâ sententiâ neque meritum est ullum, neque spes divinæ gratiæ aut metus iracundiæ, quibus tamen quasi cardinibus vertitur Religio: aliis animorum vel perpetuam metempsychosim, vel in naturam divinam transfusionem seu resolutionem adstruentibus, sicque naturalem futurorum bonorum et suppliciorum sensum. Religionis necessarium præsidium, pervertentibus: aliis denique minùs quidem aberrantibus, sed tamen cæcutientibus et ad nihil altum unquàm assurgentibus.

DISCIPLINA.

Lex christ. perfectissimam præscribit disciplinam, aptissimè cohærentem cum fide et spe modò expositis, et quâ omnes christ. virtutes foveantur, imò perpetuò augeantur. Illa quippe disciplina non est tantùm comparata ad mores

poliendos et ad vitam honestè ac decenter instituendam, sed ad spirituum lapsorum purgationem, ad eos redintegrandos et Deo assimilandos, præparandosque ad supernaturalem in numinis communione felicitatem. Est suî ipsius dedicatio Deo, quæ in triplici re posita est, in perpetuâ oratione et humilitatis atque infirmitatis suæ confessione, in perpetuâ pœnitentiâ per mortificationem sensuum, in sacrificio ac quasi holocausto perpetuo, in abnegatione suî ipsius. In hâc parte non minùs quàm in omni aliâ longissimè superat lex christ. omnes philosophorum institutiones.

Inprimis injungitur Christiano perpetua oratio: ejus tota vita sanctum desiderium est. Luc. 21, 36 : « Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia « quæ futura sunt, et stare ante filium hominis. » Ibid. 12, 35 : « Sint lumbi vestri « præcincti, et lucernæ ardentes in manibus « vestris, et vos similes hominibus expectantibus dominum suum quando revertatur à « nuptiis, ut cùm venerit et pulsaverit confestim aperiant ei. » Ponitur hæc orationis necessitas in naturali hominis corruptione et infirmitate modò expositis. « Deus est enim « qui operatur in vobis, et velle, et perficere, « pro bonâ voluntate, » ad Philip. 2, 13.

Quàm hæc distant ab inani philosophorum tumore! quorum fermè omnium mentem expressit Cicero de Nat. deor. l. 3 : « Virtutem autem nemo unquàm Deo acceptam retulit, nimirùm rectè ; propter enim virtutem jure laudamur, et in virtute rectè gloriamur, quod non contingeret, si id donum à Deo, non à nobis haberemus.... nam quis quòd bonus vir esset gratias diis egit unquàm....... Jovemque optimum maximum ob eas res appellant, non quòd nos justos, temperatos, sapientes efficiat, sed quòd salvos, incolumes, opulentos, copiosos. » Hincque illa absurdissima atque impia Stoicorum jactantia. « Est aliquid, quo sapiens antecedat Deum : ille naturæ beneficio, non suo sapiens est. » Fatendum tamen est eos parùm secum consentientes hæc placita aliis in locis repudiâsse. « Bonus vir, ait Seneca, sine Deo nemo est...... An potest aliquis supra fortunam, nisi ab illo adjutus exsurgere? Ille dat consilia magnifica et erecta. »

2° Vita Christiani perpetua pœnitentia esse debet, 1 Cor. 7, 29 : « Tempus breve est ; reliquum est ut qui habent uxores, tanquàm « non habentes sint ; et qui flent, tanquàm « non flentes ; et qui gaudent, tanquàm non « gaudentes ; et qui emunt, tanquàm non possidentes, et qui utuntur hoc mundo, tanquàm « non utantur. » 2 Cor. 4, v. 10 : « Semper « mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in « corporibus nostris. » 1 Joan. 2 : « Si quis « diligit mundum, non est charitas Patris in « eo; quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ, quæ non est ex Patre. » Hæc præcepta spontè fluunt ex fide christ. circa perturbatum hujus mundi statum, corruptam hominis conditionem et regenerationis necessitatem : at Stoicorum celebrata moderatio res erat omnium vanissima. Rem primùm à suis discipulis expectabant impossibilem, nempe ut passiones funditùs extirparent. « Propositum, ut habet Lact. l. 6 c. 14, 15, arrogans ac penè furiosum, qui se putent mederi, et niti posse contra vim, rationemque naturæ (1). » Deinde ad hanc rem impossibilem homines nullâ mercede conducebant, cùm virtutem sibi præmium esse statuerent et impositam equuleo satis beatam esse : quasi verò si jactura commodorum omnium temporalium beatâ immortalitate non pensaretur, quisquam posset vitam præsentem cum suis bonis contemnere.

3° Militia Christiani non est solummodò separatio à contagione seculi, est quædam divulsio à seipso et abnegatio suî, ac extirpatio amoris, ut dicitur, proprii. Matt. 16, 24 : « Si quis « vult post me venire, abneget semetipsum, « et tollat crucem suam et sequatur me : qui « enim vult animam suam salvam facere, perdet eam ; qui autem perdiderit animam « suam propter me, inveniet eam. » Hæc connexa sunt cum reliquâ doctrinâ evang. juxta quam quisque conjunctus Christo per fidem victima est piacularis pro peccato, et ejus vita perpetuum sacrificium est. Sicut Christus Dominus, cujus imagini conformis fieri debet discipulus, ingrediens mundum *per Spiritum S. obtulit semetipsum Deo,* et abdicatâ quasi volun-

(1) Quare nihil aliud dixerim quàm insanos, qui hominem mite ac sociale animal orbant suo nomine ; qui evulsis affectibus, quibus omnis constat humanitas, ad immobilem stuporem mentis perducere volunt, dùm student animum à perturbationibus liberare, et, ut ipsi dicunt, quietum tranquillumque reddere. Quod fieri non tantùm non potest, quia vis et ratio ejus in motu est, sed ne oportet quidem. Quia sicut aqua semper jacens et quieta, insalubris et magis turbida est, sic animus immotus et torpens inutilis est etiam sibi, nec vitam ipsam tueri potest. Lact. l. 6 div. Instit.

tate propriâ, dixit : *Ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam.* Sic Christianus oblatus Deo et sanctificatus per baptismum, abrenuntiavit affectibus et voluntati suæ. Tandem sicut Dominus noster in arâ crucis sacrificium consummavit, sic cujusque Christiani mors suî sacrificii consummatio est. Mors ergo et omnia quæ hominibus gravia contingunt, non fortuita neque fatali lege et cursu rerum necessario eveniunt, sed ex sanctissimo ac justissimo Dei decreto, quod ab initio mundi latum judex æquissimus in tempore exequitur ad abolitionem peccati, extirpandasque omnis malæ concupiscentiæ radices. Et hâc fide imbutus Christianus ea omnia reputat bona, quæ hoc promovent sanctissimum sacrificium, præcipuè mortem ipsam per quam consummatur ; nihilque tam naturæ molestum est, quod ei non sit gaudii interioris materia.

At quàm ridicula erat Stoicorum, qui etiam quamdam suadebant abnegationem, sapientia ! Negat Seneca de vitæ Brevitate, justam esse hominum querimoniam. Major pars, inquit, mortalium de naturæ malignitate conqueritur, quòd in exiguum ævi gignimur, quòdque tam velociter, tam rapidè, dati nobis temporis spatia decurrant...... Quid de rerum naturâ querimur ? illa se benignè gessit : vita, si scias uti, longa est. » Hæc vera quidem sunt, si sit vita martyrium quoddam et status purgationis : in hunc finem satis est longa : ad eos fines quos sibi philosophi proposuerunt, ad investigationem naturæ, ad philosophicas inquisitiones, et alia ejusmodi, sat longa non est. Docet idem, « totâ vitâ discendum esse mori : hoc quotidiè meditandum, ut possis æquo animo vitam relinquere. » Aliaque præclara habet contra hominum levitatem ; contra temporis, rei omnium pretiosissimæ, abusum ; contra vanissima hominum negotia, et magis inanes voluptates : quæ omnia certè vera sunt et solida, si hæc vita sit quidam ad aliam cursus ; sed quàm inania sunt eadem, si mors non commigrationem loci, sed extinctionem est allatura, quod idem Seneca in suâ ad Marciam Consolatione credere visus est loco supra laudato!

Concludamus itaque Evangelio nihil deesse ad homines, non modò docendos, sed etiam ad excitandos fingendosque ad omnem pietatem et virtutem.

De legibus cæremonialibus, nempe sacramentis, et de institutis Eccl. quibus status Ecclesiæ consistit, nihil addemus, quia leges positivæ jam adversùs deistarum cavillationes defensæ sunt generatim in disputatione de Necess. revelationis ; quia sacramenta novæ legis sunt evidenter numero paucissima, observatione facillima, significatione præstantissima, eccl. leges satis commendantur ex Ecclesiæ diffusione et stabilitate per annos mille septingentos; quia fusior harum legum explicatio nimiùm nos ad exitum hujus operis properantes detineret, atque ad alium locum reverà pertinet. Satis per se manifestum est illas leges quibus sacrorum ordo et Ecclesiæ status continentur, à piscatorum paucorum consiliis non esse profecta.

Articulus V.

De religionis christianæ quoad substantiam antiquitate et perpetuitate.

Antiquior sine dubio omnibus veritas est, si Deus veritatis rerum omnium conditor fuerit. Cogitare non possumus optimum parentem exposuisse hominem in hâc tellure, non communicatâ officiorum et sacrorum, quibus coli volebat, notitiâ ; earum quoque veritatum, quæ amborum principia sunt ac fundamenta. Hinc benè conclusit Cicero : « Antiquitatem proximè accedere ad deos. » Et : « quo propiùs aberant homines ab ortu et divinâ progenie, hoc meliùs ea quæ erant vera perspexisse. » Aliunde antiquitatis tanta est apud homines auctoritas, sic insita est naturæ erga illam reverentia, ut fieri non possit quin suspiciant et amplectantur illam religionem, quam certò nôrint mundo coævam et à primâ ætate ad hæc tempora derivatam. Falsa antiquitatis species vanissimæ paganorum superstitioni contra vividissimam Evangelii lucem diù præsidio fuit ; fas sibi non ducebant ethnici divortium facere ab institutis majorum, servandamque esse, clamabant, tot seculorum fidem, et sequendos esse sibi parentes qui secuti fuerant feliciter suos. » Magnum ergo pondus adjiciemus expositis hactenùs argumentis, tum ad persuadendos adversarios, tum ad nostros confirmandos, si ostenderimus religionem christ. contra omnes alias præscripsisse, nullumque populum offendere debere, omnium minimè Judæos, ob hanc causam quòd sit majorum suorum religio incorrupta, Mosaicæ præsertim legis finis atque complementum ; atque eam omnem proinde sibi vindicet auctoritatem, quam habent istæ antiquissimæ religiones. Audiamus illustrissimum Bossuet hujus argumenti vim exponentem, cujus oratio splendida et grandis cum nativo habitu exhibenda est : « Quelle consola-

tion aux enfants de Dieu ! Mais quelle conviction de la vérité, quand ils voient que d'Innocent XI, qui remplit aujourd'hui si dignement le premier siége de l'Église, on remonte sans interruption jusqu'à S. Pierre, établi par Jésus-Christ prince des Apôtres; d'où en reprenant les pontifes qui ont servi sous la loi, on va jusqu'à Aaron et jusqu'à Moïse, de là jusqu'aux Patriarches et jusqu'à l'origine du monde ? Quelle suite ! quelle tradition ! quel enchaînement merveilleux ! Si notre esprit naturellement incertain, et devenu par ces incertitudes le jouet de ses propres raisonnements, a besoin dans les questions où il y va du salut, d'être fixé et déterminé par quelque autorité certaine, quelle plus grande autorité que celle de l'Eglise catholique, qui réunit en elle-même toute l'autorité des siècles passés et les anciennes traditions du genre humain jusqu'à sa première origine? Ainsi la société que Jésus-Christ, attendu durant tous les siècles passés, a enfin établie sur la pierre, et où S. Pierre et ses successeurs doivent présider par ses ordres, se justifie elle-même par sa propre suite, et porte dans son éternelle durée le caractère de la main de Dieu.

« C'est aussi cette succession que nulle hérésie, nulle secte, nulle autre société que la seule Eglise de Dieu n'a pu se donner. Les fausses religions ont pu imiter l'Eglise en beaucoup de choses, et surtout elles l'imitent en disant comme elle, que c'est Dieu qui les a fondées : mais ce discours en leur bouche n'est qu'un discours en l'air. Car, si Dieu a créé le genre humain, si, le créant à son image, il n'a jamais dédaigné de lui enseigner le moyen de le servir et de lui plaire, toute secte qui ne montre pas sa succession depuis l'origine du monde, n'est pas de Dieu. Ici tombent aux pieds de l'Eglise toutes les sociétés, toutes les sectes que les hommes ont établies au-dedans et au dehors du Christianisme. Par exemple, le faux prophète des Arabes a bien pu se dire envoyé de Dieu ; après après avoir trompé des peuples souverainement ignorants, il a pu profiter des divisions de son voisinage, pour y étendre par les armes une religion toute sensuelle; mais il n'a osé supposer qu'il ait été attendu, ni enfin il n'a pu donner ou à sa personne ou à sa religion aucune liaison réelle ni apparente avec les siècles passés. L'expédient qu'il a trouvé pour s'en exempter est nouveau : de peur qu'on ne voulût rechercher dans les Ecritures des Chrétiens les témoignages de sa mission, semblables à ceux que Jésus-Christ trouvait dans les Ecritures des Juifs, il a dit que les Chrétiens et les Juifs avaient falsifié toutes leurs Ecritures.... Nul ne peut changer les siècles passés, ni se donner des prédécesseurs, ou faire qu'il les ait trouvés en possession. La seule Eglise catholique remplit tous les siècles précédents, par une suite qui ne peut lui être contestée. La loi vient au-devant de l'Evangile; la succession de Moïse et des Patriarches ne fait qu'une même suite avec celle de Jésus-Christ. Etre attendu, venir, être reconnu par une postérité qui dure autant que le monde, c'est le caractère du Messie, en qui nous croyons : *Jésus-Christ est aujourd'hui, il était hier, il est aux siècles des siècles.* » Hist. univ. p. 2, c. 30.

§ 1. *De analogiâ doctrinæ christianæ cum religione patriarchali.*

Propositio. — *Religio primorum hominum et Patriarcharum gentis judaicæ eadem est quoad substantiam, cum Religione christianâ.*

Probatio. — In omni religione pars duplex est, dogmatica et practica. Prior doctrinam continet, et vocatur theologia, vel ubi de ethnicis gentibus sermo est, mythologia. Posterior pars complectitur ritus et consuetudines, ex quibus cultus externus conficitur. Sed doctrina christ. continetur, tum in theologiâ, tum in ritibus religiosis primorum hominum et Patriarcharum.

Prima pars. — *Theologia.*

Doctrina christ. ad partes tres revocari potest : 1° ad ea quæ docet de primâ rerum constitutione, quæ creationem secuta est, seu de primævâ hominum sorte, peccato originali, ejusque effectibus in posteros Adami. 2° Ad ea quæ ob Christi merita in præsenti et futurâ generis humani conditione mutata sunt, sive quæ de fœderis gratiæ conditionibus docet. 3° Ad ea quæ de methodo reparandi generis humani et Christi mediatoris officiis tradit. Atqui illa omnia partim clarè, partim obscurè, continentur in libris V. T. quorum auctoritate uti possumus in hâc de re historicâ disputatione, non modò contra Judæos, sed etiam contra deistas, nisi dicere velint Moysem christ. causæ favisse mille quingentis annis ante Christum.

1° Ea omnia quæ de primâ constitutione rerum docet Religio christ. valdè clarè continentur in primis capitibus Gen., nempe quòd homo creatus fuerit in statu perfectionis et

felicitatis ad imaginem et similitudinem Dei ; quòd homini dederit præcepta Deus et exegerit perfectam obedientiam ; quòd suas leges sanxerit comminatione mortis et pœnarum , fueritque ejus consilium, ut felicitas stabilis ac immortalitas essent virtutis præmium ; quòd denique Adamus peccando in eamdem ruinam traxerit omnem suam progeniem. Hæc enim omnia nullibi clariùs quàm in scriptis Moysis continentur. Et præterea illam historiam lapsùs generis humani eodem modo à veteribus Judæis intellectam fuisse multis conficere licet; auctor libri Ecclesiastici scribit, *hominem fuisse creatum à Deo rectum et inexterminabilem , invidià autem diaboli mortem in hunc mundum intrâsse*. Communis est etiam Judæorum recentiorum opinio , inhærere unicuique à nativitate malitiæ quoddam fermentum , יצר הרה *Jetzer-harah*, quod naturam depravat vitiatque. Docent illud fermentum esse causam mortalitatis , ac simul cum peccatis actualibus , quorum radix est, reddere homines in futurâ vitâ obnoxios pœnis. Ergo nulla est in hâc parte inter Moysem et Christum, Synagogam et Ecclesiam , dissensio.

2° Circa conditiones fœderis gratiæ , nullo modo distat fides nostra à religione antiquâ. Semper agnitum fuit à Judæis eorumque parentibus , homines salvari non posse nisi per fidem , pœnitentiam atque obedientiam legibus divinis ; multùm etiam Judæi recentiores elaborant , nec frustra , ut efficiant in lege Mos. et in veteri religione Patriarcharum contineri doctrinam de remissione peccatorum , de distributione gratiæ et de corporum nostrorum resurrectione. Nulla est ergo nec in hâc secundà parte inter veterem religionem et christ. discordia.

3° Ea omnia quæ docet religio christ. de liberatione generis humani per mediationem Christi, in eorum etiam Scripturis antiquissimis obscurè continentur. Ubique enim futurus prædicitur propheta et gentium præceptor , *sacerdos et victima,* qui destructurus erat peccatum, et hominum peccata in se translata aboliturus; et ut *princeps pacis, pater futuri seculi, rex cœlestis,* qui omnes bonos in æternum regnum congregaturus esset, uti supra confectum est. Hic tantùm evolvemus primam omnium prophetiam, quam habemus in initio Gen., quæ videtur fuisse olim omnis religionis principium et fundamentum.

Prophetia hæc continetur his verbis, quæ dedit Deus ad serpentem deceptorem , primosque generis humani parentes : « Et dixit Dominus Deus ad serpentem : Quia fecisti hoc, « maledictus es inter omnia animantia et be- « stias terræ ; super pectus tuum gradieris, et « terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ ; « inimicitias ponam inter te et mulierem, et « inter semen tuum et semen illius : ipsa « conteret caput tuum, et tu insidiaberis cal- « caneo ejus (1). Mulieri quoque dixit : Mul- « tiplicabo ærumnas tuas et conceptus tuos ; « in dolore paries filios, et sub viri potestate « eris, et ipse dominabitur tuî. Adæ verò di- « xit : Quia audîsti vocem uxoris tuæ, et co- « medisti de ligno de quo præceperam tibi ne « comederes, maledicta terra in opere tuo ; in « laboribus comedes ex eâ cunctis diebus vitæ « tuæ ; spinas et tribulos germinabit tibi , et « comedes herbam terræ ; in sudore vultûs « tui vesceris pane , donec revertaris in ter- « ram de quâ assumptus es ; quia pulvis es et « in pulverem reverteris. »

Nostræ religionis adversarii in illâ prophetiâ

(1) Ita se habet Vulgata interpretatio : at in Hebræo et Samaritano exemplari loco ultimorum verborum legitur : *Ipsum* (id est, semen mulieris) *conteret tibi caput, et tu conteres ei calcaneum.* In græcâ versione 70 Interpretum : *Maledictus tu inter omnia pecora et inter omnes bestias quæ sunt super terram... Ipse tuum observabit caput et tu observabis ei calcaneum.* In versione Syriacâ : *Ipsum conculcabit semen tuum, et tu feries eum in calcaneo ipsius.* In versione Arabicâ : *Ponam inimicitiam inter te mulierem et inter stirpem tuam et stirpem ejus; et hæc findet ex te caput et tu mordebis eam in calcaneo.* Onkelos in suà paraphrasi habet : *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et inter filium tuum et inter filium ejus : ipse recordabitur quod fecisti à principio et tu observabis ei in finem.* Varias hasce proponimus lectiones, ut intelligatur satis constantem esse loci illius sensum, et leviores esse discrepantias quàm ut sensum principalem ullo modo immutent. Si legas cum Vulgatâ editione , *ipsa* conteret caput tuum, sensus est futurum ut mulier per semen suum aliquando conterat caput serpentis. Si cum textu Hebræo et Samaritano, cujus potior est auctoritas, utpote antiquissimis versionibus confirmata, legas, *ipsum* conteret caput tuum, significatur caput serpentis per semen mulieris esse conterendum. Vulgata editio in primâ parte sententiæ habet verbum *conteret*, in secundâ *insidiaberis*, quamvis eadem sit vox Hebræa, unde patet illius auctorem rationem aliquam habere voluisse versionis 70 Int., et existimàsse leviorem esse differentiam : et reverà eòdem ferè redit, si dicas serpentem observaturum esse hominis calcaneum, vel ei insidiaturum ut conterat, aut ferè ut conterat. Observandum tamen in aliquibus 70 Int. exemplaribus, loco vocis τηρήσει, legi τειρήσει, quæ vox eumdem habet sensum cum voce Hebræâ.

et in totâ historiâ lapsûs generis humani nihil vident nisi ineptissimam fabulam; verba singula proprio sensu atque ad litteram sumunt, nihilque aliud Moysis narrationi subesse volunt, prætèrquàm quòd serpens propriâ et naturali vi cum primis parentibus collocutus sit, eosque ad peccandum pertraxerit suâ sponte. Sic etiam in divinâ adversùs serpentem sententiâ nihil aliud contineri putant, nisi hoc unum, fore ut serpentes hominum calces dentibus invadant, et ut homines vicissim sæpè capita serpentium percutiant (1). Nos verò hæc metaphoricè vertimus, et metaphoricè intellecta fuisse à primis parentibus decernimus; sensumque esse, dæmonem sub specie serpentis primos parentes suis pollicitationibus ad inobedientiam provocâsse, et Deum dixisse sententiam non minùs in dæmonem, qui erat causa efficiens, quàm in serpentem, qui erat causa instrumentalis : perpetuam dæmonis humiliationem et depressionem figuratam fuisse serpentis volutatione; perpetuas ejusdem simultates cum gente humanâ significatas fuisse per serpentis et hominis inimicitias; quòd semini mulieris illaturus esset aliquod damnum, sed ab eodem esset ipse conterendus, significatum putamus per ista verba : *Tu insidiaberis calcaneo ejus, et ipse conteret caput tuum.* Si hæc verba ita intellecta fuisse à primis parentibus ostendamus, erit quoque demonstratum primos parentes accepisse in istâ prophetiâ summam Religionis christianæ (1).

Ad confirmandam hanc nostram expositionem hæc efficiemus, 1° gravissimas fuisse cau-

(1) Hæc explicatio placuit etiam quibusdam Judæis recentioribus qui nobis mira narrant de pulchritudine et dotibus serpentis, ante suam et hominis condemnationem. At alii litteralem sensum planè abjiciunt, nihilque aliud quàm moralem fabulam seu apologum in verbis Moysis agnoscunt, quo genere scripturæ uti solebant orientales ad adumbrandas veritates, quas mentibus hominum indere volebant. Tota ergo creationis historia, hominis ex terræ pulvere compositio, Evæ ex costâ Adami ædificatio, paradisi plantatio et hominis in eo collocatio, ut felix esset quamdiù esset innocens, tentatio subsequens per serpentem, hominisque demùm condemnatio et expulsio à paradiso, non res gestas referunt, sed homines allegoricè docent Deum omnium rerum conditorem sapientem et bonum esse; hominem ab eo omnia accepisse et ad eum referre debere; individuam esse oportere viri et uxoris societatem; veram felicitatem in innocentiâ sitam esse; primam mali originem fuisse concupiscentiam, quæ aptissimè per serpentem adumbratur; ex dominio appetitùs in rationem et ejus effectu peccato nasci sensum delicti, sui ipsius condemnationem, alienationem à Deo, dolores, miseriam, mortem. Sed hæc expositio allegorica nullo modo cum accuratâ rerum apud Moysem descriptione consistere potest. Nam ea omnia, quæ à Moyse narrantur de rerum omnium creatione, de statu primorum parentum, de mali physici et moralis origine, cum eâdem simplicitate et gravitate historicè narrantur, ac ea quæ sequuntur, quæ historicè relata omnes consentiunt. Imò verò in descriptione paradisi accuratiùs regionem indicavit ubi situs esset, Euphratemque è fluviis unum notissimum nomine designavit, qui in imaginariâ descriptione locum non invenisset. Deinde in narratione lapsûs primorum parentum deceptor manifestè distinguitur à muliere deceptâ : ubi hæc arguitur, à se crimen in deceptorem rejicit; atque etiam sententia à Deo lata inter mulierem et deceptorem idem discrimen supponit, cùm diversæ denuntientur et infligantur utrique pœnæ. Jam verò si per serpentem intelligendus esset appetitus sensitivus seu concupiscentia, nullo modo deceptor à deceptâ distingueretur, et pœnæ in serpentem et mulierem eamdem personam attingerent.

Levis est inter christianos interpretes dissensio, quæ prophetiæ sensum principalem non afficit. Alii nomine serpentis diabolum solum intelligi putant; eum vocari serpentem, vel figuratè, vel parabolicè propter astutiam et calliditatem, quæ dotes vulgò serpenti tribuuntur; vel quòd diabolus ad tentandos primos parentes serpentis formam et speciem assumpserit. Ita S. Augustinus, SS. Basilius, Epiphanius, Chrysostomus et alii condemnationem referunt ad utrumque serpentem, corporeum et incorporeum; et putant diabolum non tantùm speciem assumpsisse, sed vero serpente usum esse. Quæ sententia longè est probabilior propter hæc verba : *Erat serpens callidior cunctis animantibus terræ ;* quia nisi serpens fuisset unum animantium, cum animantibus conferri non potuisset.

(1) Injucundum haud erit clarissimum apud nos auctorem audire sic eleganter, sumptâ ex lapsu hominis per serpentem occasione, varias serpentis indoles describentem : « Notre siècle rejette avec hauteur tout ce qui tient de la merveille; mais le serpent a souvent été l'objet de nos observations; et si nous osons le dire, nous avons cru reconnaître en lui cet esprit pernicieux et cette subtilité que lui attribue l'Ecriture. Tout est mysterieux, caché, étonnant dans cet incompréhensible reptile. Ses mouvements diffèrent de ceux de tous les autres animaux: on ne saurait dire où gît le principe de son déplacement, car il n'a ni nageoires, ni pieds, ni ailes, et il fuit comme une ombre, il s'évanouit magiquement, il reparaît et disparaît encore, semblable à une petite fumée d'azur, ou aux éclairs d'un glaive dans les ténèbres. Tantôt il se forme en cercle, et darde une langue de feu; tantôt debout sur l'extrémité de sa queue, il marche dans une attitude perpendiculaire, comme par enchantement. Il se jette en orbe, monte et s'abaisse en spirale, roule ses anneaux comme une onde, circule sur les branches des arbres, glisse sous l'herbe des prairies, ou sur la surface des eaux. Ses couleurs sont aussi peu déterminées que sa marche; elles changent aux divers aspects de la lumière, et comme ses mouvements, elles ont le faux

sas cur involutè et ænigmaticè futura hominum redemptio significaretur. 2° Metaphoram, quæ usurpata est, facilem, obviam atque idoneam fuisse. 3° Hunc locum allegoricè olim vertisse interpretes Judæos et etiam librorum sacrorum auctores Moyse posteriores. 4° Sensum litteralem proprium esse planè ineptissimum, nec posse ullo modo propter manifestum absurditatem admitti. 5° Sensum quem huic prophetiæ tribuimus esse aptissimum, et ex hujus eventûs circumstantiis spontè nasci.

1° Igitur dico gravissimas causas fuisse cur Deus involutè atque ænigmaticè homines peccati originem, et redemptionis methodum doceret : prima ratio est, quòd mysterium redemptionis humanæ abscondere à seculis usque ad plenitudinem temporis, quo advenire debebat hominum redemptor, voluerit Deus ; et nonnisi obscurè et per partes Christi officia per Prophetas aperire. Jam verò si apertis verbis declarâsset ea quæ sub hujus allegoriæ terminis continentur, ipsum propalâsset mysterium evang. spirituales effectus lapsûs primorum parentum dæmonis insidiantis vires et in homines potestatem, et totam methodum redemptionis humanæ (1). Ratio est, quòd simplex et nuda eventûs expositio aliquam conciliare auctoritatem potuisset generalissimo et maximè inveterato olim errori duorum principiorum, unius boni, alterius mali, qui error divinam omnipotentiam planè destruebat, ad quam præcipuè stabiliendam creationis historia comparata videtur. Vel certè si Moyses alicui maligno atque invisibili enti originem mali moralis et physici clarè tribuisset, necesse etiam fuisset istius entis fortunam viresque describere, quod ejus officii pars non erat. Hanc difficultatem vitabat usurpatione figuratæ orationis valdè apud Orientales communis.

2° Metaphora quæ usurpatur valdè obvia et facilis est : nam ponitur solummodò causa instrumentalis pro causâ efficiente; pone loco serpentis dæmonem, tolletur ex hâc parte omnis obscuritas. Jam verò valdè familiare est in omnibus linguis per causam instrumentalem intelligere efficientem, ac per speciem externam et visibilem res denominare : sic apud veteres Æsculapius sæpè vocatus est serpens Epidaurius. Et sanè serpens erat aptissimum dæmonis symbolum propter insidiosam, quæ ipsi tribuitur, calliditatem atque humilem sortem.

3° Certum est Judæos veteres nunquàm istam prophetiam ad litteram intellexisse, sed metaphoricè : docet enim Jonathan Ben Uziel futurum ut filii mulieris, homines videlicet, præceptis divinis obtemperando caput serpentis conterant; rursùm calcem eorum invadat serpens cùm prolabentur in vitia. At serpenti remedium fore nullum, priorum verò hominum vulneri Christum, cùm venerit, medicinam facturum. Quod perinde est ac si diceret Christum, per sanctos homines auxilio ejus fretos, insidiantem iis dæmonem alligaturum, quam interpretationem secutus est Hierosol. interpres. Hunc etiam fuisse auctorum sacrorum sensum liquet ex multis quæ hanc histo-

brillant et les varietés trompeuses de la séduction.

« Plus étonnant encore dans le reste de ses mœurs, il sait, ainsi qu'un homme souillé de meurtre, jeter à l'écart sa robe tachée de sang, dans la crainte d'être reconnu. Par une étrange faculté, il peut faire rentrer dans son sein les petits monstres que l'amour en a fait sortir. Il sommeille des mois entiers, fréquente des tombeaux, habite des lieux inconnus, compose des poisons qui glacent, brûlent ou tachent le corps de sa victime des couleurs dont il est lui-même marqué. Là, il lève deux têtes menaçantes, ici il fait entendre une sonnette : il siffle comme un aigle de montagne, il mugit comme un taureau. Il s'associe naturellement aux idées morales ou religieuses, comme par une suite de l'influence qu'il eut sur nos destinées : objet d'horreur ou d'adoration, les hommes ont pour lui une haine implacable, ou tombent devant son génie : le mensonge l'appelle, la prudence le réclame, l'envie le porte dans son cœur, et l'éloquence à son caducée. Aux enfers il arme les fouets des Furies; au ciel l'éternité en fait son symbole. Il possède encore l'art de séduire l'innocence; ses regards enchantent les oiseaux dans les airs; et sous la fougère de la crèche, la brebis lui abandonne son lait. Mais il se laisse charmer lui-même par de doux sons; et, pour le dompter, le berger n'a besoin que de sa flûte. » Châteaubriand, *Génie du Christ.* liv. 3, c. 2. P. S.

(1) Ratio essentialis petitur ex generali *transitionum* lege, quæ in universo creationis opere, tum in naturâ physicâ, tum in morali elucet. Eâ autem lege nihil repentè seu ex abrupto fit in mundo; omnia, è contra, gradatim incedunt, adhibitâ semper convenienti præmissione : sic, v. g., in ordine physico, ob oculorum debilitatem, nonnisi sensim atque præmissâ auroræ benignâ luce, sol sua spargit lumina. Ita in moralibus multa et quidem insigniora occurrerent exempla. Unum seligemus, quod præcisè hic et nunc in quæstionem venit, scilicet futurum Christi adventum non clarè humanis mentibus peccato tam debilitatis fuisse prænuntiatum, seu monstratum, sed lento gradu, atque crescente prophetiarum luce, ad Solem justitiæ excipiendum, sic gens Judaica ac per ipsam cæteræ, præparatæ sunt. Hujus legis rationes non minorem quàm ipsa admirationem moverent; sed hæc indicâsse ad nostrum sufficit intentum. P.-S.

riam tentationis Adæ manifestè respiciunt; auctor libri Sap. scribit, cap. 2: *Quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem, et ad imaginem similitudinis suæ fecit illum; invidiâ autem diaboli mors introivit in orbem terrarum.* Auctor libri Job. c. 26, post magnificam omnipotentiæ divinæ descriptionem, his verbis suam orationem concludit: *Spiritus ejus ornavit cœlos, et obstetricante manu ejus, eductus est coluber tortuosus.* Ubi per *colubrum tortuosum* vix certè licet intelligere angues et serpentes, qui nequaquàm sunt divinæ potentiæ maxima argumenta, cum creatione cœlorum conjungenda; benè verò intelligitur coluber ille antiquus qui seduxit genus humanum: atque reverà ista verba olim ita intellecta fuisse à Judæis constat ex versione 7° Interpretum, quæ istum locum sic reddit: *Et decreto mortem intulit draconi apostatæ;* consentiunt versiones Syr. et Arab. Plura alia sunt hujus antiquissimæ doctrinæ argumenta, sed obscuriora, et in quibus evolvendis nimiùm longi essemus.

4° Litteralis interpretatio capitis tertii nullo modo admitti potest propter nimiam absurditatem. Quis enim cordatus sibi unquàm inducet in animum, Moysem, cujus sapientiæ tam illustria sunt argumenta, scribere voluisse talem fabulam, idque non ad oblectationem, sed ad doctrinam? si illam historiam apud alium quemquam, præter scriptorem sacrum, invenissent deistæ, tam absurdum sensum ei non affingerent. Deinde Moyses secum ipse non consentiret: scripserat autem paulò antea, hominem solum rationis et sermonis participem ad Dei imaginem creatum fuisse; omnia quæ Deus fecerat esse valdè bona; at animantia tam diversæ esse naturæ, ut nulla inter illa et hominem posset esse societas. Qui ergo suî oblitus, serpenti et naturalem *malitiam et rationem et orationem* potuit tribuere? illumque inducere de consiliis divinis disserentem, et cum specie majoris scientiæ mulierem fallentem, sibique dolosâ adulatione Evæ reverentiam et obsequium conciliantem?

Præterea si naturali sensu intelligenda sit Dei in serpentem sententia, desideramus in illâ magnoperè gravitatem et majestatem, quâ nunquàm apud Moysen caret supremum numen. Fingite vobis Deum propter patratum scelus homini iratum, sententiam adversùs eum dicentem severissimam, minitantem maximas calamitates et ærumnas; et eodem spiritu cum eâdem gravitate, in isto maximo parentum nostrorum luctu, quasi ad solatium, rem levissimam prædicentem, nempe quòd calces hominum invasuri essent serpentes, et vicissim homines serpentium capita essent percussuri. Quæ, quæso, est ista majestatis et puerilitatis conjunctio? Quid ille casus tam levis habet cum generis humani perditione, cum mundi physici et moralis depravatione, cum interitu illius qui totius creationis gloria et finis fuit? Numquid non multùm afferebat solatii Adæ et Evæ inter minas miseriarum atque mortis, nullâ relictâ in extremo luctu restitutionis spe, pollicitatio ista, fore quandoque ut ejus filii ferirent calcibus anguium insidiantium capita? Nullo igitur modo huic loco sensum litteralem proprium affingere possumus. Si deistarum litterali et absurdæ explicationi favere alicui videantur illæ voces: *Erat serpens callidior cunctis animantibus terræ*, atque ex illis sequi ea omnia quæ de serpente narrantur, effectus fuisse naturalis ejus sagacitatis seu calliditatis; meminerit vocem Hebræam quæ vertitur, *erat*, verti posse, *factus est*, quorum sensus sit serpentem mirabili ratione factum esse instinctu dæmonis callidiorem quàm antea fuerat, aut erant cætera animantia.

5° Sensus quem huic prophetiæ tribuimus, obvius est et ex historiæ circumstantiis spontè nascitur. Non enim existimamus primos parentes aut Judæos ante adventum Christi, illum locum adeò clarè intellexisse, ac nos post eventum et post propalatum mysterium redemptionis humanæ nunc intelligimus: sed contendimus eos ex hoc vaticinio spem veniæ et restitutionis propter hanc victoriam seminis sui concepisse. Inprimis cùm nulla prorsùs religio esse possit sine spe et expectatione veniæ, necesse fuit ut Deus post lapsum temperaret rigorem legis istius à se latæ: *In die quà comederis ex eâ, morte morieris;* et in iis spem excitaret. Imò cùm certum sit primos parentes statim post lapsum Deum coluisse sacrificiis et spem concepisse, necesse est ut Deus in iis aliquâ promissione hanc spem reverà excitaverit. Jam verò in nullâ aliâ parte istius historiæ Mosaicæ, nisi in hâc latâ contra serpentem sententiâ, fundamentum spei illius deprehenditur. Ergo ista prophetia spei reverà fundamentum fuit.

Deinde si attentiùs sententiam illam consideraverimus, inveniemus legitimum fuisse spei fundamentum, neque alio sensu quàm de futurâ liberatione à potestate dæmonis intelligi posse: quia 1° Deus per istam sententiam supremam suam auctoritatem vindicavit, certosque fecit proto-parentes se arbitrum esse re-

rum omnium, etiam dæmonis, quamvis feliciter successisset in istâ suâ molitione adversùs Dei gloriam, hominumque salutem; proindeque non esse desperatam eorum sortem, propter communis hostis potentiam. Quia 2° per eamdem sententiam significavit Deus nequaquàm esse completam serpentis victoriam, sed homines cum ipso feliciter congredi posse, et tandem etiam omninò devicturos. Victoriæ spes affulsit ex datis adversùs serpentem verbis, et consequenter victoriæ fructus sperare ipsis concessum est. Jam verò quos fructus ex victoriâ sperare potuerunt, nisi eos quibus eos privaverat victoria serpentis, justitiam nimirùm, felicitatem et immortalitatem? Pollicitatio victoriæ adversùs serpentem includebat igitur promissionem restitutæ felicitatis et justitiæ. Rectè ergo dici potest illam prophetiam totius humanæ olim spei et consequenter Religionis fundamentum fuisse; et cùm directè et immediatè spectaverit Messiam, sequitur primum omnium vaticiniorum directè et immediatè novam dispensationem prænuntiâsse.

Neque ab hâc nostrâ doctrinâ alieni sunt doctissimi Judæorum. Scripsêre siquidem multi mortem esse destruendam per Messiam et omnes homines revocandos ad vitam, ipsique applicârunt in litterali sensu ista Isaiæ verba : *Absorpta est mors in victoriâ* (1). In responsione ad objectiones monstrabimus mysteria Trinitatis et Incarn. à quibus recentiores adeò abhorrent, cognita fuisse antiquioribus Judæis et Patriarchis. Ergo Religio christ. in suis dogmatibus nullatenùs distat, saltem quoad substantiam, à fide Patriarcharum et Judæorum.

(1) Dixit Rabbi Jose Galilæus : Egredere et disce meritum regis Messiæ, et præmium justorum præ Adam antiquo, cui non fuit imperatum nisi unum præceptum negativum; et transgressus est illud. Vide quot mortes obvenerint illi, et generationibus ejus usque in finem omnium generationum. Porrò quæ mensura præponderat, mensura boni, aut mensura vindictæ seu pœnarum? Dic mensuram boni præponderare : mensuram verò vindictæ seu pœnarum minùs. Rex enim Messias afflictus, et dolore pœnisque affectus pro peccatoribus juxta illud Isaiæ 53, 5 : *Et ipse vulneratus est propter iniquitates nostras*, etc., quantò magis justificabit omnes omninò generationes? Hoc est quod dicitur ibid. v. 6 : *Dominus obviare fecit in eo peccata omnium nostrûm*. In libro Siphre.

Purgatio quam faciet Messias erit ad expiandum peccatum commune, sive generale; ad consumendam prævaricationem et ad finiendum peccatum, quod occupat genus humanum. Quemadmodùm enim primus homo fuit primus qui peccavit, sic Messias erit novissimus, qui removeat penitùs peccatum. Auctor Neve-Schalom.

Id quoque Judæi profitentur in cantico, quod adventante sabbato recitant :

Surge erecta tuo, gens mea, pulvere;
Vestes sume sacras : munere filii
Isai Bethleemitæ,
Præsens est animæ salus.

Pars II. — *Religiosi ritus.*

Ritus et consuetudines religiosæ patriarcharum ex doctrinâ modò expositâ pendebant et eam exprimebant. Etsi admodùm verisimile sit plerasque institutas à Moyse cæremonias pertinuisse ad religionem Patriarcharum, tamen quoniam eâ de re eruditi dissentiunt, in exemplum solummodò adducemus hæc tria, quæ certissimè ab initio obtinuerunt; sacrificia nempe animalium, sacerdotalem dignitatem primogenituræ privilegium, et consuetudinem abstinendi à sanguine et suffocato. Atqui in his tribus continetur doctrina modò exposita, et exprimitur æquè clarè ac sacramentis legis christ. Baptismo et Eucharistiâ.

Sacrificia cruenta. — 1° In cruentis sacrificiis deprehenditur ista doctrina; tum quia sublatis illis dogmatibus, natura nunquàm suggessisset hominibus sacrificia cruenta; tum quia ex circumstantiis manifestum est illa sacrificia fuisse symbola, positivo Dei præcepto instituta, ad exprimenda illa dogmata. Inprimis natura non suggessit hominibus sacrificia : illa quippe offerebantur, vel ad gratias agendas pro acceptis beneficiis, vel ad expianda delicta. Sed profectò nulla est necessaria conjunctio mortis belluæ cum lætitiâ ex perceptis beneficiis, vel cum expiatione peccati. Quis unquàm in vitâ civili ob accepta beneficia gratias agere patrono constituit apud se, jugulato tauro; aut quis alterius iracundiam hâc cæremoniâ deprecatur? Attamen si essent symbola naturalia, vel grati animi, vel pœnitentiæ, non video cur nunquàm in vitâ civili illa adhibuerint homines. Si ratio consulatur, docebit certè Deum, qui spiritus est, oportere nos adorare in spiritu et veritate, ipsique facere sacrificia laudis. Hoc adeò verum est, ut sacrificia cruenta philosophis multis displicuerint. Porphyrius adversùs sacrificia scripsit librum, in quo contendebat, vel ad adorandos deos, vel ad gratias agendas pro acceptis beneficiis, vel ad bona petenda et avertenda mala, votum animi sufficere, audetque cultum sacrificiorum dicere illegitimum, detestabilem, impium. Negat Jamblichus illum cultum esse Deo dignum. Tradunt iidem philosophi contra historiæ fidem, cruen-

ta belluarum sacrificia non statim ab initio obtinuisse, sed successivè post oblationes rerum inanimatarum. Tantùm putabant olim sapientes sacrificia cruenta abhorrere à ratione.

Fuêre etiam qui primorum hominum stupiditati illum sacrificiorum apparatum tribuerunt. At quo fundamento assereretur primam Dei progeniem, à quâ novimus oblata sacrificia, tam stupidam fuisse? Et aliunde an apud nos aut Mahumetanos videmus rude vulgus ullo modo propensum in sacrificia? Aut illi unquàm in mentem venire ut dominis suis, vel sanctis, vel Deo reverentiam testetur per sacrificia, aut ex tali ritu ullam spem concipere? Cùm ergo nec hominum stupiditati, nec sapientium consiliis sacrificia tribuere possimus (1), aliæ eorum causæ quærendæ sunt: quæ nullæ aliæ esse possunt præter positivum Dei præceptum ad exprimenda prædicta dogmata, ut ex variis eorum circumstantiis patebit.

1° Hoc probat antiquitas instituti. Certum est istum ritum sacrificandi esse mundo coævum, et à primis hominibus usurpatum, statim post lapsum. Cultûs externi primum exemplum sunt sacrificia Caïni et Abelis. Egressus Noe ex arcâ confestim obtulit sacrificia. Et profectò, sepositâ Moysis auctoritate, ipsa hujus consuetudinis universalitas probat antiquitatem, quæ tanta non fuisset, nisi à communibus parentibus esset propagata. Jam verò ad Deum referendum videtur institutum, quod ab iis observatum videmus, quos ipse ad Religionem instituit; et quod à Deo quoque probatum fuit, connexionem quoque habere debet cum revelatione seu prophetiâ omnis Religionis fundamento; atque sacrificiis uti possumus ad intelligendam prophetiam, et vicissim prophetiâ ad explicanda sacrificia.

2° Id quoque probat universalitas hujus consuetudinis. Certum est nullam unquàm fuisse gentem quæ ullo tempore caruerit sacrificiis. Unde in re haudquaquàm naturali tam mira consensio omnium hominum, nisi ex impressâ animis firmâ opinione divini instituti? Nunquàm sanè omnes gentes mortem gessissent tam constanter ritui incommodo, sordido, abhorrenti à nostris ideis et affectibus, nisi à Deo præscriptum, et necessariò observandum agnovissent. Aliunde etiam novimus hanc fuisse populorum de sacrificiis fidem. Neque admirari satis Dei possumus providentiam, quæ effecit ut hæc sacrificia ubique obtinerent, usque ad mortem Christi cujus figuræ erant; ubicumque ejus doctrina prædicaretur, inter-

(1) Haud satis attendisse videtur auctor noster ad hanc communem sacrificii definitionem, quam nobis Billuart suppeditat: *Oblatio rei sensibilis à ministro legitimo facta Deo per realem immutationem, ad testandum ejus supremum dominium nostramque subjectionem.* Bill. de Eucharistiâ diss. 8. Omisit igitur præcipuum sacrificii finem, quòd nimirùm sit latreuticum. Hinc faciliùs in opinionem quorumdam abiit, quibus sic doctissimus Bergier contradicit: « Quelques savants très-estimables qui examinaient la question que nous traitons avec des yeux philosophes, ont été persuadés que l'idée des sacrifices sanglants ne serait jamais venue à l'esprit de tous les peuples, si Dieu lui-même n'en avait fait un précepte aux premiers hommes, dès le commencement du monde. Nous n'avons garde de révoquer le fait en doute, puisque nous voyons par l'Ecriture-Sainte que c'est Dieu qui a été le premier précepteur du genre humain, et il est incertain que les sacrifices qu'Abel offrait au Seigneur n'etaient pas des sacrifices sanglants. Mais il nous parait que, sans avoir conservé aucune notion de cette révélation primitive, les hommes portés par un instinct naturel à présenter à Dieu leur nourriture, n'ont pu manquer de lui offrir la chair des animaux, dès qu'ils ont été accoutumés à s'en nourrir. Ils ont pensé que cette espèce de sacrifice était la meilleure et la plus agréable à Dieu, parce qu'ils éprouvaient, comme nous l'éprouvons encore, que cet aliment est le plus succulent de tous, celui qui nourrit davantage, qui est le plus au goût du commun des hommes. On ne citera jamais aucun peuple réduit à vivre de végétaux, qui ait offert à Dieu des victimes sanglantes : c'est encore une observation de Porphyre. » Quod hic affirmat de sacrificio cruento, idem jam superiùs de omni sacrificio in genere dixerat : « Sacrifice, *offrande faite à Dieu d'une chose que l'on détruit en son honneur, pour reconnaître son souverain domaine sur toutes choses.* Par cette définition même il est clair que le sacrifice est l'acte essentiel de la Religion... Aussi n'y eut-il jamais de religion sans quelque espèce de sacrifice, sans un acte solennel destiné à attester le souverain domaine de Dieu; tous les peuples, par un instinct naturel et semblable, ont témoigné à la divinité leur soumission, leur reconnaissance, leur confiance de la même manière..... Nous soutenons que Dieu lui-même est l'auteur des sacrifices, puisque nous les voyons pratiqués par les enfants d'Adam et par les patriarches, avant la naissance du polythéisme et de ses abus. Nous ajoutons qu'indépendamment même des lumières de la révélation, l'idée de faire des offrandes à la divinité a dû venir naturellement à l'esprit de tous les peuples, qu'elle n'a rien de déraisonnable ni de dangereux en elle même » Bergier, Dict. théol. verbo *Sacrifice.* Ex illâ controversiâ merè philosophicâ, id saltem ex sententiâ Bergier sequi videtur, scilicet ideam sacrificii non ita, ut contendunt ejus adversarii, rationi humanæ absonam esse; quamvis tamen nobis videatur probabilius eam solam rationem ad sacrificium instituendum fuisse imparem. P. B.

irent prorsùs et eorum deleretur memoria. Hæc ita obtingere debebant in nostrâ sententiâ; at in omni aliâ nulla horum eventorum ratio afferri potest.

3° Ipsa ratio temporis, quo peracta sunt prima sacrificia, idem evincit. Oblata quippe sunt ante diluvium et à Noe statim post egressionem ex arcâ. Jam verò si communis et probata à doctis multis opinio valeat, quòd homines non manducaverint ante illud tempus carnem; multò magis abhorrebat à naturâ hominis jugulare non nocentes belluas, quibus non utebantur ad victum, nisi id fecerint ob gravem aliquam causam ex præcepto Dei positivo.

4° Idem probat convenientia sacrificiorum cum istis dogmatibus. Illud esse signum et symbolum inventum ad significanda illa dogmata rectè concludimus, cujus institutionis cùm origo mundi æqualis et divina sit, cùm fuerit cultûs publici summa, cùm ejus nulla alia ratio inveniri possit, eadem singularem habere deprehenditur convenientiam cum illis dogmatibus, et tantam quidem ut mens humana nihil queat aptiùs cogitare ad eadem dogmata exprimenda. Atqui, etc. Si reverà, uti docet Religio nostra, homo peccando morti obnoxius factus sit; si mors homini debita translata fuerit in aliam victimam, cujus sacrificio deleri debebat sententia mortis adversùs hominem lata: quâ, quæso, ratione meliùs hæc exprimi potuère, quàm expiatoriis sacrificiis? In illis peccator manus suas extendebat super caput victimæ, et confitebatur peccata sua, ut ista cæremonia significaret translationem peccati in victimam, eamque esse sui vicariam hostiam. Deinde effundebatur sanguis ad latus altaris; cujus sanguinis ea erat proprietas, ut pollueret quodcumque contingeret, et eodem tempore omnia mundaret (nam illo sanguine res sacræ purificabantur et consecrabantur Deo), ut scilicet significaretur sanguinem ipsum esse maledictum, utpote victimæ piacularis, in quam translatum esset peccatum, et tamen per istam effusionem sanguinis placari Deum. Postea supponebatur victimæ, vel illius parti ignis quo cremaretur, ut significaretur ira Dei, quæ juxta Scripturam, *ignis est consumens et devorans peccatores*. Nidor verò vocabatur *ascensio* et *odor suavitatis* vel *requiei*, quem Deus odorari dicitur, quia peracto toto ritu Deum placatum concipiebant veteres. Hæc profectò omnia, si ad litteram et absolutè, sine ullâ relatione ad sacrificium verè expiatorium Christi, sumatur, plena sunt vanitatis, adeòque absurda ut nunquàm venire in mentem hominis potuerint, sed si considerentur ut symbola mortis Christi qui, cùm essemus morti devoti, *factus est pro nobis maledictum*, et effusione sanguinis sui diluens peccata nostra, nos reconciliavit Deo, omnia plena sunt reconditæ sapientiæ.

5° Sunt in linguâ Hebraicâ formæ loquendi, quæ cum hâc nostrâ doctrinâ optimè consentiunt, et ex quibus, conjunctis cum aliis sacrificiorum circumstantiis, benè conjicitur primos homines christianam tenuisse doctrinam de redemptione hominum per sacrificium liberatoris futuri. Exempli gratiâ, nulla est phrasis quæ sæpiùs occurrat in Scripturis, quàm ista כרת ברית *Carath Berith*, quæ vertitur plerùmque per hæc verba, *inire pactum*, vel alia eumdem sensum habentia. Sed reverà vox כרת *Carath* significat *percutere, ferire, icere, trucidare. Berith* significat in sensu proprio *purificatorem*: nam derivatur à radice בר *Bar* vel ברר *Barar, mundare, purificare;* hancque significationem servavit vox illa בּרית *Berith* vel *Borith* in duobus Scripturæ locis, ut in isto Malach. 3, 2: *Statim veniet ad templum suum dominator... ipse quasi ignis constans et quasi* (Borith) *herba fullonum*. Alter locus est apud Jerem. 2, 22: *Si laveris te nitro et multiplicaveris tibi* Borith, *maculata es in iniquitate tuâ coram me, dicit Dominus;* in quibus vox *Berith* vel *Borith* significat evidentissimè rem aptam ad lavandum et eluendas sordes, sive illa fuerit herba quædam, vel cinis lixivius, vel sapo. Neque hæc forma loquendi propria Hebræis fuit, sed cum sacrificiis ab aliis gentibus hæc vel alia similis usurpata fuit; sic Latini dicebant *icere, percutere, ferire fœdus*, pro, *inire pactum*. Quæ esse potest origo hujus singularis formæ loquendi apud gentes tanto intervallo dissitas communis? Scilicet apud omnes gentes pacta solemnia confirmabantur per sacrificium animalis, quod apud Hebræos dicebatur *Berith* seu *purificator* et apud Latinos *fœdus*. Atque ab hâc cæremoniâ ipsum pactum nomen sortitum est. Jam verò quare victima immolata in confirmationem pacti dicta est *purificator* et *fœdus*? In nostrâ sententiâ responsio facilis est. Sciebant primi parentes generis humani, à quibus ad nepotes derivata fluxit oratio, Deum cum hominibus pactum pro eorum redintegratione et purificatione iniisse, quod omnem suam firmitatem habebat à sanguine *redemptoris* vel *purificatoris*, qui conterere debebat caput serpentis antiqui: sciebant quoque sacrificia cruenta belluarum esse typum divinitùs institu-

tum usque ad adventum purificatoris, pacti istius divini ; ut ergo major accederet pactis inter se initis solemnitas et firmitas, adhibebant religionis ritum solemniorem, declarabantque inexpiabilem futuram ipso sanguine redemptoris pacti violationem. Habebant quoque in hâc re ipsum Dei exemplum, quod imitarentur : solebat quippe Deus suas revelationes et promissiones sacrificiis sancire : celebre est exemplum ubi Deus promissionem terræ Chanaan sacrificio confirmat Gen. 15, et postea pactum inter Deum et populum Israel sacrificiis quoque sanctum est.

Si hæc conjectura probabilis sit, quod relinquimus lectoris judicio, erit vox *Berith* unum è nominibus Messiæ, quod translatum fuit ad significandam vicariam hostiam ejus figuram, ab antitypo in typum. Quod etiam aliquam directam confirmationem habet ex multis Scripturæ locis, ubi si vertas vocem *Berith* per hanc aliam, *purificator,* sensus erit clarior, ut Is. 42,6: *Dabo te* Berith *populi et lucem gentium; et* 49, 8: *Dedi te* Berith *populi, ut suscitares terram et possideres hæreditates dissipatas.* Et in illis locis ubi mentio est *sanguinis Berith,* ut Zach. 9, 11 : *Tu quoque in sanguine* Berith *tui emisisti vinctos de lacu, in quo non est aqua.* In illis omnibus meliùs sonat *purificator* quàm *pactum.* Eodem modo verti poterunt illæ antiquiores promissiones, in quibus Deus pollicetur se daturum *Berith* suum : v. g., Gen. 6, 18, Deus certiorem faciens Noemum instantis diluvii, addit : *Ponam* Berith *meum tecum.* Tuncque eorum verborum sensus erit : Ex stirpe tuâ tamen orietur *purificator* vel *redemptor.* Gen. 17, 2, Deus ait ad Abraham : *Ego sum et* Berith *meum tecum.* Antea dixerat : *Ponam* Berith *meum inter me et te.* Si in his omnibus locis per *Berith* intelligas *purificatorem,* vel quod eodem redit, *pactum sanctum sanguine purificatoris,* tot erunt promissiones orituri ex ejus stirpe Messiæ, et explicationem continebunt istius alterius promissionis : *In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ.*

Ex his quoque facilè redditur ratio phrasis latinæ, *ferire fœdus.* Observandum est apud veteres sacrificia nomen suum sortita esse à fine ob quem offerebantur ; hincque sacrificium pro peccato expiando vocatum est apud Hæbreos אשם *ashem, peccatum;* sanguis victimæ piacularis est sanguis *ashem,* seu *peccati :* in lege Mos. jubetur homo qui peccavit, afferre *peccatum suum* ad ostium tabernaculi, imponere manus suas super *caput peccati;* sacerdos debebat occidere *peccatum,* et fundere ad basim altaris sanguinem *peccati.* Sic apud Latinos victima piacularis dicta est *fœdus,* quæ vox *fœditatem, immunditiam, pollutionem* significat ; *et percutere, icere, ferire fœdus,* idem sonat ac ferire *Ashem,* seu *peccatum,* seu *victimam piacularem.*

6° Hæc fides primorum hominum et veterum Patriarchum colligitur ex factis hist. et quibusdam peculiaribus sacrificiis quæ apud Moysem referuntur : 1° ex hist. sacrificiorum factorum à Caïno et Abele. Deus dicitur respexisse ad sacrificia cruenta Abelis et non respexisse dona inanima Caïni ; cujus differentiæ hæc causa affertur à quibusdam Scripturæ interpretibus, quòd Abel pecudum oblatione cruentâ ante omnia curaverit *propitiationem* per fidem *in sanguine,* quo necessariò purificanda erant omnia dona Deo oblata. Caïnus verò, oblatione solâ *eucharisticâ* de fructibus terræ factâ, neglexerit sacrificium propitiatorium ; et eo nomine Deo displicuerit, nec potuerit obtinere justitiæ, quæ ex fide est, testimonium, quod non perhibebat Deus, ubi negligebatur illud externum symbolum supplicationis ex fide pro remissione peccatorum obtinendâ. Quemadmodùm ergo in cultu spirituali publicanus supplicans cum peccatorum confessione, descendit in domum suam justificatus præ Pharisæo cum gratiarum actione Deo vovente decimas omnium quæ possidebat : sic hâc parte potior fuit Abelis oblatio præ oblatione Caïni, quòd ille supplicationem suam pro impetrandâ peccatorum remissione testatus sit per sacrificii propitiatorii cruentam oblationem, cùm alter dona sua eucharistica offerret sine sanguinis effusione, quasi peccator non existeret. Hanc explicationem confirmat Apostolus, cùm probat illud apud Judæos commune adagium : *Sine sanguinis effusione non fit remissio.* Imò in ipso textu Moysis hic sensus obscurè indicatur in illis sequentibus verbis Dei ad Caïnum : *Nonne si benè egeris, recipies? sin autem malè, statim in foribus peccatum aderit?* Cujus loci hic sensus videtur : « Si justus es, justitia tua te salvabit, et donis tantùm eges eucharisticis; si non sis justus, sed peccator, quâ expiatione deletur peccatum tuum ? in foribus tuis manet.

Aliud exemplum suppeditat nobis historia Abrahæ : videtur scilicet Deus, cùm hoc præceptum dedit Abrahæ : *Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis, Isaac, et vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum;*

docere illum patriarcham voluisse per actionem typicam futurum sacrificium Messiæ pro redemptione generis humani; atque hoc præceptum ideò dedisse, quia expetivit Abraham videre diem Christi. Hæc sententia ponitur in istis verbis Christi ad Judæos incredulos : *Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum; vidit et gavisus est.* Quæ cùm clarè significent Abrahamum non tantùm audivisse de die Christi, sed aliquâ ratione illam oculis vidisse, ad nullam aliam partem historiæ illius patriarchæ, quàm ad istam mactationem filii sui Isaac referri possunt. Observandum primùm est, illud præceptum ultimam esse revelationem factam Abrahæ et cæteras omnes claudere : jam verò pronum est existimare hanc ultimam dispensationem cum cæteris habere connexionem, imò magis evolvere illud mysterium redemptionis humanæ, quod certissimè præcedentes revelationes spectaverant. Debuit hæc ultima dispensatio continere majus indicium divini favoris, quàm quæcumque alia revelatio. Atqui si hoc præceptum nullam habuisse relationem statuas cum die Christi, in quo benedicendæ erant omnes cognationes terræ; nulla erit hujus dispensationis connexio cum præcedentibus, quamvis ultimo loco data sit; non evolvet magis illud mysterium redemptionis hominum; non erit in eâ conspicuus divinus favor in Abrahamum, qui jam ex fide justitiam erat consecutus et divinas promissiones acceperat..... Deinde tanta est inter istam actionem Abrahæ filium suum immolantis et Dei unigenitum filium suum in mortem tradentis analogia, ut dubitari vix liceat, quin ad hanc exprimendam omninò inventa illa fuerit. Ex illâ figuratâ actione Abraham expertus est quid sit amittere filium unicè dilectum; ut meliùs intelligeret Dei benevolentiam, qui pro nobis omnibus tradidit unigenitum suum. Isaac filius Abrahæ natus erat de Sara jam sterili et nonagenariâ; Christus, divino operante Spiritu, ortus est ex virgine. Ipsa actionis typicæ per tres dies duratio eadem est cum duratione mortis et resurrectionis Christi. Denique non tantùm immolatio filii Dei expressa est per mactationem filii Abrahæ, sed per sacrificium arietis, quem Abraham obtulit loco filii sui, benè significatum est, Deum velle ut homines uterentur vicariis hostiis usque ad filii sui adventum (1).

Sacerdotium primogenitorum prærogativa. — Quod verò spectat sacerdotalem dignitatem: ob nullam aliam rationem fuisse existimamus primogenituræ prærogativam, nisi quia verus ille sacerdos, qui offerre sacrificium verè propitiatorium debebat, erat primogenitus Dei et principium viarum ejus.

Abstinentia a sanguine. — Tandem consuetudo abstinendi à sanguine eamdem patriarcharum fidem confirmat. Posita nempe erat in hoc præcepto dato Noemo : *Omne quod movetur et vivit, erit vobis in cibum; quasi olera virentia tradidi vobis omnia, excepto quòd carnem cum sanguine non comedetis.* Nulla ibi ratio redditur istius præceptis, sed in lege Mos. ubi idem præceptum renovatum est, hæc adjiciuntur : *Homo quilibet de domo Israel et de advenis qui peregrinantur inter vos, et comederit sanguinem, obfirmabo faciem meam contra animam illius, et disperdam eam de populo suo, quia anima carnis in sanguine est, et ego dedi illum vobis, ut super*

(1) Confirmatur hæc nostra interpretatio ex nomine quod monti Abrahamus statim à victimæ oblatione imposuit. Nam ut observat Cl. Houb. ad Gen. c. 22, nomen loci illius appellavit, non ut reddit Vulgatus, *Dominus videbit*, sed יהוה יראה, *Dominus videbitur.* « 1° Non *videtur*, ne ab futuro יראה, aberremus. 2° Non *videbit*, non modò quia non additur quid sit Deus visurus, sed etiam quia in totâ illâ visione, hominis est *videre*, Domini *videri;* propter quam causam Deus locum istum mox nomine *visionis* insigniebat. Nimirùm Deus Abrahamo id ostendit, quod Abraham *vidit* et *gavisus est*, seu filium promissionis unigenitum pro humano genere victimam olim futuram. Atque hoc illud est, quod memoriæ sempiternæ Abraham consecrabat, cùm ita subjungeret : *Hodiè in monte Dominus videbitur;* illud *hodiè* sic accipiens, ut accepit Paulus Apost. illud Davidis, *hodiè si vocem ejus audieritis :* quod *hodiè* tamdiù durat, quamdiù secula illa durabunt. De quibus Apostolus, *donec hodiè cognominatur.* Propterea Abraham non dicit, *hodiè Dominus videtur.* Nam id spectaculum non solus videt Abraham , sed postea omnes visuri sunt, et ad omnes pertinebit istud *videbitur*, generatim dictum, cùm omnes Unigenitum in monte viderint generis humani victimam factam. Nec aliam sententiam series verborum patitur. Ex quâ serie illi deviant, qui hæc verba.... אשר יאמר היום Mosi sic narranti attribuunt, *propterea dicitur hodiè in monte Dominus....* quasi renarret Moyses usurpatum suâ ætate proverbium. Nam si sic erit, non jam docebit Abraham, cur huic loco nomen fecerit, *Dominus videbitur* : quam tamen nominum notationem in sacris paginis non omittunt ii, quicumque nomina rebus imponunt. Quod contra planè docebit Abraham, si de eo Moyses sic narrat : *Vocavit nomen loci hujus, Deus videbitur; nam dixit : In monte Deus videbitur.* Longè aberrant qui vertunt : *In monte Dominus videbit;* id quod mox observavimus; illi longiùs qui unum יראה vertunt, *videbit*, alterum, *videbitur.* Nam illi et orationem inextricabilem inducunt et nominis notationem susdeque convertunt. »

altare expietis in eo pro animabus vestris, et sanguis pro animæ piaculo sit. In quibus ultimis verbis clarè continetur nostra assertio; declaratur sanguinem animalium habere vim expiatricem. Sed illam vim per se non habet, uti sexcentis in locis declaratur in V. T. Ergo per fidem habet, et quatenùs typus erat sanguinis Christi.

Objicies : Christ. doctr. non tantùm aliena est à doctr. V. T. et communi veterum opinione; sed certum etiam est Christum legitimè damnatum fuisse à synagogâ, propter blasphemiam seu doctrinam directè repugnantem doctrinæ legis. Extat Deut. c. 18, lex his verbis concepta : *Si surrexerit in medio tuî prophetes, qui somnium vidisse se dicat, et prædixerit signum atque portentum, et evenerit quod locutus est, et dixerit tibi : Eamus et sequamur deos alienos quos ignoras, et serviamus eis, non audies verba prophetæ illius aut somniatoris, quia tentat vos Dominus Deus vester : propheta autem ille interficietur.* Atqui Christus obnoxium se præbuit huic pœnæ, cùm Deum, quem Judæi coluerant simplicem, docuit esse multiplicem, seipsumque Deum affirmavit pari honore dignum cum Jehova.

Nego min. Nullum alium Deum docuit suos Christus, præter eum qui mundum condiderat et Judæis dederat legem; se Dei illius legatum asserebat, quem Judæi colebant; omnia sua opera ad Deum illum unicum referebat; nullam partem totius legis violabat; imò omnes partes suæ doctrinæ ex Scripturis Judæorum confirmabat. Ad confirmationem autem resp. Christum obnoxium fuisse pœnæ latæ in pseudo-prophetam, si evinci possit ejus doctrinam repugnare cum doctrinâ legis, et illam multiplicitatem, quam docebat, repugnare unitati quam docuit Moyses. Sed hoc certè nunquàm efficient Judæi, cùm in Evangelio unitas divinæ naturæ cum eâdem vi asseratur ac in Scripturis Judæorum. Docuit quidem Christus multiplicitatem personarum, et se Filium Dei, naturâ cum Patre conjunctum. Verùm hæc multiplicitas personarum, et divinitas quam sibi arrogabat, nedùm sint contrariæ Scripturis Judæorum, è contrario certum est in illis doctrinam hanc contineri, et à Judæis Christi coætaneis agnitam fuisse.

I. Certum est Christum Dominum nullum sibi titulum arrogâsse, qui Messiæ à prophetis non fuerit attributus. Offendunt *recentiores* Judæos præsertim tituli illi, *Filius Dei, Deus,* quos adeò frequenter assumebat. Atqui hi ipsi tituli Messiæ absolutè tribuuntur in multis veteris Scripturæ locis, ut Ps. 2 : *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodiè genui te.* Vide Ps. 109, Isai. 7, 14; et 9, 6; et 25, 6; et 40, 3. Jer. 33, Bar. 3, 36, Malach. 3, etc. Hæc omnia loca certissimè spectant Messiam, et à veteribus paraphrastis atque doctoribus Judæis litterali sensu conversa sunt. Hincque veteres Judæi Messiæ divinitatem in V. T. clarissimis testimoniis consignatam agnoverunt, ut mox probabimus. Non solùm divinitas Messiæ claris verbis asseritur in Scripturis Judæorum, verùm etiam haud obscurè expressam invenimus personarum trinitatem, ac iisdem etiam verbis, quibus utuntur Christus et Evangelistæ. Perfecta est in hâc quoque parte utriusque Testamenti consonantia.

Nullum quidem habemus apud Moysem aut Prophetas testimonium, quod hanc doctrinam tam clarè et determinatè contineat, ac ille versiculus beati Joannis: *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, et Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt.* At hæc tam clara Apostoli verba explicationem tantùm continent nominis Dei, à Judæis uti videtur tunc temporis receptam. Hebræi enim ad significandum Deum, quatenùs habet cum hominibus relationem, utuntur voce *Elohim;* quæ vox etsi habeat singularem numerum, sumitur tamen ferè semper in plurali. Ex hâc Dei appellatione conclusit Philo, et cum Philone veteres Judæi, esse in Deo multiplicitatem personarum; et Judæi recentiores, qui ex odio Christianorum vestigia patrum suorum in multis deseruerunt, fatentur se illà voce uti nunquàm potuisse, n si in Scripturis esset consecrata. Et profectò quanta vis insit in istis formis loquendi, in quibus vox *Elohim* usurpatur, ad efficiendam multiplicitatem personarum divinarum, v. g., in his : *Dixit Elohim : Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram... Dixit Elohim : Ecce Adam quasi unus ex nobis... Dixit Elohim : Venite, descendamus et confundamus linguam eorum* (1); ex nullâ re meliùs intelligitur quàm ex vanis recentiorum Judæorum

(1) Prov. c. 30, v. 30 : « Non didici sapientiam et non novi scientiam Sanctorum, » id est, Sancti Dei. Eccl. 12, 1 : « Memento creatoris tui (Hebr. creatorum tuorum) in diebus juventutis tuæ. » Jer. 23, 36 : « Et pervertistis verba Dei viventis. » (Hebr. deorum viventium) Gen. 19, 24 : « Igitur Jehova pluit super Sodomam et Gomorrham sulphur et ignem à Jehova de cœlo. » Hic duo sunt Elohim nuncupati Jehova.

et Socinianorum explicationibus. Dicunt Deum artificis in morem secum in plurali numero deliberare et quasi excitare sese, dicendo, *faciamus* : quod planè nugatorium est et prorsùs contra genium linguæ hebr. Alii volunt Deum in plurali numero loqui honoris causâ : quod etiam, etsi in nostro sermone familiare, omninò insolitum erat apud Hebræos. Alii censent Deum angelos alloqui, quæ est omnium absurdissima explicatio, etsi apud Judæos communior, quia Deus angelos sibi æquiparare non potuit, ut in istis verbis : *Ecce Adam quasi unus ex nobis*. Certè qui intelligendi sint per istam vocem, *nobis*, determinatur per vocem *Elohim* in plurali. Tandem Abravanelem non puduit defendere, vocem *Elohim* esse singularis numeri, cùm singularis numerus *Eloah* in Deut. usurpetur, et sexcentis in locis vox *Elohim* conjungatur cum adjectivis et verbis numeri pluralis. Si jam quæras vim et potestatem vocis *Elohim*, invenies illam significare *personas adjuratas*, vel *fœdere et adjuratione obstrictas* : hocque nomen Deo impositum existimat auctor quidam recentior ad significandam, non solùm personarum multiplicitatem, sed pactum quoque et fœdus quod pro redemptione generis humani inire dignatæ sunt. Deinde non tantùm generatim per nomen ipsum Dei designatur personarum multiplicitas in Scripturis V. T., sed personarum numerus determinatur, iisque eadem tribuuntur nomina, eædem quoque operationes in utroque Testamento.

1° In N. T. prima persona dicitur *Pater*, et plerùmque absolutè *Deus*. Sic quoque in V. T. est *Jehova* sine addito, cujus paternitas satis exprimitur in illis omnibus locis supra indicatis, ubi Messias dicitur *Filius Dei*. Quibus adjici debet illa apud Salomonem quæstio de Deo, Prov. 30, 4 : *Quod nomen est ejus, et quod nomen filii ejus, si nôsti?* At de Deo Patre nulla esse potest inter nos et Judæos controversia : monstrandum tantummodò est personas esse duas distinctas à *Jehova Patre*, in V. T. designatas.

2° Secunda persona Evangelistis dicitur *Verbum, splendor gloriæ Dei, figura substantiæ ejus :* sic quoque apud Moysem et Prophetas est persona distincta à *Jehova*, quæ vocatur *nomen Jehovæ, verbum Jehovæ, angelus Jehovæ*. Ex. 23, 20 : *Ecce ego Jehova, mittam angelum meum, qui præcedat te, et custodiat in viâ... et est nomen meum in illo*. Ubi per vocem, *nomen*, non significatur denominatio extrinseca, sed natura vel potestas *Jehovæ*, et verti potest per istas voces quibus utitur S. Paulus, *figura substantiæ....* Sic Ps. 19, 1, habemus! *Exaudiat te Dominus in die tribulationis; protegat te nomen Dei Jacob!* Et Isaiæ 30, 27 : *Ecce nomen Jehova venit de longinquo, ardens furor ejus et gravis ad portandum*. Et Zach. 14, 9 : *Et erit Jehova rex super omnem terram : in die illâ erit Jehova unus et nomen ejus unum*. Sunt et alia ejusmodi loca, in quibus *nomen Jehova* distinguitur à *Jehova* simpliciter, et dicitur agere, inhabitare, aliaque præstare quæ sunt personæ propria.

Iidem Prophetæ ad hanc personam designandam utuntur etiam voce illâ, *verbum Dei*; familiaria sunt hæc et similia Psalmistæ : *In Deo laudabo verbum, in Domino laudabo sermonem;* et : *Jehova misit Verbum suum*.

Denique ad eamdem personam denotandum utuntur voce, *angelus*; ut Gen. c. 18, tres illi qui Abrahæ apparuerunt in planitie Mamre, qui vocantur quandoque *homines*, et aliàs *angeli*; appellantur quoque *Jehova*. Trium illorum præcipuus colloquitur cum Abrahamo tanquàm reverà esset *Jehova*, et vicissim Abrahamus ad eum verba facit, quasi cum *Jehova* loqueretur. Unde concludimus fuisse *hominem* specie, *angelum* ministerio, et naturâ *Jehova*... Sic Ex. 8, *angelus* qui apparuit Moysi in rubo ardenti, vocatur *Jehova* à Moyse, et seipsum definivit : *Ego sum qui sum... Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob*. Quòdque ille *angelus* reverà *Jehova* fuerit, patet ex Deut. c. 33 : *Benedictio illius*, ait Moyses, *qui apparuit in rubo, veniat super caput Joseph*. Ubi non angeli alicujus, sed ipsius Dei benedictionem precatur... Apud Malachiam *angelus testamenti* vocatur *dominator*, cujus erat illud templum extructum Jerosolymis : *Et statim veniet ad templum suum dominator quem vos quæritis, et angelus testamenti quem vos vultis*.

3° Est in V. T. sæpè nominata tertia persona distincta à *Jehova* simpliciter, et à *nomine*, seu *verbo*, seu *angelo Jehovæ*, quæ dicitur *spiritus Jehovæ*, vel *virtus Jehovæ* ; et huic *virtuti* seu *spiritui Jehovæ*, eædem tribuuntur operationes quæ *spiritui* S. in Evangelio. Vide Gen. 6, 3. Num. 11, 25. 2 Reg. 23. Ps. 32, 6. Is. 11, 2; et 40, 13; et 48, 16; et 61, 1; et 63, 10, etc. Loca describere hìc necesse non est, cùm satis ex iis quæ jam dicta sunt, pateat expressam esse mentionem multiplicitatis in divinâ naturâ. Videamus jam, quod præcipuè ad nostrum institutum pertinet, quæ fuerit Judæorum tempore Christi Domini de his locis

sententia; an Christi et Apostolorum ejus interpretatio doctores Judæos offenderit, seu an Judæi recentiores cum aliquo fundamento fidei nostræ auctoribus exprobrare possint, quòd induxerint doctrinam à mente synagogæ abhorrentem.

II. Inprimis synagoga istis temporibus, *Dei et filii Dei* appellationem, Messiæ tribuebat. Id patet tum ex veteribus scriptis Judæorum, tum ex ipso Evangelio. Patet certè ex veteribus Judæorum scriptis; nam in illis omnia V. T. loca, in quibus Evangelistæ et Apostoli ponunt divinitatem Christi, applicantur Messiæ, quod aliàs monuimus. Et profectò si Messias, neque Deus, neque filius Dei, in Scripturis fuisset nuncupatus, juxta opinionem Judæorum, nunquàm illos titulos in ullâ hypothesi assumpsisset Jesus, fuerit verus Messias, necne. Si reverà erat Messias, tantæ impietatis reus esse non poterat. Si non erat Messias, et ejus solummodò speciem assumere volebat, abstinuisset certè ab istis titulis et characteribus, qui cùm invidiam ipsi conflarent, nequaquàm ad Messiam pertinere putabantur.

Dico etiam idem manifestum esse ex ipso Evang. Nam si universum excutias à primâ ad ultimam lineam, invenies Evangelistas et Apostolos diligentes in vindicando auctori nostræ fidei *Messiæ* charactere ; sed nullibi datâ operâ conficiunt *Messiam* esse *filium Dei*. Hoc ubique assumunt sine ullâ defensione vel excusatione, quasi nulla esset de illâ re contentio. Ubique appellationes illæ, *Messias* et *filius Dei*, sunt synonymæ. Has formas loquendi promiscuè usurpant non Evangelistæ modò, sed Judæi omnes et ipse summus pontifex, sed dæmoniaci et ipse dæmon, ut patet ex locis sequentibus. Joan. 9, cùm invenisset Jesus hominem qui fuerat cæcus, *dixit ei : Tu credis in filium Dei? et ille ait : Credo, Domine; et procidens adoravit eum.* Joan. 1, 34 : *Et ego* (Joannes Bapt.) *vidi, et testimonium perhibui, quia hic est filius Dei.* Ibid. 43 : *Respondit ei Nathanael, et ait : Rabbi, tu es filius Dei, tu es rex Israel.* Ibid. 19, 7 : *Responderunt ei* (Pilato) *Judæi : Nos legem habemus, et secundùm legem* (illam scilicet Deut. 18 contra falsos Prophetas) *debet mori, quia filium Dei* (id est, *Messiam*) *se fecit.* Matth. c. 26, 63. Summus pontifex interrogans Jesum, esset Christus, necne, juxta communem loquendi modum adjecit voces illas : *Filius Dei : Tu es Christus filius Dei benedicti?* Matth. 8, 29. Duo habentes dæmonia clamaverunt, *dicentes : Quid nobis et tibi, Jesu fili Dei?* Ib. 4, 3 : *Et accedens tentator, dixit ei : Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.* Propter hanc communem Christianorum et Judæorum de Messiâ fidem nunquàm legimus Judæos negâsse *Christum* esse *filium Dei;* sed legimus eos solummodò negâsse *Jesum* filium Mariæ esse *Christum. Hunc scimus*, dicebant, *unde sit; Christus autem cùm venerit, nemo scit unde sit.* Alibi legimus conspirâsse Judæos, ut si quis confiteretur *eum esse Christum* extra synagogam fieret; non verò si quis *Messiam* confiteretur esse *filium Dei.* Et Dominus noster ob nullam aliam causam, blasphemiæ reus habitus est à sacerdotibus, quàm quia *Christum* se dicendo, *Filium Dei se faciebat.* Ex his colligere licet, quàm vana sit assertio sociniana, quam toto fermè libro, de *Convenientiâ Rel. christ. cum ratione,* confirmare nititur Lockius, nempe agnitionem *Messiæ* seu *Christi* in Jesu filio Mariæ, esse unicum fundamentalem fidei nostræ articulum. Nam quamvis Apostoli et Evangelistæ hunc articulum præcipuè inculcent, utpote eum de quo erat inter ipsos et Judæos contentio, tamen erat hæc confessio superaddita theologiæ judaicæ, et manebat vetus Scriptura regula fidei christ. nec superstructura dici potest continere totum fidei ædificium.

Addo 2° doctrinam christ. de trinitate personarum in unicâ Dei naturâ ante Christum Judæis nullo modo incognitam fuisse. Id colligo primùm ex eo quòd Apostoli et Evangelistæ, ad confirmandum et exprimendum hoc dogma christ. utantur auctoritate et verbis Prophetarum; quòd familiariter de tribus personis verba faciant, quasi de doctrinâ quæ saltem à doctis intelligeretur, et ad quam Judæi in scholis instituerentur, sine defensione ullâ; quòd nullam causam suspicandi nobis præbuerint, illam doctrinam Judæis displicuisse. Accepimus B. Joannem conscripsisse Evangelium suum contra Ebionem et alios quosdam hæreticos Christi Domini nostri divinitatem negantes. Ut hos autem arguat vanitatis, tradit primò doctrinam de æternitate et divinitate *Verbi divini. In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum : omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil quod factum est,* etc. Deinde asserit Christum Jesum esse eumdem cum Dei *Verbo*, seu esse ipsum *Dei Verbum carnem factum :* quia viderant Apostoli gloriam ejus quasi *unigeniti à Patre,* plenum gratiæ et veritatis; quia omnes de

plenitudine Spiritûs ejus acceperant, quia revelaverat res in *sinu Patris* absconditas; quia Joannes Bapt. testatus fuerat quòd esset *filius Dei*, etc. Hæc videtur ratio totius argumenti. In primâ parte videtur omnes consentientes fuisse; aliàs de doctrinâ ejusmodi altâ et reconditâ tam familiariter et sine ullâ præfatione verba non fecisset. Supponit vocabulum *Verbi divini*, ejusque attributa omnibus nota fuisse: at in secundâ parte probandâ magnam affert diligentiam.

Idem colligo ex eo quòd in omnibus libris veterum Judæorum editis post confectum canonem Scripturarum, vel circa Christi tempora, expressa sit mentio Trinitatis in naturâ divinâ: in libris deutero-canonicis; in paraph. Chaldaicis, in Philonis et aliorum operibus.

Libri certè deutero-canonici pleni sunt illis phrasibus, quæ explicare nullo modo possumus, nisi juxta interpretationem Christi atque clariores textus S. Pauli ex illis scriptis sumpti sunt. V. g., attribuunt prædictorum librorum auctores creationem mundi *Verbo Dei* et ejus Spiritui. Sap. 9: *Deus patrum meorum, et Domine misericordiæ, qui fecisti omnia Verbo tuo.... da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam.... Tecum sapientia, quæ novit opera tua, quæ affuit tunc, cùm orbem terrarum faceres.... Mitte illam de cœlis sanctis tuis, et à sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit.... Scit enim illa omnia et intelligit, et deducet me in operibus meis sobriè, et custodiet me in suâ potentiâ.* Judith c. 16, 17: *Tibi serviat omnis creatura tua: quia dixisti, et facta sunt. Misisti Spiritum tuum, et creata sunt, et non est qui resistat voci tuæ.* Iidem pronuntiant miraculorum Eliæ auctorem nullum alium fuisse, nisi idem *Verbum divinum*, Eccl. 48, 3: *Verbo Domini continuit cœlum, et dejecit de cœlo ignem ter. Sic amplificatus est Elias in mirabilibus suis; et quis potest similiter sic gloriari tibi? Qui sustulisti mortuum ab inferis de sorte mortis in Verbo Domini.* Loquuntur etiam de emanatione *Verbi* seu *sapientiæ* divinæ, Sap. 7, 25: *Vapor est enim virtutis Dei, et emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera.... Candor est lucis æternæ et speculum sine maculâ Dei majestatis, et imago bonitatis illius.* Atque ne hæc omnia de divino aliquo attributo intelligamus, vetat nos præsertim hic locus, ibid. 18, 14: *Cùm enim quietum silentium contineret omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus de cœlo à regalibus sedibus, durus debellator, in mediam exterminii terram prosilivit, gladius acutus* (vel *gladium acutum*, Græcè) *insimulatum imperium tuum portans, et stans replevit omnia morte, et usque ad cœlum attingebat stans in terrâ.* Est hæc descriptio ejus, de quo Moyses in cantico: *Dominus quasi vir pugnator, Omnipotens nomen ejus.* Tandem agnoscunt paternitatem et filiationem in Deo. Eccl. 51, 14: *Invocavi Dominum Patrem Domini mei.*

Nullum dubium est inter eruditos, an Philo, celebris temporibus Christi Judæus, admiserit in Deo personarum trinitatem: controvertitur solummodò, an easdem cum nobis ejus mysterii notiones habuerit; an non eas inæquales fecerit; an easdem nimiùm non diviserit, eas vocans *primum, secundum et tertium* Deum. Non consentiunt etiam docti, ubi hanc suam de Trinitate doctrinam Philo hauserit: plures existimant eam ex Platonis fonte derivatam. At cur credemus hominem, suæ religioni ad superstitionem usque addictum, illam impurâ mixtione ethnicæ philosophiæ in parte planè præcipuâ corrumpere voluisse? Certè testatur sexcentis in locis se patrum suorum doctrinam sequi; iisdem utitur argumentis ex Moyse et Prophetis petitis, quibus nos utimur; docet insuper Cherubim super arcam à Moyse posita continuisse imaginem Trinitatis. Cur ipsi de se testanti, suamque doctrinam ex sacris litteris confirmanti fidem non habebimus?

Sic quoque Onkelos paraphrastes in Pentateuchum, Jonathan in Prophetas et paraphrasis Jerosolymitana, opera antiqua, fortasse Christo quædam antiquiora, clarè distinguunt, à *Jehova* simpliciter, personam secundam ipsis dictam *Memra da Jehova*; huic personæ attribuunt omnes operationes, quas Philo *Verbi* proprias esse vult, nempe creationem hujus mundi, conservationem Noemi tempore diluvii et renovationem fœderis inter Deum et homines, varias apparitiones et revelationes factas Patriarchis, redemptionem Israelitarum à servitute Ægyptiorum, promulgationem legis, etc. Explicant etiam de *Memra* omnes veteris Scripturæ loca quæ Philo de *Verbo* interpretatus est, et quæ sanctus Paulus de Christo intelligenda docet. Illi tradunt Deum constituisse pactum inter Abraham et *Memra* seu *Verbum* suum; Apostolus dicit pactum in *Christo* confirmatum fuisse. Illi scribunt Israelitas in deserto murmurâsse contra *Verbum Dei*; Apostolus dicit eos tentâsse *Christum*, etc., ita ut planum sit Apostolum nullum locum de *Christo* explicasse, quem de *Verbo* non exposuerunt paraphrastæ.

Tandem qui in aliis vetustissimis Judæorum scriptis versati sunt, docent frequentissimam in iis esse mentionem trium in divinâ naturâ quæ dicuntur יהוה *Jehova*, מימרא *Memra*, *vel* שכינה *Shekina* Jehovæ, id est, *Verbum* vel *habitatio Dei*, et רוח הקדש *Ruach hakkodesh*, id est, *Spiritus S.* Ibidem dicuntur *tres numeri*, *tres gradus*, *tres subsistentiæ*, *tres facies* vel *terminationes*, *tres personæ.* Hi scriptores asserunt *Memra* vel *Shekina* emanare ex *Jehova;* et *Ruach Hakkodesh* emanare ex *Jehova* per *Memra.* Declarant hanc doctrinam continere mysterium incomprehensibile, rationi impervium, at Deo revelanti credendum esse. Tandem iisdem omnibus locis ad confirmandam hanc doctrinam utuntur, quibus usi sunt Philo et paraphrastæ, quibus nos Christiani utimur. Tandem nota est hæc cabalistarum sententia : « Pater Deus, filius Deus, Spiritus S. « Deus; tres in unitate, et unus in trinitate. »

Cùm hæc ita sint, nullius habere debet admirationem, quòd profiteantur Sociniani se majorem difficultatem non experiri in torquendis ad suum sensum novis, quàm veteribus Scripturis; affirmaveritque R. Isaac in *Chizzouk Emounah*, celeberrimo apud Judæos libro, utriusque Testamenti scriptores in doctrinâ non fuisse divisos, ac contenderit cum Socinianis nos utriusque Testamenti sensum pervertere. Ex his omnibus colligere licet non tantùm quanta vanitas sit Judæorum recentiorum, sed etiam quanta deistarum et anti-trinitariorum quorumdam ignorantia sit et temeritas, qui contra omnem historiæ fidem ausi sunt defendere Evang. S. Joannis fœtum esse Platonici cujusdam philosophi ad christ. fidem conversi secundo Ecclesiæ seculo, cujus assertionis hoc unicum fundamentum est, quòd sibi in animum induxerint ejus doctrinam de Verbo Dei et SS. Trinitate Judæis fuisse planè ignotam.

Concludamus hanc disputationem testimonio doctissimi Eusebii, quod, cùm nobis referat sensus omnium de hâc re priorum Ecclesiæ Patrum, magnam lucem et confirmationem superioribus afferet. Hic Præp. ev. l. 7, ex professo exponens Hebræorum doctrinam habet : « Sequitur ut Hebræorum deinceps, quam omnibus patriis ritibus potiorem habuimus, philosophiæ religionisque formam, vitæque simul rationes et instituta persequamur. » Deinde post institutam brevem patriarcharum et populi Dei historiam expositamque doctrinam, de naturâ et virtutibus Dei, de rerum omnium creatione et gubernatione, de animâ hominis spiritali et immortali, iis demùm quæ ad religionem naturalem pertinent, sic pergit : « Hebræi « post principem illam, et principio simul « ortuque carentem præpotentis Dei naturam « quæque ut ab omni permixtione se juncta « est, sic omni comprehensione major; na« turam (hypostasim) alteram constituunt « virtutemque divinam, principium omnium « creaturarum, quæ prima ante cæteras omnes « extiterit, ab eodemque primo principio ge« nita fuerit, quam *Verbum*, *sapientiam*, « Deique *virtutem* appellare solent....... Jam « divinum hocce Verbum, à Patre hominum « in salutem missum, variis omninò modis « Scriptura divina repræsentat; et Abra« hamo quidem atque Moysi, cæterisque « Prophetis Deo charissimis, non sese modò « videndum exhibuisse, verùm etiam et do« cuisse multa, et futura prænuntiâsse « testatur, quoties *Deum* ac *Dominum*, aut « apparuisse Prophetis, aut cum eis collocu« tum esse commemorat. Eadem verò sic tan« quàm *laborantium salvatorem* et *medicum ani*« *marum*, ab ingenito principio missum ho« minum omnium in cognitionem venturum « vaticinatur...... Quo factum est, ut evang. « quoque doctrina propheticam illam instau« rans, patriamque sententiam, idem theolo« giæ genus hunc in modum illustrârit : *In* « *principio erat Verbum, et Verbum erat apud* « *Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in* « *principio apud Deum : omnia per ipsum facta* « *sunt; et sine ipso factum est nihil quod factum* « *est. In ipso vita erat, et vita erat lux hominum.* « Itaque sanè jure Moses ille sapientissimus « eodem afflatus Spiritu, ipso statim ejus « quam describit mundi molitionis initio, « Deum asseverat in eodem illo principio cœ« lum terramque fecisse : quocum etiam, ve« luti cum suo ipsius ac primogenito Verbo « de hominis procreatione colloquentem « Deum inducit his verbis : Dixitque Deus : « Faciamus hominem ad imaginem et simili« tudinem nostram........ At perspicuè duo« rum nominatim dominorum, *patris*, inquam, « et *filii* Moses idem alibi meminit, cùm im« piorum supplicium commemorat, Gen. 19, « 24 : *Pluit Dominus à Domino super Sodomam* « *et Gomorrham sulphur et ignem*........ Verùm « ne argutari me putes, Hebræum tibi homi« nem producam, harum litterarum sensa « resignantem, qui cùm res suæ gentis à ma-

« joribus acceptas accuratè et diligenter ex-« pendit tum hujusce dogmatis rationem, ex « doctoribus ipsis intellexit. »

Post allata hìc quædam Philonis et Aristobuli testimonia, cap. 15, sic pergit : « Deinde « post secundam illam naturam (hypostasim) « quæ ab Hebræis *lux vera* et *sol justitiæ* nomi-« natur, lunæ quasi loco S. *Spiritûs* natura « (hypostasis) succedit, quem ipsi quoque in « principe illâ regiâque hujus universitatis « principii dignitate, graduque constituunt, « quod illum etiam rerum earum, quæ natæ « postea sunt, hoc est, quæ inferiorem in or-« dinem classemque conjectæ, ipsius ope ac « benignitate indigeant, principium summus « rerum architectus omnium esse voluerit. « Porrò sic ille tertium locum obtinens, divi-« niorum quibus abundat facultatum atque vir-« tutum rebus humilioribus copiam facit, ut « ipse vicissim à Deo *Verbo* suas opes accipit, « quem secundum à summâ illâ Dei præpo-« tentis ortuque carente naturâ (hypostasi) po-« suimus... Ita *cuncti Hebræorum theologi* post « præpotentis Dei, rerumque omnium mode-« ratoris numen, ac primogenitam illius *sa-« pientiam,* tertiam hanc sanctamque *virtutem,* « quem *sanctum* illi *Spiritum* nominant, quique « divinitùs afflatos olim Prophetas collustrabat, « *Deum* esse confitentur.

« Jam post *cœlum* illud, *solem* atque *lunam* « (parùm apta comparatio) *stellas* inter digni-« tatis et gloriæ discrimina statuunt : et quam-« vis certum astrorum numerum assequi mor-« talis natura non possit, Deo tamen summo « rerum omnium Domino militiæ cœli uni-« versæ multitudinem, et propriam cujusque « sideris appellationem perfectam esse Hebræo-« rum testantur oracula, *qui numerat multitudi-« nem stellarum et omnibus iis nomina vocat...* « Neque tamen existimes, naturas illas ex mor-« tali hoc et terreno igni, aut ex ventis aeriâ « et rationis experte substantiâ præditis esse « conflatas. Sed quomodò Deum ipsum nun-« cupare solent, licet incorporeum, immate-« rialem, et mentem per sese totum, imò « mentem omnem atque rationem naturæ per-« fectione transilientem, metaphoricis tamen « *spiritûs, ignis, lucis,* atque aliis ejusmodi mor-« tales in aures cadentibus nominibus : ita « planè angelos, archangelos, spiritus, divinas « virtutes, cœlestes exercitus, principatus, « thronos, dominationes, perinde atque infi-« nita quædam, seseque consequentia stella-« rum et luminum genera, spiritales ac ratio-« nis compotes naturas, cùm sacræ litteræ no-« minant, tùm verò cunctis *justitiæ solem,* « ejusdem geminum et confortem S. illum *Spi-« ritum* præesse, atque imperare docent...

« Jam verò sequitur, ut, quæ de *virtute con-« trariâ* Hebræorum litteræ prodiderunt, cu-« jusmodi sint videamus. Quemadmodùm igitur « divinas illas virtutes, quæ summi patris nu-« mine orbi universo præsident, adeòque *ad-« ministratorios illos* spiritus, in ministerium « missos, propter eos qui hæreditatem capient « salutis, itemque sacros Dei angelos atque ar-« changelos, cunctam denique proborum ad-« ministram spiritalemque naturam, quæ col-« lucens ipsa per sese operam quoque suam « eorum omnium, quæ divinitùs in homines « derivantur, bonorum divisioni accommodat ; « primùm quidem præpotentis rerum omnium « imperatoris latera, prætorianorum militum « in morem, cingere ; tum perinde ac cœlestia « quædam sidera, justitiæ solem ejusque con-« sortem Spiritum S. ambire, suam ab utroque « lucem haurire, ac proinde cum illis cœli fa-« cibus jure ac meritò conferri docent : sic « *alterum* illud *virtutum genus,* quod transversum « actum, à meliorum consortio suâ sese culpâ « et improbitate distraxit, prioremque *lucem* « cum *tenebris* commutavit, prioribus quidem « contrariis, sed tamen cum nequitiâ morum « apprimè congruentibus nominibus appellant. « Et eum quidem, qui primus omnium cùm « lapsus esset, reliquos postmodùm in eamdem « secum à melioribus defectionem traxerat, « quòd ab illâ diviniorum pietate in terras om-« ninò corruisset, ac partim ejus veneni, quo « scelus impietasque scatet, auctor ipse sibi ac « molitor fuisset, partim vecordiâ sese ac tene-« bris voluntarius lucis desertor involvisset, « modò draconem atque serpentem, atrum « illum et repentem humi, lethalisque veneni « parentem, modò sævam immanemque feram, « adeòque leonem sanguine humano pastum, « modò reptilium etiam omnium regulum no-« minare solent. »

§ 2. *De speciali analogiâ dispensationis Christianæ et Mosaicæ.*

In alterâ hujus operis parte ostendimus Mosaicam legem ritualem absolutè et in se consideratam longissimè distare à perfectione, parùmque dignam communi omnium hominum parente in sententiâ Judæorum, qui illam habere censent nullum ad futuram dispensationem respectum, et per se consistere; idque ob

has præcipuè causas, quòd illa constitutio Mos. in parte rituali et judiciali data fuerit uni tantùm populo, ad illum ab omnibus aliis dividendum; et ob temporarios fines instituta, abolitionem scilicet rituum idololatricorum, quibus in Ægypto plebs assueta magno studio adhærebat. Quis crediderit, Deum hominum communem parentem, neglecto reliquo humano genere, nullo sibi proposito generali bono, unius gentis tutelam suscipere voluisse, aut immensum numen partes agere localis et gentilitii Dei, æternùmque sedere super cherubim solummodò inter filios Israel; aut illum, qui spiritus est, et qui nonnisi sincerâ pietate movetur, delectatum esse puritate carnali et exercitiis corporalibus? Quomodò ergo cum splendore miraculorum, cum spiritu prophetico, cum sapientiâ legum Mos. aliisque divinæ originis notis hasce imperfectiones apparentes conciliabimus? Insuperabilem difficultatem Judæi experiri debent, quam non tollunt nisi negando id quod luce clarius est, videlicet eam esse naturam legis suæ, qualem descripsimus. Facillima est eadem conciliatio nobis Christianis; nempe Jud. dispensatio non continet totam rationem œconomiæ divinæ, sed pars est prævia et præparatoria ad divini consilii explicationem, et habet perfectionem in ratione medii, quam non habet in ratione finis. Intelligitur certè in medio et in præparatione esse non debere perfectionem finis.

Ex hâcce observatione efficitur quodammodò à priori legem Mos. ritualem, ad litteram sumptam, non esse dispensationem per se consistentem et absolutè perfectam, sed esse partem divinæ œconomiæ cum aliis partibus, quarum erat apparatus, habitudine conjunctam; fuisse solùm umbram futurorum bonorum, non ipsam habuisse veritatem; fuisse pædagogum, qui nos per elementa duceret ad Christum et nobiliorem aliam dispensationem. Hæc allegorica ratio V. Legis benè explicatur ab Apostolo sub typo Moysis, cujus facies ita refulsit ex suo cum Deo commercio, ut propter gloriam vultûs ejus in eum intendere non potuerint Israelitæ, quique ideò sumere velamen coactus est, id est, cùm Israelitæ nequaquàm perferre possent lucem illam evang. quæ erat finis totius istius dispensationis, cujus Moysis mediator extitit, illam tegere typis et figuris, quasi velamine, necesse fuit.

Sed ad tollendam prorsùs illam adeò communem Judæorum objectionem, nempe quòd lege christ. abolita fuerit lex Mosaica, ex consensu Christianorum divina, et propterea juxta eos immutabilis, demonstranda est etiam à posteriori christ. et Mos. dispensationis analogia ex utriusque comparatione: ostendendumque non tantùm completa fuisse in Christo et in Ecclesiâ vaticinia Prophetarum, explanatam magis in Evangelio legis doctrinam et præcepta moralia majorem perfectionem accepisse; sed omnes figuras ritualis legis in Christo exitum habuisse: ex quo intelligetur quàm vera sint Christi verba: *Non veni solvere legem et prophetas, sed adimplere..... Iota unum aut unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.* Et ista Apostoli Pauli, Rom. c. 3: *Per fidem igitur legem destruimus? Absit; sed stabilimus.* Et Act. 26, 22: *Auxilio adjutus Dei isto, nihil extra dicens quàm ea quæ Prophetæ locuti sunt futura esse, et Moyses.*

PROPOSITIO. — *Ea est inter judaicam dispensationem et christianam analogia, ut manifestum sit illam hujus fuisse apparatum.*

PROBATIO. — Nam hoc ita est, si Dei apud Judæos officia repræsentaverint officia Christi; constitutio civitatis judaicæ formam Ecclesiæ; fata populi Israelitici fortunam populi christ. religio Mos. in omnibus suis partibus religionem christ., personæ præcipuæ in judaicâ rep. figuræ Christi fuerint, et in ipsis denique eventibus insignioribus præsignificati fuerint eventus evang. Atqui, etc.

1° Officia Dei apud Judæos perfectè respondent officiis Christi in Ecclesiâ. Deus etenim triplici munere apud Hebræos perfunctus est: nam primùm multifariàm, multisque modis, per se Prophetasque suos populum illum ad Religionem instituit. Eodem munere functus est Christus cùm ipse è sinu Patris descendens, docuit homines, cùm Spiritûs S. afflatu replevit Apostolos scientiâ et virtute, ac Ecclesiæ præpositos ab omni errore immunes ejusdem Spiritûs assistentia conservat.

Deinde Deus apud Israelitas, nondùm auspicato solemniter regno, à servitute Ægypt. etiam renuentes et quodammodò invitos liberavit, ac deletis Ægyptiorum primogenitis propter sanguinem agni aspersum in superliminaribus domorum immunes ab istâ plagâ esse voluit Judæos, Christus verus agnus immaculatus, cùm aspersisset gentes multas, ut loquitur propheta, aspersione sanguinis sui, homines etiam invitos et in seipsum sævientes liberavit à captivitate diabolicâ et plagâ mortis sempiternæ. Denique Deus post perfectam po-

post Israelitici liberationem, regium assumpsit nomen, et inter Israelitas habitaculum habere voluit: constituit auctoritate suâ regiâ remp. judaicam: fixit leges perpetuas et immutabiles: ministros constituit, et tanquam caput et princeps remp. illam speciali providentiâ semper rexit. Christus etiam, assumptâ humanâ naturâ, *habitavit in nobis*, et adhuc habet tabernaculum: propter passionem mortis perfectamque liberationem generis humani meruit vel imperium; auctoritate suâ constituit Ecclesiam: leges perpetuas et immutabiles posuit, ministrorum ordines instituit; singulari providentiâ Ecclesiam suam hactenùs tuitus est; ita ut reverà illa prior dispensatio jud. fuerit in hâc parte actio prævia ad adumbrandam posteriorem actionem Evang. aptissimè comparata.

2° Etsi consociatio Ecclesiæ à constitutione civili reip. judaicæ tantùm differat, quantùm res spirituales differunt à temporalibus, tamen ea est inter utramque analogia, ut manifestum sit illam illius fuisse figuram. Civitas judaica non fuit olim prorsùs permissa alicujus vicarii aut proregis regimini, sed Deus ipse sustinebat personam regis atque judicis; ipse immediatè dederat leges quas nemini licebat mutare; ipse immediatè obtemperantibus bona, et mala rebellibus dividebat secundùm providentiam, quantùm patitur mortalis conditio, possibilem: ita ut fuerit proprio sensu forma theocratica. Eâdem ratione est Ecclesiæ forma Christocratica. Christus nempe fixit leges quibus non licet nec derogare nec abrogare: gratiis spiritualibus auget membra corporis sui mystici et supernaturali providentiâ Ecclesiam ab omni errore contra inferorum conatus tutam conservat. Deinde legum auctoritas in religione Mos. præmiis firmabatur spiritualibus obscurè, apertissimè temporalibus, sed hæc Deo parùm digna fuissent, nisi pertinuissent ad dispensationem præparatoriam, et umbræ fuissent bonorum futurorum. Auctoritas verò legum evang. præmiis et pœnis unicè spiritalibus nititur, et Christiani docentur in tribulationibus esse gloriandum.

Denique omnis reip. judaicæ virtus et potentia non in viribus et opibus humanis, non in equis et in curribus, quos habere lex prohibuerat, sed in virtute Dei regis Israel, petræ et salutaris sui; neque unquàm aliâ ratione inimicos superare valuerunt quàm magnâ in Deum fiduciâ: sic etiam in imperio Christi spirituali non sumus sufficientes aliquid cogitare ex nobis tanquàm ex nobis, sed omnis nostra sufficientia ex Deo est; sine Christo nihil possumus facere, nec vincere hostes, nisi per fidem et spem in ejus virtute positam.

3° Gentis Judaicæ fata novi seculi fortunam exhibuerunt. Gens jud. à parvo initio, cùm 70 solummodò animæ descendissent in Ægyptum, maxima cepit incrementa, idque subitò et inter crudelissimos hostes. Post gravissimas persecutiones et fusum multum sanguinem triumphos egit de Pharaone et exercitu Ægyptiorum, non bellando, sed divinâ virtute. Labefactatâ religione, regnum primùm scissum est; deinde cùm ad cumulum impietas venerat, funditùs resp. eversa est. Habemus in istâ fortunâ statûs jud. brevem historiam Ecclesiæ christ. cum hoc discrimine quòd hæc indefectibilis sit, nec ejus visibilitas unquàm obscurari poterit. Etenim Ecclesia à parvis initiis ut granum synapi crevit subitò in immensum, post dirissimas persecutiones idololatriam et Romanas superstitiones abolevit: deinde labefactatâ fide, hæresibus et schismatibus Ecclesia discerpta est; atque tempore Anti-christi magnam expectamus defectionem, quam secutura est mundi dissolutio et secundus Christi adventus ad judicandos vivos et mortuos.

4° Cultus judaicus res evang. adumbrabat. Quoniam omnia quæ ad illum cultum pertinebant complecti non possumus, tria solummodò hìc in exemplum afferemus, nempe tabernaculum, quod erat locus sacrorum faciendorum et regia Dei domus; sacerdotes, qui erant religionis ministri; et sacrificia, quibus maxima pars cultûs divini continebatur.

TABERNACULUM. — Inter divina præcepta data Moysi, primarium illud fuit de erigendo tabernaculo, quod esset quasi domus regia in quâ Deus inter Judæos habitaret. Illud Moyses confecisse dicitur secundùm exemplar quod ipsi in monte monstratum est: quæ verba juxta Apostolum significant, quòd jussus fuerit Moyses omnia instituere, ut apta essent ad significandum Christum et res evang. quæ ipsi in monte revelatæ sunt: et multa alia loca sunt in V. T. in quibus significatur gloriam illam, quæ in tabernaculo visa est, fuisse typicam, et adumbrâsse illam gloriam quæ conspicienda erat in secundo templo; arcam symbolum divinæ præsentiæ auferendam esse, et cultum allegoricum abolendum, cùm ipse Deus venturus esset, et homines ipse instituturus ad Religionem. Sed hìc exponenda est hujus instituti analogia cum rebus evang. et osten-

denda convenientia quæ est inter istam regiam Dei domum apud Judæos et corpus Christi, sive naturale, sive mysticum, in quo inhabitare tanquàm in tabernaculo Deus dicitur in Evangelio.

Primùm quidem si generatim rationem tabernaculi illius consideremus, per illud optimè significatum Deum nobiscum in carne conversantem deprehendemus. Nam cùm Deus, qui nullis potest limitibus circumscribi, dignatus tamen sit in formâ visibili, locum aliquem decorare et suscipere personam Dei localis et sensibilis, fuerint necne aliæ rationes hujus instituti, saltem negari nequit quin fuerit aptissimum ad adumbrandum mysterium Incarnationis Filii Dei, qui in visibili formâ, assumptâ carne, inter homines versari debebat et suscitare templum Domino, *in quo habitaret plenitudo divinitatis corporaliter.* Adumbrabat etiam corpus Christi mysticum et corporis ejus membra, in quibus Christus inhabitat per Spiritum suum et templa efficit Deo dedicata : *Estis cives sanctorum,* ait Apost. Paulus, *et domestici Dei superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide C. J. in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino.* Animadvertendum quoque est tabernaculum auro et rebus pretiosissimis fulsisse intùs, dùm extrinsecùs operiretur pellibus et rebus vilioribus ; satis aptè ad significandam, vel externam Christi humilitatem, dùm per oculos fidei in illo deprehendimus gloriam quasi unigeniti à Patre, vel exteriorem formam corporis ejus mystici, quod temporalibus caret bonis et sæpiùs contemnitur, cùm tamen ex capite suo gloria in ipsum maxima derivetur. Notandum etiam quòd sicut domus regia apud Judæos mobilis fuit et erratica in deserto ac dissolvi facilis, nec Deus habuerit nisi post plures annos sedem fixam, quando ædificatum est splendidissimum templum Salomonis, ita etiam Christus versatus est in hoc mundo obnoxius miseriis et dissolutioni, donec tandem suscitatus à mortuis, et factâ pace inter Deum et homines, exaltatus est ad dexteram Dei, ubi æternâ et fixâ quiete fruitur. Hoc etiam transferri potest ad corpus Christi mysticum, quod in hoc mundo tempestatibus jactatum est, aliquando adducendum in fixam requiem et æternum regnum.

Deinde si tabernaculi singulas partes expendamus, multò magis elucebit eadem analogia. Sanctuarium pars tabernaculi et postea templi præcipua, quam soli sacerdotes ingredi debebant, magnâ areâ circumdatum erat, ubi posita erant lavacrum et altare sacrificiorùm. Hæc area primùm unica fuit, sed postea in erectione tabernaculi, tempore Davidis, adjecta est alia area exterior, et ad hujus tabernaculi formam conditum est templum à Salomone : tertia hæc area gentilium appellata est. Jam verò hæc arearum distinctio ultra quas progredi non licebat plebeiis, satis aptè significabat Ecclesiam Christi, quæ suos habet limites, et separata consistit ab aliis societatibus, quæ suos dùm admittit ad cultum divinum, detinet tamen semper solâ spe futurorum et invisibilium bonorum...... Deinde altare et lavacrum in communi areâ posita benè significabant Christum, qui juxta prophetam *est fons patens domui David et habitatoribus Jerusalem in ablutionem peccatoris ;* qui etiam mediator noster est, dona nostra sanctificans per virtutem sui sacrificii. Figurabant etiam lavacrum et altare corpus Christi mysticum seu Ecclesiam, in quâ est lavacrum regenerationis, nempe Baptismus, et Eucharistiæ novæ legis sacrificium..... Ignis perpetuus in eâdem areâ servatus super altare, typus erat æterni spiritûs per quem Christus obtulit semetipsum absque maculâ, et sine cujus virtute sanctificante oblatio nostra nequit esse accepta.... Cornua altaris, quæ erant locus refugii, adumbrabant potestatem et virtutem Christi Redemptoris, qui est *cornu salutis in domo David*, et potens est salvare accedentes per semetipsum ad Deum.

Sanctuarium ipsum in duas partes divisum erat, videlicet Sanctum et Sanctum sanctorum. In Sanctum ingredi filiis Aaron permissum est et illis solis qui sub uno respectu exprimunt membra Ecclesiæ invisibilis, seu omnia viva Christi membra, quæ declarantur sacerdotes et reges Dei, in quantum admittuntur ad earum rerum contemplationem, ad quam nunquàm pervenient externa Ecclesiæ membra ; et sub alio respectu figurabant novæ legis sacerdotes, qui propiùs in rebus sacris ad Deum accedunt et pro populis offerunt dona et sacrificia..... Hic erat mensa panum propositionis, ubi duodecim panes juxta numerum tribuum Israel adumbrabant Christum, qui est panis vitæ omnibus fidelibus..... Ibi erat candelabrum aureum cum septem lampadibus, ad significandam illuminationem Spiritûs S. ejusque dona in sacramentis distributa..... Hic erat altare thymiamatis proximum Sancto sanctorum, cu-

jus cornua quotannis aspersa erant sanguine, et cujus quotidianus usus erat in adolendo incenso, in symbolum non tantùm precum populi, sed perpetuæ Christi apud Patrem intercessionis et oblationis sanguinis sui.

Post Sanctum, in ulteriore recessu erat Sanctum sanctorum, symbolum cœlorum, ubi erat divinæ præsentiæ et gloriæ figura. Dividebatur ab alterâ parte sanctuarii, expanso velo, quo significabatur res cœlestes sub tegmine et obscuritate legalium rituum celatas esse. Dùm verò pontifex summus quotannis levato velo ingrediebatur, significabat venturum tempus, quo obscuritas omnis tolleretur et res cœlestes propalarentur; quando nempe præcursor noster Christus penetrare cœlos debebat et se sistere coram Deo ad intercedendum pro nobis. Intra velum situm erat illud præcipuum instrumentum veteris legis, arca testamenti, ex cedro fabricata, operta auro, tecta aureo propitiatorio, ad quod duo Cherubim aurea procumbebant venerabunda, et super omnia erat divinæ gloriæ manifestatio, quam Judæi appellant Shekina. Velum in morte Christi scissum est à summo usque deorsùm, et omnia subitò patefacta, ut significaretur ea non esse ampliùs velis tegenda, et allatam esse plenam divinæ œconomiæ manifestationem; jam propalatam esse sanctorum viam et habere homines accessum *ad Jerusalem cœlestem et multorum millium angelorum frequentiam.*

Sacerdotium. — Primaria etiam pars legis Mos. erat sacerdotium, in quo instituto haud levem mutationem invexit Moyses. Usque ad ejus tempora sacerdotalis dignitas ad primogenitos cujusque familiæ pertinebat, et ob quam causam sic ab initio constitutum fuerat supra indicavimus: sed ob multas gravissimas causas, in familiam Leviticam jus sacrorum faciendorum collatum est, et sacerdotale munus solis Aaronis posteris attributum. Ne tamen primævæ institutionis finis deleretur, sæpè expressè monuit Moyses assumptos esse à Deo Levitas in functiones tabernaculi loco primogenitorum. Verùm si in hâc parte sacerdotium legale minùs erat aptum ad significandum sacerdotium primogeniti Christi, tamen hunc defectum multis additis conditionibus abundè supplevit Moyses.

Oportebat sacerdotem et præcipuè summum pontificem, qui specialiùs Christum repræsentabat, esse perfectum et integrum sine maculâ; consecrari sanguine; ungi oleo ad fungenda officia sacerdotalia; ferre vestes lineas candidas, et ornamenta pretiosissima; in pectorali judicii gestare Urim et Thummim, quæ verba significant *lucem et perfectum;* super pectus atque super humeros portare nomina tribuum populi Israelitici; in fronte habere laminam auream, in quâ inscripta erant verba hæc, *sanctitas Jehovæ.* Hanc gerere debebat laminam in fronte, ut gerere posset iniquitatem rerum quæ Domino erant consecrandæ et ut Deo essent acceptæ. Sacerdotis hujus munera hæc erant: debebat sanguinem spargere, offerre holocausta, expiare delicta populi et reconciliare filios Israel Deo, ingredi in Sanctum sanctorum semel in anno, ibique sanguinem spargere super propitiatorium, et deinde solemni ritu populo benedicere.

Jam verò nihil absurdum magis est quàm supponere Aaronem fuisse innocentem et impollutum; fuisse sanctitatem Jehovæ; habuisse in se lucem et perfectionem, universum populum sustinuisse; vel potuisse expiare delicta populi, illumque Deo reconciliare, vel ad divinam majestatem accedere et inde populo afferre benedictionem, proindeque nihil evidentius est quàm quòd fuerit Aaron in his omnibus alterius vicarius, onustus symbolis perfectionum alterius, quas ipse non habebat. Sed si reverà Aaron repræsentabat Christum sacerdotem N. T. purum et innocentem, sanctitatem Jehovæ, qui sustinere populum Dei debebat et offerre sanguinem verè expiatorium; qui ad divinum thronum ascendere et inde hominibus benedictionem largiri; non intelligitur quâ ratione hunc aliter poterat repræsentare pontifex ille V. T. quàm corporis assiduâ lotione in aquâ, quæ est symbolum puritatis; quàm induendo sese lineis vestimentis, quæ candore exprimunt innocentiam; quàm gestando in pectore Urim et Thummim, seu lucem et perfectionem, et laminam in fronte cum istâ inscriptione, *sanctitas,* vel *sanctus Jehovæ;* quàm nomina filiorum Israel in corde atque humeris gestando, spargendo sanguinem expiatorium, holocausta offerendo, intrando semel in anno in locum divinæ præsentiæ, ibique spargendo iterùm sanguinem coram throno Dei, et tandem quasi impetratâ indulgentiâ benedicendo populo. Profectò non solùm similitudo quædam est inter Aaronis et Christi munera, inter illius attributa et Christi veras perfectiones, sed reverà ea est habitudo, ut evidens planè sit, id omne quod præstabat pontifex veteris legis fuisse tantùm actionem figuratam actionis subsequentis in personâ

Filii Dei, pontificis melioris Testamenti.

SACRIFICIA. — Sed in nullâ parte, cultûs judaici et legis cæremonialis allegorica natura magis se prodit quàm in sacrificiis. Generalem eorum rationem, et ob quas causas fuerint ab initio mundi instituta jam exposuimus: Igitur hìc solummodò quædam observabimus circa sacrificia quædam singularia, quæ à Moyse putantur primùm instituta: videlicet sacrificium agni paschalis; sacrificium annuum expiationis per duos hircos; illud vaccæ rufæ, cujus cineribus omnia mundabantur; et sacrificium pro mundatione lepræ.

1° In sacrificio, quod pascha nuncupatum est, clarissimè et sine ullâ ambiguitate patet, Christi mortem ejusque circumstantias atque effectus designatos fuisse. Cùm constituisset Deus ultimâ et graviori plagâ Ægyptios affligere, nempe morte cunctorum primogenitorum, sicque eos cogere ad Israelitas dimittendos; præcepit ut unaquæque familia acciperet agnum sine maculâ die decimâ mensis nisan, eumdem immolaret die decimâ quartâ ejusdem mensis ad vesperam, et illum comederet festinanter, non comminutis ossibus, nullâ parte in crastinum relictâ. Præcepit eodem tempore, ut sanguine agni unaquæque familia postes et superliminaria domorum tingeret, et ut ne quis auderet domo suâ exire, donec ab angelo exterminatore omnes primogeniti occisi fuissent, significans non propter ulla sua merita Israelitas liberatos esse ab illâ communi plagâ, sed solummodò propter sanguinem agni: nam quorum fores non tingebantur illo sanguine, vel qui inconsultò domi se non continebant, carentes illo præsidio, cum Ægyptiis Dei inimicis eamdem sortem experiebantur: *Transibo,* ait Deus ad Moysem, *per terram Ægypti, percutiamque omnem primogenitum.... et videbo sanguinem et transibo vos, nec erit in vobis plaga disperdens.*

Quàm aptè hæc instituta fuerunt ad adumbrandum Christum! Christus D. agnus verè impollutus, ingressus urbem Jerosolymæ, tradidit semetipsum Judæis decimâ die mensis nisan; ad occisionem ductus est tanquàm agnus non aperiens os suum die decimâ quartâ ejusdem mensis; mortuus est eâdem horâ quâ Judæorum principes mactabant agnum paschalem; cùm duorum latronum crura fracta fuerint, agni nostri crura integra mansêre, os non est comminutum in illo; sine ullâ mora et præcipitanter eo ipso die in sepulcro conditus est; deinde verò juxta fidem nostram sanguine suo, ut verbis prophetæ utar, aspersit gentes multas, et à captivitate diaboli et plagâ mortis sempiternæ homines liberavit; *neque aliud nomen datum est hominibus in quo oporteat nos salvos fieri.* Qui negabit hæc aptè expressa fuisse in sacrificio agni paschalis, fingat, si possit, alium ritum, quo clariùs exprimantur.

2° Post diem illum sacrificio paschatis solemnem nullus videtur sanctior die decimâ mensis septimi qui vocabatur dies expiationis. Universus populus confitebatur peccata sua et peccata patrum suorum, atque omnis anima quæ afflicta non erat die illâ, juxta legem perire debebat de populo suo. Inter varia sacrificia quæ hâc die perficiebantûr, unum erat singulare et proprium huic solemnitati, quod sic describitur: *Suscipiet* (summus pontifex) *ab universâ multitudine filiorum Israel duos hircos pro peccato.... mittensque super utrumque sortem, unam Domino, alteram capro emissario. Cujus exierit sors Domino, offeret illum pro peccato; cujus autem in caprum emissarium, statuet eum vivum coram Domino, ut fundat preces super eum, et emittat eum in solitudinem.* Hâc solùm die et nullâ aliâ licebat summo pontifici ingredi intra velum in Sanctum sanctorum: ideòque manifestum est hisce ritibus significatam fuisse abolitionem peccati per effusionem sanguinis, ejusque oblationem coram Deo. Sed etiam non minùs manifestum est, sacrificia illo die facta nullam habuisse per se efficaciam ac destitutionem peccati; non solùm ob hanc rationem, quòd impossibile sit ut sanguis hircorum et vitulorum valeat per se ad emundationem conscientiæ, sed etiam quia hæc ipsa sacrificia polluebant eos qui illa offerebant. Summus quippe pontifex, aliique ministri contaminati manebant usque ad vesperam. Præterea, ut argumentatur S. Paulus, per singulos annos iisdem ipsis hostiis litabant Israelitæ, et in ipsis commemoratio annua eorumdem peccatorum fiebat; quæ commemoratio et victimarum repetita oblatio deletis peccatis cessâssent; sicut in lege christianâ Christus semel passus est, quia *unicâ oblatione suâ consummavit in æternum sanctificatos, et penetravit ad sedem majestatis divinæ in cœlis, ubi assistens pontifex noster est.* Verùm si illa sacrificia significaverint abolitionem peccati per effusionem sanguinis, et ipsa tamen non aboleverint peccatum, necesse est ut fuerint symbola alterius sacrificii verè expiatorii. Jam autem cujus sacrificium significare poterant, nisi illud Messiæ, in quo benedicendæ

erant omnes gentes terræ, et qui homines in veram libertatem filiorum Dei asserere debebat, ipsis Judæis confitentibus? Numquid per duplicem illum hircum ea quæ in morte Christi contigère, non clarè expressa sunt? Numquid non ut ille hircus qui Deo obtigerat in sacrificium, oblatus Christus est pontificis Judæorum et sacerdotum consilio ac decreto? Numquid non secretò et quasi in solitudine cum Patre pro hominibus agebat ad destitutionem peccati et receptus à Deo post mortem suam fuit, sicut hircus ille emissarius post alterius mortem? Numquid non per illum sanguinem et illam cum Deo intercessionem amovit illud velum, quo divini throni aspectus hominibus auferebatur et aperuit cœlos; sicut illo die per sanguinem victimarum licuit pontifici ingredi in Sanctum sanctorum? Numquid non benedictionem suam in dexterâ Dei sedens impertitur hominibus, sicut pontifex admissus ad conspectum Dei benedicebat Israelitis? Quid ampliùs ad figuræ perfectionem desiderari potest?

3° Non minùs clarè adumbrata fuit mors Christi Domini et ipsius mortis felices effectus in sacrificio vaccæ rufæ, cujus cineribus omnia mundabantur. Illa victima, ex quâ pendebat puritas omnium tribuum, extra castra immolabatur: sanguis offerebatur Deo in interiori parte tabernaculi, sed ante velum, quod septies sanguinis aspersionem accipiebat: integrâ victimâ flammis absumptâ, servabantur cineres ad aquam lustralem sanctificandam, quâ aquâ aspergebatur quodcumque erat immundum: *peribit ex Israel*, ait lex, *qui aquâ expiationis non est aspersus*. Sed si ex unâ parte cineres hujus victimæ fuerint origo omnis puritatis, tam publicæ, quàm privatæ; polluebant tamen eos, qui illos contingebant. Pontifex maximus, qui vaccam rufam peccati symbolum immolaverat, juxta legem commaculatus erat usque ad vesperam; ille etiam qui combusserat eam, ille qui portaverat cineres, ille qui asperserat aquam expiationis: *Ecce omnis*, ait lex, *qui tetigerit aquas expiationis, immundus erit usque ad vesperam*. Quid hâc figurâ clarius esse potest? Quis in istâ allegoriâ non videt Christum immolatum extra urbem, afferentem salutem populo suo per effusionem sanguinis, conferentem aquæ baptismali regenerandi virtutem, et hæc omnia facientem dùm maledictum se fecit pro hominibus, dùm polluebat quodammodò pontifices et eorum ministros, qui maximi criminis rei in ejus morte constituti sunt?

4° Habemus denique in sacrificio pro mundatione lepræ vividam imaginem ejusdem mortis Christi et vitæ per istam mortem recuperatæ. Negari nequit quin lepra in Scripturis sit figura peccati, et ideò sacerdotibus solis de illo morbo judicium ferre lege concessum est: fuit ergo leprosus peccatoris imago, et sacrificium leprosi symbolum illius quo peccator restituitur ad sanctitatem. Jam verò ille leprosus post judicium latum à sacerdotibus nondùm mundus censebatur; debebat offerre Deo duos passeres, immolare unum in vase fictili super aquas viventes; alium autem vivum cum ligno cedrino, cocco et hyssopo tingere debebat in sanguine passeris immolati: *Quo sacerdos*, ait lex, *asperget eum qui mundandus est septies, ut jure purgetur, et dimittet passerem vivum, ut in agrum avolet*. Illa aspersio septies repetita et immersio passeris vivi in sanguinem, nonne clarè significant unicam causam puritatis in leproso et libertatis concessæ passeri esse illam sanguinis aspersionem? Et cui hæc applicabimus, nisi tamdiù expectato hominum purificatori et liberatori? Quis non intelligit in illo ritu per passerem vivum, cui redditur cum vitâ libertas, postquàm sanguine tinctus est immolati passeris, significari leprosum seu peccatorem ablutum sanguine illius, qui juxta propheticam vocem debebat *aspergere gentes multas, in sanguine testamenti educere vinctos de carcere, livore suo sanare homines, esse fons patens domui Jacob in ablutionem peccatoris et menstruatæ?*

5° Eventus præcipui in dispensatione Mos. significabant eventus evang. Quædam solummodò exempla indicabimus. Cùm affligerentur Israelitæ in deserto serpentibus ignitis, jussit Deus ut exaltaretur serpens æneus, et ut percussi à serpentibus illum aspicerent: quod valdè aptè adumbrabat Christum exaltatum à terrâ, *ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam*.... Cùm Moyses extensione manuum suarum in formam crucis inimicos Dei expugnavit, suisque attulit salutem, satis clarè etiam in illo eventu significabatur Christus extensis manibus orans in cruce pro hominum salute.... Cùm Jonas projectus in mare compescuit illius fervorem et divinam avertit iracundiam; cùm in sinu maris jacuit per tres dies, et postea gentilibus prædicavit pœnitentiam, numquid in illo eventu quidquam desideratur ad præfiguranda ea quæ in morte Christi contigère? Tunc verè deferbuit mare iræ divinæ; jacuit Salvator per tres dies sepultus in sinu terræ; suscitatus à mortuis, gentes ad pœnitentiam adduxit. Infinitos alios

eventus colligere liceret, sed cùm legenti per se obvii sint, non morabimur in illis recensendis.

Denique præcipuæ personæ in illâ dispensatione Christi figuræ extiterunt, nempe Joseph filius Jacob, Moyses, Aaron, Josue, David, Salomon, Jeremias, Zorobabel, etc., quorum omnium cum Christo convenientias fusè prosecutus est Huetius in Dem. evang. prop. 9, c. 170, quem hìc compilare inutile est, cùm hæc abundè sufficiant ad nostræ propositionis confirmationem, nempe quòd nihil aliud sit V. T. quàm occultatio novi, nihil aliud novum quàm revelatio veteris (1).

Negârunt aliqui etiam inter Christianos inesse hisce figuris vim argumenti adversùs incredulos : quorum certè esset tolerabilis

(1) Diximus supra Salomonem, qui templum Deo vero condere, qui populum pace beare debebat, in typum assumptum esse Messiæ, et ideò in Psalmis ejus occasione, et quasi de eo canere Davidem quæ soli antitypo Messiæ conveniunt; imò Davidem proprium nomen filio suo inclyto attribuisse, et sub proprio nomine clariora Messiæ gesta cecinisse : duo ista magis evolvere operæ pretium esse videtur.

I. Ergo dico Salomonem assumptum fuisse à Deo in typum Messiæ et sub ejus nomine promissum fuisse æternum Messiæ regnum. Etenim cùm David consilium iniisset ædificandi templum Domino, hæc verba tulit ad eum Nathan propheta, ut legimus l. 2 Reg. c. 7 : *Prædicit tibi Dominus, quòd domum faciat tibi Dominus : cùmque completi fuerint dies tui, et dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, et firmabo regnum ejus. Ipse ædificabit domum nomini meo, et stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum. Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium: qui si iniquè aliquid gesserit, arguam eum in virgâ virorum et in plagis filiorum hominum. Misericordiam autem meam non auferam ab eo, sicut abstuli à Saül, quem amovi à facie meâ : et fidelis erit domus tua, et regnum tuum usque in æternum ante faciem tuam, et thronus tuus erit firmus jugiter.* Hæc ad Salomonem primùm pertinere nullum dubium est, cùm Paral. l. 1, c. 28, v. 5 et seq. dicat ipse David ista repetens : *De filiis meis elegit* (Dominus) *Salomonem ut sederet in throno regni Domini super Israel, dixitque mihi : Salomon filius tuus ædificabit domum meam et atria mea : ipsum enim elegi mihi in filium, et ego ero ei in patrem. Et firmabo regnum ejus usque in æternum, si perseveraverit facere præcepta mea, et judicia, sicut et hodiè.* Hæc tamen in Salomone plenam completionem non habuerunt : unde Apostolus ad Hebr. c. 1, v. 4, de Messiâ scribit : *Tantò melior angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditavit : cui enim dixit aliquando angelorum : Filius meus es tu, ego hodiè genui te? Et rursùm : Ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium.* Unde vaticinium illud è numero eorum est, quibus duplex inest significatio, quarum altera Salomonem, qui typus Christi fuit, propiùs respicit, altera Christum; vel potiùs quædam Salomoni, Christo quædam, quædam utrique tribuenda sunt.

Conveniunt ista quidem soli Christo : *Stabiliam thronum regni ejus in sempiternum*; tum et ista quæ subnexa sunt : *Et fidelis erit domus tua et regnum tuum usque in æternum ante faciem tuam, et thronus tuus erit firmus jugiter.* Unius autem Salomonis hoc est, quod statim subjicitur : *Si iniquè aliquod gesserit, arguam eum in virgâ virorum.* Pertinet verò ad utrumque, Davide prognatum esse ; Dei filium esse, Salomonem quidem adoptione vel quoad denominationem propter Christum, cujus figuram gessit ; Christum ipsum naturâ ; et Deo domum ædificare, illum manufactam et terrenam, Christum spiritualem et cœlestem.

Hoc sensu intellectam fuisse promissionem à Davide patet ex Ps. 71, Hebr. 72 : *Deus, judicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis.* Qui Salomonis nomen præ se fert verisimiliter, quia in eum à patre lucubratus est. Eadem planè est ejus ratio, quæ superioris promissionis : in eo quædam certè sunt, quæ Salomoni aptari possunt ; longè tamen clarioribus notis designatur Messias, quæ sunt ejusmodi, ut de Salomone nequaquàm intelligi possint, qualia sunt ista, v. 5 et seq. : *Permanebit cum sole et ante lunam, in generatione et generationem : descendet sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram. Orietur in diebus ejus justitia et abundantia pacis, donec auferatur luna ; et dominabitur à mari usque ad mare et à flumine usque ad terminos orbis terrarum. Coram illo procident Æthiopes, et inimici ejus terram lingent : reges Tharsis et insulæ munera offerent, reges Arabum et Saba dona adducent : et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes servient ei.* Deinde hæc v. 17 : *Ante solem permanet nomen ejus : et benedicentur in ipso omnes tribus terræ : omnes gentes magnificabunt eum.* Hæc Messiæ adscribenda esse probant consimiles scriptorum sacrorum de eo prædictiones iisdem ferè verbis conceptæ : ortum scilicet Messiæ temporibus ipsis antiquiorem et æternitatis æqualem prædicat Michæas c. 5, v. 2 : *Et egressus ejus ab initio, à diebus æternitatis.* — Ut hìc Christus comparatur pluviæ, sic apud Michæam rori, utrobique etiam stellæ. — Justitiam et pacem æternam eo regnante orituras spondet ; sic et Daniel pollicetur eum adducturum justitiam sempiternam et ab aliis Prophetis vocatur *justus Dei, et germen justum, et Dominus justus noster.* — Pacificum verò futurum eum passim tradunt iidem Prophetæ, unus verò omnium apertissimè Michæas c. 5, v. 5 : *Et erit iste pax.* — Totum orbem quaquà patet, in ejus leges concessurum, ne regibus quidem ejus imperium detractantibus, prædixit Michæas his verbis c. 5 : *Magnificabitur usque ad terminos terræ* ; prædixit Zacharias 9. 10 : *Potestas ejus à mari usque ad mare, et à fluminibus usque ad fines terræ* ; prædixit Isaias 60, 6 : *Omnes de Saba venient, aurum et thus deferentes et laudem Domino annuntiantes.* — Quod subjicit denique David in hoc Psalmo v. 17 : *Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ,* hoc ipsum est quod sæpè Patriarchis pollicitus est Deus, cùm Christum ex ipsorum stirpe proditurum ipsis annuntiavit. — Tandem ad Christum pertinere hunc Psalmum constans est Judæorum consensus : id docent Chaldæus paraphrastes, auctores Talmudici, Jarchi, Aben-Ezra, Kimhi, Saadias Gaon, etc. — Jure igitur S. Hieronymus Comm.

opinio, si defenderent solummodò, Judæos ante rerum eventum ex illis colligere non potuisse, in iis contineri futurarum rerum designationem; aut si id affirmarent de quâque figurâ sigillatim sumptâ post rerum eventum. At profectò cùm post eventum tota veteris historiæ jud. series consideratur, comparatioque instituitur cum rebus evang., evidentissi-

in Dan. de hoc Psalmo scripsit : « Hic est mos « Scripturæ sanctæ, ut futurorum veritatem « præmittat in typis, juxta illud quod de Do- « mino Salvatore in Psalmo 71 dicitur, qui « prænotatur *Salomonis*, et omnia quæ de eo « dicuntur, Salomoni non valent convenire. « Neque enim *permansit ille cum sole et ante « lunam generationis generationum*; neque *do- « minatus est à mari usque ad mare et à flumine « usque ad terminos orbis terrarum*; nec *omnes « gentes servierunt ei*; neque *ante solem per- « mansit nomen ejus*; nec *benedictæ sunt in ipso « omnes tribus terræ*; neque *omnes gentes ma- « gnificaverunt eum*. Ex parte autem et quasi « in umbrâ vel imagine veritatis in Salomone « præmissa sunt, ut in Domino Salvatore per- « fectiùs implerentur. »

Hoc sensu intellectam fuisse promissionem factam Davidi ab ipso Salomone patet ex Psal. 131, Hebr. 132 : *Memento, Domine, David*, etc.: qui compositus videtur in translatione arcæ in templum à se conditum, in quo de alio à se diverso hæc canit : *Surge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuæ... propter David servum tuum non avertas faciem Christi tui. Juravit Dominus David veritatem et non frustrabitur eum; de fructu ventris tui ponam super sedem tuam... Elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem sibi; hæc requies mea in seculum seculi, hìc habitabo quoniam elegi eam... Illùc producam cornu David, paravi lucernam Christo meo. Inimicos ejus induam confusione, super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea.* In quo loco ipse Salomon significat promisisse Deum Davidi, quòd producturus esset cornu, id est, regem potentem in domo David, et paraturus lucernam, id est, regnum Messiæ. Hunc sensum ipsi recentiores Judæi eidem loco tribuunt in precibus quotidianis pro adventu Messiæ, quæ ex hoc psalmo deprompta sunt; et hunc sensum eidem psalmo olim tributum fuisse patet ex his verbis cantici Zachariæ, ista Christo Domini applicantis : *Et erexit cornu salutis nobis in domo David pueri sui.*

Eadem promissio facta Davidi eodem sensu intellecta est ab auctore Psal. 88, qui incipit : *Misericordias Domini in æternum cantabo*, ut patet ex his versibus : *Juravi David servo meo : usque in æternum præparabo semen tuum... Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliabitur ei, et brachium meum confortabit eum... Et veritas mea et misericordia mea cum ipso, et in nomine meo exaltabitur cornu ejus : et ponam in mari manum ejus et in fluminibus dexteram ejus. Ipse invocabit me: Pater meus es tu, Deus meus et susceptor salutis meæ, et ego primogenitum ponam illum, excelsum præ regibus terræ... Semel juravi in sancto meo, si David mentiar : semen ejus in æternum manebit, et thronus ejus sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in æternum et testis in cœlo fidelis.* Manifestum est ex toto contextu istius Psalmi, illum compositum fuisse tempore neque Davidis, neque Salomonis, sed cùm res Judæorum angustæ essent et miseræ, et etiam cùm erepta illis esset regia potestas, ut præsertim patet ex istâ expostulatione : *Tu verò repulisti et despexisti : distulisti Christum tuum... Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ, Domine, sicut jurâsti David in veritate tuâ? Memor esto opprobrii servorum tuorum, quòd continui in sinu meo multarum gentium, quòd exprobraverunt inimici tui, Domine, quòd exprobraverunt commutationem Christi tui.* Adeòque certum est ibi expectationem significari alterius regis præter Salomonem, et hanc expectationem fundare Psalmistam in promissione factâ Davidi. Eodem planè modo, quo nos, hæc interpretantur Chaldæus paraphrastes, Talmudistæ, et omnes communiter Judæi.

Eumdem fuisse prophetæ Isaiæ sensum patet ex c. 55, ubi manifestè alludens ad promissionem factam Davidi per Nathan, *quòd misericordia non esset auferenda ab eo*, hæc habet: *Audite, et vivet anima vestra, et feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias David fideles* (in Actis Apost. *sancta David fidelia*). *Ecce testem populis dedi eum ducem* (hebr. *Naghid*, quod nomen Messiæ est in multis Scripturæ locis) *ac præceptorem gentibus. Ecce gentem quam nesciebas vocabis, et gentes quæ te non cognoverunt, ad te current propter Dominum Deum tuum et Sanctum Israel, quia glorificavit te.* Ibi manifestè agitur de eximio principe, eoque unico, qui alius esse non potest quàm Messias; et id confitentur Judæi : cùm ergo pactum de illo mittendo vocetur *misericordiæ David fideles*, illud ipsum est quod per Nathan Davidi confirmatum fuit, et de quo canit Psalmista Ps. 88 : *Misericordias Domini in æternum cantabo.* Eadem habentur apud Jeremiam, Zachariam et alios.

Idem sensus fuit auctoris libri Ecclesiastici, qui suo tempore, id est, post captivitatem Babylonicam, non existimabat exhaustam fuisse benedictionem Davidis, quamvis defecissent reges ex ejus stirpe; hæc enim habemus c. 47, v. 13 : *Dominus exaltavit in æternum cornu ejus* (Davidis), *et dedit illi testamentum regni et sedem gloriæ in Israel. . . . Deus autem non derelinquet misericordiam suam, et non corrumpet nec delebit opera sua* (id est, non mutabit pacta sua), *neque perdet è stirpe nepotes electi sui, et semen ejus qui diligit* (dilexit) *Dominum*, (id est, Davidis) *non corrumpet : dedit autem reliquum Jacob et David de ipsâ stirpe.* In ultimâ sententiâ *Jacob et David* sunt dativi casûs, et sensus est, ut vertit Vatablus : *Nepotes electi sui nequaquàm abolevit, nec progeniem amatoris sui sustulit, sed dedit Jacob reliquias, et Davidi radicem ex ipso.* Syrus verò interpres hæc ultima verba in futuro ponit, sine dubio consentienter interpretationi Judæorum inter quos commorabatur, et habet : *Dabit liberationem Jacob, et Davidi regem magnum*; et eadem habet interpres Arabicus, juxta quam interpretationem sequitur promissionem factam Davidi non tam Salomonem quàm futurum principem respicere, qui Judæos esset liberaturus et constituturus regnum æternum.

mè agnoscitur mentem fuisse Spiritûs S. ut illa harum contineret adumbrationem : sicut in illis tabulis, quæ anamorphoses dicuntur, cùm diversæ rerum species, hinc et inde sparsæ, nobis ambulantibus è regione appareant; sed constitutis in certo loco, oriatur nova et antea non percepta imago ex omnibus aliis partibus simul adunatis artificiosè composita,

II. Ipse David in typum filii sui Messiæ est assumptus, unde ab eo tempore Messias nuncupatus est David; et in Psalmis cæterisque libris propheticis sub hoc nomine plura continentur de Messiâ vaticinia.

1a Cur id credamus ratio est, quòd ipse David id profiteri videatur in novissimis suis verbis relatis l. 2 Reg. c. 23, quæ ejusmodi sunt apud Vulgatum interpretem : *Hæc autem sunt verba David novissima : Dixit David filius Isai ; dixit vir, cui constitutum est de Christo Dei Jacob, egregius Psaltes Israel : Spiritus Domini locutus est per me, et sermo ejus per linguam meam. Dixit Deus Israel, mihi : Locutus est fortis Israel, dominator hominum, justus dominator in timore Dei. Sicut lux auroræ oriente sole, manè absque nubibus rutilat, et sicut pluviis germinat herba de terrâ : nec tanta est domus mea apud Deum, ut pactum æternum iniret mecum, firmum in omnibus atque munitum. Cuncta enim salus mea et omnis voluntas : nec est quidquam ex eâ, quod non germinet : prævaricatores autem, quasi spinæ evellentur universi : quæ non tolluntur manibus ; et si quis tangere voluerit eas, armabitur ferro et ligno lanceato, igneque succensæ comburentur usque in nihilum ; cùm apparuerit Dominus judicii magni, ut sedeat super solium judicii ad judicandum seculum.* Hæc obscurissima verba sic commentatur Jonathan paraphrastes Chaldæus : « Et hæc verba prophetiæ « David, quæ vaticinatus est consummationi seculi diebus consolationis, qui futuri sunt ut veniant. Dixit David filius Isai, dixit vir qui sublimatus est in regnum, unctus in dicto Dei « Jacob, et constitutus ut perficiat in ludo suavitatis laudem Israel. Dixit David in spiritu prophetiæ Domini : Ego loquor hæc, et verba « sanctitatis ejus in ore meo egò ordino. Dixit « David : Deus Israel super me locutus est, fortis Israel qui dominatur in filiis hominis, verax « judex dixit, *quòd constitueret mihi regem*, « ipse est Messias, qui futurus est ut surgat et « dominetur in timore Domini. » Videtur loci illius hunc esse sensum, Davidem positum fuisse à Deo loco seu vice Messiæ in suavibus cantibus Israel, et spiritu Dei locutum ibidem esse de dominatore justo, qui futurus esset quasi aurora rutilans, vel quasi imber fœcundans. Nec tantam fuisse domum suam, ut cum eo iniret pactum æternum, sed id fecisse Deum intuitu Messiæ qui ut bonis salutem, sic subditis perduellibus ferrum et ignem esset illaturus.

2a Ratio est, quòd quamplurima sint in Psalmis, quæ sub nomine David enuntiantur, quamvis eidem nequaquàm conveniant, ut ea, v. g., ps. 39 : *Sacrificium et oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi* (alludit ad legem quæ jubebat perforare aures eorum, qui servituti perpetuæ se addicebant); *holocaustum et pro peccato non postulasti ; tunc dixi : Ecce venio ; in capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam.* Hæc applicat Christo Apostolus Heb. 10, 4, et benè quidem ; nam nullatenùs quadrant in Davidem, qui non fuit devotus in servum Dei ut ejus obedientiâ vicem gereret sacrificiorum : sed optimè Christo, qui suo sacrificio abolevit veteres ritus et consummavit unâ oblatione in sempiternum sanctificatos : de eo *scriptum est in capite libri*, nempe initio Geneseos, ubi prædicitur futurum, ut semen mulieris, Christus scil., serpentis caput conterat. Vel si legas cum Hebræo textu, *de me scriptum est in volumine libri*, sensus Christo aptus est, de quo in toto volumine V. T. extant prophetiæ, nullæ de Davide. Propriâ etiam et peculiari notâ Christum hæc designant in eodem psalmo : *Annuntiavi justitiam tuam in Ecclesiâ magnâ ; ecce labia mea non prohibebo. Domine, tu scisti : justitiam tuam non abscondi in corde meo ; veritatem tuam et salutare tuum dixi. Non abscondi misericordiam tuam et veritatem tuam à consilio multo.* Christi enim partes erant, non solùm genus humanum persoluto sanguinis pretio redimere, et supplere vicem sacrificiorum legalium, sed concionibus atque adhortationibus ad redemptionis capiendos fructus præparare : id testatur psalmus secundus : *Prædicans præceptum ejus* ; et vigesimus primus : *Narrabo nomen tuum fratribus meis ; in medio Ecclesiæ laudabo te* ; sic Joel, *doctorem justitiæ*, Isaias, *præceptorem gentium* appellat.

Totus etiam psal. 2 : *Quare fremuerunt gentes*, etc., Christo convenit : hæc præsertim verba : *Filius meus es tu, ego hodiè genui te : postula à me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam et possessionem tuam terminos terræ.* Quæ ad Messiam retulisse olim Judæos certum est, et liquet ex fidentiâ cum quâ S. Paulus in Synagogâ ad Judæos verba faciens, ista applicat Christo, Act. 13, quod profectò ausurum non credibile est, nisi id communi persuasione inter Judæos receptum esse perspectum habuisset. R. Jarchi, quo nullus magis Christianis infestus fuit, hoc confessus est : « Majores nostri, inquit, ad regem Messiam psalmum hunc totum referebant : oportet tamen eum referre ad Davidem, juxta apparentem sententiam, sonumque verborum, propter hæreticos, » id est, Christianos. Idem dicendum de ps. 21, quem etiam de Messiâ intellexisse veteres ex libro Talmudico, Sanhedrin et aliis discimus : et reverà in Davidem aut alium quàm Messiam hæc quadrare nullatenùs possunt : *Reminiscentur et convertentur ad Dominum universi fines terræ ; et adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ gentium : quoniam Domini est regnum, et ipse dominabitur gentium*, etc.

3a Ratio est, quòd Prophetæ subsequentes Messiam David nuncupaverint, quamvis nullius alterius regis nomen ei tribuerint, ut Osee 3, 5 : *Post hæc revertentur filii Israel, et quærent Dominum Deum suum et David regem suum* ; et Jer. 30, 9 : *Sed servient Domino Deo suo, et David regi suo, quem suscitabo eis* ; et Ezech. 34, 23 : *Et suscitabo super eas* (oves meas) *pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David : et ipse erit eis in pastorem, ego autem Dominus ero eis in Deum, et servus meus David princeps in medio eorum.* Jam verò hoc nomen non est tributum Messiæ, quòd esset ejus filius ;

eò minùs dubitamus in mente fuisse pictoris illam exprimere, quò difficilior fuit unius rei ex tam variis figuris efformatio.

§ 3. *De convenientiâ vetustissimarum apud ethnicos religionum cum religione patriarchali et Judaicâ.*

Si in hoc opere quæreremus eruditionis laudem, locum nacti sumus, in quem colligere possemus magnam partem immensorum laborum Bocharti, Seldeni, Huetii, Vossii, Fourmontii, aliorumque doctissimorum virorum, qui in elucidandâ antiquitate ethnicâ operam posuerunt. Esset certè hic labor jucundissimus, non solùm quia juvat interesse priscorum hominum cœtibus, præsertim religiosis, verùm etiam quia non ita discussæ sunt à supradictis auctoribus tenebræ, quibus circumfunduntur religionum origines, quin aliquam lucem multis partibus etiamnum afferri posse putemus : lucemque ideò gratiorem, quòd religionis christ. veritatem magis collocaret in propatulo. Sed excidere è memoriâ non debet esse hoc òpus solummodò compendium rerum ad demonstrationem evang. pertinentium, susceptique potiùs esse muneris juniores theologos in viam deducere, quàm iter universum cum ipsis conficere.

Nos certè, si in hâc antiquitate evolvendâ studium collocare animus esset, aliam viam iniremus, quàm secuti sunt supra dicti scriptores. Illi etenim plerique aut aliquâ opinione præoccupati, aut aliquod molientes eruditum opus, ad illius opinionis confirmationem, seu operis suscepti illustrationem, universam antiquitatem, sæpè invitam, traxerunt ; alii certo litterarum generi unicè addicti, ex scientiâ sibi propriâ omnia explicare conati sunt. Sic Huetius demonstrare satagens Moysis, Mosaicorumque scriptorum antiquitatem, priscos omnium gentium deos et heroas in uno Moyse quæsivit. Bochartus orientalium linguarum peritiâ nulli secundus, universam ethnicorum theologiam ex Phœnicibus et Hebræis per vo-

aliàs et Salomon et Ezechias et Josias, aliique ejus posteri David quoque appellari potuerunt, cujus tamen appellationis nullum est vestigium. Ideò ergo Messiæ soli attributa appellatio est, quòd speciali ratione ejus figuram gesserit David.

4. Ratio ex eo ducitur, quòd vetus ecclesia judaica sicut et hodierna, semper usa fuerit Psalmis Davidis, sicut et nos Christiani utimur in divino cultu ; quod profectò Judæi cum tantâ constantiâ non fecissent, nisi inhæsisset eorum animis ea quæ in Psalmis continentur, non hominem unum è multis respicere, sed eximium illum regem spem gentis, qui ipsis esset salutem allaturus.

cum etymologias derivavit. Hi, et alii, qui in solâ Abrahami familiâ, aut in Ægypto inquirunt deos gentium ; aut in elementis et hujus aspectabilis mundi partibus eos videre se cum Stoicis existimant ; aut qui proprios cuique populo deos assignârunt, veteres scilicet reges et legislatores suos ; hi, inquam, multis sine ullo dubio opinionum erroribus se implicuerunt, sed tamen sunt eorum erudita opera summæ ad inveniendas religionum veras origines utilitatis. Nam non aliter hanc consideramus de religionum origine quæstionem, quàm ut problema quoddam solvi admodùm difficile propter conditionum multitudinem, quibus solutio satisfacere debet. Solutionem tentârunt docti viri uti videtur, per hypotheses arbitrarias, quod facere solent geometræ ; ac deinde calculos subduxerunt, ut intelligerent an omne conditiones problematis solutioni responderent, vel potius omnes opes ingenii et eruditionis contulerunt, ut respondere viderentur. Hâc ratione ex primâ suppositione tanquàm falso lumine, iter dirigentes, mari antiquitatis magno non errârunt hàc et illàc variis distracti opinionibus, nec tamen secundis ventis cursum felicem ad optatum portum habuerunt ; monueruntque nos eorum irriti conatus ne eamdem viam insisteremus. In illis hoc præcipuè reprehensione dignum videtur, quòd plerique assumpserint hypotheses nullâ ratione à priori satis commendatas, sicque sese temerè lumini infido crediderint. Nulla profectò ratio fuit, cur crederent universos populos totâ suâ theologiâ et religionibus celebrâsse, vel Moysem, vel Abrahami familiam, vel genealogiam institutam à Sanchoniathone, vel Ægyptiorum primos reges. Si ergo aliqua sumendâ sit hypothesis, eaque confirmata aliquatenùs à priori, ponendum esse videtur christ. religionem, quam jam demonstravimus mundo in præcipuis coævam, esse fontem et originem omnium aliarum, quæ solummodò sunt totidem quasi hæreses à primariâ illâ fide in pravum deflexæ : atque in evolvendo ex hâc hypothesi antiquitatis filo, initium sumendum esse à gentibus antiquissimis, quarum civilis status pauciores passus est dominorum mutationes, et quarum religiones poetarum figmentis, seu historicorum exterorum interpretationibus, non fuit obscurata ; proinde nonnisi ultimo loco esse explicandas Græcorum atque Romanorum theologiam et ritus sacros. Neque ita adhærebitur huic hypothesi quin in deorum rituumque ethnicorum sensu ac origine explicandis magna ratio

habeatur, et popularis levitatis, et politicæ astutiæ.

Propositio. *Antiquissimæ omnium populorum religiones cum patriarchali et judaicâ consentiebant, et quædam obscura hujus vestigia in omnium gentium theologiâ et ritibus sacris deprehenduntur.*

Probatio. — I. Est hæc propositio superioris corollarium. Nam si revelata religio sit mundo æqualis, et neque initio obtinuerit inter homines religio purè naturalis, quam deistæ commendant et inducere nituntur, necesse planè est, ut religio revelata fuerit omnibus populis antiquioribus communis; et ut falsa dogmata ac impuri ritus, qui postea, labentibus seculis, introducti sunt, fuerint revelatæ religionis, non naturalis tantùm corruptiones et hæreses quædam à primariâ religione in pravum deflexæ (1). Nunquàm certè contigit, nec contingere potest nisi divinitùs, ut natio aliqua priscam et acceptam à patribus religionem abjiciat, et ad novam, planè discrepantem, subitò se transferat : sed variæ in Religione mutationes gradatim invehuntur, novis factis additionibus, donec tandem multitudine rituum et opinionum novarum deleatur memoria veterum. Idcircò, si Noachus consederit in Sina post diluvium, quod verisimile plures existimârunt, ibique consumpserit maximam partem vitæ suæ postdiluvianæ, quæ erat 350 annorum; si per totum illud tempus inter filios et nepotes suos veræ religionis pontifex fuerit; nemini mirum videri debet, quòd in antiquissimis illius gentis traditionibus primævæ religionis vestigia quæramus et inveniamus; imò verò si maneat ulla memoria temporum Fohi conditoris sui, manere etiam debet memoria priscæ religionis. Sic quoque apud Indos aliosque Orientis populos, qui Semo et ejus filiis oriundi sunt, tamdiù manere debuit vera religio, quamdiù illi antistites Religionis in vivis fuerunt. Cham filius Noachi vivebat tempore Abrahami, sive in terrâ Chanaan, quæ obtigerat ejus filio Chanaan, sive in Ægypto, ubi alius filius Mitsraim sedem fixit : nam à Moyse utraque terra dicitur terra Cham. Jam verò manente illo patriarchâ non potuit deleri apud illos populos revelata religio : et reverà in Melchisedech habemus pontificem Dei altissimi, cujus sacerdotium etiam in mente Judæorum præcellebat sacerdotio Levitico. In Arabiâ quoque Job nobis exhibetur afflictus à maligno spiritu, imbutus fide unius veri Dei, solationemque quærens in spe futuri Redemptoris et corporum resurrectionis.

Adde quòd Moyses idem planè asserere videatur de cunctis gentibus : nam non solùm narrat historiam creationis, lapsum humani generis, promissionemque liberatoris factam priscis hominibus, cum summâ simplicitate et quasi rem notissimam; sed etiam, juxta versionem probabilem, scribit liberatorem venturum esse, *expectationem omnium gentium.* Aggæus quoque propheta, qui post Babyl. captivitatem vixit, appellat Messiam *desideratum cunctis gentibus ;* quæ sanè verba proprio sensu accepta significant, omnes gentes expectâsse et desiderâsse liberatorem promissum ab origine mundi. Ex quibus locis profectò non concludimus singulos paganos animis fidem spemque explicitam concepisse futuri Salvatoris, quod de singulis Judæis asserere temerarium esset. Sed colligi posse putamus hanc fidem communibus religionibus significatam fuisse, et derivatam ad doctiores in omni gente obscuram aliquam liberatoris cognitionem : à quâ certè sententiâ alieni non fuerunt SS. Patres, qui Sibyllæ carmina de Christo authentica, et justos ex omni gente fuisse existimârunt, quod passim asserunt Justinus, Clem. Alexand., Orig. Unum laudabimus S. Aug. qui lib. 18 de Civ. Dei, c. 47, scribit : « Nec ipsos Judæos existimo audere contendere, neminem pertinuisse ad Deum præter Israelitas, ex quo propagatio Israel cœpit esse, reprobato ejus fratre majore. Populus enim reverà, qui propriè Dei populus diceretur, nullus alius fuit. Homines autem quosdam, non terrenâ, sed cœlesti societate ad veros Israelitas supernæ cives patriæ pertinentes etiam in aliis gentibus fuisse negare non possunt : qui si negant, facillimè convincuntur de sancto et mirabili viro Job, qui nec indigena, nec proselytus, id est, advena populi Israel fuit : sed ex gente Idumæâ genus ducens, ibi ortus, ibidem mortuus est : qui divino sic laudatur eloquio, ut quod ad justitiam pietatemque attinet, nullus ei homo suorum temporum coæquetur. Quæ tempora ejus, quamvis non inveniamus in chronicis, colligimus tamen ex ejus libro, quem pro sui merito Israelitæ in auctorita-

(1) Fusè ac doctissimè id probavit Bergier, et quidem ex profanis auctoribus, scilicet theismum priùs apud homines viguisse, sanctamque religionem, quàm polytheismum. Vid. traité *de la vraie Religion*, 1re partie, chap. 1.

tem canonicam receperunt, tertiâ generatione posteriorem fuisse quàm Israel. Divinitùs autem provisum fuisse non dubito, ut ex hoc uno sciremus etiam per alias gentes esse potuisse qui secundùm Deum vixerunt, eique placuerunt, pertinentes ad spiritalem Jerusalem. Quod nemini concessum fuisse credendum est, nisi cui divinitùs revelatus est unus mediator Dei et hominum homo C. J. qui venturus in carne sic antiquis sanctis prænuntiabatur, quem admodùm nobis venisse nuntiatus est, ut una eademque fides per ipsum omnes in Dei civitatem perducat. » Saltem implicita in Christum fides juxta omnes theologos ad salutem semper necessaria fuit.

II. Certum est et in confesso apud omnes, summam cultûs publici apud ethnicos in sacrificiis positam fuisse, et hæc sacrificia ad omnes usus apud eos adhibita, ad quos adhibebantur à Patriarchis : atque in nullâ re magis peccâsse paganos, quàm nimiâ in hâc parte superstitione, quæ eos in barbaros et crudelissimos mores induxit. Certum quoque est sacerdotium primogenituræ apud gentes prærogativam fuisse : et ipsos reges sacerdotio fungi solitos : tandem numerant Hebræi abstinentiam à sanguine inter septem Noachidarum præcepta, quæ Deus post diluvium Noacho et filiis ejus imposuit. Sed ex superioribus patet, hæc omnia apud Patriarchas certam habuisse significationem, quam sine dubio vetustissimæ gentes edoctæ fuerunt. Præterea non tantùm in illis tribus magna convenientia fuit Patriarchas inter et paganos, sed in multis etiam circumstantiis sacrificiorum et in reliquis cultûs ethnici partibus ; ex quâ convenientiâ quidam cum Marshamo et Spencero concludunt Judæos ab Ægyptiis ritus suos mutuâsse ; alii verò colligunt cum Witsio, Ægyptios potiùs et alias gentes imitatas esse cultum Hebræorum, cùm longè verisimilius sit illam tantam convenientiam præcipuam causam habere, in communi utriusque gentis origine, communique initio fide ac cultu publico.

III. Religionis patriarchalis, quam habemus in Evang. clariùs expositam, hæ præcipuæ partes fuère : 1° tres esse naturæ humanæ status : primævum fuisse initio statum perfectionis et felicitatis, seculum verè aureum sub Deo creatore; statum secundum naturæ humanæ, in quo nunc post lapsum versamur, esse statum probationis et disciplinæ severioris sub Deo mediatore, in quo per multas difficultates ad virtutem contendendum est ; et tertium statum futurum in alterâ vitâ naturæ ad felicitatem perfectionemque restitutæ. 2° Primam mutationem in conditione humanâ nullam aliam causam habere præter liberam voluntatem hominis à maligno spiritu ad transgressionem legum divinarum excitari : hanc esse unicam originem omnis mali physici ac moralis. 3° Restitutionem naturæ hominum perficiendam esse mediatione Filii Dei, qui inter homines versari et multa pati debet, et tandem devictis inimicis regnare in homines bonæ voluntatis. Atqui horum trium vestigia continentur in theologiâ ac mythologiâ antiquissimarum omnium gentium, Sinarum, Indorum, Persarum, Phœnicum, Ægyptiorum, Græcorum antiquiorum, Latinorum, Germanorum.

1° Sinenses, qui omnium populorum post gentem Deo sacram sapientissimi fuerunt, hanc doctrinam traditam à majoribus servaverunt. In vetustissimis quibusdam commentariis in librum dictum *Yking*, id est, librum *mutationum*, frequens mentio est duplicis cœli, primi et secundi, sicque describitur primum cœlum : « Omnia tunc in statu felicitatis erant, pulchra omnia atque bona : entia quælibet in suo genere perfecta erant. In isto beato seculo cœlum atque terra conspirantibus virtutibus ornabant mundum. Nulla fuit elementorum pugna, nulla aeris intemperies ; omnia sponte suâ ferebat sine cultu tellus. » Et in libris quos Sinenses vocant *King*, idest, sacros, hæc reperiuntur : « Tempore primi cœli pura voluptas et pax perfecta ubique regnabant. Nulli tunc labores, non pœnæ, non dolores, non crimina : omnia humanæ in terris parebant voluntati. » Philosophi Sinenses hanc secuti sunt traditionem. Inter eos Tchouangtse scribit : « In primo cœli statu hominem supremæ rationi interiùs unitum fuisse et in suis actionibus justitiam secutum ; animum ejus solâ tunc delectatum veritate, immunem ab omni errore : quatuor anni tempestates ordinem ratum secutas sine ullâ confusione ; nec homines expertos esse aut nimiam ventorum vim, aut nimiam pluviæ abundantiam; solem atque lunam clariùs sine nube et puriùs fulsisse ; quinque planetas æquabili motu sine ullis inæqualitatibus cursum confecisse ; nihil homini, et vicissim hominem nulli rei nocuisse ; amicitiâ quâdam et sympathiâ universam naturam colligatam fuisse. » Conversionem rerum ex illo statu perfectionis in hanc deteriorem conditionem peccatis hominum iidem philosophi adscribunt. Inter illos celebris auctor Hoai

nantse de secundo cœlo verba faciens scribit : « Columnas cœli confractas, terramque ad fundamenta usque commotam fuisse ; solem, lunam atque sidera cursus mutavisse ; terram compage ruptâ suppositas undas evomuisse, quæ universam terram inundaverunt : harum mutationum et interruptæ harmoniæ causam extitisse hominis adversùs Deum rebellionem. » Philosophi alii multò antiquiores Wentse et Lietse hoc modo eamdem calamitatem describunt : « Terræ universalis fœcunditas in tristem sterilitatem mutata est : elanguerunt herbæ, arbores aruerunt, natura desolata dona sua fundere renuit : inter creaturas omnes orta sunt bella, malaque omnia ac crimina orbem invasêre. » Addit auctor libri qui dicitur Liki : « Hæc omnia contigisse, quia homo divinum sprevit imperium. Voluit de vero et falso curiosiùs disputare, et hæ disputationes rationem supremam fugârunt : res terrestres studiosiùs, quàm par erat, coluit et amavit ; hinc ortæ passiones : gradatim in eas res, quas nimio amore prosequebatur, mutatus est, et à cœlesti ratione desertus. Hæc causa omnium criminum, in quorum pœnam mala inflicta sunt. » — Denique iidem libri memorant aliquando futurum tempus, cùm omnia restituenda erunt per adventum herois, quem Kiuntse, id est, pastorem et regem vocant; quem etiam nuncupare non dubitant sanctissimum, doctorem universalem et supremam veritatem. Quædam etiam apud eosdem de futuris doloribus istius doctoris atque principis leguntur. Vide dissertationem de Mythologiâ paganorum auctore D. de Ramsay. Historiam Sinicam P. du Halde, t. 2.

2° Eadem fermè Indorum omnium theologia fuit, uti constat ex Strabone, qui l. 15, pag. 715, edit. Par. 1620, sic Gymnosophistarum doctrinam exponit : « Olim omnia plena erant triticeæ et hordeaceæ farinæ, ut nunc pulveris : fontes, alii lacte, alii aquâ fluebant ; nonnulli melle, alii vino, quidam oleo. Homines autem ob satietatem ac luxuriam ad contumeliam se transdiderunt. Jupiter igitur illum statum exosus, omnia abolevit, et vitam per laborem degendam instituit. » Quæ verba sic commentatur Casaubonus : « Nemo autem, opinor, dubitabit hæc legens quo ex fonte manârint. Satis enim liquet ex eo esse hæc ficta, quæ nos sacra pagina docet de statu primi parentis ante lapsum : maximè id apparet ex illis verbis : « Vitam per laborem degendam instituit. » Quod quid aliud est, quàm quod ait Jehova apud Moysem : *In sudore frontis tuæ panem tuum comedes?* Sanè constat apud omnes gentes remansisse, quamvis obscuram, antiquissimarum rerum, quæ in sacris litteris continentur, historiam. » Certum quoque est ex sacro illorum libro *Vedam* dicto, et ex litteris missionariorum Braminas vel Brachmanes agnovisse unum supremum Deum, dictum *Parabaravastou*, cujus prima et antiquissima productio erat secundus Deus rerum omnium creator, dictus *Brama* vel *Bruma*, qui habet in administratione mundi alium Deum consortem, nempe *Vischnou*, cui conservandi potestatem concedunt. Præter hos deos alium esse præpotentem, quem *Routren* appellant, instructum potestate rerum commutandarum putant. Hominem ad imaginem Dei à Bramâ factum in *Chorcan*, seu horto omnibus deliciis affluente positum initio et ex primævo felicitatis statu dejectum; eumdem post certas temporum periodos cœlum repetiturum credunt. Vide Abrahamum Roger, de la Religion des Bramines, l. 2, p. 1, c. 1, § 7. Kircher Sina illustrata. Epist. P. Bouchet, t. 9 et 13. Ep. Miss.

3° De Persis audiamus primùm disserentem Huetium, Dem. ev. prop. 4, c. 5 : « Indidem quoque ex libris Moysis prisca fluxit Persarum religio, quam hodiè aliquâ ex parte retinent plerique Persidis incolæ, Arabes etiam nonnulli et qui è Perside in Indiam paulò post Iesdegirdis tempora à Mahumetanis expulsi profugerunt. Quoniam autem jam inde à primis reipublicæ christianæ temporibus Persidem, totumque Orientem pervasit Christi Religio, quæ Mosis Mosaicæque doctrinæ notitiam, partim figmentis his in locis dissimulatam emendavit, partim obsoletam vetustate renovavit, magnâ cautiône prisca veterum Persarum dogmata à recentioribus seponenda et dijudicanda sunt. Nam quòd Deum unicum, æternum, immensum agnoscunt ; quòd mundum à Deo conditum non aliter narrant ac Moyses ; quòd Deum post singulorum dierum opus quietis causâ cessâsse volunt ; quòd primos hominum parentes à Deo esse procreatos, et horum gratiâ facta esse cætera ; Adamo illi, huic Evæ nomen fuisse ; quòd Luciferi perduellionem, et perpetuas adversùs homines insidias prædicant; quòd diluvium et generis humani reparationem fatentur ; quòd Noachum alterum Adamum appellant, magna hæc ex parte debere videntur institutioni et disciplinæ christianæ, in multis licet ab illis adulteratæ. » Esto, quædam ex his à Judæis aut Christianis acceperint : an nulla ex his dogmatibus antiqua? Imo verò

pleraque, uti probat vel hic Plutarchi locus. « Vetustissima, inquit, libro de Iside et Osiride, proinde à sacrarum professoribus rerum et legum latoribus derivata est opinio, fide firmâ et indelebili, non in sermonibus ea tantùm et rumoribus, sed in mysteriis ac sacrificiis, tam barbaris, quàm græcanicis extans: non casu ferri et à fortunâ pendere universum, mente, ratione ac gubernatore destitutum: neque unicam esse rationem, quæ contineat id et dirigat tanquàm clavum aut frena moderans: sed cùm permulta è bonis juxta malisque sint confusa, imò nihil hæc natura sincerum, ut verbo dicam, proferat; non esse unum aliquem promum, qui è duobus doliis res nobis veluti aliquem liquorem, cauponis in morem, distribuat atque misceat; sed è duobus principiis contrariis, adversisque duabus potestatibus, quarum altera ad dexteram et rectè ducat, altera retrorsùm advertat atque reflectat, tum vitam esse mixtam, tum ipsum mundum (si non universum, eum saltem qui ad terram est et lunæ subjacet) inæqualiter ferri, variisque et omnis generis motibus agitari. Si enim nihil absque causâ fit et mali causam bonum non præbet: necesse est in naturâ, ut boni, ita etiam mali ortum peculiarem, suumque principium extare. Atque hæc quidem sententia plerisque et iisdem sapientissimis probatur. » Hactenùs Plutarchus propriam sententiam exposuit, quam fusiùs jamjam explicavimus, ubi de Unitate Dei. Idem sic pergit: « Existimant enim alii, in quâ sententiâ fuit Zoroastres, duos esse deos, quasi contrariis deditos artibus, ut bona alter, alter mala opera conficiat. Alii eum qui est melior, Deum; qui deterior dæmonem dicunt; melioris nomen Oromazem, pejoris Arimanium, perhibuit idem Zoroastres, addiditque hoc enuntiatum: de rebus sub sensum cadentibus, illum maximè similem esse luci, hunc tenebris et ignorationi: medium horum esse Mythram, quæ causa est quòd Mythram Persæ Mesiten, id est, mediatorem seu intermedium nuncupant. Docuitque votivas et pro gratiis agendis oblatas victimas illi immolandas: huic averruncandi mali causâ, institutas et tetricas. Enim verò illi multa quoque de diis fabulosa narrant; Oromazem constare aiunt ex luce purissimâ, Arimanium natum ex caligine: eos bellum inter se gerere: sex deos fecisse Oromazen, primum benevolentiæ, secundum veritatis, tertium æquitatis, reliquos sapientiæ, divitiarum et voluptatis, quæ honesta consequitur: condidisse Arimanium totidem numero his adversa efficientes. Deinde Oromazem sese triplicâsse, et à sole tanto se intervallo removisse, quanto à terrâ sol abest, ac cœlum stellis decorâsse, unamque inter alias tanquàm custodem et speculatorem constituisse Sirium. Alios porrò viginti quatuor deos condidisse et in ovo posuisse; at totidem numero factos ab Arimanio ovum illud perforâsse: hinc mala bonis permixta. Appetere porrò fatale tempus, quo necesse est fame et peste ab his adductâ Arimanium aliquando perdi atque aboleri; terrâque æquabili et planâ factâ, unam vitam, unamque civitatem beatorum, hominum universorum, unâque linguâ utentium fore (1). »

Ex his, in quibus sunt vera mixta fictis, constat 1° Persas agnovisse malignum dæmonem omnis mali inter homines causam, quem dicebant *Ahar Riman*, id est, valdè impurum, vel *Ahar Reiman*, valdè mendacem seu fallacem. Plutarchus per Arimanium intellexit vim maleficam insitam naturaliter in materiâ, quæ omnis inordinati motûs causa sit; Manichæi in istâ æternâ et maleficâ materiâ creatos dæmones omnis mali physici et moralis auctores, docebant; quæ duæ sententiæ expositæ fuerunt supra, ubi de Unitate Dei. At doctissimus vir Thomas Hyde, de Religione veterum Persarum, c. 9 et 22, ex scriptoribus Arabis probat, Persas nequaquàm credidisse Arimanium Deo coæternum: « Magi originales, inquit Sharistani, non existimant expedire, ut ambo sint coæterna ab initio, sed quòd lux sit æterna ab initio, tenebræ verò productæ. » — 2° *Oromazes* (quæ vox juxta varias doctorum interpretationes, quas videre licet apud Wolfium in Manichæismo ante Manichæos, et apud Beausobre, tom. 1, p. 170, significat *fontem luminis*, vel *ignem splendentem*, vel *Deum bonum*), omnium consensu summus Deus est et ingenitus. Porphyrius in Vitâ Pythagoræ scribit: « Pythagoras veritati inprimis studendum docuit, solum enim illud homines Deo similes

(1) Persas olim ipsam corporum resurrectionem admisisse testatur Diogenes Laertius in prooemio, et probat Hyde in Appendice lib. de Rel. vet. Pers. p. 537. Idem nobis exhibuit relationem ad se ex Indis missam, et fidem Persarum veterum declarantem, in quâ hæc leguntur: « Et tunc deinde expectanda est supremi judicii dies, et mundi dissolutio, quando resurrecturi essent omnes mortui et judicio sistendi; et quòd deinde statim justi resurgentes beatificâ Dei visione fruituri essent. » Manichæum ob negatum hoc resurrectionis dogma morte à Persis mulctatum fuisse quidam tradidère.

reddere posse : nam et Deum ipsum, uti ex Magis cognoverat, quem Oromazdem illi vocant, quoad corpus quidem lumini, quoad animam veritati similem esse. » Scilicet veteres Persæ, uti postea Manichæi, existimabant Deum summum inhabitare lucem inaccessibilem. Aliam numinis definitionem, Zoroastri à veteribus attributam, attulimus alibi. 3° Præter Oromazem alius agnitus est à Persis deus, *Mythras* nomine, de cujus vocis significatione dissident multùm eruditi; alii *maximum* interpretantur, ut Scaliger, Vossius, Seldenus, Schedins; alii *amorem* et *benevolentiam*, ita Hydeus; alii *solem*, sic Relandus et Hutchinsonus editor Cyropædiæ. Eubulus qui *Mythræ* historiam et sacra multis voluminibus complexus est, quique propterea satis locuples testis videtur, scripsit *Mythram* Persis mundi creatorem fuisse. « Zoroaster primus omnium, auctore Eubulo, in montibus Persidi vicinis antrum nativum, floridum, fontibus irriguum in honorem *creatoris, patrisque omnium Mythræ* consecravit; ita ut antrum conditi à Mythrâ mundi figuram ei præberet. » Porphyr. l. de Antro nympharum. Plures quoque sunt inscriptiones, quas videre licet apud Ant. Vandale, diss. 9 ad Antiq. et marm. p. 16 hujusmodi : *Deo invicto Mythræ*. Inscribebatur quoque *omnipotens*, ut videre licet apud Gruterum. Thes. inscrip. p. 34, n. 5. — Hujus Dei symbolum erat sol fulgens, imò sic vocabatur : quod videtur Græcos in errorem induxisse, qui non dubitârunt quin sol naturalis à Persis adoratus fuerit. At demonstravit doctissimus Hydeus cultum solis apud Persas relativum fuisse, neque certè alius esse potuit, si Mythras sole designatus fuerit solis et totius mundi creator. Non mirum quòd sol nuncupatus fuerit, cùm is sit mos omnium Orientalium, ut reverentiæ causâ Dei vel regis symbolum vel domum pro Deo vel rege nominent. Ideò Oromazes vocabatur cœlum, ut testantur Herodotus. l. 1, Strabo in Geogr. l. 16. Ideò quoque apud Sinas supremus Deus cœli nomine designatur, et imperator nomine palatii sui. — Hunc eumdem Mythram pingebant Persæ sub formâ herois tauro insidentis, tiarâ Persicâ tecti, gladio cincti, feramque illam bestiam vi subigentis, vel ense conficientis, additis etiam canibus qui taurum simul adorirentur. In nonnullis quoque imaginibus sunt leo, serpens et scorpio. Quarum figurarum variæ allatæ sunt à doctis viris explicationes. Rerum naturalium simulacra fuisse docent Vossius de Idol. l. 9. Martinius de Rel. Gall. l. 2, c. 34, contenduntque virum significare solem, per taurum exhiberi lunam, et totum signum præstantiam solis præ lunâ denotare. At valdè subtilis est hæc explicatio et parùm obvia. Cur solis prà lunâ excellentiam tam diligenter exprimere volebant Persæ? Cur pingebantur serpentes et scorpiones? Alii existimant cum Leibnitzio et Moshemio doctissimo Cudworthi interprete, ideò cum apparatu bellico expressum fuisse Mythram, quòd fuisset olim apud eos clarissimus belli dux. At cur Persarum nulli hæc explicatio in mentem venit? A quibus religionum Persicarum interpretationes accipiemus, potiùs quàm à Persis? At si ex Persarum doctrinâ explicatio petenda sit, nulli dubium esse potest, quin hoc symbolo fuerint designata certamina Mythræ cum Arimanio, et illius in hunc victoria. Propterea etiam in mysteriis Mythræ (de quibus consuli possunt Philippus à Turre in monumentis veteris Antii, Ezechiel Spanhemius ad Juliani Cæsares; Grabius Spicil. Patrum et Hær. sec. 2; Seldenus de diis Syris Syntagm. 1) exhibebatur certaminis quoddam genus. Antrum in quo mysteria peragebantur variis ferarum figuris, leonum, taurorum, aprorum pictum erat : initiandis quoque nomina ferarum imponebantur; imò species sumebant, tecti earum pellibus : « Nostram, inquit Porphyrius de Abstin. lib. 4, c. 16, cum animalibus convenientiam subinnuentes sacerdotes Mythræ, eorum nominibus nos indigitare solebant. » Postea clypeo, loricâ, gladio et hastâ armati consecrabantur. Hæc omnia significâsse videntur certamina, quæ gerere necesse est bonos cum belluinis passionibus et serpentis semine; illudque magnum præsertim certamen Dei mediatoris Mythræ cum impuro et fallaci Arimanio. Ideò etiam hæc mysteria austeriora erant, et qui illis initiari cupiebant, diuturnam probationem et pœnitentiam subire tenebantur: octoginta tormentorum genera vetustus auctor numerat, cujus verba legere licet in Montfauconii diario Italico c. 14. — 4° Tertia erat apud Persas persona divinitatis particeps, dicta Mythra, quæ in imaginibus cum Deo Mythras sæpe conjungitur. Herodotus lib. 1 illam appellat Uraniam seu Venerem cœlestem. De eâ pauca novimus nisi quòd ejus symbolum et quasi domicilium luna, et consequenter ejus imperio speciali res sublunares commissæ fuerint.

Hisce veterum Persarum placitis magnam lucem et confirmationem affert doctrina Ma-

nichæi, quam meliùs habemus exploratam. Omnibus notum est illum hæresiarcham Christi fidem cum Persarum religione composuisse. Hic tres in Deo personas consubstantiales admisit, licet divisas et inæquales : « Nos quidem, inquit Faustus Manichæus apud S. Aug., Patris omnipotentis, et Christi Filii ipsius, et Spiritûs sancti, unum idemque sub triplici appellatione colimus numen. — Manichæus cum Zoroastre Deum definiebat, lucem puram, intelligentem, nullis admixtam tenebris, et ideò immutabilem. » Hæc numinis descriptio communis apud omnes Orientales fuit, omnesque in remotissimo cœlo Deum Patrem collocârunt. — Filius Dei, juxta Manichæum, in sole præsertim habitaculum collocaverat, uti suum habebat apud Persas Deus Mythras : imò utrique dicebant beatorum sedem esse solem. — Spiritum S. in aere collocâsse videntur Manichæi : nam, ait Faustus apud S. Aug., « necnon et Spiritûs sancti, qui est majestas tertia, aeris hunc omnem ambitum sedem fatemur ad diversorium; cujus ex viribus ac spiritali profusione, etc. » In quo videntur differre à Persis, qui Deæ Mythræ lunam assignaverant. Apud hos et illos aer atque luna receptacula erant animarum humanarum, quarum purgationi præsidebat Spiritus sanctus, antequàm in contubernium solis purgatæ admitterentur.

Hanc doctrinam per totum Orientem apud Chaldæos, Phœnices, Ægyptios, Arabas, etc., fusam fuisse ex duplici argumento constat; primò quòd contineatur in illis omnibus libris, qui sub theologorum veterum nominibus editi fuerunt, videlicet in oraculis magicis Chaldaicis, in libris Hermeticis, etc., quæ scripta, quamvis supposita, exhibere creduntur multas partes religionis veterum populorum. Secundò quòd illa eadem doctrina tradita fuerit ab Orpheo, à Pherecyde Syro, à Pythagorâ, à Platone, qui eamdem apud illos populos certissimè hauserant : quorum placita à christianâ doctrinâ non multùm abhorrentia omnibus satis nota sunt. Eamdem etiam apud septentrionales, Asiæ, Europæ populos communem fuisse constat ex aliquibus eorum religionis monumentis, quæ in Edda habemus, et quæ legere licet apud clarissimum historiæ Danicæ scriptorem D. Mallet.

Denique non pauca hujus theologiæ vestigia sunt apud poetas Græcos et Latinos : omnes describunt seculum aureum seu regnum Saturni, uti statum felicitatis, à quo aberant crimina, labores, morbi; huic narrant successisse seculum ferreum, et hominum depravationem omnis mali originem extitisse; canunt seculi aurei restitutionem, quo tempore Astræa in terras reversura est, et secum allatura innocentiam, pacem, abundantiam, omnia quæ ad felicitatem conferunt. Multa quoque habent de heroicis factis filii Jovis, qui relicto Olympo cum hominibus vitam agere non dedignatur. Imò doctissimi viri judicârunt omnes Romanorum et Græcorum majores deos ad tres revocari posse. Hæc solummodò indicamus, quòd satiùs videatur ea non attingere omninò, quàm pro materiæ dignitate diligentiam non afferre.

Multis quidem displicent aliis eruditis viris hæ interpretationes, quòd habeant fixum in animò, omnia gentium numina fuisse homines, quos ob beneficia in cœlum extulerat antiquitas, et in hâc suâ opinione triplici præsertim argumento confirmantur, primò quòd certum sit aliquos gentilium deos homines fuisse, ut erat apud Romanos Quirinus; unde omninò fieri potest ut eadem fuerit omnium origo. Secunda ratio est, quòd genealogias deorum omnium prosecutus olim sit Evehemerus, scriptor ethnicus, eorumque sepulcra monstraverit : quòdque hujus auctoris assertionem confirment in multis partibus historiæ collectæ à Diodoro Siculo et aliis. Tertia ratio est, quòd ex quibusdam veterum scriptorum locis noverimus, edoctos fuisse sacris mysteriis initiatos, universam fermè illam deorum turbam, quam populi levitas, vel legislatorum astutia consecraverat, esse homines mortuos.

Nos verò ex istis principiis universalem conclusionem erui nullo modo posse putamus. Fatemur quidem, et certè omni caret controversiâ, inter deos paganorum classem esse semi-deorum, seu heroum mortuorum, quos hominum fama beneficiorum memor deos fecit. At certissimum quoque est, hos non fuisse apud ullam gentem primos deos; nec priorum et majorum deorum memoriam apud ullam gentem unquàm deletam. In idoneo loco demonstravimus agnitum semper ab omnibus fuisse Deum summum rerum omnium creatorem et moderatorem, dictum apud Persas Oromazem, apud Chaldæos Belum, apud Ægyptios Amoun, apud Græcos et Romanos Jovem optimum maximum, nomine hebraico. Facilè etiam demonstrare possemus, post hunc, secundum deum agnitum fuisse, nequaquàm ex hominibus assumptum, et per solem repræsentatum, qui apud Sinenses vocabatur Kiuntse,

apud Persas Mythras, apud Phœnices Adonis, apud Ægyptios Osiris, apud Germanos Hesus, etc., post hos tertium nequaquàm etiam mortalem, cujus luna symbolum erat, qui est Persarum Mythra, Ægyptiorum Isis, Græcorum et Romanorum cœlestis Venus, Juno, Phœbe, Diana, Ceres, Proserpina, etc., his subjectos fuisse minores superos. Omnis obscuritas quâ pagana theologia involvitur, ex eo nata videtur quòd sæpè veteres ex adulatione suos heroas nominibus deorum decoraverint, et vicissim heroas in sidera translatos donaverint nominibus deorum. Illa tamen ambiguitas evanescet, si minùs ad nomina attenti res nominibus significatas exploremus. Sic editæ sunt innumeræ romanenses fabulæ de Iside et Osiride, natæ verisimiliter ex sacerdotum Ægyptiorum allegoricâ oratione, in quibus eorum bella cum Typhone et casus vitæ mortalis omnes narrabantur : num ideò minùs certum est, in verâ Ægyptiorum et vetustissimâ theologiâ per Osiridem solem significatum fuisse, aut Deum in sole inhabitantem, quod illi ipsi testantur omnes, qui nobis de Osiride fabulas prædictas retulerunt? — 2° Minor sine dubio est auctoritas Evehemeri, damnati impietatis ab omnibus inter paganos viris religiosis, et severiùs castigati à Plutarcho, quàm ut in ejus verba juremus. Profectò tam parùm certæ sunt hæ deorum prætensæ genealogiæ, ut inter tot viros doctissimos, qui maximum ingenii acumen et incredibilem eruditionis copiam ad explicandam mythologiam paganam juxta Evehemeri principia contulerunt, non duo sint qui secum concordent. Ille in uno Moyse omnes deos videt, alius ad Abrahami familiam omnes revocat, alii ex historiâ saltem Judaicâ omnes derivandos docent; dùm alii Ægyptios cæteris gentibus, alii Phœnices, deos dedisse contendunt. Alii proprios deos quemque populum habuisse censent, et ab aliis gentibus nomina tantùm mutuatum. Contra hos omnes pugnant Stoici, politicæ superiorum mythologiæ physiologicam opponentes, et omnes deos in rebus naturalibus quærentes. Usque adeò tota hæc res incerta, et vani doctissimorum hominum labores visi sunt scriptori libri, qui inscribitur Cœli historia, ut novam viam ingredi posse se existimaverit, quam contra omnem veritatem valdè ingeniosè prosecutus est. Hic autem deorum turbam deducens ex quibusdam signis in Ægypto positis, quibus agricolæ monerentur de sementis et inundationis Nili tempore, aliisque rebus ad agriculturam spectantibus, docuit nos quàm parùm fidendum sit vocum etymologiis. — 3° Tandem fatemur in mysteriis Græcis initiatos edoctos fuisse, ex illis diis, quibus plebs vota faciebat, multos fuisse homines mortuos, quod certè verum erat. Num ideò apud Persas in mysteriis Mythriacis institutis à Zoroastre moniti fuerunt Persæ Oromazem et Mythram demortuos homines fuisse? An Samothraces in suis mysteriis discebant tres deos Cabiros, seu potentes, très è suis majoribus fuisse? An in mysteriis institutis à Pythagorâ docebantur homines tria rerum omnium principia (ingenitam unitatem et bonitatem, mentem seu sapientiam creatricem, et spiritum vivificantem) mortalia aliquando fuisse? Constat certè ex philosophis, qui hisce mysteriis initiati fuerunt, et qui universam eorum rationem intelligebant, Mystas ab Evehemeri sententiâ, tanquàm ab inexpiabili blasphemiâ, abhorruisse; quod ex uno Apuleio satis liquet, qui Metam. lib. 11 deam Isidem introducit ad se verba facientem : « En adsum tuis commota, Luci, precibus, rerum natura parens, elementorum omnium domina, seculorum progenies initialis, summa numinum, regina manium, prima cœlitum, deorum dearumque facies uniformis; quæ cœli luminosa culmina, maris salubria flamina, inferorum deplorata silentia nutibus meis dispenso. Cujus numen unicum, multiformi specie, ritu vario, nomine multijugo totus veneratur orbis. Me primigenii Phryges Pessinunticam nominant deùm matrem; hinc Autochthones Attici Cecropiam Minervam; hinc fluctuantes Cyprii patriam Venerem; Cretes sagittiferi Dictynnam Dianam; Siculi trilingues, Stygiam Proserpinam; Eleusinii vetustam deam Cererem; Junonem alii, alii Bellonam, alii Hecaten, Ramnusiam alii.... Ægyptii cæremoniis me prorsùs propriis percolentes appellant verò nomine Isidem (1). »

(1) Istud auctoris nostri systema, primo intuitu, cum reprobando systemate viri nimis famosi analogiâ videtur laborare. Verùmtamen quantùm ab illo distet neminem latebit attentum. Equidem opinionis erroneæ, quidem præsertim exhibet *censura Tolosana* in sexdecim primis propositionibus, id evincere conatur patronus, scilicet sanctas traditiones primitivas apud populos integras quoad fidem perseverâsse, adeo ut symbolum christianum penè identicum cum gentilitio existeret : è contra doctissimus Hook primùm contendit eas traditiones per patriarchas, deinde per Judaicam gentem, Mosaicæ ope revelationis, usque ad Christum pervenisse incorruptas; quod quidem et ipsi astruunt Bossuet (*Discours*

Quæstiones subsidiariæ.

Confutatio religionum à christianâ discrepantium.

Cùm demonstratio veri in se contineat erroris confutationem, contra religiones à christianâ discrepantes disserere minùs necessarium videri poterit post tam longam et luculentam fidei christianæ confirmationem : attamen quia omnes adversarii, Judæi, pagani, Mahumetani, proprios quosdam errores habent et peculiaria quædam argumenta quæ nobis solent opponere, ad perfectum hujus tractatûs complementum pertinet, specialem cum iis disputationem instituere, præsertim cùm id sit in more positum apud plerosque qui in hâc materiâ ante nos versati sunt.

CAPUT PRIMUM.

CONTRA JUDÆOS.

Multùm solent gloriari Judæi, quòd religio sua in traditione certâ et securâ magis posita sit, quàm esse potest nostra fides : majorem etiam habere confirmationem ex miraculis, aliisque argumentis divinæ originis. Hanc eorum assertionem ad examen revocare animus est, non certè ad minuendam vim rationum quibus nititur veritas religionis judaicæ, sed ut ex comparatione fundamentorum veteris et novæ legis magis eniteat hujus excellentia, et intelligatur quanta sit Judæorum pervicacia, dùm Religionem nostram aspernantur, licet ex omni parte magis confirmatam illis argumentis quibus suam divinam esse conficiunt.

sur l'Hist. univ.), Bergier (*Introduction au traité de la vraie Rel.*), vel omnes theologi, ac præsertim ii qui pro illâ stant opinione, nempe objectum fidei materiale non crevisse per additionem novi dogmatis, sed tantùm per explanationem primitivæ revelationis seu evolutionem, etiam ab Adam usque ad tempora Christi inclusivè. Deinde quod spectat ad gentiles, idem noster theologus eam ut probabiliorem opinionem propugnat, nimirùm *antiquissimas omnium populorum religiones cum patriarchali et judaicâ consentire, et quædam obscura hujus vestigia in omnium gentium theologiâ et ritibus sanis deprehendi.* Porrò id videtur clarè consequi ex illo facto quod revelatione constat simul et historiâ, dogmata scilicet divina Adamo tradita fuisse suis omnibus posteris transmittenda, ac proinde primitivam hominum religionem veram ac sanctam fuisse. Neque enim credendum eas genuinas traditiones adeò repente corruptas esse atque obliteratas, ut in ipsis erroribus nullæ cum antiquâ fide analogiæ remansissent; præsertim cùm ex Scripturâ sacrâ ediscamus aliquos inter gentiles, multis jam à diluvio elapsis temporibus, veram fidem moresque sanctos servavisse. Atverò deperdita dogmata quædam, cæterorum corruptio, nihil impediunt quin etiam avitæ fidei vestigia adumbrata, imò cæcutientibus ipsis hominibus occultata perseveraverint. Hæc consentiunt cum doctrinâ Bergier, in opere mox laudato (1re part. ch. 1, art. 11), atque theologorum, ut Bailly, etc., qui contendunt vestigia non pauca notitiæ veri Numinis apud gentes falsis cultibus addictas substitisse; consentiunt etiam cum generali opinione apud priorum seculorum Christianos ab idololatriâ plerosque revocatos vulgatâ, qui ethnicis novitatem evangelicæ religionis objicientibus, se non mutâsse fidem respondebant, sed ad pristinam rediisse; cujus rei illustre habetur monumentum apud Eusebium in Decreto Constantini Magni ad provincias orientales, contra errorem multiplicis deorum cultûs. Sic enim Deum ipsum piissimus imperator alloquitur : « Quod verò ad hoc nostræ religionis institutum attinet, non novum aut inauditum esse credimus; sed te (Deum) ex eo tempore, quo hæc universorum fabrica firmè coagmentata fuit, idem ipsum cum tuo venerando cultu observandum præcepisse. Cæterùm humanum genus hallucinatum est, variis errorum opinionibus à veritate abductum ; at tu per Filium tuum, ut perversitas illa non in dies magis magisque ingravesceret, puro lumine porrecto, omnes in tuî memoriam revocâsti. » Euseb. de Vitâ Constantini, cap. 56. — Denique id supernotandum est, ad quod non satis attendit auctor systematis damnati, de quo supra, neque plures ex ejus asseclis, magnum videlicet discrimen esse inter philosophum vel theologum christianum primitivas lumine evangelico collustratas traditiones investigantem, et ethnicum, circumfusis undequàque erroribus quasi immersum, de iisdem omnimodè deformatis vix cogitantem. Hinc facili negotio, cùm plenam possideamus veritatem, ejus intelligimus vestigia apud idololatras qui eadem haud scientes asservabant, adeò ut philosophus christianus quandoque cum D. Paulo, in aliquo sensu, dicere posset, *se illis annuntiare, quod ignorantes colunt.* Hallucinantur ergo ii recentes philosophi qui ex nostris de antiquitatis ritibus et symbolis conclusionibus profecti, easdem ferè polytheistis quàm Christianis de traditionibus primitivis attribuunt notiones. P.-S

PROPOSITIO PRIMA. — *Apud Judæos non est constans et certa magis traditio quàm apud Christianos.*

PROBATIO. — Duplici ad confirmandam suam opinionem usi sunt Judæi doctores argumento. Primum est, quòd Judæorum traditio à parentibus ad filios derivata semper fuerit in eâdem familiâ, in quâ non solùm amor veri, sed erga prolem naturalis propensio excitabat quamque generationem ad rectam posterorum institutionem; et apud quam, propter separationem ab omnibus aliis populis, nullus errori locus fuit. Secundum argumentum est, quòd sicut in lege Mosaicâ sæpè et graviter injunctum est ut Judæi filios suos religionem docerent, ita reipsà majorem curam et diligentiam adhibuerint in servandis Dei oraculis, quàm quævis alia societas hominum. Atqui vanum est utrumque fundamentum.

Primum quidem vanum est, ob duplicem causam : inprimis quia traditio christiana non minùs quàm judaica, à parentibus in filios derivata est in societate æquè visibili, æquè à cæteris societatibus propriis moribus et institutis separatâ. Parentes nostri qui ab Apostolis volumina sacra acceperunt, longè numero plures erant quàm Israelitæ tempore Moysis, et ex illo tempore fuit novum Testamentum fidei christianæ fundamentum et judiciorum omnium norma : universus fermè orbis in Ecclesiam Christi adunatus filios in cultu et veneratione illorum librorum educavit. Præterea multò majorem observantiam erga suos libros sacros testati sunt ab initio Christiani, quàm Judæi erga libros Moysis : nam hi, quâcumque datâ occasione, legem suam contempsêre, et ad vicinarum gentium instituta mores suos accommodare voluerunt : cùm in societate christianâ ingens multitudo pro defensione sacrorum voluminum vitam profuderint, omnes fuerint ad projiciendam semper parati. Deinde vanum est etiam illud primum Judæorum argumentum ob hanc alteram causam , quòd reverà traditionis alicujus vis non in eo posita sit, quòd derivata fuerit à parentibus in filios, sed quòd in communi potiùs hominum sensu sita sit ; in testimonio hominum quatenùs homines sunt, non in testimonio hominum quatenùs ad hanc aut alteram communitatem pertinent : in fide hominum quatenùs aguntur principiis toti generi humano communibus, non verò in fide hominum quatenùs aguntur principiis societati alicui propriis. Atqui hoc posito tantò major est auctoritas traditionis christianæ, quantò omnium gentium testimonium majoris ponderis est, quàm testimonium unius gentis. Si in unâ natione à cæteris separatâ civilibus et religiosis institutis, qualis erat civitas judaica, ubi conjunctæ sunt omnium membrorum utilitates, fraudis oriri nulla possit suspicio , nec nationalis corruptio morum possit unquàm obscurare veritatem ; certè multò minùs hoc contingere potest in societate ex omnibus populis compositâ, ubi infinitè major est testium numerus, et ubi testes nullis sunt conjuncti communibus commodis ; ubi varii sunt moribus et ingenio ; ubi diversas habent civiles leges : quia intelligitur à populis tam disjunctis nullum potuisse iniri ad mutandas res commune consilium.

Secundum etiam argumentum Judæorum, ductum ex majori curâ et diligentiâ Judæorum quàm Christianorum, vanissimum quoque est. Nam reverà longè magis librorum suorum curam habuêre Christiani , quàm Judæi ; ut utriusque gentis annales demonstrant. Præterea nulla habemus scripta antiquorum Judæorum præter canonicas Scripturas, ex quibus argumentum arcessere liceat ad firmandam earum auctoritatem ; apud Christianos extitêre ab initio viri docti, qui fidem in Evangelio contentam defenderunt et ipsorum Evangeliorum auctoritatem adversùs hæreticos tuiti sunt. Ipsi etiam hæretici, quorum alii libros nostros probaverunt, alii rejecerunt, quamvis ab Apostolis scriptos agnoscerent, librorum authenticitati dant testimonium, cujus gravissima est auctoritas. Fuit etiam Evangelium in omnes sermones ab initio translatum : mansit autem Pentateuchus diù ignotus aliis omnibus gentibus.

PROPOSITIO II. — *Miracula Christi cum majori vi et auctoritate conficiunt divinam ejus legationem, quàm miracula Moysis illum legislatorem à Deo missum demonstrant.*

PROBATIO. — Judæi solent Moysem super omnes alios Prophetas extollere ob duplicem præcipuè causam, nempe ob miraculorum multitudinem et ob eorumdem præcellentiam. Atqui Christus Moysem tantùm superavit, tum miraculorum multitudine, tum præcellentiâ, quantùm ille legislator enituit inter alios Prophetas.

I. Miraculorum multitudine Christus Moysem superavit. Judæi quippe, etsi in recensendis Moysis miraculis magnâ usi sint industriâ, atque

ad augendum numerum omnia divinæ providentiæ argumenta in ejus ortu atque morte, ac singulas Ægypti plagas bis numeraverint, propterea quòd in illis emicuerit Dei in Ægyptios ultio, et eodem tempore ejus favor in Israelitas, qui illas plagas non sunt experti, tamen plus quàm septuaginta sex nullâ arte invenire potuerunt. Atqui multò plura narrantur in Evangelio patrata à Christo : et negant Evangelistæ à se omnia descripta esse aut potuisse describi : adeòque Judæos, qui expectabant in Messiâ prophetam Moyse præstantiorem, commovit ista miraculorum multitudo, ut dicerent : *Christus cùm venerit, numquid plura signa faciet ?*

2° Christus Moysem superavit miraculorum præcellentiâ. Judæi doctores asserunt Moysis miracula præcellere miraculis cujuscumque alterius prophetæ in his tribus : in potestatis amplitudine, in publicâ manifestatione istius potestatis, et in eâ, cum quâ agere solebat, auctoritate. Atqui propter easdem causas præstant miracula Christi miraculis Moysis.

Certè amplitudine potestatis Moysem vicit Christus. Nam nulla fermè creatura est, quæ ad ejus manifestandam majestatem symbolum suum non contulit : angelus nativitatem prænuntiavit; lætis cantibus angelorum ejus ortus celebratus est; angelorum curâ servata est infantis vita et vestigia parentum gubernata sunt; angeli sæpè astiterunt obsequiosi, in deserto, in horto cùm in agoniâ esset, ad ejus sepulcrum, et cùm ascenderet in cœlum. Quorsùm tam frequentes apud ipsum fuerunt angeli; nisi ut ostenderetur de ipso scriptum esse : *Et adorent eum omnes angeli Dei?* Deinde si magna accesserit Moysi auctoritas ex nube illâ lucidâ, ex quâ oracula dabat Deus, Moysisque libero ad Deum accessu : non minor certè accessit mediatori novi Testamenti ex singulari illâ stellâ, quâ excitati Magi ad quærendum Christum et ad ejus locum perducti sunt; ex descensu Spiritûs sancti sub specie columbæ dùm baptizaretur, atque illâ voce cœlitùs delapsâ : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Quæ proportio est inter lucem illam, quâ in monte Thabor circumdatus Christus apparuit, et splendorem faciei Moysis? Quid in morte et ad sepulcrum Moysis contigit, quod cum eis quæ in morte et post mortem Christi contigêre, comparari possit? Velum templi scissum est, rupes disruptæ, aperta sepulcra; sol præter naturæ leges obscuratus; Christi resurrectio, ejus in cœlos ascensio, sui imperii in effusione Spiritûs sancti manifestatio ; hæc omnia efficiunt tantò Christum Moyse superiorem, quantò Deus mortali.

Præterea animadvertendum est miracula Moysis multùm etiam cessisse miraculis Christi, quòd illa ad terrorem composita fuerant, et potentiam magis divinam patefacerent quàm bonitatem : è contrario miracula Christi nulli damnum intulerunt, sed conducebant semper ad solamen miserorum, sustentationem pauperum, salutem periclitantium. Reddebat mutis loquelam, surdis auditum, cæcis visum, dementibus sanam mentem, infirmis bonam valetudinem, mortuis vitam. Miracula nulla reperies, nisi benignitatis et amoris et beneficentiæ, quæ dùm movent admirationem, conciliant animos. Talia certè prodigia divinæ naturæ longè clariores ferunt notas, quàm illa terrifica signa, in quibus omnia fuêre terrore plena, quæque tristissimas tragœdias ob oculos ponebant.

Quod publicitatem miraculorum attinet, fatemur summam esse ex hâc parte prodigiorum Mosaicorum auctoritatem, quia illa patrata fuêre omnibus intuentibus Israelitis, et coràm infensissimis hostibus. At neque Christi miracula in angulo edita fuerunt; etsi non habuerit semper parem testium numerum ac Moyses, nunquàm defuit tamen numerus sufficiens ad eorum veritatem confirmandam. Arripuit quidem Christus omnem opportunitatem hanc suam potestatem exercendi, et continuè Judæam perambulabat benefaciens : quatuor hominum millia paucis panibus satiavit, et aliàs eamdem vim divinam senserunt quinque hominum millia, præter mulieres et pueros. Adeò constabat in omnibus Judææ civitatibus atque vicis Christi potestas, ut ex omni loco ad eum deferrent lunaticos, dæmoniacos, paralyticos, et quibusvis afflictos morbis. Plura miracula edita sunt in ipsis synagogis, diebus sabbati, in oculis universæ civitatis; plura in maximis festivitatibus Jerosolymis, cùm illùc omnis esset natio congregata. Aderant plerisque scribæ et pharisæi, Christi infestissimi inimici; quibus neque animus defuit minuendi Christi auctoritatem, si fraudem detegere potuissent; neque sagacitas ad fraudem detegendam, si illâ usus Christus fuisset : convicti rerum evidentiâ eò redacti sunt, ut dicerent splendidissima et plena benignitatis miracula à dæmonibus profecta esse.

Denique si spectemus illum ultimum charac-

terem, quo juxta Judæos doctores Moyses superavit alios Prophetas, scilicet auctoritatem illam cum quâ prodigia patrabat, in nullâ re tantùm ei antecelluisse Christum deprehendemus. Plura quippe Moysi attributa miracula edita sunt à Deo, Moyse non certiore facto; omnium, Deo jubente, minister fuit, neque ullum tentâsse legimus, nisi post acceptum speciale Dei mandatum : et nullo modo effici potest miraculorum potestatem Moysi inhærentem fuisse. At verò Christus cum eâ auctoritate et libertate egit, quasi propriâ et sibi naturali potentiâ ageret; verbo visum cæcis, surdis auditum, mortuis vitam, peccatoribus remissionem peccatorum donabat : sed sine dubio hæc Christi singularis virtus præsertim enituit in ejusdem potestatis communicatione; qùum juxta promissum suum effecit, ut illi qui in eum crediderunt, facerent eadem opera et majora etiam quàm quæ ipse faciebat : in hâc parte certè parem nunquàm habuit.

Propositio III. — *Divina Christi legatio majori vi efficitur ex vaticiniis Prophetarum et suis, quàm Moysis ex vaticiniis Patriarcharum, aut iis quæ edidit ille legislator.*

Probatio. — Nam Patriarchis revelatus est solummodò generatim ille eventus cujus minister extitit Moyses, et tempus liberationis ab Ægyptiacâ servitute : nihil de personâ Moysis ejusque characteribus prænuntiatum fuit : ex aliâ parte non tantùm illa rerum conversio, cujus auctor Christus fuit, vocatio scilicet gentium, ejusque eventûs tempus fuerunt prænuntiata, sed omnes Christi notæ, stirps, patria, nomen, mores, dignitates, studia, negotia, acta, casus vitæ universi, mors, ipsumque mortis genus, sepultura, et quæ mortem consecuta sunt, mirabilis ad vitam reditus, etc. Sic etiam Christi divina legatio certior est propter vaticinia in novo Testamento contenta, quàm Moysis propter ea, quæ edita olim ab eo legimus in Pentateucho : plura siquidem edidit Christus, eaque magis contra omnem spem et expectationem sunt adimpleta : quod perspectum habebit, qui utraque contulerit.

Propositio IV. — *Si Christi atque Moysis spectemus habitum externum, et quas præ se ferebant virtutes, major erit Christi quam Moysis auctoritas.*

Probatio. — Nam tantò major est auctoritas Christi quàm Moysis, quantò ille abfuit magis à voluntate atque facultate fallendi. Atqui inprimis Christus magis abfuit à voluntate fallendi, quàm Moyses (quamvis in hunc nulla cadere possit suspicio) ob multiplicem causam. 1° Quia omni virtutum genere superior erat Christus : major enituit in eo pietas adversùs Deum atque in ejus providentiâ fiducia. Majores sustinuit pro conversione generis humani labores; imò non dubitavit, quod certè charitatis cumulus est, pro salute hominum vitam pacisci. Major fuit in eo vitæ sanctitas, nullo unquàm temerata peccato, ita ut omnibus qui ejus usi sunt familiaritate, extra hominum conditionem positus censeretur. In perferendis molestiis et acerbissimis cruciatibus constantiam et fortitudinem ostendit, quam Moyses non æquiparavit. Uno verbo in ejus vitâ omnium virtutum tam perfectum habemus exemplar, ut perfectius nequaquàm possimus cogitatione consequi. 2° Quia longiùs ab omni fraudis suspicione Christum removet doctrina divinior, à rebus terrenis avocans animos et ad res cœlestes transferens; cùm Moyses suos cives multùm excitaverit commodis temporalibus ad obedientiam, deterruerit à scelere comminatione pœnarum temporalium. 3° Minor est in vitâ Christi fraudis suspicio, propterea quòd nulla ei ex istâ fraude fuerit spes emolumenti : bona sua erga homines officia sciebat nihil sibi allatura præter magnatum odia et ignominiosam mortem. Moyses verò in aliis positus erat circumstantiis : sua apud Judæos divina legatio fecit principem gentis, et dedit habenas reipublicæ.

Secundò. Minor erat in Christo quàm in Moyse fallendi facultas, quamvis reverà in neutro fuerit, ob multiplicem quoque causam. Nam 1° multùm differebant Moysis dotes à dotibus discipulorum Christi, aut etiam legislatoris Hebræi ab infantiâ institutio alia erat ab institutione Christi. Moyses in aulâ Pharaonis educatus, omni sapientiâ Ægyptiorum instructus, ad rempublicam judaicam capescendam accessit : Christus verò et Apostoli ejus in humili et sordidâ vitæ conditione educati, homines erant sine scientiâ et arte naturaliter acquisitis, qui caruissent ad fraudem faciendam ingenio, si in illam fuissent propensi. Si non intelligamus quomodò astutus et veterator aliquis adducere possit homines ad credenda facta in quibus ponitur utraque religio, longè difficiliùs cogitamus quomodò possit is fidem invenire, qui nec fraudis consilium potuit propter imperitiam inire. 2° Minora habebat Christus quàm Moyses fraudis adminicula. Magna esse debebat

Moysis apud suos auctoritas, cùm populum solvisset ex durissimâ captivitate et per quadraginta annos sapientissimè rexisset : experimur, scilicet, pronos esse homines ad dandam fidem viris præclaris, ubi de illis sunt benè meriti, gloriamque in publicâ administratione comparaverunt. Præterea multa alia habent imperatores in opibus et potentiâ fraudis adjumenta. Christus verò semper humilis fuit, invisus magnatibus dùm viveret, contumeliis et morte ab iis affectus est et post mortem deceptor habitus. Longè igitur minor est suspicio Christum fraudem tentâsse, aut Christianos dedisse fidem Christo, illius adductos auctoritate, quàm quòd fraudem tentaverit Moyses, et ejus artibus se deludi passi sint Judæi. 3° Accedit non levis auctoritas Christo ex eo quòd suam Religionem tunc vulgaverit, cùm artes et scientiæ maximè florerent, et in illâ oculatissimâ ætate fidem invenerit non tantùm apud suos, sed etiam apud extraneos : at in Moysis ætate non adeò erant homines exculti, et tam remota etiam est illius legislatoris antiquitas, ut historia quam reliquit, careat fermè omni confirmatione ab exteris scriptoribus.

Propositio V. — *Enituit magis divina Christi virtus in Evangelio propagando et in tuendâ Ecclesiâ christianâ, quàm fuerat conspicua Dei providentia in conservatione reipublicæ Judaicæ.*

Hæc propositio jam confecta est fusè hujus voluminis columnâ 224 et sequentibus.

Propositio VI.—*Lex christiana in omnibus suis partibus perfectior est lege Mosaicâ, pluresque habet notas internas divinæ originis.*

Probatio. — Inprimis magis explicatè evolvuntur omnia officia vitæ et Religionis, et principia in quibus fundantur. Enituit in veteri lege singularis Dei in populum Israel, quem sibi peculium fecerat, indulgentia : in novâ elucet ejus in omnes homines effusa et verè paterna charitas, atque in hâc novâ et illustriora habemus gratitudinis et amoris incentiva.

Sic etiam lex de diligendo proximo non tam enucleatè in veteri lege complectebatur omnes extraneos, inimicos et persecutores : ac propterea à doctoribus Judæorum ad solos Israelitas malè restringebatur et tunc etiam restringitur; quasi verò ipsis multa liceant in extraneos omnes, quæ in fratres suos non debent admittere. Ideò Christus ad eos dicebat : *Audistis quia dictum est antiquis : Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum.* Atverò in Christo, *non est gentilis et Judæus, circumcisio et præputium, barbarus et Scytha, servus et liber; sed omnia in omnibus Christus.* Coloss. 3, 11. Hinc Evangelium magis avocat ab omni iracundiâ et contumelioso sermone : *Audîstis quia dictum est antiquis : Non occides; qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri suo, Raca, reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis.* Clariùs damnat Evangelium omnem spiritum vindictæ : *Audîstis quia dictum est : Oculum pro oculo, dentem pro dente. Ego autem dico vobis, non resistere malo;* scilicet animi irati explendi causâ, et nisi amor Dei vel proximi id à te impetraverit. Omnem quoque malam concupiscentiam expressiùs condemnat Evangelium : *Audîstis quia dictum est antiquis : Non mœchaberis; ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Tandem Evangelium meliùs providit naturali conjugum æqualitati per polygamiæ et divortii abolitionem.

Verùm in nullâ parte præstat magis doctrina Christi, quàm in sanctissimis præceptis de passionum temperatione, rerum temporalium contemptu et suî ipsius abnegatione : quæ omnia cum eâdem perspicuitate exposita frustra quæres in lege Mosaicâ. Adde denique ea quæ articulo quarto attulimus in commendationem ethices christianæ ; absolutum in Christo omnium virtutum exemplar, quod imitemur; vitæ futuræ præmia atque pœnas clariùs expositas ac cum majori auctoritate confirmatas, seu motiva spei multò potentiora quàm in lege; denique omnem pietatem in clariori divinæ naturæ, conditionisque humanæ notitiâ positam : hæc certè omnia Evangelium supra legem quàm longissimè efferunt. Tandem intelligitur Religionem christianam sibi vindicare illam omnem auctoritatem, quam habent religio patriarchalis et judaica, propter illam inter omnes analogiam quam ultimo articulo exposuimus. At quoniam reverà est illa probatio omnibus dispensationibus divinis ab origine mundi communis, tantùmque lucis quodammodò repercussæ recipiunt antiquiores ex dispensatione christianâ, quantùm hæc ex illis habet lucis directæ : idcircò hâc probatione ad extollendam Evangelii supra alias evidentiam non abutemur; monebimus solummodò, Judæis hanc analogiam non admittentibus tantùm lucis, quæ nobis suppetit, interire.

CAPUT II.

CONTRA PAGANOS.

Paucis observationibus hanc adversùs paganos disputationem absolvemus; idque magis ut intelligatur Religionis christianæ præstantia et salutares ejus effectus, quàm ut arguatur majorum nostrorum incredibilis vanitas, pueris omnibus satis cognita.

Novitas paganæ superstitionis. — I. Christiana Religio habet antiquitatis mundo æqualis singularem prærogativam: illius annalibus continentur, non modò civitatum et imperiorum origines, sed et ipsius generis humani rerumque omnium natales. At religiones omnes paganæ, quâ parte differunt à verâ, novæ sunt. Nota sunt Sinis idololatricorum cultuum apud eos exordia. Cognitæ Romanis, Græcis et Ægyptiis fuêre suarum fermè omnium superstitionum origines; quibus auctoribus, quo tempore, quâ occasione fuerunt constitutæ: imò deorum etiam majorum (quatenùs hoc nomine designabantur alii à Deo vero, æterno, immenso, primâ rerum omnium causâ) ætatem figere et sepulcra demonstrare posse se putârunt Evehemerus, Varro, aliique in gentium antiquitatibus versati. Atqui quamvis hoc fieri nequiret, nullus esset de antiquitate gloriandi locus, cùm omnium fermè eventuum ante Trojanum bellum memoria apud omnes populos, præter Hebræos, jam deleta fuerit tempore Varronis. Vide Arnobium adversùs gentes, lib. 2.

Varietas et inconstantia. — II. Habet Religio christiana auctoritatem summam ex scriptorum et antistitum suorum perpetuâ successione et consensione. Quamvis elapsa sint ab origine mundi ad ætatem nostram sex ferè millia annorum, tamen ponimus omnem nostram Religionem in iis eventibus, quos tunc contigisse legimus et in promissionibus divinis factis primis parentibus. Agnoscimus in Religione parentes Adamum, Noachum, Abrahamum, Moysem, omnemque Prophetarum successionem; ex quorum omnium traditionibus et scriptis summa doctrinæ christianæ effloruit, sic cohærens in omnibus, ut partes sibi invicem lucem præbeant, neque ulla possit ab aliis divelli. Pagana autem superstitio varia pro varietate locorum extitit. Unaquæque regio, vel etiam urbs, suos locales et gentilitios deos, ritusque peculiares habuit, quos etiam variis temporibus mutavit, ita ut neque in theologiâ, neque in cultu publico ulla fuerit Ægyptiorum, Phœnicum, Persarum, Græcorum, Romanorum, Germanorum, aliorumve conjunctio et societas, quamvis sese mutuò omnes fermè tolerarent.

Defectus promulgationis. — III. Magna accessit auctoritas Religioni christianæ ex repetitâ ab origine mundi solemni promulgatione. Nam præter particulares revelationes factas sanctissimis viris, habemus in nostris annalibus dispensationes generaliores, quales erant illæ factæ in origine mundi primis parentibus; deinde Noacho in mundi instauratione; tum Abrahamo, Isaaco et Jacobo, in electione gentis Israeliticæ: sed præsertim promulgatio facta per Moysis et Christi Domini ministerium. Hæ omnes revelationes libris authenticis commissæ populo Dei per certam et securam traditionem semper innotuerunt. Pagana superstitio apud nullam gentem unquàm promulgata fuit. Dii nunquàm cultoribus suis solemni ratione præcepta, de colendis astris, aut idolis, aut diis manibus et heroibus, aut animalibus, dederunt. Nunquàm extitit codex sacer communis, quo consignata fuerunt sacra à Diis promulgata et immutabilia. Sed omnes cultûs ethnici partes, aut vulgi levitate, aut artibus principum et sacerdotum introducti primùm, ex iisdem causis postea ceperunt incrementa.

Paganismus in theologiâ absurdus, in ritibus impurus, in fructibus bonis sterilis. — IV. Religio christiana ab origine mundi conjunxit semper sanctissimam morum disciplinam et honorificentissimum numinis cultum cum sapientissimâ theologiâ. In eâ omnia semper plena majestatis fuêre et apta ad erigendos animos, eosdemque ad omnem virtutem fingendos. Fuêre semper inter ejus asseclas viri virtutibus conspicui, qui omnem vitam in regno Dei promovendo et hominibus à vitiis avocandis consumpserunt. Paganorum religio, et in theologiâ absurda, et in ritibus impura, et in fructibus bonis sterilis fuit.

1° Theologia, seu potiùs mythologia, vana et ridicula fuit. Inprimis in deorum multitudine. Chaldæi duodecim majores deos pro mensium numero colebant, teste Diodoro Sic. lib. 1. Orpheus 365, pro numero dierum unius anni venerabatur, teste Theophilo ad Autol. lib. 3. Varro 300 Joves recensuit. Hesiodus Op. et Dier. v. 250, dicit 30,000 in aere volitare, nisi hoc numero indefinitam multitudinem significaverit. Apud Mexicanos 2,000 erant in honore. Uno verbo apud ethnicos diis plena omnia erant, sidera, aer, aqua, terra, mare, fluvii,

nemora, etc. Hujus multiplicitatis allegoricam rationem reddere conati sunt Stoici : at hæ explicationes, teste Dion. Halic. l. 2, paucis placuerunt; tamque parùm erant convenientes, ut Zeno, Cleanthes, Chrysippus et alii, teste Plutarcho, serii non viderentur. Videri possunt Cicero de Nat. deor. lib. 3, Arnobius, Lactantius, Minutius Felix, et S. Aug. de Civ. Dei, lib. 6. Secundò, in deorum officiis, quæ tam viliter minutatimque concisa erant, ut scurrilitati mimicæ magis quàm divinæ consonarent dignitati. V. g., in tuendis muliere parturiente et ejus partu occupabantur innumeri. Diespiter partum perducebat ad diem. Lucina à parturientibus invocabatur. Opis opem ferebat nascentibus, et sinu terræ excipiebat. Vaticanus in vagitu os aperiebat. Levana levabat de terrà. Cunina cunas tuebatur. Rumina mammam parvulo immulgebat, quia rumam dicebant veteres mammam. Potina potum ministrabat. Educa escam præbebat, etc. Vide S. Aug. de Civ. Dei. l. 4 et 6. Arnob. contra gentes. Tertiò, in deorum perversis moribus. Ebriosus Bacchus, mulierosus Hercules, impius in fratrem Romulus, in patrem Jupiter. Hephæstion et Antinous, quorum nota turpissima vita, sua templa, sacrificia, sacerdotes, imò oracula habuerunt.

Hinc religio apud ethnicos, nedùm à vitiis avocaret, addebat iisdem commendationem : « Deos suos, quos venerantur, imitantur; fiunt « miseris et religiosa delicta, » ait S. Cyprianus. Hinc Varro necesse duxit theologiam in tria genera dividere. Fabulare, quo utuntur poetæ, et quod comparatum erat ad theatrum; physicum, quo philosophi, et quod accommodatum erat ad mundum; et civile, quo populi, et accommodatum ad urbem. Fatetur in fabulari multa contra dignitatem et naturam immortalium ficta. In hoc genere est, ut Deus alius ex capite, alius ex femore sit, alius ex guttis sanguinis natus : in hoc, ut dii furati sint, ut adulteraverint, ut servierint homini. Denique in hoc omnia diis attribuuntur, quæ non modò in hominem, sed etiam quæ in contemptissimum hominem cadere possunt. Secundum genus physicum, quod philosophorum proprium est, in quo inquiritur, dii qui sint, ubi, quod genus, ex quonam tempore, an à sempiterno fuerint, an ex igne sint, ut credit Heraclitus, an ex numeris, ut Pythagoras : sic alia, quæ faciliùs, ait, intra parietes in scholà, quàm extra in foro ferre possunt aures. Tertium genus est, inquit, quod in urbibus cives, maximè sacerdotes, nôsse et administrare debent : in quo est, quos deos publicè colere, quæ sacra et sacrificia facere quemque par sit. At reverà, ut fusè probat sanctus Augustinus, lib. 6 de Civitate Dei, cap. 6, revocantur ad theologiam civilem theologia fabulosa, theatrica, scenica, indignitatis et turpitudinis plena. « Quid enim aliud ostendunt illa simulacra, formæ, ætates, sexus, habitus deorum? Numquid barbatum Jovem, imberbem Mercurium poetæ habent, pontifices non habent? Num Saturnus senex, Apollo ephebus, ita personæ sunt histrionum, ut non sint statuæ delubrorum? » etc. Et ut idem habet c. 5 : « Quis theatrum instituit, nisi civitas? Propter quid instituit, nisi propter ludos scenicos? Ubi sunt ludi scenici, nisi in rebus divinis (1)? Aut, ut disputat Tertullianus, Apolog. c. 20, qualis hæc religio aut quanta majestas putanda est, quæ adoratur in templis, illuditur in theatris? Et qui hæc fecerint, non pœnas violati numinis pendunt, sed honorati etiam laudatique discedunt. » Vide Eusebium Præp. ev. lib. 7, c. 2.

2° Erant paganorum religiosi ritus tali theologiæ accommodati, hoc est, impurissimi. Ludorum celebrationes deorum festa erant : siquidem ob natales eorum, vel templorum novorum dedicationem, quandoque etiam ipsis diis, ut fertur, jubentibus sunt instituti. « Primitùs, inquit Lact. l. 6, c. 20, venationes, quæ vocantur munera, Saturno attributæ sunt, ludi autem scenici Libero, circenses Neptuno. Paulatim verò et cæteris diis idem honor tribui cœpit, singulique ludi nominibus eorum consecrati sunt, sicut Sisinnius Capito in libris spectaculorum docet. Sedebant, teste Arnobio, l. 7, in his spectaculis publicis sacerdotum omnium, magistratuumque collegia, pontifices maximi, et maximi curiones; sedebant quindecim viri laureati, et diales cum apicibus flamines; sedebant augures interpretes divinæ mentis et voluntatis; necnon et castæ virgines, perpetui nutrices et conservatrices ignis; sedebat cunctus populus et senatus; » sicque templi speciem ferebat theatrum. Religionis

(1) Et civilis et fabulosa ambæ fabulosæ sunt, ambæque civiles. Ambas inveniet fabulosas, qui vanitates et obscœnitates ambarum prudenter inspexerit : ambas civiles, qui scenicos ludos pertinentes ad fabulosam in deorum civilium festivitatibus, et in urbium divinis rebus, adverterit. S. Aug. de Civ. Dei l. 6, c. 8. Non alii dii ridentur in theatris, quàm qui adorantur in templis : nec aliis ludos exhibetis, quàm quibus immolatis. Ibid.

ergo magna pars erant ludi. At horum omnium ratio quantùm distabat à gravitate religionis! Nihil habuit nisi levitatem, vanitatem, insaniam. Cùm pacifica et sedata pectora esse magis oportebat, « tanto impetu concitabantur animi, quanto in circu impetu currebatur; ut plus spectaculis exhiberent, teste Lactantio, qui spectandi gratià venerant, cùm exclamare, et efferri, et exilire cœperunt. » In scenicis ludis præter tragœdias, erant comediæ, amores, nequitias, flagitia tractantes: erant satyræ, lasciviores inducentes faunos et sylvanos, qui jocis et salibus agrestibus delectabant: et ut erant dii immundi spurciora jactabant, et fœdiora dictu audituque. Erant mimi nullis parcentes turpibus, et motus dantes impudicos silentio. « Malorum morum licentia pietas erit, et occasio luxuriæ religio deputabitur? » Tertul. Apol. c. 18.

Et tamen hæc tolerabiliora erant præ aliis rebus quæ in Bacchanalibus agebantur (1), quæ propter incredibilem turpitudinem ex Italià senatûsconsulto ejecta sunt: vel in Lupercalibus, vel in Saturnalibus, aliisque ejusmodi, vel in Floralibus, quos ludos per meretrices et perditissimos homines celebrabant; atque Floralium actores, cùm deam ipsam non revererentur, unum hominem Catonem sunt reveriti, quo præsente agere recusârunt (2).

Erant etiam gladiatorum spectacula, quæ ad corrumpendos animos potentissimè valebant. « Quomodò enim pii et justi homines esse possunt, ait Lact. l. 6, c. 20, qui constitutos sub ictu mortis, ac misericordiam deprecantes, non tantùm patiuntur occidi, sed efflagitant, feruntque ad mortem crudelia et inhumana suffragia; nec vulneribus satiati, nec cruore contenti, quin etiam percussos jacentesque repeti jubent, et cadavera ictibus dissipari, ne quis illos simulatà morte deludat: irascuntur etiam pugnantibus, nisi celeriter è duobus alter occisus est; et tanquàm humanum sanguinem sitiant, oderunt moras: alios illi compares dari poscunt recentiores, ut quamprimùm oculos suos satient. » Qui omnibus diebus aliquid atrociter fieri videbant, vel audiebant, quamvis naturà mitissimi; omnem sensum humanitatis consuetudine crudelitatis amittebant (1).

Secundò, erant sacrificia humana oraculis indicta, et ubique fermè olim observata. Apud Ægyptios hominum immolandorum consuetudini Heliopoli usurpatam Amosis sustulit, teste Manethone. Junoni quidem istiusmodi sacrificium fiebat, lectis autem probatisque hominibus; ac tres uno die mactabantur, quorum in locum Amosis totidem cereas hominum imagines sufficі jussit. Porph. apud Eus. l. 4, c. 6.

Chananæos, Phœnices, Moabitas et Ammonitas filios suos diis sacrificare solitos constat ex Scripturis; quod etiam ex profanis scriptoribus confirmatur. Narrat ex Sanchoniathone, antiquissimo rerum Phœnicum scriptore, Philo Biblius morem fuisse illis gentibus, ut cùm maximæ calamitates publicæ metuerentur, reges filium, quem maximè diligerent, morti darent ad placandam deorum iram: neque vero communi morte, sed solemni veterique cæremonià hoc sacrificium peractum; ei mori obsequentem regem Phœnicum, qui post mortem in sidus Saturni à suis consecratus est (nam Phœnices, ait Philo, mundi elementis à suis regibus propria nomina dederunt), cùm maximum ex bello periculum immineret, filio, quem habebat unicum, regio cultu in aram imposito, atque inibi sacrificato publicum exitium domestico avertisse. Quia verò rex ille patriam filio immolato maximè demeritus credebatur, ideò (narrante Porphyrio de Abstin. l. 2, ex iisdem auctoribus) qui in simili periculo postea erant, eidem illi regi in deos sub astri nomine relato suos liberos sacrificabant.

(1) Bacchanalia prætermittamus immania, quibus nomen omophagiis Græcum est, in quibus furore mentito, et sequestratà pectoris sanitate, circumplicatis vos anguibus, atque ut vos plenos Dei numine ac majestate doceatis, caprorum reclamantium viscera cruentatis oribus dissipatis. Arnob: adv. gentes l. 5.

(2) Vide de turpibus paganorum ritibus S. Aug. de Civ. Dei l. 7, c. 21. etc. Arnob. contra gentes l. 5. Potteri antiquitates Græcas, lib. 1.

(1) Parùm certè decebat Ciceronem hujus instituti defensionem aliquam proponere Tusc. 2, 16: « Crudele gladiatorum spectaculum et inhumanum nonnullis videri solet: et haud scio an ita sit, ut nunc fit: cùm verò sontes ferro depugnabant, auribus fortassè multa, oculis quidem nulla poterat esse fortior contra dolorem et mortem disciplina. » Non sic sentiebat Seneca: « Homo, sacra res; homo jam per lusum et jocum occiditur; et quem erudiri ad accipienda inferendaque vulnera nefas erat, is jam nudus inermisque producitur, satisque spectaculi in homine mors est. » Ep. 95: « Casu in meridianum spectaculum incidi, lusus expectans et aliquid laxamenti, quo hominum oculi ab humano cruore acquiescant; contra est. Quidquid ante pugnatum est, misericordia fuit. Nunc omissis nugis, mera homicidia sunt; nihil habent quo tegantur. — Sed latrocinium fecit aliquis: quid ergo meruit? ut suspendatur. Occidit hominem? qui occidit, ille meruit ut hoc pateretur. Tu quid meruisti miser, ut hoc spectes? » Ep. 7

Additque Porphyrius talium victimarum plenam esse Sanchoniathonis historiam.

Carthaginensium vetustissimum morem fuisse narrat Curtius, immolare puerum ingenuum et sacrum hoc ab eis factum usque ad excidium urbis suæ : quod innumeris aliis testimoniis confirmatur ex Ennio poetâ, ex Platone in Minoe, ex Justino l. 18, ex Plutarcho l. de Superstitione, ex Silio Italico, ex Tertulliano in Apol. et Scorpiace, Minutio Felice in Octavio, Lactantio l. 1, c. 31. S. Aug. de Civit. Dei l. 7, c. 19. Diodorus Siculus l. 20, hæc habet : « Carthaginenses obsessi ab Agathocle iratum sibi Saturnum esse hâc de causâ dictitabant, quòd cùm ipsi antea liberorum suorum florem immolarent, deinceps nonnisi pueros quosdam furtim coemptos, atque abs sese educatos ad sacrificium submitterent. Itaque hâc de re quæstione habitâ nonnullos ex iis qui sacro et solemni ritu cæsi erant, suppositos fuisse repererunt. Quæ cùm secum ipsi reputarent, hostiumque castra mœnibus suis imminere cernerent, magna illis injecta religio est, quasi patrios deorum honores sustulissent. Atque ut hunc errorem maturè procurarent, primùm quidem eximios, communibusque lectos suffragiis adolescentes omninò ducentos publicè immolârunt : deinde verò alii præterea, qui violatæ religionis suspecti vulgò essent, ultrò sese ac sponte obtulerunt, trecentis haud pauciores. Erat autem apud eos simulacrum Saturni æreum, supinis ac pendentibus in terram manibus, ut impositus ipsis adolescens subjectam in foveam, ignique plenam, volveretur ac rueret. » Ejusmodi æream Molochi statuam habuisse Chananæos referunt Judæi; et ejusmodi Hispani omnes testantur repertas in illis Americæ insulis, quæ Africam contra spectant, unde probabiliter et incolas et ritus acceperunt. Addunt Judæi choreis et tympanis circumstrepere solitos spectatores, dùm combureretur puer, ne ploratus exaudiretur : quod ipsum in maris Indici insulâ, quam Chenarugam (Chingara est vel Taprobane) vocat, factitatum memorat Judæus Benjamin.

Rhodii etiam antiquitùs ad diem julii sextum, hominem Saturno immolabant; sed postea morem antiquissimum ita mutârunt, ut unum ex iis qui morte damnati publicè forent, vinctum usque ad Saturnalia custodirent, eamque ad solemnis festi diem extra portas adductum, vinoque madidum, è regione ædis optimi consilii jugularent. Porph. apud Eus. l. 4, c. 16.

Salamine (quæ priùs Coronea dicebatur) mense martio, quem Aphrodisium Cyprii nominant, Agraulo Cecropis nymphæque Agraulidis filio hominem quoque mactabant. Qui mos, cùm ad Diomedis usque tempora propagatus esset, ita deinceps mutatus est, ut Diomedi hominem illum immolarent, cùm Palladis, Agrauli et Diomedis templum eodem ambitu teneretur. Atque is quem ad sacrificium destinârant, primùm quidem adolescentium manibus ter circùm altare cursim agebatur; deinde à sacerdote ad stomachum percussus exstructo rogo cremabatur. Hanc verò legem Diiphilus, qui apud Cyprios circa Seleuci theologi tempora regnabat, tandem abrogavit, ejusque loco bovis sacrificium instituit. Ibidem. In insulis Chio et Tenedo discerptum hominem offerebant Baccho Omadio, ut refert Euel. Carys. ibid. In Cretâ insulâ plurimæ erant Phœnicum coloniæ, inter quas Critium : hìc quoque sacrificatos pueros et quidem Saturno, Ister in collectione Creticorum sacrorum prodidit, testante Porphyrio. Hincque Athenagoras scribit : « Phœnices et Cretes Saturnum colebant liberos immolando. » Idem confirmat de Lyctiis Philo... Apud Blemyas, qui inter Arabicum sinum et Nilum colebant, talia sacra ad Justiniani tempora mansisse, testis est Procopius... De Dumetiis in Arabiâ, idem apud Porphyrium habes.... Laodicææ Syriæ quotannis virgo Pallad. mactabatur, nunc autem cerva. Idem. Tauri verò populi, qui circa Tauricam Chersonesum habitant, quotquot apud se peregrinos eò, tum errore, tum vi tempestatis appulsos interciperent, è vestigio Tauricæ Dianæ immolabant, quibus sacrificiis tragica Euripidis theatra sæpè personârunt... Idem de Scythis verum esse affirmat Porphyrius, et de Gallis Dionysius Halicarnassæus.

Apud Delphos et apud Dodonam sacrificia humana oraculis indicta fuisse, testis est Pausanias... Lacedæmonii hominem Marti, Apollodoro teste, immolare consueverant. Porph. apud Eus. l. 5, c. 16... teste Clemente Alex. Aristomenes Messenius Ithomitæ Jovi trecentos jugulavit, in quorum numero Theopompus erat Lacedæmoniorum rex, illustris nobilisque victima... Phocœenses hominem integrum Tauricæ Dianæ cremâsse tradidit Pythocles laudatus à Clement. Alex... Athenis Erecthæi et Praxitheæ filiam cæsam ex Demarato affirmat idem... Narrat Plutarchus in vitâ Themistoclis, illum ducem ex consilio prophetæ Euphantidis, coactum fuisse tres ex captivis Persarum omnium pulcherrimos et pretiosis vestibus indutos pro

victoriâ immolare Baccho Omestæ. Uno verbo Græci universi antiquitùs, antequàm in hostem moverent, humano sanguine litabant, teste Philarcho. Ibidem... In Pella oppido Thessaliæ hominem Achivum Peleo et Chironi mactari consuevisse scripsit Monimus laudatus ab eodem Clemente.

Tandem hæc sacrificia à Romanis usurpata fuerunt... « Ex fatalibus libris (nempe Sibyllinis) ait Livius l. 22, c. 57, sacrificia aliquot extraordinaria facta, inter quæ Gallus et Galla, Græcus et Græca, in foro boario sub terrâ demissi sunt, in locum saxo conseptum ibi ante hostiis humanis, minimè Romano sacro, imbutum. » Plutarchus in vitâ Marcelli idem sacrificium peractum initio belli gallici scribit, illumque morem ad sua usque tempora perduràsse. Imò usque ad Diocletianum et Constantinum usurpatum narrant Porphyrius de Abstinentiâ, et Lactantius div. Inst. l. 1, c. 21 : « Quis ignorat, ait prior, apud magnam urbem in festo Latialis Jovis immolari hominem? Jupiter etiam nunc, inquit posterior, sanguine colitur humano. » Imò affirmat Porphyrius etiam suo tempore circa Jovis Latialis ferias Romæ hominem mactari... Eumdem morem antiquitùs à Pelasgis in Italiâ servatum scribit Dionysius Halicarnassæus laudatus ab Eusebio : et eumdem abolitum fuisse ab Hercule, qui primus aram in monte Saturnio erexit, et purarum hostiarum primitias puro igne consecravit. Atque is ut ipsos omni metu ac Religione solveret, si quâ forte sese, tanquàm patriis sacris neglectis, obligatos putarent, hanc eos placandi numinis rationem docuit, ut in locum hominum, quos manibus antea pedibusque revinctis in Tiberim projiciebant, hominum simulacra eodem ornata cultu, eodem ritu in fluvium mittenda sufficerent : uti si quid adhuc Religionis in cujusquam animo resideret, totum id funditùs, retentâ vel specie tenùs sacrificii veteris usurpatione, tolleretur. Atque hunc morem etiamnum Romani servant, pergit idem, paulò post vernum æquinoctium maiis idibus, sic nimirùm ut eo die dimidiatus lunæ orbis appareat. Tum verò solemnibus hostiis ritè mactatis pontifices, simulque vestales virgines, quibus immortalis ignis credita custodia est, unà cum prætoribus, cæterisque civibus, quos sacris interesse fas est, triginta id genus hominum in speciem conformatas imagines (Argeos ipsi vocant) in Tiberim fluvium de ponte sacro dejiciunt.

Hæc accuratiùs descripsimus, ut ex tam sævæ superstitionis consideratione, meliùs intelligatur humanæ naturæ sibi relictæ infirmitas et summa revelationis utilitas ac necessitas. Ut in majore luce collocetur hujus vocis propheticæ sanctitas, Mich. 6, 6 : *Quid dignum afferam Domino?... Numquid dabo primogenitum meum pro scelere meo, et fructum ventris mei pro peccato animæ meæ? Indicabo tibi, ô homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat à te : utique facere judicium, et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo.* Ut summum Christi in nos beneficium meliùs perspiciatur, qui unicâ oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos, et abolitis omnibus sacrificiis cultum spiritualem perfecit.

3° In fructibus bonis planè sterilis fuit pagana religio. Nulla fuit, neque esse potuit in deos, quales vulgò colebant, pietas; nulla etiam erat honestas morum apud eos qui deorum exemplis sua stupra et adulteria defendebant, imò et marium cum maribus concubitus. Quod nefandum flagitium pro licito habitum est, et à Græciæ philosophis in id laboratum, ut rei turpi honestum nomen imponeretur. Audiamus Lactantium superstitionis ethnicæ vanitatem eleganter redarguentem, Instit. div. lib. 5, c. 19 : « Quæ est enim superstitio illorum deo« rum? quæ vis? quæ disciplina? quæ origo? « quæ ratio? quod fundamentum? quæ sub« stantia? quò tendit? aut quid pollicetur, ut « ab homine possit fideliter servari fortiterque « defendi? in quâ nihil aliud video, quàm ri« tum ad solos digitos pertinentem. Nostra « verò Religio eò firma est, et solida, et im« mutabilis, quia justitiam docet, quia nobis« cum semper est, quia tota in animo colentis « est, quia mentem ipsam pro sacrificio habet. « Illic nihil exigitur aliud quàm sanguis pe« cudum, et fumus, et inepta libatio : hic « bona mens, purum pectus, innocens vita. « Illùc veniunt sine delectu adulteræ impu« dicæ, lenæ procaces, obscœnæ meretrices ; « veniunt gladiatores, latrones, fures, venefici, « et precantur nihil aliud quàm ut scelera im« punè committant... Hic verò etiam levi com« munique peccato locus est nullus. Et si quis « ad sacrificia non integrâ conscientiâ venerit, « audit quæ illi Deus comminetur; ille qui late« bras cordis videt, qui peccatis semper infe« stus est, qui exigit justitiam, qui fidem poscit. « Quis hic malæ menti, aut malæ preci locus est? »

Benè observat S. Puffendorfius, Introd. ad hist. parte 1, c. 12, § 2, apud ethnicos veteres nullas fuisse sacras conciones sive publicos cœtus, in quibus populus de Religione suâ

institueretur, et de virtute ac pietate colendâ admoneretur : sed maximam partem cultûs deorum constitisse sacrificiis, cæremoniisque, dierum festorum solemnitate, quæ tamen ludis potiùs et luxu quàm divinarum rerum contemplatione et pietatis exercitatione obibatur : ita ut ex ejusmodi religione ethnicâ, neque per vitam erudiri homo in cognitione numinis, neque inflammari ad pietatem, neque in morte solatium et spem de meliore vitâ concipere posset. Quò magis agnoscenda est nostra Christianorum felicitas. Fabricius bibliograph. ant. p. 379.

Vanitas omnis ethnicæ divinationis. — V. Religio christiana firmissimo prophetiæ fundamento innititur. « Est enim prophetia, præ« sensio et prædictio futurorum eventuum, « qui in causis naturalibus non sunt præ« visi : » qualia sunt 1° ea omnia quæ præter naturæ ordinem divinâ virtute contingunt, scilicet miracula; 2° quæcumque pendent ex innumerabilium causarum physicarum complicatione, ut, v. g., aeris temperies post longum temporis intervallum. Quamvis ex solis causis naturalibus contigissent septem anni sterilitatis tempore Josephi, vel duo anni siccitatis tempore Eliæ, hi eventus nullâ sagacitate potuerunt præsciri, nisi ejus

Qui mare et terras, variisque mundum
Temperat horis.

3° Multò magis extra mentis creatæ cognitionem posita sunt futura hominum consilia liberrima : et multò adhuc magis, quæ ex innumerabilium voluntatum consensione, et earumdem cum infinitâ serie causarum physicarum conjunctione : qualia sunt imperiorum fata remotissima. Is solus qui ordinem physicum et moralem instituit, nexuque miro copulavit, tanti operis seriem, immensam concatenationem, cursumque rerum æternum investigare valet. Neque vates ipsi paganorum, augures, aruspices, astrologi, aliunde quàm à Deo ipso futurorum cognitionem ad se pervenire gloriabantur. Jam verò christiana Religio ab ipsâ mundi origine posita fuit in prophetiâ, quâ futurus liberatoris adventus prænuntiatus fuit : hâc eâdem promissione sæpè repetitâ recreati fuerunt Patriarchæ et accensa eorum pietas usque ad Abrahamum. Ab hujus vocatione duplex vaticiniorum ordo fuit : alia spectabant res temporales, alia spiritales, nimirùm pro duplici fœderis Abrahamitici parte, quarum una, ut jam sæpè dictum est, respiciebat progeniem carnalem et terram Chanaan, altera universæ gentis humanæ in Christo benedictionem ac Jerusalem cœlestem. Inter hæc vaticinia, alia prodiderunt inscrutabilia Dei consilia et eventus præter ordinem naturæ; qualia sunt omnia miracula, inprimis conservatio veræ Religionis per tot secula apud indocilem et perversum populum, idque in mundo idololatrico, omnium superstitionum colluvione; deinde resurrectio Christi et admirabilis Evangelii propagatio. Alia sunt, quæ continent fata gentis judaicæ, omniumque majorum ad hunc usque diem imperiorum, quæ cum rebus judaicis vel christianis habebant connexionem. Hæc profectò plena dignitatis sunt et habent proprium colorem numinis. At quàm futili et ridiculâ superstitione pagani tenebantur ! illam exposuisse, refutâsse est. Divinatio apud veteres duplex erat, artificialis una, altera naturalis. Divinatio artificialis erat ea quâ ex certis signis res proximè futuræ prædicebantur. Naturalis in somniis et vaticinationibus erat posita.

I. Prioris infinitæ erant species, quas ad quinque capita revocabimus.

Primum divinationis artificialis genus ex hominibus vel ex rebus ad hominem pertinentibus petebatur. 1° Ex hominis occursu : ut si Æthiops occurreret, aut mulier rotans fusos, felix erat signum. 2° Ex dicto ; sic infaustum erat signum, si in convivio incendium nominabatur ; hinc bona verba ; benè vel malè ominata. Ista divinatio dicebatur ominatio. « Pythagoræi, ait Cic. lib. 1 de Div., non solùm « voces deorum observabant sed et hominum ; « quæ majores nostri æquivalere censebant : « idcircò omnibus rebus agendis, *quod bonum,* « *faustum, felix fortunatumque sit,* præfabantur. » 3° Ex facto ; infelix erat signum, si bibente aliquo mensa tolleretur ; felix, si casu aliquid vini effusum esset in vestes. 4° Ex sono ac strepitu, quæ tripartita erat : nempe ex sternutatione ; post meridiem sternutâsse, felix ; matutino tempore, infaustum ; ad dexteram faustum, ad sinistram secùs erat. Hoc omine Themistoclem Euphrantides ad pugnam animavit ; Xenophon ab exercitu dux electus est. Ex tinnitu auris, dextræ felicia, sinistræ infelicia portendebantur. Denique ex membri alicujus palpitatione, quæ dicebatur salisatio. Hinc salisatores dicti, qui, membrorum quæcumque partes salierint, aliquid exinde prosperum vel infaustum augurabantur. 5° Ex vultu, unde metoposcopia. 6° Ex manibus, chiromantia. 7° Ex ventre, gastromantia. 8° Ex

nominibus, onomantia : assumebantur nomen proprium et matris, quibus per numeros litterarum resolutis, figuræ astronomicis similes constituebantur, et ex his capiebatur conjectura. Dicebatur etiam arithmomantia, divinatio per resolutionem nominum quærentium in numeros. 9° Ex actis puerorum jugulatorum, anthropomantia. 10° Ex mortuis necromantia : ubi vel ex ossibus futura prædicebantur, vel fervidum cadaveri infundendo sanguinem. Unde Lucanus :

Dùm vocem defuncto in corpore quærit,
Protinùs adstrictus caluit cruor, atraque fovit
Vulnera...

11° Ex animâ seu umbrâ per magiam evocatâ, psychomantia : cujus meminit Herodotus lib. 6, ubi causam exponit cur Medissa à Periandro marito in hoc pacto interrogata respondere recusaverit. Hinc illud Horatii :

Animas responsa daturas.

Secundum genus divinationis erat ex artefactis : 1° hinc dactylomantia, ex annulis, quo divinationis genere Gyges usus est. 2° Cleidomantia, ex clavibus. 3° Coskinomantia, ex cribro, quod filo suspensum vel forcipi impositum in orbem vertebatur, nominato interim eo qui furti accusabatur, vel alterius cujusquam criminis. Hujus exemplum est apud Theocritum, Idyll. 3. 4° Alphitomantia, vel Aleuromantia, ex farinâ. 5° Gastromantia, per phialas seu lagenas. Vasis enim vitreis rotundis aquâ plenis circumponuntur cerei accensi; tum obmurmuratâ evocatione puer impollutus, vel mulier prægnans admittitur, quæ inspiciat, roget, imperet : feruntque imagines rerum quæsitarum apparere. Ad hanc accedit catoptromantia, vel crystallomantia, per specula. Ferunt fuisse olim, juxta Patras Minervæ templum cum fonte, in quem si speculum demitteretur, effigies ægri appareret sub eâ formâ quam habiturus esset in fine morbi, scilicet sani vel mortui. In lecanomantiâ, aqua in pelvim infundebatur, obmurmuratisque quibusdam vocibus vox exilis et ad instar sibili exaudiri dicebatur. 6° Onychomantia fit oleo et fuligine, quibus unguis pueri illinitur; tunc verbis quibusdam tacitè prolatis, spectra et imagines videri dicuntur. 7° E pice, ex tædis collectâ et comminutâ in pulverem : ex hâc in ignem conjectâ futura conjiciebant observando, an exardescens inde flamma coeat nec dispergatur, quod faustum : an dividatur et dissiliat, quod infaustum. 8° Axinomantia, ex securi vel dolabrâ : trunco rotundo ligni affigebatur, deinde aptabatur perpendiculo, et sub cujus nomine vel levi impulsu circumagebatur, is culpæ reus erat. 9° Libanomántia, ex thure incenso, si ignis illud mox correptum dissolutumque in fumum verteret, et suffitum cieret gratum, læta promittebantur : si refugeret, aut fœdum odorem exprimeret, abominanda ostendebantur. 10° Divinatio capiebatur ex sacrificiis, ex vini consecrati libatione, ex aquæ sacræ, quâ abluebantur et coquebantur victimæ, colore, sapore, motu, strepitu, subitis mutationibus: ex molis et farinis, quibus victimæ conspergebantur. 11° Ex sortibus cleromantia, quo modo pleraque olim oracula fundebantur. Sortes variæ in diversis locis erant, et ex variis rebus capiebantur. Memoratur hujus species per baculos vel sagittas apud prophetam Osee, cap. 4, dicta rabdomantia, vel belomantia. Celebres erant Prænestinæ apud oppidum Præneste per tesserulas variis inscriptas sententiis, quæ kalendis januariis magnâ celebritate educebantur sub rogantium nomine. Sortes Virgilianæ per Virgilii carmina sorte ducta fiebant. Multæ aliæ ejusdem generis recensentur à veteribus divinationis species : ex his earum omnium natura satis intelligitur.

Tertium genus divinationis artificialis erat petitum ab elementis aut corporibus elementaribus. Hujus species erant : 1° Hydromantia, ex aquâ marinâ vel fontanâ. Fiebat autem vel bibendo ex illâ, vel projiciendo in eam aliquid et notando an supernataret, an mergeretur ; vel filo annulum suspendendo, qui rem quæsitam indicabat per repetitam vasis percussionem ; vel lapides spargendo, et observando quibus orbibus fundum peterent ; vel immergendo phialam vitream, ut ex aquæ in illâ haustæ limpiditate aut turbitate de ægrorum valetudine conjiceretur ; vel imagines rerum concupitarum in aquâ venando. Certus erat fons Lacedæmone dictus Inon, in quem placentæ ex frumento projectæ si mergebantur, bonum exitum significabant; infaustum, si rejicerentur. 2° Geomantia perficiebatur per puncta quædam terræ impressa. 3° Aeromantia, una ex magiæ Persicæ speciebus, perficiebatur per aerem. 4° Pyromantia, si in sacrificiis admota flamma victimas statim corriperet ; si tranquilla, pura, nitida et perspicua pyramidis instar attolleretur, ac nonnisi totâ depastâ victimâ moreretur, faustum habebatur ; sin contra evenisset, infaustum omen erat. 5° Ex lapidibus, lithomantia. Sic Abderitis lapidis genus aquâ fontanâ

ablutus futura indicabat; quo pacto Helenam Trojæ ruinam didicisse refert Plinius, lib. 30, c. 11. 6° Botanomantia, ex salviæ foliis, quibus inscribebantur nomina quærentis et rei quæsitæ, atque prodigiosæ voces : et nomen furis in furto, in re dubiâ exitus ostendebatur. 7° Tephromantia ex cinere ad auram exposito fiebat : in quo quærentis et rei quæsitæ nomina primùm notabantur, et postea ex litteris relictis conjectura capiebatur. 8° Sycomantia, ex foliis ficûs : his sub dio certâ nocte expositis nominabant divini illum de quo quærebatur; si exaruissent, dirum; si viridiora mansissent, lætum omen erat. 9° Lychnomantia et capnomantia, ex lucernâ et fumo, in quâ observabatur quo motu, rectone an obliquo, vel in orbes contorto et complicato effumaret, et quo nidore.

Quartum genus ex animalibus repetebatur. Hinc 1° augurium vel auspicium, quasi avispicium. Cujus species erant oscinum ex cantu; auspicium ex volatu; ut si ad dexteram vel sinistram, quo numero, quâ cœli regione; et tripudium, quasi terræpavium, quia quod ex ore pullorum decidisset id terram paviret, id est, feriret. Alebantur scilicet pulli in caveâ, quos imperatores secum in castris habebant : si oblatâ escâ alacriter cibum sumerent, spargerentque in pavimento, solistimum tripudium erat et faustum; secùs infaustum; 2° Ichthyomantia, à piscibus, qui si cibum sumpsissent, faustum; si rejecissent, infaustum : sic quoque ex eorum formâ, motu et vitâ divinabatur in fonte Sirrho dicto, inter Myram et Phellam. 3° Alectryomantia, ex gallo gallinaceo, cujus extat insigne exemplum apud Zonaram de Valentis successore Theodosio. 4° Aruspiciana, ex fibris quadrupedum, scilicet antequàm igni imponerentur exta, aruspex inspiciebat : ex corde principium, ex jecore exitum conjiciebat. 5° Ooscopia, ex ovis. 6° Denique ex animalium occursu divinatio fiebat. Inauspicatum erat, si lepus in castris vel urbe conspiceretur et incolumis evaderet; si in domum introiret alter alienus canis, ut est apud Terentium in Phormione : at felix erat indicium, si cerva lupum effugeret, si lupus ad dextram prætercurrisset hianti ore. 7° Germani ex equorum hinnitu divinabant. Tandem hùc præcipuè pertinebat, si quid in animantibus contingebat præter naturæ ordinem usitatum.

Quintum et ultimum divinationis genus fuit astrologia; scilicet ex eclypsibus, ex planetarum aspectu et conjunctionibus, ex cometis, etc. Item ex meteoris, ex fulmine et tonitru : nam si lævum tonuisset aut impari numero, felix augurium erat; si sereno cœlo tonuisset aut castra seu ædes sacræ tangerentur, infortunatum censebatur.

Omnis hæc divinatio artificialis in duplici fundamento à veteribus ponebatur in observatione et conjecturâ. « Nihil est, inquiebant, « quod non longinquitas temporum, excipiente « memoriâ, prodendisque monumentis efficere « atque assequi possit. Sicut sunt animadversa « à medicis herbarum genera, radicesque ad- « versùs morsus bestiarum, oculorum morbos, « vulnera, quorum vim ac naturam ratio nun- « quàm explicavit, sed utilitate et ars et in- « ventor est probatus : ita quoque diuturnâ « eventorum notatione monumenta quædam « constituta sunt; unde constat ars futura præ- « sagiendi, et facta est disciplina quædam divi- « natrix, quæ apud Etruscos aruspicinis, ful- « guralibus et ritualibus libris, apud Romanos « etiam auguralibus continebatur. »

Divinatio ex conjecturâ ea erat quæ subitò, ex tempore, et absque prægressis, observatione ac notatione eventuum fieri poterat, scilicet ex quâdam analogiâ. Sic apud Homerum Calchas ex passerum numero belli Trojani annos auguratus est. Sic cùm apud Lebadiam Trophonio res divina fieret, galli gallinacei in eo loco sic assiduè canere cœperunt, ut nihil intermitterent : tum augures dixêre Bœotii Thebanorum esse victoriam, propterea quòd avis illa victa silere soleat, canere si vicerit. Sic cùm Midæ adhuc puero per somnium formicæ in os tritici grana congessissent, ditissimum fore prædictum est; quod evenit. Platoni cùm in cunis dormienti apes in labellis consedissent, responsum est singulari illum suavitate orationis fore. Cæterùm fatebantur veteres non semper evenire, quæ prædicta essent; verùm non idcircò divinationem artificialem rejiciendam esse, quia vix ulla est ars, quæ semper finem suum consequatur; earum saltem artium quæ conjecturâ continentur et sunt opinabiles. « An medicina ars non putanda est, quam tamen multa fallunt ? Quid ? gubernatores nonne falluntur ? num tot clarissimorum ducum naufragium sustulit artem navigandi? »

II. Alterum, ut diximus, divinationis genus erat, quod naturale vocabatur, in somniis et vaticinationibus positum. Scilicet multis paganorum etiam philosophis placuit, ex diis animos hominum haustos esse et libatos; adeòque ex divinâ illâ cognatione, suâpte naturâ,

vim habere futura cognoscendi; sed nempe mole corporis impeditos servire necessitatibus vitæ et à divinâ illâ societate disjungi. Unde fit ut vigilantes et suî compotes futura non præsentiant; at verò cùm per somnum, vel furorem quemdam, vel morte appropinquante, animus ab omni curâ et impeditione corporis solutus est, tum quasi primæ suæ naturæ et cognitioni restitutus naturaliter futura prænoscit ac prædicit. Hinc vates et dormientes divinant: nec quidquam est artis aut industriæ in illâ divinatione, nec ad eam ullâ observatione opus est aut disciplinâ. «Ergo et ii, ait Tullius, quorum animi spretis corporibus evolant, atque excurrunt foràs, ardore aliquo inflammati atque incitati, cernunt illa profectò quæ vaticinantes prænuntiant; multisque rebus inflammantur tales animi, qui corporibus non inhærent, ut ii qui sono quodam vocum et Phrygiis cantibus incitantur; multos nemora, sylvæque, multos amnes aut maria commovent; quorum furibunda mens videt ante multò quæ futura sunt. Credo etiam, ait idem, seu potiùs Quintus frater, anhelitus quosdam fuisse terrarum quibus inflatæ mentes oracula funderent. Atque hæc quidem vatum ratio est: nec dissimilis sanè somniorum. Nam quæ vigilantibus accidunt vatibus, eadem nobis dormientibus. Viget enim animus in somniis, liberque sensibus, ac omni impeditione curarum, jacente et mortuo penè corpore, qui quia vixit ab omni æternitate, versatusque est cum innumerabilibus animis, omnia, quæ in naturâ rerum sunt, videt, si modò temperatis escis, modicisque potionibus ita est affectus, ut sopito corpore vigilet: hæc somniantis est divinatio.» Docebat Possidonius duobus aliis modis deorum appulsu homines somniare, quòd plenus aer sit immortalium animorum, in quibus quasi insignitæ notæ veritatis appareant; deinde quòd ipsi dii cum hominibus colloquantur. Verùm quoniam hæc somnia et vaticinia sub quodam semper involucro et impedimento futurorum cognitionem continent, idcircò opus erat conjectore, explicatore et interprete somniorum: atque id erat quoddam genus divinationis, quod ad artificialem referebatur. Hæc omnia nimis vana sunt quàm ut in illis refellendis aliquam operam collocare necesse sit: qui eorum elegantem, ingeniosam, diligentem confutationem videre velit, legat Ciceronis librum secundum de Divinatione.

Oraculorum vanitas.—Oraculis nihil divinius habuit pagana antiquitas: in his præsertim causæ præsidium est. Collegerat innumerabilia responsa Chrysippus, nec ullum, inquit apud Cic. Quintus, sine locuplete auctore atque teste: illa quoque diligentissimè perscrutatus est Porphyrius, atque sacram philosophiam ex iis adornavit. Inter hæc oraculà celeberrimum longè est quod Delphis erat constitutum, «quod, ait idem Quintus, non tam clarum fuisset, neque tantis donis refertum omnium populorum atque regum, nisi omnis ætas illorum oraculorum veritatem esset experta. Jamdiù idem non facit. Ut igitur nunc minore gloriâ est, quia minùs oraculorum gloriâ excellit; sic tum nisi summâ veritate in tantâ gloriâ non fuisset.» At inquiramus 1° qualia fuerint hæc oracula; 2° quales illi qui reddebant, seu dii, seu ministri; 3° ubi responsa reddebantur; 4° quibus modis reddebantur; 5° quænam fuerint de iis sapientissimorum hominum opiniones.

I. Inter illa responsa quæ posteris prodita sunt ut celebriora, alia data sunt hominibus impiè curiosis et Deum tanquàm sophistam tentantibus: quale erat illud datum Crœso sciscitanti per legatos quid Sardis eo momento ageret: respondisse deum, sine teste ullo idoneo, fertur, Crœsum testudinem cum agno decoquere in æreo lebete. Alia erant ambigua et flexiloqua, atque ad omnem eventum temperata: tale erat illud aliud responsum eidem Crœso factum contra Persas expeditionem molienti:

Crœsus Halym penetrans magnam pervertet opum vim.

De quo etiam oraculo Cicero hæc: «Cur autem hoc credam unquàm editum Crœso? aut Herodotum cur veraciorem ducam Ennio? num minùs ille potuit de Crœso fingere, quàm de Pyrrho Ennius? quis enim credat Apollinis ex oraculo Pyrrho fuisse responsum?

Aio te, Æacida, Romanos vincere posse.

Alia nihil erant quàm præmeditata consilia obscurè enuntiata de rebus præsentibus et optimè cognitis: tale illud Apollinis Delphici, qui eo tempore ab Atheniensibus interrogatus, quo Atticam invasurus esset Xerxes cum immenso exercitu, respondit eos salvos futuros in muro ligneo, quod sapientiores et inter alios Themistocles statim sic interpretati sunt, quasi Deus declarâsset nullam ipsis salutem esse posse, nisi in navibus. Quid ergo jussit Apollo, ut observavit Œnomaus apud Eusebium, nisi ut fugerent, et classe se aliò reciperent, atque in eâ spem salutis, quæ nulla in mœnibus erat, ponerent?

II. Qui erant hi fatidici, seu dii, seu ministri?

Inter deos oracula dantes erat Hephæstion, quem Deum fecerat Alexander magnus; erat Augustus imperator, in deos à Romanis relatus; erat Antinoüs, consecratus à Græcis, ut Adriano, cui fuerat in deliciis, adularentur.

Ministri, qui oraculis præerant, mercede conducebantur, ut constat ex Herodoto et Plutarcho: unde Demosthenes dicebat suo tempore, quòd Pythia philippizaret, seu quòd à Philippo mercede corrupta ejus partibus faveret. Eorum etiam nefandæ fraudes detectæ sunt sæpiùs: sacerdotum Beli à Daniele; Isidis à Paulinæ marito et Tiberio; et omnium passim cùm diruta sunt tempore Constantini paganorum templa. Varias etiam eorum fraudes refert ipse Herodotus l. 5, 6, 7 et 8.

III. Quibus in locis erant constitutæ oraculorum sedes? Ex omnium auctorum consensione sitæ erant in regionibus montanis, quæ speluncis et subterraneis meatibus abundabant, id est, ad omnem fraudem aptissimè comparatis: talis erat Bæotia oraculorum olim feracissima. Templum Delphicum sic describit Justinus l. 24, c. 6: « Templum autem Apollinis Delphis positum est in monte Parnasso, in rupe undique impendente..... Templum et civitatem non muri, sed præcipitia, nec manufacta, sed naturalia præsidia defendunt; prorsùs ut incertum sit, utrùm munimentum loci, an majestas Dei plus hìc admirationis habeat. Media saxi rupes in formam theatri recessit. Quamobrem et hominum clamor, et si quando accedit tubarum sonus, personantibus et respondentibus inter se rupibus, multiplex audiri, ampliorque quàm editur, resonare solet. Quæ res majorem majestatis terrorem ignaris rei, et admirationem affert....... In rupis anfractu, mediâ fermè montis altitudine, planities exigua est atque in eâ profundum terræ foramen, quod in oracula patet: ex quo frigidus spiritus, vi quâdam velut vento in sublime expulsus, mentes vatum in vecordiam vertit, impletasque Deo responsa consultantibus dare cogit. » Trophonii autem antrum sic describit Philostratus l. 8: « Lebadiæ autem angustiæ Trophonio Apollinis filio sacratæ sunt; ad quas eis solùm, qui oracula petunt, aditus patet...... Descensus autem adeò angustus est, ut non aliter quàm sedendo ingredi quis possit. Demittuntur autem eò, qui intrare volunt, albis vestibus induti, et mellitas placentas manibus portantes, quibus reptilia demulceant, quæ intrantibus obviàm serpunt. » Serapidis oracula apud Alexandriam, Apollinis Clarii apud Colophonem, Fortunæ Prænestinæ propè Romam, Sibyllæ Cumanæ, et alia fermè omnia antris superstructa erant.

Ubi non erant hæ naturales fraudibus opportunitates, erant secretiora adyta in eumdem usum comparata, et interiores recessus, quos arborum frondibus et variâ arte obscuros et tenebricosos reddebant. « Pergamo, inquit Cæsar l. 3. de Bello civ. in occultis ac remotis templi quò præter sacerdotes adire fas non est, quæ Græci adyta appellant, tympana sonuerunt. » Et Lucanus de Pythiâ canit l. 5:

Tandem conterrita virgo
Confugit ad tripodas, vastisque abducta cavernis
Hæsit, et insueto concepit pectore numen.

In hæc adyta nulli consultores admittebantur, nisi reges, qui ita et sibi, et oraculis majorem auctoritatem conciliare volebant. Soli Alexandro à sacerdote concessum narrat Strabo, ut in templum ingrederetur habitu consueto, cæteros vestem mutare jussos, et foris omnes oraculum audivisse, excepto rege, qui intùs fuerat ingressus. Vespasianus etiam solus Serapidis adyta Alexandriæ intravit, arceri cæteros jussit sacerdos. Clandestini quoque et subterranei erant in hæc penetralia introitus, ut satis constat de Belo et ejus sacerdotibus Danielis prudentiâ deprehensis. Vide Eusebium in Vitâ Constantini, ubi narratur quomodò templa ad fraudes comparata inventa sunt, quando illa dirui jussit Constantinus.

IV. Reddendorum oraculorum varii modi fuêre, quorum nullus amovet fraudis et imposturæ suspicionem.

Alia reddebantur per furorem fatidicum, qui facilè fingi et simulari potuit. — Alia per tabulas obsignatas dabantur. Scilicet consultores quæstiones suas offerebant in tabellis cerâ obsignatis, quas tradebant sacerdotibus. Has tabellas in adyta portabant sacerdotes; ubi cùm per aliquot dies mansissent, reddebantur, integris sigillis, consultoribus, qui inscripta inveniebant responsa. Sed docet nos in Pseudomante Lucianus, quibus artibus Alexander celebris impostor et alii sacerdotes utebantur, in recludendis libris illisque iterùm obsignandis. « Forsitan, inquit, quæres ex me quænam sunt artes istæ? Accipe, quò videlicet imposturas hujusmodi deprehendere queas. Prima hæc erat, Celse charissime: eam ceræ partem quæ sigillo subest acu candefa-

ctâ liquefactam deducebat; tum ubi legisset, ceram rursùs acu calefactam, eam quæ infra filo suberat, quæque sigillum ipsum tenebat, facilè coagmentabat. Porro secundus modus constat per id quod collyrium vocant. Conficitur ex pice Berytliæ, bitumine et perspicuo lapide trito, cerâ et mastiche. Confectum igitur ex his omnibus collyrium, igne calefactum, inunctâ priùs axungiâ sulliâ, ligno applicabat, ac symboli figuram excipiebat, tum eo protinùs exsiccato, commodè resignabat libellos: quos cùm perlegisset, impositâ cerâ, idem sigillum ad archetypi similitudinem scitè effictum, tanquàm ex lapide reformabat. Tertiam etiam rationem præter has accipe. Calce in gluten, quo libros agglutinant, injectâ, atque ex his veluti cerâ confectâ mollem adhuc eam sigillo admovebat, statimque detrahebat. Nam illicò siccessit, adeò ut cornu, vel potiùs ferro, reddatur solidius, hoc ad imprimendum signum, uti consueverat. Alia præterea multa ad id illi sunt excogitata, quorum omnium meminisse necesse non est, ne ineptus videar, maximè cùm in his quos de magnorum artibus conscripsisti commentariis, tum pulcherrimis, tum utilissimis, quique prudentes reddere queant lectores, abundè multa retuleris, et his multò copiosiora. » Si hisce artibus fallere sacerdotes non poterant, tunc quia in illis locis tot habebant ministros et artifices fraudis, quot erant incolæ, facilè per hos consultorum secreta detegebant; hi, scilicet dùm hospites peregrinos benevolentiæ prætextu callidè inebriarent, per subdolas quæstiones, quid esset clausum animo eliciebant, aut eorum servos circumveniebant et pretio corrumpebant. Hoc ideò certè facilius erat, quòd hi consultores essent viri simplices et superstitiosi, dolis valdè obnoxii, è quibus sacerdotes exigere solebant, non tantùm varias per plures dies lustrationes atque repetita sacrificia, sed etiam sæpè peccatorum omnium confessionem. Si hæc omnia frustra tentata fuissent, ad ambigua et flexiloqua sua responsa, tanquàm ad sacram anchoram, confugiebant. Imò responsa dabant planè absurda et ridicula verbis barbaris nec ullum sensum ferentibus concepta, quæ egregiè deridentur ab Œnomao apud Eusebium et à Luciano. — Oracula alia reddebantur per insomnia. Cùm consultores accederent responsa petituri hoc modo, curabant primùm sacerdotes, ut repetitis lustrationibus, sacrificiis et abstinentiâ superstitio augeretur; deinde ut per medicamenta soporifera et narcotica, ex opio, opiatis, aliisque similibus in vino aut liquoribus adhibita, per fumigationes et odores, supplicantium cerebrum turbaretur; accedebant fictæ ad percellendos animos narrationes, et voces ex improviso auditæ, quæ in mentes superstitione, metu, spe, medicamentis attonitas altè descenderent, et in somniis earum rerum imagines excitarent. Sæpè per tubas et cornua responsa auribus consultorum insonabant. Ac licet insomnia vix aliquid simile his, quæ petebantur, referrent, sacerdotes illa excipiendo à supplicibus, qui nondùm erant mentis compotes, et mutando, aliterque concinnando, vel de novo insomnia inducendo, facilè reperiebant aliquid, quod interrogationibus quadraret. Interim codicili obsignati pulvinaribus deorum imponebantur et assumebantur in adyta. Illis nonnunquàm Prophetæ indormiebant et quasi ex somniis divinitùs edocti responsa edebant: sic impostor ille Alexander, de quo Lucianus, agere consuevit. Hìc certè operæ pretium est referre quomodò res apud Trophonium perageretur, de cujus oraculo, quod post cætera usque ad Plutarchi tempora duravit, sic narrat Pausanias in Bœoticis: « Quod ad oraculum pertinet, observatur ritus hujusmodi: ubi statuerit quis in illud Trophonii descendere, primò dierum certum numerum est ei in ædiculâ quâdam commorandum. Illìc degens et alia suscipit expiationum genera, et calidis abstinet aquis, Hircynâ fluvio se abluit, carnes ei de victimis largè suppeditant. Immolat autem qui hùc descendit Trophonio; Apolloni præterea, Saturno, et Jovi regi, Junoni Heniochæ, et Cereri, quam Europen nominant, ac fuisse Trophonii nutricem perhibent: adest aruspex, qui cæsarum hostiarum viscera inspectat; ex eâ inspectatione vaticinatus, numquid Trophonius placatus jam et propitius consultorem sit excepturus. Alia tamen exta non tam perspicuè Trophonii mentem denuntiant; verùm eâ quâ quis nocte descendit, arietem mactat ad ipsam foveam, invocato Agamedis nomine. Exta priora pro nihilo ducuntur, etiamsi maximè fuerint læta, nisi hujus quoque arietis exta idem portendant. » (Sicque post explorata per longum tempus supplicum consilia, quæ parùm superstitiosum, aut magis quàm decebat curiosum experiebantur, illum tanquàm Deo ingratum repellebant.) « Id ubi ita evenerit, ut extorum consentiat significatio, bonâ cum spe descendit consultor: atque hoc maximè modo initiatus, eoque ritu descendit. Dedu-

cunt eum sacrificuli noctu ad Hircynam fluvium, ibi hominem oleo perungunt et abluunt pueri duo ex oppidanorum liberis, annos fermè tredecim nati: Hermas, id est, Mercurios illos nominat..... Hinc non statim ad oraculum à sacrificulis, sed priùs ad amnis fontes ducitur: sunt verò duo inter se proximi. Bibenda est illic Lethes quæ dicitur aqua, quò cunctorum ei, quæ ante illi erant curæ, oblivio contingat. Deinde Mnemosynes, id est, memoriæ aquas potat, ut ne mens effluat quò minùs quæ intra ea penetralia viderit, omnia memoriâ contineat. Jam simulacrum, quod fecisse Dædalum autumant, contemplatus (nemini prorsùs id ostendunt sacerdotes, præterquàm iis qui ad Trophonium sunt accessuri). Eo signo conspecto, et cum multâ religione votis nuncupatis, ad oraculum progreditur, tunicam indutus lineam, ac tæniis incinctus soleis popularibus in pedes inductis. Est verò oraculum supra lucum in monte, crepido in orbem candido saxo circumdata. Crepidinis ambitus est instar areæ minimæ, altitudine minore quàm cubitûm duûm. Erecti sunt super crepidine obelisci, tam ipsi, quàm zonæ quibus continentur, ænei: inter eos media sunt ostia. Intra ambitum specus est, non naturâ, sed arte, et certo proportionis modulo quàm solertissimè excisus. Ejus subterraneæ cellulæ forma furno persimilis: cujus latitudo dimensa per rectam lineam ab imo ambitu ad summum cubitos æquârit plus minùs quatuor; in altum subsidit hiatus haud ampliùs octo ferè cubitorum. Nulli verò gradus constructi sunt, qui ingressos ad imum solum demittant; sed ad Trophonium descensuri scalas admovent angustas æquè atque habiles. Ubi descensum fuerit, medium inter solum et antri testudinem cavernula est latitudine duorum dodrantum, altitudine dodrentali. Qui eò penetrârit, humi procumbens, melle subactas offas tenens, pedes priùs in cavernulam illam immittit: mox genua properat ad pedes adjungere: statimque reliquum corpus ad genua contractum, eodem prope modo, quasi maximi et concitatissimi amnis aquarum vortice correptum fuisset, intrò abripitur. Qui certè intra penetrale descenderint, futura non uno et eodem cognoscunt modo: ex visis alius, ex auditis alius id consequitur. Per easdem fauces patet omnibus reditus; in pedes verò retrogrediuntur. Neminem omninò ex iis qui eò pervaserint, non reducem evasisse affirmant, uno excepto, qui de speculatoribus Demetrii fuit. Illum certè neque eorum quidquam sacrorum, quæ fieri ad fanum illud religione sancitum est, fecisse: et non sciscitandi causâ, sed quòd argentum et aurum se, quod illic esset, asportaturum sperârat, introisse aiunt. Ejus itaque cadaver in diversam partem, et non per sacrum hiatûs illius ostium ejectum. De quo quidem homine quùm multa dicantur alia, ea, quæ narratu duxi dignissima, exposui. » (Ex hoc facto intelligitur, et valdè periculosum fuisse sacerdotes offendere, et totum montem intùs cavum præbuisse iisdem ad oraculum accessum.) « Consultorem à Trophonio reversum sacrificuli in solio statim collocant, quod Mnemosynes dicitur: positum illud est non procul ab adyto. Ab eo percontantur, quæcumque vel visa vel audita reportârit. Ea ubi excepêre, suis illud reddunt. Hi sublatum hominem in cellam bonæ fortunæ et boni genii, in quâ veniens primùm commoratus fuerat, reducunt, multo illum quidem adhuc terrore attonitum, et suimet atque omnium assistentium oblitum. Resipiscit tamen paulò post; et pristina ei mens et risus redit. Scribo autem non solùm audita, sed quæ et aliis accidisse vidi, et egomet sum expertus, quùm ad Trophonium consulendi causâ ipse venerim. Coguntur sanè omnes, qui à Trophonio redeunt, quæcumque vel audierunt, vel viderunt, à se conscripta in tabulam referre. » Ex hoc uno cætera cognosce oracula.

Quarta erat ratio oracula edendi per sortes quas ipsi antistites versabant et interpretabantur, uti libebat: quod genus oraculorum multiplici fraudi opportunum fuisse per se intelligitur. « Tota res est inventa fallaciis, ut ait Cicero, aut ad quæstum, aut ad superstitionem, aut ad errorem. » Dabantur tandem oracula per statuas, quibus sese sacerdotes subjiciebant, ferebantque; tunc ex motu statuæ responsa habebantur (1): quandoque intra easdem sese abscondere solebant sacer-

(1) Oracula apud Græcos multa, multa apud Ægyptios. Verùm etiam in Libyâ et in Asiâ multa sunt. Sed alia non sine sacerdotibus vel Prophetis respondent: at hic movetur ipse (loquitur de Apollinis statuâ apud Hierapolim in Syriâ), et divinationem usque ad finem ipse perducit. Modus hic est: Cùm vult reddere oraculum, in sede primùm suâ moratur; sacerdotes verò ipsum continuò tollunt. Si verò non tollant, ille ludit, et in medium progreditur. Cùm verò subeuntes onus ipsum ferunt, agit illos usquequàque in orbem et in alium ex alio transilit. Tandem obsistens sacerdotum princeps interrogat illum de rebus omnibus. Isque si nolit fieri, retrocedit; si verò probet, antrorsùm

dotes, et ex illis ope tuborum longorum voces emittebant. Narrat Theodoretus Hist. eccl lib. 5, Theophilum Alexandriæ episcopum civibus has sacerdotum fraudes patefecisse. « Hic, inquit, Alexandrinorum urbem simulacrorum fraude liberavit. Non enim solùm delubra deorum funditùs evertit, verùm etiam præstigias sacerdotum, qui multitudinem decipiebant, iis, qui decepti fuerunt, spectandas proposuit. Statuas enim ex ære et ligno intùs cavas fabricantes, earum dorsa parietibus applicantes, meatus quosdam relinquebant. Deinde per adyta subeuntes et in statuarum penetralia introgressi, per has imperabant quidquid vellent; hâc fraude decepti, qui audiebant, jussa exequebantur.

V. Quàm hæc omnia plena fuerint vanitatis satis ex superioribus patet. At etiam ad oraculorum minuendam auctoritatem multùm sine dubio valet, quòd cùm adhuc vigerent, ita prolapsa erat inter sanioris mentis homines eorum fides, ut nihil inter eos esset contemptius. Illa flocci faciebant duces et imperatores, nisi ex re suâ esset, ut crederentur: deridebant illa in theatris poetæ; irridebant philosophi non solùm Epicurei, sed et Peripatetici aliique omnes præter paucos Stoicos superstitionibus deditos. Inter hos Chrysippus, teste Cicerone, cum summâ diligentiâ responsis undique collectis volumen impleverat, « partim falsis, partim casu veris, ut fit in omni oratione sæpissimè; partim flexiloquis et obscuris, ut interpres egeat interprete, et sors ipsa referenda sit ad sortes. » Paulò ante dixerat: « Num igitur me cogis etiam fabulis credere? quæ delectationis habeant quantùm voles, verbis, sententiis, numeris, cantibus adjuventur; auctoritatem quidem nullam debemus nec fidem commentitiis rebus adjungere, eodemque modo nec ego Publicio nescio cui, nec Martis vatibus nec Apollinis opertis, credendum existimo: quorum partim ficta apertè, partim effutita temerè, nunquàm ne mediocri cuiquam, non modò prudenti, probata sunt. » Vanitatem etiam multorum oraculorum confitetur Porphyrius apud Eus. lib. 6, c. 5, rei apprimè consultus, ut qui librum scripserit de Philosophiâ ex oraculis petitâ. Sancti Ecclesiæ christianæ doctores, quamvis oracula dæmonum artibus ac præstigiis sæpè attribuant, sæpè tamen quoque nihil illis subesse præter fraudem sacerdotum subodorati sunt. Audiamus duos omnium doctissimos Origenem et Eusebium. Ille scribit, lib. 7 contra Celsum: « Possumus quidem, si Aristotelis et Peripateticorum scripta compilare velimus, non pauca afferre ad ea labefactanda, quæ de Pythiâ et reliquis oraculis feruntur. Possumus quoque, si expromamus quæ de iisdem rebus ab Epicuro ejusque sectatoribus disputata sunt, ostendere nonnullos Græcorum refellere et aspernari oracula, quæ per universam Græciam communi et tralatitio usu etiam cum admiratione recipiuntur. Sed detur Pythiam et cætera oracula non fuisse ab hominibus conficta, ut inspirati à Deo viderentur. Videamus an non cordatis harumce rerum scrutatoribus probari possit, etiamsi hæc oracula esse darentur, non inde tamen necessariò sequi, quosdam deos illis præesse, sed è contrario quosdam dæmones malos et quosdam spiritus humano generi infensos. » Ex quibus certè verbis satis clarum est, Origenem non multam fidem dedisse plerisque oraculis, et nonnisi concessione quâdam dare Celso, vera esse illa quæ circumferebantur.

Eusebius, Præp. evang. l. 4, c, 1, scribit: « Quanquàm alius fortè, qui hanc disputationem insisteret, quidquid isti narrant, fraudem et errorem esse, veneficorum virorum artes præstigiasque contenderet, atque ita vulgarem funditùs opinionem evelleret, ut non solùm Deo, sed ne malo quidem dæmoni, quæ passim de illo jactantur, assignanda esse statueret: quippe responsa deorum artificiosis versibus illigata hominum utique non bardorum atque stultorum, sed ad fallacias dolosque moliendos apprimè factorum, commenta esse; quæ ancipiti et ambiguo sermone contenta, in utramque expectati eventûs partem non ineptè cadere et quadrare possent: ea verò, quibus

agit suos bajulos, tanquàm habenis auriga. Ita colligunt oracula, et neque rem sacram ullam neque privatam sine hoc faciunt. Prædicit etiam de anno, omnibusque ejus tempestatibus, et quando non futuræ sint: item prædicit de signo, quando eam, quam dicebam modò, profectionem suscipiat. Narrabo etiam aliud, quod me præsente egit: sacerdotes sublatum ferebant, at ipse illos humi reliquit, sublimis ipse solus ferebatur. Lucianus de Deâ Syrâ, lib. 36, 37:

Sic numina Memphis
In vulgus proferre solet: penetralibus exit
Effigies; brevis illa quidem, sed plurimus infra
Liniger imposito suspirat vecte sacerdos,
Testatus sudore Deum.

Claudianus IV. cons. hon. 569. Vide Jortin. tom. 1 pag. 102. Vandale de Orac. 110.

rudi plebeculæ imponitur, circulatorum prodigia cum naturalibus causis esse conjuncta. » Deinde idem auctor longâ enumeratione recenset varias fallendi artes, quibus in oraculis confingendis uti poterant sacerdotes, quasque haberent opportunitates, « in plebeiorum ingeniorum stultitiâ, rudisque multitudinis imbecillo ac nullâ probato experientiâ judicio. » Postea observat deos nullam opem popularibus suis attulisse, à quibus propterea contemnebantur, sed solummodò extraneis fraudis omnis ignaris; cujus rei causam reddit satis luculentam : « Quid verò in causâ fuerit, cur peregrinis quidem hominibus, et ex longinquâ regione venientibus rerum meliorum spes quasdam umbratiles ac fucatas ostenderent, civibus autem popularibusque suis non item, quibuscumque tamen eos, utpote domesticis amicis ac civibus, derivatum ex numinum præsentiâ bonum communicare oporteret, nisi quòd extraneos homines veteratoriæ calliditatis ignaros faciliùs in errorem, quàm alios sibi familiares ac notos impellerent, quippe qui artis hujus imperiti non essent, sed usitatæ ludificationis optimè conscii? Quare totum istud profectò nec divini quidquam, nec humana industria majus habuit. » Tandem idem Eusebius argumentatur ex confessione paganorum : « Quisque totius rei summam caputque facilè perspexerit, si ad superiora hoc unum addiderit, jam homines id genus quamplurimos, qui singularem numinis afflatum præ se ferrent, quos isti præcipuos et sacrorum interpretes, et theologos et Prophetas haberent, non solùm antehac, sed nuper etiam nostrâque memoriâ divinæ hujus sapientiæ nomine clarissimos, cùm ad Romana tribunalia rapti essent, quæstionum vi adactos, universum hoc fraudis genus ad homines decipiendos comparatum declarâsse, totumque negotium præstigias esse arte compositas fassos fuisse... His igitur collectis aliisque pluribus, meritò neget quispiam tam dæmones, quàm deos sparsorum per urbes oraculorum auctores fuisse, remque totam in errorem vulgi, ac circulatorum fallaciam præstigiasque conferat. Etverò integræ quoque, ac præcipui nominis philosophorum sectæ hujus opinionis duces ac vindices extitêre, puta, qui ex Aristotelis disciplinâ prodierant, et quotquot deinceps Peripatetici nominati sunt, necnon Cynici et Epicurei, quos equidem mirari eo nomine plurimùm soleo, quòd cùm Græcorum in moribus ab ipsis incunabulis educati fuissent, ac deos, quos antc diximus, pueri à suis quique parentibus accepissent, nunquàm tamen erroribus istis irretiri ullo modo potuerint, sed potiùs quæ passim jactabantur oracula, quæque omnium concursu populorum vaticinia celebrabantur, ea non modò vanitatis coarguerint, sed etiam exitii potiùs quàm utilitatis ullius causas esse demonstrârint.

Attamen idem Eusebius post allata quædam ex Diogeniano contra divinationem sic pergit : « Ista quidem aliaque similia, qui in hoc argumenti genere ad refellendam oraculorum famam colligere vellet, ne magnam is copiam habiturus esset. Verùm susceptam à nobis disputationem hâc viâ moliri non placet, sed eâ potiùs, quâ in eam ab ipso statim initio ingressi sumus. Dabimus enim eos, qui vaticiniorum fidem asserunt, vera dicere. » Sic datâ oraculorum veritate, postea concludit ea per dæmones malos edita fuisse, quos Christus adventu suo profligavit : et hanc argumentandi rationem nos supra sumus imitati.

De Sibyllinis oraculis. — Idem omninò de Sibyllinis carminibus, quæ à Romanis servabantur, et paganas superstitiones spectabant, putandum est. « Callidè, inquit Cicero de Div. lib. 2, qui illa composuit, perfecit, ut quodcumque accidisset, prædictum videretur, et hominum et temporum definitione sublatâ. Adhibuit etiam latebram obscuritatis, ut iidem versus aliàs in aliam rem posse accommodari viderentur. Non esse autem illud carmen furentis, tum ipsum poema declarat; est enim magis artis quàm incitationis et motûs; tùm verò ea quæ achrostichis dicitur, quùm deinceps ex primis versuum litteris aliquid connectitur. Quamobrem Sibyllam sepositam et conditam habeamus, ut, id quod proditum est à majoribus, injussu senatûs ne legantur quidem libri, valeantque ad deponendas potiùs quàm suscipiendas religiones. » Priora hujusce generis carmina allata et vendita Tarquinio regi fuisse dicuntur. Quæ postquàm fuerant cum Capitolio concremata, jussu senatûs alia undequàque collecta fuerunt nullius certè auctoritatis, utpote à privatis transcripta, et aliqua evidenter supposititia, ut docet Dion. Hal. l. 4. Imò conficta sub Sibyllæ nomine ejusmodi carmina innumera fuisse tradunt historici. De Augusto scribit Suetonius : « Pontificatum maximum, quem nunquàm vivo Lepido auferre sustinuerat, mortuo demùm suscepit : et quidquid fatidicorum librorum, græci latinique generis, nullis vel parùm idoneis auctoribus, vulgò ferebatur, supra 2000

contracta undique cremavit, ac solos retinuit Sibyllinos, hos quoque delectu habito; condiditque duobus forulis auratis sub Palatini Apollinis basi. » Dion Cassius in Tiberio habet : « Augebat timorem quòd per illud tempus, quædam oracula canebantur pro Sibyllinis : hæc Tiberius ut falsa calumniari cœpit, librosque omnes de vaticiniis inspexit, ex quibus eos, qui inutiles esse videbantur, damnari atque rejici, cæteros reponi ac retineri jussit. »

Quod verò attinet ea carmina, in quibus sunt plura de Christo et Religionis ejus partibus vaticinia, hìc disputare necesse non est, cùm nedùm in iis habeat pagana superstitio præsidium, è contrario ad christianam causam defendendam semper contra paganos usurpata sunt : rectène, an malè magna quæstio est; de quâ brevissimè, quid verius videtur, indicabimus.

Primò, certum est illam collectionem carminum contentam octo libris, quæ in bibliothecâ Patrum reperitur, esse in multis partibus, imò fermè totam commentitiam. Nam quamvis auctor se nuncupet Noachi nurum, et de Moysis ortu atque Israelitarum ex Ægypto migratione vaticinetur, tamen cuique legenti evidens est, illum Christianum fuisse millenariorum opinionibus addictum, in vaticinationibus non semper veracem, nec in historicis rebus peritum.

Secundò, illæ collectiones, quibus Patres usi sunt, valdè corruptæ erant et interpolatæ, si non omninò fuerint confictæ. Nam de christianis rebus eadem illa carmina æquè clarè et apertè vaticinantur, ac narrant Evangelistæ; multò quidem clariùs quàm Prophetæ Judæorum. Sed 1° si Sibyllis à Deo tantùm prophetici luminis concessum est, ut ea mysteria, quæ Prophetæ Judæorum prænuntiârunt in ænigmatibus, figuris et parabolis, sine involucris aut ullâ obscuritate prædicerent, quî factum est, ut nec Apostoli, nec primi viri apostolici ullam eorum rationem habuerint, aut meminerint quidem? quomodò vera sunt quæ canit David? *Notus in Judæâ Deus.* Et : *Qui annuntiat verbum suum Jacob, justitias et judicia sua Israel. Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis.* Aut vera hæc Apostoli? *Quid ergo ampliùs Judæo est? Aut quæ utilitas circumcisionis? multùm per omnem modum; primùm, quia credita sunt illis eloquia Dei.* Et : *Qui sunt Israelitæ? quorum adoptio est filiorum, et gloria, et testamentum, et legislatio, et obsequium, et promissa?* 2° Origenes, Lactantius, Constantinus et alii fatentur conquestos esse Celsum et gentiles, Sibyllinis carminibus multa à Christianis impia inserta fuisse, aut etiam omninò ea esse conficta. 3° Celsus apud Origenem l. 7, n. 53, indicat non omnes Christianos usos esse auctoritate Sibyllæ : « Sibyllam, cujus auctoritate quidam è vestris utuntur. » Id ex eo confirmatur, quòd cùm Celsus sectæ inter Christianos, Sibyllistarum dictæ, mentionem injecisset, Origenes significat hoc nomine ab illis Christianis, « qui Sibyllam divinam esse vatem negarent, » eos infamari, qui Sibyllinâ uterentur auctoritate. Unde S. Augustinus, de Civ. Dei lib. 18, c. 47, quamvis Sibyllina laudet oracula, suam tamen disputationem prudenter his verbis concludit : « Sed quæcumque aliorum prophetiæ de Dei per Christum Jesum gratiâ proferuntur, possunt putari à Christianis esse confictæ. Ideò nihil est firmius ad convincendos quoslibet alienos, si de hâc re contenderint, nostrosque fulciendos, si rectè sapuerint, quàm ut divina prædicta de Christo ea proferantur, quæ in Judæorum scripta sunt codicibus. »

Tertiò, utrùm fuerint, necne, ante Christum quædam carmina Sibyllæ nomine inscripta, quæ continerent Judæorum doctrinam de venturo rege Messiâ, et ejus regni felicitate, difficiliùs definitur. Fuisse suadent inprimis, quòd Ciceronis tempore aliqui fuerint, qui ad Cæsarem pertinere contenderent, quæ in Sibyllinis libris de novo quodam regno prædicta legebantur. « Sibyllæ versus, inquit, de Div. l. 2, observamus, quos illa furens fudisse dicitur : quorum interpres nuper (Cotta quindecimvir) falsâ quâdam hominum famâ dicturus in senatu putabatur, eum, quem reverà regem habebamus, appellandum quoque esse regem, si salvi esse velimus. » Idem postea addit : « Cum antistitibus agamus, ut quidvis potiùs ex illis libris, quàm regem proferant, quem Romæ posthac, nec dii, nec homines patientur. » Suadent deinde Virgilii carmina, eclogâ quintâ :

Ultima Cumæi venit jam carminis ætas,
Magnus ab integro seclorum nascitur ordo :
Jam redit et virgo, redeunt Saturnia regna,
Jam nova progenies cœlo demittitur alto.

Ubi postea est descriptio metaphorica regni novi regis omninò similis illi quam habemus apud Isaiam passim. Tandem fuisse versus aliquos Sibyllinos ante Christum à Judæo vel proselytâ Judæorum confectos conjici potest ex illâ auctoritate, quam habuerunt postea inter

Christianos impostores; quam verisimiliter sibi comparaverunt, non prorsùs nova fingendo, sed sua veteribus attexendo.

At hæc rem extra omnem controversiam non constituunt: nam prorsùs nescimus quibus verbis conceptum erat vaticinium, de quo Cotta referre ad senatum volebat, neque illud cognitum benè habuit ipse Cicero, quod patet ex totâ ejus oratione. Deinde apud Virgilium « ultima ætas Cumæi carminis » significare potest ultimum, seu remotissimum (reipsà primum) seculum aureum, descriptum fortè à Sibyllâ, ut à cæteris poetis: et hic versus:

Magnus ab integro seclorum nascitur ordo,

significare potest omnium rerum redintegrationem et reditum seculi aurei, quem promiserant poetæ et philosophi post certas annorum periodos. Fieri etiam potest, ut Virgilius, quamvis nunquàm versum aliquem Sibyllinum legisset, versibus concluserit ea quæ ferebantur famâ publicâ, præsertim apud Judæos, de venturo rege: aut ab eorum uno, fortè ab Herode Pollionis patroni sui hospite, acceperit Isaiæ descriptiones; et hæc omnia more pagano accepta retulerit fatalibus libris, hoc est, Sibyllinis.

De miraculis paganorum. — Aliud numinis æterni et omnipotentis testimonium miraculum est, seu id omne quod præter naturæ leges in cœlo vel in terris contingit. Quippe natura est Dei regnum; ipse fundavit illam, perpetuâ actione conservat, sapientissimâ regit providentiâ: in legibus tam aptis, tam efficacibus, tam ratis, scripsit sapientiam suam, potentiam, constantiam. Quis similis ei in fortitudine, ut æterna ejus perturbet consilia? aut illam deformet perfectionum divinarum imaginem? Mundus spiritualis, ut pars est creationis præstantissima, sic universorum finis est, sine quo condidisset Deus domum magnificam, sed vacuam incolis; templum splendidum sine adoratoribus; creaturam brutam, quæ nec Creatoris sui solertiam cognoscere, nec sentire bonitatem, nec vices amoris et gratitudinis persolvere, nec laudes canere posset: administrationis igitur divinæ pars quoque præcipua est illa moralis, in quâ solâ virtutes Dei morales, bonitas, veracitas, justitia possunt elucere; hæc gloria Dei maxima, et gloriam hanc alteri non dabit. Multò ergo minùs hujus regiminis rationes à quopiam perturbari possunt. Ergo mutatio omnis in legibus naturæ opus est ejus qui naturam constituit, neque in hoc libro, qui continet divinæ pulchritudinis descriptionem, quidquam nisi digito Dei exarari potest. Neque in eo quidquam unquàm mutabitur, nisi ob eos fines propter quos natura ipsa constituta est, ad gloriæ divinæ majorem manifestationem, ad confirmationem veritatis, ad errorum profligationem, ad excitandam hominum pietatem, eamque remunerandam, aut ulciscendam impietatem et negligentiam: tumque in ipsâ perturbatione naturæ elucebit majestas et dignitas tanta, vel major, quàm in constanti ordinis naturalis conservatione.

Habent hos characteres miracula omnia, in quibus fundatur christiana Religio. A primo illo et omnium maximo, nempe hujus mundi ipsâ constitutione, hic finis, hic usus omnium fuit. Diluvio ultus est Deus hominum incredibilem perversitatem; similique judicio delevit Sodomam et Gomorrham: deinde vocationem Abrahæ et promissiones eidem factas, ad veræ Religionis conservationem necessarias, miraculis confirmare Deo dignum fuit. Hæc eadem multò magis erant necessaria ad liberandum populum veræ Religionis custodem unicum, confirmandamque legem, cujus præsidio tuta eadem Religio in mundo idololatrico consisteret. Perversitas principum, levitas populi, vicinorum regum superbia et arrogantia, miraculorum continuationem necessariam in republicâ judaicâ fecerunt. Sed nunquàm major eorum necessitas fuit, quàm cùm idololatria abolenda esset, omnesque gentes vocandæ ad cognitionem unius veri Dei. Ut horum omnium summa utilitas fuit et quædam necessitas, sic in omnibus servata est numinis majestas; propter amplitudinem exercitæ potestatis, quæ in universam valebat naturam; propter ejus manifestationem publicam in oculis universæ nationis Judaicæ et aliorum sæpè populorum; propter illam auctoritatem, cum quâ Moyses et Prophetæ, sed præsertim Christus, omnibus elementis imperabant. At quàm ab his distant ex omni parte quæ apud paganos ab historicis prodita sunt miracula! pleraque sanè levia et in nullos usus admissa, vel planè indigna sunt divinâ majestate in omnibus circumstantiis: alia nihil sunt quàm naturalia phænomena quæ admirationem habuerunt imperitæ multitudinis: ea, quæ majora videntur, planè incerta sunt, nec ulla satis firmâ munita auctoritate, ut patebit ex eorum recensione.

I. Pleraque quæ apud Livium leguntur prodigia, vani apud populum rumores fuerunt, vel ficta à privatis aliquibus portenta. Talia

sunt sequentia : « Dii penates Albâ Lavinium spontè regressi..... Romuli lituus et statuæ incendiorum flammis intactæ.... Junonis monetæ, fortunæ muliebris, Sylvani verba audita.... Vox è luco, è sylvâ noctis silentio audita.... Bos locutus, bos femina locuta.... Caput humanum integrâ facie aperientibus fundamenta templi Jovis apparuit.... Gallina in marem versa.... Castor et Pollux visi bello Latino et Persico. Mars visus bello Lucano. Julius Cæsar post mortem visus.... Æsculapius serpentis specie apparens spontè Romam proficiscitur, » etc. Hæc et alia ejusmodi, quæ sæpiùs apud Livium repetita habes, non habuerunt fidem historicorum qui ea retulerunt: plerùmque utuntur hâc formâ : Ferunt, fertur, memorant, fama est, etc. Prædictus historicus in ipso operis procemio talibus portentis se non commodare credulitatem suam significavit : « Quæ ante conditam, inquit, condendamve urbem, poeticis magis decora fabulis, quàm incorruptis rerum gestarum monumentis traduntur, ea nec affirmare, nec refellere, in animo est. Datur hæc venia antiquitati, ut miscendo humana divinis, primordia urbium augustiora faciat. Et si cui populo licere oportet consecrare origines suas et ad deos referre auctores, ea belli gloria est populo Romano, ut cùm suum, conditorisque sui parentem Martem potissimùm ferat, tam et hoc gentes humanæ patiantur æquo animo, quàm imperium patiuntur. Sed hæc et his similia, utcumque animadversa aut existimata erunt, haud in magno equidem ponam discrimine. Ad illa mihi pro se quisque acriter intendat animum, quæ vita, qui mores fuerint : per quos viros, quibusque artibus, domi militiæque, et partum, et auctum imperium sit. » L. 24, c. 10, his verbis plurium prodigiorum narrationem inchoat : « Prodigia eo anno multa nuntiata sunt : quæ quò magis credebant simplices ac religiosi homines, eò plura nuntiabantur. » Ejusdem libri c. 3, post verba facta de Junonis Laciniæ templo, addit : « Ac miracula aliqua affinguntur plerùmque tam insignibus locis. Fama est aram esse in vestibulo templi, cujus cinerem nullo unquàm moveri vento. » Ibid. c. 44 : « Consules, duabus urbanis legionibus scriptis, supplementoque in aliis lecto, priusquàm ab urbe moverent, prodigia procurârunt, quæ nuntiata sunt. Murus ac portæ tactæ, Ariciæ etiam Jovis ædes de cœlo tacta fuerat. Et alia ludibria oculorum auriumque credita pro veris. Navium longarum species in flumine Tarracinæ, quæ nulli erant visæ ; et in Jovis Vicilini templo, quod in Compsano agro est, arma concrepuisse : et flumen Amiterni cruentum fluxisse. » Lib. 29, 14 : « Consules delectum habere instituerunt.... Quanquàm nondùm apertè Africa provincia decreta erat, tamen in eam spem erecta civitas erat, in Africâ eo anno debellatum iri, finemque bello Punico adesse. Impleverat ea res superstitionum animos : pronique et ad nuntianda, et ad credenda prodigia erant : eò plura vulgabantur ; duos soles visos, » etc. Ita perpetuò Livius, l. 2, c. 7 : « Adjiciunt miracula huic pugnæ, vocem editam, » etc. Lib. 25, c. 39 : « Apud omnes magnum nomen Marcii ducis est ; et veræ gloriæ ejus etiam miracula addunt, flammam ei fusam è capite. » Lib. 32 : « Multa eâ hyeme prodigia facta ; aut, quod evenire solet, motis semel in religionem animis, multa nuntiata et temerè credita sunt. »

Valerius Maximus, l. 1, c. 8, de Miraculis, post relata multa habet : « Nec me præterit de motu et voce deorum immortalium, humanis oculis, auribusque percepto, quàm in ancipiti opinione æstimatio versetur. Sed quia non nova dicuntur, sed tradita repetuntur, fidem auctores vindicent : nostrum sit, inclytis litterarum monumentis consecrata, perinde ac vana non refugisse. »

Eadem passim leguntur apud Dionysium Halicarnassæum, Polybium, Tacitum, Plutarchum, Quintum Curtium et alios, quorum omnium constans mos fuit prodere memoriæ ea quæ famâ publicâ ferebantur, essent vera, necne. « Plura transcribo, inquit Curtius, lib. 9, c. 1, 34, quàm credo ; nam nec affirmare sustineo, de quibus dubito, nec subducere, quæ accepi. » Ita etiam Suetonius in Claudio, c. 1 : « Quod equidem magis, ne prætermitterem, retuli, quàm quia verum aut verisimile putem. » Et Pausanias, l. 6 : « Ea quidem quæ vulgârint hâc de re Græci, necesse habui commemorare, credere verò omnia nulla me res cogit. » Tandem de iis prodigiis sic pronuntiat Cicero lib. 2 de Divin. : « Omitte lituum Romuli, quem in maximo incendio negas potuisse comburi : contemne cotem Attii Navii. Nihil debet esse in philosophiâ commentitiis fabulis loci. »

II. Inter prodigia relata ab historicis, plura nihil aliud sunt quàm effectus merè naturales et communes ; alia monstrosi fœtus sunt ; neque ullo modo arguunt in interventionem causæ alicujus supernaturalis. Talia sunt hæc

tam communia : « Ædes Jovis, matris Matutæ, Spei ; vel muri, vel simulacra fulmine icta ; aves in luco Dianæ nidos in arboribus reliquerunt ; corvi in æde Junonis sospitæ nidum faciunt.... Lupus intrat castra, laniatisque obviis ipse intactus evadit. Bos in foro boario in tertiam contignationem suâ sponte scandit. Agnus cum ubere lactenti Tusculi natus; agnus mas, idemque femina natus; agnus biceps cum quinque pedibus in Asculo natus. Angues miræ magnitudinis propè Terracinam in mari lasciviunt. Infans natus Frusinone quadrimo partu ; infans natus ambiguo sexu ; puer cum elephantis capite natus; pueri sine oculis et naso nati; puer sine manibus et pedibus natus, » etc. De his omnibus scribit Tullius de Div. l. 2 : « Si quod rarò fit, id portentum putandum est, sapientem esse portentum est; sæpiùs enim mulum peperisse arbitror, quàm sapientem fuisse. »

Alia prodigia sunt meteora extraordinaria quæ à recentioribus physicis observata et accuratiùs descripta sunt, ut hæc : « Fax in cœlo visa, cœlum ardere visum, lux inter noctem Frusinone orta, » sunt variæ species auroræ borealis.

Apud Livium, l. 1, c. 31 : « Nuntiatum regi (Tullo Hostilio) patribusque est, in monte Albano lapidibus pluisse ; quod cùm credi vix posset, missis ad id visendum prodigium, in conspectu, haud aliter quàm cùm grandinem venti glomeratam in terras agunt, crebri cecidère cœlo lapides.... mansit solemne, ut quandocumque idem prodigium nuntiaretur, feriæ per novem dies agerentur. » Hoc phænomenon quod sæpiùs contigisse legitur, productum est ab igne in visceribus Albani montis æstuante. Volcanum illum montem fuisse probatur multiplici argumento : 1° narrat Julius Obsequens, « Albanum montem nocte ardere visum, C. Cecilio et Cn. Papirio consulibus. » 2° Albanus mons terræ motibus obnoxius erat : Alladii undecimi regis Albæ palatium terræ motu prolapsum est in Albanum lacum. 3° Dùm Veii obsiderentur, legitur lacum in Albano nemore sine ullis cœlestibus aquis, causâve aliâ, quæ rem miraculo eximeret, in altitudinem insolitam crevisse. Hic eventus, qui etiam prodigii loco habitus est, benè explicatur per elevationem fundi, ex terræ motu procreatam. Eadem ratio est aliarum pluviarum, seu ferri, seu cineris, seu laterum coctorum, seu etiam carnis, quæ nihil aliud erat nisi minerale aliquod colore carnis tinctum : nam teste Plinio ad aerem expositum nequaquàm corrumpebatur. Quandoque lapides et cineres ad magnam usque distantiam è volcanis projecti sunt : in Chronico comitis Marcellini ad annum 472 legimus : « Vesuvius torridus intestinis incendiis æstuans exusta vomit viscera, nocturnisque in die tenebris omnem Europæ faciem minuto contexit pulvere. Hujus metuendi memoriam cineris Bysantii annuè celebrant 8 idus novembris. » Quandoque etiam lapides prægrandes cœlo cadere visi sunt in locis à notis volcanis valdè distantibus ; talis erat ille qui in Provinciâ, cœlo sereno, cecidit 17 nov. 1627, horâ decimâ matutinâ super montem Veisen, et cujus descriptionem accuratam dedit Gassendi, qui ibi præsens erat : « Hic, ut definivit ille philosophus, fuit à vicino aliquo monte extrusus vi subitaneæ inflammationis quæ violenter eruperit. » Vide de his omnibus dissertationem de veterum prodigiis, auctore domino Freret, inter acta Academiæ Inscriptionum et humaniorum Litterarum.

III. Miracula quoque Æsculapii inter effectus planè naturales meritò accensentur, quantacumque fuerit eorum olim celebritas, et de iis multorum, sive antiquorum, sive recentiorum nimia credulitas. 1° Quia constat Æsculapii omnes sacerdotes medicos extitisse, neque Deum subitò et sine remediorum applicatione supplices suos curare solitum fuisse. Lucianus Philopseude, t. 2 Opp. p. 333, scribit : « Æsculapius ejusque posteri salutaria pharmaca admoventes ægrotos curabant. » Sic etiam auctor Clementinarum homiliarum, Hom. 9, § 17 : « Cur dii post multùm temporis promittunt curationes ? cur verò si cuncta possunt, absque rei alicujus admotione non reddunt sanitatem ? quam etiam ob causam nonnullis quidem precantibus remedia imperant, quibusdam verò, interdùmque magis familiaribus non dant responsa? Scilicet quando sanitas ultrò recuperanda est, pollicentur, ut sibi vindicent. Alii verò ægroti post preces receptâ sanitate, iis quos invocaverant, adscripserunt, et donaria appenderunt. Qui autem post votum decepti expirârunt, infortunia non possunt dedicare, nisi quidam ex mortuorum propinquis adversos indagârint successus. Certè plura inveneritis adversa prosperis. Sed nullus iis præoccupatus, eorum redargutionem vult eloqui, reveritus, aut metuens ; imò contra, explorata illorum crimina occultant. » Eadem habet Arnobius l. 1 adversùs gentes, p. 33 : « Si quando, ut fama est, nonnullis dii attri-

buêre medicinam, aut cibum aliquem jusserunt capi, aut qualitatis alicujus ebibi potionem, aut herbarum et graminum succos superimponi inquietantibus causis, ambulare, cessare, aut re aliquâ, quæ officiat, abstinere : quod esse non magnum, nec admirationis alicujus stupore condignum, promptum est, si volueritis, attendere : medici etiam sic curant animal humi natum, nec confisum scientiæ veritate, sed in arte suspicabili positum, et conjecturarum animadversionibus nutans. Nulla autem virtus est medicaminibus amovere quæ noceant : beneficia ista rerum sunt, non sunt curantium potestates, et, ut sit laudabile scire quâ quos conveniat medicinâ aut arte curari, locus hujus laudis non in Deo, sed in homine constitutus est. Hunc enim non est turpe rebus extrinsecùs sumptis valetudinem hominis fecisse meliorem : indecorum Deo est, non ipsum per se posse, sed externarum adminiculis rerum sanitatem incolumitatemque præstare. »

2° Non omnes Æsculapii supplices sanitatem recuperabant : « Alii verò ægroti, ait pseudo-Clemens loco modò citato, post preces receptâ sanitate, iis quos invocaverant adscripserunt, et donaria appenderunt ; qui autem post votum decepti expirârunt, infortunia non possunt dedicare. » Idipsum exprobrat Æsculapii sacerdotibus Arnobius ib. p. 36 : « Quot millia vultis à nobis debilium ostendi, quot tabificis affectos morbis, nullam retulisse medicinam ? Cùm per omnia supplices irent templa, cùm deorum ante ora prostrati, limina ipsa converrerent osculis, cùm Æsculapium ipsum datorem (ut prædicant) sanitatis, quoad superfuit vita, et precibus fatigarent, et invitarent miserrimis votis. Nonne alios scimus malis suis commortuos, cruciatibus alios consenuisse morborum, perniciosiùs alios habere cœpisse, postquàm dies noctesque in continuis precibus et pietatis expectatione triverunt. Quid prodest ostendere unum aut alterum fortassè curatos, cùm tot millibus subvenerit nemo, et plena sint omnia miserorum infeliciumque delubra ? » Imò negat cuiquam à diis unquàm potestatem factam esse, vel pustulæ, vocis imperio, seu manûs contrectatione sanandæ. « Quid dicitis, ô mentes incredulæ, difficiles, duræ ? Alicuine mortalium Jupiter ille Capitolinus hujusmodi potestatem dedit ; curionem aut pontificem maximum, quinimò Dialem, quod ejus est, Flaminem isto jure donavit, non dico ut mortuos excitaret, non ut cæcis restitueret lucem, non ut membrorum situm enervatis redderet, et dissolutis ; sed ut pustulam, reduviam, papulam, aut vocis imperio, aut manûs contrectatione comprimeret ?

3° Novimus quoque rem Æsculapii fraude et dolo gestam esse, mercede conductos fuisse egenos quosdam, qui morbos fingerent, deinde se sanatos profiterentur, et cum juramento affirmarent. Illustris est apud Aristophanem locus in Pluto act. 3, scenâ 2, ubi Carion servus inducitur, antistitum Æsculapii fraudes valdè, apertè et facetè exponens ; locus dignus est qui legatur à credulis nostris, sed nimiùm longus, quàm ut hìc describatur.

Unde non mirum est hoc à Christianis exprobratum sacerdotibus fuisse : « Quàm multi, inquit auctor Hom. Clem. Hom. 9, p. 691, quàm multi et oracula ementiuntur, curationesque ex iisdem factas, quas juramentis etiam confirmant ? quot autem pro mercede semetipsos tradiderunt, qui commentis quibusdam nonnulla spontè passi, atque ita prædicantes, cùm è morbo per remedium convaluerint, oraculo promissam fuisse sanitatem asserunt, ut stolidum cultum stabiliant ? » Vide etiam Origenem l. 3 contra Celsum, ubi fidem omnem detrahit miraculis Æsculapii, aliisque objectis à Celso. Ex his patet quid judicandum sit de Græcâ tabulâ votivâ, quæ invenitur apud Gruterum, quæque appensa fuisse creditur Romæ in templo Æsculapii. Ibi recitantur cæcorum aliorumque ægrorum subitæ sanationes, et in eâ magnum suæ causæ præsidium habere se putaverunt miraculorum paganorum quidam defensores : sed oportuit sine dubio hujus tabulæ authenticitatem auctoritatemque confirmare aliquo collaterali testimonio.

IV. Vespasiani miracula posteris prodiderunt Tacitus et Suetonius. Prior Hist. l. 4, n. 81, scribit : « Per eos menses, quibus Vespasianus Alexandriæ statos æstivis flatibus dies et certa maris opperiebatur, multa miracula evenêre, queis cœlestis favor et quædam in Vespasianum numinum inclinatio ostenderetur. Ex plebe Alexandrinâ quidam oculorum tabe notus genua ejus advolvitur, remedium cæcitatis exposcens cum gemitu, monitu Serapidis Dei, quem dedita superstitionibus gens ante alios colit ; precabaturque principem, ut genas oculorumque orbes dignaretur aspergere oris excremento. Alius manu æger, eodem deo auctore, ut pede ac vestigio Cæsaris calcaretur, orabat. Vespasianus primò irridere, aspernari : atque illis instantibus, modò famam vanitatis metuere, modò obsecratione ipsorum, et voci-

bus adulantium in spem induci. Postremò æstimari à medicis jubet an talis cæcitas ac debilitas ope humanâ superabiles forent. Medici variè disserere : huic non exesam vim luminis et redituram, si pellerentur obstantia : illi elapsos in pravum artus, si salubris vis adhibeatur, posse integrari. Id fortassè cordi diis, et divino ministerio principem electum. Denique patrati remedii gloriam penès Cæsarem, irriti ludibrium penès miseros fore. Igitur Vespasianus cuncta fortunæ suæ patere ratus, nec quidquam ultra incredibile, læto ipse vultu, erectâ quæ astabat multitudine, jussa exsequitur. Statim conversa ad usum manus, ac cæco reluxit dies. Utrumque qui interfuère, nunc quoque memorant, postquàm nullum mendacio pretium.»

Suetonius autem l. 8 in Vespasiano n. 7, sic eadem facta narrat : « Suscepto igitur civili bello, ac ducibus copiisque in Italiam præmissis, interim Alexandriam transiit, ut claustra Ægypti obtineret. Hìc cùm de firmitate imperii capturus esset auspicium, ædem Serapidis, summotis omnibus, solus intràsset, ac propitiato multùm deo, tandem se convertisset, verbenas coronasque et panificia, ut illic assolet, Basilides libertus obtulisse ei visus est : quem neque admissum à quoquam, et jampridem propter nervorum valetudinem vix ingredi, longèque abesse constabat. Ac statim advenêre litteræ, fusas apud Cremonam Vitellii copias, ipsum in urbe interemptum nuntiantes. Auctoritas et quasi majestas quædam, ut scilicet inopinato et adhuc novo principi deerat, hæc quoque accessit. E plebe quidam luminibus orbatus, item alius debili crure, sedentem pro tribunali pariter adierunt, orantes opem valetudinis, demonstratam à Serapide per quietem, restituturum oculos, si inspuisset; confirmaturum crus, si dignaretur calce contingere. Cùm vix fides esset rem ullo modo successuram, ideòque ne experiri quidem auderet, extremò hortantibus amicis, palàm pro concione utrumque tentavit, nec eventus defuit. Per idem tempus Tegeæ in Arcadiâ, instinctu vaticinantium effossa sunt sacrato loco vasa operis antiqui, atque in iis assimilis Vespasiano imago. Talis tantàque cum famâ in urbem reversus, » etc.

At ut stet horum miraculorum certa fides, ex his duobus unum constare debet, scilicet aut iis, qui factis hisce intererant, et cognitas habebant omnes circumstantias, non fuisse fallendi voluntatem, aut iis defuisse fallendi facultatem. Sed 1° certum nullo modo est sacerdotibus Ægyptiis, ægris, aulicis et imperatori non fuisse fallendi voluntatem. Siquidem sacerdotes hisce artibus sibi conciliabant imperatoris gratiam, et ex gratiâ multa pro Ægypto et privata pro seipsis expectabant beneficia : certè Xiphilinus narrat Alexandrinos in agnoscendo Vespasiani imperio omnium promptissimos fuisse, quòd hoc modo merituros se vectigalium imminutionem sperarent. Intererat etiam multùm imperatoris, ut crederetur apud vulgus se à diis judicatum imperio dignum, quod ipsi satis innuunt prædicti historici : « His miraculis, ait prior, cœlestis favor et quædam in Vespasianum inclinatio numinum ostendebatur; auctoritas, scribit alter, et quasi majestas quædam, ut scilicet inopinato ac adhuc novo principi deerat, hæc quoque per miracula accessit. » Has ad circumveniendum populum artes non contempsisse Vespasianum ex nullâ re magis patet quàm ex ignavâ et impiâ Josephi historici adulatione, quâ in hunc principem vaticinia Messiam spectantia detorsit. Intererat denique ægrorum habere patronos et remuneratores Ægyptios sacerdotes et imperatorem, atque reverentiam delusæ plebis.

2° Non demonstratur defuisse illis omnibus fallendi facultatem. Constat certè sacerdotes Serapidis variarum fraudum vafros et exercitatos fuisse architectos : de eorum ingenio et artibus consule Ruffinum Hist. eccl. l. 2, c. 23... Neque res erat difficilis duos miseros homines pretio conducere ad istam fraudem, in civitate flagitiosissimâ, et in illis circumstantiis, in quibus propter imperatoris et sacerdotum favorem doli exitus infelix esse non potuit. . . . Denique Alexandrinam plebem famâ miraculorum deludere, res erat omnium facillima, cùm esset ista gens omnium superstitiosissima et jam imbuta vanissimâ opinione deum suum rebus humanis sæpè interesse, et piis suî cultoribus salutarem opem non denegare. Narrat quidem Tacitus unum ex ægris « tabe oculorum notum fuisse. » At quibus notum? an Vespasiani comitibus nuper illìc appulsis ? haudquaquàm certè : sed sine dubio Ægyptiis commenti artificibus, qui falsò id testificabantur. Testes profectò hujus facti non excusserât Tacitus.

3° Non solùm haud aberat seu voluntas, seu facultas fallendi; sed variæ, quæ circumstant hanc historiam, partes fraudem omninò patefaciunt. Effossa Tegeæ instinctu vaticinantium Vespasiani imago; Basilides, quamvis longo intervallo abesset, sese offerens imperatori,

dùm solus ingrederetur templum Serapidis : hæc et alia fortassè plura, quæ tum publico rumore ferebantur, ostendunt quo animo fuerint imperator et ejus aulici. Deinde vim sanandi divinitùs sibi concessam ignorat imperator ; at certò sciunt sacerdotes et ægri : imperatoris amici atque medici non dubitant : tanta quoque est Vespasiani securitas post factam inquisitionem, ut non metuat coram concione se contemptui et risui omnium exponere : hæc omnia non aliter contigissent, si fraudulenter res omnis gesta fuisset. Denique nimia est similitudo inter hæc miracula Vespasiani et alia Christi Domini : curatio cæci sputo imperatoris est imitatio similis miraculi à Christo peracti. Addit Tacitus : « Utrumque, qui interfuêre, nunc quoque memorant, postquàm nullum mendacio pretium. » Si id verum est, ergo res geri visa est, et multi creduli fidem addiderunt : sed rem gestam fuisse negamus, aut hos testes factum ex omni parte cognitum et exploratum habuisse. Notanda quoque est inter Tacitum et Suetonium levis dissensio : ille ægrum manu, hic debilem crure accessisse refert.

V. Non alia est ratio miraculorum Adriano attributorum : factum tale est. Cùm gravissimo morbo laboraret Adrianus, et summâ inprimis ægritudine animi affectus esset, adeò ut seipsum interimere sæpiùs tentâsset, ad sedandum irrequietum animum cœlestia monita ficta sunt, ad quorum testandam veritatem vis quædam miraculorum patrandorum ipsi divinitùs concessa asserebatur. « Eâ tempestate, inquit Spartianus in Adriano, supervenit quædam mulier, quæ diceret somnio se monitam, ut insinuaret Adriano ne se occideret, quùm esset benè valiturus ; quod cùm non fecisset, esse cæcatam. Jussam tamen iterùm Adriano eadem diceret, atque genua ejus oscularetur, receptura visum si id fecisset. Quod cùm insomnium implèsset, oculos recepit, quùm aquâ, quæ in fano erat, ex quo venerat, oculos abluisset. Venit et de Pannoniâ quidam natus cæcus ad febrientem Adrianum, eumque contigit ; quo facto et ipse oculos recepit, et Adrianum febris reliquit. » His sic relatis subjicit Spartianus : « Quamvis Marius Maximus hæc per simulationem facta commemoret. » Quibus opportunè monemur, subornatum fuisse utrumque ab Antonino, aut imperatoris domesticis, ut imperatorem desperantem spe salutis recrearent.

VI. Magna apud veteres Apollonii Thyanæi fama fuit, iisque omnibus virtutibus claruisse fertur, quibus enituit Christus ; adeò ut inter utrumque instituere comparationem Hierocles potuerit, quam etiam exhibuit Huetius prop. 9, c. 167. At hæc tria evidentissimè ibidem demonstravit eruditissimus Abrincensis episcopus : Primò Apollonium pro mago sacerrimo habitum fuisse, et dùm viveret, et post mortem ; qui multùm deditus esset vanissimæ Pythagoræorum disciplinæ, et superbiâ ac intolerabili arrogantiâ præditus ; quique rebus politicis perpetuò sese immisceret, conjurationes suaderet, et publicæ pacis perturbator existeret ; qui tandem impurissimam idololatriam confirmaret. Secundò, nullam esse Philostrati, qui vitam Apollonii scripsit centum postea annis, nec monumentorum, quibus usus est, auctoritatem. Ignotus quidam Juliæ imperatrici, Septimii Severi uxori, chartas quasdam tradidit de vitâ Apollonii à Damide Apollonii discipulo scriptas. Julia chartas illas Philostrato tradidit, jussitque vitam Apollonii describere. Igitur ex his præsertim chartis, et aliis quibusdam Maximi Ægiensis commentariis, et Mœragenis cujusdam scriptis, totam historiam Philostratus composuit. Quorum omnium monumentorum nulla est authenticitas. Fatetur ipse Philostratus Maximum Ægiensem retulisse solummodò ea quæ Ægis ab Apollonio gesta sunt. Mœragenem ignarum multorum viri actorum fuisse scribit. Damidem quidem diligenter dicta et facta Apollonii in litteras retulisse narrat. Sed profectò unde constabat chartas illas Juliæ oblatas, à Damide Apollonii discipulo reverà scriptas fuisse? Et licet Damidem auctorem haberent, unde constabat ei miracula Apollonii recitanti fidem adhibendam esse? Tertiò, demonstrat Huetius totam illam historiam confectam fuisse à Philostrato, ut invalescentem jam Christi fidem et doctrinam deprimeret, opposito hoc omnis doctrinæ, sanctitatis et mirificæ virtutis fictitio simulacro ; unde totam fermè Christi vitam in suam historiam transtulit : ut etiam principibus gratificaretur, atque famam ingenii singularis sibi compararet. Quæ certè Apollonii miraculis omnem fidem detrahunt. Adde quòd multa miracula Apollonio adscripta planè sint ridicula et absurda : unum aut alterum exemplum recitabimus. L. 4, c. 8, Apollonius invitatus dicitur ad nuptias amici sui Menippi. Cùm autem convivæ omnes adessent, et splendidum convivium paratum esset, Apollonius amicum monet, sponsam suam esse dæmonem fœmi-

nam : quo dicto dæmon illa statim evanuit, simul cum toto convivii apparatu, convivasque attonitos et famelicos reliquit. Ibidem c. 3, legimus Apollonium hàc ratione urbem Ephesum à peste liberâsse. Ephesinis auctor fuit, ut miserum mendicum lapidibus obruerent. Postquàm verò lapidibus obrutus esset, et remoti essent lapides, loco mendici repertus est ingens canis, qui spumam stupendum in modum ore emittebat, quasi esset leo. Statim verò Ephesus peste liberata est, et in eo ipso loco statua Herculi conservatori erecta. Denique Philostratus sæpè sibi ipse contradicit, quod observavit Eusebius in libello contra Hieroclem. « Adde, inquit Huetius, tot fabulas, tot somnia, tam nullius acuminis, tam nullius saporis, ut cùm ea legerem, etiam puer, continuò me caperet satietas et fastidium, et nutriculam ad somnos pupo suo conciliandos de Lamiæ turribus et pectinibus solis disserentem mihi audire viderer. »

VII Sed inter ethnicorum miracula longè celeberrimum fuit, quod apud Delphos contigisse legitur, et quo profligatus est Gallorum exercitus : rem sic narrat Justinus l. 24, c. 6, 7, 8 : « Itaque cùm victi se Macedones intra muros urbium condidissent, victor Brennus, nemine prohibente, totius Macedoniæ agros deprædatur. Inde quasi terrena jam spolia sorderent, animum ad deorum immortalium templa convertit, scurriliter jocatus *locupletes deos largiri hominibus oportere.* Statim igitur Delphos iter vertit, prædam religioni, aurum offensæ deorum immortalium præferens, *quos nullis opibus egere, ut qui eas largiri soleant,* affirmabat... Habebat Brennus lecta ex omni exercitu peditum sexaginta quinque millia : Delph. sociorumque nonnisi quatuor millia militum erant; quorum contemptu Brennus ad acuendos suorum animos prædæ ubertatem omnibus ostendebat, statuasque cum quadrigis, quarum ingens copia procul visebatur, solido auro fusas esse : plusque in pondere, quàm in specie habere prædæ affirmabat. Hàc asseveratione incitati Galli, simul et hesterno mero saucii, sine respectu periculorum in bellum ruebant. Contra Delphi plus in Deo, quàm in viribus reponentes, cum contemptu hostium resistebant, scandentesque Gallos è summo montis vertice, partim saxo, partim armis obruebant. In hoc partium certamine, repentè universorum templorum antistites, simul ipsæ vates, sparsis crinibus, cum insignibus atque infulis, pavidi vecordesque in primam pugnantium aciem procurrunt : *Advenisse Deum* clamant, *eumque se vidisse desilientem in templum per culminis aperta fastigia. Cùm omnes opem Dei suppliciter implorant, juvenem supra humanum modum insignis pulchritudinis, comitesque ei duas armatas virgines ex propinquis duabus Dianæ Minervæque ædibus occurrisse : nec oculis tantùm hæc se perspexisse : audisse etiam stridorem arcùs, ac strepitum armorum. Proinde ne cunctarentur, diis antesignanis, hostem cædere, et victoriæ deorum socios se adjungere,* summis obsecrationibus monebant. Quibus vocibus incensi omnes certatim in prælium prosiliunt. Præsentiam dei et ipsi statim sensêre. Nam et terræ motu portio montis abrupta Gallorum stravit exercitum, et confertissimi cunei non sine vulneribus hostium dissipati ruebant. Insecuta deinde tempestas est, quæ grandine et frigore saucios ex vulneribus absumpsit. Dux ipse Brennus, cùm dolorem vulnerum ferre non posset, pugione vitam finivit. Alter ex ducibus, punitis belli auctoribus, cum decem millibus sauciorum citato agmine Græciâ excedit. Sed nec fugientibus fortuna commodior fuit : siquidem pavidis nulla sub tectis acta nox ; nullus sine labore et periculo dies; assidui imbres et gelu, nix concreta, et fames, et lassitudo, super hæc maximum pervigiliæ malum, miseras infelicis belli reliquias obterebant. Gentes quoque, nationesque, per quas iter habebant, palantes velut prædam sectabantur. Quo pacto evenit, ut nemo ex tanto exercitu, qui paulò ante fiduciâ virium etiam adversùs deos contendebat, vel ad memoriam tantæ cladis superesset. »

Eadem fermè habet Pausanias : « Prodigia verò repentina, et omnium quæ unquàm audivimus evidentissima in barbaros divinitùs extitêre. Primùm enim terra, quantùm soli Gallorum acies occupaverat, ingenti motu ad multas horas contremuit : crebra deinde tonitrua et fulmina Gallos non solùm acriter exterruerunt, sed ad exaudienda, quæ dabantur à ducibus signa, hebetato aurium sensu, propè attonitos reddiderunt. Neque verò singuli tantùm homines cœlestibus ignibus corripiebantur; sed loco etiam proximi quique cum ipsis armis conflagrabant. Visæ præterea in eos consurgere heroum species, Hyperochus, Laodochus et Pyrrhus, quibus Phylachum civem suum Delphi quartum annumerant.... Atque hujusmodi quidem interdiù Galli terroribus, et cladibus, nocte funestioribus percussi sunt casibus; acerrimum frigus eos cum nive plu-

rimâ vehementer afflixit ; saxa prætereà ingentia, et montis crepidines sponte à Parnasso avulsæ in barbaros, quasi signum propositum, corruerunt. »

Haud defuerunt inter Christianos, qui hanc cladem inflictam reverà Gallis divinitùs fuisse non negârunt, non quidem ad confirmationem cultûs idololatrici, qui Delphis observabatur, sed ad sacrilegii vindictam defensionemque religionis in genere (1).

At illam opinionem nullo modo probare possumus ob hanc palmarem rationem, quòd istud miraculum fuisset evidentissima confirmatio sacrorum Delphicorum, neque unquàm auguratus fuisset populus tam stupendum prodigium contigisse ad confirmationem Religionis in genere, sed illud Apollinis, sororumque suarum potentiæ adscripsisset. Aliunde sæpè aliàs impii reges deos sacrilegè spoliârunt, et tamen nunquàm Deus apud paganos eorum repressit audaciam ad confirmationem Religionis in genere. Ipsum templum Delphicum expilârunt Phlegyes, Thraces, Xerxes, Pyrrhus, Nero. Dorimachus templi Dodonæi porticus combussit, et ablatis anathematibus totum oraculum susdeque evertit : nec Dei veri, vel falsorum numinum vindictam experti sunt. Dionysius, cùm fanum Proserpinæ Locris expilavisset, navigabat Syracusas : isque cùm secundissimo vento cursum teneret, ridens : *Videtisne, inquit, amici, quàm bona à diis immortalibus navigatio sacrilegis detur?* Idem cùm in fanum venisset Jovis Olympii, aureum ei detraxit amiculum grandi pondere, quo Jovem ornârat ex manubiis Carthaginensium tyrannus Gelo, atque in eo etiam cavillatus est, *æstate grave esse aureum amiculum, hieme frigidum*, eique laneum pallium injecit, cùm id esse ad omne anni tempus diceret. Idem Æsculapii Epidauri barbam auream demi jussit : *neque enim convenire barbatum esse filium, cùm in omnibus fanis pater imberbis esset.* Mensas etiam argenteas de omnibus delubris jussit auferri : in quibus quòd, more veteris Græciæ, inscriptum esset bonorum deorum, *uti se eorum bonitate velle* dicebat. Idem victoriolas aureas, et pateras, coronasque, quæ simulacrorum porrectis manibus sustinebantur, sine dubitatione tollebat : *eaque se accipere non auferre*, dicebat ; *esse enim stultitiam, à quibus bona precaremur, ab iis porrigentibus et dantibus nolle sumere.* Cambyses quidem Jovis Ammonis expertus vindictam dicitur, cùm misit exercitum ad ejus templum expugnandum : sed reverà inconsulta illa expeditio exitum habuit quem habere debuit : arenis immensis implicatus exercitus inopiâ commeatûs et lassitudine interiit.

2° Alii tempestatem Delphis exortam, cladémque Gallorum insecutam artibus sacerdotum attribuunt (1). Observant primò ex narratione Justini constare suæ saluti non defuisse sacerdotes, nec de eâ desperâsse : et ut Gallorum impetum retárdarent, sibique quærendi auxilii tempus procurarent, edixisse, ut messes et vina villis vicinis non efferrentur. « Gallorum vulgus ex longâ inopiâ, ubi primùm vino cæterisque commeatibus referta rura invenit, non minùs abundantiâ quàm victoriâ lætum per agros se sparserat, desertisque signis ad occupanda omnia pro victoribus vagabantur. Quæ res dilationem Delphis dedit. Primâ namque opinione adventûs Gallorum prohibiti agrestes oraculis feruntur, messes vinaque villis efferre, cujus rei salutare præceptum non priùs intellectum est, quàm vini cæterarumque copiarum abundantiâ, velut morâ Gallis objectâ, auxilia finitimorum convenêre. Priùs itaque urbem suam Delphi, aucti viribus sociorum, præmunivêre, quàm Galli vino, velut prædæ incubantes, ad signa revocarentur. » Observant 2° urbem atque templum munita ex omni parte fuisse, ita ut paucorum militum præsidium magnam multitudinem per longum tempus repellere potuerit. « Templum, inquit Justinus ibidem, Apollinis Delphis positum est monte Parnasso, in rupe undique impendente... Atque ita templum et civitatem non muri, sed præcipitia, nec manu facta, sed naturalia præsidia defendunt : prorsùs ut incertum sit, utrùm munimentum loci, an majestas Dei plus hìc admirationis habeat. » Observant tertiò sic fuisse montis asperitates dispositas, « ut hominum clamor, et si quando accedit tubarum sonus, personantibus et respondentibus inter se rupibus, multiplex audiri, ampliorque quàm editur resonare soleat. Quæ res majorem majestatis terrorem ignaris rei, et admirationem stupentibus, plerùmque afferre-

(1) C'est ainsi qu'il plut à Dieu d'exercer d'une manière tout extraordinaire sa vengeance contre ces sacriléges, pour l'honneur de la Religion en général, quelque fausse et quelque idolâtre que fût la religion particulière qui avait élevé le temple de Delphes. Prideaux, *histoire des Juifs;* vide Rollin, *Histoire ancienne.*

(1) Vide Warburton de miraculo quod Jerosolymis tempore Juliani imperatoris contigit.

bat. » Præterea totum montem cavernosum fuisse et repletum halitibus (fortè sulphureis, et ad flammam concipiendam aptis, quales in fodinis existere docet experientia). « In rupis anfractu, inquit Justinus, mediâ fermè montis altitudine, planities exigua est, atque in eâ profundum terræ foramen, quod in oracula patet : ex quo frigidus spiritus, vi quâdam velut vento, in sublime expulsus, mentes vatum in vecordiam vertit, impletasque deo responsa consulentibus dare cogit. » Eadem narrant Pausanias Phoc. c. 5, et Strabo, Geogr. l. 9. Quartò denique docent sacerdotes Delphicos his præsidiis munitos, ac instrumentis instructos, valuisse non modò sese defendere, verùm panicum Gallis incutere, eorumque exercitum profligare; idque perfecisse eos, tum sonis ad terrorem magnis editis, tum montis gravissimâ concussione et disruptione, effectâ per admotas faces ardentes, quibus halitus sulphurei accenderentur, et aer subitò rarefactus graviter montem commoveret.

Hæc quoque explicatio minùs arridet ob multiplicem causam : 1° quòd nullo modo constet illos frigidos halitus, qui per foramina montis Parnassi erumpebant, fuisse sulphureos et aptos ad flammam concipiendam. 2° Quòd si fuissent illi halitus sulphurei et inflammabiles, cum magno suo periculo illos accendissent sacerdotes, utpote quibus totus mons graviter commoveri potuisset; ac tam illa pars, ubi ipsi consistebant, disrumpi potuit, quàm ea quæ Gallorum copiis erat obversa : verisimile non est potuisse sacerdotes sic inflammationem temperare, ut Gallis exitiosa, propriis sedibus non noceret. 3° Insecutam deinde tempestatem scribit Justinus, quæ grandine et frigore saucios ex vulneribus absumpsit. At si montis concussio sacerdotum industriâ facta fuisset, et illum effectum solùm habuisset, ut partem montis obversam Gallis dejiceret, reliqua quieta relinqueret, non puto ex illâ tantam in atmosphærâ excitari potuisse subitò tempestatem. Itaque 3° dico illam Delphicæ liberationis historiam esse in omnibus aut certè in multis partibus fabulosam. Fortassè tota historia fabula est, haud absimilis ejus quam Romani scriptores concinnârunt de altero Brenno, Gallisque Senonibus, quos falsò narrant profligatos fuisse à Camillo dùm appenderetur argentum pro redemptione capitolii. Certum est hunc Brennum nullâ acceptâ clade spoliis Romanorum onustum discessisse : sic etiam fortassè alter Brennus centum circiter annis post Romæ incendium, expugnatâ Delphicâ urbe, templum ibidem expilavit. Nam certè apud Strabonem, Geogr. lib. 4, p. 188, legimus : « Tectosages quidem traditum est interfuisse expeditioni Delphicæ et thesauros, quos Tolosæ (ea urbs est Tectosagum) Cœpio Romanorum dux invenit, partem fuisse pecuniarum Delphis ablatarum, quibus illi de suis facultatibus additione factâ eas placandi numinis gratiâ consecrârint. » Hanc traditionem parùm verisimilem putat Strabo, at propter rationes, quæ convellunt multas partes narrationis institutæ à Justino : « Verisimilior, inquit, est Possidonii narratio. Is refert inventas Tolosæ pecunias, 15,000 circiter fuisse talentorum, partim in sacrariis repositas, partim in sacris lacubus, neque signatas, sed aurum argentumque infectum fuisse. At templum Delphicum eo jam tempore vacuum fuisse ejusmodi rerum, jam in sacro bello à Phocensibus spoliatum. Quòd si quid fuerit ibi repertum, fuisse illud inter multos divisum, neque verisimile esse Tectosagas in patriam rediisse salvos, qui post discessum à Delphis miseriis pressi ob dissensionem alii aliò dispersi abierint. » Ex hâc narratione duo colligimus : primum est, memoriæ proditum fuisse, Gallos Tectosagas olim duce Brenno, templum Delphicum expilâsse, et pecunias ibi repertas abstulisse; cujus traditionis veritatem neque Possidonius negat, neque Strabo. Secundum est, Gallos, non propter Apollinis et sororum suarum sagittas et fulgura, sed ob dissensionem dispersos abiisse.

Hæc quoque magnam confirmationem habent ex Athenæo, l. 6, c. 5 : « E Gallis, inquit, qui Cordistæ vocantur (Scordisci dicti apud Strabonem), in suam regionem aurum non admittunt; verùm cùm alienam injustè populantur, nihil relinquunt intactum. Sunt autem illi populi reliquiæ Gallorum, qui à Brenno contra oraculum Delphicum in expeditionem educti sunt. Superstites illos in agris vicinis Istro collocavit Bathanatus quidam eorum dux, à quo viam, quâ reversi sunt, Bathanatum etiam nunc appellant. Aurum hi execrantur, nec in patriam sinunt importari, quia ejus gratiâ multa graviaque mala sunt perpessi : argento verò utuntur, et ejus causâ multa graviaque scelera patrare non dubitant. Atqui oportebat non aurum, quod erant deprædati, sed impietatem sacrilegam exterminare. »

Denique Justinus cæterique historici Græci nullo modo secum ipsi consentiunt; non tantùm hanc recitant cladem Delphicam, sed

Gallos ubique ferme profligatos narrant : attamen statim post factam Delphicæ expeditionis historiam scribit Justinus lib. 25 : « Denique neque reges Orientis sine mercenario Gallorum exercitu ulla bella gesserunt ; neque pulsi regno ad alios quàm ad Gallos confugerunt : tantus terror Gallici nominis, et armorum invicta felicitas erat, ut aliter neque majestatem suam tutam, neque amissam recuperare se posse sine Gallicâ virtute arbitrarentur. » An hæc inter se conveniunt? Concludere ergo possumus in expeditionis Delphicæ descriptione imitatos esse Græcarum rerum scriptores Herodotum suum, qui in Uraniâ similem Xerxis conatum scribit : nam et tunc, quamvis reverà à Xerxe expilatum fuerit Delphicum templum, oraculum datum est, « ne trepidarent Delphi, aut quidquam è templo moverent ; deum suis rebus tuendis sufficere. » Ibidemque legimus quomodò « Persis immissa fuerint è cœlo fulgura, et Parnassi montis juga disrupta in ipsos cum magno fragore incidentia plurimos occiderint. »

At demus Gallos à monte Parnasso depulsos maximam cladem sustinuisse; ut illius ratio reddatur non sunt devocandi de cœlo Apollo, Minerva et Diana cum Justino, nec cum Pausaniâ excitandi heroes Hyperochus, Laodochus, Pyrrhus et Phylacus : quod patebit ex ipsâ Pausaniæ narratione. Etenim hic in Phocidis c. 20, scribit, Græcos ad primum rumorem adventantium Gallorum copias magnas coegisse: « fuisse tam privatim singulis hominibus, quàm publicè civitatibus, unam communemque omnibus sententiam, aut funditùs pereundum, aut bello hostem superandum..... peditum viginti tria millia centum nonaginta, equitum plus minùs tria millia Thermopylis collecta, Gallorum primum impetum non modò sustinuisse, sed eosdem repulisse, quia Græcis favebant montium angustiæ : erat etiam Gallis armatura infirmior, et (quod caput fuit) rei militaris scientiâ multò erant hoste inferiores ; Galli, furore tantùm et animi impetu oppressâ ratione, ritu ferarum in hostes ruebant..... Iterùm ad Œtam montem septimâ à primâ pugnâ die Galli repulsi de exitu belli desperare cœperunt, nempe quibus prima quæque adversa evenissent. » Postea idem narrat, « quadraginta Gallorum millia in Ætoliam missa fusa fuisse ab Ætolis et sociis, mediamque eorum partem interisse : et Brennum superatis Thermophylis nonnisi cum exercitûs parte Delohos versùs esse profectum relictâ alterâ cum Acichorio. Ætolos, quas habuerunt copiarum robur, in Acichorii agmen convertisse, et iter facientium terga perpetuò lacessiisse; quam ob causam fuisse barbaris iter tantò tardius. Adversùs Brennum verò in acie stetisse Græcos, qui Delphos convenerant, ac primâ quidem luce, Græcos Delphis erumpentes, cæteros rectà in ipsam hostilis exercitûs frontem impetum fecisse; Phocenses verò locorum notitiâ fretos, per medias nives, ex arduis et præruptis Parnassi anfractibus descendentes, ac de improviso Gallos à tergo adortos, missilibus illos et sagittis impunè fixisse. Inito prælio, pergit, omnes, et præcipuè prætoria Brenni cohors, ut erant eminentibus corporibus, et omnium fortissimi, præsenti animo restiterunt : ii enim, etsi undique jaculis petebantur, neque magis vulneribus quàm frigore erant jam propè confecti, non tamen priùs loco sunt deturbati, quàm Brennum aliquot acceptis vulneribus, jam propè animam agentem, extra aciem extulerunt. Tum barbari universi, urgentibus ab omni parte Græcis, fugam malo suo coacti fecerunt : ac eos quidem, qui vel ob vulnera, vel aliquam corporis imbecillitatem sequi non possent, occiderunt. Fugientes castra habuerunt, quo loco nox eos primùm oppressit. Eâ nocte panicus illis incessit terror, » etc. Hæc certè narratio benè apta est in omnibus partibus atque connexa, atque non modò divino auxilio opus non est, sed nec illi in hoc eventu locus est.

Benè ergo de illis miraculis siluit Callimachus vetus poeta, proximus illorum temporum Hymno in Delum; ubi cùm memoret cladem Gallorum, non omisisset profectò miracula divinitùs edita, si ulla fecisset Apollo, quem toto carmine impensè celebrat. Imò narrat contraria Pausaniæ et Justini relationi, dùm scribit partem exercitûs Brenni pro mercede in Ægypto sub Ptolomæo militâsse, à quo postea oppressi sunt, quòd eos infidos experiretur. Benè quoque nullam eorum mentionem fecit Diodorus Siculus in Eclogis libri 22 : « Brennus, ait, Galatarum rex cum 140 millibus scutatorum et decem millibus equitum, cæteràque turbâ circumforaneâ et mercatoribus plurimis, bis mille insuper plaustris in Macedoniam progressus, bellum genti intulit, et ingentem militum jacturam fecit, ut nihil virium haberet impressione in Græciam factâ et in oraculum apud Delphos, quantumvis expilare illud cupiens. Nam pugnæ dùm crebræ committuntur, myriadibus ibi aliquot desideratis, Brenno

etiam ipsi vulnera aliquot infliguntur. Ad mortem igitur gravatus convocato suorum agmine, ad Galatas verba fecit, iisque consuluit, ut tum ipsum, tum vulneratos interficerent, crematisque plaustris, expediti domum redirent, et Acichorium sibi regem constituerent. Brennus autem cùm mero se affatim ingurgitâsset, semetipsum confodit. Quem ubi tumulârat Acichorius, saucios et à tempestate fameque ægrè habentes 20,000 interemit. Atque ita cum superstitibus eâdem viâ demùm iter fecit. At circa locorum difficultates ex insidiis Græci incumbentes, extremum agmen resecabant, impedimentaque omnia auferebant. Ad Thermopylas deinde progressi, cùm alimenta eis deficerent, alia 20,000 relinquunt. Dardanorum tandem regionem peragrantes, universi pereunt, ita ut nec unus superesset qui domum redisset. »

Tandem apud Polybium, l. 9, p. 563, gloriantur Ætoli quòd irruenti in Græciam Brenno et cæteris Barbarorum copiis restiterint; et p. 567, Acarnanûm orator refellens Ætolorum argumenta, dicebat : « Gloriamini quòd barbarorum in urbem Delphos impressionem sustinuistis, et ut eo nomine gratiam vobis habeant Græci postulatis. Atqui si propter id facinus gratia Ætolis debetur, quo et quanto Macedones sunt honore digni, qui pro Græcorum securitate cum barbaris dimicando partem vitæ majorem exigunt, neque finem ullum faciunt? » Ex quibus patet Ætolos sibi vindicâsse cladis Gallicæ gloriam, non diis acceptam retulisse. Alia recitantur exempla innumera opis à diis gentium suis adoratoribus præstitæ; at nullum est quod sive pro miraculi splendore, sive pro testantium auctoritate, comparari queat cum hoc quod modò ad examen revocavimus; unde omnia in hoc uno confutata sunt.

CAPUT III.

CONTRA MAHUMETANOS.

Cùm religio Mahumetana quædam prætensa reformatio et perfectio sit religionis judaicæ et christianæ; et Mahumetes ubique agnoscat divinam Moysis et Christi Domini apud homines legationem, imò librorum nostrorum sacrorum, saltem in plerisque partibus, auctoritatem, non aliter spectari potest prædicta religio, quàm ut hæresis quædam à nostris interpretationibus multùm deflexa, quæ ad normam Scripturarum nostrarum expendenda est. Inquiramus ergò quis sit hic reformator, quæ ejus nova lex, qualis theologia et morum disciplina, quæ ejus auctoritas, aut quod jus rerum novandarum; quare tantos habuerit successus? brevis expositio erit satis ampla refutatio.

I. *De Mahumete.*

Mahumetes vel Mohammed (sic enim pronuntiant Arabes) natus est Meccæ, patre Abd'alla, matre Amenâ, ex nobilissimâ Koreishitarum tribu, anno æræ vulgaris 571. Patre haud multò post mortuo, educatus fuit ad mercaturam curâ primùm avi sui Abd'almotalleb, et postea patrui sui Abu-Taleb. Ab isto ductus est in Syriam anno ætatis decimo tertio, et post reditum in patriam, cùm annum ageret circiter vigesimum quintum, commendatus est ab eodem patruo Kadijæ, viduæ nobili et diviti; apud quam tam benè se gessit in factoris munere, ut illum matrimonio sibi conjunxerit Kadija, annum agentem circiter vigesimum octavum, et æqualem fecerit ditissimis Meccæ incolis. In hâc lautiori vitæ conditione constitutus Mahumetes, meditatus est mutationem in patriâ religione, consiliumque apud se iniit avocandi Arabas ab idololatriâ, in quâ ipse educatus fuerat; restituendique, uti ipse dicebat, religionem primævam Adami, Noachi, Abrahami, Moysis, Christi, omnium denique Dei veri Prophetarum. In hunc finem commentus est habere se colloquia cum angelo Gabriele in speluncâ Hira, non multùm à Meccâ distante, in quam secedere divinis rebus vacaturus sæpè solebat.

Natus annos quadraginta, cùm ad illum usque diem idololatra extitisset, auspicatus est ministerium propheticum; fidemque habuit Kadijæ, aliquorumque domesticorum ac propinquorum. Deinde sibi adjunxit Abubekrum, virum magnæ auctoritatis, cujus ope sibi conciliavit plures ex potentissimis Meccæ incolis. Post annos circiter tres jussit Aly patruelem suum, filium Abu-Taleb, invitare ad convivium omnes ex stirpe Abd'almotalleb numero quadraginta, quibus congregatis Mahumetes aperuit missionem suam divinam. Sed ab omnibus præter Aly contemptus et derisus, hunc vicarium suum constituit : quod risum multum inter convivas excitavit, cùm viderent novum prophetam puero vices suas delegâsse. Mahumetes tamen à proposito non deterritus, publicè concionari Meccæ cœpit, ubi patienter auditus est, donec Arabum deos conviciis ap-

peteret, et contribules impietatis argueret. Verùm his conviciis Meccani excitati Mahumetem hostiliter persecuti sunt, et nonnisi potentiâ ac auctoritate Abu-Taleb servatus fuit. Hunc cùm à defendendo Mahumete Meccani nec avocare precibus, nec terrere minis potuerunt, initum est contra Mahumetem et suos fœdus, statutumque nulla matrimonia, nec commercia cum illis habenda esse in posterum. Hoc jam tempore Alcorani partes aliquas composuerat novus propheta : et ut probaret se esse verè legatum Dei, sæpiùs adversarios suos provocabat ad aliquid Alcorano suo simile conscribendum, audacter affirmans eos, etiamsi universi simul ad hoc convenirent, et præterea dæmones omnes in auxilium advocarent, nunquàm tamen ne unam quidem suram, id est, sectionem, parem vel similem suis esse facturos. Cùm autem miracula in confirmationem missionis suæ exigebantur, hanc prætendebat excusationem, se non ad patranda miracula, sed ad veritatem prædicandam missum esse.

Post mortem Abu-Taleb et Kadijæ, decimo missionis suæ anno, ab omnibus fermè desertus, Meccâ coactus est secedere in Tayef, locum sexaginta milliaribus distantem. Sed inde post mensem pulsus rediit Meccam, seseque commisit protectioni Al Motaam Ebn Adi. Anno ministerii sui duodecimo commentus est fabulam itineris sui nocturni in Jerusalem, atque inde in cœlum; quæ tam ridicula omnibus visa est, ut nisi Abubeker apertè et fidenter significâsset se fidem denegare Mahumeti non posse, quæcumque ille affirmâsset, ab omnibus fuisset statim derelictus. Eodem anno duodecim ex urbe Mediâ juramento se Mahumeti obstrinxerunt, qui Medinam reversi illi majorem numerum adjunxerunt, atque inter alios principem tribûs dictæ Aws. Hactenùs Mahumetes solâ persuasione usus fuerat, et in singulis Alcorani partibus, ad hunc usque annum conscriptis declaraverat se in mandatis habere à Deo, homines solummodò admonere, et veritatem publicè prædicare, at sibi non esse permissum quemquam ad fidem compellere; patientiamque quàvis datâ occasione commendaverat. Sed anno decimo tertio suæ prædicationis cum quibusdam Medinæ incolis solemne sanxit pactum pro mutuâ defensione; et cùm Medinam paulò post fugisset, ut vitæ suæ consuleret, cui insidiabantur Meccani, atque asseclarum numerum auctum vidisset, declaravit confestim se habere in mandatis infideles armis persequi, et fidem victoriis propagare. Ex hoc tempore rapto vixit, aliquando adversâ, sæpiùs prosperâ usus fortunâ.

Anno post fugam, seu Hegiræ sexto, stipatus mille quadringentis militibus, Meccam profectus est, ibique cum hostibus suis inducias fecit eâ conditione, ut cuicumque liceret ei se adjungere. Anno autem Hegiræ septimo dicitur scripsisse epistolas ad principes exteros, ad reges Persarum, Æthiopum, Romanorum, et eosdem invitâsse ad suam religionem suscipiendam. Græcorum copias anno octavo fudit; Meccam expugnavit, ibidemque idololatriam abolevit. Anno proximo legatos recepit missos ad se ab omnibus Arabiæ tribubus, quæ cùm viderent ejus armis devictam potentissimam totius gentis tribum, spontè ejus religionem amplexæ sunt. Tandem anno Hegiræ undecimo, ætatis sexagesimo tertio mortuus dicitur ex veneno, quo Zaineb filia Haneth Judæi armum ovis infecerat, qui ei in Chaiber oppido expugnato obla us est.

Erat naturalibus egregiè dotibus instructus Mahumetes, formâ præstanti, ingenio callido, moribus facetis, ac præ se ferens liberalitatem in egenos, comitatem in singulos, fortitudinem in hostes, ac præ cæteris reverentiam divini nominis. Severus fuit in perjuros, adulteros, homicidas, obtrectatores, prodigos, avaros, falsos testes. Magnus idem patientiæ, charitatis, misericordiæ, beneficentiæ, gratitudinis, honoris in parentes ac superiores præco. At cum harum virtutum specie habebat magna vitia, libidinem, ambitionem, et, ubi hæc imperabat, crudelitatem. Libidinem probat uxorum multitudo, quæ ad minimum quindecim erant; numerantur vulgò viginti et una, vel viginti sex, præter quatuor ancillas pellices : finxitque impudenter sibi in hâc parte divinitùs indultum esse, cùm asseclæ ejus ad uxores quatuor restringerentur. Cùm exarsisset in amorem Zainab uxoris liberti sui, filiique adoptivi, ausus est quoque comminisci, divinitùs sibi esse permissum, contra morem Arabum, illam à filio adoptivo dimissam in uxorem assumere. Aisam puellam septennem sic inverecundè tractare solebat, ut propheta hic à puellâ indignante reprehensus fuerit. Ipsam propriam filiam Phatemam sic procaciter osculabatur, ut uxorum suarum zelotypiam excitaverit. Tandem ipse dicere solebat : « Deus « posuit delectationem meam in suavibus odo« ribus et in mulieribus. » Non mirum ergo est tam laxas esse in hâc parte Alcorani leges, et vitæ futuræ felicitatem maximâ arte ab eo

in effusâ libidine positam esse. Ambitionem certè probat tota istius impostoris vita; studio indefesso homines sibi adjungere unicè laboravit. Et superbiam inter infinita alia probat vel illa lex, quâ sanxit uxores à se repudiatas, aut à se post mortem relictas alteri nubere non posse. Crudelitatis specimen unum citabimus: cùm quidam camelos ejus diripuissent, pastoresque occidissent, eosdem comprehensos crudelissimè interfecit, abscissis eorum pedibus ac manibus, oculisque candente ferro erutis, atque ita relictis, donec animam egissent. Arabes, qui hæc omnia de prophetâ suo narrant, audent tamen in ejus vitâ scribere : « Non rependebat malum pro malo, imò ignoscebat et condonabat. Erat omnium modestissimus, et pudore virgines ipsas superabat. »

II. *De Alcorano.*

Al-Koran vox est composita ex *al,* gallicè *le,* et *Koran, lectio,* à radice *caraa,* legere : est ergo *liber lectionis.* Vocatur etiam *Al-Forkan* à verbo *Faraca, dividere, distinguere;* non quasi distinguat vera à falsis et licita ab illicitis : sed eodem sensu quo Judæi nominant portionem aliquam aut sectionem Scripturæ *Perek* vel *pirka,* ab eâdem radice. Item appellatur *Al-morhaf, volumen,* vel *Al-Kitab, liber* seu *biblia,* vel *Al-dhekr, admonitio.* Dividitur in *suras* seu capita 114, sicut Pentateuchus apud Judæos in 53 *sedarim,* quæ inscribuntur vel à primâ dictione, sive aliquâ insigniori versùs medium aut finem, vel à personâ aliquâ ibidem nominatâ, vel à materiâ partiali, quæ in illis tractatur; rarò à materiâ totali, quæ vix unquàm est per totam suram uniformis. Est quædam in variis Alcorani editionibus horum titulorum varietas.

Quædam ex his suris inscribuntur Meccanæ, quæ Meccæ revelatæ dicuntur; quædam Medinenses, quæ traditæ fuerunt Medinæ; quædam ex parte Meccanæ sunt, et ex parte Medinenses, quòd una pars Meccæ, altera Medinæ revelata feratur. Quædam dubiæ sunt, quas notant interpretes his verbis, *variatio est in illâ.* Alium etiam titulum eædem suræ præ se ferunt, nempe : *Bismilla, in nomine misericordis Dei :* quam præfationem Magi quoque Persarum suis libris apponebant. *Suræ* dividuntur in *ayât* seu signa diversæ longitudinis; quæ sic vocantur, quòd contineant Dei attributa, mirabilia, judicia, præcepta : habent sæpè, sicut suræ, proprios titulos. Signa autem hæc cujuslibet suræ dignoscuntur ex terminatione rhythmicâ : verùm quia rhythmus non semper est uniformis in totâ quâlibet surâ, ideò in nullâ ferè est certus numerus signorum; et quidam plura, quidam pauciora constituunt. Eadem signa non sunt regulata numero syllabarum ita ut legitimum carmen efficiant : sed sine ullâ syllabarum regulâ vel numero, sæpè breviùs, sæpè longiùs prosaicè decurrunt, donec in rhythmum desinant, qui ut plurimùm consonans est, vocali affecta, cum unâ ex tribus quiescentibus præcedente, úna, ína, áno. Est in Alcorano fluxus verborum ad aurium lenocinium maximè accommodatus, præsertim ubi modum loquendi propheticum Mahumetes affectat, et Scripturarum nostrarum phrasim imitatur : cùmque usus sit Koreishitarum dialecto, omnium purissimâ, est Alcoranus norma Arabici sermonis; hanc puritatem et elegantiam sic admirantur Arabes, ut eam miraculi loco habeant.

Continet Alcoranus judicia, historias et parænenses. Ad judicia pertinent leges et sanctiones tam ad res sacras, quàm politicas spectantes : cujusmodi sunt jejunia, preces, peregrinationes, matrimonia, hæreditates, tribunalia. Ad historias variæ narrationes, partim è sacris libris quanquàm corruptæ desumptæ; partim fictæ et ex libris apocryphis, sed præcipuè ex Talmud Judæorum excerptæ. Ad paræneses referuntur hortationes ad novam religionem, ad bella pro ejus defensione ac dilatatione suscipienda, ad eleemosynas et preces, deterrendo à vitiis, paradisi felicitatem pollicendo, postremæ diei rigorem ac gehennæ pœnas comminando. Porrò modò fingitur loqui Deus vel angelus Gabriel ad Mahumetem, seu Meccanos, seu alios; modò ipse alloquitur suos asseclas, vel infideles, præsertim Meccanos, vel Judæos, vel Christianos; exprobrando illis impietatem, perfidiam et errores, et ad sectam suam illos exhortando. Aliàs loquitur universus cœtus fidelium; aliàs damnati in gehennâ; aliàs beati in paradiso : ita ut sit quoddam veluti drama, in quo diversæ personæ loquentes introducuntur.

De Alcorani origine hæc Mohammedanorum sententia est. Negant Alcoranum ab eo scriptum fuisse, quem prophetam idiotam, nimirùm legendi scribendique prorsùs ignarum fatentur. Negant etiam ab alio homine, sive Arabe, sive extraneo, confectum ac traditum fuisse Mahumeti, quippe qui sit liber tantæ excellentiæ, ut, Alcorano ipso teste surâ 17, « Si simul congregarentur homines et dæmones ut facerent aliquid simile huic Alcorano,

« nunquàm id efficere possent, etiamsi mutuò « sese ad hoc adjuvarent. » Communis igitur et certissima Moslemorum fides est, sicut Pentateuchum Moysi, et Evangelium Christo, et alios sacros libros aliis Prophetis, ita Alcoranum Mahumeti à Deo ipso traditum fuisse. Sed quomodò et quando hoc factum est nunc accipe... Primò credunt Alcoranum esse æternum; imò et increatum (licet hoc nonnulli negent), semperque fuisse apud thronum Dei in tabulâ quâdam, seu libro immensæ magnitudinis, quam vocant tabulam custoditam : in quâ omnia præterita, præsentia et futura descripta sunt. Non desunt qui asserant Alcoranum in ipsâ Dei essentiâ custodiri..... Secundò credunt, in mense Romadan Moslemorum jejuniis sacro, in nocte quâdam, quam vocant noctem potentiæ (seu potiùs dispositionis, quia in eâ disponuntur et determinantur à Deo omnia quæ anno illo futura sunt), eumdem Alcoranum demissum fuisse à throno, sive ab essentiâ Dei usque ad cœlum infimum, nempe cœlum lunæ : scriptum in chartâ papyraceâ, in unico volumine... Tertiò, è cœlo lunæ Gabrielem revelâsse Mahumeti singulos versiculos, vel plures simul, variis in locis ac temporibus, in Meccâ vel in Medinâ, per spatium viginti trium annorum, juxta rerum exigentiam... Quartò, tradunt Mahumetem, quando aliqui versus ei revelabantur, illos amanuensi suo scribendos ac servandos tradidisse ; qui confusim eos in capsâ collocabat, ita ut certò sciri non possit, quonam tempore quilibet Alcorani versiculus traditus fuerit... Quintò, non solùm Mahumetis amanuenses, sed multi etiam è populo, dùm Alcorani versus recitarentur, in chartulis, seu membranis eos annotârunt : plures eos memoriâ tantùm retinuerunt... Sextò, certum est Mahumetem nullum Alcoranum integrum perfectumque reliquisse, qualem Gabriel semel in anno Mahumeti ostendebat, et bis anno vitæ suæ ultimo monstravit. Post mortem Mahumetis, Abubeker, qui illi in imperio successit, cùm videret Alcoranum esse tantùm in membranis seu chartulis et hominum memoriâ, collegit hujusmodi chartulas, et expiscatus est ex singulorum memoriâ ea quorum recordarentur, atque ex his Alcoranum compegit quem Haphsæ, Mahumetis uxori tradidit custodiendum... Septimò, cùm verò illius exemplaria in varias Mahumetanorum provincias transmissa fuissent, et magna inter ea diversitas reperiretur, atque unaquæque provincia Alcoranum suum cæteris anteferret, Othman, qui Abubekero et Omaro in imperio successerat, jussit à quatuor sapientibus describi plura exemplaria ex codice Haphsano, quæ cæteris suppressis pro authenticis haberentur. Verùm neque codex ille Haphsanus erat adeò sincerus, ut non multa à sapientibus illis fuerint correcta : et nihilominùs sunt hodiè in exemplaribus Alcorani multæ lectiones variæ, et quæ non raró sententiam immutant, ut in Alcorano ipso licet recognoscere. Hæc de Alcorano suo Mahumetani.

At verisimiliùs judicat Marraccius Alcoranum totum ferè simul compositum fuisse, et Mahumetem, sive per se, sive ope alicujus Christiani aut Judæi (sive ille Sergius fuerit, ut quidam voluerunt, sive Bahira, ut alii scripserunt ; sive Abdalla filius Salam, qui inter Judæos doctissimus censebatur) Alcoranum conscripsisse, ac pro libro sibi à Deo per Gabrielem misso Arabibus ignaris vendidisse. Porrò cùm Mahumetes, etsi idiota, sagacis esset ingenii, et per emporia Syriæ cum mercatoribus christianis et judæis, inter quos plures erant Ariani et Nestoriani, assiduè versaretur, interrogabat eos de rebus religionis suæ ; atque Judæi quidem fabulas talmudicas, quibus Alcoranus totus refertus est, Christiani verò historias apocryphas ipsi recitabant. Quædam etiam ex sacris litteris ab iisdem excipiebat, quæ deinde ipse confusim et perversè, utpote ignarus, sibi ab aliquo scribenda curabat : ita novam legem coagmentavit, quæ partim Judæis, partim Christianis faveret. Christianos tamen, utpote potentiores, magis probat et commendat, cùm Judæos plerùmque vituperet, fortassè ut hâc ratione Christianos magis sibi faceret benevolos. Plura etiam ad Ismaeliticam superstitionem spectantia admiscuit ; cujusmodi sunt peregrinatio Meccana, jejunium Romadan, visitatio Saphæ et Marwæ, purificationes et alia ejusdem generis Arabibus ethnicis usurpata. Ita ut Alcoranus mixtura quædam sit trium religionum, judaicæ, christianæ et ismaeliticæ ; additis paucis observantiis, quas temporum circumstantiis convenientes judicavit, ut meliùs ex iis quæ modò dicenda erunt, patebit.

Antequàm de Alcorano finem dicendi faciamus, non est prætereundum, plura esse ibidem secum pugnantia, quæ cùm Moslemi, utpote apertissima, negare non possint, hanc excogitârunt rationem, quâ prophetam suum à levitate et inconstantiâ vindicarent, negotium totum in Deum rejiciendo. Fatentur igitur Deum ipsum multa in Alcorano præcepisse uno tempore, quæ deinde, ita rerum necessitate exi-

gente revocavit. Versum revocatum vocant abrogatum; illum verò quo revocatur, abrogantem. Quamvis autem abrogans supponatur datus à Deo post abrogatum, in ordine tamen Alcorani sæpè abrogatus invenitur esse posterior, quia, ut modò diximus, neque capita, neque versiculi in Alcorano dispositi sunt eo ordine, quo Mahumeti traditi finguntur. Hujusmodi abrogationes frequentissimæ sunt in Alcorano; neque solùm in eâdem surâ, sed etiam in eodem versu reperiuntur: et quod valdè absurdum videtur, fatentur doctores Moslemi duos esse versus abrogantes datos à Deo, antequàm abrogati ab eodem traderentur.

Qui plura ex Alcorano collecta, seu falsa, seu superstitiosa, seu fabulosa videre velit, legere poterit Marraccii prodromum in Alcoranum parte 4, cap. 27. Hanc tamen fabularum farraginem vocant « librum Dei, veritatem « missam à Deo, directionem hominum, com« monitionem ad omnes creaturas, miraculum « perpetuum, miraculorum omnium maximum; « imò continere affirmant sexaginta millia mira« culorum. » De eo duæ sunt celeberrimæ quæstiones: nempe, « utrùm possit aliquid ei si« mile fieri ab ullâ creaturâ; et, utrùm fue« rit creatus in tempore, an verò increatus sit « et æternus. » Non sinunt eum ab aliis, quàm à suis, legi, haberi, tangi, et magni constaret Christiano vel Judæo, vel alii cuilibet non Moslemo, si apud eum Alcoranus inveniretur: ipsi etiam nonnisi purificati illum tangunt vel legunt. Quamobrem scribunt vel formant in Alcorani codicibus exteriùs hæc verba: *Ne attingant eum, nisi purificati.* Illo utuntur ad juramenta sua; illum consulunt in graviorum rerum tractatione; illum gestant in bellis; illius sententias in vexillis militaribus describunt; illum auro ac lapidibus pretiosis exornant.

III. *Theologia Moslemorum.*

Mahumetani religionem suam Islam vocant, quæ vox significat resignationem seu submissionem animi divinis mandatis, à radice *salama*, quæ etiam in primâ et quartâ conjugatione significat salvari; unde Islam est religio in quâ salutem homines consequi possunt: sed prior interpretatio magis probatur apud Moslemos, et ad illam in Alcorano alluditur suris secundâ et tertiâ.

Islam verò dividitur in duas partes: quarum una speculativa est, et vocatur Imân, id est, fides: altera dicitur Dìn, id est, praxis. De hâc sequenti paragrapho dicemus.

Omnia fidei Islamicæ dogmata necessaria ad salutem continentur in hâc formulâ: *Non est Deus præter Deum, et Mohammed est legatus Dei.* Unde quamvis sint plures apud Mahumetanos discrepantes sectæ, quàm apud Christianos, tamen hujus dissensionis vix ullam habent rationem, quia cùm quæque hæresis teneat fundamentalem articulum, non excludit à salute æternâ. Imò sæpè pronuntiat in Alcorano Mahumetes Judæos, Christianos et Sabaitas posse in suâ religione salvari: surâ secundâ legimus: « Certè qui crediderunt (Moslemi) et « Judæi, et Christiani, et Sabaitæ; qui credi« derint in Deum et in diem novissimum, et « fecerint bonum, ipsis erit merces sua apud « Dominum suum, et non erit timor super eos, « neque ipsi contristabuntur. » Et surâ quintâ: « Quòd si scripturales crediderint et timuerint « Deum, expiabimus certè ab eis malitias ipso« rum et sanè introducemus eos in hortos volu« ptatis. Et si ipsi observaverint Pentateuchum « et evangelium, et id quod traditum est ipsis à « Domino suo, comedent de supra se et de sub « pedibus suis, » id est, bonis omnibus abundabunt. Et surâ tertiâ: « Ex scripturalibus est gens « recta, meditantur signa Dei (sic vocantur non « modò versus Alcorani, sed etiam Pentateuchi « et Evangelii) horis nocturnis, et ipsi adorant. « Credunt in Deum et diem novissimum: præ« cipiunt justum, et prohibent ab injusto: et « certatim festinant in bonis operibus: et hi « sunt ex probis; et non fraudabuntur mer« cede boni illius quod fecerint. Nam Deus est « cognitor piorum. » Hæc profectò valdè clara sunt et consentiunt cum hoc Mahumetis generali principio, nempè ab origine mundi unam semper fuisse et futuram religionem veram, in quâ omnes divinæ dispensationes consentiunt, quamvis illæ in ritibus et legibus positivis differant. At cùm sensisset Mahumetes hanc doctrinam perniciosam futuram sectæ suæ, contraria docuisse videtur eâdem surâ tertiâ his verbis: « Et qui secutus fuerit aliam « religionem præter Islam, nunquàm accepta« bitur ab eo (Deo): et ipse in futuro seculo « erit ex pereuntibus. » Unde jam communis et orthodoxa Moslemorum sententia est, versus omnes Alcorani, in quibus conceditur scripturalibus salus æterna in propriâ religione fuisse à Mohammede abrogatos; atque plerique interpretes Mohammedani prædictos textus sic vertunt: « Si scripturales crediderint in Mohammedem et si observaverint Pentateuchum et Evangelium, exequendo ea quæ in utroque continen-

tur, inter quæ unum est, ut credant in prophetam (Mohammed) et id quod traditum est illis in sacris libris à Domino ipsorum.» Sub illo fundamentali articulo juxta sonniticam seu orthodoxam sectam sex alii articuli continentur, nempe de Deo, de angelis, de scripturis, de legatis Dei, de resurrectione et die judicii. de absoluto Dei decreto seu omnis boni malique absolutâ prædeterminatione.

I. De Deo magnificè semper loquuntur Mahumetani, et credunt ea omnia quæ philosophi lumine naturali cognoverunt et quæ nos revocare solemus ad theologiam naturalem. Multæ tamen inter eos vigent controversiæ de attributorum divinorum distinctione et modo. Trinitatem personarum in divinâ naturâ vulgò negant : attamen nullus est in Alcorano textus ubi hæc doctrina clarè rejiciatur. Surâ 4, v. 17, monet Christianos, « ne excedant in religione suâ : neque loquantur de Deo nisi veritatem : neque dicant tres ; Deus enim unus est.» Et surâ quintâ, v. 79, vocat infideles eos qui dicunt Deum esse tertium trium, cùm non reperiatur nisi Deus unus. Sed interpretes Arabes asserunt redargui ibi quosdam Arabiæ Christianos, qui præter Deum verum duos alios admittebant, nempe Jesum et Mariam matrem ejus. Erat hæc hæresis Collyridianorum seu potiùs Collyridianarum: constabat enim ex solis fermè mulierculis, quæ, ut refert S. Epiphanius, statâ quâdam anni die, collyram seu placentam in sacrificium virgini Mariæ offerebant, eamdem tanquàm verum Deum superstitioso cultu venerantes.

II. Articulus fidei est, existere angelos, imò eos pro infidelibus habet Alcoranus, qui eos negant vel oderunt (Alcor. surâ 2) vel inter eos sexûs discrimina admittunt. Creduntur habere corpora subtilissima ex igne (Ibid. suris 7 et 38), et diversas formas : neque manducare, neque bibere : diversa obire munia , scilicet alios Deum adorare vario corporis situ utentes; alios laudes divinas canere; alios pro hominibus intercedere ; alios Dei thronum portare. Quatuor sunt, quorum major est apud Deum gratia , quorumque in Alcorano aliisque Moslemorum libris frequentior est mentio : nempe Gabriel, quem spiritum sanctum vocant (Vide Alcorani suram 2) , et angelum revelationum ; quique insigni gaudet prærogativâ scriptoris decretorum Dei : et Michael, qui amicus habetur et protector Judæorum : et Azrael, qui angelus mortis est, et separat hominum animas à corporibus : et Ifrafil, cujus erit in mortuorum resurrectione officium tubâ canere. Eadem fermè reperiuntur in quodam pseudo evangelio sancti Barnabæ nomine inscripto. Credunt etiam Moslemi (Vid. Alc. suram 10) cuique homini assignatos esse angelos duos custodes, qui singulis diebus mutantur, et ideò vocantur al Moakkibât : hi occupati sunt in ejus actionibus describendis. Eadem doctrina in veteribus Persarum et Judæorum libris reperitur. Diabolus, quem à desperatione Mahumetes vocat Eblîs, erat olim proximus Deo angelus dictus Azazil, qui ex illâ excelsâ statione decidit, quòd à Deo jussus adorare Adamum recusaverit.

Præter angelos et dæmones Alcoranus agnoscit ordinem creaturarum intermedium, quas Jin, vel genios vocat ex igne factos (surâ 17) , sed crassioris substantiæ quàm sunt angeli, cùm hi manducent et bibant, speciem propagent, mortique sint obnoxii. Quidam ex illis boni sunt, quidam mali, capaces futuræ vel salutis, vel damnationis : unde Mahumetes asserebat se non tantùm ad hominum conversionem missum, sed etiam geniorum. Orientales quippe credunt hos genios mundum incoluisse multis ante Adami creationem seculis, sub regimine plurium principum, qui cum communi nomine Salomonis successivè regnârunt : at tandem postquàm lapsi fuerant in generalem corruptionem, Eblîs missum fuisse ad eos pellendos in remotam telluris partem, ibi detinendos : quosdam tamen ex istâ generatione remansisse, et coactos fuisse in montes Câf à Tahmurath Persarum olim rege, qui cum iis bella gessit : de quibus bellis multas narrant fabulas. Hi autem genii variis gradibus sunt distincti, alii sunt Jin seu genii : alii Peri, vulgò fées ; alii Div, seu gigantes ; alii Tacwin, seu fata. Hæc fermè conveniunt cum iis quæ docent Judæi in libro Zohar, de specie dæmonum dictorum Shedim, quos prognatos ex Naamâ filiâ Lamech, et ex duobus angelis Aze et Azrael comminiscuntur. Hi Shedim in tribus similes sunt angelis ; nempe alis instructi sunt, ab unâ mundi extremâ parte ad alteram volant, et aliquam rerum futurarum cognitionem habent. In tribus quoque humanæ sunt conditionis : manducant et bibunt, generantur et moriuntur. Ex his alii in legem Moysis credunt et boni sunt : alii sunt infideles et reprobi, Vide Gemara in Hagiga et Igrat Baali Hayyim c. 15.

III. In Islamicæ fidei formulâ relatâ à D. Gabriele Sionitâ, in tractatu de urbibus et

moribus Orientalium, cap. 4, auctore Jacob filio Zaid Aly, hic articulus est : « Necessarium est credere in Scripturam, quæ missa « est ad legatos et Prophetas, et dividitur in « 104 libros, quorum 10 ad Adam missi sunt, « 50 ad Seth, 30 ad Henoch, 10 ad Abraham; « quibus accedit Pentateuchus Moysis, Psalterium David, Evangelium Jesu, et Koran Mohammed. » Sub nomine Pentateuchi comprehendunt omnes libros V. T., et sub nomine Evangelii Actus et Epistolas Apostolorum, atque Apocalypsim beati Joannis, ex quibus omnibus, tanquàm ex libris sacris, doctores Moslemi argumentantur pro suâ religione : et reverà vix ulla pagina est in Alcorano, in quâ hi libri cum magnâ laude non commemorentur. Surâ 2, v. 4, ita Deum inducit secum loquentem : « Et qui credunt in librum tibi « revelatum, et in libros revelatos ante te, « et de futurâ vitâ certam habent fidem, hi « dirigentur à Domino suo, et beatitudinem « consequentur. » Surâ 3 fingit hæc sibi à Gabriele dici : « Nullus est Deus alius, præ« ter Deum; misit ad te librum (Koran) in « veritate confirmantem libros ante te revela« tos : et miserat antea Pentateuchum et « Evangelium ad hominum directionem. » Ibid. v. 82, jubet suos asseclas ita dicere : « Credimus in Deum et in librum (Koran) « qui traditus fuit nobis : et in libros qui tra« diti fuerunt Abrahæ, et Ismaeli, et Isaac, « et Jacob et tribubus Israel, et in eos qui « traditi fuerunt Moysi, et Jesu, et Prophe« tis à Domino ipsorum : nullum inter hos « discrimen facimus. » Surâ 5, v. 51 : « Nos « certè (loquitur Deus) demisimus Pentateu« chum : in eo est directio et lux. Judicabant « per eum Prophetæ, qui sequebantur reli« gionem Islam, eos qui erant Judæi..... et « subsequi fecimus vestigia eorum Jesum fi« lium Mariæ confirmantem, quod ante eum « de Pentateucho : et dedimus ei Evange« lium, in quo est directio ex lux........, et « judicat familia Evangelii juxta id, quod tra« didit Deus in illo. Et qui non judicaverunt « juxta id quod tradidit Deus, hi sunt præ« varicantes. » Infinita alia ejusmodi congerere possemus.

Quamvis Moslemi tot libros sacros numerent, fatentur tamen omnes præter vetus et novum Testamentum atque Alcoranum suum interiisse. Priores quoque credunt esse corruptos à Judæis et Christianis, ut nulla certa fides eorum exemplaribus habenda sit : et aliunde contendunt Moysis et Christi leges positivas per Alcoranum esse abrogatas. « Credendum est, inquit Algazelus celebris inter Moslemos doctor, Deum misisse prophetam idiotam, Koreishitam Mohammedem, super quem sint benedictiones Dei et pax, cum munere legationis ad omnes Arabes, et barbaros, et dæmones, et homines : et abrogâsse per legem ejus alias leges, exceptis iis quæ stabilia esse voluit; et exaltavisse eum super omnes prophetas, et humani generis dominum ipsum constituisse; nec voluisse fidem perfectam esse in solâ istâ confessione unitatis Dei : *Non est Deus, nisi Deus,* nisi adderetur professio de legato ejus, per alia verba : *Mohammed legatus Dei.* »

IV. Apud Mohammedanos traditio est, fuisse ab initio mundi prophetas numero 224,000; juxta aliam traditionem fuêre tantùm 124,000, inter quos fuêre 313 apostoli, missi cum specialibus mandatis ad infideles à superstitione avocandos. Ex his sex novarum legum seu dispensationum mediatores extiterunt, scilicet Adam, Noe, Abraham, Moyses, Jesus et Mohammed. Hi omnes juxta eos à gravioribus erroribus immunes fuerunt, et eamdem religionem videlicet Islam tenuerunt, quamvis observârint diversos ritus positivos. Varia de illis fabulosa narrantur in Alcorano, quorum nullum planè est in sacris libris fundamentum, sed quæ Mahumetes accepisse videtur à Judæis Talmudistis, et hæreticis christianis : exempli gratiâ, docet Jesum filium Mariæ, quem Judæorum apostolum vocat, nequaquàm fuisse crucifixum, sed alium ipsi simillimum; Jesum verò in cœlum sublatum, reverti in mundum debere tempore anti-Christi, cum eo bello decertare, eumdem occidere, et confirmare in summâ pace ac securitate Islamicæ fidei asseclas. Christiani summæ impietatis arguuntur, quòd illum Deum appellent; et compensationis causâ permittit Deus, ut ignominioso crucis supplicio affectus fuisse credatur.

V. Moslemi orthodoxi credunt ea omnia quæ Mohammed de seculo futuro prædicavit aut prædicâsse traditur : quæ ejusmodi sunt juxta Algazelum jam laudatum:

Primum est, « examen statim post uniuscujusque mortem faciendum esse à Monker et Nakir, quæ sunt duæ terribiles et horrendæ aspectu personæ, quæ hominem in sepulcro suo erectum statuent, animâ et corpore præditum; atque interrogabunt eum de unitate Dei et legatione prophetæ, dicentes : *Quis est*

Dominus tuus? quæ est religio tua? et quis est propheta tuus? Et ambo explorabunt sepulcrum, et interrogatio eorum erit primum examen post mortem. »

Secundò, « credere oportet in tormentum sepulcri, et hoc esse debitum, et judicium, et justitiam circa corpus et animam, pro eo quod voluerit Deus. » Hoc sepulcri tormentum commentum est Judæorum, qui illud vocant percussionem sepulcri, ideòque illud explicabimus verbis R. Eliæ Germani, qui in Thisbi scribit : « Scriptum est in Midras R. Isaac filii Parnach : Interrogaverunt discipuli ipsum R. Eliezer, quomodò se haberet modus percussionis sepulcri. Respondet eis : Postquàm separatus est homo ab hoc seculo, venit angelus mortis, et sedet super sepulcrum ejus, et statim intrat anima ejus in corpus ejus, et facit illum stare super pedes suos, etc. Dixit R. Jehosua filius Levi : Et in manu ejus est catena, cujus media pars est ferrea, et altera ignea, quâ verberat ipsum hominem; et primâ vice dissolvuntur membra ejus; alterâ vice, ejus ossa dissipantur : tum veniunt angeli, et colligunt ea. Quòd si tertiâ vice illum percusserit, redigetur in pulverem et cinerem, et redit in sepulcrum suum, etc. Dixit R. Meir : Gravius est judicium percussionis sepulcri judicio gehennæ, quoniam etiam qui planè justi sunt, et filii principum, et abortivi, eo judicantur, excepto eo, qui moritur in vesperâ sabbati, et qui moritur in terrâ Israel. » In precationibus, quas vocant benedictiones, Judæi rogant Deum ut eos liberet à percussione sepulcri. Non minùs inepti sunt in suis expositionibus Moslemi.

Tertiò, « credendum est in libram seu stateram duabus lancibus, et linguâ seu examine constantem : de quâ prædicatur, quòd amplitudine suâ cœlorum et terræ superficiem adæquet, in quâ ponderabuntur opera hominum per potentiam Dei, et pro lapidibus stateræ proferentur eâ die pondera, ad quantitatem atomorum et granorum sinapis, ut perfectè servetur justitia in trutinando. Deinde conjicientur libri bonorum operum pulchrè formati in lancem lucis, atque his gravabitur statera, ac deprimetur juxta mensuram graduum eorumdem operum apud Deum ex gratiâ ipsius. Libri autem malorum operum conjicientur in lancem tenebrarum, quibus conjectis levis fiet, et ascendet libra per justitiam Dei altissimi. »

Quartò, « credendum est etiam, verè existere pontem Sorat, quod est corpus extensum supra medium gehennæ, acutius gladio, et subtilius capillo, super quod lababunt pedes infidelium ex judicio Dei, ita ut ipsi cadant in ignem gehennæ. Pedes verò fidelium constanter ambulabunt super illud, et hi ducentur in domum requiei. »

Quintò, « credendum est in piscinam Mohammedis, ad quem descendent bibituri fideles ante ingressum paradisi, postquàm transierint pontem Sorat. Qui autem semel biberit ex eâ, non sitiet in æternum. Latitudo verò ejus habet iter unius mensis : et aqua ejus est lacte candidior, ac melle dulcior. Circa eam et in eâ sunt duo tubi, per quos derivatur aqua ex flumine Kauther. »

Sextò, « credendum est in die judicii, in quâ dividentur creaturæ in eas à quibus strictè exigetur ratio, et in eas quibuscum benignè agetur, et in eas quæ sine ullo prorsùs examine in paradisum ingredientur; illas nempe, quæ sunt Dei proximæ (hi sunt angeli, qui dicuntur approximati). Exiget autem Deus rationem à quocumque voluerit ex legatis suis de legatione ipsorum, utrùm satisfecerint partibus suis : et à quocumque voluerit ex infidelibus, eò quòd noluerint credere in legatos missos à se. Exiget etiam rationem à novatoribus et hæreticis de traditionibus libri Sonnæ : et à fidelibus Moslemis de operibus suis. Credere etiam oportet, eos qui unum Deum coluerunt, exituros tandem esse ex igne gehennæ, postquàm peccatorum pœnas luerint, ita ut ex divinâ benignitate nullus, qui unum Deum crediderit et coluerit, in gehennâ sit permansurus. Item credendum est in intercessionem, primò Prophetarum, deinde doctorum, deinde martyrum, deinde cæterorum fidelium, uniuscujusque juxta præstantiam et gradum suum. Qui autem remanserint ex fidelibus sine intercessore, educentur nihilominùs ex gehennâ per gratiam Dei, ita ut nullus fidelis in eâ permansurus sit, sed exiturus sit ab eâ, si in corde ejus fuerit fides, quantum est pondus unius atomi. »

Septimò, « necesse est etiam confiteri excellentiam sociorum Mohammedis, et gradus dignitatis eorum, et quòd post ipsum Mohammedem, præstantissimus omnium hominum fuerit Abubeker, deinde Omar, deinde Othman, deinde Aly : et de omnibus Mohammedis sociis benè sentire et eos celebrare, sicut celebravit eos omnes Deus, et legatus ejus. » Si morem gessissent Arabes votis Mahumetis, illi successisset Aly, cujus partes in hunc usque diem tuentur Persæ.

Istam fidei confessionem, ex quâ hæc deprompsimus, concludit Algazelus his verbis: « Et hoc est quod ex traditione historiarum et narrationum acceptum est, et manifestis argumentis testificatum. Quisquis ergo hæc omnia confessus fuerit et certò crediderit, censendus est ex sectatoribus veritatis, et ex cœtu illorum, qui Sonnitæ appellantur, à conventiculo errantium, et ab hæreticorum turbâ separatus. Quidam profundiùs hæc acceperunt, metaphoricè interpretantes ea quæ dicuntur de futuro seculo circa stateram et pontem Sorat, et alia. Sed hæc est hæresis. »

Octavò, paradisi autem felicitas, juxta Alcoranum fermè tota posita est in arboribus, fontibus, pomis, vestibus pretiosis; in comedendo, bibendo; in puellis, lectulis, et venereis oblectamentis: sic surâ 55, v. 45: « Ei « autem, qui timuerit præsentiam Domini sui, « erunt duo horti, ornati ramis arborum, in « utrisque erunt duo fontes fluentes: in horum « utroque erunt ex omnibus pomis duo genera. « Accumbent super lectos, quorum intrinsecæ « partes erunt ex serico crassiore, auro intertexto: fructus verò duorum hortorum erit « vicinus (terræ, ut facilè manibus carpi pos« sit). In his hortis erunt puellæ modestæ « aspectu, pulchræ velut hyacinthæ et marga« ritæ. Præter duos hortos erunt alii duo horti, « intensè virentes: in utroque erunt duo fontes « copiosis aquis jugiter manantes; et poma, et « palmæ, et mala punica; in iisdem erunt « puellæ optimæ, pulcherrimæ, prædatæ oculis « amplis, atque impensè nigris et candidis, « custoditæ in tabernaculis, » etc. Hæc singulis fermè paginis recoquit Mohammed, et cum variis additionibus, quas referre pudor vetat.

VI. Sextum denique fidei Islamicæ caput, est omnium rerum à Deo absoluta prædeterminatio. Idem Algazelus, ex quo priora descripsimus habet: « Ipse verò altissimus vult ea, quæ sunt et gubernat, quæ de novo eveniunt. Neque evenit in regno terreno, vel cœlesti, modicum aut multum, parvum aut magnum, bonum aut malum, utile aut noxium, fides aut infidelitas, scientia aut ignorantia, salus aut perditio, augmentum aut defectus, obedientia aut contumacia, nisi per determinationem ejus, et decretum ejus, et sententiam ejus, et voluntatem ejus. Quidquid autem ipse voluerit, erit: id verò quod noluerit, non erit: nec præter voluntatem ejus fit ictus oculi, nec motus mentis.... Non potest homo effugere, quin ei sit inobediens, nisi per concursum auxilii et misericordiæ ejus: neque habet vires ad obediendum illi, nisi per amorem et voluntatem ejus. »

Hinc etiam docent « Deum remunerare servos suos propter obedientiam, ratione promissionis et liberalitatis, non ratione meriti et obligationis, cùm ipse ad nihil faciendum teneatur, nec excogitari possit in eo iniquitas, nec aliquid cuiquam debeat. »

IV. *De legibus moralibus et civilibus Alcorani.*

In Alcorano multa quidem ad justitiam et benignitatem pertinentia, sancita sunt, quæ omnes homines docet ipsa lex naturæ, et sine quibus consistere non potest hominum communitas: hæc referre planè inutile est. Describemus igitur solummodò hoc loco eas leges in quibus ab evangelicâ doctrinâ longius recessit Mahumetes, ut intelligatur utri religioni majorem auctoritatem conciliet præceptorum sanctitas.

I. Alcoranus prohibet omnem de religione disputationem: Sura sexta introducit Deum ita se commonentem: « Et cùm videris eos « qui disputant de signis nostris (Alcorano), « procul recede ab eis, donec disputent de « aliâ re. » Surâ 29: « Nolite disputare cum « scripturalibus..... sed modestis verbis dicite « illis: Credimus in Alcoranum nostrum et in « Pentateuchum, et in Evangelium vestrum, et « Deus noster, et Deus vester, Deus unus est, « et nos illum colimus. » Hunc singularem de religione disputandi modum fingit sibi à Deo præceptum, surâ 3, v. 59: « Deus reve« lavit tibi veritatem, itaque ne dubites de eâ, « postquàm data est scientia illius; dic illi: Ad« vocemus filios nostros et filios vestros, et « conjuges nostras, et conjuges vestras, et nos « ipsos et vos ipsos: deinde oremus Deum, ut « feriat maledictione suâ ex nobis, qui sunt « mendaces, et aberrant à veritate. » Surâ 22, aliâ utitur tergiversatione, ut omnem amoveat disputationem: « Deus ritus religionis cuilibet « genti constituit, quos exercerent. Ne ergo « disceptent tecum de hoc negotio, sed invita « eos ad Dominum tuum: certè tu es in via « rectâ. Quòd si tecum disputare voluerint, « dic eis: Deus peritissimè novit id quod « operamini; Deus litem inter vos decidet in « die resurrectionis, circa id in quo discrepatis « inter vos. » Hæc sanè valdè prudenter ab impostore illo sancita sunt. Cùm ejus religio omni planè careat auctoritate, naturale ejus

præsidium in ignorantiâ est : at jure suspecta merx est, quæ hâc lege obtruditur, nec inspici possit.

II. Excusat Alcoranus à peccato illum qui vi vel metu aliquid, contra Dei leges, intrinsecè malum admittit. Surâ 16, v. 110 : « Qui « post susceptam fidem abnegaverit Deum, « (præter eum qui invitus ad hoc coactus « fuerit, permanente corde ejus firmo in fide); « qui, inquam, volenti et libenti animo abne- « gaverit Deum, super hunc erit ira Dei, et « punietur ab eo pœnâ magnâ. »

III. Quamdiù Mahumetes se viribus destitutum vidit, dicebat, surâ 2 : « Nullus cogatur « ad suscipiendam religionem invitus. » At cùm Medinensium et aliorum Arabum auxilio se suffultum sensit, universa quæ pro infidelium libertate edixerat, abrogavit per suram 9: « Conceditur immunitas à Deo et legato ejus, « illis idololatris, cum quibus vos (Moslemi) « fœderati estis. » Cæteris autem edicitur : « Liberè ambulate per terram, per quatuor « menses.... Et edicitur hominibus à Deo et à « legato ejus : Deum transacto quadrimestri « peregrinationis majoris, itemque legatum « ejus, non ampliùs idololatris indulturos. » Ex hoc tempore omni modo semper asseclas suos accendit ad bellum infidelibus inferendum, « don c solverent tributum manu, et fierent « parvi. » Illos verò, qui in his bellis moriebantur, tanquàm martyres honore publico prosequebatur, et eorum præmium paradisum esse asserebat.

IV. Longissimè recessit à doctrinâ Evangelicâ in legibus de polygamiâ, de quâ hanc habemus, surâ 5 : « Ducite in matrimonium, « quæ placuerint vobis ex mulieribus, bina- « rium, ternarium et quaternarium. Si verò « timueritis ne æquitatem servare possitis cum « illis, ducite saltem unam, aut ancillas, quas « possidetis; » id est, licet cuique Moslemo habere uxores quatuor ingenuas, aut si unam tantùm aut duas habere voluerit, poterit assumere ancillas concubinas, non numero indefinito, ut Marraccius, et alii vulgò asserunt, sed ad numerum quaternarium complendum. Qui verò inter Mahumetanos plures habent, peccant contra legem Alcorani : ab hâc lege ipse Mahumetes ex peculiari privilegio, divinitùs concesso, immunis fuit.

V. Haud minùs abhorret ab Evangelio, et ab omni æquitate naturali hæc lex de repudio, surâ 2, v. 229 : « Repudium duabus vicibus « conceditur : deinde vel retinendæ sunt uxo- « res, et justè cum eis agendum, vel dimit- « tendæ humaniter ac beneficè. Quòd si quis « tertiò repudiet uxorem, non licebit ei ultra « eam accipere, nisi priùs nubat alteri viro, « qui si eam repudiet, poterit primus vir illam « sine piaculo recipere, dummodò existiment « se servare posse leges à Deo præscriptas « conjugatis, quas ipse manifestavit hominibus « doctis. » Hæc lex scripta est ut advocarentur mariti à repudiandis uxoribus ob leves causas : vix aliquis est, qui habet ullum honoris sensum, qui uxorem repudiatam recipere velit, ubi necesse est ut alteri jungatur. Tandem multæ aliæ leges sunt de juramentis, de pœnâ talionis, de vindictâ privatâ, etc., non minùs à spiritu Evangelii remotæ : sicut et quædam de usu feminarum, quas referre pudet. In his omnibus videtur plerùmque secutus Mahumetes consuetudines quæ apud Arabas suo tempore habebant legum vim. Vide Marraccium in Prodromo ad Alcoranum p. 4.

V. *Leges positivæ Alcorani.*

Leges Alcorani positivæ ad quinque capita revocantur, nempe purificationem, orationem, jejunium mensis romadan, eleemosynam, peregrinationem Meccanam.

I. Purificatio jubetur hâc lege Alcorani, surâ 5, v. 7 : « O, qui credidistis, cùm surrexi- « stis ad orandum, abluite facies, et manus « vestras usque ad cubitos : et perfricate capita « vestra, et pedes vestros usque ad talos, et si « fueritis polluti semine, purificamini. Quòd « si infirmi fueritis, et non inveneritis aquam, « accipite pulverem mundum, et confricate « eo facies et manus vestras. » Super hæc Alcorani verba construunt Moslemi totam molem ridiculæ suæ purificationis, quam præcipuam religionis suæ partem esse contendunt. Duplex generatim purificatio est : alia dicitur Ghost, et est immersio totius corporis in aquam, usurpanda in aliquibus extraordinariis casibus, à mulieribus post partum, et post menstrua, post tactum corporis mortui, etc. Alia dicitur Wodû, et Persis Abdest, in quâ lavantur solummodò facies, manus et pedes. Videntur purificationes hæ in usu fuisse apud Arabas, multò ante tempora Mohammedis : eædem fermè observabantur à Persis et à Judæis. Arabes verò plerique contendunt eas primùm observatas fuisse ab Abrahamo, qui eas edoctus fuit à Gabriele, sub formâ pulcherrimi juvenis; quod etiam docet pseudo-evangelium

quoddam, inscriptum nomine S. Barnabæ, cujus extat versio Hispanica. Sunt tamen inter eos, qui nullo modo dubitant quin eosdem purificationum ritus acceperint ab angelis primi hominum parentes. Hujus purificationis pars censetur circumcisio, quam ex more ab Ismaele derivato observant Arabes, quamvis de eâ nulla planè mentio sit in Alcorano; non tamen illam censent sic absolutè necessariam, ut ab eà dispensari non possit in aliquibus circumstantiis. Josephus Ant. l. 1, c. 23, refert Ismaelitas olim solitos fuisse filios suos circumcidere duodecimo vel decimo tertio anno, quâ ætate ipse Ismael circumcisus fuit. Atque Mahumetan eò usque eos imitantur, ut non perficiant ill m ritum, donec eorum fiii dis. tinctè pronuntiare possint hanc fidei professionem : *Non est Deus præter Deum, et Mohammed est legatus ejus*. At ab anno sexto, ad annum circiter decimum sextum, quo tempore libuerit, filios circumcidunt.

II. Secundum caput religionis practicæ oratio est : hoc orandi officium tam necessarium habuit Mahumetes, ut illam vocet « columnam religionis et clavem paradisi, » adstrinxeritque asseclas suos ad quinariam quoque die orationem : tenentur siquidem Moslemi juxta præscriptum Alcorani, orare, 1° ante solis ortum, et est oratio auroræ; 2° statim post meridiem, cum sol declinare incipit, et est oratio meridiei ; 3° ante solis occasum facienda est oratio pomeridiana; 4° post solis occasum, et ante finem crepusculi, instituenda est oratio occasûs solis ; 5° post crepusculum fit oratio vesperæ. Sunt præcones in templorum turribus constituti, qui altâ voce clamantes : *Deus maximus, Deus maximus*, etc., admonent populum de horis orandi. Attamen possunt preces illæ vel anticipari, vel postponi, si ita necessitas aliqua exegerit, ut si quis ad iter, vel ad prælium se accingat. Inter orandum vertunt se semper Moslemi versùs Keblam, id est, fanum Meccanum, cujus situs propterea in templis indigitatur. Sex sunt, uti loquuntur, bases orationis : nempe, prima, magnificatio felicis principii, id est, dicere : *Maximus Deus*, pro felici auspicio orationis. Secunda, stare. Tertia, lectio Alcorani, legendo ex eo aliquid breve et facile. Quarta, incurvatio capitis et dorsi Quinta, adoratio, id est, incurvatio totius corporis, genibus flexis, tangendo terram fronte et naso. Sexta, sessio per spatium testificationis, id est, illorum verborum : *Non est Deus nisi Deus, et Mohammed est legatus ejus*. Hæc fermè omnia observantur à Judæis et Sabiis : priores ter in die orant conversi ad Jerusalem, Sabii septies. Solemnis dies requiei et cultui divino consecrandus apud Moslemos, est dies Veneris : quidam asserunt hoc ante Mahumetem observatum fuisse; alii verò putant ideò hunc diem consecratum, quia illo Mahumetes Meccâ profugus, Medinam ingressus est. Tertium Islamicæ religionis fundamentum practicum, est eleemosyna. Est autem duplex, alia spontanea, ad quam magnoperè excitat suos Mahumetes in Alcorano, et magna sunt reverà exempla liberalitatis apud Arabes : alia est lege præscripta, quæ reverà est tributum propriè dictum : instituta etenim à Mahumete potissimùm fuit pro bellorum expensis.

IV. Quartum fundamentum practicum est jejunium, quod Mahumetes vocat portam religionis. Jejunium autem duplicis generis est, obligatorium et supererogatorium. Præcipuum Moslemorum jejunium est illud mensis romadan, quo tempore per mensem lunarem integrum, dùm dies est, nihil prorsùs, nec edunt, nec bibunt; à voluptatibus etiam quibuscumque abstinent. At post solis occasum ea omnia licent, quæ alio tempore permissa sunt. Cùm enim hoc jejunium circumvolvatur per omnes anni menses, sæpè incidit in æstatem et maximam habet difficultatem, cùm ne levissima aquæ gutta liceat longissimis diebus sitim restinguere. Declarat Mahumetes ideò mensem romadan ad hoc jejunium delectum esse, quia eo mense demissus est è cœlo Alcoranus. Nullibi meliùs quàm sub hoc titulo ponere possumus leges Alcorani, 1° de abstinentiâ à vino et ludo; quarum causa fuit, quòd Mahumetis exercitus penè ab hostibus oppressus fuerit, postquàm illis nimiùm indulsisset. Attamen vino multùm delectantur tum Turcæ, tum Persæ ; neque defuerunt inter Moslemos casuistæ laxiores, qui contenderent excessum solummodò vetitum ; 2° de abstinentiâ à morticino, sanguine, carne suillâ, idolothytâ, suffocato, occiso percussione, mortuo ex casu, occiso cornu alterius animalis, ab eo de quo fera comederit : in quibus Mahumetes secutus est mores Arabum.

V. Quintum fundamentum est peregrinatio Meccana, quæ non fuit à Mahumete instituta, sed ex usu ethnicorum Arabum ab eo accepta, suisque asseclis præscripta. Et reverà omnes illius ritus, quos hic describere longum esset, sapiunt levitatem et superstitionem paganam. Constantissima est Arabum opinio, peregrina-

tionem Meccanam à primo parente Adamo inceptam fuisse: et cùm illis objicitur templum Meccanum, ab Abraham et Ismael, juxta Alcoranum, constructum fuisse, respondent templum ab Adam visitatum, tempore diluvii in cœlum ab angelis translatum fuisse : Abraham verò aliud simile, Dei jussu, ædificâsse, quod deinceps ipse, omnesque Prophetæ visitârunt.

VI. *De argumentis divinæ Mahumetis legationis.*

Legationis divinæ signa, consentientibus ipsis doctoribus Mahumetanis, sunt miracula et prophetiæ : ideò Arabes quidam magnam operam posuerunt in confirmandâ ex his duobus sui prophetæ auctoritate.

I. De miraculis autem Mahumetis, sic scribit Amed filius Edris : « Dicimus autem Judæis : Veritas miraculorum non habet differentiam, et hæc reperta est tam in Mahumete filio Abdalla, quàm in Moyse : quòd si miracula non juvant ad probandam prophetiam seu revelationem, compelluntur Judæi non confiteri prophetiam Moysi, cui sit pax. Si autem juvant, coguntur confiteri prophetiam Mahumetis. Dicimus autem illum fecisse miraculum, cùm attulit Alcoranum tempore virorum eloquentissimorum et facundissimorum : et cùm requisisset ab illis omnibus, ut aliquid simile conscriberent, non potuerunt. »

Si in hoc uno miraculo contenti essent Moslemi, cum ipsis in hâc parte nulla esset controversia ; nam fatemur Mahumetem illud miraculum fecisse, et de eo sæpè in Alcorano gloriatum esse. At religionis Islamicæ defensores audacter asserunt, et inter alios magnus apologista Ahmed filius Abdal Halim, miracula Mahumetis aliquot millium decades excedere : quod etiam verum est, si singulæ litteræ Alcorani sint totidem miracula. Verùm, dùm præter magnum Alcorani miraculum, et illa quæ in ejus suris et apicibus continentur, alia recensent innumera, contradicunt evidentissimè ipsi Alcorano. In eo enim sexcentis in locis negat Mahumetes se ad miracula facienda missum esse, aut ea esse ullo modo necessaria ad firmandam divinam suam missionem, variasque affert rationes. Prima est, quia fides est liberum donum Dei, neque miracula quidquam conducunt ad id quod ex gratuitâ et liberâ Dei voluntate pendet. Secunda, quia jampridem Prophetæ, qui præcesserant, et præsertim Moyses et Christus, satis multa miracula fecerant, quæ ad infideles convincendos sufficere deberent. Tertia, quia si aliquod signum ipse fecisset, id non solùm absque ullâ eorum utilitate, sed cum magnâ etiam ipsorum pernicie fuisset; quod præteritarum generationum exempla demonstrant. Quarta, quia ipse missus fuerat à Deo, non ut miracula faceret, sed tantùm ut annuntiaret fidelibus paradisi felicitatem, infidelibus verò gehennæ supplicia comminaretur. Postremò, quia potestas miraculorum est penès Deum, et ab eo conceditur, non omnibus Prophetis, sed tantùm quibus voluerit. His rationibus redarguit singulis ferè paginis Meccanorum infidelium et Judæorum importunam miraculorum petitionem. Unum aut alterum locum solummodò recitabimus. Surâ 3, v. 182, Judæi causam afferentes cur in Mahumetem non crederent, dixerunt : « Pepigit Deus nobiscum fœdus, ne crederemus ulli legato, donec offerret coram nobis sacrificium, quod ignis absumeret; » quâ occasione hæc verba ad Mahumetem fecisse fingitur Deus : « Responde eis : Jam venerunt ad vos legati ante me cum demonstrationibus (miraculis), et cum eo quod vos requiritis, et quare occidistis eos, si estis veraces? Quòd si te mendacii insimulant, mendaces etiam appellati sunt legati missi ante te, qui venerunt cum demonstrationibus, et codicibus, et libro illuminante. » Surâ 10, v. 20 : « Et dicunt Meccani : Non credemus ei nisi descenderit super eum aliquod signum à Domino suo. Tu porrò responde eis : Certè arcanum est Dei; vos ergo expectate, et ego expectabo vobiscum. » Surâ 17, v. 60 : « Neque retinuit nos (Deus loquitur), ne mitteremus te cum miraculis, nisi quia illa tanquàm falsa negaverunt primi. Nam dedimus Themudæis camelam aspectu mirabilem, et malè tractaverunt eam. Neque mittimus aliquem cum miraculis, nisi ad terrorem. » Surâ 6, v. 105, ita scribit de Meccanis idololatris : « Et juraverunt Deo sanctissimo juramento, quòd si factum esset coram eis miraculum, certissimè credidissent in illud. Dic illis : Certè miracula sunt apud Deum, et non sinit vos intelligere : sanè cùm hæc facta fuerint, non credent, et invertemus corda eorum et oculos eorum, ut non credant, propterea quòd non crediderint primâ vice; et sinemus eos in errore suo, ut commoriantur in eo. Et quamvis descendere faceremus angelos ad eos, et alloquerentur eos mortui, et congregaremus ad eos omnem

« rem turmatim, non tamen crederent, nisi « vellet Deus, » etc.

II. Gloriatur in Alcorano sæpiùs Mahumetes se in Pentateucho et in Evangelio prænuntiatum esse, atque hoc tantâ cum fidentiâ, ut asseclas suos hortetur ad Judæos et Christianos adeundos, et consulendos. Surâ 10, v. 95, inducit Deum verba hæc ad se facientem : « Quòd « si dubitatio aliqua in te suboriatur circa ea « quæ tibi revelavimus, interroga illos qui « ante te sacra volumina legerunt. » Verùm cùm Judæorum et Christianorum responsa parùm consona essent votis Mahumetis, utrosque fraudis insimulavit; quòd nimirùm vaticinia, quæ de eo legebantur in Pentateucho et in Evangelio, quæque adventûs sui expectationem excitaverant, post adventum impiè et invidiosè abolevissent aut celàssent. Unde surâ 2, v. 88, legimus : « Postquàm autem venit ad eos liber « (Alcorani), qui verificatur à libro eorum « (Pentateucho) : antea verò implorabant au- « xilium à Deo adversùs eos qui non credi- « dissent (Mahumeti venturo) : postquàm venit « ad eos ille, quem antea venturum esse scie- « bant, noluerunt credere in illum : verùm « maledictio Dei super incredulos. »

Ne verò gratis hanc fraudem scripturalibus Mahumetes imposuisse videatur, duo pro se ex sacris litteris testimonia in Alcorano affert. Primum, surâ 7, v. 147, his verbis : « Qui « secuti fuerint legatum, prophetam idiotam, « quem reperient scriptum apud se in Penta- « teucho et Evangelio, præcipientem ipsis ju- « stum, et prohibentem injustum : conceden- « tem res bonas, et interdicentem ipsis malas, « et deponentem ab eis onus grave eorum et « vincula, quibus detinebantur; qui autem « crediderint in eum, et secuti fuerint lucem, « quæ demissa est cum eo, et suppetias illi « tulerint, et adjuverint eum, hi erunt fortu- « nati. » Alterum est, surâ 61, v. 6 : « Et « (memento) cùm dixit Jesus filius Mariæ : O « filii Israel, certè ego missus sum ad vos le- « gatus à Deo, ut verificem Pentateuchum, qui « traditus fuit ante adventum meum, et ut « annuntiem legatum alium, qui venturus est « post me, cujus nomen erit Ahmed. Cùm « verò venisset ad eos cum claris argumen- « tis, dixerunt : Hic est manifestus præstigia- « tor. »

Hæc duo tantummodò vaticinia ex nostris libris laudat Mahumetes, quæ ibidem cùm non reperiantur, Moslemi contendunt ea à Judæis et Christianis expuncta fuisse. At his non contenti Arabes, qui pro religione Islamicâ scripserunt, universa fermè veteris et novi Testamenti vaticinia de suo prophetâ, ejusque imperio sunt interpretati : inprimis, quæ de multiplicatione gentis Ismaeliticæ leguntur in Genesi Abrahæ à Deo promissâ : deinde ea fermè omnia quæ pertinent ad Messiam, et denique ea quæ in novo Testamento continent promissionem Spiritûs sancti. Præter hæc habent ingentem farraginem prædictionum, signorum, prognosticorum et testimoniorum ex diversis auctoribus, præsertim Judæis et Christianis, quæ omnia collecta, et cum majore quàm necesse erat diligentiâ confutata, videre licet in Marraccii Prodromo in Alcoranum, parte primâ.

VII. *De causis celerrimæ propagationis Mahumetanæ superstitionis.*

Ex superioribus facilè intelligitur quare tantos successus habuerit Mahumetes dùm viveret, et ejus postea successores.

Primò Mahumetes oriundus erat stirpe inter Arabas nobilissimâ, ejusque familia magnâ inter Meccanos valebat potentiâ et auctoritate : conjugium Kadijæ magnas eidem attulerat divitias. Erat in eo forma liberalis, et præ se ferebat, saltem postquàm propheticum munus susceperat, pietatem in Deum, justitiam, fidem, humanitatem, liberalitatem, comitatem, easque omnes virtutes, quæ maximè valent ad conciliandos hominum animos. Præterea incesserat eumdem summa cupiditas gloriæ et principatûs, quam in eo comitabantur ad invenienda consilia callidum ingenium, in adversis sustinendis patientia, in exequendis rebus audacia : à naturâ ergo ad res novas moliendas comparatus egregiè fuisse videtur.

Secundò, in Arabum tum temporis statu, summas ad novandas res invenit Mahumetes opportunitates : erant siquidem eorum tribus ac familiæ inter se divisæ, nec ullum inter eas commune seu religionis, seu regiminis vinculum. Erat ibidem Judæorum ingens multitudo Rabbinicis fabulis addicta; erant et innumeri Christiani, sed hæretici, inter quos multi exteri, quos severiora imperatorum catholicorum contra Arianos et Nestorianos edicta in Arabiam, regionem liberam, compulerant. Sed maxima pars ethnicis erat addicta superstitionibus, quamvis multùm veneraretur veteres Patriarchas, præsertim Abrahamum gentis per Ismaelem parentem. Hi omnes in summâ versabantur ignorantiâ, mercaturæ artibus-

que domesticis, potiùs quàm scientiis dediti.

Tertiò, callidè novus propheta suam religionem circumstantiis temporum accommodavit: omnibus scilicet assentatus est, nullumque aliud præ se ferebat consilium, nisi instaurandi puram Adami, Noachi, Abrahami, Moysis, Christi, omniumque Prophetarum religionem, eamdemque purgandi ab idololatriâ Sabiorum, et erroribus Judæorum Christianorumque recentiorum. Propterea de Moyse et Pentateucho reverenter semper loquebatur et scribebat; Alcoranum fabulis talmudicis, quas à Judæis acceperat, replevit : atque omni arte allaboravit ut eos sibi adjungeret, ac nonnisi post expertam eorum insuperabilem pervicaciam, hostilemque in se animum, pari contemptu atque odio, summâ rerum potitus, eos prosecutus est. Erga Christianos ad mortem usque benigniùs se gessit, de Christo et Evangelio cum summâ laude semper verba faciens ; quòd in iis sine dubio mitiorem spiritum reperisset. Utrosque, quos scripturales communi nomine appellat, sub tributi conditione recipiendos esse constituit. Idololatris adulatus est, cùm eorum ritus in suam religionem transtulit, templumque Meccanum consecratum vero Deo pari reverentiâ cum idololatris coluit, admissis omnibus de ejus origine et sanctitate fabulis et superstitiosis ritibus, ibidem in peregrinationibus peragi solitis. Attamen, cùm unitas supremi numinis legis ejus fundamentum esset, suæque divinæ missionis prætextus unicus, non eamdem libertatem conscientiæ idololatris concedere potuit, quam concesserat Judæis et Christianis , noverat etiam paganos facilè terrore mortis ad suam fidem compelli posse, utpote quos neque ratio, neque auctoritas revelationis in suâ superstitione detinebat. Neque minùs scitè et callidè usus est doctrinâ suâ de prædestinatione absolutâ, docens milites suos ultimum et fatalem cujusque diem à Deo fixum esse, et in eo, sive domi, sive militiæ cuique moriendum esse; eos autem, qui pro fide propugnandâ occubuerint, statim in cœlum transgredi.

Quartò, quamvis tam benè à naturâ ad conciliandos sibi hominum animos factus esset; quamvis eas nactus esset opportunitates in Arabum ignorantiâ, variisque de religione opinionibus; quamvis sic gnarè attemperâsset placita sua Arabum suorum moribus ac propensionibus; tamen quamdiù privatus mansit nullos fermè habuit successus, post sollicitatos per annos duodecim omni arte, et cum indefesso labore Meccanos; unde nisi inimicorum acerbitate in fugam actus, et ad armandos suos coactus fuisset, privatus Meccæ in prophetico suo munere obiisset. At factus Medinæ dux armatæ multitudinis, imperatorio munere ad confirmandum propheticum strenuè usus est per annos undecim : nec tamen perpetuis fermè successibus, sic imperium et religionem suam stabilierat, quin paulò ante ejus mortem innumeri ab utroque defecerint. Plures quoque extiterunt, qui hujus impostoris felicibus ausis excitati, divinam quoque missionem finxerunt; inter quos insignis fuit Moseilama, qui tantas opes momento contra Mahumetem contraxit, ut cum eo de imperio decertare potuerit.

Quintò, constituto artibus et victoriis Mahumetis Saracenico imperio, et Islamicâ religione, haud difficile fuit Abubekero ejus in kalifatu successori, qui et copias ad bellum exercitatas, et duces militiæ peritissimos habebat, utrumque, tum imperium, tum religionem confirmare. Neque ullius admirationem habebit, Saracenici imperii subita sub Omaro et Othomano, proximis successoribus, amplificatio, qui cogitaverit primò, Saracenos numerosissimam gentem fuisse, quia Arabia commune perfugium fuerat Persis et Græcis, quos vel bella civilia, vel imperatorum adversùs sectarios edicta patrio solo extorres fecerunt; eosdem Saracenos, nullo luxu fractos, sed ab infantiâ ad ferenda arma educatos fuisse, communem nunc primùm imperatorem habuisse, et duces belli fortissimos peritissimosque; qui secundò consideraverit Persidem, Syriam, Palæstinam, Ægyptum, septentrionalem Africæ partem, aliasque regiones à primis kalifis occupatas, tum communi morum corruptione, tum barbarorum incursionibus, tum perpetuis Persarum et Græcorum bellis, tum etiam civilibus discordiis, sic penitùs exhaustas fuisse, ut Saracenis cesserint facillima præda.

Conclusio

I. — MOMENTUM RELIGIONIS CHRISTIANÆ CONTRA INDIFFERENTES.

Fuit apud philosophos ethnicos communis opinio, deos ex instituto civitatum colendos esse, quam etiam Apollinis oraculum probavit. Hos secuti sunt, qui pro ethnicâ superstitione apologeticas orationes imperatoribus christianis obtulerunt, Themistius, Symmachus et alii;

« qui defenderunt delectari Deum religionum varietate, ut homines per quamdam æmulationem ad eum studiosiùs colendum impellerentur : idem hìc usu venire, quòd in publicis certaminibus, ubi cursores omnes, non per eamdem viam, nec eodem in stadio currebant, sed tamen omnes ad præmium tendebant.... In exercitibus non idem militum genus, sed alios quidem gravioris armaturæ, alios equites, alios funditores... Sic etiam in imperio unam non esse hominum sortem, sed alios agricolas, alios oratores, alios philosophos : hàc quoque, ait Themistius, varietate, totius universi auctorem ac principem delectari puto; aliis institutis ac ritibus uti Syros, aliis Ægyptios cupit, » etc. « Quid interest, inquit Symmachus, quâ quisque prudentiâ verum inquirat? uno itinere non potest perveniri ad tam grande secretum. » Eamdem fermè responsionem accepisse regis Galliæ legatum à rege Siamensium legimus in Tachardi Itinerario : « Se mirari id Galliæ regem tantoperè cordi habere, quod Deus ipse, cujus res agebatur, tam parùm curabat : cœli terræque Dominum, qui tam varias naturas, omnesque propensiones hominibus indidit, potuisse sine dubio easdem opiniones, eumdemque cultum omnibus instillare : videri itaque delectari illum potiùs cæremoniarum diversitate, sicut et infinitâ creaturarum varietate? » Hæc sententia multùm etiam ab indifferentibus nostris probatur.

Deinde alios quamplurimos occupavit opinio, in solâ honestate positam esse omnem veram ac essentialem, sic enim loquuntur, religionem : ex naturâ ipsâ haurire nos omnia, quæ Deo vel aliis debentur, officia; et consequenter cætera omnia legi naturali superaddita, esse appendices minimè necessarias, et quæ tutò à philosophis negligi possunt, etsi ad vulgus in officio continendum aliquam habere possint utilitatem. Sunt tandem qui christiano nomine gloriantur, et tamen illam omnem partem doctrinæ evangelicæ, quâ distinguitur à religione naturali, sic extenuant, ut nullum illi pondus aut momentum relinquant: ideòque nobis exhibent religionem revelatam, ut evolutionem quamdam religionis naturalis. Hanc docent religionem fuisse primorum hominum et Patriarcharum; atque in eâ quoque sitam esse substantiam, et quasi medullam institutionis judaicæ ac christianæ : proindeque ea omnia, quæ hujus primævæ religionis adjuncta sunt in utrâque prædictâ dispensatione, habere solummodò rationem positivarum legum, quæ dignitate et necessitate cedunt præceptis naturalibus. Doctrinam hanc inprimis defendunt Sociniani, et eorum asseclæ, qui Christum Dominum ut doctorem justitiæ cum Mahumetanis considerantes, omnia religionis nostræ mysteria, et œconomiam supernaturalem sustulerunt. Jam verò quæcumque hactenùs à nobis disputata sunt, hos omnes arguunt summæ vanitatis et imprudentiæ, atque religionis christianæ, quatenùs à naturali distinguitur, momentum maximum demonstrant.

Inprimis hoc ostendit religionis christianæ natura. Illa quippe non est solummodò promulgatio nova et externa religionis naturalis, neque est tantùm complexio positivorum præceptorum in arbitrariâ Dei voluntate positorum : sed, ut supra non semel monuimus, est supernaturalis institutio, officia imponens nova et supernaturalia, hoc sensu quòd in revelatione, non in lumine naturali, posita sint. Scilicet novum aperit rerum ordinem, institutum ad redintegrationem hominis lapsi et depressi per peccatum, qui mediatione et imperio Filii Dei, atque Spiritûs sancti ministerio procedit. Harum duarum personarum summa sunt in nos beneficia, ex quibus nascuntur omnia officia reverentiæ, amoris, gratitudinis, etc., erga illas personas, quæ propter naturalia creationis et providentiæ beneficia Deo naturaliter debemus : et cùm officia hæc tum naturalia, tum supernaturalia, sint ex æquo posita in rerum relationibus et convenientiis, eamdem reverà habent obligandi vim, ubi hæ relationes, sive per rationem, sive per revelationem, innotuerunt. Neque ullo modo officia propriè christianâ dignitate, aut momento cedunt naturalibus, sicuti positiva cedere noscuntur essentialibus. Præterea non tantùm religio christiana diversa cultûs objecta proponit, sed diversum etiam finem indigitat in supernaturali Dei per visionem intuitivam fruitione ; promittit etiam divinæ gratiæ uberrima auxilia, sine quibus destinatum bravium assequi non valemus : hæc gratiæ auxilia certis mediis adjuncta sunt, nempe sacramentis, quibus perficitur hominis renovatio ad vitam spiritalem. Idcircò qui officia revelatæ religionis explorare negligit, aut perspecta exequi nolit; non minùs læsæ Dei majestatis reus est, suæque salutis stolidè immemor, quàm qui officia negligit naturalia : et stulta atque impia eorum securitas est, qui post Evangelii promulgationem, et illam quam nacta est evi-

dentissimam, vel ex solâ suâ in omnes partes diffusione, auctoritatem, revelatam tamen religionem sine examine aspernantur.

Deinde hoc religionis christianæ momentum maximum cernitur etiam in divinâ ad illam confirmandam ab origine mundi procuratione, et repetitâ cum tantâ majestate promulgatione : huic nempe ordini rerum supernaturali videmus subservientem fuisse in omni tempore providentiam Dei naturalem, et etiam nunc esse experimur. Quò certè major Dei in conservandâ religione revelatâ attentio, et, ut ita dicam, molitio fuit, eò majus et nostrum in eâ investigandâ studium, et in observandâ pietas esse debet.

II. — CERTITUDO RELIGIONIS CHRISTIANÆ CONTRA DUBITANTES.

Contra dubitantes sic concludimus : « In rebus humanis nulla est, quæ tantam habeat auctoritatem quantam afferunt religioni revelatæ varia quibus confirmatur argumenta ; neque tantùm bonis et doctis viris summa videri debet ista evidentia, sed rudibus etiam sese offert cum majori auctoritate, quàm est ea, quâ in rebus civilibus inclinantur ; adeòque ei constanter non adhærere summa stultitia est. »

Conclusio hæc in his principiis supra confirmatis ponitur. Primò, nulla est præsumptio legitima, neque adversùs doctrinam evangelicam, nec adversùs ejus adjuncta : hoc est, non est incredibilis, quia incognita est naturaliter ; nec quia obscura est et incomprehensibilis ; nec quia extraordinariè per prophetiam et miracula confirmata ; nec quia successivè evoluta ; nec quia non universaliter revelata ; nec quia relinquit locum probationi hominum, et non habet illam omnem evidentiam quæ rapit assensum. Hæc confecta sunt in proœmio, unde colligimus, « non majorem requiri probationem externam ad fidem religioni revelatæ comparandam, quàm ad eam conciliandam alii cuicumque doctrinæ vel facto. »

Secundò, experientiâ constat, hocque præclarissimi inter ethnicos philosophi confessi sunt, neque rationem, neque philosophiam sufficere ad homines perfectè seu instituendos, seu inclinandos, ad Religionem et virtutem omnem : adeòque revelationem, per quam à Deo ipso erudiantur et excitentur, rem esse omnium maximè expetendam, etiamsi nihil aliud esset, quàm externa promulgatio legis naturæ, sine erroris vel superstitionis alicujus admixtione, auctoritatem sensibilem per miracula et prophetias afferens dictatis rationis, et vulgi captui accommodata ; quæ esset constans et immobilis vitæ regula, flecti nescia, nec ingeniis hominum levibus aut perversis propensionibus attemperanda ; quâ sine ingenio acuto, vel multo otio (quæ paucorum sunt) omnes idiotæ, etiam pueri, officia nôsse possent. (Vide diss. de Util. et Necess. revelationis.) Præterea Religio christiana in eâ parte quæ supernaturalis est, omnes Dei perfectiones in splendidiore luce collocat, hominis amplificat dignitatem, motiva spei intendit. Tandem per leges ejus positivas constituta est visibilis societas ad veritatem per omnia secula conservandam, et per varias gentes propagandam, planè necessaria : per eamdem sancita est disciplina, quâ omnes virtutes foveantur et confirmentur. Ex his omnibus colligimus « summam esse probabilitatem, et revelationem aliquam à Deo datam esse hominibus, et illam revelationem esse nostram religionem christianam. »

Tertiò, revelationis christianæ divina origo certa est ex duplici probatione ; altera negativa, altera positiva, utraque ex innumeris rationibus composita, et maximi ponderis ac momenti.

Negativa ejusmodi est. Religionis revelatæ annales continent historiam, à creatione rerum inchoatam, in quâ omnium gentium origines determinantur... Exhibet systema theologicum multis partibus constans, in quo explicantur Dei natura, attributa, in homines consilia ; hominum ex alterâ parte conditio primæva, præsens et futura, imperfectiones et perfectiones ; mutuæ inter Deum et creaturam relationes, seu naturales ex creatione ipsâ natæ, seu supernaturales ex reparatione et redemptione hominum ortæ ; et ex his relationibus profluentia officia naturalia et christiana.... Est in Scripturis dispensatio successiva et œconomica hujus doctrinæ ab origine mundi, per varias et successivas revelationes, modò obscuriores, modò clariores. Ergo vastissimum latus infidelium telis patens præbet religio revelata. Tamen neque in historiâ est quidquam falsum, aut contrarium vetustissimis traditionibus, nec in systemate theologiæ, et moralis disciplinæ, quidquam non congruum rationi, pietati, utilitati hominum, non cohærens cum cæteris partibus ; nec in evolutione œconomicâ quidquam inordinatum, non aptum, non connexum, non consequens. Cùm tamen in cæteris omnibus, tum historiis particularibus, tum theologiæ et

ethices angustioribus complexionibus, tum religiosis traditionibus minùs diuturnis, plura ignorantiæ, vanitatis, levitatis, inconsiderantiæ indicia sint.

Probatio autem positiva, complexio est innumerabilium rationum, quarum pleræque per se habent vim demonstrationis moralis ; at omnes simul junctæ eam generant certitudinem moralem, cui nulla alia comparari queat. Fidei antiquitas mundo coæva, et ab origine rerum perpetuitas ac constantia ; prophetarum aliorumque, per quos conservata est, sanctitas, et in illâ defendendâ fortitudo martyrum incredibilis ; doctrinæ excelsitas, præceptorum puritas, et præclari fructus ; ipsa totius systematis modo insinuata historica, theologica et œconomica harmonia, quæ vim habet positivi argumenti ; miraculorum certissimorum series ; prophetiarum, quarum etiam ipsi cernimus adimpletionem, multitudo ; analogia singularis et prophetica inter judaicam et christianam dispensationem ; providentia extraordinaria, quæ sepositis miraculis et vaticiniis semper conspicua fuit in eventuum naturalium dispositione ab ipso mundi initio ad hunc usque diem, præsertim in legis revelatæ conservatione apud Judæos, contra principum vota et propensionem populi ; in dispersione Judæorum, in stabilitate Ecclesiæ, etc. Hæ, inquam, rationes cùm per se vim habeant summam, et aliunde non suspendantur contrariis ullis rationibus, imò verò sæpè objectiones incredulorum (multa sunt in superioribus exempla) in totidem argumenta pro causâ christianâ converti possint, nulla vera rationum contentio est, nec consequenter viro cordato causa dubitandi.

II. At ponamus Religionis christianæ veritatem esse solummodò probabilem ; non tolli omnem falsitatis suspicionem, sive propter defectum rationum confirmantium, sive propter rationes contrarias et impugnantes : quò majoris momenti res est Religio, eò magis tenebitur vir prudens sequi opinionem probabiliorem, quia non est æqua statera, quæ positis in unâ lance majoribus ponderibus non inclinatur. Atqui probabilitas eadem fermè imponit officia, ad quæ adstringit ipsa certitudo. Deus in causâ Religionis, ut in omni aliâ re, voluit ut veritas certissima obscurari posset, neque extorqueret hominum assensum ; voluit ut eorum probationi locus esset, atque ut veritatis ingenua inquisitio, occasio et materia meriti existeret : atque propter nullam aliam rationem fidei meritum tantoperè in Scripturis extollitur ; quod profectò nullum planè esset, si ab eâ non avocarent majores tentationes, quàm à credendis veritatibus geometricis. Laudatur Act. 17, 11, Berœensium pia et generosa dispositio : *Hi autem erant nobiliores eorum, qui sunt Thessalonicæ, qui susceperunt verbum cum omni aviditate* (non tamen temerè), *quotidiè scrutantes Scripturas, si hæc ita se haberent.* È contrario damnantur Galilæi, quòd præjudicatâ opinione, ortâ ex notitiâ humilis statûs parentûm Christi, inclinati, cum eodem candore et ingenuitate ejus sermonibus non auscultarent. Unde obscuritas hæc quæ Religionem, seu naturalem, seu revelatam, respectu quorumdam comitatur, non aliter considerari debet, quàm ut tentatio quædam, occasionem præbens, sicut aliæ tentationes exercendæ illius simplicitatis ac ingenuitatis, quâ quisque quærere Deum debet. Qui illâ non patientur se retardari, habebunt victoriæ meritum atque præmium. Qui illâ ab ulteriori inquisitione avocati, aspernantur Religionem christianam, quia ejus veritas omninò certa non videtur, similes sunt eorum qui vitæ cursum ineunt flagitiosum, cujus finis ordinarius est infamia et miseria, quia certum non est tam fatalem futurum sibi illius exitum.

III. Ponamus jam religionis revelatæ veritatem aliquibus videri non certam, non probabilem, sed planè incertam ac dubiam. Si hi existiment sibi licere de eâ loqui contumeliosè, multùm errant. Nam si prudentes sint, et rationi obtemperent, etiam in hoc animi sui statu nunquàm excidere eorum memoriâ debet hæc cogitatio : « Religionem christianam esse fortassè veram ; » atque hæc cogitatio ab illis impetrare debet, ut se attentos præbeant ad omnes rationes quibus res tanti momenti certò determinari possit. Debent illi dubitantes sic vitam instituere, ut nullum damnum patiantur, si id de quo dubitant, verum inveniatur : saltem summæ temeritatis et dementiæ est, religionem aspernari, deridere, calumniari. Exempli gratiâ, si dubitem an non ab aliquo potente viro acceperim maxima beneficia ; si dubitem an idem ille majoribus afficere non possit ; si ignorem an omnis mea fortuna ab ejus arbitrio non pendeat, an hunc, omni datâ occasione, contumeliâ afficiam ? an lacessam dicteriis ? an ejus omnes clientes ludibrio habebo ? nequaquàm certè. Est respectu athei dubitantis incerta hæc persona Deus, et respectu deistæ Christus Filius Dei. . . .

Hæc considerare deberent præsertim ii qui, vel propter scientiam, vel propter ingenii felicis acumen, vel propter dignitatem, in multos admiratores aut clientes quoddam exercent imperium. Sit respectu illorum, quantùm velis, dubia et incerta religionis naturalis vel revelatæ veritas, exigere jure poterit Deus rationem istius offensionis, seu scandali orti ex nefario contemptu Religionis, cujus falsitatem non habent perspectam. Ii verò qui inter atheos certi sunt nullam esse mentem cum consilio res humanas gubernantem, parentem naturæ et pios ejus adoratores irridere pergant; qui fraudes Christi, improbitatem Apostolorum, vanitatem prophetiarum habent (absit blasphemia) certò cognitas, nostrum cultum aspernari non desinant. At qui hanc scientiam nondùm comparaverunt, timeant ne illa obscuritas, quâ respectu eorum abducitur Religio, non sit pœna peccatorum : vel saltem illum spectent incertitudinis statum, ut probationem quamdam ingenuitatis suæ; et sciant ex suâ in illis tenebris agendi ratione, pendere amplioris lucis concessionem aut denegationem, et decretoriam judicis sententiam.

III. INCREDULORUM VANITAS ET TEMERITAS.

Tandem sequitur minutorum apud nos philosophorum incredulitatem nullo modo proficisci à certâ scientiâ, sed in plerisque saltem, qui planè ignorant Religionis christianæ fundamenta, qui contentionis omnis incapaces, et laboris impatientes, in muliercularum circulis vitam transigunt, oriri ex vanissimâ singularitatis affectatione et animi depravatione. Unde hoc genus sæpè non in negandâ Evangelii divinâ auctoritate consistit, des se immergit in tristissimas tenebras atheismi, cujus reverà omnis vis posita est in impudente et arrogante negatione earum omnium rerum quæ experientiâ vel fide humanâ, vel sensu, vel ratione nobis notissimæ sunt. Objectiones siquidem atheorum contra naturalem Dei providentiam et legem vitæ insitam hominum animis impugnant facta quorum quisque conscientiam habet, et quæ omnes testantur ; atque si ulla veritas ullis subesset, probarent id non esse, quod reverà esse experimur, et non tantùm Deum ex naturâ, sed, ut dicebat Tullius, hominem ex homine tollerent.

Alii inter incredulos nostros sunt, qui majorem operam posuisse videntur in expendendis Religionis nostræ fundamentis, eamque post examen nihilominùs tanquàm vanitatis convictam aspernantur. Longissimè profectò absum à ferendo judicio de alicujus theistæ interioribus sensibus; neque ullum hominem, qui Deum veretur et honestati studet, condemnare volo falsitatis seu perversitatis, cujus ipse conscius sit. Hæ enim generales accusationes ad nihil aliud valent, quàm ad exacerbandos animos, eosdemque à nobis alienandos; habent etiam illi calumnias generales quas in nos retorquent. Attamen dissimulare non possum, quin ipsum consilium avocandi homines à patriâ Religione, quam ipsi agnoscunt nullam habere adjunctam perniciosam superstitionem, sit indicium animi valdè levis et inconsiderati, cùm populus sine aliquâ religione esse non possit; nec hi philosophi meliorem soleant commendare. Præterea sectæ hujus coryphæi in suâ disputandi ratione multas notas dederunt animi parùm ingenui, quas hìc post celebrem scriptorem (1) indigitare à re nostrâ nullatenùs est alienum.

Hoc proprium hominis ingenui est, et veritatis studiosi, ut in rebus seriis servet gravitatem, et seriò agat : è contrario in incredulorum plerùmque scriptis deprehendimus scurrilitatem perpetuam et jocandi libidinem, quam nulla decentia, nullus coercet pudor : quæ ex nullo alio fonte oriri potest, nisi ex deplorandâ levitate animi, vel nefario contemptu earum rerum, maximè quæ attentum animum postulant. Hoc Epicureis, aliisque quos minutos philosophos vocat, Tullius exprobrat ut rem indignam. Et profectò quam majorem contumeliam potest quis inferre, aut majestati veritatis, aut severitati rationis, aut Religionis sanctitati, quàm illas subjicere impuris salibus cujusque procacis scurræ? aiunt « ridiculum « acri fortiùs et meliùs plerùmque secare res, » et id tantùm ridiculi notam accipere, quod deforme est ; ejus obtundi aciem ubi vertitur in id quod honestum et pulchrum est, « tunc « quærentem fragili illidere dentem, offendere « solido. » Profectò irridere non possunt honestatem, fortitudinem, generositatem, constantiam, prudentiam, sub nativo habitu, sed eas virtutes exhibere possunt sub habitu alieno et turpi ; imponere possunt probrosa nomina simplicitatis, temeritatis, prodigalitatis, austeritatis, etc., ac sæpiùs experti sunt illas etiam virtutes posse irrideri. Sunt joci, ut illa arma venenata jure gentium prohibita, alieni à philosophiâ et religione, qui non menti verita-

(1) Warburton *in præfatione in librum de div Moysis Legatione.*

tem instillant, sed cordi pravam lætitiam, quæ abducit à veritate. Si apud Areopagum in litibus, quæ spectabant privatorum commoda, non licuerit oratoribus uti figuris eloquentiæ, qualiter excepissent minutos nostros philosophos adversùs Religionem patriam, salibus atque jocis, sine gravitate disputantes? Meminerimus paganorum philosophorum sapientissimum, civemque optimum, sustulisse scommata malè faceti Aristophanis : qui id tandem apud stolidam plebem obtinuit, ut is haberetur Socrates, à quo maximè abhorrebat. Imò periculosum esse telum illud experti sumus, ubi vertitur acies in ipsa vitia : conqueruntur Hispani cum furore equitum erraticorum sublatam fuisse à Michaele Cervantes magnâ ex parte etiam generositatem atque æmulationem gloriæ. Nos ipsi conquerimur, quòd salibus suis Molierius, cùm vitia radicitùs evellere studeret, virtutum quarumdam radices conjunctas multùm læserit.

Aliud ejusdem ingenii indicium est summa levitas atque inconstantia, ita ut sibi semper sint contrarii; nunc hanc, nunc illam planè oppositam sententiam tuentes. Si sit omnis detrahenda auctoritas Historiæ sacræ, tunc ea quæ sunt contraria apud Herodotum vel Diodorum cum summâ diligentiâ et quâdam reverentiâ colliguntur; extollitur paganæ antiquitatis certitudo et judaicæ antefertur, etsi Herodotus mille post Moysem annis, Diodorus mille quingentis scripserit ea quæ rumore incerto ferebantur, Moyses verò suorum temporum scripserit historiam. At si nobis aliquando contingat Herodotum, vel Diodorum testem appellare in confirmationem historiæ Mosaicæ, evanescit auctoritas Græcæ antiquitatis; tunc nobis decantatur : « Quidquid Græcia mendax audet in historiâ ; » tum credulus et fallax peregrinator Herodotus; malè cautus et imprudens compilator Diodorus. Si libeat irridere gentis judaicæ electionem in populum Dei, tum omnium hominum nequissimi et perditissimi audiunt in eorum scriptis; quidquid acerbiùs dictum in illam gentem fuit, conquirunt; et miserantur Josephi sortem (Discours sur la liberté de penser), « quòd tam ignobilem, tamque incultam et barbaram patriam celebrandam habuerit. » At si nos conqueramur de illâ immani crudelitate, quâ in Christum sævierunt, tunc gens judaica ab omni ferociâ et improbitate immunis declaratur : senatus judaicus sapientior fuit, quàm ut sectarum dissensionibus misceret sese, solamque reipublicæ salutem cum summâ lenitate quærebat. Infinita hujusmodi exempla sunt; nunc Scripturæ summam perspicuitatem (ibid.), aliàs summam obscuritatem (Fondements de la Religion chr.) defendunt : nunc rationis auctoritatem summam, ubi de mysteriis nostris agitur; aliàs ejusdem vanitatem, ubi agitur de immortalitate animæ. (Idem.) Ex hisce eorum artibus facilè intelligitur, quale sit hoc hominum genus, et quàm parùm metuendum illud quod nobis inferunt bellum : attamen, cùm rudes in errorem inducere possint, eorum artes detegere oportet nos, quos Ecclesia et respublica constituerunt doctrinæ custodes : hoc propriæ existimationi, Ecclesiæ, patriæ, Deo debemus.

Appendices.

§ 1. DE VERACITATE AUCTORUM NOVI TESTAMENTI.

SECTIO PRIMA. — *Preuves générales de la sincérité des Évangélistes et des Apôtres.*

« Il ne m'est plus permis de douter que les auteurs des livres que les Chrétiens regardent comme divins, n'aient vécu dans le temps même des choses qu'ils ont écrites, qu'ils n'en aient été les spectateurs et les témoins, et qu'ils n'y aient eu beaucoup de part. Les preuves que j'en ai sont convaincantes; et le témoignage de tous les Chrétiens répandus dans tout le monde, soutenu par une tradition constante de tous les siècles, et attesté dès son origine par des auteurs aussi anciens que les Apôtres, ajoute à ces preuves un degré de certitude qui doit soumettre tout esprit équitable : surtout, quand on considère avec quelle sévérité tout ce qui n'était pas de la première antiquité a été rejeté par les Chrétiens, avec quelle fidélité ils ont conservé sans altération le premier dépôt reçu des Apôtres, et avec quelle facilité ils pouvaient comparer la doctrine écrite avec celle qui leur avait été prêchée, et qui étant plus

ancienne, servait de règle pour juger de l'autre.

« Je pourrais m'en tenir là, et finir ici mes recherches ; car si les livres des Chrétiens sont écrits par des hommes sincères et bien informés ; s'ils ont toujours été en vénération à ceux qui les ont reçus de leurs mains (1) ; s'ils les ont même regardés comme divins, et s'ils n'ont pas refusé de donner leur vie, non seulement pour en attester la vérité, mais pour ne les pas livrer à ceux qui s'efforçaient de les supprimer ; toute la Religion chrétienne est prouvée, et la certitude de chaque mystère est comprise dans la certitude de la révélation générale.

« Mais il y a tant d'autres choses qui me convainquent de la sincérité des auteurs, et de la vérité des écrits que j'examine, et qui peuvent faire la même impression sur les autres, qu'il est de mon devoir de les y rendre attentifs.

« La première chose qui me frappe, est l'aveu sincère que font les Apôtres, que leur première occupation était d'être pêcheurs (2) ; qu'ils ne connaissaient que le lac sur lequel ils avaient une barque et des filets ; qu'ils étaient sans lettres, sans éducation, sans aucune préparation au ministère dont ils furent ensuite chargés ; et qu'ils n'avaient eu par conséquent aucun commerce avec des personnes éclairées et intelligentes, ou dans les affaires, ou dans la Religion. Que l'un d'entre eux avait même exercé un emploi odieux à la nation, ayant été Publicain, et n'ayant mis aucun intervalle entre cette vile condition et l'apostolat. Et ce qui étonne encore davantage, c'est le Publicain, devenu Apôtre, qui veut que tous ceux qui auront connaissance de l'Évangile, sachent ce qu'il était. Est-il naturel d'en user ainsi ? Ne paraissait-il pas au contraire avantageux à la Religion, que ceux qui étaient chargés d'en instruire tous les peuples, couvrissent leur première ignorance, et dissimulassent la bassesse de leur naissance et de leur emploi ? Était-ce un moyen de se faire écouter par les docteurs de la loi, et par les prêtres, pleins de mépris pour ceux qui étaient sans lettres et sans érudition, que d'avouer si publiquement la grossièreté de son premier état ? Espérait-on de soumettre les sages et les philosophes du paganisme, en se donnant pour pêcheurs et pour publicains ? Et si, dans les commencements, où tout était encore douteux, un reste de bonne

(1) Qui sunt libri quos legitis adorantes. *Act. Mart.* Scillitanorum.

(2) Comperto quòd homines essent sine litteris et idiotæ. *Act.* 4, 13.

foi avait obligé les Apôtres à ne pas désavouer leur première origine, pourquoi affectaient-ils d'en instruire tous les siècles, après avoir vu le succès de leur prédication, après être devenus l'admiration des Juifs et des gentils, et après avoir soumis (1) à l'Évangile et les prêtres et les philosophes ? Une telle sincérité, dans de telles circonstances, n'est pas humaine. Et je me sens bien plus disposé à croire des hommes que le succès n'aveugle pas, qui se souviennent de leur ignorance et de leur bassesse, lorsqu'ils sont devenus la lumière des autres, et qui prennent des précautions afin qu'on n'oublie jamais leur premier état.

« Mais il est encore plus au-dessus de la raison et de la sagesse humaine, de rendre ses fautes publiques, et d'éterniser la mémoire de ses faiblesses, que de ne pas dissimuler la bassesse de sa condition et de son emploi. Il n'y a rien de plus opposé à l'esprit de l'Évangile que l'orgueil et l'ambition ; et néanmoins les Apôtres, devenus les prédicateurs de l'humilité, parlent très-souvent de l'amour qu'ils ont eu pour les distinctions (2) et pour les préférences, malgré les leçons et l'exemple de leur maître. Ils nomment ceux qui lui demandèrent les deux premières places, et ils avouent que tous les autres en conçurent de la jalousie, et ils veulent bien qu'on sache que, jusqu'aux derniers moments de la vie de Jésus-Christ, l'ambition a causé parmi eux des contestations et des disputes. Ils confessent leur peu de foi en plusieurs occasions, et dans une, entre autres, où leur incrédulité fut un obstacle à la délivrance d'un possédé (3). Ils avouent que les plus grands miracles, et ceux mêmes qu'ils avaient comme touchés de leurs mains, tels que les deux célèbres multiplications des pains dans le désert, faisaient peu d'impression sur leur esprit (4), et que Jésus-Christ leur reprochait qu'ils avaient des yeux et des oreilles sans en faire usage, et qu'ils étaient sans intelligence et sans réflexion. Ils ne dissimulent point qu'ils n'avaient aucune connaissance de la vraie jus-

(1) Multa etiam turba sacerdotum obediebat fidei. *Act.* 6, 7.

(2) Facta est autem et contentio inter eos, quis eorum videretur esse major. *Luc.* 22, 24.

(3) Dixerunt : Quare nos non potuimus ejicere illum ? Dixit illis Jesus : Propter incredulitatem vestram. *Matth.* 17, 18.

(4) Nondùm cognoscitis, nec intelligitis : Adhuc cæcatum habetis cor vestrum : Oculos habentes non videtis. Et aures habentes non auditis :... Quomodò necdùm intelligitis ? *Marc.* 8, v. 17, 18, 21.

tice, et qu'ils la faisaient dépendre de la pureté extérieure des mains et du corps; qu'ils ne comprenaient rien dans les prédictions que Jésus Christ leur faisait de ses humiliations, de sa mort, et de sa résurrection, parce qu'ils ne comprenaient rien dans son règne, ni dans les moyens de l'établir : et qu'après plus de trois ans d'instruction, ils étaient sans aucune lumière (1) sur tous ces points essentiels.

« Ils rapportent avec ingénuité qu'ils avaient tous été présomptueux, en promettant à Jésus-Christ de le suivre jusqu'à sa mort, et qu'ils furent tous assez lâches pour l'abandonner. Ils circonstancient d'une manière étonnante les trois renoncements de saint Pierre, sans rien omettre de ce qui rendait sa présomption et son parjure inexcusables. Ils disent de lui, que dans une occasion importante, il fut appelé Satan par Jésus-Christ (2), et traité de scandaleux et de charnel, qui ne comprenait rien dans les voies de Dieu. Et en rapportant les paroles du même Apôtre, qui mettaient une espèce d'égalité entre Jésus-Christ, Moïse et Élie, ils ajoutent, qu'il ne savait ce qu'il disait. Peut-on se défier de la sincérité de ceux qui en donnent de telles preuves ? Y a-t-il quelque exemple parmi les hommes d'une semblable candeur? Et quel historien a jamais mêlé l'histoire de ses ignorances, de ses faiblesses, de ses lâchetés, avec celle dont il rendait compte au public

« Une telle ingénuité m'étonnerait moins si le récit des actions de Jésus-Christ était nécessairement lié avec les fautes de ses disciples : mais, excepté la trahison de Judas, elles en sont toutes indépendantes : et nous n'en saurions pas moins les miracles, les contradictions, les opprobres et la mort de Jésus-Christ, quand tout ce qui regarde les faiblesses de ses disciples serait supprimé. Il y a donc certainement quelque chose de surnaturel dans une sincérité si contraire aux vues de la sagesse humaine et aux sentiments du cœur, au désir même d'édifier les autres, à la crainte que d'anciennes fautes ne fussent reprochées, et au soin légitime de conserver aux ministres l'autorité dont le ministère a besoin.

« Il faut que les Apôtres aient compté sur d'autres moyens que les naturels, pour avoir si peu compté sur les naturels, et pour en avoir même choisi de contraires. Il faut qu'ils n'aient rien attendu ni de leur réputation, ni de leur mérite personnel ; qu'ils aient été sûrs du succès par d'autres voies, et qu'ils aient même cru que moins ils paraîtraient propres au ministère dont ils étaient chargés, plus la puissance de celui qui les envoyait serait visible. Nous verrons en effet dans la suite que c'a toujours été leur pensée, et une telle pensée ne saurait être que divine.

« Mais avant que de m'engager dans une considération plus profonde du caractère inimitable et divin des Évangélistes, je m'arrête quelques moments à comparer ce qu'ils ont écrit, et je trouve, en les comparant, de nouvelles preuves d'une sincérité non seulement parfaite, mais plus qu'humaine. Ils conviennent tous dans ce qui est essentiel; et une telle conformité entre plusieurs auteurs contemporains, est d'un prix admirable pour quiconque sait estimer la vérité, surtout dans des choses de cette importance ; mais cette conformité n'a point été concertée, et nous en avons de grandes preuves.

« 1° Le style est différent, quoique le caractère général et commun à tous les Évangélistes soit une admirable simplicité infiniment éloignée de toute affectation. Cette différence de style est sensible entre saint Matthieu et saint Jean, et entre l'un et l'autre et saint Luc; et elle justifie ce qui est d'ailleurs prouvé par la tradition, que les auteurs sont différents. 2° Ils n'ont pas tous écrit dans le même temps. Saint Luc parle de ceux qui l'ont fait avant lui, et nous apprenons par d'anciens monuments, que saint Matthieu a écrit le premier, et que saint Jean l'a fait après tous les autres. 3° Comme les temps étaient différents, les lieux où ils ont écrit l'étaient aussi. Et tout cela prouve qu'il n'y a point eu de concert. 4° S'il y en avait eu, les Évangélistes auraient formé un corps d'histoire suivi; ils auraient placé les événements dans leur ordre; et ils auraient fait ce que les interprètes ont depuis essayé de faire par leur travail, en réunissant tout ce qui est particulier à chaque Évangéliste, pour former de ces parties séparées une histoire complète. Au lieu qu'il est visible que chaque Évangéliste s'est proposé un ordre particulier, sans être attentif à une disposition générale; et que si son récit convient avec celui des autres, c'est la vérité, et non le dessein, qui fait ce rapport. 5° On en est encore

(1) Ipsi nihil horum intellexerunt, et erat verbum istud absconditum ab eis, et non intelligebantur quæ dicebantur. *Luc*. 18, 34.

(2) Vade post me, Satana, scandalum es mihi, quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum. *Matth*. 16, 23

bien plus convaincu quand on observe certaines contrariétés apparentes entre les Évangélistes : car il est évident qu'ils les eussent évitées, s'ils avaient écrit de concert, ou qu'ils les auraient expliquées, pour en prévenir l'impression, peu favorable à des auteurs qui semblent se contredire.

« Comment S. Luc, par exemple, qui a écrit après S. Matthieu, s'est-il servi d'une généalogie de Jésus-Christ si différente de celle que cet Évangéliste avait tirée des archives publiques? Et pourquoi n'explique-t-il point comment on les peut concilier? Veut-il être cru préférablement à S. Matthieu? et peut-il espérer lui-même d'être cru, laissant subsister une autre généalogie dont il ne démontre pas la fausseté, et qu'il se contente de combattre par une autre, dont il nous laisse ignorer le fondement. On pourrait peut-être se croire en droit de suspendre son jugement entre ces deux Evangélistes, et refuser de les croire l'un et l'autre, en les voyant opposés ; mais il est contre toute raison de les soupçonner d'avoir agi de concert, en voyant le peu de précaution qu'ils ont pris pour lever une espèce de scandale contre la Religion que leur contradiction apparente fait naître.

« Si S. Luc a ignoré ce qu'avait écrit S. Matthieu, l'affectation de lui être conforme n'a pu lui entrer dans l'esprit. Et s'il l'a su, sans se mettre en peine du mauvais effet que la diversité des généalogies produirait infailliblement à l'égard de plusieurs, il n'en est que plus évident qu'il n'a pas écrit de concert. La force de cette preuve devient encore plus grande, quand on fait réflexion sur la tranquillité de saint Luc, après avoir écrit ; sur son silence, sur sa fermeté à ne pas dire un mot qui servît d'éclaircissement. Car il n'était pas possible que si tous les Chrétiens demeuraient dans le respect, les étrangers n'opposassent cette diversité. Il fallait donc que S. Luc, dans de telles circonstances, refusât de rien ajouter : et un refus si sévère et si constant est-il l'effet du complot?

« On peut remarquer quelques autres contradictions apparentes dans des choses à la vérité moins intéressantes, mais qui n'en prouvent que mieux combien les Evangélistes ont été éloignés d'écrire de concert. Saint Matthieu et S. Marc disent que Jésus Christ guérit un aveugle au sortir de Jéricho (1) ; et S. Luc dit précisément que ce fut en y entrant (1), ajoutant tout de suite d'autres actions que Jésus-Christ fit en cette ville, et en particulier l'honneur qu'il fit à Zachée de choisir sa maison pour y loger. Le miracle du serviteur du centenier, guéri par Jésus-Christ, est célèbre dans l'Evangile (2) : mais une des principales circonstances est rapportée très-diversement par saint Matthieu, qui dit que le centenier vint lui-même demander cette grâce à Jésus-Christ, et par S. Luc, qui assure que cet officier se jugeait indigne (3) de paraître devant lui, et qu'il lui députa ses amis. Lorsque Jésus-Christ envoya ses Apôtres dans la Judée pour annoncer que le royaume des cieux était proche, il leur défendit de rien préparer pour le chemin, pas même un bâton (4), selon S. Luc et S. Matthieu. Mais S. Marc excepte de cette défense générale le bâton nécessaire aux voyageurs (5).

« Je sais qu'on peut accorder ces contrariétés : mais il faut y penser, et plusieurs ne sont pas capables de trouver par eux-mêmes ce qui les concilie. Des hommes qui forment le dessein d'écrire sur un même sujet, et qui concertent entre eux les faits et les expressions, ne laissent point échapper de pareilles diversités, dont tout le monde peut juger, ou si elles échappent à leur attention, ils ont grand soin de les réformer; les Evangélistes les ont vues et les ont laissées. Ils ont donc agi par un autre principe que la sagesse humaine : ils n'ont donc pensé qu'à être sincères, sans affecter de le paraître : ils ont donc été poussés par un esprit supérieur aux difficultés, puisqu'il les dispensait du soin de les aplanir.

« On trouve plusieurs difficultés de ce genre dans l'histoire de la résurrection de Jésus-Christ; mais la principale est dans le récit de l'apparition de l'ange qui parla aux saintes femmes; S. Matthieu l'a décrit ainsi : « Un ange « descendit du ciel, dont le visage était comme « un éclair, et ses vêtements comme la neige; « il renversa la pierre qui était à l'entrée du « sépulcre et s'assit dessus. Les gardes, qui « étaient auprès du sépulcre, en furent telle-

(1) Egredientibus illis ab Jericho. *Matt.* 20, 29. Proficiscente eo de Jericho. *Marc.* 10, 46.

(1) Cùm appropinquaret Jericho... et ingressus perambulabat Jericho. *Luc.* 18, 34, et c. 19, 1.

(2) Cùm introisset Capharnaum, accessit ad eum centurio, rogans eum, et dicens. *Matt.* 8, 5.

(3) Me ipsum non sum dignum arbitratus, ut venirem ad te. *Luc.* 7, 7.

(4) Nihil tuleritis in viâ, neque virgam, *Luc.* 9, 3, neque virgam. *Matt.* 10, 1.

(5) Præcepit eis ne quid tollerent in viâ nisi virgam tantùm. *Marc.* 6, 8.

« ment saisis de frayeur, qu'ils devinrent « comme morts. Mais l'ange, s'adressant aux « femmes, leur dit : Pour vous, ne craignez « point ; car je sais que vous cherchez Jésus, « qui a été crucifié : il n'est point ici. Il est « ressuscité. » (*Matt.* 28, 2 et suivants.) On ne douterait pas, en suivant ce récit, que le même ange qui effraya les gardes, rassura les femmes, et que tout cela se passa dans le même moment. Mais S. Luc rapporte la chose d'une manière qui paraît différente. « Les femmes, dit-il, virent que la pierre qui était « au-devant du sépulcre en avait été ôtée. « Elles y entrèrent et n'y trouvèrent point le « corps du Seigneur Jésus, ce qui leur ayant « causé de la surprise et du trouble, deux « hommes parurent devant elles avec des « robes brillantes. Et comme elles étaient « saisies de frayeur, ils leur dirent : Pour« quoi cherchez-vous parmi les morts celui « qui est vivant? Il n'est point ici. Il est ressus« cité. » (*Luc.* 24, 2 et suivants.)

« A juger d'abord de cette apparition par de telles diversités, on ne la prendrait pas pour la même. Et S. Jean (*Joan.* 20, v. 11 et 12) y ajoute encore une nouvelle difficulté, en séparant Marie Magdeleine des autres femmes, et en accordant à elle seule l'apparition des anges, quoique S. Matthieu, S. Marc et S. Luc, assurent positivement qu'elles étaient toutes ensemble, lorsque les anges leur apprirent la résurrection de Jésus-Christ. Je ne répète pas, ce que j'ai souvent observé, que de telles diversités ne sont qu'apparentes, et qu'avec de la méditation on peut découvrir le point qui les réunit. J'insiste uniquement sur la simple apparence dont tout le monde sent l'impression, et je soutiens que des auteurs qui auraient écrit de concert et qui n'auraient espéré de persuader que par l'uniformité de leur témoignage, auraient évité avec soin une espèce de contradiction qui est plus visible pour le commun des hommes, et qui se fait plus sentir que les réponses des interprètes. En effet, il y a eu dans tous les temps des hommes qui ont été offensés de ces diversités, et qui les ont regardées comme l'endroit faible par où l'on pouvait attaquer la vérité des Écritures; mais c'est précisément le contraire : car rien n'est plus convaincant ni plus fort, pour en démontrer la vérité, que cette prétendue faiblesse, qui est une preuve invincible qu'elles n'ont point été concertées, et que leurs auteurs ont été plus occupés de la vérité que de la vraisemblance.

« Le grand danger n'était pas dans quelques différences : il eût été plus grand dans une entière conformité. Les différences sont rares et ne touchent pas le fond, mais le soupçon qu'une entière conformité aurait fait naître, aurait tout affaibli et rendu le fond même incertain ; et c'est en cela que la conduite de la Providence est sensible. Elle a connu nos défiances et nos doutes ; elle a distingué nos périls, et pour mettre en sûreté notre foi sur les points essentiels, elle a laissé dans d'autres de quoi l'exercer, voulant qu'il y eût une conformité claire et visible où elle était nécessaire, et la couvrant à dessein, où le voile même servait à la prouver, en prouvant qu'elle n'était point affectée.

« De la considération des écrits, je passe à celle de leurs auteurs pour examiner leur caractère et leur esprit : et je découvre, par cet examen, de nouvelles preuves de leur exacte sincérité. Car ils se ressemblent tous dans des points où ils ne ressemblent à aucun des autres hommes ; ils écrivent des choses étonnantes, sans en être étonnés ; ils annoncent les plus grandes merveilles, comme si elles étaient communes et ordinaires ; ils parlent de ce qui les touche le plus avec une tranquillité presque semblable à l'indifférence; et ils s'interdisent tous avec la même sévérité toutes les réflexions dans les lieux mêmes où elles étaient comme nécessaires et comme indispensables. Un tel caractère est non seulement nouveau, mais unique. Et c'est un double prodige de le trouver dans tous les Evangélistes, dans la même perfection, et de n'en trouver aucuns vestiges parmi les autres hommes. Mais entrons dans le détail, non pour tout observer, mais pour juger par quelques observations combien la matière de celles que l'on supprime serait féconde.

« Si les Evangélistes, en parlant de la bassesse de leur naissance et de leur emploi, avaient ajouté un mot sur le dessein de Dieu, qui voulait faire éclater sa puissance, en n'employant que de faibles instruments, ils auraient tout d'un coup fixé l'esprit au véritable point de vue, et ils auraient fait sentir que leur bassesse même et leur ignorance étaient nécessaires. Ils devaient, ce semble, cette réflexion et à la sagesse de Dieu et à eux-mêmes : pourquoi donc ne l'ont-ils pas faite? Elle était présente à leur esprit : pourquoi donc l'ont-ils supprimée? Leurs fautes, dont ils parlent si souvent et avec tant de sincérité, eussent paru

plus excusables, s'ils avaient dit au moins une seule fois qu'elles servaient à faire éclater la grâce qui les avait changés en d'autres hommes; ils s'interdisent néanmoins cette réflexion, et quel autre qu'eux se la serait interdite ?

« Ils rapportent que les princes des prêtres et les pharisiens (*Matt.* 27, 62) demandèrent à Pilate qu'il mît des gardes au sépulcre de Jésus-Christ pendant trois jours, de peur que ses disciples n'enlevassent son corps, et ne publiassent ensuite qu'il était ressuscité, et que le gouverneur leur répondit : Vous avez des gardes, faites vous-mêmes garder le sépulcre comme vous l'entendrez. C'était le lieu d'ajouter que la Providence les prenait ainsi dans leurs propres piéges; que leurs précautions mêms contre la résurrection de Jésus-Christ en deviendraient les preuves, et que, plaçant eux-mêmes les gardes qui dépendaient d'eux, et non du gouverneur, ils écartaient jusqu'à l'ombre de la défiance et du soupçon ; mais les Evangélistes se contentent du simple récit, et ils n'en prennent aucun avantage. Une telle retenue, et dans de telles circonstances, est-elle naturelle ?

« Les gardes, qui avaient été comme foudroyés par l'éclat de l'ange (*Matt.* 28, 11) qui leur apparut, et qui renversa la pierre, dont l'entrée du sépulcre était fermée, après avoir été les témoins de la résurrection de Jésus-Christ, publièrent, à la sollicitation des prêtres, qui les payèrent de ce mensonge, que pendant leur sommeil, les disciples de Jésus-Christ avaient enlevé son corps. Il n'était pas possible de rapporter cette imposture, si grossièrement concertée, sans la confondre à l'instant, en reprochant à des témoins, qui se disent endormis, la témérité d'attester ce qui s'est fait pendant leur sommeil ; mais ce qui n'est point au pouvoir de la nature a été au pouvoir de l'Evangéliste (1). Il a rapporté le mensonge, et ce qui est encore plus, le succès du mensonge : et ensuite il s'est tu. L'esprit de l'homme est-il capable d'une telle modération? Et qui peut ignorer le cœur de l'homme à tel point qu'il ne sente pas que ceci le passe, et qu'il porte le caractère d'une opération surnaturelle ?

« Saint Pierre et S. Jean (*Joan.* c. 20, v. 2 et suiv.) ayant appris de sainte Marie-Magdeleine que le sépulcre de Jésus-Christ était ouvert, et que son corps n'y était plus, se déterminèrent à y aller: mais en courant, saint Jean, comme plus jeune, y arriva le premier ; mais, par une horreur naturelle, il n'eut pas la hardiesse d'entrer dans le tombeau. Saint Pierre, moins timide, y entra, et il vit avec étonnement que les linceuls, dont le corps de Jésus-Christ avait été enveloppé, étaient restés, et que le suaire dont sa tête avait été couverte, était mis à part et dans un autre lieu que les linceuls. Saint Jean, qui avait vu les mêmes choses confusément, en se courbant pour regarder dans le sépulcre, y entra après S. Pierre, examina tout avec lui, et en chercha toute autre cause que la résurrection.

« Toutes ces circonstances prouvent invinciblement que les Apôtres étaient incapables de former le dessein d'enlever le corps de Jésus-Christ, bien loin de l'exécuter, puisque les deux disciples qui paraissaient avoir plus de zèle et de courage que les autres, regardaient comme une grande action d'aller à son sépulcre, lorsque l'entrée en était ouverte, et que les gardes n'y étaient plus; que pour n'être pas remarqués, ils y allèrent en courant, et séparés l'un de l'autre; que l'un d'eux n'osa y entrer, non par la crainte des hommes, mais par l'impression d'une peur moins sérieuse ; qu'étant fortifié par l'exemple de saint Pierre, il vit avec lui les linceuls d'un côté et le suaire de l'autre; et qu'il était manifeste, que si l'on avait eu dessein d'enlever le corps de Jésus-Christ, on n'aurait pas perdu le temps à le tirer des linges dont il était enveloppé, ni à mettre ces linges dans des lieux séparés, la précipitation et la crainte d'être surpris, ne permettant rien de tel. Pourquoi donc S. Jean, qui est l'un de ces disciples, ne fait-il aucune de ces réflexions, en rapportant ces circonstances? Comment s'arrête-t-il où l'esprit humain ne saurait s'arrêter, s'il agit seul? Il savait les bruits que les Juifs affectaient de répandre ; ce qu'il rapporte peut en démontrer la fausseté, et sans doute il en sent toute la force. Pourquoi donc n'en fait-il pas d'application ? La sincérité est ici la moindre chose ; ce qui la prouve est encore plus merveilleux, et je n'ai garde de ne pas croire des hommes qui m'abandonnent les réflexions où elles sont si naturelles et si décisives, et qui se contentent du simple récit.

« Ce serait en effet porter la défiance à l'excès que de soupçonner les Évangélistes d'avoir supprimé les réflexions dans les choses où ils avaient intérêt, afin que cette modération

(1) Et divulgatum est verbum istud apud Judæos, usque in hodiernum diem. *Matt.* 28, 15.

leur tînt lieu de mérite, et qu'ils persuadassent avec plus de succès, en cachant avec art le désir de persuader. Un tel raffinement ôterait à la vérité tous ses avantages, et tout ce qui sert à la distinguer du mensonge; elle deviendrait même suspecte par les preuves qui l'établiraient; et par une malignité sans règle et sans principe, on parviendrait à douter de tout, et de ce qui serait même le plus certain.

« Mais quand on supposerait de l'affectation et de l'art dans la simplicité même des Évangélistes à l'égard des choses où ils avaient intérêt, il y en a beaucoup d'autres où l'on ne pourrait attribuer à ce principe la sévérité avec laquelle ils suppriment toute réflexion. Ils avaient tous une haute idée de Jésus-Christ, de son innocence et de sa sainteté. Ils disent tous néanmoins qu'il reçut le baptême de saint Jean, qui n'était qu'un baptême d'humiliation et de pénitence, qui ne convenait en apparence qu'aux pécheurs, et qui n'était qu'une préparation à l'Évangile. Il y avait une espèce de nécessité de concilier avec l'éminente vertu de Jésus-Christ la profession d'une pénitence publique: un mot aurait pu nous expliquer ce mystère, où la gloire de Jésus-Christ était intéressée; mais ce mot n'échappe à aucun des Évangélistes, et ils nous laissent tous dans l'étonnement, sachant bien qu'ils nous y laissent.

« Presque toutes les circonstances de la tentation de Jésus-Christ dans le désert ont quelque chose qui blesse d'abord et qui révolte. On ne voit qu'avec peine et frémissement le Sauveur du monde entre les mains de Satan, qui le transporte sur le haut du temple (*Matth.* c. 4), et ensuite sur une montagne élevée, d'où il lui découvre tous les empires, dont il ose dire qu'il est le maître et le dispensateur, sans que cette fausseté particulière soit ouvertement contredite. On attendrait sur tout cela quelque éclaircissement qui rendît un peu plus vraisemblable et moins dur un récit qui paraît indigne de la majesté de Jésus-Christ; mais cet éclaircissement est refusé, et les Évangélistes qui le refusent, n'en sont pas moins certains que toutes les circonstances qu'ils rapportent deviendront l'objet de la foi d'une infinité de personnes; c'est qu'ils savent qu'elles sont vraies, et qu'ils se reposent sur la puissance de Dieu pour les faire croire. Il en est ainsi de la crainte et de la tristesse mortelle de Jésus-Christ (*Luc.* c. 22), de sa sueur de sang, de son agonie, du besoin qu'il eut d'être fortifié par un ange, et de sa prière, tant de fois répétée pour être dispensé de boire le calice, dont il avait paru altéré quelques heures auparavant (*Luc.* ibid. v. 15). Il est bien certain que les Évangélistes, qui regardaient Jésus-Christ comme la source du courage de tous les martyrs, n'auraient rien imaginé de tel, bien loin de l'écrire, s'ils n'y avaient été pressés par la vérité; et ce n'est pas aussi de quoi il s'agit maintenant. Mon étonnement est qu'ils n'aient rien dit pour expliquer des choses qui paraissent incompatibles avec la force, l'intrépidité, la pleine résignation de Jésus-Christ dès le premier instant de son Incarnation. Car il n'est pas question de leur propre intérêt, mais de celui de leur Maître. Y aurait-il encore ici de l'artifice à supprimer les réflexions? Espèrent-ils qu'on sera plus disposé à regarder Jésus-Christ comme Dieu, après l'avoir vu moins ferme en apparence que beaucoup de martyrs? Il est évident que c'est uniquement l'Esprit-Saint qui a conduit la plume et la pensée des Évangélistes, qui leur a défendu de rien ajouter, où sans lui l'esprit humain se serait cru coupable, s'il n'avait ajouté plusieurs choses. Et il n'est pas moins évident que les Évangélistes ont été persuadés qu'ils n'étaient que ses organes, et que ni leurs réflexions, ni aucuns moyens de la sagesse humaine ne lui étaient nécessaires pour faire recevoir des vérités dont il donnerait la foi, quand il voudrait. Cela devient encore plus manifeste et plus sensible dans des occasions où ce sont les paroles mêmes de Jésus-Christ qui paraissaient diminuer l'idée que les Évangélistes en veulent donner, et qui auraient pu être adoucies par quelque correctif placé à propos. En voici des exemples.

« Il est rapporté dans S. Marc et dans S. Luc qu'un homme s'étant mis à genoux devant Jésus-Christ, lui dit : Bon Maître, que dois-je faire pour acquérir la vie éternelle? Et que Jésus lui répondit : Pourquoi m'appelez-vous bon? Il n'y a que Dieu seul qui soit bon (*Marc.* 10, 17; *Luc.* 18, 18). Cette réponse dont les Ariens ont fort abusé, paraît mettre une grande différence entre Dieu et Jésus-Christ. Il était, selon les apparences, très-nécessaire de prévenir cet abus, en déterminant le véritable sens des paroles de Jésus-Christ, et l'on ne peut douter que ce sens n'ait été connu des Évangélistes; par quel motif l'ont-ils donc supprimé? Quel disciple zélé pour la gloire de son maître eût manqué dans cette occasion à

éclaircir une si dangereuse obscurité? Mais il importait moins de l'éclaircir que de prouver la sincérité des Évangélistes, et la manière surnaturelle dont ils étaient inspirés. Ils n'auraient jamais rapporté la réponse de Jésus-Christ s'ils n'avaient été sincères; et ils l'auraient expliquée, s'ils n'avaient suivi en écrivant que la raison et la prudence humaine. De telles difficultés laissées sans éclaircissement, prouvent et la vérité des faits, et l'inspiration des Évangélistes, et ces deux points prouvés décident de tous les autres.

« C'est pour ces raisons qu'on doit faire un grand état d'un exemple à peu près pareil. Il est écrit dans S. Marc (*Marc.* 13, 32) que Jésus-Christ, parlant de son dernier avénement, dont il marquait les principales circonstances, ajouta ces paroles, dont les ennemis de sa divinité firent depuis l'une de leurs plus fortes objections contre l'Église. « Quant à ce jour, et à cette heure-là, nul ne la sait; non pas même les anges qui sont dans le ciel, ni même le Fils, mais le Père seul. » L'ignorance du Fils est comparée à celle des anges, et le terme de Fils est absolu, sans ajouter, Fils de l'homme. Qui de nous n'eût pas désiré qu'une telle expression fût expliquée? Et qui de nous l'eût laissée dans cette dureté, sans essayer de l'amollir? Mais en l'amollissant nous eussions tout gâté. Les correctifs qui l'adoucissent sont dans d'autres lieux de l'Écriture. Il fallait en cette occasion, pour l'intérêt général de toutes les vérités, qu'une vérité particulière fût rapportée dans les mêmes termes dont s'était servi Jésus-Christ, et que ces termes qui paraissent contraires à sa connaissance infinie, fussent laissés sans interprétation; car on ne peut soupçonner les Évangélistes de n'être pas sincères, puisqu'ils paraissent l'être à l'excès. On ne peut les accuser de ne suivre, en écrivant, que des vues humaines, puisqu'ils s'en écartent dans des points essentiels. Et nous sommes bien fondés à les croire toujours, puisqu'ils aiment mieux laisser quelque apparence de doute sur la divinité et sur la connaissance de Jésus-Christ, que d'affaiblir la vérité.

« On est étonné, quand on lit dans S. Jean ce que le Fils de Dieu répondit à la sainte Vierge, sa Mère, qui lui représentait qu'on manquait de vin au festin des noces, où il assistait avec ses disciples : « Femme, lui dit-il, qu'y a-t-il entre vous et moi? mon heure n'est pas encore venue » (*Joan.* 2, 4). Cette réponse, comparée à l'humilité et à la douceur ordinaire de Jésus-Christ, paraît un peu dure, et l'on a de la peine à l'allier avec cette soumission pour sa mère et pour S. Joseph dont parle S. Luc. (Erat subditus illis, *Luc.* 2, 51.) Mais on est encore plus étonné de ce que tout cela se dit sans réflexion, sans mitigation, sans éclaircissement. Il s'agissait en cette occasion également de la réputation de Jésus-Christ et de celle de sa Mère. L'une et l'autre, selon nos vues, recevaient quelque atteinte. Il était aisé de nous éclairer, et même de nous édifier, en ajoutant quelque chose. L'infirmité humaine en avait besoin. La charité de S. Jean ne pouvait y être indifférente. Comment donc a-t-il pu se résoudre à nous laisser dans la peine? C'est qu'il écrivait ce que le Fils de Dieu avait dit, et qu'il avait ordre de n'y rien ajouter; le fait était certain : l'explication lui était défendue; il l'eût rapporté autrement, s'il l'avait inventé : il l'eût expliqué, s'il avait agi comme un homme ordinaire.

« C'est ainsi que S. Luc, qui nous donne ailleurs une haute idée de la sainte Vierge, nous dit qu'elle ne comprit point la réponse que lui fit Jésus-Christ, lorsqu'elle l'eût trouvé dans le temple, et qu'elle lui représenta l'inquiétude avec laquelle elle l'avait cherché : « Mon Fils, lui avait-elle dit, pourquoi en avez-vous agi ainsi à notre égard? Voilà que votre père et moi vous cherchions, étant tout affligés; à quoi Jésus-Christ avait répondu : Pourquoi me cherchiez-vous? Ne saviez-vous pas qu'il faut que je sois appliqué à ce qui regarde mon Père? » Une telle réponse n'a rien, ce semble, d'obscur ni de difficile, et si elle cache quelque chose qui passe notre intelligence, il ne paraît pas digne de la lumière de la sainte Vierge qu'elle l'ignorât (1). L'Évangéliste néanmoins nous assure qu'elle ne comprit pas cette réponse, et il se contente de nous le dire, sans prendre aucune précaution pour la sainte Vierge ou pour nous, et sans se mettre en peine de nos réflexions, qu'il pourrait arrêter par une des siennes. Rien n'est plus capable, quand on l'entend bien, de montrer qu'il était un historien fidèle, puisqu'il écrivait ce qui était vrai, sans être vraisemblable, et que la fiction ne pouvait inventer; et qu'il suivait une autre lumière que la nôtre, puisqu'il l'écrivait comme aucun de nous ne l'eût écrit.

(1) Et ipsi non intellexerunt verbum, quod locutus est ad eos. *Luc.* 2, 50.

« De telles observations, qui s'unissent et qui se fortifient mutuellement, font nécessairement une grande impression sur les esprits sensibles aux marques de vérité, et bien instruits du fond et du naturel de tous les hommes. Mais nous n'avons point encore approfondi ce qu'il y a de plus merveilleux et de plus inimitable dans le caractère des Évangélistes.

« On sait avec quelle ardeur ils aimaient Jésus-Christ, et quel zèle ils avaient pour lui ; et néanmoins ils parlent de ses plus grandes actions, de ses miracles sans nombre, de sa sublime doctrine, non seulement sans émotion et sans aucun de ces mouvements que l'admiration et le désir d'en causer une pareille aux autres, ont accoutumé de produire, mais en des termes si simples, si courts, si éloignés de toute affectation, qu'on croirait, si l'on ne connaissait d'ailleurs leurs sentiments, qu'ils écrivent une histoire étrangère et qui leur est indifférente. Ils avaient les mêmes idées des souffrances de Jésus-Christ que le prophète Isaïe et les autres qui les ont prédites. Ils en connaissaient le mérite et le prix, comme S. Paul : et néanmoins ils en font le récit, sans s'arrêter sur aucune circonstance, sans y mêler aucune réflexion, sans laisser paraître l'impression que les douleurs et les ignominies de leur Maître font sur eux, sans essayer d'exciter dans les autres ou la compassion, ou l'indignation, ou l'étonnement. On dirait même qu'ils ne pensent qu'à abréger ce récit, tant ils appuyent peu sur des circonstances très-importantes. Et en effet, aucun des Evangélistes ne les rapporte toutes. Il faut unir leurs histoires pour en avoir une complète des souffrances de Jésus-Christ, et alors même il paraît clairement que tout n'est pas dit.

« La flagellation (1), qui fut si cruelle, puisque dans le dessein de Pilate elle devait servir à attendrir les Juifs et à les toucher de pitié, n'est marquée que par un mot, et encore indirectement, dans deux Evangélistes. Les outrages inouïs qu'on fit à Jésus-Christ dans la maison de Caïphe (tradidit Jesum flagellis cæsum, *Matt.* 15, 15), et dans le prétoire, où il fut exposé aux insultes et à la barbarie des soldats Romains, sont rapportés en deux ou trois lignes. (Postquàm crucifixerunt eum. *Matt.* 27, 34.) Le crucifiement n'a qu'une parole. C'est par occasion qu'on apprend dans un autre lieu (*Joan.* 20, 25) que Jésus-Christ fut attaché à la croix par des clous, qui lui percèrent les pieds et les mains, et nous n'en aurions pas été certains, sans l'histoire de sa résurrection.

« Qui de nous aurait écrit ainsi les souffrances d'un homme de bien, injustement opprimé ? et surtout, s'il avait été notre parent et notre ami, s'il nous avait comblé de biens, s'il était mort pour nous conserver la vie, s'il avait sauvé notre famille aussi bien que nous ; s'il avait délivré la patrie et l'état de cruels ennemis en se sacrifiant pour le bien public ? Quels sentiments n'auraient point produits en nous la reconnaissance, l'admiration, l'amour, l'indignation contre ses ennemis, la haine de leur injustice, le désir de faire passer dans les autres les mouvements dont nous aurions été pleins ? D'où vient donc que des hommes qui adoraient Jésus-Christ comme leur Dieu, qui se croyaient rachetés de la mort éternelle par sa mort, et qui étaient persuadés qu'il s'était immolé pour leur salut, parlent avec tant de modération de ses opprobres et de ses douleurs ? Et comment avec tant de reconnaissance et tant d'amour conservent-ils une si étonnante tranquillité ? C'est visiblement ici l'opération d'un autre esprit que de celui de l'homme : et le doigt de Dieu est ici plus marqué que dans les prodiges qui firent disparaître les prestiges des magiciens qui résistaient à Moïse. Car il était d'un côté si naturel de vouloir relever l'innocence de Jésus-Christ, et si naturel de l'autre de rendre odieux ses ennemis, et de se plaindre de leur injustice, qu'il aurait été impossible aux Evangélistes de se contenter d'un simple récit, sans y mêler quelques réflexions et quelques plaintes, s'ils n'avaient été conduits par une sagesse divine, supérieure non seulement à la raison humaine, mais à la foi même et à la vertu des plus saints ; et si cette sagesse ne s'ait rendue également maîtresse de leurs passions pour les reprimer, et des mouvements de leur reconnai sance et de leur zèle, pour en retenir les saillies.

« Qu'on relise, avec cette pensée, l'histoire de la Passion dans chaque Evangéliste, et qu'on juge de quel prix est l'attention de tous à se contenter des simples faits, sans les qualifier, sans les charger, sans y joindre quoi que ce soit qui ne fasse pas partie du récit. L'envie et la fureur des prêtres contre Jésus-Christ, n'attirent pas contre eux la moindre invective. La perfidie de Judas est rapportée sans aigreur

(1) Jesum flagellatum tradidit eis ut crucifigeretur. *Matt.* 27, 26.

et sans haine. Son insolence d'oser s'approcher de Jésus-Christ pour le baiser et pour le trahir par ce signe de confiance et d'amitié, soulève tout le monde, mais n'arrache pas une parole à l'historien. La faiblesse de Pilate est évidente, mais les Evangélistes se contentent de rapporter les faits qui la prouvent. L'orgueil d'Hérode, qui se venge du silence de Jésus-Christ, en l'attribuant à ignorance ou à folie, méritait bien d'être rabbatu, en découvrant la sagesse profonde qui humiliait sa curiosité : mais sur ce point si intéressant tous les Evangélistes gardent la même retenue.

« Serait-il possible, après ces réflexions, qui servent d'ouverture à beaucoup d'autres, qu'on ne sentît pas combien une telle conduite si constante d'un côté, et de l'autre si peu naturelle, est un caractère de divinité, qu'aucun doute raisonnable ne peut obscurcir?

« Car ce caractère, si singulier en lui même et si surprenant, n'est pas celui d'un seul Evangéliste; il est celui de tous, quoiqu'ils aient écrit en des lieux et en des temps différents; et il est dans tous également parfait. Si c'est le premier d'entre eux qui a commencé à écrire, qui leur a servi de modèle, où ce premier avait-il vu ce qu'il a suivi? Y en avait-il quelque exemple avant lui? Avons-nous dans l'antiquité une histoire de même genre? Est-il possible même qu'il y en ait eu? D'où vient donc qu'un publicain, tel que S. Matthieu, s'est formé une idée si parfaite d'une chose aussi nouvelle et aussi sublime que l'histoire d'un Dieu fait homme, souffrant et mourant pour le salut de tous? Et comment a-t-il pu atteindre par un premier essai à une si auguste simplicité, devant laquelle toute l'éloquence et toute la sagesse humaine ne sont qu'imbécillité et qu'enfance; car elles auraient inspiré l'une et l'autre le contraire de ce qu'a fait S. Matthieu, et que nous venons d'admirer.

« Mais si les autres Evangélistes sont les imitateurs du premier, d'où leur est venu le discernement qui les a portés à suivre son exemple? Comment est-il arrivé qu'ils ont tous pris également son caractère? Pourquoi quelques-uns d'eux n'ont-ils pas été blessés de son apparente simplicité? Pourquoi ne lui ont-ils pas préféré un style plus vif, plein de réflexions, de témoignages de zèle pour Jésus-Christ et de ressentiment contre ses ennemis? Est-il même si facile de comprendre tout ce qu'il y a de véritable grandeur dans la manière que Saint Matthieu a suivie, d'en pénétrer le secret et d'en découvrir les raisons? Est-il aisé, après même qu'on y a fait beaucoup de réflexions, et qu'on l'a long-temps étudiée, de l'imiter si fidèlement, qu'on ne s'en écarte jamais? Il n'y aurait qu'à le tenter aujourd'hui, où nous avons quatre histoires formées sur le même modèle, pour sentir combien une telle imitation est difficile, surtout si l'on est plein de foi et d'amour, si l'on sait estimer les souffrances de Jésus-Christ, et si l'on est plein de cette ardeur et de ce feu dont les Evangélistes étaient embrasés. Car c'est principalement dans l'union de ces dispositions avec leur modération et leur retenue que consiste la merveille; c'en est une d'aimer comme eux; c'en est une autre séparément d'écrire comme eux. Mais c'est un prodige dans la grâce même, et l'ouvrage unique du S.-Esprit, d'avoir su allier un amour si ardent avec un genre d'écrire si modéré et si peu semblable à celui qu'inspire l'amour.

« Si les Evangélistes avaient agi en cela par des vues humaines, et avec le dessein de s'attirer plus de créance par une affectation de modestie et de simplicité qui en aurait couvert une autre plus profonde et plus cachée, ils n'auraient pu soutenir ce déguisement jusqu'au bout; l'artifice ne saurait être aussi constant que la vérité : il se trahit lui-même dans la suite, et se dément; et la crainte même qu'il a de ne pas réussir par une modération qui ne serait pas remarquée, et de manquer ainsi son effet, le contraint de se produire et de faire observer par quelque trait combien il agit d'une manière simple et désinteressée, afin qu'on lui en sache gré, et qu'on s'y fie.

« Si l'un des Evangélistes avait eu assez de pouvoir sur soi-même, et assez d'adresse pour ne sortir jamais du faux caractère dont il aurait voulu se parer, il eût été presque impossible que les autres eussent conservé la même attention avec le même succès; et s'ils y avaient réussi, ils n'auraient pas manqué de faire observer par quelques-uns de leurs disciples la manière sage et mesurée dont ils avaient écrit. L'artifice a toujours quelques confidents, et il en a besoin. Car ce n'est ni la vérité ni le témoignage de la conscience qui le soutiennent et qui le consolent, et il lui en faut un autre pour l'en dédommager; et le succès même, séparé de la connaissance des soins qu'il a causés, et de l'adresse qui les a fait réussir, n'est point ce qui cause la joie la plus pure. Il y aurait donc eu, dès le temps des Apôtres, des

hommes instruits du secret, qui auraient fait admirer aux autres le caractère des Evangélistes, leur désintéressement, leur modestie, leur naïve simplicité, et qui auraient fait de grandes réflexions sur l'attention qu'ils avaient eue à n'en faire aucune. On aurait dans la suite insisté sur cette preuve; on en aurait montré l'efficace et la force; et rien n'aurait été plus connu ni plus celèbre qu'un si beau caractère, si dignement soutenu par les premiers écrivains, et si savamment développé par leurs plus habiles disciples.

« Mais c'est tout le contraire; aucun des anciens n'a fait un tel commentaire sur le genre d'écrire des Evangélistes. Ils ont plus senti l'impression d'une si auguste simplicité, qu'ils ne l'ont approfondie; et je ne sais si avant M. Pascal, quelqu'un en avait été aussi touché que lui, et en avait si bien connu le merveilleux et le divin.

« Ce qui rend la modération des Evangélistes encore plus étonnante, c'est qu'ils avaient devant les yeux l'exemple des Prophètes qui se sont abandonnés aux plus vifs mouvements, quoiqu'ils ne vissent que dans un avenir éloigné l'image des choses dont les Evangélistes ont été les spectateurs. Isaïe est plein de sentiments de reconnaissance, et s'épuise en réfléxions, en découvrant de loin les souffrances et les ignominies de Jésus-Christ. « C'est lui, dit-il, qui dans la vérité s'est chargé de nos langueurs, et qui a souffert ce que nous méritions de souffrir. Il a été blessé à cause de nos iniquités : il a été brisé à cause de nos crimes. Le châtiment qui nous a réconciliés est tombé sur lui, et c'est par ses plaies que nous avons été guéris. Nous nous étions tous égarés comme des brebis errantes : mais Dieu a mis sur lui toutes nos iniquités. Il s'est offert, parce qu'il l'a voulu, et n'a pas ouvert la bouche ; il s'est laissé conduire à la mort comme une brebis, et il a été comme un agneau devant celui qui le tond. » (Isaïe 53, v. 4. et suiv.)

« David, dans un transport, non seulement voit la Croix et le Calvaire, mais il prête même sa voix au Sauveur : et au lieu qu'il est demeuré dans le silence, sans faire de reproches ni de menaces à ceux qui avaient procuré sa mort, et qui en étaient les ministres, ce prophète les traite de lions et de chiens furieux, qui se repaissent de ses souffrances, et qui attendent avec impatience le moment de sa mort. » Ils ont percé mes mains et mes pieds, dit-il, dans la personne de Jésus-Christ, ils ont compté tous mes os : ils me considèrent avec application : ils ont déjà partagé mes vêtements. Délivrez, Seigneur, mon âme de la violence des chiens : délivrez-moi de la gueule du lion. De jeunes taureaux m'ont environné : des taureaux gras et insolents m'ont assiégé. » (Psalm. 21.) Pourquoi les Evangélistes ne disent-ils rien de tel? Pourquoi n'imitent-ils pas les expressions tendres d'Isaïe? Pourquoi sont-ils tranquilles, eux qui sont présents à tout, pendant que les prophètes, séparés de l'accomplissement des mystères par tant de siècles, sont si touchés et si émus? De quels anathèmes n'est pas rempli le psaume 108 contre les Juifs ennemis de Jésus-Christ, et en particulier contre Judas, dont la trahison avait été figurée par celle d'Achitophel? Et dans le psaume 68, où David parle dans la personne du Sauveur, quelles malédictions ne prononce-t-il pas contre les auteurs de sa mort? « Ils m'ont nourri de fiel, dit-il, et dans ma soif ils ne m'ont presenté à boire que du vinaigre. Que leur table (il entend l'Ecriture-Sainte) leur devienne un filet et un piége. Que leurs yeux soient couverts de ténèbres : et qu'ils soient eux-mêmes toujours courbés contre terre. Répandez, Seigneur, votre colère sur eux, et que votre indignation les accable. Que leur habitation soit déserte, et que personne ne demeure dans leurs maisons (1). Parce qu'ils ont persécuté celui que vous aviez frappé, et qu'ils ont ajouté de nouvelles plaies à mes douleurs. Souffrez aussi qu'ils ajoutent iniquités sur iniquités : qu'ils n'entrent point dans votre justice : qu'ils soient effacés du Livre des vivants, et que leurs noms ne soient point écrits parmi ceux des Justes. » Les Evangélistes ont connu ces malédictions, et ils en voyaient l'accomplissement. Pourquoi donc les ont-ils dissimulées? et comment s'en sont-ils si sévèrement abstenus, dans le temps même qu'elles étaient le plus méritées.

« La conspiration des Juifs et des gentils, d'Hérode et de Pilate contre Jésus-Christ, a été vivement représentée dans un autre psaume, comme une révolte ouverte contre Dieu même et contre son Christ. « Pourquoi, dit le Prophète, les nations s'assemblent-elles en tumulte? et pourquoi les peuples forment-ils de vains projets? Les rois de la terre se sont élevés, et les princes ont conspiré contre le Seigneur et contre son Christ? » (Psal. 2.) L'Eglise

(1) Ce qui signifie la dispersion des Juifs et leur exil.

de Jérusalem, pleine du Saint-Esprit, entend ces paroles d'Hérode et de Pilate, des Juifs et des gentils. (Act. 4. 27.) « Mais, continue le prophète, celui qui habite dans le ciel se rira d'eux, et le Seigneur se moquera d'eux. Il leur parlera dans sa colère, et il les remplira de trouble et de frayeur dans le temps de son indignation. » Pourquoi ces paroles, si pleines de grandeur et de majesté, ne sont-elles pas répétées par les Evangélistes? Et pourquoi, lorsqu'ils rapportent la réconciliation d'Hérode et de Pilate, qui ne se réunissent que pour opprimer Jésus-Christ, ne confondent-ils pas leur orgueil par une prophétie qui en prédit si clairement la faiblesse et la vanité? Mais c'est en ce point que Dieu a principalement rendu évidente la divinité des Ecritures, et l'efficace de son esprit qui les a inspirées. Il était digne de lui de montrer si clairement et si vivement aux prophètes les mystères futurs, qu'ils les regardassent comme présents et comme s'accomplissant à leurs yeux; de les remplir de sentiments conformes au spectacle qui leur était présenté; de tendresse et de reconnaissance pour Jésus-Christ; d'indignation contre ses ennemis; de désir que leur injustice fût punie; et de les associer à sa qualité de Juge de tous les hommes, en leur faisant prononcer en son nom des arrêts qui paraissent des malédictions, quand on ne considère que le Prophète, mais qui sont des décrets et des jugements divins, quand on sait de qui le prophète est l'interprète.

« Il n'y a que Dieu qui puisse découvrir de cette sorte l'avenir avec cette certitude, avec cette évidence, avec cette vive impression. Les conjectures humaines n'ont rien de tel. Elles sont incertaines et confuses, mêlées de crainte et d'obscurité, et incapables par conséquent de remuer fortement l'esprit, et d'exciter des mouvements passionnés pour des objets qui ne sont ni fixes ni distincts. L'hésitation est leur caractère, et les suites nécessaires de cette hésitation sont une réelle timidité et une fausse modestie. La tranquillité et la modération ne convenaient donc pas aux Prophètes: ils auraient affaibli la vérité en la rapportant simplement: il fallait la soutenir par des réflexions et par de vifs sentiments, lorsqu'elle était encore éloignée; il fallait la rapprocher et la rendre comme sensible, lorsque son accomplissement était différé de plusieurs siècles, et l'on ne pouvait alors attribuer qu'à la certitude et à l'évidence des mystères les mouvements passionnés des Prophètes, puisque tout ce qui en était l'objet n'avait aucun rapport à leurs personnes, à leurs intérêts particuliers, ni même à leur temps. Mais rien de semblable ne convenait à ceux qui avaient vu l'accomplissement des Prophéties, et que Dieu choisissait pour en instruire tous les hommes. Les réflexions n'ajoutaient rien alors à la vérité, et elles n'eussent servi qu'à la rendre suspecte: l'événement n'avait besoin que d'un simple récit, et la sincérité n'avait besoin que de la modestie.

« Les hommes néanmoins se conduisent d'une manière absolument contraire. Ils sont modestes quand ils parlent de l'avenir, et pleins de hardiesse et même de fierté lorsque leurs conjectures ont réussi. Ils sont timides et chancelants où les Prophètes ont été fermes et précis, et attentifs à se servir de tous leurs avantages, où les Evangélistes n'en prennent aucun. Ils sont peu touchés où les Prophètes sont très émus, et ils sont au contraire vifs et passionnés, où les Evangélistes sont modestes et tranquilles. Qui a pu mettre une telle différence entre la conduite des hommes, quand ils agissent naturellement, et celle que les Prophètes et les Evangélistes ont observée? Qui a rendu les Prophètes si ardents, et les Evangélistes si modérés? Qui a mis des sentiments si tendres dans Isaïe avant que Jésus-Christ s'immolât pour nous? Et qui a été le maître d'en arrêter les témoignages dans les Evangélistes, et en particulier dans S. Jean, fidèle témoin de tout, et distingué des autres par la tendresse de son maître? Ces deux caractères, en apparence si contraires, mais si dignes de l'Esprit de Dieu, n'ont pu être l'effet que de sa sagesse et de sa puissance, et il n'y a eu que celui à qui tous les temps sont présents, et qui est le maître des pensées et des volontés des hommes, qui ait pu discerner et faire exécuter ce qui convenait aux mystères futurs et aux mystères accomplis, aux Prophètes chargés de les prédire, et aux Evangélistes chargés d'en écrire l'histoire.

Nous avons vu avec étonnement combien la divine providence s'est appliquée à mettre le témoignage que les Evangélistes rendent à Jésus-Christ au-dessus de tous les soupçons, et à réunir dans leurs personnes et dans leurs écrits tous les caractères possibles de vérité. Mais il y en a un dernier qui met le comble à tous les autres, et qui ne peut convenir qu'à des écrivains inspirés, et à des Ecritures divines.

« Les Evangelistes ont scellé de leur sang ce qu'ils ont écrit. Ils ont, comme les anciens Prophètes, donné leur vie pour en attester la vérité; et après mille soins et mille travaux, ils se sont immolés eux-mêmes pour ajouter à leur témoignage le respect et la vénération du sacrifice. Quelle histoire a jamais eu une telle preuve de vérité? Quels témoins croirons-nous, si nous ne croyons pas ceux qui se font égorger pour maintenir ce qu'ils ont écrit? Y a-t-il hors de la vraie Religion quelque chose de semblable? Trouve-t-on ailleurs des hommes qui aient donné leur vie pour assurer des faits que d'autres contestaient? Et quelle excuse resterait-il à ceux qui croient tant de choses sur la parole des historiens, s'ils refusaient de croire des hommes pleins de zèle et de charité, qui s'estiment heureux de mourir pour eux, et pour les persuader de la vérité de l'Evangile? Comment, en effet, pourrait-on obscurcir une preuve d'un si grand éclat, ou en diminuer la force? Le mensonge espère-t-il quelque chose après la vie? La fausseté et l'imposture ne sont-elles pas nécessairement tremblantes et timides? La conscience, que l'artifice et la fiction ne peuvent corrompre, ne les dément-elle pas dans une occasion décisive? La mort n'arrache-t-elle pas le masque à la dissimulation et à l'hypocrisie? Et les tourments qui la précèdent ne font-ils pas évanouir une vaine apparence de fermeté qui n'est fondée sur rien de solide? Car où serait alors l'intérêt de l'imposteur? A quel fantôme sacrifierait-il sa vie et sa constance? Qu'attendrait-il d'une fiction dont il serait lui-même l'auteur? Et comment soutiendrait-il en même temps de cruels supplices et ses propres reproches?

« On n'a jamais vu, et l'on ne verra jamais rien de semblable. Un homme peut sacrifier sa vie à une fausse gloire ; mais il est inouï qu'aucun ait voulu mourir pour attester un mensonge dont la fausseté lui ait été connue : et cela est encore plus incompréhensible, quand on suppose dans plusieurs une semblable frénésie, contraire à tous les principes et à tous les sentiments naturels.

« Il faut mettre une grande différence entre des hommes séduits par une erreur qui s'est accréditée, et qui est devenue populaire, et les premiers séducteurs. Il n'est pas impossible que des personnes trompées donnent à quelques écrits une autorité qu'ils ne méritent pas, et que la séduction, affermie par le temps et par des préjugés, les porte à souffrir quelque chose pour la défendre, ou, si l'on veut, à donner même leur vie pour lui rendre témoignage. La conscience alors tient lieu de vérité et de lumière, quoiqu'elle soit dans les ténèbres : la crainte de Dieu y joint une force réelle, et tous les sentiments qui naissent de cette crainte peuvent soutenir ceux qui ne se trompent que par rapport à l'objet, et qui conservent sur le reste une pleine certitude : car il n'est pas douteux à leur égard qu'ils ne soient obligés à tout sacrifier à la Religion, et que ce ne soit un grand crime que de la renoncer. Mais il n'en est pas ainsi des séducteurs ; car tout ce qui peut affermir les personnes séduites se tourne contre eux. Il faut qu'ils résistent à la vérité, à la conscience, à Dieu même. Il faut qu'ils combattent tout ce qui soutient les autres ; et il faut qu'ils le combattent, pour souffrir de grands supplices, et la mort même, sans rien espérer d'une si folle obstination, et avec une crainte très-légitime d'en être sévèrement punis par la vérité éternelle qu'ils ont outragée.

« Quiconque croit cela possible ne connaît pas la nature et ne se connaît pas lui-même. C'est s'efforcer de rendre tout douteux, que d'opposer à une telle évidence et à une telle certitude des défiances si mal fondées; et c'est refuser tous les témoignages, que de refuser de croire des témoins qui répandent leur sang, et qui n'ont d'autres motifs de le répandre que l'amour de la vérité et celui de leurs frères.

« Mais, dira peut-être quelqu'un, des témoins si déclarés et si pleins de zèle ne marquent-ils pas de la passion? Ne devrait-on pas en citer d'autres, aussi sincères, mais moins prévenus? Des historiens qui se donnent aussi pour disciples, n'affaiblissent-ils pas la première de ces qualités par la seconde? et la certitude des faits ne serait-elle pas mieux établie par des personnes qui en seraient bien instruites, mais qui n'auraient pas pris de parti?

« Appelle-t-on prendre parti que de donner sa vie pour attester la vérité? Est-ce dans de telles circonstances qu'un historien peut être suspect? et si l'on refuse de le croire, parce qu'il répand son sang pour mériter d'être cru, quelle autre preuve attend-on qui soit au dessus de celle-là? Je conviens que dans une histoire ordinaire il est du devoir d'un historien de ne faire paraître ni zèle, ni attachement; mais il est aisé de montrer qu'en matière de

religion, ce serait une injustice que d'exiger rien de tel, et que cette disposition même n'est pas possible : car quiconque a vu les miracles de Jésus-Christ, et en a connu la certitude, en a dû être touché. Quiconque a senti la force des preuves que Jésus-Christ a données de sa mission, a dû le regarder comme le Messie promis dans les Ecritures : et quiconque a été persuadé qu'il était le Messie, a dû nécessairement croire en lui, et devenir l'un de ses disciples. L'indifférence et la neutralité ne sont possibles qu'autant qu'elles sont jointes au doute : le doute lui-même n'est possible que faute de connaissance ou d'examen ; et un historien qui n'aurait rien approfondi ni rien examiné, que nous apprendrait-il? Il faut qu'il soit certain de ce qu'il écrit; pour nous en assurer, il faut qu'il l'ait vu, quand il se donne pour témoin oculaire. Il n'est donc pas possible qu'il soit indifférent sur les mêmes choses qu'il a vues et qu'il regarde comme certaines ; et lorsque ces choses emportent nécessairement la persuasion et la foi, il n'est pas possible qu'il les écrive sans être ni persuadé, ni fidèle.

« C'est pour cela qu'on a soupçonné de supposition ce qu'on trouve dans l'histoire de Josèphe par rapport à Jésus-Christ : car l'on sait d'un côté que par une indigne flatterie (1), il a transporté à Vespasien ce que les Prophètes avaient prédit du Messie ; et l'on ne peut comprendre de l'autre qu'il ait écrit de Jésus-Christ qu'il était le (2) Christ, et qu'il n'ait pas cru en lui en s'unissant aux Chrétiens. Ces deux réflexions jointes ensemble rendent la supposition évidente, et la dernière suffirait quand elle serait seule, rien n'étant plus contraire à la raison que de reconnaître publiquement Jésus-Christ pour le Messie, et de refuser de l'écouter et de le suivre. Il pourrait néanmoins y avoir quelque chose de vrai dans le témoignage de Josèphe, si l'on en séparait ce qui est trop fort, et qui paraît ajouté au discours, dont il interrompt la suite naturelle. Car, s'il est contre la vraisemblance que cet historien ait reconnu Jésus-Christ pour le Messie, il est peut-être aussi contre la vraisemblance qu'il n'en ait point parlé; mais il s'est contenté de termes généraux, qui marquent à la vérité une grande considération, mais qui n'entrent dans aucun détail, et qui nous apprennent de quel usage auraient été pour nous beaucoup d'historiens semblables à Josèphe, aussi négligents et aussi distraits que lui par rapport à Jésus-Christ, et pour les mêmes raisons, aussi indifférents.

« Une connaissance exacte des miracles que Jésus-Christ a opérés, est inséparable de la persuasion, et une telle persuasion est la même chose que la foi, ou elle y conduit nécessairement. Car lorsque les faits sont divins et miraculeux, on ne peut les regarder comme certains, sans les regarder aussi comme des témoignages que Dieu lui-même a rendus à certaines vérités; et dès-lors ces vérités, et la Religion dont elles font partie, ne peuvent être regardées ni comme douteuses, ni comme indifférentes.

« Mais ce sont ces miracles mêmes, dirait peut-être un étranger et un infidèle, qui coûtent à croire, et qui portent à douter de la sincérité des Evangélistes. Car il est juste de se défier de tout ce qui est extraordinaire, et l'on ne peut examiner trop sévèrement ce qui s'écarte des lois naturelles, principalement lorsqu'on veut s'en servir pour prouver que Dieu s'est déclaré en faveur d'une certaine religion.

« La véritable ne craint point un tel examen; elle le demande, au contraire, et l'exige comme nécessaire : car ce n'est que par là qu'elle se distingue des sectes fondées sur l'illusion et le mensonge, à qui la fiction des prodiges ne coûte rien. Mais en examinant la vérité des miracles, il ne faut pas supposer qu'il ne peut y en avoir d'indubitables et de certains, ni contester à Dieu le pouvoir qu'il a sur la nature qui n'est que ce qu'il a voulu qu'elle fût, et qui n'a d'autres lois que celles

(1) Sed quod maximè ad bellum eos (*les Zélateurs*) excitaverat, responsum erat ambiguum in sacris litteris inventum, quòd eo tempore quidam esset ex eorum finibus orbis terræ habiturus imperium. Id enim illi quidem quasi proprium acceperunt, multique sapientes interpretatione decepti sunt. Hoc autem planè responso Vespasiani designabatur imperium, qui apud Judæam creatus est imperator. *Joseph. l. 7 de Bell. Judaic. c.* 12.

(2) Fuit hoc tempore Jesus vir sapiens, si tamen virum illum oportet dicere. Erat enim mirabilium operum effector, magister hominum qui vera libenter amplectuntur. Et plurimos quidem ex Judæis, plurimos ex gentibus ad se pertraxit. Hic erat Christus. Cùmque eum à primoribus gentis suæ accusatum Pilatus ad crucem damnâsset, ab eo diligendo non abstiterunt, qui primùm cœperant : nam post tertium diem redivivus ipsis apparuit : cùm divini vates hæc, aliaque quampdurima admiranda de eo prædixissent. Neque ad hanc diem defecit denominatum ab eo Christianorum genus. *Joseph. l.* 18 *Antiq. c.* 4.

que sa liberté lui a marquées. Qu'on examine donc avec la dernière rigueur les témoins qui nous assurent qu'ils ont vu les miracles de Jésus-Christ; non seulement j'y consens, mais j'y exhorte même, et j'en ai donné l'exemple. Mais, après un tel examen, qu'on se souvienne que les miracles n'en sont pas moins certains pour être des exceptions de l'ordre naturel, et que ce serait ôter à Dieu tous les moyens de nous prouver ses desseins et ses mystères, que de se défier de tout ce qu'il ferait d'extraordinaire et de surprenant. En effet, ceux mêmes qui s'efforçent d'affaiblir les miracles de Jésus-Christ, les exigeraient comme une preuve indispensable et nécessaire, si l'on ne disait pas qu'il en eût fait. Ils tâcheraient d'expliquer par des voies naturelles tous ceux qui ne seraient pas évidemment au-dessus de la nature. Ils en demanderaient d'éclatants, de manifestes, et qu'il fût impossible d'obscurcir, tels que la résurrection des morts, ou la guérison d'un aveugle-né. Ils voudraient qu'ils eussent été publics, sévèrement examinés, et en si grand nombre, qu'un peuple entier en pût rendre témoignage. Ils sont donc visiblement injustes de refuser les preuves qu'ils auraient eux-mêmes demandées; de s'en défier, parce qu'elles ont les caractères qu'ils auraient jugé nécessaires, et de chercher dans leur éclat et dans leur nombre un prétexte pour en douter, eux qui croiraient leur doute bien fondé, si ces miracles avaient été moins extraordinaires et moins fréquents.

« Il n'y a donc désormais qu'à rassembler toutes les preuves que nous avons de l'exactitude et de la sincérité des Evangélistes et des Apôtres, pour admirer le soin que Dieu a pris de réunir dans eux tout ce qui est capable de faire impression sur un esprit équitable, et de former une persuasion pleine et parfaite. Ils sont tous contemporains, témoins oculaires, bien instruits de toutes choses, où ils ont eu eux-mêmes beaucoup de part. Ils sont en grand nombre; et quoiqu'ils aient écrit séparément, dans des temps et dans des lieux différents, ils sont pleinement d'accord sur le fond et sur les circonstances principales. Il est évident néanmoins, par des différences qui ont été observées, qu'ils n'ont point écrit de concert, et que c'est uniquement la vérité qui les a réunis. Ils parlent d'eux-mêmes, de leur ignorance, de leurs faiblesses, de leurs fautes, avec une ingénuité jusque-là inconnue. Ils se contentent d'écrire avec simplicité les faits, sans tirer avantage d'aucun, sans expliquer ceux qui paraissent avoir besoin d'éclaircissement, sans faire de réflexions sur ceux qui les intéressent le plus, sans mêler dans leur récit ni plaintes, ni invectives, ni exhortations, quoiqu'ils soient d'ailleurs pleins de zèle, et qu'ils n'écrivent que pour répandre dans tout le monde la foi de l'Evangile. Enfin ils s'exposent à tout, et ils souffrent tout, pour attester la vérité de ce qu'ils ont écrit. Ils s'offrent tous également à la mort, et plusieurs d'entre eux donnent réellement leur vie pour mettre ce dernier sceau à leur témoignage. Et ils apprennent à tous ceux qui les écoutent à mourir comme eux pour les mêmes vérités, et pour conserver sans altération les livres où elles sont écrites. S'il y a eu quelque chose de semblable depuis l'établissement du monde; s'il y a des faits parmi ceux qui sont les plus indubitables et les plus autorisés, qui aient les mêmes preuves et les mêmes caractères de certitude; s'il est possible, en ne croyant pas ce qu'ont écrit les Evangélistes, de croire quelque chose sur le témoignage des hommes, on peut douter de l'histoire de l'Evangile: car il n'y a aucune comparaison à faire entre sa certitude et celle de tous les faits dont nous ne pouvons être assurés que par la fidélité de ceux qui les ont écrits.

« Avant que de finir cette matière, je dois faire observer deux choses qui sont fort importantes. La première, que toutes les Ecritures du nouveau Testament sont liées entre elles par un rapport si essentiel et si nécessaire, qu'on ne peut les séparer, et qu'il faut les regarder toutes commes sincères, ou toutes comme supposées; parce que les mêmes faits et les mêmes mystères se trouvent dans toutes. L'histoire des Actes des Apôtres suppose celle des Evangélistes. Les Epîtres de S. Paul ont pour base l'une et l'autre. Les Epîtres de S. Pierre, de S. Jacques et de S. Jean, ont une liaison intime avec celles de S. Paul. Il n'y a pas jusqu'à celle de S. Jude, quoique très-courte, qui ne puisse rappeler seule tout l'essentiel de la Religion chrétienne. Il faut nécessairement tout recevoir, ou tout rejeter: le choix et le discernement sont impossibles et inutiles; et le peu qu'on réserverait, ferait revivre tout le reste. Or, qu'on examine après cela comment on s'y prendrait pour tout rejeter, et comment en particulier on réussirait à persuader que l'histoire des Actes est fausse, ou, ce qui est encore plus chimérique et plus

insensé, que les Epîtres de S. Paul sont supposées.

« La seconde observation est que les Écritures du Nouveau-Testament n'ont pas été comme celles de l'Ancien adressées à un seul peuple, séparé de tous les autres par ses mœurs et par son langage, dont la tradition, par conséquent, était moins publique et moins connue, mais qu'elles ont été adressées à toutes les nations du monde, et dans la langue la plus commune aux Romains, aux Macédoniens, aux Corinthiens, aux Éphésiens, aux Galates, aux (1) Parthes, aux Hébreux de la Palestine, aux Juifs dispersés, aux douze tribus. Il faut donc nécessairement que dans le temps des Apôtres tous les peuples que je viens de nommer aient eu les Écritures qui portent leurs noms, et qu'ils aient pu en montrer les originaux (2) : et sur cela il n'y a que deux partis à choisir, ou de convenir avec tous les peuples de la terre que leurs Écritures sont véritablement des Apôtres, et que tout ce qu'elles renferment est exactement conforme à ce que ces peuples avaient vu dans ces hommes divins et à ce qu'ils en avaient appris ; ou de supposer dans tous les peuples du monde une conspiration générale pour fabriquer des Écritures, dont la doctrine a été si sublime et si digne d'hommes inspirés, que tout le monde y a été trompé, sans que personne ait eu le moindre soupçon de l'artifice, et sans que le secret entre tant de complices ait été découvert. A moins qu'on ne veuille se jeter dans une autre absurdité aussi contraire à la raison, et supposer que tous les peuples ont regardé comme sincères, et même comme divines, des Écritures dont la fausseté leur était connue, ceux qui s'en disaient les auteurs n'ayant rien dit parmi eux, et n'ayant rien fait de semblable à ce que portent ces Écritures, dont néanmoins ces auteurs les prennent à témoins, et veulent les rendre garants. Ce serait faire injure à l'équité naturelle et au bon sens, que d'insister plus long-temps sur cette matière ; et si une telle évidence ne suffit pas pour quelques esprits, la religion est bien vengée de leur résistance par leur aveuglement. » (Ex opere inscripto : *Principes de la foi chrétienne*, auctore Duguet, part. 3, cap. 4, 5 et 6.)

(1) L'Epître de S. Jean était écrite aux Parthes, selon les anciens. S. Paul écrit aux Hébreux de la Palestine. S. Pierre aux Juifs dispersés. S. Jacques aux douze tribus.

(2) Age jam qui voles curiositatem meliùs exercere in negotio salutis tuæ ; percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ adhuc cathedræ Apostolorum suis locis præsident : apud quas ipsæ authenticæ Litteræ eorum recitantur, sonantes vocem, et repræsentantes faciem uniuscujusque. Proxima est tibi Achaia? habes Corinthum ; si non longè es à Macedoniâ, habes Philippos, habes Thessalonicenses. Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum. Si autem Italiæ adjaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas præstò est. Ista quàm felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum suo sanguine profuderunt : ubi Petrus passioni Dominicæ adæquatur : ubi Paulus Joannis exitu coronatur : ubi Apostolus Joannes, postea quàm in oleum igneum demersus, nihil passus est, in insulam relegatur. *Tertull. de Præscript. c.* 36, *p.* 245.

Ecquid verisimile est ut tot ac tantæ (Ecclesiæ) in unam fidem erraverint : Nullus, inter multos, eventus unus est. Exitus variàsse debuerat error doctrinæ Ecclesiarum. Cæterùm, quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum. *Tertull. de Præscript. c.* 28, *p.* 241.

SECTIO II. — *Narratio Evangelistarum ab objectis incredulorum vindicatur.*

Auctor ex quo sequentia mutuamus, primùm in prioribus objectis id refellit quod ex genealogiis opponi solet, quodque ipse Hook doctissimè tractat ; deinde loca alia difficilia sic pergit discutere.

« Objectio III. Matth. cap. 2, refertur Magos stellâ duce, Jesu recens nati petiisse incunabula, et Herodem de solio sibi eripiendo ab illo infante pertimescentem, interfici jussisse in finibus Bethleem pueros omnes à bimatu et infra. Ast numquid stellam aliquam corpus immensæ molis juxta astronomos, tum creâsset Deus postea destruendam ? Quis credat Herodem eò dementiæ et crudelitatis venisse, ut metu infantis unius ad stragem innumerorum adduceretur ? Insuper in fine capitis ejusdem supponit Matthæus prædictum esse à Prophetis Jesum Nazaræum fore nuncupandum ; hujusmodi autem vaticinium aliquod in collectione prophetiarum non reperias.

« Resp. Generali stellæ ac sideris nomine Matthæus exprimere potuit meteorum aliquod in cœlis seu atmosphærâ conspicuum. Extraordinarium sidus illud, de quo Matthæus, reverà in Oriente visum esse et Chaldæis ab astronomis observatum, scripsit Chalcidius philosophus, Commentario in Timæum Platonis ; incredibile nihil habet etiam puerorum cædes jussa per Herodem, qui natum Bethleemi Messiam seu regem Judæorum audiverat : quò non propellit cæcus ambitionis furor et cupiditatis ? Insuper factum illud suo tempore

Romæ vulgatum esse, testatur Macrobius Saturnalium lib. 2 : « Augustus, inquit, cùm audisset inter pueros, quos in Syriâ Herodes rex Judæorum infra bimatum jussit interfici, filium quoque ejus occisum, ait : *Meliùs est Herodis porcum esse quàm filium.* » Quod spectat laudatum à Matthæo vaticinium de Jesu Nazaræo Nazarænove appellando, reapsè illud apud Prophetas hodiè non comparet ; sed ut Evangelista falsitatis argueretur, à deistis antea demonstrandum fuisset pervenisse ad nos omnia omninò Prophetarum oracula, quod eorum nemo perfecit.

« Objectio IV. Narrat Matthæus, ibid. cap. 2, Jesum recens natum à Magis fuisse Bethleemi adoratum : statim ab eorum discessu Josephum, in somnis monitum ab angelo, eâdem nocte cum puero et Mariâ in Ægyptum fugisse ; illusum à Magis ad se non revertentibus Herodem subitò jussisse parvulos trucidari *à bimatu et infra, secundùm tempus quod exquisierat à Magis.* Hæc autem apertè pugnant, seu secum invicem, seu cum Lucæ capite 2. Etenim 1°, si Herodes pueros mactavit *secundùm tempus* à Magis declaratum, visi recentissimè sideris, *à bimatu* profectò non interfecit ; et è converso, si à bimatu occidit, non jam secundùm tempus quod exquisierat à Magis, ut ait Matthæus. — 2° Aut à Matthæo ibi narrata minimè contigerunt, aut falsò testatur Lucas cap. 2, v. 22, 39, 42, Jesum juxta legem Moysis, id est, elapsis post nativitatem quadraginta diebus, oblatum esse in templo Jerosolymitano ; parentes illius oblatione perfectâ, reversos esse in Galilæam in civitatem suam Nazareth ; unde ad annum Christi 12, domicilium non asportârunt, sed ibant per omnes annos in Jerusalem, in die solemni Paschæ. Enimverò Magorum adoratione oblatio hæc neque prior esse potuit, neque posterior. Non prior quidem, ob petitam scilicet, istâ peractâ, Nazarethum (Luc.), non Beethleem, præfatæ adorationis locum (Matth.). Sed neque posterior. Ponas nimirùm oblationi factæ post quadraginta dies à Christo nato, præiisse adorationem, jam peregrinationi Magorum, Jerosolymis maximè dissitorum, sufficiens tempus non reliqueris : sed et in eâdem hypothesi factæ post adorationem oblationis, nihil eorum stabit quæ de fugâ in Ægyptum à Matthæo perhibentur. Reversus quippe Nazarethum Jesus, non ante annum duodecimum (Luc.), id est, nunquàm fugisset in Ægyptum Herodis causâ; apertissimè verò non statim post Magos Bethleem egressos, in Ægyptum à Josepho asportatus esset ; non Bethleemo, sed è civitate Nazareth, petita fuisset Ægyptus ; angelus fugam tutando ab Herode puero non dixisset necessariam, cùm solos finium Bethleem infantes rex ille foret trucidaturus, et Jesus, Nazarethi in Galilæâ degens, procul ab his finibus abesset. Sed aliunde statim ac Herodes à Magis Jerusalem non revertentibus illusum sese deprehendit, pueros Bethleemiticos interfici mandavit (Matt.). Igitur vel unicâ eâ ratione Jesus in templo sisti non potuisset post Magorum adorationem, in sententiâ quidem Christianorum, qui diei 6 januarii seu 13 post Christum natum, à quadragesimâ oblationi præfixâ multùm remotæ, eam adorationem affigunt.

Resp. : Matthæus, in iis quæ scripsit laudato cap. 2, haud difficilè cum seipso et Lucâ conciliatur. Ad primum, hæc dicit Matthæus : *Cùm natus esset Jesus in Bethleem Judæ in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Jerosolymam, dicentes : Ubi est qui natus est rex Judæorum ? Vidimus enim stellam ejus in Oriente, et venimus adorare eum ;* tempus ergo visæ primùm stellæ non determinat. Hæc autem potuit, ut opinati sunt Augustinus aliique nonnulli, Magis è terrâ longinquâ vocandis apparere biennio ferè ante Christum natum : quo posito Herodes, pueros interficiens à bimatu, tempori per Magos assignato sese penitùs accommodâsset. Possunt etiam verba Matthæi, *secundùm tempus quod exquisierat à Magis,* referri ad τὸ *et infra*, duntaxat, non verò ad hæc, *à bimatu;* ita ut sensus sit, Magorum de ortu stellæ testimonio Herodem sese accommodâsse, in occidendis infra bimatum certæ cujusdam ætatis infantibus ; cæterosque omnes à bimatu, majoris cautelæ gratiâ, fuisse ab illo trucidatos. Ergo sive stella Magis apparuerit aliquandiù ante Jesum natum seu nascente Christo, contradictionem non involvunt verba Matthæi dicentis : *Occidit* (Herodes) *omnes pueros...... à bimatu et infra, secundùm tempus quod exquisierat à Magis.*

« Ad secundum, dicimus, nec Lucæ Matthæove repugnat, in templo peractam oblationem Christi fuisse Magorum adoratione posteriorem. Sequens esto memoratorum eventuum ordinatio, quos sat nobis est potuisse ita sese habere. Magi ad Christum die decembris 25 Bethleemi natum accedunt inclinante januario. Elapsis inde diebus paucis, et à nato puero quadraginta, Maria et Joseph

secundùm legem Moysi tulerunt illum in Jerusalem ut sisterent eum Domino, Luc. 2. *Ut perfecerunt omnia secundùm legem Domini, parentes Jesu reversi sunt in Galilæam, in civitatem suam Nazareth,* unde Bethleem sese contulerant occasione censûs ab Augusto imperati, ibidem Luc. 2. Iis Nazarethum vix advenientibus fuga in Ægyptum ab angelo suadetur ; dùmque petunt Ægyptum, Herodes videns quoniam illusus esset à Magis, pueros Bethleemiticos occidi jubet Matt. 2. Defuncto paulò post Herode ibidem Matt. 2, monitus ab angelo Joseph cum puero et Mariâ repetit Nazarethum, unde *per omnes annos ibant in Jerusalem, in die solemni Paschæ,* Luc. 2.

« Iis ita ordinatis, apparet itineri Magorum sat supetiisse temporis; quod quidem ampliari nihil vetat, cùm stella memorata potuerit ipsis ante Christum natum illucere.

« Haud difficilè pariter exponuntur quæcumque de oblatione Jesu, regressu in Galilæam, fugâ in Ægyptum, fixo Nararethi domicilio, etc., à Lucâ et Matthæo memorantur. Narrat quidem Matthæus angelum, *cùm recessissent* Magi, apparuisse Josepho ut fugam in Ægyptum suaderet ; sed non dicit nocte sequenti vel statim id contigisse ; nec etiam asserit parentes Jesu in terram Ægypti Bethleemo fugisse. Potuit ergo Jesus post Magorum discessum Domino sisti in templo Jerosolymitano, et à parentibus Nazarethum reversis in Ægyptum asportari. Fugæ Nazaretho capessitæ non obstat quod ait Lucas, reversos in hanc civitatem peractâ Christi oblatione Mariam et Josephum, *per omnes annos* ivisse in Jerusalem : hæc enim dici perinde potuerunt, quamvis infra longam annorum seriem biennio hanc ob fugam Nazaretho abfuerint. Necessitatem vel utilitatem ejusdem fugæ nequaquàm tollebat petita post oblationem Christi Galilæa ; nimirùm etsi pueros tantùm Bethleem et finium ejus mactaverit Herodes, rescire aliquâ viâ potuisset parentes Jesu, de quo tam præclara palam in templo Simeon et Anna dixerant Luc. 2, civitatem Galilææ Nazarethum incolere.

« Superest quod ultimò dicitur pueros ab Herode, illusum se à Magis deprehendente, mactatos esse statim post adorationem, diei 13 à nativitate Jesu apud Christianos affixam ; ac proinde Christum non potuisse post dies à natali quadraginta Domino sisti in templo Jerosolymitano. Ast Magorum adorationem præfatæ diei 13 nec omnes adscribunt Christiani, nec indubitanter. Quamvis divinitatem Christi stellâ gentibus revelatam, Judæis in ipsius baptismo à Patre declaratam, discipulis in nuptiis Cana primo illius miraculo comprobatam, Ecclesia latina celebret prædictâ die 6 januarii, non ideò existimat trinam hanc divinitatis Christi *epiphaniam* seu manifestationem eâdem illâ die factam esse : Magorum adorationem Græci celebrant die 25 decembris, nec inter eruditos convenit quâ die contigerit. Porrò nihil vetat hanc, ut supra, ultimis adscribi januarii diebus. Jam verò in eâ hypothesi facillimè intelligitur Herodem, qui diebus aliquot Magorum reditum expectare debuit, pueros occidi non jussisse ante lapsos à Christo nato quadraginta dies, factamve ipsius oblationem ; imò nec antequàm reverso Nazarethum Josepho angelus appareret, prænuntians, *futurum esse ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum,* Matt. 2.

« In iis ergo quæ de primis Jesu nati temporibus à Lucâ et Matthæo scripta sunt, falsum nihil aut contradictorium adversarii ostendunt; sique conciliatio primâ fronte difficultatem aliquam habere videatur, ideò tantùm quòd ambo scriptores eventus, nec eosdem uterque, summatim exscripserint : quæ et apparentis primo intuitu multiplicis alterius Evangelistarum pugnæ causa est.

« Objectio V. Refert Lucas cap. 2, anno nati Jesu, factam esse jubente Augusto totius orbis descriptionem, hanc fuisse primam omnium ab Augusto imperatarum, et à præside Syriæ Cyrino in Judæâ peractam. Quot autem verba, tot falsa : scilicet ut è Suetonio, Josepho aliisque scriptoribus habetur, ipso Christi nativitatis anno Augustus nullum egit imperii Romani censum; duos autem antea jam exegerat; et nascente Christo, Cyrinus vel Quirinus non erat Syriæ præfectus.

« Resp. : Jesus Bethleemi nascens relatus est in tabulas censûs à Lucâ memorati, tunc proinde peracti : Justinus Apologiâ 1 ad Antoninum Pium, Tertullianus contra Judæos cap. 9, ad scrutanda eâ de re imperii Romani archivia imperatorem et Judæos confidentissimè provocabant, neque rem negavit Apostata Julianus imperator. Hanc verò descriptionem Lucas potuit dicere *primam* respectu Judæorum, quos antea non fuisse censitos ex Josepho colligitur : insuper græcorum Lucæ verborum sensus esse potest, descriptionem nascente Jesu peractam eâ fuisse priorem quam Cyrinus egit; quo posito necesse nobis non foret anno nativitatis Christi hunc fuisse Syriæ præsidem, seu solutum esset et ultimum objectionis caput.

Sed et aliàs confutatur : etsi enim Cyrinus vel Quirinus tunc temporis non esset ordinarius Syriæ gubernator, potuit ipsi Augustus auctoritatem in Syriam ad exigendum hunc censum impertiri ; atque adhibitum à Lucâ verbum, ἡγεμονεύοντος, in Vulgatâ nostrâ, *præsidis*, virum quemcumque designat auctoritate in aliquâ provinciâ potientem. Quæ fusiùs exposita videas tractatu de Incarnatione.

« Objectio VI. Joannes Baptista, referente Matthæo cap. 3, pœnitentiam Judæis prædicare cœpit *in diebus* regressi ab Ægypto Josephi, paulò post mortem Herodis : tunc temporis autem Joannes erat infantulus, utpote sex mensibus tantùm Christo natu major Luc. 1, v. 36 ; neque munus concionatoris assumpsit nisi anno quinto decimo imperii Tiberii Cæsaris Luc. 3, elapsis à morte regis Herodis triginta circiter annis. Joannem eumdem ab Herode tetrarchâ occisum referunt Matthæus, Marcus et Lucas : porrò facinus illud Herodi non adscripsit ullus principis illius historicus.

« Resp. : Matthæus quidem, post narrata cap. 2 nativitatem Christi, Magorum adorationem, fugam in Ægyptum, cædem infantium, reditum ex Ægypto, sic prosequitur cap. 3 : *In diebus autem illis venit Joannes Baptista prædicans in deserto Judææ* : ast evidenter non intendit factum illud tempore aut statim post tempus gestorum illorum contigisse ; nimirùm ibidem ait ad Joannem venisse Jesum, adultum proinde, ut baptismum ab eo postularet. Satis indicat hic Evangelista sese ab iis quæ primam Christi spectant infantiam, ad vitam ipsius publicam subitò transire. Itaque verba, *in diebus illis*, latissimè accipienda sunt, et ad tempus à Lucâ cap. 3 determinatum extendenda. Deinde verò falsum est cædem Joannis Herodi ab historico nullo præter Evangelistas adscribi, quod nobis tamen nequaquàm officeret : ait enim expressè Josephus, Antiq. lib. 18, cap. 7, necatum fuisse ab Herode Joannem, et exercitûs Herodiani cladem huic fuisse homicidio deputatam.

« Objectio VII. Legimus Matth. 4 Jesum à diabolo tentatum esse ; translatum super pinnaculum templi, in quo, metallicis utpote acuminibus hirsuto, stare profectò nullus poterat ; raptum deinde in montem præcelsum è quo diabolus ostenderit omnia regna mundi, quæ ex aliquo montium conspici evidenter impossibile est. Absonam et ineptam rem eamdem narrat Lucas cap. 4, à Matthæo quidem in eo dissentiens, quòd Jesum priùs in montem, deinde super pinnam templi diabolus transtulerit. Cæterùm inde quisquis facilè judicabit num potestate aliquâ in dæmones Jesus potiretur, an diabolos potuerit ab hominibus expellere, uti contigisse referunt singulis paginis Evangelistæ.

« Resp. : In eo facto nihil impossibile potest ab adversariis evinci, nihil absonum, ineptum, pugnantes committens Evangelistas, aut Jesu in dæmones potestati contrarium. Nonne Christus, verâ licet potestate in dæmones instructus, permittere potuit ut diabolus ipsum tentaret et assumeret, non rapiendo, quemadmodùm adversariis placet, sed secum ducendo, sicuti Lucas exponit. Id certè possibile est, quod confutandæ, et validè quidem, toti objectioni sufficit. Enimverò cætera, de templi scilicet pinnaculo, ostensis Christo mundi regnis omnibus, Matthæi ac Lucæ dissensione, apertè nulla sunt. *Pinnaculum, pinna* templi figuratè ab Evangelistis appellari potuit pars templi lateralis, acuminibus stationem arcentibus nequaquàm hirsuta. Deinde potuit diabolus è monte præcelso, Jerosolymis haud longè posito, oculis Christi regiones exhibere vastissimas, aliaque regna mundi sermone aut picturâ oculis veluti subjicere : aliunde vox, *omnia*, ut nemo nescit, pro plurimis frequenter usurpatur. Denique, etsi Lucas priùs referat Jesum in montem quàm supra pinnam ductum esse, nullum adhibet verbum indicans factum unum prius altero fuisse vel posterius ; solus Matthæus ordinem eorum declarat v. 8, ubi, postquàm Jesum superiùs narravit statutum super pinnaculum templi, ait : *Iterùm assumpsit eum diabolus in montem excelsum valdè.*

« Objectio VIII. Matthæus et Lucas apertè sibi contradicunt in describendâ servi centurionis curatione : etenim apud Matthæum cap. 8, v. 5, 13, centurio ipse accedit ad Jesum sanationem servi deprecans et sermones cum eo miscet ; apud Lucam autem, cap. 7, v. 3, 10, Judæorum seniores primùm et amicos deinde mittit ad Jesum, nec ullatenùs ipse venit, rationemque hujus affert, quòd conspectu Christi dignum sese non arbitretur.

« Resp. : Nihil obstat centurionem, qui Judæos primùm ad Christum miserat, et amicos deinde cùm Jesus jam non longè esset à domo (Luc.), Christo tandem occurrisse, ut refert Matthæus. Eo autem posito, nulla erit Evangelistarum pugna, sed ab eorum uno præfatæ duæ legationes, ab altero centurionis ipsius ad Christum accessio, erunt prætermissæ.

« Objectio IX. Narrat Matthæus ibidem cap. 8, ingresso Jesu in regionem Gerazenorum occurrisse viros duos habentes dæmonia : juxta Marcum autem et Lucam, cap. 5 et 8, unus *duntaxat* dæmoniacus occurrit. Apud eos deinde legitur egressos factâ curatione dæmones, annuente Christo, gregem invasisse porcorum, qui subitò præcipites in mare sese dederunt et in aquis periêre. Jam verò nihil magis absonum, quàm greges porcorum apud Judæos abhorrentes à suillâ carne supponi ; nihil magis ineptum, quàm dæmones exhiberi duo millia porcorum ingredientes ; nihil magis injustum, quàm porcos invitorum dominorum in mare mitti certò præfocandos.

Resp. : Marcus quidem et Lucas unum, non duos memorant dæmoniacos : ast minimè asserunt unum *duntaxat* occurrisse ; alterum silent, non negant, nec proinde Matthæo contradicunt. Ideò juxta Augustinum unicus ab iis dæmoniacus appellatur, quòd aut magis altero vexaretur à dæmonibus, aut in eâ regione notior esset. Nihil autem absonum in præsenti negotio videmus præter illationem adversariorum, ex abstinentiâ Judæorum à carne suillâ concludentium apud eos habitos non esse porcos : nonne sues ab iis nutriri poterant gentibus aliis divendendi ? Aliunde Geraza civitas erat Decapoleos, cujus incolæ plerique Judæi non erant. Deinde ineptum non est dæmones, hominibus nocendi cupidos, gregem porcorum invasisse ut hunc in mare præcipitem agerent. Denique ut asserere deistæ valeant Christum hâc in re adversùs Gerazenos fuisse injustum, antea et alio medio probare debent ipsum neque Deum fuisse nec egisse nomine Dei ; liquet etenim Deo, supremo rerum omnium Domino, potestatem competere hominum bonis ac vitâ etiam spoliandorum : hanc autem probationem hactenùs non protulerunt, nec allatam superiùs divinitatis Christi demonstrationem everterunt aut aliquando sunt eversuri.

Objectio X. In disputatione de jejunio narratâ Matt. 9, v. 14, soli Joannis Baptistæ discipuli Christum interrogant, apud Marcum verò cap. 2, v. 18, discipuli Joannis ac Pharisæi, et Luc. 5, v. 30, 33, soli Pharisæi. Ibidem Matt. 9, v. 18, 19, princeps unus (Synagogæ), ut primùm ad Christum accedit, antequàm ipsum de petendâ suâ domo deprecetur ac Jesus viæ sese committat, dicit ad eum: *Domine, filia mea modò defuncta est;* Marci autem 5, v. 22, 23, accedens ad Jesum idem archisynagogus ait : *Filia mea in extremis est. Veni, impone manum super eam ut salva sit;* et nonnisi eunte jam domum Christo et curatâ interim hæmorrhoissâ, defunctam esse puellam archisynagogo renuntiatur. Matthæi 10, v. 10, apostolis iter habentibus virgam Christus prohibet quam ipsis permittit, Marc. 6, v. 8.

« Resp. : Sanè potuit Christus à discipulis Joannis Baptistæ simul et à Pharisæis de jejunio interrogari, et Matthæus illos, Lucas istos duntaxat interrogantes absque contradictione ullâ memorare. Quod spectat secundam Evangelistarum discrepantiam, summatim Matthæus, Marcus fusiùs ac sigillatim, ut patet, factum principis illius Synagogæ describit. Hinc Matthæus, solam facti substantiam referens, tempora non distinguit archisynagogi, nondùm defunctâ et deinde filiâ mortuâ Christum deprecantis, eumque solummodò inducit rogantem ut à mortuis puella suscitetur ; quod Marco minimè contrarium est. Denique Matthæi 10, Christus Apostolis fustem prohibet agressioni vel etiam defensioni destinatum, non verò baculum quo gradientes innitantur, quique ipsis Marc. 6 permittitur. Viatoribus consuetum erat duos gestare baculos, levem unum quem incedentes præ manibus haberent, validum alterum, qui loco erat armorum. Istum duntaxat Apostolis à Christo fuisse prohibitum, suadet ipsa prohibitionis ratio, quòd nempe apostoli divinæ providentiæ sese totos deberent committere.

« Objectio XI. Testatur Matthæus cap. 20, v. 20, accessisse ad Jesum matrem filiorum Zebedæi, et postulâsse ut in regno ipsius duo filii sederent, unus ad dextram, et alter ad sinistram ; atverò Marcus cap. 10, v. 37, petitionem eamdem non matri de quâ sermonem nullum habet, sed filiis adscribit. Ibidem v. 29 et 30, refert Matthæus cæcos duos à Jesu exeunte Jericho sanatos ; Marcus autem cap. 10, v. 46, curatum dicit unicum ; similiter et Lucas, cap. 18, v. 35, asserens insuper patratum esse miraculum à Jesu, non *exeunte* Jericho, sed *appropinquante* ad hanc urbem quam statim ingressus est, cap. 19, v. 1.

« Resp. : Præfata mater, filiorum nomine ac velut organum, à Christo postulavit ; unde et responsio, apud Matthæum sicuti apud Marcum, ad filios directa fuisse legitur. Hic ergo scribere potuit petiisse filios, alteri minimè contradicens Evangelistæ, juxta quem immediatè mater ipsa postulavit. Haud difficilior est quoad caput alterum conciliatio. E cæcis duobus juxta

Matthæum à Christo exeunte Jericho sanatis, Marcus unicum quidem memorat, suo *Bartimæi* nomine magis notum; sed alterum nequaquàm excludit. Istorum porrò neuter erat cæcus ille de quo Lucas; idque longè potiori jure, ut patet, colligimus è diversis præfatis ingressûs vel egressûs Christi circumstantiis, quàm inde adversarii concludant pugnare secum Evangelistas.

« Objectio XII. Factum Christi nummularios è templo pellentis à Matthæo cap. 21 proximum ponitur ultimi paschatis à Christo celebrati, à Joanne autem cap. 2 primo paschati alligatur. Insuper juxta Matthæum, ibid. v. 12, 17, 18, præfatos è templo Christus ejecit eâ ipsâ die quâ triumphans Jerosolymam ingressus erat; secundùm Marcum verò, cap. 11, v. 11, 12, 15, die sequenti. Ibidem quoque, Matt. 21, v. 18, 19, esuriens Jesus ficos in arbore quærit eâ tempestate (mense martio), ubi fructus nullos adhuc ficulneæ protulerant: *Non enim erat tempus ficorum*, Marc. 11, v. 13; et rectæ rationi contrariâ motus indignatione, arbori vacuæ maledicit. Denique v. 19, 20, laudati capitis ejusdem, Matthæus asserit *continuò*, videntibus mirantibusque discipulis, arefactam esse ficulneam: atverò apud Marcum, c. 11, v. 20, 21, Petrus die crastinâ recordatus latæ maledictionis, stupens dicit: *Rabbi, ecce ficus cui maledixisti, aruit*, quod apertè supponit percussam maledictione ficum non statim aruisse.

« Resp. ad primum: Nonne potuit Christus nummularios è templo bis ejicere, seu temporibus primi et ultimi paschatis à se celebrati? Factum idem à Matthæo et Joanne non memorari ostendunt dispares expulsionis circumstantiæ. Ad secundum: Expulsionem hanc Matthæus quidem narrat ante illa quæ die sequenti contigerunt; ast non dicit eam priùs evenisse. Scriptoribus facta summatim referentibus frequenter accidit, ut temporum, præsertim sibi valdè proximorum, ordinem non attendant, istudque apud Evangelistas passim eruditi deprehendunt. Præterea fieri potest ab exscriptoribus è suo loco dimotos esse versiculos 12 et 13 capitis Matt. 21, ubi expulsi è templo nummularii referuntur; quod nobis iterùm solvendæ difficultati sufficeret. Ad tertium: È Plinio lib. 13 et 15, Theophrasto Hist. plantarum lib. 4, imperatore Juliano Epist. 24, etc., habemus ficulneas quasdam in climate Syriæ et Palæstinæ fructus simul ferre duorum annorum; istasque foliis esse perpetuò vestitas. Eæ porrò vel ante mensem martium ficos maturas præbere valebant; D. Tournefort. et alii maturos id speciei fructus decembri, januario, etc., in iis conspexêre climatibus. Itaque Christus esuriens maximè potuit in ficu virente foliis cibum martio quærere, fructûsque omnis absentia classis hujusce ficulneam verè sterilitatis arguebat. Ergo nec injusta fuit nec inepta, ut volunt adversarii, lata in eam ficum maledictio, quâ Christus aliunde figurabat, quid timendum foret sterilibus bonorum operum hominibus. Neque iis contraria est laudata Marci observatio: *Non erat tempus ficorum;* nimirùm intelligi potest de tempore (augusto et septembri) quo fici colligi solent. Aliunde adhibitum à Marco græcum adverbium οὐ, quod in Vulgatâ redditur per *non*, significat etiam *ibi*, quemadmodùm observârunt Heinsius, Bullet, *Réponses critiques*, t. 1, et alii: ei quidem significationi obstare videtur accentus adverbium illud afficiens et determinans ad sonandum οὐκ, *non;* sed accentus non fuêre semper usitati, isque perperàm adjici potuit.

« At, inquies, adverbium γὰρ, *enim*, occurrens in dictione Marci, *erat tempus ficorum*, minimè sinit vocabulum οὗ significare *ibi;* jam enim ridiculè phrasis ita se haberet: *Cùm venisset Jesus ad eam* (ficulneam), *nihil invenit præter folia; ibi enim erat tempus ficorum.* Ergo legendum: *Non enim erat*, etc. Ast eo posito, particula causalis, *enim*, vi suâ importabit in ficulneâ præfatâ, foliis etsi virente, nullum adhuc extare fructum potuisse; scilicet causam absentiæ fructuum, in ficu foliis licet vestitâ, hanc præcisè Marcus adducit, quia tempus ficorum nondùm erat. Difficultas itaque tota recurrit.

« Resp.: Periodi membrum: *Ibi enim erat tempus ficorum*, per inversionem verborum in Scripturis frequentissimam, ad finem illius ab Evangelistâ positum est; atque sic accipi debet ea phrasis: *Cùm venisset Jesus ad ficulneam, ibi enim erat tempus ficorum* (ficulnearum scilicet classis memoratæ, foliis perpetuò vestitarum), *nihil invenit præter folia.* Non attenta inversionum hujusmodi apud auctores sacros frequentia, verisimiliter in causâ fuit cur exscriptores adverbium οὗ putaverint addito accentu determinandum esse ad significandum *non*. Verùm et ultima hæc significatio retineatur, difficultas nihilominùs soluta manebit stabitve responsio ab initio allata: tunc enim, servatâ memoratâ inversione, hæc erit phrasis integra Marci: *Cùm Jesus vidisset à longè ficum habentem folia, venit si quid fortè inveniret in eâ: et cùm venisset ad eam* (præ aliis quòd haberet

folia), *non enim erat tempus ficorum* (consuetum, quo nimirùm pendentes ex aliis vulgò ficulneis colligebantur), *nihil invenit præter folia. Et respondens, dixit ei : Jam non ampliùs in æternum ex te fructum quisquam manducet :* certè in eà periodo ita inter se omnia cohærent, ut lectio genuina planè videatur. Verba Marci, *habentem folia,* addita voci, *ficum*, præfatam responsionem confirmant, laudatamque simul indigitant verborum inversionem.

« Sic etiam difficultas eadem facillimè resolvitur, attento græcâ voce οὗ significari etiam *cujus*: tunc nimirùm, retentâ præfatâ inversione, phrasis hæc erit : « Cùm Jesus vidisset « à longè ficum habentem folia... et cùm ve- « nisset ad eam, cujus *vel* hujus enim erat « tempus ficorum, nihil invenit præter folia. « Et respondens dixit ei, » etc. Hæc porrò vocis οὗ significatio nobis multùm arridet, et expositioni *ibi* præferenda videtur.

« Atque fusiùs caput istud objectionis expendimus, quòd vim in eo multam, licet immeritò, adversarii reponant.

« Ad quartum : Matthæus ordini rerum insistens, ut scriptoribus sat familiare est, summatim, uno tenore neque distinctis temporibus omnia narrat ad ficum à Christo maledictam pertinentia. Hinc post recitatam v. 19 maledictionem, ea statim adjicit quæ die sequenti à discipulis eâ de re visa sunt et audita, sic nempe prosequens : *Et arefacta est continuò ficulnea. Et videntes discipuli mirati sunt, dicentes : Quomodò continuò aruit? Respondens autem Jesus ait eis : Amen dico vobis, si habueritis fidem*, etc. Jam verò huic narrationi contraria non est evoluta magis et distincta Marci descriptio. Etenim ficulnea, quæ postridiè latæ maledictionis arida jam videtur *à radicibus* (Marc.), potest dici maledicta *continuò aruisse.* Sequentia verò : *Et videntes discipuli... Respondens autem Jesus*, etc., non minùs diei crastinæ, quæ alligantur à Marco, quàm ipsi diei latæ maledictionis possunt accommodari.

« Itaque in adductâ Matthæi, Marci, etc., narratione absonum nihil est aut contradictorium.

« Objectio XIII. Legitur Matth. 26, v. 26, Eucharistiam *intra* cœnam à Christo institutam esse, Luc autem 22, v. 20, *post* cœnam. Juxta Matthæum ibidem Christus ante institutam Eucharistiam prædixit sese ab Apostolorum uno tradendum, et sciscitanti Judæ num proditor ipse foret, respondit apertè : *Tu dixisti.* Ast Lucas laudato cap. 22, v. 21, Joannes cap. 13, v. 2, 4, testantur prædictionem hanc fuisse et cœnâ et institutâ Eucharistiâ posteriorem. Narrat insuper Joannes ibidem v. 24, 30, Petrum, proditoris cognoscendi sollicitum, innuisse discipulo supra pectus Jesus recumbenti, ut postularet quis ille foret; huic secretò respondisse Jesum, proditorem eum esse cui panem intinctum porrecturus esset; intinctumque panem Judæ Simonis Iscariotæ, statim egresso, fuisse à Jesu porrectum : non ergo palam, ut Matthæus habet, Christus proditorem designaverat.

« Resp. : Ex Joanne, cap. 13, v. 2 et 12, habemus Christum *cœnâ factâ* surrexisse ut pedes lavaret Apostolorum, *et iterùm cum illis recubuisse.* Jam ergo cœna duplex : prima *legalis* fuit, in quâ secundùm legem Mosaicam comestus est agnus paschalis; secunda *vulgaris,* ubi cibis aliis vesci licuit. Igitur et post cœnam, primam nempe, et intra cœnam (secundam) institui Eucharistia potuit, ut à Lucâ Matthæoque traditur. Haud difficiliùs conciliantur ab Evangelistis narrata de prænuntiato à Jesu et designato proditore. Matthæus quidem de prædictione illâ priùs quàm de institutione Eucharistiæ sermonem habet; ast nullatenùs dicit eam fuisse istâ priorem; aliunde nonne et ante et post institutam Eucharistiam potuit Christus futuram memorare proditionem? Quid obstat etiam Christi ad Judam verba, *Tu dixisti*, ita esse prolata ut ab omnibus audita non sint? Nihil planè, nec à Matthæo contrarium asseritur : id autem sufficit exponendis omnibus quæ ad calcem objectionis è Joanne proponuntur.

« Objectio XIV. Ibidem Matth. 24, v. 34, ita Petrum Christus alloquitur : *Amen dico tibi, quia in hâc nocte antequàm gallus cantet, ter me negabis ;* apud Marcum verò cap. 14, v. 30, sic habet ea Christi prædictio : *Amen dico tibi, quia tu hodiè in nocte hâc, priusquàm gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus.* Circa eventum ipsum à sese magis Evangelistæ discordant : etenim Matth. 26, v. 69, 75, Jesu per Petrum ter abnegato, gallus cantavit; juxta Marcum autem, cap. 14, v. 66, 72, vocem dedit gallus ubi primùm Christus à Petro semel negatus est, cùmque iterùm et tertiùm Petrus abnegâsset, gallus denuò cantavit. Insuper ubi Christum Petrus iterùm negavit, juxta Matthæum, *exibat januam*, secundùm Joannem verò cap. 18, v. 25, *erat stans* in atrio, et *calefaciens se.* Denique varii varios apud Evangelistas infidelem Petrum interrogant an sit ipse Christi discipulus. Jam verò etsi leves videantur illæ scriptorum præfatorum contradictiones,

infirmandæ Apostolorum divinæ legationi planè sufficiunt.

« Resp. : Frustra, ut jam diximus, in singulas Evangelistarum voces minutissimasque factorum circumstantias inquisierunt adversarii; certa quæpiam, vel levissima contradictio hactenùs ab iis prolata non est, neque post superiùs demonstrata veremur quominùs aliquando proferant : id unum inviti præstant, magis ac magis elucere accuratissimam Evangeliorum consensionem.

« Jam verò nequaquàm pugnant laudata modò testimonia. Galli cantare solent noctis gemino tempore, mediâ nocte et instante aurorâ; attamen ubi cantus galli simpliciter et sine addito memoratur, ab omnibus intelligitur vox ab illo edita versùs auroram, quæ et *gallicinium* appellatur. Igitur synonymæ sunt idemque tempus designant locutiones Matthæi, *ante galli cantum,* et Marci, *ante binum in hâc nocte cantum galli.* Insuper ad versum Matthæi citatum : *Amen dico tibi, quia tu hodiè,* etc., in græco non legimus ut in Vulgatâ, *antequàm gallus cantet,* sed, *antequàm gallus cantaverit,* sive suos, binos nimirùm, cantus expleverit; quâ lectione ostenditur denuò in idem redire à Matthæo et Marco adhibitas in hâc parte locutiones. Ex quibus etiam apparet non discordare ab invicem Evangelistas, dùm alius dicit cantâsse gallum post ternam negationem, alius post primam hunc jam cantavisse : ille scilicet cantum galli simpliciter seu gallicinium intelligit; iste primum seu mediæ noctis cantum accipit, alterum deinde ternam negationem subsecutum commemorans.

« Quod spectat locum à Petro iterùm negante occupatum, potuit Petrus *stans et calefaciens se,* ut ait Joannes, de Christo ab adstantibus interrogari cùm abscederet, et simul ab ancillâ, ut habet Matthæus, dùm propè foret exiturus; atque unico responso, vel duobus sese immediatè sequentibus et in unum coeuntibus, Christum abnegare. Denique discordes non faciunt quatuor Evangelistas variæ personæ, scilicet modò duæ ancillæ, nunc ancilla et homo, modò adstantes, tunc Malchi auriculâ mulctati cognatus, etc., à quibus Petrus interrogatur; potuit etenim quasi simul à pluribus interrogari, quorum unum Evangelista unus, alter alterum memoraverit.

« Objectio XV. Refert Matthæus cap. 27, v. 3, 8, acceptos in pretium proditionis argenteos triginta Judam retulisse ad principes sacerdotum, et eâ pecuniâ emptum ab illis agrum, qui dictus est *Haceldama,* seu ager sanguinis, eò quòd pretio sanguinis, nempe venditi Jesu, emptus esset. Ex Actis autem Apostolorum cap. 1, v. 18, 19, habemus triginta illos argenteos nequaquàm à Judâ principibus sacerdotum redditos esse, sed impensos in pretium agri quem ipse *possedit,* atque agrum hunc ideò *Haceldama* vocatum esse, quòd eum Judas morte suâ cruentâsset. Ibidem, v. 6, hæc habet Matthæus : *Tunc impletum est quod dictum est per Jeremiam prophetam dicentem : Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati... et dederunt eos in agrum figuli :* hæc autem prophetia, quæ legitur Zachariæ 11, nullibi comparet apud Jeremiam, proindeque Matthæus ibi memoriâ lapsus est. Eodem rursùs capite v. 34, scribit laudatus Evangelista Jesu è cruce pendenti propinatum esse vinum cum *felle* mixtum; Marcus autem, cap. 15, v. 2, vinum ponit *myrrhatum.*

« Resp. ad primum : Legitur quidem Act. 1, quòd *Judas possedit agrum de mercede iniquitatis,* pretio nempe traditi Jesu : ast minimè dicitur triginta hunc argenteos ad principes sacerdotum non retulisse, nec agri laudata possessio redditionem eorum excludit. Enimverò nonne potuit Judas, fur et loculos habens, Joan. 10, v. 6, dives fuisse argenteorum triginta præter eos quos à Judæis acceperat? Id autem satis erit ut agrum emere et possidere valuerit *de mercede iniquitatis,* simulque pretium venditi Jesu principibus sacerdotum reddiderit. Quid obstat etiam agrum emptum à Judâ et possessum esse, atque motum precibus Judæ venditorem consensisse in rescissionem contractûs, et restituisse pretium Judæis ab eodem Judâ reddendum? Deinde nonne memoratus ager dici potuit *Haceldama,* seu ager sanguinis, et quia emptus pretio sanguinis, et quia diffusis visceribus suspensi Judæ cruentatus? Hinc ergo inefficaciter arguunt increduli.

« Ad secundum : Omissis aliis eruditorum responsionibus, dicimus maximè fieri potuisse à Matthæo scriptum esse duntaxat : *Tunc impletum est quod dictum est per Prophetam dicentem,* non appellato vatis nomine, et sciolum amanuensem quempiam, deceptum simili aliquatenùs loco Jeremiæ cap. 32, hujus prophetæ nomen scripsisse primùm ad marginem laudati Matthæi versûs, è quâ in textum ipsum irrepserit. Reverà in versione syriacâ veteribusque latinis exemplaribus nomen prophetæ non designatur.

« Ad tertium : In Hebraico seu Matthæi

idiomate valdè similia sunt vocabula, *fel* et *myrrham* exprimentia : interpres ergo Matthæi fel pro myrrhâ potuit accipere; propria utriusque amaritudo est.

OjectioXVI. Legitur Marc. 2, v. 4, homines quatuor, jacentem in grabato paralyticum ferentes ascendisse in tectum, è quo patefacto grabatum nate pedes Christi submiserunt; quis autem crediderit onustos bajulos quatuor potuisse in tectum adrepere, etc.? Adjicit Lucas cap. 5, v. 10, paralyticum demissum esse per *tegulas*, quas tamen Orientalium tecta non admittunt. Apud Marcum ibidem, v. 25, Pharisæos ita Christus alloquitur : *Nunquàm legistis quid fecerit David... quomodò introivit in domum Dei sub Abiathar principe sacerdotum, et panes propositionis manducavit;* porrò tunc temporis princeps sacerdotum Abiathar non erat, sed pater illius Achimelech, 1 Reg. 21.

« Resp. : In Oriente ac Palæstinâ plana est tectorum, solariorum totidem, superficies, facilemque permittens deambulationem ; ad ea scalæ, intra et sæpiùs etiam extra domum positæ, conducunt. Jam verò scalis externis tectum domûs petere facilè potuerunt viri præfati, et per aperturam scalis internis aptatam grabatum dimittere. Tegulas autem, in Vulgatâ versione occurrentes, Lucas non memoravit : græcum Lucæ, κέραμος, significat etiam lateres et arenatum vel lithocollam, è quibus tecta constant Orientalium.

« Quod spectat nomen *Abiathar*, erroneè, secundùm adversarios, à Christo vel Marco substitutum *Achimelech;* ex collatis 1 Reg. 22, v. 20; 2 Reg. 8, v. 17, et 1 Paral. 18, v. 16, apparet utroque nomine donatum esse seu patrem (Achimelech), citatâ epochâ summum sacerdotem, seu filium (Abiathar), illius in summo pontificatu successorem. Potuit ergo Christus aut *Achimelech* dicere aut *Abiathar;* atque major nominis istius apud Judæos celebritas justa erat hujus in appellatione præferendi ratio. Præterea filius Achimelechi Abiathar tempore citato forsan vicarius erat patris cui brevi successit; quod, præfatæ majori celebritati nominis adjunctum, sufficere potuisset Abiathari præ Achimelech appellando.

« Objectio XVII. Refert Marcus cap. 6, v. 40, viros quinquies mille, panibus quinque saturandos, jubente Christo Apostolisque ordinantibus discubuisse *per centenos et quinquagenos*, ait autem Lucas, cap. 9, v. 14 et 15, eosdem omnes ex mandato Christi discubuisse *per quinquagenos.* — Resp. : Nihil obstat præfatos quinque mille viros, majoris facilitatis causâ, statim per centenos ab Apostolis distributos esse in quinquaginta contubernia, et unumquodque dein æquabiliter divisum esse; hoc autem posito, Marcus et Lucas circa factum illud apprimè concordant.

« Objectio XVIII. Juxta Marcum cap. 15, v. 25, Christus horâ tertiâ crucifixus est : apud Joannem verò, cap. 19, v. 14, 16, cùm Pilatus Jesum crucifigendum dimisit Judæis, *erat hora quasi sexta.*

« Resp. : Dies à Judæis distribuebatur in horas quatuor, primam, tertiam, sextam et nonam, quarum unaquæque communes tres horas complectebatur : hora *prima* initium habebat à sextâ nostrâ matutinâ et nonâ nostrâ claudebatur; *tertia* inde ad meridiem computabatur, etc. Marci ergo sensus est, Jesum intra horam tertiam, seu elapso tempore à nonâ nostrâ ad meridiem, fuisse crucifixum : huic porrò contrarium non est quod ait Joannes : *Erat autem hora quasi sexta;* sinit quippe à Joanne adhibita vox *quasi*, Jesum intra horam tertiam seu ante meridiem patibulo affixum esse. Aliunde in antiquissimo manuscripto Cantabrigiensi veteribusque aliis pluribus, apud Joannem legitur, *erat hora* ὡσεὶ τρίτη, *quasi tertia*, et in fragmento de Paschate, quod Petro Alexandriæ sub finem secundi seculi episcopo tribuitur referturque ab Usserio et Petavio; in eo, inquam, fragmento, habemus ita legi accuratioribus in exemplaribus ipsoque autographo Joannis Ephesi asservato.

« Objectio XIX. Lucas cap. 6, v. 1, sabbatum quodpiam vocat *secundum primum;* nullum autem secundum simul et primum esse potuit.

« Resp. : Etsi post secula septemdecim exponi ampliùs non posset quid Lucas per sabbatum illud intellexerit, ineptè assererent adversarii Evangelistam sibi hàc in parte contradixisse.

« Ex interpretibus autem alii sabbatum *secundum primum,* id fuisse putant quod infra octavam Pentecostes incidebat. Etenim, aiunt, tria sabbata, ut apparet ex cap. 22 Levit., fuère Judæis celeberrima, quæ ideò *prima* nuncupârunt, sabbata nempe octavarum Paschatis, Pentecostes, festi Tabernaculorum : sabbatum igitur octavæ Paschatis affixum dici potuit primum è primis, primum primum, vel primum simpliciter; sabbatum octavæ Pentecostes, *secundum è primis, aut secundum primum;* sabbatum infra octavam Tabernaculorum incidens, tertium è primis, vel tertium primum. Alii cum Josepho Scaligero contendunt sabbatum præ-

fatum, primum fuisse à die paschali. Scilicet, inquiunt, dies postera Paschæ, *secunda* Azymorum, apud Judæos erat maximè notanda, cùm ab eâ numerandæ forent, Levit. 23, v. 15, septem hebdomades post quas festum Pentecostes habebatur; hinc primum post Pascha sabbatum dicebatur *secundum primum*, quia primum erat à præfato die *secundo* Azymorum. Alii tandem existimant sabbatum de quo Lucas, *secundum primum* ab eo nuncupatum esse, quòd simul foret et Azymorum *secunda* dies et *prima* septem hebdomadarum quas festum Pentecostes excipiebat.

« Expositiones illas sabbati *secundo-primi*, cujus nullam apud Judæos notitiam reperias, inutiles fecisse videtur anonymus auctor dissertationis, Trevoltiensibus diariis insertæ ad julium 1754. Contendit sagax anonymus græco Lucæ δευτερόπρωτον, v. 1, intelligendum non esse inauditum aliquod hujusmodi sabbatum, sed sabbatum *secundo primus*, præcedens *secundum alterum* sabbatum, de quo ibidem v. 6. Reverà, inquit, notum est positivum πρῶτος, loco comparativi πρότερος, frequenter à scriptoribus seu sacris seu profanis usurpari: deinde contextus ipse indicare videtur sabbatum versiculi 1 referri ad sabbatum v. 6 appellatum; quod quidem à Vulgatâ vocatur sabbatum *aliud*, sed, attento græco ἕτερος, perinde dici potest sabbatum *alterum*, ac proinde *secundum*. Ut ingeniosa, ita et expedita sufficientissimaque ea solutio est.

Objectio XX. Idem Lucas, cap. 11, Jesum ita scribas et Pharisæos increpantem inducit: Vers. 47: *Væ vobis, qui ædificatis monumenta prophetarum: patres autem vestri occiderunt illos.* Vers. 48: *Profectò testificamini quòd consentitis operibus patrum vestrorum: quoniam ipsi quidem eos occiderunt, vos autem ædificatis eorum sepulcra.* Vers. 49: *Propterea et sapientia Dei dixit: Mittam ad illos prophetas et Apostolos, et ex illis occident et persequentur.* Vers. 50: *Ut inquiratur sanguis omnium prophetarum qui effusus est à constitutione mundi à generatione istâ.* Vers. 51: *A sanguine Abel.... Ita dico vobis, requiretur ab hâc generatione:* quæ ultima sic Matthæus exprimit cap. 23, v. 35 et 36: *Ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel.... Amen dico vobis, venient hæc omnia super generationem istam.*

« Jam verò injustè Pharisæis ibi crimini vertitur quòd monumenta occisorum olim Prophetarum ædificent publicosve civibus eorum deferant honores; atque hinc inept colligitur eos neci Prophetarum illorum consentire. Deinde à justitiâ divinâ evidenter abhorret, viventes ætate Christi Judæos daturos esse pœnas patratorum à constitutione mundi homicidiorum, quorum neque conscii neque participes esse poterant.

« Resp.: Ad primum: Christus, in totâ serie sermonis, scribis et Pharisæis hypocrisim exprobrat, cujus larvâ mentem nefariam obtegebant. Itaque verba illius v. 47 et 48, licet in se et absolutè spectata erectos tantùm sonent Prophetarum tumulos, ratione contextûs intelligenda sunt appositè ad hypocrisim eamdem; quâ nempe, monumenta consecrantes occisis per avos suos Prophetis, sensus Pharisæi velabant sensibus patrum omninò similes et pejores etiam, ob invidam malevolamque mentem in eum (Christum) qui supra Prophetas erat, v. 32, ita verè testificabantur scribæ et Pharisæi consentire sese operibus patrum suorum, à quibus necati Prophetæ. Nec etiam putârunt iis Christi verbis nudam sibi tumulorum prædictorum erectionem exprobrari, quod aliàs viri fuisset prorsùs hebetis qualem Christus non sese demonstravit: etenim Jesum in tali sermone facilè cepissent, neque in hunc finem ad varias, v. 53, 54, quæstiones insidiosas frustra confugissent.

« Ad secundum: Nimis apertum erat Judæos, nequidem oriundos à Caïno, puniendos non esse ob patratum ab isto fratricidium, quàm ut verba Christi de ipsâmet sceleris illius pœnâ intelligi possent. Evangelistarum ergo locutiones, *sanguis Abel*, etc., *requiretur ab hâc generatione, ut*, vel ita ut *veniat super vos omnis sanguis justus qui effusus est*, etc., accipi nequeunt nisi de pœnâ debitas homicidiis illis pœnas adæquante; quam quidem Judæi vastati, attriti tulerunt ac ferunt etiamnum incurreruntque, scelus perpetrantes homicidiorum præfatorum collectione atrocius, Deicidium.

« Laudatæ igitur Lucæ Matthæique phrases, debitè consideratæ, ineptum nihil aut injustum important.

« Objectio XXI. Hæc leguntur Luc. 22, v. 7 et seqq.: *Venit autem dies Azymorum, in quâ necesse erat occidi pascha* (agnum paschalem). *Et misit* (Jesus) *Petrum et Joannem, dicens: Euntes parate nobis pascha, ut manducemus. At illi dixerunt: Ubi vis paremus? Et dixit ad eos: Ecce introeuntibus vobis in civitatem occurret vobis homo quidam.... et ipse ostendet vobis cœ-*

naculum magnum stratum, et ibi parate. Euntes autem invenerunt sicut dixit illis, et paraverunt pascha. Et cùm facta esset hora, discubuit et duodecim Apostoli cum eo. Deinde autem narratur Jesum eâdem nocte fuisse à Judæis comprehensum et die sequenti, Parasceves seu Veneris, crucifixum esse. Juxta Lucam itaque Christus pascha peregit die Jovis, pridiè mortis ad vesperam, et necesse erat seu lege præceptum pascha eâ die celebrari. Ast utrumque falsum esse aliisve contrarium Evangelistis, sequentia planè demonstrant. 1° Referente Joanne cap. 13, v. 1, 2, cœna Christi ultima facta est *ante diem festum Paschæ,* ab ipso proinde eâ in cœnâ minimè peracti. Ibidem v. 27 et 28, cùm Judæ proditori Christus dixisset : *Quod facis, fac citiùs,* putârunt Apostoli quòd dixisset ei Jesus : *Eme ea quæ opus sunt nobis ad diem festum :* nondùm ergo venerat dies festus paschæ, quo aliunde nec operari nec emere licebat. 2° Matth. 26, v. 5, congregati principes sacerdotum senioresque populi statuunt Christum non esse occidendum *in die festo :* id ipsum autem contigisset, si tempus celebrandi paschatis incœpisset pridiè mortis illius ad vesperam : festa quippe Judæorum à vesperâ diei præcedentis ad vesperam sequentis agebantur. 3° Joanne 18, v. 28, principes sacerdotum, die parasceves et mortis Christi, abstinent ab ingressu in prætorium ut non contaminentur, quia pascha erant manducaturi. Si autem in eo minimo legem infringere veriti sunt, à fortiori in omne nefas adversùs eam non proruperunt, causam Christi agentes die festo paschatis, condemnantes ipsum et crucifigentes; quod tamen in hypothesi Lucæ contigisset, ut modò diximus. Item si pascha die parasceves (ad vesperam) Judæi erant manducaturi, non ergo pridiè manducaverant, neque comedi lex præcipiebat; nemo quippe crediderit nationem Judæorum universam eo anno vel errâsse circa diem comedendi paschatis, vel publicæ legi ac præcipuæ inter cæteras scienter defuisse. 4° Antiqua fert Ecclesiæ Græcæ ac Latinæ traditio congregatos principes sacerdotum, die Mercurii, consilium iniisse de comprehendendo Jesu et occidendo : id autem biduo ante pascha contigisse testantur Matthæus cap. 26, v. 2, 3, et Marcus cap. 14, v. 1; anno igitur mortis Christi pascha die Jovis, ut vult Lucas, nec incœpit neque à Jesu peractum est. 5° Festum Pentecostes die Dominicâ constanter in Ecclesiâ celebratum est, proindeque anno mortis Christi Pentecostes Judæorum hanc in diem incidit : istud autem omninò postulat diem 14 primi mensis, ad cujus vesperam pascha erat immolandum, Exod. 12, v. 18, fuisse Parasceves seu Veneris, non Jovis : scilicet festum illud apud Judæos, Levit. 23 v. 15, erat quinquagesima dies, à posterâ die Azymorum seu paschatis immolati computanda. 6° Tandem computis astronomicis determinatur diem 14 primi mensis (nisan) ad cujus vesperam comedendum erat pascha, anno mortis Christi seu æræ vulgaris 33, fuisse diem Veneris. Ergo iterùm atque iterùm eo anno neque necesse erat pascha die Jovis immolari, neque Christus illud eâ die manducavit, quemadmodùm Lucas superiùs asserit.

« Resp. : Negant eruditi quidam, Calmetus, P. Lami, etc., allatis Lucæ verbis hæc importari, scilicet Christum in cœnâ factâ die Jovis, pridiè mortis ad vesperam, pascha legale seu agnum paschalem comedisse, et eâ die pascha debuisse immolari : quippe contendunt verbis Lucæ : *Venit dies Azymorum in quâ necesse erat,* etc., significari : *Appropinquat dies azymorum...,* sequentibusque aliis exprimi duntaxat præparationem paschatis die posterâ comedendi, quod manducari à Christo mors prohibuit. Iidem illi adductis superiùs argumentis probant Lucam, spectatis omnibus, non posse alio in sensu intelligi; proinde admissâ eorum opinione penitùs objectio concidit, nec etiam proponi potest. Ast quoniam incredulis coacta nimiùm videbitur ea expositio, quæ tamen spuria penitùs non evincitur, et ideò nobis in præsenti argumento sufficere valeret, admittemus, plerisque cum interpretibus, laudatis Lucæ verbis de facto significari et pascha legale à Christo in ultimâ cœnâ fuisse comestum, et tunc, seu die Jovis ad vesperam, debuisse juxta legem Mosaicam immolari, atque ostendemus falsum nihil, aut aliis Evangelistis contrarium, in præfato Lucæ testimonio ab adversariis demonstrari.

« Ad primum : Joannes dicere potuit Christi cœnam ultimam factam esse *ante diem festum paschæ,* eò quòd à principio illius, ad primam illius vesperam Christus hanc cœnam peregerit. Deinde verò, licet in primo festi exordio agnus paschalis ab ipso et Apostolis manducatus fuerit, potuerunt isti nihilominùs existimare aliqua victui crastino esse necessaria, quæ quidem emi non vetabat paschæ solemnitas, Exod. 12, v. 16.

« Ad secundum : Rever principes sacerdotum in concilio proposuerant Christum, *ne*

fortè tumultus in populo fieret, die festo non esse necandum, Matth. 26, v. 5 : sed nequaquàm fixum ipsis et ratum id fuisse videtur; nec difficilè intelligitur ipsos, furore percitos in Christum, ac metuentes quominùs evaderet, oblatam à Judâ opportunam occasionem statim arripuisse, missâ penitùs diei festi consideratione. Hinc ergo minimè conficitur Christum die festo seu ipsâ die paschatis non fuisse crucifixum. Aliunde per diem festum poterant sacerdotes intelligere diem ipsum quo pascha erant comesturi ; quippe non eâdem quâ Christus die, ut modò dicemus, pascha manducaverunt.

« Ad tertium : Sacerdotes quidem, metu contrahendæ legalis immunditiæ, abstinuerunt ab ingressu in prætorium domumve Pilati incircumcisi : ast num ideò legem in gravioribus infringere non potuerunt, atque *culicem excolantes deglutire camelum?* Matth. 23. Num raró contingit abreptos cupiditatibus homines, in factis præsertim, à seipsis discordare? Præterea nonnisi die Parasceves ad vesperam, actâ causâ Christi eoque crucifixo, sacerdotes festum paschatis celebrare cœperunt; ergo relatè ad eos non obstabat festi circumstantia quominùs præfata peragerent, Christive causam agerent, etc. Jam verò nobis non officit, pascha vespere tantùm Parasceves à sacerdotibus fuisse celebratum. Ut stent quæ Lucas testatur, scilicet die Jovis ad vesperam, anno mortis Christi, necesse fuisse juxta præscriptum legis occidi pascha, tumque à Christo immolatum ; probari sat est, ut deinde conficiemus, Jovis hanc diem fuisse primi mensis quartam decimam, quam lex reverà, Exod. 2, v. 18, immolando paschati præscribebat : eo confecto, nequidem opus esset dilati à sacerdotibus paschatis causas à nobis inquiri, circa quas eruditi variè opinantur.

« Alii existimant differendi rationem fuisse oblationem manipuli spicarum, faciendam azymorum secundâ die, quæ aliàs hoc anno in sabbatum incidisset : sacerdotibus, aiunt, videri potuit satius esse manipulos non colligi sabbato. Alii, quorum opinioni adhæremus, hanc afferunt rationem diversitatis dierum paschæ à Christo et sacerdotibus manducati : scilicet, inquiunt, Judæorum consuetudinibus specialimque regulâ, *Badu* ab iis appellatâ, probatur diem Jovis præfatam potuisse simul esse 14 primi mensis (ut erat reapsè) Israelitis Galilæam exterasque provincias incolentibus, et 13 duntaxat Judæis seu Israelitis Judæam propriè dictam habitantibus ; ergo fieri potuit ut Christus et alii Galilæam incolentes, eâ die, 14 reapsè, pascha comederint, et sacerdotes aliique Judæi die posterâ tantùm seu Veneris manducaverint.

« Ad quartum : Fatemur juxta veterem Ecclesiæ traditionem concilium à principibus sacerdotum die Mercurii habitum esse adversùs Jesum comprehendendum : ast citatis Matthæi et Marci locis nequaquàm evincitur biduum integrum ab eo concilio ad comedendum à Christo pascha labi debuisse.

« Non quidem istud asserit Matthæus, cujus hæc sunt, loco laudato, cap. 26 : *Et factum est cùm consummâsset Jesus sermones omnes, dixit discipulis suis : Scitis quia post biduum pascha fiet... Tunc congregati sunt principes sacerdotum et seniores populi... et consilium fecerunt ut Jesum dolo tenerent et occiderent :* quippe sola vox, *tunc,* illud importare valeret; ast raró apud Evangelistas diem eamdem exprimit. Verba : *Scitis quia post biduum,* etc., à Christo prolata esse die Martis, non Mercurii, apparet ex antiquâ totius Ecclesiæ traditione quæ triumphum Christi Jerosolymam ingredientis refert ad diem Dominicam ; et ex eo quòd collatis Evangelistarum locis parallelis ostendatur sermones, quibus consummatis Christus apud Matthæum dixit, *scitis,* etc., biduo post hunc triumphum habitos esse. Quod ad Marcum attinet, hæc habet loco citato cap. 14, v. 1 : *Erat autem pascha et azyma post biduum ; et quærebant summi sacerdotes et scribæ quomodò eum dolo tenerent et occiderent :* ast numquid non potuerunt id quærere antequàm die Mercurii congregarentur in concilium? Numquid etiam non potuerunt, quod totam à principio difficultatem perimeret, diebus duobus eâ de re congregari? Denique, licet à die Mercurii duntaxat consilium iniissent Jesum comprehendendi et primum paschatis exordium fuerit diei Jovis vespera, absolutè potuisset Marcus ea dicere quæ nobis objiciuntur.

« Nequaquàm ergo citatis traditione Matthæique et Marci locis conficitur, à Christo jamjam morituro pascha non fuisse diei Jovis vesperâ celebratum.

« Ad quintum: Minimè nobis officit depromptum è die celebratæ Pentecostes argumentum, si, computum ineundo, attendatur festa Judæorum à vesperâ ad vesperam fuisse celebrata. Etenim, in hypothesi Paschatis vel azymorum vespere diei Jovis incipientium, prima dies azymorum vesperâ diei Veneris

claudetur, et secunda, ubi manipulus primitiarum offerebatur, vesperà sabbati: inde porrò numerentur plenæ septem hebdomades, Levit. 23, v. 15, recurret prima vespera seu initium festi Pentecostes, in diem proinde Dominicam incidentis.

«Ad sextum: Hæc est in præsenti argumento computorum astronomicorum summa: scilicet anno æræ vulgaris 33, novilunium seu conjunctionem mensis primi Judæorum Jerosolymis contigisse die 19 martii nostri (juxta veterem stylum), die Jovis, post meridiem 52' 40''. Igitur eo anno dies decima quarta lunæ primi mensis, ad cujus vesperam immolari pascha lex præcipiebat, desiit die 2 aprilis, vespere diei Jovis, quod nostra res est, non diei Veneris, ut volunt adversarii. Constat etiam, diem 14 primi mensis anno 33 perinde vespere præfatæ diei Jovis desituram fuisse, licet novilunia non astronomicis computis, sed primo lunæ aspectu Judæi determinâssent.

« Itaque nihil falsum aliisve contrarium Evangelistis Lucas proferre dici potest, dum testatur pridiè mortis Christi, die Jovis necesse fuisse occidi pascha, atque illud à Christo eà die manducatum.

« Objectio XXII. Lucas cap. 23, v. 43, Christum jamjam moriturum inducit pendenti in cruce latroni dicentem: *Hodiè mecum eris in paradiso;* cùm juxta Christianos non ante diem Ascensionis latro valuerit cœlos introire. Resp. *Paradisi* nomine intelligi potest quietis locus ubi, ante Ascensionem Christi, justorum animæ degebant, quem cum Christo eàdem ipsâ die latro subiit. Si autem cœlum ipsum intelligatur, vox *hodiè,* ut in aliis multis Scripturæ locis, tempus instans minime coacta designabit.

« Objectio XXIII. Joan. 1, v. 51, discipulos ita Christus alloquitur: *Amen, amen dico vobis: videbitis cœlum apertum et angelos Dei ascendentes et descendentes supra Filium hominis*: id autem nusquàm contigisse legitur. — Resp. Græcum adverbium ἐπὶ, quod reddidit Vulgatus interpres, per *supra,* sæpè significat *propter;* in die autem Resurrectionis angeli propter Christum è cœlo descenderunt et in monumento visi sunt; in die Ascensionis pariter discipuli viderunt angelos secundum Christi adventum vaticinantes, Act. 1, v. 10 et 11.

«Objectio XXIV. Joannes cap. 2, architriclinum ridicule ponit in domo conjugum Cana qui præ paupertate sufficiens convivio nuptiali vinum sibi comparare non potuerunt.

«Ibidem v. 20 Judæos inducit Christo respondentes templum Jerosolymæ quadraginta et sex annis ædificatum esse (seu reparatum et amplificatum), cùm iidem illi suis vidissent oculis novem et sesqui annos duntaxat, ut ait Josephus, in hoc opere fuisse consumptos. — R.: Architriclinus, de quo Joannes, vir erat ordinando duntaxat convivio nuptiali præpositus: igitur conductio illius et officium non postulabant divitiis abundare domum conjugum, quorum aliunde paupertas narratà in Evangelio defectione vini malè probatur.

Deinde verò nihil vetat Judæos Christo respondisse, templum quadraginta et sex annis fuisse reædificatum. Dùm Josephus spatium temporis brevius seu novem et sesqui annorum assignat, de præcipuis tantùm operibus loquitùr; tradit quippe, Antiq. lib. 15, cap. 11, et lib. 20, cap. 9, templum ab Herode anno regni 18 ædificari cœptum esse novisque jugiter, eo defuncto, amplificatum operibus usque ad annum 63 æræ vulgaris respondentem. Ex ipso itaque Josepho anni plures quàm septuaginta in reædificando templo fuerunt insumpti: quod autem ad rem nostram appositum est, ab anno Herodis 18, ædificationis epochâ, ad tempus datæ à Judæis præfatæ responsionis seu annum primum Christi evangelizantis, anni præcisè quadraginta sex elapsi sunt.

« Objectio XXV. Dicit Christus apud Joannem cap. 5, v. 31: *Si ego testimonium perhibeo de metipso, testimonium meum non est verum;* cap. autem 8, v. 14: *Et si ego testimonium perhibeo de me ipso, verum est testimonium meum.* Hæc duo sanè contradictoria sunt.

«Resp.: Sensus prioris est: Si ego *solus* testimonium perhibeo de meipso, seu, si nudum est testimonium meum neque præcursoris, neque operum, neque Patris voce confirmatum, testimonium illud verum aut validum haberi non debet, atque ideò etiam Christus, sequentibus versiculis, memoratum triplex testimonium adducit. In altero autem loco Joan. 8, Christus validum dicit quod perhibet de se testimonium, quia, ut subjungit v. 16: *Solus non sum* (in testificando), *sed ego, et qui misit me Pater.* In præfatis ergo Christi verbis contradictio nulla est.

«Objectio XXVI. Refert Joannes cap. 7, v. 8, Christum à fratribus invitatum ut Jerosolymam ad diem festum sese conferret, respondisse: *Vos ascendite ad diem festum hunc; ego autem non ascendo:* ascendit tamen et ipse, ut habetur v. 10. Aut ergo Joannes aut Christus ibi mentitur. Apud eumdem, cap. 8, v. 7 et 11, [illegible]

stus declarat nullâ pœnâ dignam esse mulierem in adulterio deprehensam, quam lapidari lex Mosaica præcipiebat.

« Resp.: Christus iis verbis, *non ascendo*, significat se *nondùm* ascendere (ut fert hodiè textus græcus), neque palam et manifestè, quemadmodùm ipsius fratres seu propinqui volebant, unde et Joannes subjicit: *Hæc cùm dixisset, ipse mansit in Galilæâ. Ut autem ascenderunt fratres ejus, tunc et ipse ascendit ad diem festum, non manifestè, sed quasi in occulto.* Ibi ergo nihil est mendacii. Minimè autem declaravit Christus, Joan. 8, pœnâ nullâ dignam esse præfatam mulierem. Jesum, an lapidanda sit, in terrogant Scribæ et Pharisæi, *tentantes eum, ut possent accusare eum*, inhumanitatis nempe, si affirmativè respondeat; violatæ legis, si negativè: certè, cùm lex expressissimè decerneret lapidandas esse adulteras, non aliâ mente potuerunt hanc ipsi proponere quæstionem. Porrò Christus ut iniqua eorum consilia dissolvat, non respondet accusatam lapidibus obruendam esse vel absolvendam, sed responsum urgentibus dicit simpliciter: *Qui sine peccato est vestrùm primus in illam lapidem mittat.* Deinde verò dilapsis absque latâ condemnatione Pharisæis, Christus mulieri dicit, v. 11: *Nec ego te condemnabo. Vade, et jam ampliùs noli peccare:* quæ verba Christi, temporalem non exercentis judiciorum ferendorum auctoritatem, non magis quàm præcedentia, seu nullatenùs, mulierem absolvebant à pœnâ publicis ab judicibus infligendâ.

« Objectio XXVII. Joannes idem Evangelium suum ridiculâ concludit hyperbole, quæ ipsum levitatis apertè convincit: *Sunt autem et alia multa quæ fecit Jesus*, ait versiculo ultimo, *quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos qui scribendi sunt libros.*

« Resp.: Dictio apud Orientales frequentiorem et ampliorem quàm apud nos patitur hyperbolem; unde verborum Joannis sensus erit duntaxat, *referendis sigillatim Christi gestis omnibus libros complures innumeros fore necessarios.* Præterea per *mundum* homines omnes frequentissimè significantur: quapropter sensus etiam esse poterit: « Si narranda essent singulatim gesta Christi universa, nec *ipsos omnes homines* concipere posse quot forent libri scribendi. » Joannis igitur dictio præfata leve nihil aut ridiculum habet.

« Objectio XXVIII. Evangelistæ in describendâ vitâ Jesu nequaquàm inter se consentiunt; alia quippe Matthæus narrat, alia Marcus, etc; insuper adeò perturbata sunt Evangelia, ut factorum ordinem certum contexere nemo valeat. Hæc autem discipulos denotant, incerta, conficta plurima in laudem Magistri scribentes.

« Resp.: Nullius Evangelistarum scopus fuit, ut legenti apparet, vitam Christi per singula et ex ordine describere. Mirum itaque non est quòd, in præcipuis unanimes, facta plurima singuli omittant et ab uno prætermissa memoret alter: non mirum seriem factorum, à scriptoribus summatim nec attento plerùmque temporis ordine narratorum, post longa secula difficillimè contexi. Nullatenùs inde labefactatur Evangelistarum auctoritas; quin et firmatur ampliùs, amotâ collusionis omni suspicione. Aliunde, ut uno verbo res tota conficiatur, objectio hæc nullius est planè roboris, nisi demonstraverint adversarii Evangelistas, si veraces fuerint certâque rerum instructi notitiâ, scribere non potuisse uti de facto scripserunt; demonstrent ergo, si valeant!

« Objectio XXIX. (Nunc impetunt deistæ librum actuum Apostolorum.) Act. 5, Petrus Ananiam et Saphiram subitò exanimat, quòd Apostolis oblatum agri venditi pretium haud sincerè declarâssent, id est, in pœnam levissimi nec aliquem lædentis mendacii. Actus autem ille crudelitatis atrocissimæ, Lucæ historico minimè displicens, simul ostendit et Petrum et Lucam viros fuisse nefarios, neque bonorum existimationem et fidem Apostolis conciliabit.

« Resp.: Inepta dicteria! Deo ita volente ac patrante miraculum, subitâ morte plexi sunt Ananias uxorque Saphira. Itaque non Petrum, sed Deum ipsum crudelitatis impiè adversarii accusent! Cæterùm, cùm res ipsa Dei agatur, expendi necesse non est an graviter, an leviter duntaxat præfati peccâssent: supremo vitæ necisque Domino apertè jus inest vitæ vel in pœnam peccati levis adimendæ, ubi aliis à crimine deterrendis, promovendæ in Religionem reverentiæ, etc., expedire judicaverit; et eò quidem magis, quòd vitam æternam temporali mulctato Deus largiri queat. Atque ex iis etiam apparet ampliorem existimationem, venerationem, fidem citato facto debuisse Apostolis conciliari, quibus mentientes neque fide sat firmâ credentes, Ananiam et Saphiram Deus ita severè plectebat.

« Objectio XXX. Ibidem Act. 5, v. 36, 37, hæc narrat Lucas, quæ refert ad exordium prædicati ab Apostolis Evangelii: *Ante hos dies*

exstitit Theodas dicens se esse aliquem, cui consensit numerus virorum circiter quadringentorum : qui occisus est, et omnes qui credebant ei dissipati sunt et redacti ad nihilum. Post hunc extitit Judas Galilæus in diebus professionis, et avertit populum post se, et ipse periit. In iis autem verbis geminus error occurrit; seditio scilicet Judæ Galilæi mota in diebus professionis vel census à Romanis exacti, ex Josepho, Antiq. lib. 20, cap. 5, nemineque diffitente, prior fuit turbis à Theodâ excitatis; atque Theodas iste, referente ibidem Josepho coætaneo, non exordio prædicati Evangelii seu ipso Christi mortui anno, movit seditionem, sed elapsis inde duodecim circiter annis.

« Resp. : Narratio hæc Lucæ non est, sed Gamalielis, cujus verba refert; error igitur si occurreret quispiam, in hunc directè recideret: ast de facto nullus est. Verba, *post hunc*, à quibus incipit versiculus 37 de Judâ Galilæo, ad versum præcedentem pertinent, seu textus Lucæ ita legendus est: *Ante hos dies extitit Theodas.... qui occisus est, et omnes qui credebant ei dissipati sunt et redacti ad nihilum post hunc. Extitit Judas Galilæus*, etc. Porrò non multi refert duo hæc vocabula, *post hunc*, nunc in eodem versu non legi ac præcedentia, *et redacti ad nihilum*; etenim Bibliorum in versiculos distributio, à privatis facta seculo duntaxat decimo sexto, obstare nequit quominùs sese manifestans aliunde sensus genuinus retineatur. Jam ergo asseri nequit Judam Galilæum, in ore Gamalielis et scriptis Lucæ, fuisse Theodâ posteriorem.

« Quod spectat ad caput alterum, scribit quidem Josephus Theodæ seditionem sub Claudio contigisse duodecim circiter annis post mortem Christi ; supponit autem Lucas præfata recitans verba Gamalielis, hanc versùs passionem Christi ortam esse. Verùm ipsæ postulant regulæ critices ut Lucæ vel etiam eventûs propiori adhæreamus, cùm Josephus insuper sæpiùs in rebus chronologicis aberret : saltem verò hinc non evincetur, quo deistis opus esset, hâc in re Lucam fuisse hallucinatum. Ex quibus apparet solvendæ huic objectioni necessarium non esse Theodam geminum, ut à pluribus, gratuitò supponi.

« Objectio XXXI. Hæc habet Lucas Act. 9, v. 7: *Viri autem illi, qui comitabantur cum eo* (Saulo), *stabant stupefacti, audientes quidem vocem, neminem autem videntes*; Saulus e contra, Act. 22, 9, factum idem referens: *Qui mecum erant*, ait, *lumen quidem viderunt, vocem autem non audierunt ejus qui loquebatur mecum.* Insuper Act. 22, v. 27, Paulus, Judæus, dicitur civis Romanus: ast Judæorum nemo, ante tempora Decii vel Philipporum, civibus Romanis adscriptus est.

« Resp. : Sauli comites *stupefacti* fragorem vocis audire potuerunt, quin prolata per eam verba perciperent vel etiam audirent: facilè ergo conciliantur institutæ à Lucâ et Paulo illius facti narrationes. Deinde autem verè Paulus, ut asserit Act. 22, civis Romanus erat, cùm rem indubitatam habuerint tribunus cohortis Romanæ, accusatores Pauli et judices, Act. 22, 25, etc. Falsam esse adductam in contrarium gratuitam probationem, apparet ex cap. 5 lib. 14 Antiq. Jud. Flavii Josephi, ubi Lucius Lentulus consul, tempore Julii Cæsaris, dicit sese Judæos Ephesi *cives Romanos* à militiâ, ob religionem illorum, fecisse immunes. » (Jacques, de Religione.)

SECTIO III. *Narrationem Evangelicam extraneorum, nempe Judæorum et paganorum, testimonia confirmant.*

Suetonius universi imperii breviarium memorat, quod sub Augusto non potuerit confici, nisi factâ descriptione qualem apud Lucam reperimus. « De tribus voluminibus (ab Augusto relictis), uno, inquit, mandata de funere suo complexus est; altero, indicem rerum à se gestarum, quem vellet incidi in æneis tabulis, quæ ante mausoleum statuerentur; tertio, breviarium totius imperii, quantùm militum sub signis ubique esset, quantùm pecuniæ in ærario et fiscis, et vectigalium residuis. Adjecit et libertorum servorumque nomina, à quibus ratio exigi posset. » In Vitâ Augusti, cap. ultimo.

Jam idem auctor superiùs triplicem, universalem juxta eruditos (vid. Alex. Nat. 1 S. Diss. 2) retulerat censum, unde præfatum breviarium extare posset. « Recepit (Augustus), ait Suetonius, et morum legumque regimen æquè perpetuum; quo jure, quanquàm sine censuræ honore, censum tamen populi ter egit; primum ac tertium cum collegâ, medium solus. » Ibid. c. 27.

De eo sidere quod post Christum natum apparuit hæc habet Chalcidius Platonicus in Commentario ad Timæum : « Est quoque alia sanctior et venerabilior historia, quæ perhibet ortu stellæ cujusdam non morbos mortesque denuntiatas, sed descensum Dei venerabilis ad humanæ conservationis, rerumque mortalium gratiam : quam stellam cùm nocturno itinere inspexissent Chaldæorum profectò sapientes viri, et consideratione rerum cœlestium satis

exercitati, quæsisse dicuntur recentem ortum Dei, repertâque illâ majestate puerili veneratos esse, et vota Deo tanto convenientia nuncupâsse.»

Cædem Innocentium simul ac celebre Augusti de Herodis sævitiâ dictum sic memorat Macrobius « : Cùm audisset (Augustus) inter pueros, quos in Syriâ Herodes rex Judæorum infra bimatum jussit interfici, filium quoque ejus occisum, ait, *melius Herodis porcum esse quàm filium.* » Saturnal. lib. 2, c. 4.

De miraculis Christi insignia sunt ex Judæis gentilibusque philosophis testimonia quibus constat ea facta adeò certa ac evidentia fuisse, ut inde petiti argumenti vim decretoriam declinare non tentaverint Christianorum adversarii, nisi eadem magicis artibus ineptè attribuendo. Id jam constat de Judæis coætaneis Christi ex Evangeliis; de posterioribus verò ex Talmude aliisque apud eos probatis libris, in quibus ad idem probandum fabulæ finguntur absurdissimæ. Eas videre est apud Bullet, in opere supra ab auctore nostro laudato (*Histoire de l'établissement du Christianisme*, etc.) Judæorum vestigia secuti, philosophi gentiles nihil efficacius contra miracula Christi habuère. Jam insimulationem magiæ redarguebat S. Justinus : « Sed ne quis, aiebat, nobis opponat nihil obstare quominùs et is qui apud nos dicitur Christus homo ex hominibus, arte magicâ quæ dicimus miracula ediderit, ac propterea Filius Dei esse visus sit.» Apol.1, c. 30. Sed instar omnium audiantur Celsus et Julianus Apostata.

« Accusat præterea (Celsus), inquit Origenes, et ipsum Salvatorem, quòd magicis artibus fecerit ea quæ facere visus est, et quòd non præsciret multos postea futuros qui earumdem artium periti eadem ac ipse efficerent, jactarentque se divinâ effecisse potentiâ, illis suâ societate interdixerit.» Origen. contra Celsum. lib. 1, n. 6. « Assensum quodam modo præbet (Celsus) miraculis quæ Jesus fecit, et quibus multos adduxit, ut ipsum tanquàm Christum sequerentur. At miracula illa, non divinâ virtute, sed magicis artibus facta esse calumniatur. Ait enim, *illum clam educatum, cùm in Ægypto suam locâsset operam, artesque efficiendi miracula didicisset*, hinc reversum esse denique, et propter illa miracula se pro Deo venditasse » Ibid. n. 38.

Julianus Christi miracula contemnens, ut saltem simulat, ea tamen sicut et ab Apostolis patrata magicis artibus tribuit, nunquàm eadem ausus negare. « Hic (Jesus), inquit ille Apostata, toto vitæ tempore nihil admodùm memoratu dignum egit : nisi quis claudos ac cæcos curare, et dæmonio correptos adjurare in pagis Bethsaida et Bethania, magni alicujus facinoris in numero habeat. » S. Cyrill. Alex. advers. Julianum, lib. 6. — « Videte ergo quo pacto Judæis incantationis vetus opus fuerit indormire sepulcris sepulcrorum causâ : quod certè et apostolos vestros credibile est, post Magistri mortem fecisse, vobisque qui primi ab initio credidistis tradidisse et incantationes callidiùs quàm vos peregisse; sed posteris incantationis istius et execrationis officinas publicè exposuisse.» Hæc sunt verba Juliani. ibid. lib. 10. — « Omnes omninò, inquit idem, unquàm qui fuerunt præstigiatores superavit Paulus.» Ibid. lib. 3.

Idem magiæ crimen objiciunt Porphyrius et Eunomius, testante S. Hieronymo contra Vigil., Hierocles, qui potissimùm cum Apollonii præstigiis miracula Christi assimilare conatus, quemque Eusebius Cæsar confutavit; Volusianus apud S. August. Epist. 135 et 136, et alii ethnici.

De tenebris terræque motibus qui tempore mortis Christi contigerunt, testimonium præsertim Phlegontis refert ac discutit Nat. Alexander : « Mirabilis illa, inquit, solis defectio, et ing ns terræ motus, quæ Christo moriente contigerunt, à Phlegonte Adriani imperatoris liberto narratur lib. Olymp. Chron., cap. 13. *Quarto*, inquit, *anno centesimæ secundæ Olympiadis, magna et excellens inter omnes quæ ante eam acciderunt, defectio solis facta. Dies horâ sextâ ita in tenebrosam noctem versus, ut stellæ in cœlo visæ sint, terræque motus in Bithyniâ Nicææ urbis multas ædes subverterit.* Hanc eclypsim Thallum ethnicum pariter scriptorem lib. 3 Historiarum suarum memorâsse, testis est Julius Africanus. Eamdem autem notari ab Evangelistis et à Phlegonte historiam, tria potissimùm ostendunt : primum quòd in eumdem annum incidat, Tiberii scilicet decimum nonum ; secundum, quòd eâdem horâ diei, sextâ nimirùm, contigerit; tertium quòd, insignis terræ motus utramque comitatus fuerit. Hinc Tertullianus causam Christianorum apud ethnicos agens, Apologetici cap. 21, miraculi illius testes profert ipsorum tabularia et publica instrumenta. *Eodem momento*, inquit, *dies medium orbem signante sole subducta est; deliquium putaverunt qui id quoque super Christo prædicatum non scierunt, et tamen cum mundi*

casum relatum in archivis vestris habetis. Horum archivorum fidem Nicomediæ coram præside jam ante appellaverat Lucianus Martyr. *Consulite* inquit, *annales vestros, et invenietis Pilati temporibus, dùm pateretur Christus, mediâ die fugatum solem et interruptum diem.* Idem miraculum commemorat S. Dionysius Areopagita Epistolâ ad Polycarpum, rem à se et ab Apollophane sophistâ observatam narrans. Falluntur Scaliger et Gerardus Vossius, qui Phlegontem significâsse volunt naturalem eclypsim. Scripsit quidem Origenes tractatu 35 in S. Mathæum, non adnotâsse Phlegontem plenilunio casum hunc contigisse; sed nec interlunio factum adnotavit, hâc circumstantiâ fortè non observatâ, quòd rerum astronomicarum esset ignarus. Longè tamen aliter verba Phlegontis interpretatus est Julius Africanus, cujus verba refert Georgius Syncellus in Chronographiâ. *Narrat Phlegon,* inquit, *imperante Tiberio Cæsare solis eclypsim plenilunio contigisse.* Et Philiponus, lib. 2, de mundi Creatione, scribit: *Harum tenebrarum, vel hujus potiùs noctis meminit et Phlegon in Olympiadibus. Ait enim, anno quarto ducentesimæ secundæ Olympiadis contigisse eclypsim solis, cujusmodi nulla ante cognita est. Meminisse autem Phlegontem ejus eclypseos quæ contigit cùm Christus Dominus de cruce penderet, et non alterius, liquet primùm ex eo quòd ait, superioribus temporibus cognitam non esse eclypsim ejusmodi.* » Ita apud Nat. Alex. Hist. Eccles. seculo secundo, cap. 1, art. 5, p. 19, edit. Venet.

Notum est portentum sanè stupendum vocis mortem magni Pani proclamantis, quod refert Plutarchus atque ex ipso Eusebius, quodque ita compendiosè narrat atque commentatur idem Nat. Alex. his verbis: « Ethnicis stupendo miraculo mors Christi Jesu significata est, quod in libello de oraculorum Defectu Plutarchus refert. Cùm in Italiam tenderet Thamus Ægyptius, navis rector, jamque Echinadas prætemavigaret, subitò remisit ventus, et ad Paxas insulas audita vox est quæ Thamum appellaret, juberetque simul ac appulisset ad portum Pelodem, clamare, *Magnum Pana esse mortuum.* Paruit Thamus, eâque quam jussus fuerat editâ voce, ejulatus auditi sunt quasi Panos obitum mirantium et gementium. Vectores Romam delati portentum vulgârunt. Pervenit illud ad Tiberium Cæsarem, qui et à Thamo ipso de re gestâ certior factus, hominum eruditorum sententiam super eâ rogavit. Id convenit in tempus mortis Christi Jesu qui verus Pan est rerum omnium parens ac naturæ totius auctor, quam Panos symbolo mythologi significârunt. Hunc Plutarchi locum refert Eusebius libro 5 *Præparationis evangelicæ* cap. 17; sed dæmonis interitum, seu regni ipsius eversionem hâc voce prodigiali significatam interpretatur, non ipsius Jesu Christi mortem. *Sed operæ pretium fuerit* inquit, *tempus observare, quo dæmonis istius interitum contigisse narrat. Id enim imperante Tiberio factum est, quo tempore dæmones à Servatore nostro inter homines agente jam tum ex humanâ vitâ velli ejicique cœpisse divina scribit historia; tum etiam genuflexo nonnulli jam eum obsecrarent, uti ne expectantibus sese inferis addiceret.* » Quibus notam sequentem adjicit Mansi: Animadvertit Tillemontius, notâ 37, in Jesu Christi mortem, Antonium Dale ex Protestantium grege, de paganorum oraculis disserentem historiam mortis Panos irridere et inter fabellas amandare. Verùm nil momenti ad id probandum afferre dicit; quinimò cogitur fateri auctores tam ex Catholicis, quàm ex Protestantibus non infimi subsellii hanc historiam ut veritati innixam recepisse; quidquid verò sit, ait Tillemontius, ea non est unum ex nostræ Religionis fundamentis, quamvis non præstet eam omittere, Eusebium imitando qui eam dignam censuit, ut in uno ex suis præcipuis libris legeretur. » Nat. Alex. ibid.

Hic locus est de memorabili Josephi historici Judæi textu disserendi; et primùm ipsa quibus constat referenda verba. « Fuit hoc tempore Jesus vir sapiens, si tamen virum illum oportet dicere; erat enim mirabilium operum effector, et doctor eorum qui libenter vera suscipiunt; plurimos quidem ex Judæis, plurimos etiam ex gentibus ad se pertraxit. Hic erat Christus, eumque à primoribus gentis nostræ accusatum Pilatus cruci addixisset, ab eo diligendo non abstinuerunt, qui primùm cœperant. Nam post tertium diem redivivus ipsis apparuit, cùm divini vates hæc aliaque quàm plurima admiranda de eo prædixissent. Neque ad hanc diem defecit denominatum ab eo Christianorum genus. » Apud Joseph. lib. 18 Antiq. cap. 4.

Eadem ex textu græco accuratè in idioma gallicum sic transtulit Bullet: « En même temps parut Jésus, homme sage, si toutefois on doit l'appeler homme, car il fit une infinité de prodiges, et il enseigna la vérité à tous ceux qui voulurent l'entendre; il eut

plusieurs disciples qui embrassèrent sa doctrine tant des gentils que des Juifs. Il était le Christ, et Pilate poussé par l'envie des premiers de notre nation, l'ayant fait crucifier, cela n'empêcha pas que ceux qui avaient été attachés à lui dès le commencement ne continuassent à l'aimer; il leur apparut vivant trois jours après sa mort, les Prophètes ayant prédit et sa résurrection, et plusieurs autres choses qui le regardaient, et encore aujourd'hui la secte des Chrétiens subsiste et porte son nom. »

Porrò hunc textum qui ut genuinus usque ad secul. XVI fuit habitus, authenticum esse contra quosdam Protestantes, Osiandrum præsertim, Fabrum et Blondellum, probare solent Catholici. Unum appellabimus, scilicet Bailly, tractatu de Religione, tom. 2, sic disserentem :

« 1° Textus ille reperitur in omnibus Josephi codicibus sive calamo exaratis, sive prælo subjectis, ne uno quidem excepto. Jam verò talis textus ut suppositus et superadditus haberi non potest; alioquin nullus erit antiquorum scriptorum textus qui à fraude et fallaciâ tutus haberi possit; nullum erit in illis auctoribus testimonium quod in suspicionem suppositionis venire non possit. Hùc usque inter criticos nulla fuit sinceritatis alicujus textûs certior nota quàm omnium exemplarium consensio et similitudo. Præterea quomodò, quâ arte liber Josephi tanti ubique factus, adeò pervulgatus, ubique sparsus, tot variis tractatus manibus, ubique tamen depravari potuisset, ita ut fraus esset universalis, et nullum exemplar intactum fuisset aut incolume? Ergo, etc.

« 2° Prædictum Josephi testimonium ut genuinum laudârunt veteres, v. g., Eusebius, qui à Josepho non multùm distabat, cùm tertio seculo vixerit, et Josephus secundo; Hieronymus, Ruffinus, Isidorus Pelusiota, S. Chrysostomi discipulus; Sozomenus, Cedrenus, Nicephorus, auctor Libri *de Excidio Judæorum*, qui Hegesippo tribuitur; Cassiodorus Senator, qui libros Antiquitatum Josephi latinè reddi curavit; Suidas, in Lexico suo; et sic usque ad nos. Ii autem varii scriptores varios Josephi codices præ manibus habebant; siquidem in variis regionibus et seculis scripserunt, alii in Græciâ, alii in Ægypto, alii in Palæstinâ. Jam verò, quomodò factum est ut concordes fuerint eorum codices, si historiæ Josephi assutus fuisset prædictus textus? Quæ regula certior ad distinguendos textus sinceros à suppositis, quàm consensio veterum, quàm constans, perpetuòque sibi consona traditio?

« 3° Probabile non est Josephum, scriptorem non indiligentem, de eo viro tacuisse, cujus fama longè pervulgata erat, qui Religionem de nomine suo condidit, qui complures habuit discipulos et Messiæ nomen sibi induit, dùm tamen de iis omnibus loquitur, qui hoc præclarum nomen sibi arrogaverant. Insuper, Josephus loquitur de Joanne Baptistâ et de Jacobo quem dicit fratrem Jesu. Quis ergo crediderit hunc de Christo, cujus nomen multò fuit clarius, penitùs siluisse? Nonne, cùm appellat Jacobum fratrem Jesu, indicat celebriorem fuisse Jesum et insigniorem? Credibile igitur non est hunc auctorem prorsùs de Jesu siluisse. Ergo genuinus est prædictus textus, cùm nullum aliud apud Josephum de Christo legatur testimonium.

« 4° Unusquisque scriptor suas habet locutiones et dictionis colorem. Jam verò in testimonio allato reperiuntur eadem orationis forma, eædem voces, phrases, locutiones (nempe hellenisticæ et hebraicæ) ac in aliis Josephi scriptis, et præsertim in postremis Antiquitatum libris. Illud egregiè ostendit Carolus Daubuz in dissertatione ad calcem operum Josephi ab Havercampo editâ; is nempe singulas prædicti testimonii voces, phrases, verborum constructiones, cum vocibus, verborum constructionibus Josepho usitatis indefesso labore contulit, indeque styli similitudinem ostendit, Josephique testimonium valido firmat argumento, atque penitùs convellit difficultatem quorumdam qui ex orationis diversitate prædictum testimonium superadditum fuisse concludebant. Unum duntaxat illius auctoris diligentiæ exemplum referam. Ostendit, v. g., vocem hanc græcam, abruptumque loquendi modum, γίνεται, etc., quo incipit Josephi testimonium, esse Josepho consuetum, atque permulta suppeditat exempla è scriptis ejus deprompta.

« 5° Tandem nemo ante seculum XVI Josephi testimonium abjecerat. Primus omnium Osiander, Lutheri discipulus, illud alienâ manu insertum asseveravit in Epitome Hist. Eccles. cent. 1, lib. 11, cap. 7. Ergo in eâ re omnes omnium sententiæ conveniunt. Concinimus cum antiquis omnibus. Porrò hæc universalis veterum scriptorum consensio, si in re de quâ disserimus demonstrativa non sit, saltem maximi est ponderis.

« Ex iis omnibus quæ in hoc argumento diximus, patet immeritò nobis objicere deistas Christi miracula fuisse Romanis, Græcis, etc., prorsùs incognita.

« *Solvuntur argumenta quæ contra testimonii Josephi sinceritatem objiciuntur.* — Obj. 1° : In hoc testimonio asseritur, 1° Christum non appellandum esse solummodò hominem, sed Deum. 2° Hunc esse Christum seu Messiam. 3° Eum tertiâ die vivum apparuisse. 4° Divinos vates ipsius resurrectionem et alia miracula prædixisse. 5° Eum miraculorum fuisse effectorem. 6° Eum fuisse magistrum veritatis. Atqui Josephus, sectâ Pharisæus, hæc scribere non potuit. Ergo, etc. Ita Dupinus in suis ad Biblia Prolegomenis post Blondellum et Tanaquillum Fabrum. — Resp. 1° Christum non fuisse Deum à Josepho appellatum. Hæc sunt ipsius verba : *Si tamen oportet eum hominem appellare.* Quæ quidem allocutio apud auctores non est insolens, sed aliquando ab ipsis eleganter accipitur, cùm de homine eximio loquuntur. Innumera ejusmodi exempla suppeditat Cicero, ut ostendit D. Daubuz in prædicto opere, p. 218. Josephus ipse, lib. 3 Antiq. cap. 15, Moysen dicit habuisse auctoritatem plus quàm humanam, et lib. 9, cap. 8, de Eliâ ait, quòd *vi divinâ polleret.* 2° Josephus his vocibus : *Hic erat Christus,* noluit significare Jesum verè esse Christum seu Messiam, sed eum sic nominari. Sic enim, tempore quo scribebat Josephus, toto orbe Jesus appellabatur. Itaque hæc verba Josephi : *Hic erat Christus,* significant : Hic erat qui Christus dicebatur et etiamnum appellatur. Is loquendi modus eo sensu sæpè accipitur. Sic Pilatus cruci quæ Christo erecta est hæc verba inscribi jussit : *Hic est Rex Judæorum,* licet illum ut regem Judæorum non haberet. 3° Absolutè non definit Josephus Christum è mortuis surrexisse (quod tamen Christianus apertè asseruisset), sed minùs confidenter dicit eum *discipulis suis redivivum apparuisse.* Aliunde hæc significant : Post tertiam diem vivus iis apparuisse dicitur, ut jam modò exposuimus. 4° Josephus quidem dicit divinos vates multa de eo prædixisse, atque hunc miracula effecisse; at ex eo non concludit eum fuisse Messiam. Judæi Christi miracula admittebant; attamen huic non credebant. Præterea eodem sensu id dictum est ac superius illud : *Hic erat Christus.* Hæc igitur significant : Fertur prophetias in eo exitum habuisse. 5° Non dicit Christum fuisse magistrum veritatis, sed tantùm eorum *qui vera complectuntur,* id est, eorum qui magnum veritatis studium et amorem ostendebant, atque hanc præ cæteris laudem affectabant; quod prioribus Christianis apprimè competebat. 6° Josephus quidem fuit Pharisæus et sacerdos, sed sedulò notandum est plures Judæos veteres non fuisse in Christum tam iniquos, quàm qui nunc sunt in orbe errabundi. Primo seculo plures ex iis ad Christum conversi sunt. Quidam alii Christianis infensi fuerunt. Alii verò erant temperati, in Christianos non malevoli, iisque similes hominibus quibus, ut sæpè evenit, incipit sublucere veritas, quam tamen ob duritiam cordis aut aliis de causis non amplectuntur. Hujus ingenii potuit esse Josephus qui, licet in Christum propensus, tamen ei fidem non dedit; sed eum celebravit laudibus ut veritatem penitùs non proderet. 7° Josephus nec sectæ Pharisæorum, nec Judæis fuit consecratissimus; multorum enim miraculorum, v. g., transitûs maris Rubri splendorem imminuit. Hinc Judæis semper fuit invisus. Post Hierosolymæ cladem Romæ vixit, Romanis gratissimus; proinde cùm nihil à suis sperandum aut timendum haberet, potuit soli veritati consulere et tam præclarum Christo testimonium perhibere. 8° Plures Judæi secundo seculo duplicem Messiam admiserunt, ut videre est in libro *Zehar*; alterum regem magnum et victorem; alterum pauperem et humilem quem Christianis et Romanis colendum relinquebant. Porrò, si ita censuerit Josephus, potuit suis stando principiis, ea de Christo proferre quæ in ipsius testimonio leguntur. 9° Certum est Josephum principibus multùm adulatum fuisse, atque ut verisimile est, ipsâ remordente conscientiâ, nec sine suæ religionis damno, sicut colligitur ex ipsius agendi ratione respectu Vespasiani quem ut Messiam prædicabat, et cui, licet falsorum deorum cultori, de Messiâ prophetias sacrilegâ interpretatione accommodabat. Certum est insuper, tunc imperatores romanos pertimuisse ne exoriretur è Judæis princeps quem expectabant, et qui, ex ipsis ac rumore publico, orbem sibi victurus erat. Ideò Vespasianus Judæos omnes, qui ex sanguine Davidis ortum ducere cogniti sunt, trucidari jussit, teste Euseb. Hist. Eccles. lib. 3, cap. 7. Domitianus, sub quo scribebat Josephus, eodem timore percitus erat. Hinc Judæos quosdam è sanguine Davidis natos Romam adduci jussit. Ii de Messiâ ab imperatore interrogati responderunt regnum Messiæ futurum esse spiritale et sine gloriâ ter-

renâ, ipsumque tantùm in corda regnaturum esse. Quæ cùm ita essent, quid mirum est Josephum cui tunc occasio erat de Christo dicendi, ad sedandos et dissipandos Domitiani timores, libenter veritati testimonium perhibuisse, et dixisse Jesum esse Christum, et consequenter Messiam non esse imperatoribus reformidandum? dixisse insuper prophetias in eo adimpletas fuisse, ut concluderet Domitianus Judæis nullum Messiam ampliùs sperandum esse, nihilque ab illis esse pertimescendum.

« Obj. 2° : S. Justinus in Dialogo cum Tryphone, Tertull. in Apologet. et in libro adversùs Judæos, Clemens Alex., Cypr., Origenes illo testimonio ad causam Christianorum defendendam nunquàm usi sunt, nec istud laudârunt; ergo deerat in scriptis Josephi ante Eusebium, qui fortè illud Josepho superaddidit. — Resp. : Nego conseq. Nam 1° multa scriptorum ecclesiast., qui tribus primis Ecclesiæ seculis vixerunt, opera perierunt, in quibus forsan Josephi testimonium referebatur. 2° Prioribus hisce temporibus nova adhuc erant facta quæ in Evangeliis referuntur. A Judæis ipsis Christi miracula saltem plurima admittebantur. Hinc innumeris firmari poterant testimoniis et argumentis quibus non magnum pondus addidisset Josephi auctoritas. Hinc scriptores ecclesiastici potuerunt prædictum Josephi testimonium prætermittere. 3° Ut jam diximus, Josephus fuit in nimiam assentationem eruditus, Scripturarum corruptor, religioni Judaicæ modicè devotus; hinc Judæis semper fuit invisus; ergo tunc intempestivum fuisset illius historici, qui aliunde tunc recentior erat quàm ut in rebus facti alicujus ponderis esset, testimonium Judæis opponere. Novæ enim exinde natæ fuissent controversiæ. 4° Plures saltem è citatis auctoribus potuerunt Josephi exemplar non habere præ manibus, præsertim iis temporibus quibus omnes codices manu erant exarati, et consequenter rariores. 5° Probabiliter conjici potest Judæos memoratum Josephi testimonium in pluribus exemplaribus et versionibus erasisse. Conjecturam firmat Baronii adversùs Judæos expostulatio, à quibus è codice in bibliothecâ Romanâ recondito sublatum fuisse scribit hoc Josephi de Christo testimonium. Casaubonus quidem hanc Baronii criminationem in Judæos suspectam habuit. Verùm, referente Huetio, visitur etiam nunc codex ille in Bibliothecâ Vaticanâ; hinc absolvitur Baronius. His positis, scriptores ecclesiastici quidam prædictum textum omittere potuerunt, forsan quia codices Judæorum mutilos præ manibus habebant, in quibus deerat illud Josephi testimonium. 6° Si verba expressè in quodam auctore legantur, rectè concludi non potest verba hæc non esse genuinum auctoris fœtum, eò quòd à quibusdam auctoribus quibus favent non laudentur. Numquid, v. g., veteres SS. Patres usi sunt omnibus Scripturæ testimoniis quibus causam suam poterant defendere? Non ita sanè. Ergo, etc.

« Resp. insuper ad singula : S. Justinus, in Dialogo cum Tryphone Judæo, non debuit Josephi testimonium proferre, quia cum isto Judæo sermo non erat de veritate factorum evangelicorum, sed tantùm utrùm Christus esset Deus. Ad hanc porrò controversiam nihil attinebat Josephi testimonium. Insuper, Justinus et Trypho consenserant solas Scripturas adhibere. Vide Dialog. Justini cum Tryphone. Ergo Justinus aberrâsset à proposito, si illo testimonio usus fuisset. Idem de Tertull. et Cypr. dicendum est. Nam eâdem methodo ac Justinus utuntur contra Judæos; factorum evangelicorum veritatem probare non habent in animo, sed veteris Testamenti Scripturas adhibent ut Judæos propriis debellent armis. S. Clemens Alex. in suis Stromatibus referre potuisset Josephi testimonium; verùm cùm illius operis perierit non modica pars, quis non videt ex silentio S. Doctoris nihil posse concludi? Quantùm ad Origenem, duo annotabimus, 1° illum Tractatu 10 in Matth., n. 17, dixisse Josephum Christo non credidisse; sed non inde sequitur hunc non admisisse vel non cognovisse Josephi de Christo testimonium. Nos enim Josephi textum ut genuinum admittimus, nec tamen existimamus Christum ut Messiam à Josepho fuisse recognitum; nec illud ex ipsius testimonio consequitur, ut antea diximus. 2° Reapsè quidem Origenes, lib. 1 contra Celsum, n. 47, Josephi testimonium de Joanne Baptistâ laudavit, quia hic dicebat de baptismo Christi; proinde ad id de quo agebatur aptè congruenterque affertur testimonium in quo Josephus loquitur de Joanne Baptistâ ac de baptismo ab eodem in remissionem peccatorum instituto. Propositum autem ipsius non postulabat ut Josephi de Christo testimonium referret.

« Obj. 3° : Photius, cod. 7, de libris Antiquitatum, Josephi mentionem habet, nec tamen prædictum testimonium memorat; ergo non existimavit textum hunc esse genuinum Jose-

phi fœtum. Resp. : Nego conseq. Nam Photius pauca admodùm ex libris Antiquitatum excerpit. Quid mirum igitur, si de prædicto testimonio sileat! Photius de quatuordecim primis Antiquitatum libris nihil refert; an exinde sequitur hunc auctorem illos quatuordecim libros ut suppositos habuisse? Minimè quidem. Photius silet testimonium Josephi de Joanne Baptistâ et Jacobo fratre Christi; atqui tamen, saltem ultimum, à nemine hùc usque habitum est ut adulterinum. Ergo pariter, etc. Insuper, si Photius Josephi de Christo testimonium ut suppositum habuisset, sanè more suo carpsisset auctores citatos qui illum textum in medium protulerunt, v. g., Eusebium cui in multis non pepercit; atqui tamen non ita se gessit. Ergo illum textum non habuit ut suppositum.

« Inst. : Photius, cod. 48, librum *de Universo,* Josepho abjudicat, quia illius libri scriptor « de Christo Deo nostro aptissimè loqui« tur, quando et ipsam Christi appellationem « ipsi attribuit, et inenarrabilem ex Patre ge« nerationem circa reprehensionem descri« bit. » Ergo propter eamdem rationem prædictum testimonium Josepho abjudicavit. — Resp. 1° : Photius dubitat an iste liber sit Josephi opus, nihil verò asserit. 2° Quæ de *inenarrabili ex Patre generatione* disserit prædicti libri auctor, christiano theologo duntaxat assignari possunt. Verba autem Josephi de Christo illius esse auctoris nihil repugnat, ut antea dictum est.

« Neque addant adversarii Photium, cod. 33 « de Justo Tiberiensi loquentem dixisse eum « communi Hebræorum vitio laborantem, de « Christi adventu et miraculis nullam prorsùs « fecisse mentionem. » Nam quæ Photius de Justo Tiberiensi et de Judæis *Zelotis* et Christianorum osoribus scripsit, non attingunt Josephum qui eodem vitio non laboravit, cujus scripta tunc fortè nondùm legerat, cùm hæc scripsit, et cui non magis pepercisset quàm Justo Tiberiensi, si idem ac Justus Tiberiensis de Christo servâsset silentium, sicque leges historiæ violavisset.

« Obj. 4° : Josephus, filius Gorionis, qui Josephum historicum contraxit, silet de Christo testimonium; ergo in ipsius scriptis tunc non legebatur. — Resp. hunc Judæum recentioris esse ætatis, ut ostendit Scaliger adversùs Munsterum. Quid porrò mirum est Judæum recentem, christianæ Religionis hostem, qui Josephi opus contraxit et in angustum deduxit, textum siluisse suæ genti indecorum ac suæ religioni adversantem?

« Obj. 5° cum Blondello : Legitur in prædicto textu *Christum plurimos è gentibus ad se pertraxisse*; atqui illud falsum est nec à Josepho potuit asseri. Ergo, etc. — Resp. : Christus discipulorum ministerio jamjam ad se pertraxerat è gentilibus permultos, dùm hæc scripsit Josephus; ergo Josephus tunc asserere potuit Christum ad se multos è gentilibus pertraxisse. Aliunde ex cap. 2 S. Matth., ubi sermo est de Magorum adoratione, ex cap. 12, v. 20, S. Joannis, atque ex aliis novi Testamenti locis, constat multos gentiles ipsi fuisse addictos.

« Obj. 6° cum Capello, Blondello et Tanaquillo Fabro : Non cohæret ille textus cum iis quæ præcedunt et sequuntur, sed orationis filum et seriem abrumpit. Nam Josephus loquitur de rebellione Judæorum contra Pilatum et de suppliciis quibus isti rebelles afflictati sunt : deinde collocatur prædictus textus. Hunc autem proximè sequuntur hæc verba : *Circa eadem tempora etiam mali quippiam aliud perturbavit Judæos.* Jam verò evidens est istud aliud malum de quo loquitur Josephus non posse accommodari cum testimonio Josephi *de Christo,* cujus historia ut genti exitiosa non describitur; si verò hocce testimonium evanescat, omnia sibi sunt consona. Tunc enim *malum* ultimum, de quo loquitur, cum calamitate antecedenti spontè conjungitur. Ergo ille textus alienâ manu fuit insertus.

« Respondet Tillemontius fortè Josephum nonnisi absolutâ historiâ testimonium illud addidisse, ideòque illud cum antecedentibus et consequentibus non connecti; verùm, missâ hâc responsione, resp. 1° nec insolitum, nec inauditum esse historicos etiam nobilissimos diversas et disconvenientes narrationes congerere, illosque in factis singulis connectendis et aptandis persæpè non multùm operæ et laboris consumere, ad rei veritatem potissimum attendentes. Casaubonus in exercitatione 11 in Annales Baronii ad annum 21, multis exemplis illud de Thucydide, Polybio et Tito Livio comprobavit. Ipse Josephus non rarò facta dissimilia conjungit, de transitionibus parùm laborat, et ordinem chronologicum immutat. Sic lib. 5 Antiquit. cap. 10, non minùs quàm in præsenti loco filum sermonis abrumpit per hæc verba : *Hebræi autem, rebus eorum in deterius lapsis, rursùs bellum moverent,* etc. Quæ verba nullâ ratione connecti possunt cum historiâ Ruth quæ præcedit. Alia

exempla permulta appellare possem. Ergo narrationis abruptio, transitionis defectus textum Josephi adulterinum esse minimè conficiunt. Resp. 2° Josephum nullo alio in loco aptiùs aut congruentiùs de Christo loqui potuisse, eumque servavisse temporum ordinem quem pervertere rarò debent historici, quemque inter illos celeberrimi semper ferè secuti sunt. Nam Christus suis sermonibus de rebus divinis suisque miraculis splendescere cœpit, præcisè post seditionem et cædem Judæorum ante Josephi de Christo testimonium descriptas, uti ostendit Huttevillius ex calculis chronologicis Scaligeri et Valesii; ergo hic erat locus in quo historia Christi scribenda erat. Reverà, ait Huetius, Paulinæ et Decii mundi historia quæ subsequitur, ante mortem Christi contigit; sed non minùs à Josepho servatus est temporum ordo; nec enim tantùm Christi mortem, sed vitam, munus, res gestas in brevi tabellâ complexus est, quam in id tempus conjicit quo vixisse eum constabat; non verò singula per annos digesta explicare instituit. »

« Quidquid sit demùm de illius textûs authenticitate ex silentio Josephi tam arguere licet in gratiam narrationis evangelicæ, quàm ex positivo ejusdem testimonio; cujus argumenti vim præclarè ostendit Bullet. Sic autem, allato Josephi textu, ut supra, ille disserit :

« On trouve dans ce passage la prédication, les miracles, les disciples, la mort, la résurrection de Jésus-Christ. On y assure même que ce dernier événement avait été prédit par les prophètes, de même que plusieurs autres choses qui le regardaient. Comme nos adversaires traiteront sûrement de supposé un passage dans lequel un prêtre juif et pharisien reconnaît tous les faits qui servent de fondement à notre religion, on n'en fera aucun usage, pour ne pas s'écarter du dessein que l'on s'est proposé, de ne rien employer dans cet ouvrage qui soit contesté. On accordera donc aux incrédules que Josèphe n'a point parlé de Jésus-Christ. Examinons les inductions que l'on peut tirer de son silence.

« 1° Cet historien, qui naquit trois ou quatre ans après la mort de Jésus-Christ, n'a pu ignorer qu'il avait paru dans la Judée un homme charlatan, imposteur, magicien ou prophète, nommé Jésus, qui avait fait des prodiges, ou qui avait trouvé le secret de le faire croire à un certain nombre de personnes. Il ne pouvait ignorer que, de son temps, il y avait encore dans cette province des gens qui faisaient profession de le reconnaître pour maître. Lorsqu'il fut transporté à Rome, il ne put ignorer que Néron avait fait punir, par des supplices inusités et extraordinaires, un grand nombre de chrétiens qui étaient dans cette ville; il ne put ignorer que leur martyre avait été un spectacle pour le peuple romain : spectacle d'un si grand éclat, que Tacite et Suétone l'avaient consigné dans les annales de l'empire; il vit que, sous Domitien, on faisait, à Rome et dans les provinces, le procès aux chrétiens, et qu'ils étaient punis de mort par les ordres de l'empereur.

« 2° Josèphe a-t-il dû parler de Jésus et de ses disciples dans son histoire? n'a-t-il pas pu regarder cet événement comme n'étant pas assez considérable pour y tenir place? Je réponds que non, et voici les raisons sur lesquelles je m'appuie :

« 1° Du temps de Josèphe, les chrétiens étaient déjà une société si considérable, qu'elle attirait l'attention des empereurs. Ces maîtres du monde portaient des lois contre eux, décernaient contre eux le dernier supplice, et les faisaient rechercher par les magistrats. Ainsi l'intégrité de l'histoire exigeait que l'on en parlât : Tacite et Suétone en ont jugé ainsi, eux pour qui la secte des chrétiens était un objet bien moins intéressant que pour un Juif tel que Josèphe. Ces deux historiens ont cru que la naissance et l'établissement du christianisme était d'une assez grande importance pour tenir rang parmi les grands événements qu'ils transmettaient à la postérité.

« 2° Josèphe, au livre 18 de ses Antiquités, chap. 2, parle des trois sectes qui étaient chez les Juifs : des esséniens, des saducéens et des pharisiens, quoique ces deux dernières ne subsistassent plus après la ruine de la nation, et dans le temps qu'il écrivait son histoire. Il ne devait donc pas se taire sur la secte des chrétiens, qui, s'étant formée parmi les Juifs, subsistait encore de son temps, avait pris bien d'autres accroissements que celles dont il parle, puisqu'elle s'était répandue dans les diverses provinces de l'empire et même dans la capitale, tandis que les autres n'étaient pas sorties de la Judée ou de quelques lieux voisins.

« 3° Josèphe parle exactement de tous les imposteurs ou chefs de partis qui se sont élevés parmi les Juifs, depuis l'empire d'Auguste jusqu'à la ruine de Jérusalem.

« Il écrit que Judas le gaulanite, ou le gali-

léen, excitait les Juifs à se soulever contre les Romains; et, dans un autre endroit, il dit que le président Tibère Alexandre fit crucifier les deux fils de ce séditieux.

« Il raconte qu'un imposteur assembla les Samaritains sur le mont Garisim, en leur promettant qu'il leur découvrirait les vaisseaux sacrés que Moïse avait enfouis en ce lieu.

« Il parle de la prédication de saint Jean-Baptiste, du concours de peuple qui se faisait auprès de lui. Il rend témoignage à la sainteté de sa vie; il ajoute que les Juifs crurent que l'armée d'Hérode avait été défaite par Arétas, roi des Arabes, en punition du crime que ce prince avait commis en faisant mourir ce saint homme.

« Il rapporte qu'un imposteur, nommé Theudas, séduisit un grand nombre de Juifs, et les conduisit vers le Jourdain, en leur promettant qu'il diviserait ce fleuve, et le leur ferait passer à pied sec. Cuspius Fadus, président de la Judée, en ayant été averti, envoya des gens de guerre qui dissipèrent cette multitude, qui tuèrent Theudas, dont ils rapportèrent la tête au président.

« Il écrit que Félix, président de la province, ayant pris par ruse Eléazar, fils de Dinée, chef d'une troupe considérable de brigands, il l'envoya chargé de chaînes à Rome.

« Il raconte qu'un Egyptien, étant venu à Jérusalem, se donna pour prophète, et persuada au peuple de le suivre sur la montagne des Oliviers, d'où il verrait tomber par ses ordres les murailles de Jérusalem; ce qui étant venu à la connaissance de Félix, il se mit à la tête des troupes qui étaient dans cette ville, et ayant chargé cette populace séduite, il en tua quatre cents, et prit deux cents prisonniers. L'Egyptien s'étant sauvé, ne parut plus.

« Il rapporte qu'un imposteur magicien attira le peuple dans le désert, en lui promettant que, sous sa conduite, il serait à couvert de toutes sortes de maux. Le président Festus envoya contre eux des troupes, qui les défirent et les dissipèrent.

« Jésus était le chef d'un parti bien plus considérable, et qui faisait bien plus de bruit que tous ceux dont cet auteur a parlé. Ces imposteurs, ces chefs de partis, ces hommes qui avaient fait des assemblées, n'avaient eu des sectateurs que dans la Judée; leur parti, leurs assemblées avaient été bientôt dissipées, et il n'en restait plus que le souvenir, lorsque Josèphe écrivait son histoire. Il n'en était pas ainsi de la secte, de l'assemblée, du parti qu'avait formé Jésus; il subsistait encore du temps de Josèphe, il était répandu dans toutes les provinces de l'empire et jusque dans la capitale. Les maîtres du monde employaient toute leur autorité pour l'anéantir; ainsi ce parti ou cette secte méritait bien plus que toutes celles dont parle Josèphe, de tenir un rang dans son histoire.

« Josèphe n'ayant pu ignorer Jésus, ni la secte dont il était chef; ayant dû, conformément aux lois de l'histoire et à la méthode qu'il s'était prescrite, écrire ce qu'il en savait, pourquoi a-t-il gardé sur cela un si profond silence? Essayons de le découvrir. Pour y parvenir, je forme ce raisonnement :

« Ou cet historien a cru que tout ce que les disciples de Jésus disaient de leur maître était faux, ou il a cru qu'il était vrai. Dans le premier cas, il ne se serait pas tu; tout le portait à parler en cette occasion : l'intérêt de la vérité, le zèle pour sa religion, dont les chrétiens, par leurs impostures, sapaient les fondements; l'amour de sa nation, que les disciples de Jésus accusaient d'avoir fait mourir, par une maligne et cruelle jalousie, le Messie, le fils de Dieu. En dévoilant les impostures des apôtres, Josèphe couvrait de confusion les ennemis de son peuple; il se rendait agréable à sa nation, il se conciliait la faveur des empereurs qui persécutaient le christianisme naissant; il s'attirait les applaudissements de tous les hommes qui avaient cette religion en horreur; il détrompait les chrétiens mêmes que les premiers disciples de Jésus avaient séduits. Croira-t-on jamais qu'un homme instruit d'une fourberie qu'il est si intéressé de faire connaître, garde sur cela le plus profond silence, surtout lorsque l'occasion se présente si naturellement d'en parler? Si l'on répandait parmi le peuple de faux miracles qui tendissent à ébranler sa foi, avec quel zèle nos écrivains ne découvriraient-ils pas l'imposture pour prévenir la séduction? ne regarderaient-ils pas, et avec raison, le silence, en cette occasion, comme une prévarication criminelle? Il paraît donc évident que si Josèphe avait cru que ce que les apôtres disaient de leur maître était faux, il aurait eu soin de le faire connaître. S'il ne l'a pas cru faux, il l'a cru vrai; et la seule crainte de déplaire à sa nation, aux Romains, aux empereurs, lui a fermé la bouche; auquel cas son silence vaut son témoignage, et sert également pour autoriser la vérité des faits sur lesquels

le christianisme est établi. » (*Histoire de l'Établissement du Christianisme.*)

Hæc concludamus quibusdam aliis testimoniis adjectis ex variis auctoribus.

Porphyrius Platonicus qui multa in Religionem christianam scripsit egitque, prophetiam Danielis de 70 hebdomadibus post eventum aiebat confictam, adeò accurata ei apparebat. Ita ex D. Hieronymo, Præfat. in Danielem. Idem in libro contra Christianos, mirâ contradictione, hæc de Christo habet, quæ leguntur apud D. August. de Civit. Dei lib. 19, cap. 23: « Præter opinionem, inquit (Porphyrius), profectò quibusdam videatur quod dicturi sumus. Christum enim piissimum dii pronuntiârunt, et immortalem factum et cum bonâ prædicatione ejus meminerunt. Hecate interrogata si Christus esset Deus, respondit piissimum fuisse virum, et animam ejus immortalitate donatam.... Anima autem piorum cœlesti sedi insidet. »

Tacitus historicus ipse odio incensus in Christianos quos cum Judæis confundebat, nobis tamen invitus præstat testimonium. Dixerat Neronem variis modis a se opinionem repellere infamantem, quòd scilicet ipse urbi Romæ jussisset incendium, voluisse; quod cùm frustra tentâsset: « Ergo, inquit historicus, abolendo rumori Nero subdidit reos, et quæsitissimis pœnis affecit, quos per flagitia invisos, vulgus *Christianos* appellabat. Auctor nominis ejus Christus, Tiberio imperitante, per procuratorem Pontium Pilatum, supplicio affectus erat. Repressaque in præsens exitiabilis superstitio rursus erumpebat, non modò per Judæam, originem ejus mali, sed per urbem etiam, quò cuncta undique atrocia aut pudenda confluunt, celebranturque. Igitur primùm correpti, qui fatebantur, deinde indicio eorum multitudo ingens, haud perinde in crimine incendii, quam odio humani generis convicti sunt. Et pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent; aut crucibus affixi, aut flammandi, atque ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur. Hortos suos ei spectaculo Nero obtulerat, et circense ludicrum edebat, habitu aurigæ permixtus plebi, vel curriculo insistens. Unde quanquam adversus sontes, et novissima exempla meritos, miseratio oriebatur, tanquam non utilitate publicâ, sed in sævitiam unius absumerentur. » Annal. lib. 15, n. 44. Alia ex eodem, ubi de cæde Judæorum, infra referemus.

Plura alia legi possunt apud Bullet, opere laudato, atque P. De Coloniâ: *La Religion autorisée par le témoignage des auteurs païens.*

P.-S.

---

§ 2. DE RECTA CHRISTIANORUM VIVENDI RATIONE IN PRIORIBUS SÆCULIS.

De hoc argumento præter invicta ac innumera historiæ ecclesiasticæ monumenta, præsertim ex SS. Patribus, alia etiam plurima nobis suppeditabunt gentiles, quorum præcipua hic sub oculis ponenda.

Initio secundi sæculi, hanc percelebrem Trajano scripsit Epistolam Plinius Junior, in Bythiniâ et Ponto proconsul, in quâ mores Christianorum æquiore animo describens, ut remissiùs saltem in Christianos sæviatur ab imperatore obtinuit. Sic autem se habent Epistola Plinii et Trajani responsio.

C. PLINIUS TRAJANO IMP.

« Solemne est mihi, Domine, omnia de quibus dubito, ad te referre. Quis enim potest meliùs, vel cunctationem meam regere, vel ignorantiam instruere? Cognitionibus de Christianis interfui nunquàm. Ideo nescio quid et quatenùs, aut puniri soleat, aut quæri. Nec mediocriter hæsitavi, sitne aliquod discrimen ætatum, an quamlibet teneri nihil à robustioribus differant? Deturne pœnitentiæ venia? An ei qui omninò christianus fuit, desiisse non prosit? Nomen ipsum, etiamsi flagitiis careat, an flagitia cohærentia nomini puniantur? Interim in iis qui ad me tanquam christiani deferebantur, hunc sum secutus modum: interrogavi ipsos an essent christiani. Confitentes iterùm ac tertiò interrogavi, supplicium minatus; perseverantes duci jussi. Neque enim dubitabam (qualecumque esset quod faterentur) pervicaciam certe et inflexibilem obstinationem debere puniri. Fuerunt alii similis amentiæ, quos (quia cives romani erant) annotavi in urbem remittendos: mox ipso tractatu, ut fieri solet, diffundente se crimine, plures species inciderunt. Propositus est libellus sine auctore, multorum nomina continens, qui negarent se esse christianos, aut fuisse. Quùm præeunte me deos appellarent, et imagini tuæ, quam propter hoc jusseram cum simulacris numinum afferri, thure ac vino supplicarent, præterea maledicerent Christo, quorum nihil cogi posse dicuntur, qui sunt reverà christiani.

dimittendos putavi : alii ab indice nominati, esse se christianos dixerunt, et mox negaverunt; fuisse quidem, sed desiisse, quidam ante triennium, quidam ante plures annos, non nemo etiam ante viginti quoque; omnes et imaginem tuam, deorumque simulacra venerati sunt, et Christo maledixerunt. Affirmabant autem hanc fuisse summam vel culpæ suæ, vel erroris, quòd essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo, quasi Deo, dicere secum invicem; seque sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent. Quibus peractis, morem sibi discedendi fuisse, rursùsque coeundi ad capiendum cibum, promiscuum tamen et innoxium : quod ipsum facere desiisse, post edictum meum, quo secundùm mandata tua hetærias esse vetueram. Quo magis necessarium credidi, ex duabus ancillis quæ ministræ dicebantur, quid esset veri, et per tormenta quærere; sed nihil aliud inveni, quàm superstitionem pravam et immodicam; ideòque dilatâ cognitione, ad consulendum te decurri. Visa est enim mihi res digna consultatione, maximè propter periclitantium numerum. Multi enim omnis ætatis, omnis ordinis, utriusque sexûs, et jam vocantur in periculum, et vocabuntur. Neque enim civitates tantùm, sed vicos etiam atque agros superstitionis istius contagio pervagata est : quæ videtur sisti et corrigi posse. Certè satis constat, prope jam desolata templa cœpisse celebrari, et sacra solemnia diù intermissa repeti, passimque venire victimas, quarum adhuc rarissimus emptor inveniebatur. Ex quo facile est opinari, quæ turba hominum emendari possit, si fiat pœnitentiæ locus.

TRAJANUS PLINIO S.

« Actum quem debuisti, mi Secunde, in excutiendis causis eorum qui christiani ad te delati fuerant, secutus es. Neque enim in universum aliquid, quod quasi certam formam habeat, constitui potest. Conquirendi non sunt : si deferantur et arguantur, puniendi sunt, ita tamen, ut qui negaverit se christianum esse, idque reipsâ manifestum fecerit, id est, supplicando diis nostris, quamvis suspectus in præteritum fuerit, veniam ex pœnitentiâ impetret. Sine auctore verò propositi libelli, nullo crimine locum habere debent. Nam et pessimi exempli, nec nostri seculi est. »

Sub Adriano, qui post Trajanum imperium obtinuit, præfecti provinciarum plures executioni mandare Trajani edicta non destiterunt. *Nullas* tamen ipse Adrianus *contra Christianos leges impressit*, ait Tertullianus. Imò ex Lampridio, gentili auctore, constat eum Christo templa dicare voluisse. « Templum Christo facere voluit (Alexander), inquit, eumque inter Deos recipere, quod et Adrianus cogitâsse fertur, qui templa in omnibus civitatibus sive simulacris jusserat fieri; quæ hodiè idcircò quia non habent numina, dicuntur *Adriani*, quæ ille ad hoc parâsse dicebatur; sed prohibitus est ab iis qui consulentes sacra repererant omnes Christianos futuros, si id optatò evenisset, et templa reliqua deserenda. » Lamprid. in vitâ Alexandri imperat.

Idem Adrianus, cui Serenius Granianus, proconsul Asiæ, in gratiam Christianorum scripserat, hæc ipse ad Minucium Fundanum Graniani successorem respondit, scilicet : « Receptâ Serenii Epistolâ, rem sibi non parvi momenti visam esse, ex quâ publica pax aliquid posset detrimenti accipere : idcircò neque seditiosis clamoribus persequendos Christianos, neque accipiendam in eos nisi attestatam criminationem; puniendos quidem ipsos, si quid contra leges admiserint, eorum verò accusatores, si calumniâ objecerint crimen. » Ex Apologiâ S. Justini, ad finem.

Antoninus cognomine Pius, Adriani successor, inter imperatores optimus, hanc constitutionem ad Asiaticos direxit, quam apud Eusebium legimus :

« L'empereur César, Marc-Aurèle Antonin, Auguste, Arménien, grand-pontife, quinze fois tribun, trois fois consul, aux états d'Asie, salut. Je sais que les dieux ont soin que ces hommes (les chrétiens) ne demeurent pas inconnus. Car il leur appartient, plutôt qu'à vous, de châtier ceux qui refusent de les adorer. Plus vous faites de bruit contre eux et plus vous les accusez d'impiété, plus vous les confirmez dans leur sentiment et dans leur résolution. Ils aiment mieux être déférés et condamnés à la mort pour le nom de leur Dieu, que de demeurer en vie; ainsi ils remportent la victoire en renonçant à la vie, plutôt que de faire ce que vous désirez. Il est aussi à propos de vous donner des avis touchant les tremblements de terre présents ou passés. Comparez la conduite que vous tenez en ces occasions, avec celle que tiennent les chrétiens. Au lieu qu'alors ils mettent plus que jamais leur confiance en Dieu, vous perdez courage; aussi il semble que, hors ces cala-

mités publiques, vous ne connaissez pas seulement les dieux; vous négligez toutes les choses de la religion, et vous ne vous souciez point du culte de l'Immortel; et, parce que les chrétiens l'honorent, vous les chassez et vous les persécutez jusqu'à la mort. Plusieurs gouverneurs de province ayant écrit à mon père touchant ceux de cette religion, il défendit de les inquiéter, à moins qu'ils n'entreprissent quelque chose contre le bien de l'Etat; quand on m'a écrit sur le même sujet, j'ai fait la même réponse : que si quelqu'un continue à accuser un chrétien, à cause de sa religion, que l'accusé soit renvoyé absous, quand il paraîtrait effectivement être chrétien, et que l'accusateur soit puni. » (Euseb. Hist. Eccles. lib. 4, c. 13.)

Anno 222, Alexander potitus imperio, rei christianæ maximè favit, ut ex pluribus liquet monumentis. Jam supra dictum est eum templum Christo voluisse facere, ex Lampridio, in ejus Vitâ. Hæc alia refert idem historicus de Alexandro : « Judæis privilegia reservavit, Christianos esse passus est..... Usus vivendi Alexandro hic fuit : primùm ut, si facultas esset, id est, si non cum uxore cubuisset, matutinis horis in larario suo (in quo et divos principes, sed optimos electos et animas sanctiores, in queis et Apollonium, et quantùm scriptor temporum suorum dicit, Christum, Abraham et Orpheum, et hujuscemodi deos habebat), ad majorum effigies rem divinam faciebat..... Ubi aliquos voluisset vel rectores provinciis dare, vel præpositos facere, vel procuratores, id est, rationales, ordinare, nomina eorum proponebat, hortans populum ut, si quis quid haberet criminis, probaret manifestis rebus; si non probâsset, subiret pœnam capitis, dicebatque grave esse, quùm id Christiani et Judæi facerent in prædicandis sacerdotibus qui ordinandi sunt, non fieri in provinciarum rectoribus, quibus et fortunæ hominum committerentur, et capita.... Quùm Christiani quemdam locum qui publicus fuerat occupâssent, contra popinarii dicerent sibi eum deberi, rescripsit melius esse ut quomodocumque illic Deus colatur, quàm popinariis dedatur... Si quis de viâ in alicujus possessionem deflexisset, pro qualitate loci, aut fustibus subjiciebatur in conspectu ejus, aut virgis, aut condemnationi; aut si hæc omnia transiret dignitas hominis, gravissimis contumeliis, cùm diceret : Visne hoc in agro tuo fieri quod alteri facis? Clamabatque sæpiùs quod à quibusdam, sive Judæis, sive Christianis, audierat et tenebat; idque per præconem, cùm aliquem emendaret, dici jubebat : *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.* Quam sententiam usque adeò dilexit, ut et in palatio, et in publicis operibus præscribi juberet. » Lamprid. in Vitâ Alexandri.

Atverò majora ex eorum infensissimo hoste encomia habuêre sanctitas Christianorum et charitas : quippe Julianus Apostata, cùm idolorum jam prolapsum cultum restaurare vellet, in id maximè se convertit, ut mores Christianorum ususque à suis usurparentur.

Sic ad hospitalitatem, charitatem sepulturæ curam, integritatem morum atque eam in Christianis adeò splendentem modestiam hortabatur. Quinimò virginum monasteria instituì voluit, hospitia et xenodochia; lectionibus publicis ethnicam theologiam edoceri; pœnitentiam publicam publicis delinquentibus imponi; pontifices ac ministros hierarchiâ ordinari, secessu, modestiâ, oratione informari, à spectaculis secularibus tabernisque abstinentes, eosdem precationi publicæ ter in die alternisque cantibus vacare. Sed ipsum audiamus ita ad Arsacium summum Galatiæ pontificem scribentem : « Le culte des dieux immortels n'est pas encore au point où il devrait être, et c'est uniquement par notre faute. Il est vrai que la Religion vient de faire tout à coup des progrès qui passent de bien loin notre attente, et que nul d'entre nous n'eût osé se flatter, il y a peu de temps, de voir un si soudain et si heureux changement. Mais il ne faut pas nous borner là, et nous devrons mettre à profit l'exemple des Galiléens (chrétiens) qui par l'hospitalité qu'ils exercent, par le soin qu'ils ont des sépultures, et par cette gravité concertée dont ils savent si bien se parer, ont trouvé le secret de donner tant de cours à leur impie athéisme. C'est à nous à avoir la réalité de ces mêmes vertus, dont ils savent se donner tous les dehors, et il ne suffit pas que vous soyez tels, il faut que tous les prêtres de la Galatie le soient aussi bien que vous. Persuadez-les, engagez-les à vivre régulièrement; ou interdisez-leur les fonctions du sacerdoce, s'ils ne sont résolus à mieux servir les dieux, avec leurs femmes, leurs enfants et leurs domestiques, et s'ils souffrent dans leurs maisons quelque impie Galiléen. Faites-leur bien comprendre qu'il ne convient pas à un prêtre d'aller ni au théâtre, ni au cabaret, ni d'exercer un emploi infâme ou un métier vil et indigne de son état. Honorez

ceux que vous trouverez dociles, et bannissez les autres.

« Établissez en chaque ville plusieurs hôpitaux pour y recevoir les pauvres étrangers, de quelque religion qu'ils puissent être. J'ai déjà réglé les fonds qui vous sont nécessaires pour cela, et j'ai ordonné qu'on distribuât chaque année dans la Galatie trente mille mesures de blé et soixante mille de vin, dont la cinquième partie sera pour les pauvres, qui sont au service des sacrificateurs, et vous ferez distribuer le reste aux pauvres et aux étrangers. Car il est certainement bien honteux pour nous que nul ne mendie parmi les Juifs, et que les impies Galiléens, outre leurs pauvres, nourrissent encore les nôtres que nous laissons sans aucun secours. Faites comprendre aux habitants des villes qu'ils sont obligés de contribuer à ces bonnes œuvres, et apprenez aux gens de la campagne qu'ils doivent offrir aux dieux les prémices de tous leurs fruits. Faites-leur bien sentir que ce sont là nos plus anciennes maximes et le véritable esprit de notre religion, puisqu'enfin Homère fait ainsi parler le sage Eumée :

Qu'en tout temps l'étranger chez toi trouve un asile,
Fût-il le dernier des humains,
Il est à Jupiter, et l'âme la plus vile
N'est pas moins que les rois l'ouvrage de ses mains.

« Si les Galiléens savent aujourd'hui si bien pratiquer ces maximes, c'est de nous qu'ils les ont empruntées, et si nous sommes assez lâches pour les leur abandonner, nous trahissons les dieux, et nous nous couvrons nous-mêmes d'un opprobre éternel.... » In Epistolâ 49, ad Arsacium. (Ex translatione P. De Coloniâ.)

Superest aliquid ex Epistolâ aliâ ad alium pontificem, in quâ Julianus idem dotes pontificis virtutesque enumerat. « Il doit vivre et marcher, inquit, comme étant toujours en la présence des dieux immortels. La pureté, la bienséance, la retenue dans les paroles, l'éloignement des livres ou mauvais ou frivoles, l'hospitalité et la charité doivent faire son caractère. On doit surtout avoir égard à cette vertu dans le choix qu'on fait des prêtres et des pontifes, et la préférer à tout autre talent. La raison, c'est que les impies Galiléens ayant remarqué que nos prêtres n'ont que de l'indifférence et de la dureté pour les pauvres, ils se sont fait un devoir essentiel et un point capital de les assister, et par leur hospitalité, leurs *agapes,* pour parler leur langage, et par les autres œuvres d'une charité séduisante qu'ils pratiquent à l'envi les uns des autres, ils ont su engager une infinité de gens dans leur malheureux athéisme. » — Sic Deus sapientissimus providit ut ex hoste infensissimo tantos Christianorum laudes audiamus. — De moribus Christianorum vide eximium opus cl. Fleury, *Mœurs des Chrétiens,* ubi loca SS. Patrum indicantur. P.-S.

---

§ 3. ARGUMENTUM EX RESTAURATIONE TEMPLI HIEROSOLYMITANI FRUSTRA A JULIANO TENTATA.

« Antequàm argumentationem instituamus, notabimus 1° non tantùm Hierosolymæ et templi vastitatem à Daniele, cap. 9, fuisse prænuntiatam, verùm idem propheta prædixit ibidem vastitatem hanc perseveraturam esse usque ad consummationem et finem : *Et erit,* inquit Daniel, citato cap. 9, *in templo abominatio desolationis, et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio.* Insuper, Christus qui ejusdem urbis Hierosolymitanæ desolationem prædixit, sic de temporis spatio quo perseveratura erat illa desolatio loquitur, Lucæ 21 : *Jerusalem calcabitur à gentibus, donec impleantur tempora nationum.* Ex illis duobus textibus colligi potest à Christo et Daniele prædictum fuisse templum Hierosolymitanum in perpetuam solitudinem vertendum esse, et nusquàm reparandum. Cùm enim alias Judæorum servitutes vaticinantur Prophetæ, præfinitum tempus assignant ; huic verò Judæorum calamitati et templi desolationi nullum tempus præfiniunt, sed è contrario addunt illam perstituram esse *usque ad consummationem et finem,* mundi videlicet. Sic veteres SS. Patres, et præsertim Chrysost. Oratione 3 adversùs Judæos illas Christi et Danielis prophetias interpretati sunt.

« Notabimus 2° Julianum Apostatam, qui omnia commolitus est ut Religionem nostram deleret, anno 363, paulò ante bellum Persicum, in quo occubuit, Judæos undequàque appellavisse, et magno sumptu, præside Alypio, tentâsse templum restaurare, ut nempe prophetias esse mendaces exinde concluderet, ac de Religione christianâ triumpharet. At verò consilium ipsius ad finem perduci non potuit : undequàque enim flammis erumpentibus, combustis operariis, Judæi et pagani inceptum opus deserere coacti sunt.

« Quibus positis, sic conficio argumentum. Si verum sit factum modò expositum, si Juliani incœptum opus magno miraculo et speciali Dei voluntate impeditum fuerit, manifestum est Deum ipsum christianæ Religionis causam suscepisse et vindicâsse, consequenter divinam esse illam Religionem. Itaque, ut invictum sit nostrum argumentum, duo demonstranda suscipimus : 1° Reparationem templi à Juliano fuisse tentatam et per erumpentes flammarum globos impeditam ; 2° eventum qui hanc instaurationem impedivit, ingens esse miraculum, ex speciali Dei voluntate et providentiâ ortum.

« Primum quidem constat ex testimonio paganorum, Judæorum et Christianorum, ita ut nullum in totâ historiâ factum firmioribus testimoniis confirmetur.

« 1° Quidem pagani illud testantur. Nam sic scribit Ammianus Marcellinus, lib. 23, cap. 1 : « Cùm itaque rei (scilicet reparationi templi « à Juliano susceptæ de quâ loquitur) idem « fortiter instaret Alypius juvaretque provin- « ciæ rector, metuendi globi flammarum per « fundamenta crebris assultibus erumpentes, « fecêre locum exustis aliquoties operantibus « inaccessum, hocque modo elemento desti- « natiùs repellente, cessavit incœptum. » Jam verò nullus historicus Ammiano fide dignior est, nec ipsi increduli pertinaciores ejus testimonium ullo modo recusare possunt; fuit enim paganus, in Christianos consequenter malè propensus, crimina in ipsos congerens, Juliano subjectus, aulicus et illius principis admirator; fuit veritatis amator, philosophiæ cultor, ut agnoscunt omnes eruditi; ab Hierosolymâ non multùm distabat, cùm prædictum eventum obtigit; istud enarrat ut publicum, certum, atque omnibus cognitum. Ergo, etc. Sophista Libanius, Juliani amicus, factum illud leviter indicat in Vitâ Juliani, referens multos infaustos eventus terræque tremores in Palæstinâ factos, mortis Juliani tristia præsagia fuisse. Idem in Oratione funebri hujusce imperatoris enarrat. Patet hunc sophistam hùc respexisse, atque in mente habuisse terræ tremores occasione restaurationis templi factos, licet clarè et fusiùs nolit hæc exponere, ne herois sui splendorem maculet. Julianus ipse, in fragmento Orationis vel Epistolæ quam in lucem protulit Petavius, fatetur se *templum voluisse reædificare*. Licet autem ille imperator expressè non affirmet suum de restauratione templi consilium ingenti prodigio fuisse impeditum, quia stando suis principiis id fateri non poterat, attamen multa in prædictâ Oratione scribit quibus Christianis triumphantibus respondeat : ex quibus facti prædicti veritas innotescit. Frustra, inquit, Christiani nos terrent per *clamorem providentiæ*, quibus verbis satis indicat Christianos prædictum eventum, ut providentiæ specialis opus, prædicâsse. Insuper, respondet nihil esse perenne in rebus humanis, ipsumque templum Judæorum pluries fuisse eversum, ut nempe ostendat nihil mirum esse, si templum Judæorum à paganis et Judæis non fuerit restitutum.

« 2° Judæi idem factum testati sunt. Rabbi enim Gedaliah Ben Joseph Jechaia, in Hist. cui tit. *Schall. Schele Kakkaballa*, seculo sequenti scriptâ, idem factum narrat ac Ammianus, additâ hâc circumstantiâ, nempe *ferramenta ædificii liquefacta fuisse, et Judæos innumerabiles combustos*. Rabbinus ille templum seu fundamentum templi corruisse asserit, eò quòd res jussu imperatoris pagani suscepta esset, sicque Christianorum argumentum declinat.

« 3° Christiani, sive coætanei, sive qui post hunc eventum vixerunt, idem factum testati sunt. S. Ambrosius coætaneus, Epistolâ 11 ad Theodosium, hunc eventum commemorat, sed paucis verbis, tum quia erat in Occidente, et consequenter à loco in quo eventus obtigit longè dissitus; tum quia in Epistolâ non debet esse prolixior oratio. S. Chrysost. coætaneus adversùs Judæos et gentiles, tom. 1, Orat. 3, idem factum refert, et exinde sive Judæos, sive gentiles confutat, atque ex eâ Christi victoriâ concludit Religionem nostram esse divinam. Affirmat fundamenta templi eversa et dispersa versari adhuc ante omnium oculos, pluresque esse in locis ipsis hujus facti testes. S. Greg. Nazianz. coætaneus, ab Hierosolymâ non multùm distans, circumstantias facti fusiùs describit, Orat. 4 adversùs Julianum; addit crucem splendidam in cœlo stetisse, vestesque spectatorum crucibus fuisse consignatas. Seculo sequenti Ruffinus, Socrates, Sozomenus, Theodoretus idem factum narrârunt velut indubitatum et omnibus cognitum. Iis adjungendi sunt Philostorgius, Theophanes, Orosus, Nicephorus, Zonares et Cedrenus, qui, etsi tantæ non sint auctoritatis, quantæ alii auctores ecclesiastici coætanei quos modò laudavimus, attamen in re præsenti fidem merentur, cùm aliis omnibus consentiant.

« Quæ cùm ita sint, notandum est 1° illos omnes scriptores varias quidem memorare circumstantias, aliosque nonnulla adjungere quæ omittuntur ab aliis. Attamen nunquàm inter se pugnantia loquuntur. Jam verò critici animadvertunt fidem deberi historicis qui diversas referunt facti circumstantias, nec tamen pugnantia loquuntur; narrationis enim diversitas probat alios ab aliis non fuisse exscriptos, illosque auctores historiam è variis hausisse fontibus. Quò plures autem sunt fontes è quibus factum hauserunt historici, eò sunt fide digniores. Notandum est 2° factum de quo agitur esse conspicuum, non obscurum, non in tenebris peractum. Fieri non potuit consequenter ut auctores prædicti fallaciam intenderent, fraudemque aut errorem populis cogitarent. Insuper, factum istud sive Judæis, sive paganis, sive Christianis res permagna erat, nec potuit ab illis non observari; ergo scriptores non potuerunt sibi suadere futurum esse ut populos circa factum hujus generis in errorem inducerent. Ergo factum istud non retulerunt ad decipiendum, sed solo veritatis amore ducti; ergo, etc. Notandum est 3° hisce auctoribus ecclesiasticis qui factum prædictum ut notissimum retulerunt, qui testes adhuc exstare asserebant, qui Jerusalem viros selectos mittebant ut factum conspicerent, nunquàm refragatos esse paganos, nec Libanium, nec Julianum ipsum, nec alios christianæ Religionis hostes. Notandum est 4° Ammianum Marcellinum in concessu eruditorum Romæ degentium singulos suæ historiæ libros perlegisse, antequàm illam vulgaret, ut nempe perfectius esset opus. Atqui si factum istud fuisset dubium, sanè eruditi quos consulebat ab ipso obtinuissent ut illud prætermitteret, utpote paganis haudquaquàm gloriosum. Ergo prædictum factum ad strictiores scientiæ criticæ leges perpensum, haberi debet ut compertum ac exploratum, cùm relatum fuerit unanimi voce à tot historicis veridicis, diversorum locorum, diversæ gentis, diversæ religionis, quorum intererat illud in dubium vocare, et cùm ii ipsi quibus nocebat refragati non fuerint.

« Secundum non minùs certum est, nempe factum istud speciali Dei voluntate et providentiâ accidisse, ingensque esse miraculum. Non diffitemur quidem terræ tremores, flammarum eruptiones sæpè esse effectus naturales: verùm contendimus factum modò propositum, omnibus suis circumstantiis indutum, non posse inter effectus naturales collocari, sed consueto et cognito naturæ cursui esse adversum. Etenim, 1° hæc fiunt in iis circumstantiis in quibus congruens erat divinam manifestari voluntatem. Nam imperator divinæ Providentiæ adversarius tentat populis demonstrare illam per prophetas mentitam esse; in varias mundi partes migrantes Judæi, atque ipso Dei jussu toto orbe disjecti, rempublicam novam constituere et templum à Deo reprobatum ædificare conantur; uno verbo, in ipsum Deum apertè conspirant creaturæ in iis circumstantiis in quibus silentium ipsis paravisset triumphos. Si igitur ad circumstantias antecedentes attendamus, tales erant ut in iis congruum esset miraculum quo Deus suam causam defenderet injuriamque sibi illatam vindicaret. 2° Horrendi flammarum globi erumpunt præcisè in illis circumstantiis in quibus creaturæ suum auctorem provocant et cum Deo bellant, iis præcisè temporibus quibus innumeri populi, sive Judæi, sive gentiles, sive Christiani, eventum expectabant; strepunt terribilia in aere tonitrua, ut narrant plures è scriptoribus citatis; toties iterantur flammarum eruptiones, quoties operarii incœptum opus persequi aggrediuntur: *Locus fit operantibus inaccessus, elemento destinatiùs repellente*, ut ait Ammianus Marcellinus. Operarii innumerabiles exuruntur; Christi crux in cœlis conspicitur. Quis ibi dexteram Dei vindicis non agnoscat? Quis eò dementiæ processerit, ut fortunæ tales eventus assignet? Potuitne Deus clariùs splendidiùsque suam omnipotentiam manifestare? 3° Quis dixerit hunc terribilem eventum cum prophetiis Christi et Danielis vaticinio jam laudatis casu fortuito congruere? Nonne hìc implentur verba Christi dicentis: *Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt?* Nonne insuper hìc adimpletur prophetia Isaiæ qui, cap. 29, descriptâ templi vastitate sub Tito, sic addit: *Eritque repentè, confestim à Domino exercituum visitabitur in tonitru et commotione terræ, et voce magnâ turbinis et tempestatis, et flammæ ignis devorantis?* Prophetiam hanc quæ à narratione Ammiani Marcellini verè non differt; fortuito casu tam perfectè cohærere cum eventu asserere absurdum est. 4° Licet in hoc eventu aliquid ex naturâ esset, quis tamen in suum inducat animum omnia facti hujus adjuncta, omnesque circumstantias concomitantes, fortuitò et sine voluntate speciali divinæ providentiæ, simul concurrisse? Si effectus ille fuerit merè naturalis, utquid igitur Judæi et

gentiles opibus atque auxilio imperatoris adjuti opus incœptum non sunt persecuti? Nonne imperatoris potestate innixi poterant omnia naturæ obstacula vincere? Numquid imperator ab incœpto opere destitisset, victoriamque cessisset inimicis, nisi fuissent è cœlo obstacula insuperabilia? Sanè ad perrumpendas omnes difficultates nihil intentatum reliquisset. Terræ motus tandem quiescunt, si sint à naturâ; ergo susceptum opus persecutus fuisset Julianus nisi potestate divinâ impeditus fuisset. Sic, v. g., Olysippo, Lusitaniæ caput, cessantibus terræ motibus, reædificata est. Insuper, si illi effectus fuissent tantùm naturales, nonne pagani et Ammianus Marcellinus Juliani laudatores illud annotâssent? Numquid Libanius et ipse Julianus in suis scriptis tam leviter de illo eventu locuti fuissent? Numquid tot obscuritatibus sese involvissent, cùm illum eventum, quem penitùs omittere non poterant, retulerunt? Nonne hoc factum merè naturale ac consuetum dixissent, ut Christianis triumphos eriperent? Atqui tamen nihil tale dictum est. Ergo, etc.

« *Solvuntur objectiones.* — Obj. 1°: S. Cyrillus, qui tunc erat Hierosolymitanus episcopus, hunc eventum in suis scriptis silet. Ergo, etc. 2° Cruces illæ splendidæ, sive in cœlis, sive supra vestes sparsæ, sive in ipsâ carne impressæ, de quibus loquuntur multi auctores, omittuntur ab aliis et videntur incredibiles. 3° Ammianus Marcellinus fuit Christianus; Ergo non multam fidem meretur, in iis quæ Christianis favent. 4° Cùm Brennus et Galli templum Apollinis diripere tentavissent, statim tonitrua, fragores horrendi auditi sunt; terræ tremor factus est, periit ipse Brennus cum suo exercitu; vates id prænuntiaverant; atqui tamen hic eventus non fuit verum miraculum; ergo, pari ratione, factum ab Ammiano relatum nihil habet miraculi.

« Resp. ad primum: S. Cyrillus Hierosolym. Catecheses ad competentes et Catecheses mystagogicas, an. 347, et Epistolam ad Constantium, an. 351, elucubravit; consequenter hæc opera ante prædictum miraculum exaravit. Jam verò S. Cyrillus nulla alia opera scripsit. Nam S. Hieronymus, qui paulò post S. Cyrillum vixit, in catalogo scriptorum ecclesiasticorum, alia ejus scripta non memorat. Id tamen non omisisset, si alia scripsisset. Mirum ergo non est in S. Cyrilli operibus prædicti miraculi nullam fieri mentionem, cùm multis ante hunc eventum annis scripta fuerint. Insuper annotabimus 1° S. Cyrillum potuisse quædam opera post hunc eventum elucubrare, quæ cum prædicto eventu nullam affinitatem habuissent, et in quibus ingens hocce miraculum sileretur. 2° Fieri potuit ut evanuerint opera S. Cyrilli, in quibus hoc factum memorâsset. 3° Hæc opera, si exstiterint, potuerunt tamen à scriptoribus ecclesiasticis subsequentibus non citari, sicuti ab illis citati non sunt, nec S. Chrysost. nec Gregorius Nazianz.; causa est quia istud factum erat omnibus notissimum, non unius duntaxat aut alterius auctoritate, sed omnium Christianorum testimonio confirmatum. 4° Plures historici ecclesiastici quos laudavimus, præsertim Socrates, lib. 3, cap. 20, Ruffinus, lib. 10, cap. 3, de S. Cyrillo mentionem habent, et referunt illum prophetiæ Danielis confidentem, incœptum opus ad finem non esse perducendum prædixisse, atque ut suorum animos erigeret, hæc Christi verba adhibuisse: *Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.*

« Ad secundum: 1° Ex scriptoribus appellatis alii fusiùs, alii breviùs, prædictum factum enarrant, prout variæ circumstantiæ atque eorum scripta postulabant. Mirum ergo non est alios retulisse circumstantias, quas alii tacuerunt. Hoc apud historicos consuetum est. 2° Cruces splendidæ, nedùm nobis offerant phænomenon incredibile, quin potiùs potuerunt esse effectus naturales ex prædicto miraculo derivati. Nam ignes subterranei et cœlestes non raro producunt effectus quibus producendis impar est ignis consuetus, et aliquando procreârunt phænomena simillima stupendis phænomenis quæ antea retulimus. Sic Fabricius, Bibliot. græcâ, volumine 6, multas astronomorum observationes citat, secundùm quas cruces luminosæ et multa meteora diversarum figurarum in cœlis visa sunt. Sic apud Casaubonum in adversariis 1610 vel 1611 legitur in urbe Nevella (in Angliâ) inter horrenda tonitrua omnes in ecclesiâ cathedrali procubuisse, et fulmen de cœlo emissum fuisse sine damno cujusquam, *ac postea repertas esse crucis imagines impressas corporibus eorum qui in æde sacrâ fuerunt.* Factum illud invictis testimoniis firmat prædictus auctor. Simile aliquid evenit post eruptionem Vesuvii in regno Neapolitano, anno 1660, à Kircherio descriptam. Tunc visæ sunt cruces in cœlis ac in ipsis adstantium vestibus. Vide Boylium in-fol. vol. 4. Cruces illæ per diem nigræ videntur; hinc alter è citatis histoicis dicit illas nigras fuisse observatas.

Splendidæ verò apparent per noctem; hinc alii dixerunt illas splendidas visas fuisse. Illæ cruces erant halitus aut vapores corpori ac vestibus impressi, derivati ex materiâ quæ ignes subterraneos et cœlestes alebat. Ergo non sunt quid incredibile.

« Præterea, etsi illa phænomena non essent effectus naturales ex priore eventu consequentes; etsi novum nobis offerrent miraculum, non minùs credibilia forent, cùm sint possibilia Deo, et cùm testimoniis confirmentur quibus refragari nemo potest.

« Ad tertium : Licet Ammianus Marcellinus interdùm de Christianis benevolè locutus fuerit, prout virum probum et veritatis amatorem decebat, attamen certum est ipsum fuisse falsorum deorum cultorem; neque id inficiabuntur ii qui attentè legerint quæ in fine lib. 14 de Adrasto vel Nemeso, in lib. 16 de Mercurio, in lib. 21 de Numine Themidis, de Aruspicibus, de Auguriis et Theologis paganis scribit. De numinibus gentium loquitur perinde ac si de suis diis diceret, non sic verò de Christianis ritibus. Julianum Apostatam heroem habet, et laudat præcipuè quòd à Religione christianâ ad cultum gentilium desciverit. Loquitur lib. 21, cap. 6, de concertatione Verbi divini Catholicos inter et Arianos, atque illam appellat anilem superstitionem. Atqui id nunquàm dixisset Christianus. Cæterùm, cùm suam historiam viginti post Juliani mortem annis Romæ scripserit, cùm floreret tunc Religio christiana, cùm tot patientiæ, pietatis, probitatis et virtutis exempla jam tum præbuissent Christiani, mirum non est ipsum Religionem Christianam maledico dente non discerpsisse; mirum non est illum fortitudinem martyrum laudâsse et illos perpetui Numinis cultores dixisse. Ethnicus, si modò sincerus ac probus vir, hæc omnia scribere debuit. Insuper, appellavit ipse paganos perpetui Numinis cultores; ergo Christianus non fuit; Christianus enim sic de Paganis locutus non fuisset.

« Ad quartum : Factum istud solo innititur testimonio Justini historici et Pausaniæ, qui ambo è gentilibus fuerunt et secundo Ecclesiæ seculo vixerunt, id est, quinque seculis post eventum hunc, qui trecentis annis ante Christum contigit. Quid non conclamarent adversarii, quot triumphos agerent, si talia proponeremus, si nullos haberemus testes, sed tantùm historicos tot seculis à factis remotos? 2° Justinus quædam habet in suâ narratione, quibus satis innuit sibi de veritate illius prodigii persuasum non fuisse. 3° Teste Justino, l. 24, c. 6, templum et civitas Apollinis non mœnibus, sed præcipitiis manu non factis, munimentisque non arte, sed naturâ ipsâ positis defendebantur. Viæ erant subterraneæ quæ, si accederet tubarum sonus, stupendum sonorem edebant. Sacerdotes Delphici Gallorum adventui moras objecerant. Hùc auxilia vicinorum accesserant et convenerant. Antiqui solebant lapides et ignes in præliis conjicere. Hinc sacerdotes Delphici Gallorum futuram cladem conjecerunt et providerunt; proinde mirum non est sacerdotes stragem hanc suis prænuntiâsse; nec quoque mirum est laudatos historicos ab eventu quinque seculis dissitos, narrationem exornantes, flammarum, ignium, lapidum projectiones, ingentemque sonitum ex armorum conflictu, ex viarum subterranearum resonantiâ et militantium clamoribus ortum, à grandine, tonitru et terræ tremoribus non distinxisse.

« Cæterùm Basnagius, qui miraculum Hierosolymis sub Juliano perpetratum negavit, quasdam alias difficultates movet in suâ Historiâ ecclesiasticâ, sed leves et solutu faciles. Negligenter hoc factum expendit auctor ille, Ammiani Marcellini testimonium silet, et videtur factum negâsse in odium SS. Patrum qui illud referunt. Circa hoc argumentum consulatur præsertim Varburtonii egregia dissertatio, de Juliani consilio ad restituendum templum, duobus voluminibus edita. »

(Bailly, de Religione, tom. 2.)

P.-S.

---

§ 4. SOLUTIO DIFFICULTATUM QUAS INCREDULI ADVERSUS MORALEM EVANGELICAM MOVERE SOLENT.

« Objectio prima : Hæc habet Christus Matth. 10, v. 34 : *Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram : non veni pacem mittere, sed gladium;* quam quidem prædictionem eventu sinistro donârunt sectarum Christianarum perpetuæ dissensiones ac pugnæ, atrociora bella quæ movit hactenùs christiana Religio : at certè divina non est id generis institutio.

« Resp. : Cùm Christus totus fuerit in commendandâ fraternâ charitate, quæ pacem apertè promovet, sanè laudatis verbis non declaravit quid intenderet fieri, neque quod de se parere sua Religio deberet, sed quod occasione, abusu,

sub obtentu illius præstitura erat hominum malitia : huic causæ deputanda sunt præfata dissensiones et bella, non autem ea reprobanti christianæ Religioni.

« Objectio II. Multis capitibus exitiosa est societati, ac rejicienda proinde, Religio Christiana. 1° Suadet Christus ut cœlestia tantùm quærentes, terrena veluti fluxa et caduca contemnamus, ut de cibo et vestimento nihil simus solliciti, ut bona nostra ultrò abdicemus, quin et Christus divites ac divitias non semel proscripsit : ast temporalium studio et opibus floret humana societas. 2° Ad sectandum cœlibatum, veluti statum perfectiorem, homines adhortatur; cui hortamento si omnes obsequantur, societas interit; si plures, debilitatur. 3° Vindictam prohibet, inimicos diligi præcipit, consulit ut malis minimè resistamus, dexteramque maxillam percutienti præbeamus et sinistram : jam ergo bella gerere adversùs hostes non licet; atque, ob ea placita, seu hostes seu mali summo reipublicæ detrimento audaciores evadent. 4° Gloriæ contemptum jubet, humilitatem et animi demissionem; id est, magnanimitatem è medio tollit, insuper verò intentatis pœnis æternis vehementissimum plerisque mortis timorem injicit.

« Resp. : Legum divinarum et humanarum observatione, mutuâ hominum benevolentiâ et æquitate, reciprocis principum et subditorum, parentum ac filiorum, virorum et uxorum, etc., officiis stat humana societas. Hæc autem omnia nitidè, enucleatè, perfectissimè suis institutis christiana Religio complectitur; evidenter ergo societati utilissima est, atque hinc jam apparet exitiosam societati hanc dici non posse, nisi ab eo qui præcepta illius atque consilia perperam intellexerit.

« Ad primum : Jubemur quidem, et sapientissimè profectò, bona terrena præ cœlestibus diuturnioribus et excellentioribus parvi pendere; ast nullibi Christus curam illorum moderatam interdixit. Nec ipsas etiam, quasi malas in se, proscripsit divitias, sed nimiùm duntaxat earum acquirendarum possessarumve studium, ex quo reapsè mala in societatem innumera redundant. Væ quoque divitibus dixit, at injustis tantùm, inhumanis, suam in iis reponentibus felicitatem iis abutentibus : diviti familiæ Lazari amicitiam suam et existimationem impertitus est. Similiter comparandorum cibi, vestimenti, etc., sollicitudinem vetat immodicam et Providentiæ divinæ veluti dissidentem, non verò sapientem et moderatam, quæ ipsa medium est à Deo summè provido iis consequendis attemperatum : unde et Christus è suis eâ de re præceptis colligit duntaxat, Matt. 6, v. 33, quærendum esse *primùm* regnum Dei; ipseque annonam sibi et discipulis parari curabat. Jam verò probari nequit, idque sat nobis est, bono societatis exigi temporalium curam et sollicitudinem eâ majorem, quam modò diximus à Christo permitti.

« Quod spectat spontaneam bonorum abdicationem, consilii hæc est, non præcepti : haud etiam Christus intendit ab omnibus passim hanc fieri, sed ab iis duntaxat quibus compertum esset sese ad statum paupertatis voluntariæ, puta religiosum, à Deo vocari; prævidit que memoratam bonorum abdicationem fore rarissimam : aliquos autem abdicare bona ut rerum divinarum contemplationi vacent altiùs precibusque ac virtutum exemplis, etc., societatem juvent, prodest reipublicæ, uti cæteros inter demonstravit auctor libri cui titulus : *l'Ami des hommes*.

« Ad secundum : Quod modò de spontaneâ paupertate diximus, cœlibatui evangelico congruit : christianâ Religione nequaquàm præcipitur, sed merè consulitur, paucis quidem illis quibus inest specialis hæc Dei vocatio : ab iis autem servari continentiam, societati minimè nocet, cujus membrorum numerus non quantus maximus esse debet, sed certis quibusdam circumscribi limitibus. Evicit auctor supra laudatus factam à paucis continentiæ religiosæ professionem verè societati prodesse : consultiùs autem ab eâ insectandâ deistæ abstinerent; quorum plurimi vitam agunt cœlibem, non eo fine ut rerum cœlestium contemplationi, precibus, virtutum exercitio vacent liberiùs, sed ut omni voluptatum generi commodiùs indulgeant.

« Ad tertium : Vindictam privatam christiana religio vetat jubetque inimicos diligi; ast simul præcipit sua unicuique jura servari et læsa reparari, atque reparandorum curam auctoritati publicæ committit. Igitur bono societatis utrinque consulit, incommodis occurrens ultionis privatæ, homines universos charitatis vinculo devinciens, hostesque et improbos per auctoritatem publicam seu bello justo seu vindictâ reprimens. Cum bono quoque societatis connectitur nobile Christi consilium de aggressoribus benignitate generosâ excipiendis; eâ nimirùm jurgia plerùmque dissipantur, cædes avertuntur, ferociores leniuntur : aliunde facilè intelligitur consilium istud, etsi generale

videatur, accommodatè ad varias personarum, etc., circumstantias esse accipiendum.

« Ad quartum : Nequaquàm hæc est christianæ humilitatis indoles, ut animum demittat pusillumve et ignavum faciat. Profanam quidem gloriam parvi pendit eâ præditus virtute Christianus : ast nobiliora validioraque suppetunt ipsi fortitudinis incitamenta, quibus non minùs efficaciter absente quàm præsente duce moveatur. Etenim suâ Religione docetur militem pro rege et patriâ decertantem invictissimo exercituum Domino militare ; à quo, adimpleti viriliter neglective officii arbitro perspicacissimo et æquissimo, gloriam æternam aut pœnas sit reportaturus : sua eum Religio docet mortem justo non tam reformidandam esse quàm exoptandam. Quòd si hanc exhibet improbo non resipiscenti terribilem, ob pœnas nimirùm alterius vitæ, tradit simul ea Religio posse peccatorem quovis instanti resipiscere, certis quibusdam mediis veniam peccatorum infallibiliter obtineri, atque hæc profusâ jubente Deo vitâ expiari : nequaquàm ergo frangit animos intentatâ scelestis æternâ damnatione, cujus metus aliàs ex sese homines validissimè à criminibus arcet, sicque societati perquàm utilis est. Quid ad magnanimitatem conferat christiana Religio, legionis Thebææ aliorumque tot christianorum heroum gesta præclara et omnibus explorata testificantur.

« Allatas responsiones observatione sequenti concludere liceat, scilicet bonorum existimationem nequaquàm sibi ab eo conciliari, qui hostem sese præbeat christianæ moralis, à sapiente quovis (si nondùm exstaret illa) evidentissimè vehementer desiderandæ.

« Objectio III. Injusta et crudelis est doctrina religionis christianæ quæ exulantes ab ipsâ universos, illius etsi penitùs ignaros, sempiternis addicit suppliciis; quæ defunctos absque baptismo parvulos eidem damnationi devovet. Ea ergo non est à Deo summè justo et optimo.

« Resp. : Christianam religionem ignari vel minùs sinceri, ut è sequentibus apparebit, hìc deistæ calumniantur.

« Ad primum : Christiana lex nequaquàm crimini vertit absentiam fidei in iis qui de Christo nihil audierunt, qui Christum invincibiliter ignorant ; minimè docet à Deo puniri inculpatam hanc infidelitatem, quæ *negativa* dicitur; tradit Deum, Patrem optimum, sincerè omnium hominum velle salutem, neminemque, nisi gravi suâ culpâ, æternis fieri suppliciis obnoxium. Ea est in præsenti argumento Christianorum doctrina, quæ profectò nihil injusti aut crudelis habet.

« Hinc autem circa infideles sic ulteriùs ratiocinari licet : Si nuntiatam sibi probatamque sufficienter christianam Religionem infidelis respuerit ; *positivæ* et graviter culpandæ infidelitatis illius aliorumque criminum pœnas Deo persolvet æquissimas. Si autem hactenùs de Christo nihil audierit, vel notam sibi legem naturalem observabit, vel non. Si posterius, graviter peccat, indeque, non propter inculpatam fidei carentiam, justissimè damnabitur. Si prius, promovente Deo perveniet ad eam Religionis christianæ notitiam, quam Deus decreverit ad salutem esse simpliciter et absolutè necessariam ; quippe, cùm Deus optimus salutem illius velit sincerè, media saluti necessaria subministrabit. Itaque sive Deus ad salutem omnium omninò postulet fidem explicitam præcipuorum Religionis christianæ mysteriorum, puta Trinitatis et Incarnationis, seu fidem tantùm implicitam exigat, fidem nempe aliquam Dei ut auctoris et remuneratoris supernaturalis (nihil enim hâc in re certò statuitur); sive primum, inquam, sive secundum Deus decreverit, perinde est : in priori casu, præconis alicujus aut etiam revelationis ope fidem necessariam largietur Deus, quam in secundo *gratiâ* solâ *intellectûs* seu illustratione internâ impertietur. De iis fusiùs in tractatu *de Gratiâ;* interim autem sufficit nobis innumera omnipotenti Deo suppetere fidei illius excitandæ media, quæ nos latere mirum non esset, neque nobis adversum. Perperàm, ut patet, hìc adversarii reponerent infideles nullos viâ hujusmodi extraordinariâ edoctos deprehendi : id enim Cornelio contigisse legimus Act. 10, testaturque historia ecclesiastica præconem non unum fuisse ad infideles stupendâ ratione directum ; aliunde non omnes infideles ab adversariis enumerati sunt, nec multi apud eos legem naturalem ad amussim observant.

« Denique licet rationem divinæ erga infideles Providentiæ penitùs ignoraremus, non minùs efficaciter dilueretur intentata adversùs æquitatem Religionis nostræ calumnia : ad hoc enim satis est infideles, in principiis doctrinæ christianæ, æternis non addici suppliciis ob inculpatam infidelitatem, sed ob gravem duntaxat suam culpam ; ita porrò se res habet, ut supra diximus.

« Ad secundum : Fert quidem christiana doctrina defunctos absque baptismo parvulos, ob

peccatum originale, à regno cœlorum excludi; quod profectò injustum non est, cùm regnum illud seu visio intuitiva donum sit indebitum ac supernaturale. Verùm circa sortem eorum infantium nihil ulteriùs fides edocet, unde et in varias eâ de re theologi abière sententias. In theologos ergo, non ipsam in fidem, caderet injustitiæ et crudelitatis nota, si injustum aliquid aut inhumanum hìc statueretur; sed et ab eâ Catholicorum scholæ sunt immunes. Etenim doctores plerique contendunt, post D. Thomam, pueros præfatos esse pœnæ sensûs vel supplicii cujusvis expertes; alii opinantur eos quidem pœnâ sensûs affici, sed levissimâ, ita ut melius ipsis esse queat sic existere quàm nullatenùs esse, ut habet Augustinus lib. 4 contra Julianum cap. 11; alii tandem post Catharinum infantibus illis vel beatitudinem naturalem seu visionem Dei abstractivam assignant.

« Objectio IV. Religio christiana eos omnes æternæ damnationi addicit, qui hanc, propositam suisque vestitam probationibus, rejiciunt: porrò attentâ conditione hominum, errori tam obnoxiorum, iisdem rationibus non æquè affectorum, ab humanitate id prorsùs alienum est.

« Resp.: Ita obviæ ac decretoriæ sunt, ut jam ex dictis hactenùs apparet, Religionis christianæ probationes, ut ipsius divinitatem solus ille negaverit, qui eas noluerit attendere, aut veritatem sincerè non inquisierit, vel etiam contra veritatem sponte suâ sese prodentem, sed cupiditatibus infensam, animum præmunire studuerit; virum autem hujusmodi excusare nemo potest à gravissimo delicto adversùs Deum præfatæ Religionis auctorem, neque gravissimis hunc obnoxium pœnis inficiari. Ita, et easdem ob causas, ipsi deistæ materialistas gravissimè sontes reputant, licet errori homines valdè sint obnoxii, nec iisdem æquè rationibus afficiantur: hæc duo nempe voluntarium errorem minimè cohonestant, neque animum rationibus apertis spontè resistentem à culpâ liberant. Perperàm ergo deistæ christianam Religionem alienam ab humanitate prædicant.

« Objectio V. Si præclara de Deo plurima tradidit Christus, eximiamque moralem, dogmata etiam absona et cum rectâ ratione pugnantia docuit, puta mysteria Trinitatis, Incarnationis, etc.; talia porrò divina Religio non admittit.

« Resp. Multa quidem Religionis christianæ dogmata supra sphæram humanæ rationis posita sunt; ast non ideò pugnant cum ratione, nec etiam ei contraria probantur: varia quibus impetuntur argumenta theologi variis in tractatibus validè resolvunt. Aliunde, vel sepositis aliis omnibus, judicare pronum esset absurda dogmata ab eo tradita non esse, qui tam sublimia de Deo, ethicam adeò perfectam homines edocuit, et eo modo qui virtutem intimis animis instillet.

« Objectio VI. Eximia doctrinæ Christi seu speculativæ seu practicæ capita ex Ægyptiorum, Græcorum, Indorum, etc., theologiâ et ritibus excerpta videntur. Igitur in gratiam Christi nihil omninò comprobant. — Resp.: Adeò absurda, inepta, à christianâ discrepans est paganorum theologia, ut mirum sit objectionem hanc à deistarum quopiam seriò proponi. Quantùm etiam ab evangelicâ distat gentilitatis ethica! Numquid insuper Christus, suam instituturus Religionem, varias orbis regiones perlustravit? Fateantur deistæ oportet invictum esse robur præsentis argumenti, quod ineptiis tantùm impugnare queant.

« Objectio VII. Perfectissima Christi moralis mera Decalogi Mosaici expositio, quæ profectò sagacissimi cujuspiam vires non superat, neque Deum auctorem exigit. Deinde verò, etsi Christus Decalogi totiusque Judæorum ethicæ placita perfecisset, faciliorem navâsset operam quàm divus, haud Deus tamen Socrates, qui præclara complura tali non instructus exemplari adinvenit: in omnibus quibuscumque inventio perfectione difficilior est.

« Resp.: Prima Evangeliorum velque capitis Matt. 5 lectio unicuique demonstrabit Decalogum non merè à Christo expositum esse, sed exquisitissimis documentis ampliatum; quæ quidem corpus ethicæ constituant Mosaico, Deum quoque auctorem habente, multò perfectius. Sublimia hæc documenta, ad quæ ne propè quidem pertigit ipsa philosophorum collectio, Christus eâ sublimi quoque simplicitate proponit, eâ victrici suavitate, quas hominum nullus potuerit imitari, quæ virtutis amorem intimis animi recessibus instillent. Eadem hæc documina Christus excellentissimarum omnium virtutum exemplis, cætera quævis hominum vel maximè justorum longè transcendentibus, confirmavit. Numquid hominis ea sunt? Num carnalibus è Judæis unius? Num scelestissimi blasphemique impostoris? At si Christus, æqualem Deo sese faciens, talis non fuit impostor, verè Deus est.

« Atque hinc liquidò apparet nullum esse petitum è Socrate argumentum, eumque aliumve philosophorum non posse Christo nisi valdè ineptè assimilari. Quantùm distat ab iis quæ modò dicebamus, admixta variis erroribus inventio moralium quorumdam placitorum, facta græcis ab philosophis, quibus plerisque haud ignoti fuêre libri Judaici, frigidis quorum documentis nonnulla civium suorum exempla præiverant, qui et ipsi vitiorum aliquorum aut certè vanitatis notam incurrerunt; inventio hæc hominem tota redolet, apertissimèque magistris hujusmodi nihil accommodari potest eorum, quibus divinitatem Christi in præsenti argumento demonstravimus. » (Jacques de Religione.) P.-S.

---

§ 5. DE REVELATIONE EVANGELICA.

Haud pigebit iterùm audire de revelatione evangelicâ eruditum auctorem, scilicet Valsecchi, quem jam multa de Mosaicâ doctè disserentem laudavimus.

SECTIO PRIMA. — *Præstantia Novi Testamenti.*

Cùm non aliud ego fecerim, quàm demonstrare in libris novi Testamenti perfectam doctrinæ uniformitatem, sive theoricam, sive moralem cum eâ quam hucusque in veteri fœdere vidimus, haud immeritò sanè dici potest nobis compertum esse in hisce libris characterem quo longè superatur quidquid excogitare valuerunt tum philosophi, tum clarissimi sapientissimique legislatores, et quo consequenter peculiari Dei instinctu scripti probantur. Imperfecta verò maneret argumentatio nostra, nisi eam egregiè confirmaremus incomparabilem stabiliendo præstantiam quâ doctrina Christi Moysis doctrinam supereminet.

Utque primùm dicamus de theoricâ parte quæ ad divinitatem spectat, attributa quæ recta ratio in Ente supremo debet recognoscere, et quæ veridicè in veteri Testamento indicantur, hìc ut illìc videre est, imò majori lumine ac splendore illustrata, cùm inde ablatum fuerit velamen quo, ut materiali terrenoque populo adaptarentur, fuerant sæpiùs involuta. Hoc clarè patet ex istis S. Joannis apostoli (Evang. cap, 4, v. 24) : *Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.* Non jam templum Jerusalem thronus est ejus gloriæ et scabellum pedum ejus. *Deus,* ait Paulus ad Areop. (Act. 17) *qui fecit mundum et omnia quæ in eo sunt, hic cœli et terræ cùm sit Dominus, non in manufactis templis habitat; nec manibus humanis colitur indigens aliquo, cùm ipse det omnibus vitam et inspirationem et omnia; fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terræ, definiens statuta tempora et terminos habitationis eorum : quærere Deum si fortè attrectent eum, aut inveniant; quamvis non longè sit ab unoquoque nostrûm. In ipso enim vivimus et movemur, et sumus.* En (1) paucis verbis natura hujus Numinis à mundo

(1) Hoc loco S. Pauli abusi sunt nonnulli, falsò adstruentes indè confirmari Spinosæ pantheismum. Tolandus atheorum immoderatissimus istius modi næniis Scripturam et Moysen fœdare conatur in libro cui titulus : *Origines judaicæ* : « Æquivocæ sunt, inquit, istæ loquendi formulæ : *Ens summè perfectum; Alpha et Omega*; *quod principio caret et fine; quod fuit, quod est, quod erit; omne in omnibus; illud in quo vivimus, movemur et sumus* : quæ Atheismo æquè ac theismo apprimè congruunt : cùm de præsuppositâ universi æternitate sint verissimæ omnes. » Nolo nunc probare, singulas has formulas in quâvis hypothesi posse alii convenire, quàm vero Deo : satis est animadvertere, pessimâ fide Tolandum eas *æquivocas* dicere, cùm ignorare non possit, in Scripturis, è quibus eas desumpsit, illas cum adjunctis iis esse conjunctas, ut à quovis alio subjecto eas abstrahentes soli Deo quem colimus, ostendant, illas convenire. Ille, *in quo,* inquit D. Paulus (quoniam in hoc versamur loco), *vivimus, movemur et sumus,* est ille ipse, *qui fecit mundum, et omnia quæ in eo sunt, et est Dominus cœli et terræ.* Jam qui unquàm potest hoc convenire Spinosæ, et Tolandi pantheismo, qui Deum cum hâc mundi machinâ confundunt, vel, ut veriùs loquar, non aliud quàm hanc mundi machinam agnoscunt, cui stultè impièque Dei nomen attribuunt? In D. Pauli loco Deus est ens omninò à mundo diversum; quomodò ergo locum habere potest æquivoca vox, multòque pejus similitudo? Hoc ipso D. Pauli loco, et cum iis quæ sequuntur, opinatur traductor Latinus Popii posse defendere quasdam auctoris sui sententias tanquàm pantheisticas reprehensas; sed vocet in auxilium quot *annexa, connexaque* libuerit, nunquàm versus hos tuebitur, quos ita vertit : Epist. 1, v. 170, Commentario de Homine :

Quidquid ubique rei est, non est nisi portio mundi.
Natura est corpus; directrix corporis hujus
Mens, ratioque Dei est. Deus unus semper et idem
Cum rebus variis variè mutatur in horas.
. . . .
In zephyris recreat spirans, in solibus ardet,
Emicat in stellis, in plantis floret, et herbis.
In vitâ vivit quâvis, extenditur unà
Rebus in extensis; se expandit, nec tamen ullas
Scinditur in partes. Impertit munera largè,
Et nihil amittit. Nostræ in spiramine spirat
Mentis, et influxu suavi vegetatque, animatque
Mortalem nostri partem, etc.

Quis non videt his in versibus dicendi Spinosæ modos? Commentator id negare non audet; quare dicit : *Loquitur poeta cum Spinosâ, sed valdè diversum ab eo sentit. Imò verò et loquitur, et sentit cum Scripturâ sacrâ.* Quid senserit Po-

omninò diversi, mundi totius Creatoris, rerum omnium Domini, immensi, omnipotentis, rerum quarumlibet moderatoris summi. At ejus Providentia etiam de rebus minimis quibus vividioribus magisque nativis coloribus pingi poterat, quàm ut Matthæi cap. 6 pingitur? *Ne solliciti sitis animæ vestræ dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, neque corpori vestro, quo operiemur? Nonne anima plus est, quàm esca, et corpus plus quàm vestimentum? Respicite volatilia cœli; non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, et tamen Pater vester cœlestis pascit illa. Nonne vos pluris estis illis? Quis ex vobis est, qui possit adjicere ad staturam suam cubitum unum? Et de vestimento quid solliciti estis? Considerate lilia agri, non laborant, neque nent. Ego autem dico vobis, quod nec Salomon in omni gloriâ suâ coopertus est sicut unum ex istis. Si Deus ita vestit lilium agri, quod hodiè est, et cras in clibanum mittitur, quantò magis vos, modicæ fidei?* Hæc Dei Providentia tamen in novo Testamento peculiari modo explicat quod ad meliorem hominis partem pertinet in alterâ vitâ; de quâ non ita clarè, ut observavimus, in veteri Testamento dicitur. Anima immortalis, præmiorum largitio, pœnarum mulcta, hæ illa respondentia gestis facinoribus, et Deus in judiciis suis justificabitur; hæc veritas, inquam, in paginâ penè quâlibet Evangelii reperitur. Ex hoc agendi modo tam planè explicato, rationique apprimè consono, intelligimus, non dicam ignota in Deo attributa, sed ignotam novamque eorumdem manifestationem, per quæ ille consilium illud summum exequitur. Cernimus in Deo misericordiam illo uno dignam, qui eò progreditur, ut amore majore quàm paterno hominem infelicem reumque recipiat; quique ex gratuitâ electione non pingues greges, non opimos agros lacte et melle manantes, sed incorruptibilia et æterna bona ei largiatur : hìc potentiam non elementorum victricem, sed quæ invictè flectit humanam voluntatem, et momento temporis è contumaci indomitoque audiens dicto, piumque cor efficit. Hìc sapientiam, quæ in consiliis suis falli nequit, utpote quæ omnium eventuum est causa; at incomprehensibilem in suis judiciis, quippe quæ à nullâ externâ relatione pendet. Hìc demùm cernimus in Deo justitiam, quæ eò magis se verendam præbet homini, quò acerbiores antiquis sunt pœnæ illæ quas minitatur; sanctitatem tantò magis splendidiorem, quantò magis impolluta debet esse illa perfectio, quam à fidelibus exigit; hìc majes-

pius, non quæro. At quoad sermonem, quem commentator vult congruere sermoni Scripturæ, eum provoco, ut in sacris Litteris hos loquendi modos reperiat : *Deus est portio mundi, cum rebus variis variè mutatur in horas, extenditur unà rebus in extensis*, etc. Respondet : Scriptura asserit, *in Deo nos vivere, moveri et esse*. Actor. 17. Ibidem Arati poetæ vocem, τοῦ καὶ γένος ἐσμέν, non omninò improbat; Deum passim in nubibus, in tonitru, in ventis, in igne, in pluviâ esse, et operari affirmat. At, quæro, quæ similitudo inter phrases has et illas Popii? Dicit D. Paulus, in Deo *vivimus, movemur et sumus;* at non ait, Deus *vivit in vitâ quâvis; neque influxu suavi vegetatque, animatque mortalem nostrî partem*, multòque minùs, *recreat spirans in zephyris, ardet in solibus*. Nulla conventio est inter verba Popii et Arati, quæ D. Paulus non improbat; quæ nil aliud significant, nisi homines originem à Deo ducere, et esse illi animâ similes. Ut etiam alii Scripturæ loquendi modi solam Dei præsentiam et efficientiam in rebus omnibus, non coextensionem, animationem, vivificationem earumdem notant. Nihil ergo Popium excusant; et idem injuriâ commentator ait : *Loquitur, et sentit cum Scripturâ S.* Hìc tamen mihi temperare non possum, ut non dicam, etiam catholicum auctorem his annis cùm tetigisset hoc argumentum locutum fuisse ita ut faveret pantheismo. Hic est auctor operis inscripti : *De Principiis moralis philosophiæ collatis cum principiis catholicæ Religionis*. In t. 2, Dial. 12, n. 19, ait, *divinam essentiam mundi et omnium rerum creatarum quæ illum constituunt, esse veram formam, veram animam, per quam* formaliter *subsistit et vivit*. Quod ut confirmet erratum, affert loca Virgilii, Manilii, Senecæ, philosophorum, poetarum, quæ Spinosistæ ipsi afferunt. Sciant tamen Religionis catholicæ hostes, vix emisso in lucem hoc libro, in quo hic aliique sunt errores, nos non tacuisse. Docti, piique viri excanduerunt. Summus pontifex per congregationem Indicis contagium impedivit, coegit auctorem, ut palinodiam caneret hujus aliorumque errorum, in quos ex humanâ infirmitate fuerat prolapsus, quod ille fecit, foliumque typis edidit, quo eos errores retractat, et quoad locum à nobis allatum, protestatur auctor n. 8, *se refutare, rejicere quemvis dicendi modum, qui videri posset systemati Stoicorum à catholicâ Religione damnato favere*. Ita rejicit refutatque quidquid numeris 29 et 30 in supradicto Dialogo scripserat, ubi omnia sanè sunt ejusdem farinæ. Hic inter Catholicos mos est : si idem mos esset in Protestantibus (qui è systemate suo id efficere nequeunt), inviti non viderent atheismum et deismum impunè in suis regionibus debacchari. Qui autem avet legere radicitùs errorem hunc evulsum, et discere quo modo secundùm sanam doctrinam Scripturarum et Metaphysicæ loquendum sit de præsentiâ et operatione Dei in omnibus rebus, legat D. Thomam Aquinatem, qui in tribus egregiis capitibus, hoc est 26 et 27 libri 1, et in 63 lib. 3 contra Gentes acutissimam quæstionem hanc agitat; modos dicendi supradicti auctoris formaliter rejicit, et pantheismum veterem recentemque aggreditur evertitque.

tatem, amplitudinem, gloriamque hoc magis augustam divinamque, quò admirabiliores sunt thesauri illi quos in se contentos nobis patefacit.

At intelligit lector, nos jam in mysteriorum adyta progressos. Hæc enimverò est nota vera Evangelii, non solùm ut superet mentis acumen, sed omnia veteris Testamenti volumina, in quibus sublimissimæ hæ veritates adumbratæ tantùm erant, longè multùmque antecedat. Scio hìc horrendum libertinos infremere, sed immeritò. Ratio ipsa eos cogit, ut saltem attentè audiant. Si enim Deus est, non modò possunt, verùm debent etiam arcana mysteria quovis intellectu superiora in illo inesse. Si qua ergo revelare hominibus volebat (quod, ut probavimus, non repugnat), poterat hæc arcana iis manifestare. Ea illum revelâsse, hoc est factum quod nunc sumus demonstraturi. Cùm sint igitur mysteria pars illius doctrinæ quam nos revelatam fuisse asseruimus, exponi debent; susceptâ enim demonstratione expositâ, eorum credibilitas omninò statuetur; imò illa ipsa hoc se digna hujusmodi obsequio ostendent, cùm nihil in se contineant, quod rectæ rationi dici possit adversari, imò omnia infinitâ divinâ excellentiâ sint dignissima.

In principio (Joan. 1) *erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* En augustum mysterium quod nec Roma, nec Athenæ sapientiæ laudibus florentes nunquàm audierant. Deus fœcundus est; Deus, qui fœcunditatem dat rebus creatis, in se etiam decus hoc continet, non ut naturam suam immortalem propaget, sed ex plenitudine naturæ suæ perfectæ Deus est fœcundus, et sine mutatione, vel divisione, vel tempore, quin alienâ permixtione indigeat, in seipso alium seipsum generat. Ecce Patrem, ecce Filium (1). Extollite vos supra sensus, removentesque ab ideâ Patris quidquid imperfectum est, solam communicandi naturam suam facultatem in eo agnoscite, eamque Deo dignam videbitis. A Filii etiam ideâ quidquid imperfectum est removete, et hoc unum in eo agnoscite, ut trahat originem, ut habeat naturam Patris, et hoc dignum Deo admiramini. Filius hìc dicitur *Verbum*; Pater enim qui substantialiter, perfectè, æternùm cogitat, neque cogitat, neque verò cogitare potest quidquam aliud, quàm se ipsum, exprimit, generatque imaginem substantialem, perfectam et æternam suî ipsius. Hic est illius partus, hæc æterna illius generatio, perfectaque. Isthæc autem imago ab intellectu Patris procedens dicitur Verbum. Hoc Verbum *est splendor* (ad Hebr. 1) *et figura substantiæ ejus.* Omnia igitur, quæ sunt in Patre, sunt etiam in Verbo; quia autem in Deo nihil est *accidens,* omnia hæc quæ in Filio sunt, sunt de substantiâ Patris; ideòque Verbum est Deus, ut Pater Deus est, et habet *in semetipso vitam* substantialem et divinam, *sicut Pater habet vitam in semetipso.* At quoniam substantia hæc, vita hæc divina, quæ est in Patre quia est spiritalis, immortalis, perfectissima, expers divisionis est partiumque, fit ut vita et substantia quam Filius hic habet à Patre, sit vita ipsa Patris, Patris ipsa substantia; atque ideò *Filius fuit semper in sinu Patris, Verbum fuit in principio apud Deum, et Verbum erat Deus, et unus solus Deus cum suo Patre;* solus, inquam, in naturâ ob indivisibilitatem essentiæ; at distinctus in personâ, quia procedens et trahens hanc naturam à mente fœcundâ Patris. Quæ augustior Deoque dignior notio? Quid est in hoc mysterio quod repugnet enti in quovis genere infinito? At pergamus porrò. Filius hic, qui est Patris substantialis imago, quia omnes ejus perfectiones in seipso exprimit, est etiam, in quo Pater necessariò æternùm incomprehensibilique ratione sibi complacet. Eum diligit; quî autem eum diligere non potest? At Filius hic dilectus mutuò Patrem diligit: quoniam autem mutuus hic amor dignus Deo est, est substantialis, ut est cogitatio; tertia prodit persona, quæ est Spiritus sanctus à Patre Filioque procedens, habensque ab utroque, ut ab uno fonte vitam, substantiam et perfectiones omnes infinitas, et proinde Deus *immortalis, invisibilis,* non secùs ac Pater et Filius, *unus, sapiens, Deus, cui est honor et gloria in secula seculorum.*

Mysterium itaque hoc est maximè sublime, et quod in nobis naturæ eò altiorem divinæ naturæ notionem excitat, quò quâvis naturali creatæ mentis inquisitione majus magisque inaccessum cognoscitur. Omnes veterum philosophorum insignes sententiæ, in quibus putârunt quidam se hujusce arcani mysterii vestigia quædam reperire, sunt, ut dicam quod sentio, commenta et somnia (de iis præcipuè si loquamur, qui Evangelium præcesserunt)

(1) Vide Bossuetii *Elévations à Dieu* (seconde Semaine): nemo meâ sententiâ inter recentes scripsit eo de hoc ineffabili mysterio majori excellentia cogitationum et proprietate verborum.

Hinc eruditissimus Huetius post testimoniorum in hâc re prolixam collectionem, in quibus numerus hic ternarius ad divinitatem translatus legitur sæpè; Huetius, inquam, cujus scimus quantum esset studium ad internoscendas inter ethnicas umbras fidei veritates, fatetur, horum neminem omnium ne cogitâsse quidem de divinarum personarum *consubstantialitate;* in quâ nimirùm ineffabilis mysterii nucleus consistit. Quamobrem ii qui revelationis desertâ face voluerunt se accingere Platonicis notionibus de hoc mysterio ad verba facienda, in errores turpissimos sunt prolapsi; confirmatumque est illud Dante Parad. cant. 19:

Nullum lumen adest, veniat nisi lumine ab illo
Quod nullæ obducunt nubes; est imò tenebræ,
Aut carnis corruptæ umbra, illiusve venenum.

Cùm non possit ergo ab humanâ ratione hoc mysterium detegi, et quoniam revelatio illud nos docuit, cùm non possit comprehendi *modus,* non esset nisi summa insania, si rejiceretur, quandoquidem, ut optimè addit idem poeta.

Ecquis es, ut credas res te discernere longè
Tam positas, visus tibi sit cùm haud longior ulnâ?

Quantùm autem hæc differant, mysterium hoc est superius rationis lumine, et rationis lumini est contrarium, et cur hæc secunda oppositio in nostris mysteriis esse non possit, contra Baylium supra ostendimus. Hanc oppositionem esse in hoc augusto Trinitatis mysterio, aiunt libertini, sed nunquàm eam demonstrârunt. Infirmitasque eorum argumentorum liquidò apparet ex eo quòd entis in quovis genere infiniti essentiam et amplitudinem ideis modulisque suis, desumunt ab entibus creatis, circumscriptis definitisque, metiri volunt (1).

Progrediamur ad alias veritates altissimas, quas de Divinitate nobis Evangelium patefacit, considerandas. *Verbum* (Joan. 1) *quod erat in principio apud Deum, caro factum est, et habitavit in nobis plenum gratiæ et veritatis.* In antiquo fœdere identidem ante copiarum aciem, aut in montium verticibus sub humanâ assumptâ formâ angelus Dei vicibus fungens cernebatur; imò antiqui doctores senserunt, Verbum ipsum Dei iis humanis indutum spoliis Moysi in Sinâ aliisque fidelibus servis suis apparuisse. Erat illud præsagium alterius apparitionis quam statuto tempore in terris cum hominibus erat facturum. Et sane cur non poterat Verbum divinum sub humanâ naturâ assumptâ, non ut externis apparitionis brevissimæ causâ exuviis, at ut naturâ perfectâ, subsistente, conjunctâ cum divinâ suâ personâ se conspiciendum hominibus præbere? Conjungitur cum corpore materiali terreoque anima, quæ purus putusque spiritus est, constituiturque ex hâc conjunctione animæ et corporis homo; conjunxit secum humanam naturam Verbum, quod est verus Deus; et ecce Christus. Cuperem summoperè horum naturalistarum audire aliquem, qui ab hoc mysterio credendo tantùm abhorrent, explicantem modum quo spiritus extensione carens cum corpore conjungatur, et cum illo tam arctum habeat commercium? Vidimus alibi, quantùm huic nodo solvendo præstantes doctrinâ viri insudârint, at novimus etiam quàm parùm eorum systemata approbentur et arrideant. Num ideò junctionem horum duorum entium animæ et corporis dari inficiabimur? Unitur ergo cum humanitate Verbum divinum; at quamvis permixtio confusioque duarum naturarum non fiat, secum tamen eam naturam inferiorem hypostaticè conjungit, et tanquàm proprium unitumque divinarum suarum operationum instrumentum assumit, sicut anima rationalis copulatur cum corpore, tanquàm cum instrumento non extraneo, non separato, sed proprio et proximo suarum actionum (1). Si causa requiratur quâ fuerit permotus Deus, ut opus tam ineffabile patraret, respondebunt Scripturæ, amorem incomprehensibilem in hominem causam fuisse; si emolumentum quod homo percepit, dicent hoc fuisse ut hic haberet præceptorem qui ignorantiæ tenebras

(1) Leg. D. Thom. lib. 4 cont. Gent. cap. 14, qui objectiones libertinorum contra hoc augustum mysterium solvit eo meliori modo quo mens creata, quæ de ineffabili hoc mysterio loquitur, potest; quod tamen sufficit ne libertini quid majus expectent.

(1) « In omnibus rebus creatis nihil invenitur huic unioni tam simile sicut unio animæ ad corpus..... Unde propter hanc similitudinem Athanasius dicit in Symbolo quòd *sicut anima rationalis et caro est unus homo, ita Deus et homo unus est Christus.* Sed cùm anima rationalis uniatur corpori et sicut materiæ, et sicut instrumento, non potest esse similitudo quantùm ad primum modum unionis: sic enim ex Deo et homine fieret una natura, cùm materia et forma propriè constituant naturam speciei. Relinquitur ergo ut attendatur similitudo secundùm quòd anima utitur corpore ut instrumento: ad quod etiam dicta antiquorum concordant, qui humanam naturam in Christo organum quoddam posuerunt, sicut et ponitur corpus organum animæ. » S. Thom. 4 cont. Gent. cap. 41.

in quibus cæcutiebat disjiceret, ut habere mediatorem per quem ipse reus et infirmus posset reconciliari sanarique. Horum autem indigere hominem, homo nullus omnium est qui non intelligat ac sentiat. Hæc esse Incarnationis emolumenta Christianus quicumque optimè novit. Et sanè probavimus alibi, etiam priscos philosophos cognovisse hominem esse corruptum, et, ut dicebant, à naturâ, non tanquàm matre, sed veluti materterâ in lucem edi, cùm non sit (quidquid falsè Voltairius cum suis naturalistis scriptitet) *ille qui debet esse*. Viderunt, inquam, id philosophi, at causam tanti morbi ignorârunt, nec proinde quærere medicinam sciverunt. Itaque hoc *ænigma*, ut illud Pascalius vocat, à nullâ religione explicatum, et cæteroquin necessarium quod explicetur, sola christiana Religio dissolvit. Incarnatio Verbi, ut Deum inter et hominem esset mediator, nos docet, nasci nos universos et singulos Dei inimicos, et originalem noxam esse ærumnarum nostrarum fontem pestiferum ; à quibus nostris viribus nosmet vindicare non possumus ; at hoc remedium nos habere tantùm posse ex gratiâ illius qui cujuslibet expers criminis, plenusque divinitatis unus poterat nos cum Deo conciliare et quodvis bonum nobis impartiri : « Est itaque (ita loquitur « Pascalius) æquè necessum hominibus utrum« que hoc dogma scire. Est æquè exitiosum « homini Deum cognoscere, quin infirmitatem « suam nôrit, et nôsse infirmitatem suam, « quin redemptorem, qui afferre remedium « potest, cognoscat. Una harum cognitionum « philosophorum superbiam fovit, qui Deum, « non morbos suos cognoverunt, aut atheo« rum desperationem, qui morbos suos vi« dent, redemptorem non aspiciunt. Cùm « autem æquè necessaria horum duorum ca« pitum homini cognitio erat, tum erat Dei « misericordiæ ea nobis revelare. Id chris« tiana Religio præstat, atque hoc est illud « in quâ ipsa consistit. » (Pensées sur la Religion, 2.)

Cæterùm in hoc mysterio nihil est, quod Deo dignum non sit (1) : imò in hoc quàm in cunctis naturæ operibus, totoque in veteris fœderis systemate divina attributa clariùs emicant. Justitia quæ à mediatore hoc ob totius mundi crimina satisfactionem, quòd ab homine Deo persoluta fuit, pretii infiniti accepit ; sapientia, quæ disponit seriem omnem antecedentium seculorum, conjungitque simul seriem futurorum cum opere ita magno. Homo Deus hic est totius systematis centrum, per quod omnia fiunt, omnia disponuntur, omnia conficiuntur in cœlo et in terrâ. Per illum vocantur Patriarchæ, afflantur Prophetæ, unguntur reges, præscribuntur sacrificia, dantur leges, ostenduntur figuræ, eduntur oracula, et pactione admirabili solemnique eligitur ex cunctis nationibus, propagaturque inter vices tot seculorum domus selecta, ut eum secundùm carnem generet. Quid dicam de aliis divinis perfectionibus in hoc mysterio manifestatis? Nascitur ex intactâ Virgine ; atque hic unus conceptus partusque erat Deo dignus : vitam degit, ejusque vitæ tenor omnium virtutum lucidissimum exemplar est ; loquitur, ejusque doctrina patefacit et sapientiam, et sanctitatem quâvis laude majorem ; operatur, ejusque prodigia in admirationem mortales omnes pertrahunt ; moritur ob suorum adversariorum odium, verusque homo apparet ; post dies tres resurgit vi suæ omnipotentiæ incredulisque verus Dei Filius apparet. Successus hic qui dici potest annulus ultimus hujusce pretiosæ catenæ, antiquorum promissorum omnium confirmatio, argumentum prædictorum mysteriorum veritatis invictum ; successus, inquam, hic, quem millia millium martyrum sanguine suo sunt testata, tot doctores scriptis defenderunt, quem unanimis omniumque seculorum consensus credidit, his potissimùm temporibus examen artis criticæ severissimæ, justissimæque subiit certissimusque inventus est, quod libertini ipsi licet ingratiis suis fatentur, quandoquidem evidentiæ argumentorum nonnisi conviciis ex trivio desumptis nisi venenatis morsibus, quæ omnia viros prudentes, honestosque dedecent, respondere solent.

(1) Scimus ex D. Paulo hoc ineffabile mysterium detectum visum fuisse Hebræis scandalum, gentibus autem stultitiam ; at sapientia, virtusque ejusdem fuit ab omnibus tandem cognita ob argumenta omnium generum, quibus fuit confirmatum. Veritatis hostibus, qui mysterium hoc ut Deo indignum ducebant, catholici doctores responderunt. Breviter, at validè, D. Thomas hoc argumentum pertractavit, collegitque viginti sex capitibus omnes objectiones, quas impietas excogitare potuit 4 cont. Gent., cap. 53 ; responditque, et triumphum retulit cap. 55. Legant ergo hostes recentes hujus mysterii doctorem hunc, et legat præcipue hodiernus auctor libri *Examen de la religion* supradictus, qui [illegible] et sophismata à se et ab aliis impiis collegis tot libris in hoc augustum mysterium objecta inveniet iisdem penè verbis relata jam abhinc seculis quinque, et invictè fracta.

Verùm non erat tellus eo sedes digna, qui *Regis seculorum immortalis invisibilisque* verus Filius est. Sicut autem propriâ virtute à mortuis resurrexit, ita propriâ virtute ad cœlos ascendit : ascenditque iis videntibus, qui de omnibus testimonium perhibuerunt, et veritatem eventuum sanguine suo defenderunt. Eò migravit, locum æternæ beatitatis iis qui in terris ejus fidem castè integrèque servâssent, præparaturus. Quæ, qualisque, et quanta esset quies hæc, Hebræi (vulgò) nonnisi per figuras, at ita tenues, ita remotas, ut à regione stellarum Palæstina distat, sciverunt. Philosophi gentiles (vide Huetii Alnetan, quæst. lib. 2, cap. 24), simulque poetæ de campis Elysiis, de beatorum insulis, de cœlestibus sedibus, ubi inter voluptates conviviaque felicem heroum manes vitam degerent, verba fecerunt. Mahumetani rentur cœlum esse feminarum ergastulum, in quo cum illis perpetuò vivent; et fortassè libertini operibus carnis dediti, et sola terrestria inquirentes non gravatè cùm Mahumetanis vellent vivere. Alloquitur Evangelium homines, qui se animum præditum cognoscendi, amandi, fruendique bono infinito facultate habere sentiunt ; his ergo ait, esse *regnum Dei* (Roman. 14) *non cibum, non potum, sed justitiam, et pacem, et lætitiam in Spiritu sancto.* Iis ait exulare ab eo loco luctum doloremque, motus animi in perfectissimâ futuros pace, quia spiritus creatus cum Spiritu creatore primævo et archetypo cujuscumque veritatis, boni cujuscumque fonte erit conjunctus. Cùm cognoscetur qualis est, infiniti æternique veri pulchritudo cognoscetur. In eo amando immutabile perfectumque bonum amabitur; ex hâc autem cognitione et amore in spiritum voluptas pura æternaque supereffundetur. Opinio est Malebranchii (*Recherch. de la vérité*) in hâc vitâ quidquid homo videt, quidquid cognoscit, eum in Dei essentiâ intimè cum animâ conjunctâ videre et cognoscere. Voltairius (*Lettr. Philos., lettr.* 13) hanc, aliasque hujus ingeniosissimi metaphysici *illusiones sublimes,* vocitavit. At Voltairius, ut felix erat in aliquo idylio componendo, ita certare cum illo de ratiocinio non poterat. Hæ duæ voculæ scitulæ, *illusiones sublimes*, illi ejusque amicis contra quodcumque systema sunt demonstrationis instar. Haud intendimus, docti Galli sententiam tueri ; hoc unum dicimus, nunquàm posse ostendi, fieri non posse, ut Deus, quod nobis Evangelium testatur (1), se proximè videndum præbeat, et *facie ad faciem* spiritui creato, et in hujus conjunctione hic felicitatem suam perfectam possit reperire; imò perpendentes ex unâ parte quidquid philosophi de ultimo hominis fine tam variè opinantes, quas opiniones recensent Varro et D. Augustinus (*de Civitate Dei, lib.* 19, *cap.* 1 et *seq.*), senserunt, ex alterâ speculantes hominis cupiditates, propensiones, voluntatem, inveniemus, cùm sint hæ in infinitum extensæ, neque bona omnia creata cùm satiare illum possint, Deum, qui solus infinitus est, esse etiam solum qui possit eum omninò contentum efficere, ac proinde solam beatitatem, quam nobis Evangelium promittit, esse unam, quam expectare debemus.

Lumen inest illìc per quod sese ille Creator
Objicit aspiciendum homini, qui cùm videt illum,
Gaudet in immensum, simul ardescitque tuendo.
(Dante, Parad. cant. 30.)

Hoc specimen breve est capitum præcipuorum doctrinæ evangelicæ, quibus qui præjudiciis non agitur, nunquàm quidquam jure poterit opponere; imò quò attentiùs doctrinam hanc considerabit, hujusmodi notionum præstantiam, cogitationum concentum, veritatis systema in eâ reperiet, ut longè multùmque humanum captum eam superantem agnoscens illam Deo dignam fateri sit cogendus.

SECTIO II. — *Evangelii spiritus.*

Cum doctrinâ speculativâ ita verâ sublimique, qualis est ea quam in Evangelio doceri modò demonstravimus, nisi pura et præstantissima doctrina morum poterat conjungi. Videbitur initio statim nihil in hoc genere, quod Mosaicâ ethicâ, de quâ jam verba fecimus supra, sit excellentius, posse dici. Rectissima ratio detexit ibi doctrinam nullis conspersam erroribus ; et fundamenta immobilia, qualia sunt existentia æterna Dei infiniti, hominis ab eo creati natura, aliorumque sibi similium fratris, rectissimis notionibus exprimuntur; leges ad Religionem et ad societatem pertinentes, quæ his sustinentur fundamentis, deductæ indictæque eo modo quo nullus unquàm vel philosophus, vel legislator fecit. Quid ergo in Evangelio dici poterit ampliùs ? Respondeo (si sapienter velit comparatio iniri) quantùm Hebræi super ethnicos sese extulerunt, tantùm Hebræos à Christianis quoad ethnicam vinci.

(1) *Videbimus eum sicuti est,* 1 *Joan.* 3. *Videmus nunc per speculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem,* 1 Corinth. 13.

Facessant igitur leges cæremoniales (1), quæ sicut Christi venturi erant figuræ, ita eo in terris nato, evanuerunt; et *judiciales*, quæ cùm institutæ essent, ut singularis ille populus regeretur, nunc inutiles omninò sunt. Naturales, quæ in Decalogo continentur, quòd æternæ immutabilesque sunt, ab Evangelio *solutæ* non sunt, imò perfectæ, *adimpletæque*. Atque in hoc evangelicæ doctrinæ præstantia consistit.

Legislator ergo noster divinus docet (Matth. 22) *primum et maximum præceptum esse amare Deum ex totâ mente, ex toto corde et ex omnibus viribus.* Hoc denotat spiritum peculiarem propriumque legis gratiæ non in tabulis lapideis inter minas et promissa pœnarum præmiorumque temporalium insculptæ, at impressæ in cordibus suavi cum impulsu in Deum, tanquàm Patrem, cum spe, quæ non confundit, æternæ gloriæ, veluti amoris nostri centri, præmiique hujus legis observantiâ digni. Supremum hoc præceptum datum etiam fuit Hebræis ex vi fœderis cum illis initi, de quo alibi locuti sumus, fidelesque ejus cultores meritò ad novam gratiæ legem pertinere sunt dicti. Lex Mosaica interea denuntiata cum temporariis minis supervenit; non ideò tamen spiritus Fœderis ablatus fuit. Hebræus carni deditus ab hoc spiritu discedens supplicia præmiaque terrena spectavit. Potiùs quàm sancto amore qui filios moderatur, accenderetur, instar servi tantùm ad agendum impellebatur. Amor hic itaque, charitas hæc cœlestis movere debet, et ad Deum dirigere non modò aliorum præceptorum observantiam, sed etiam quæcumque alia opera nostra; quare D. Paulus nos monet (ad Coloss. 3): *Quidquid facitis, omnia in nomine Jesu Christi facite, gratias agentes Deo et Patri per ipsum.* Hæc est illa virtus, quæ efficit ut opera nostra vim habeant et meritum, et sine quâ nihil sumus. *Etsi* enim (inquit idem Apostolus 1 ad Corint. 13) *habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia, et omnem scientiam, et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Jam de hâc charitate tam excellenti, omnium virtutum reginâ, quæ Deum sibi objicit amandum, et ad eum tanquàm ad finem ultimum hominem non minùs debito quàm nobili obsequio, ut se totum Deo dedicet, extollit; de hâc, inquam, nihil philosophi docere potuerunt, qui *cùm Deum* (Rom. 1) *cognovissent, non glorificaverunt, neque gratias ut Deo egerunt.* Neque enim magni facienda est recentis auctoris (1) sententia asserentis, Platonem, et Zenonem, et imperatorem Antoninum post eos *statuisse necessariò amandum esse Deum, illi inserviendum, laborandum ut ejus sanctitatem et justitiam imitemur; hanc unam esse veram felicitatem, cum Deo uniri.* Satis est legere horum philosoporum opera, ut quàm sint inania, sensûsque expertia hæc et his similia verba quæ identidem scripserunt, intelligamus, et in quibus furore certè non multùm laudando, putàrunt nonnulli (quod alibi innuimus) christianam theologiam se reperire; et præsertim Dacierus, qui scribere non dubitavit: « Cùm apud Judæos obmutuissent Prophetæ, Deum suscitâsse philosophos, ut inciperent docere gentes, et Evangelii principia Athenis tradita fuisse. » Hæc, ut mitiùs loquamur, somnia mera sunt, de quibus meritò coargutus confutatusque fuit à P. Balto è societate Jesu opere maximoperè erudito (2); et quidquid nos diximus, cùm de ethicâ antiqui fœderis agebamus, et quidquid nunc de Christi morali disciplinâ dicturi sumus, ejus errorem planiorem faciet.

Quia tamen charitati opponitur cupiditas, quæ est immodicus nostrî amor, qui in eas res quæ sensus nostros alliciunt, superbiamque fovent, nos rapit; ex quo fit, ut et charitas extinguatur, et omnia alia præcepta violentur; hic est, ubi Christi Jesu ethica præstantiam suam exerit, modos nobis indigitans, quibus vehemens, funestusque hic affectus nisi radicitùs evellitur, reprimatur saltem, subjugetur, imperioque charitatis subjiciatur.

Itaque nobis generatim indicitur ne amemus (1 Joan.) mundum neque res quæ in eo sunt, diciturque, has res esse *cupiditatem carnis, cupiditatem oculorum* et *superbiam vitæ*, hoc est, voluptates, divitias, fastum, quibus cor suum

(1) « Cæremonialia (præcepta) adeò sunt evacuata, ut non solùm sint mortua, sed etiam mortifera observantibus post Christum... Præcepta autem judicialia non sunt instituta ad figurandum, sed ad disponendum statum illius populi, qui ordinabatur ad Christum; et ideò mutato statu illius populi, Christo jam veniente, obligationem amiserunt. » S. Thom. 1-2, q. 104, art. 3.

(1) M. Dacier. Discours sur Platon, et Préface sur les Reflexions morales de l'empereur Marc-Anton.

(2) Paralèle de la philosophie chrétienne avec celle des païens. Liv. 2, chap. 5.

Christianus apponere non debet, sed magnanimè despicatui habere. Hoc opportunè consequitur per carnis macerationem, per bonorum suorum pauperibus distributionem, per tolerantiam incommodorum, spectaculorum fugam, gloriæ honorumque contemptum; quæ omnia peculiaribus lectionibus nobis ab Evangelio inculcantur, omniaque autem monito illo Christi cuique dato, hoc est, ut (Luc. 9) *tollat crucem suam,* et eum pauperem, humilem, contemptum *sequatur*, continentur. Animum enim à rebus his corporeis removere humanæ fragilitati tam grave non potest non esse, quàm parti nostrûm potiori, animam intelligo, est utile. Et sanè si illorum bonorum amor *hominem demergit ad mortem* (1 ad Tim. 67), eorumdem contemptus ad motibus charitatis obsecundandum, quæ in bonum infinitè supremum ardet, ut in terris *degens* (Mach. 11) *suam conversationem in cœlis habeat*, idoneum facit; *quod quidem cœlorum regnum vim patitur, et violenti tantùm rapiunt illud.* Hic est scopus, hæc meta totius Christianorum ethicæ, quibus ideò indicitur, *ut quærant quæ sursùm sunt, non quæ super terram, ubi Christus ad dexteram Dei sedet; quæ sursùm sunt sapiant, non quæ super terram* (ad Coloss. 3). In antiquo fœdere observantibus legem pingue solùm, magna proles, ex hostibus victoriæ, ætas longæva promittebantur, nobis dicitur: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum Dei; beati qui lugent, quoniam consolabuntur; beati qui esuriunt, quoniam saturabuntur, beati mundo spiritu, quoniam Deum videbunt; beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (Matt. 5, et Luc. 6).

Præcepta hæc, ut cuique patet in abdita humani cordis adyta illabentia et ejus regunt consilia, et ad id quod est altissimum nobilissimumque illud convertunt; proinque eam perfectionem, quæ verax est, residetque in animo, sine quâ opera omnia, magna licet et excellentia, inania sunt, deficiuntque, imò ob intentionis perversitatem in prava tendentia mala sunt et corrupta, hominem docent. Hujusmodi ut plurimùm philosophorum, celeberrimorumque gentilitatis totius heroum virtutes erant. Ambitio, utilitas, amor rerum corporearum erant illi aculei, qui ad præclara suscipienda, peragendaque eos excitabant. « Ipse Tullius, inquit D. Augustinus (1), hujus « rei amplissimus nobis testis est in libris « quos de Republicâ scripsit, ubi de institutione principis civitatis loquitur, quem nutriendum, ait, amore gloriæ; ideòque majores suos commemorat, qui admirabilia et « illustria multa gloriæ cupiditate peregerunt. « Itaque huic vitio non solùm non restiterunt « (ethnici), sed putabant, excitandum esse, « inflammandumque, existimantes id utile fore « reipublicæ. » Pharisæi qui ætate Christi vivebant, quique præter cæteros legis cultores se jactitabant, ita hâc erant infecti labe, ut Redemptor ipse sæpiùs eos vehementer castigârit, appellâritque ideò *sepulcra dealbata, hypocritas tristes*, quia omnium suorum operum laborumque mercedem nullam aliam quærentes quàm applausus, odio erant Deo. Contrarium omninò nos docet: *Cùm jejunatis*, inquit Matt. 6, *nolite mœsti esse, ut hypocritæ faciunt; exte-nuant enim facies suas, ut videantur hominibus jejunantes*; *amen dico vobis, receperunt mercedem suam : cùm verò tu jejunas, unge caput tuum, et faciem lava, ut non videaris hominibus jejunans, sed Patri tuo qui est in abscondito, et Pater tuus, qui est in abscondito, reddet tibi. Nolite thesaurizare vobis thesauros super terram, ubi ærugo et tinea demoliuntur, et ubi fures effodiunt et furantur, sed thesaurizate vobis thesauros in cœlis, ubi fur non appropiat, neque tinea corrumpit*; *ubi enim est thesaurus vester, ibi et cor vestrum erit.* Quod hìc de jejunio dicitur, alibi de eleemosynâ, de precibus, generatimque de operibus cunctis præcipitur. Vult ille *nos* (ibid. 11) *mansuetos et humiles corde, ut ipse erat*; *vult ipse nos* (ibid. 17) *simplices, et parvulos, et infantes; secùs non intrabimus in regnum cœlorum.* His doctrinis non solùm nos evehit super externa omnia, à quibus quidam philosophi etiam avertendum à sapiente animum esse viderunt, sed supra nos ipsos, eumque intimum voluptatis sensum extollit, quam perversè agentes percipere possumus: vult, omnia ad Deum referamus, vult, *nos* (Luc. 10) *servos inutiles*, etiam præclarissima cùm gesserimus, *confiteamur.* Cum hoc præceptum illud ejusdem divini præceptoris concordat, quo jubemur *nosmetipsos odisse* (Joan. 12), ut immodico amori nostrùm adversemur, quod ubi falsa heroum gentilium virtus, quia in intentione malâ, mirâ eloquentiâ irridetur, puritasque christianæ disciplinæ sanctæ in suis intentionibus jure commendatur. Legantur etiam nostri Apologistæ, Justinus, Tertullianus, Athenagoras, qui hoc argumentum versant et solidè, et invictè.

(1) De Civit. lib. 5, c. 13. Legi præterea potest ejusdem doctoris caput sequens 14, et Oratio S. Gregorii Nazianzeni in Julianum,

odium æterna merces consequitur. Hoc felix odium efficit, quod aiebat D. Paulus, *ut crucifigamur, et moriamur mundo*, hoc est, ut animo æquabili ejus felicitates ærumnasque, ejus honores contemptumque, ejus bona malaque respiciamus; efficit, ut nos hospites et peregrinantes super terram existimemus, degamusque *vitam absconditam in Deo cum Christo Jesu* (ad Coloss. 3); qui cùm in semetipso cujuslibet virtutis exemplar ostenderit, vitâ suâ ipsâ integerrimæ præstantissimæque moralis disciplinæ imaginem nobis præbet, ut suo spiritu induamur, ut ejus vestigia sequamur nobis imperans.

Hoc universè et generatim spiritûs evangelicæ theologiæ specimen dici potest. Quædam etiam strictim de præceptis à Moyse indictis singillatim dicamus. Et primùm quidem quoad Religionem, quâ divino Numini honos præstatur; ab illo cæremonialium legum gravissimo jugo nos immunes, quo populus ille corpori terreisque rebus affixus, divino tamen prudentissimo consilio oppressus gemebat, filiorum Dei libertate nos fruimur, et *adoramus* (Joan. 4) *Patrem nostrum cœlestem in spiritu et veritate*. Fides, spes, charitas, cultum quo Christiani Deum suum afficiunt honore, constituunt. Fides tamen nostra Hebræorum fide tantò est excellentior, quantò magis augusta magisque revelata, imò adimpleta, præsentiaque, quamvis velata, mysteria sunt illa quæ credimus. Spes eò est firmior, quò ditior est arrha illa, quam æternorum bonorum habemus, hoc est, pretiosum illum cruorem pro nobis ab homine Deo effusum. Charitas hoc magis accenditur, quò magis abundat gratia, quæ ex novo fœdere in cordibus nostris Spiritus sanctus diffundit, causæque sunt majores, quibus Pater æternus, qui pro nobis Filium suum tradidit, nos ad se amandum exstimulat.

Quoniam tamen non solo spiritu, ut angeli, sed spiritu et corpore simul constat homo, et per res exteriores cadentesque sub sensus, ejus cogitationes affectusque excitantur et incenduntur, ideò à Religione nostrâ ritus quidam sensibiles, exterioresque cæremoniæ per quas mens in Deum elevetur, interiorque vicissim accendatur pietas, solent adhiberi. Qui eas arroganter rejiciunt, vellentque eas à Religione exulare omninò, *se homines esse non* meminerunt, inquit D. Thomas (1); cùm nos, ut alibi diximus, experientia intimusque sensus doceat, animam ex commercii lege, quod habet cum corpore, motibus hujus ad agendum excitari. Hùc etiam accedit, quòd cùm sit Deus non minùs corporis quàm animæ creator et dominus, æquum erat, ut non solùm affectibus hujus, sed etiam actibus illius ejus dominium protestaremur. Legislator ergo noster quosdam externos ritus nobis imperavit, quæ sunt signa sensibilia, quibus aut testamur servitutem illam quæ illi uni debetur, cujusmodi est sacrificium, *quod in commemorationem* (Luc. 22) *illius agni qui sanguine suo tollit peccata mundi*, Patri offerimus, aut invisibiles effectus, quos, ut nos sanctificet, Deus in nobis producit, significantur; et hujus generis sunt lotio (Matt. 25), unctio (Jacob. 4), cibus (Matt. 26), qui nobis cum sensibilium verborum prolatione ab ejus ministris adhibentur; aut tandem sunt laudes, cantica (ad Coloss. 3), vocales clamores, quos ad Deum convertimus, non quòd Deus iis indigeat, ut sensa animi nostri cognoscat, sed quia nos juvant ad excitandam pietatem, ad confirmandam fragilitatem, ad mitigandas hujus vitæ ærumnas. Quanquàm tamen Christiani, qui cùm sint (1 Petr. 2), *gens electa, regale sacerdotium, populus acquisitionis, assiduè sacrificia hæc spiritualia Deo per Christum Jesum acceptabilia* offerre debent; tamen etiam illi diem quietis lege jussum habent, quo peculiari modo prædicta Religionis opera sunt exercenda. Legislator noster Hebraico sabbato præcipuâ

(1) « Instituta sunt sensibilia sacrificia, quæ « homo Deo offert, non quòd Deus iis indigeat, « sed ut repræsentetur homini, quòd seipsum « et omnia sua debet referre in ipsum, sicut « in finem, et sicut in creatorem, et gubernatorem, et dominum universorum. Adhi« bentur etiam homini quædam sanctificatio« nes per quasdam res sensibiles, quibus homo « lavatur, aut ungitur, aut pascitur, aut pota« tur, cum sensibilium verborum prolatione, « ut homini repræsentetur per sensibilia in« telligibilium donorum processum in ipso ab « extrinseco fieri à Deo, cujus nomen sensibi« libus vocibus exprimitur; exercentur etiam « ab hominibus quædam sensibilia opera, non « quibus Deum excitent, sed quibus se ipsos « provocent in divina, sicut prostrationes, ge« nuflexiones, vocales clamores, et cantus, quæ « non fiunt, quasi Deus his indigeat, qui omnia « novit... sed propter nos facimus, ut per hæc « sensibilia opera intentio nostra dirigatur in « Deum, et affectio accendatur; simul etiam « per hoc Deum profitemur animæ et corporis « auctorem, cui et spiritualia et corporalia « opera exhibemus. Propter hoc non est mirum, « si hæretici, qui corporis nostri Deum esse au« ctorem negant, hujusmodi corporalia obse« quia Deo fieri reprehendunt. In quo etiam apparet, quòd se homines esse non meminerunt, « dum sensibilium sibi repræsentationem ne« cessariam non judicant ad interiorem cogni« tionem et cultum. » 3 contra Gent. cap. 119.

ratione magis venerandum diem hunc augustioremque reddidit; si enim illâ commemoratione Dei quietis post universi creationem patratam populus Hebræus ad admirandam potentiam, ad adorandam magnitudinem, ad contemplandam creatoris Dei bonitatem, à quo ex nihilo fuerat vocatus, excitabatur; die nostro Dominico cùm Christi quies post nostræ reparationis laboriosissimum opus, illiusque ad immortalem vitam resurrectio commemoretur, accendimur impellimurque ad commendandum ejus amorem, ad Patris clementiam celebrandam, qui per Filii sui sanguinem à mortis laqueis nos eduxit, *et secundùm* (1 Petr. 1) *suam magnam misericordiam regeneravit nos in spem vivam per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis in hæreditatem incorruptibilem et immaculatam, et immarcescibilem conservatam nobis in cœlis.* Non ergo fides nostra instituta fuit, ut in dissoluto otio vivamus, sed in quiete, quæ à temporalibus negotiis nos subducens, cupiditatumque nostrarum, veluti tempestatum, motus comprimens per religiosa sanctaque opera, symbolum sit illius æterni sabbati, illiusque æternæ quietis quâ ex hâc miseriarum valle sublati in cœlo ceu viva membra cum capite nostro, qui est Christus illùc progressus jam, ut nobis beatam illam sedem pararet, unum spei nostræ propositum scopum, desideriorum nostrorum solam metam propositam conjuncti perfruemur. Ita ex legislatoris sui consilio dies festos Christiani sanctificant.

Ad Religionem etiam reverentiam divino nomini debitam pertinere vidimus: hinc antiqua lex perjurium præceptis suis interdicit (Exod. 20): nova quid ampliùs vetat; inhibet etiam jurare (1). Excellens doctrina, inquit D. Thomas (2), quia facilè et levi de causâ juramento humana infirmitas potest abuti; in quo quidem reverentia debita tremendo illi nomini violatur. Quin etiam, ait D. Augustinus, *ex facilitate ad jurandi consuetudinem pervenitur, et ex consuetudine in perjurium deciditur* (de Mendac. cap. 15). In quo summa injuria invocationi illius veritatis primi fontis infertur. Quæ moralis disciplina hâc perfectior, hâc prudentior?

Sed tempus nos admonet, ut ad tabulam secundam, quæ præcepta complectitur, quæ jubent quomodò in nobis similes afficiamur, transitum faciamus. Legislator noster nobis maximam curam suam studiumque declarâsse hìc videtur. *Præceptum* amandi proximum *suum* dicit (Joan. 15); atque cordibus nostris illud propositum vult, ut *hoc*, inquit (Joan. 13), *futurum sit signum, ex quo omnes vos discipulos meos noverint, si mutuò vos diligetis.* Plenum est Evangelium totum, plenæ apostolicæ Epistolæ hujus amoris, qui ita cum Dei amore conjunctus dicitur, ut qui putat se hunc sine illo habere, decipiatur, et sit æternùm interiturus. Mensura autem, quam hujus amoris in proximum nobis Deus dat, est amplissima et præstantissima, ut nihil supra; vult enim nos invicem amare eo modo quo ipse nos dilexit (Joan. 13). Sicut autem pro nobis inter plurimos cruciatus vitam amisit, ita nobis hoc exemplar sub oculos subjicit, ne, cùm opus fuerit, pro fratribus nostris hunc amoris actum, quem jure ac meritò appellat (Joan. 15) omnium maximum, exercere dubitemus. At quinam erunt proximi hi quos amare jubemur? Scribæ, hos esse solos Hebræos, et ex his cultores legis tantùm, opinabantur. Pessimum hunc intellectum refutat Christus, imperatque, amorem nostrum ad genus totum humanum pertinere. Distinctio nulla Samaritani, aut Judæi, Scythæ, aut barbari, impii, aut fidelis habenda nobis est; quinimò, neque amici aut inimici; etiam inimicus enim est diligendus. Atque hoc est caput illud cùm excellens, tùm in terris rarissimum perfectionis, quam lex Christi jubet. Mitto Mahumetanos, quorum lex undequàque ultionem cædemque inspirat; mitto populum Romanum terrarum orbis victorem, at eò potentiæ imperiique per bella, per ultiones, immanes cædes, etiam injustas progressum. Mitto alias nationes ex ferociâ videlicet *barbaras* vocitatas. Animum ad Hebræos convertamus, quibus licet odium interdicatur, tamen ut ferinæ illius gentis in cæde alicujus propinqui dolor mitigaretur, privato propinquo *capere* (Numer. 35), *et statim per se homicidam interimere* permittitur. Imò malè detorquentes antiquæ legis significationem Christi ætate arbitrabantur Hebræi, licere sibi inimicum odisse; et « ex more, inquit Grotius (1),

(1) « Audîstis, quia dictum est antiquis, non « perjurabis; reddes autem Domino juramenta « tua; ego autem dico vobis, non jurare omninò. » *Matth.* 5.

(2) « Juramentum secundùm se est licitum « et honestum.... Sed juramentum cedit in « malum alicui ex eo, quòd malè utitur eo, id « est, sine necessitate et cautela debitâ; videtur enim parvam reverentiam habere ad « Deum, qui eum ex levi causâ in testem inducit; quod non præsumeret etiam de aliquo viro honesto. » 2-2, q. 89, art. 2.

(1) De Verit. Relig. christ. lib. 2, § 12. De

« penès eos inveterato persecuti sunt quicumque aliter ab ipsis de Religione sentiebant ; « idque ex imprecationibus crudelibus, quas « orantes in Christianos jaciunt, nunc etiam « colligitur ; » quod librorum Rabbinorumque eorum testimoniis confirmat. Non novit inimicum Christianus : *Ille habere debet pacem cum omnibus* (Hebr. 12), *amare qui offendit, benefacere qui odit, orare pro persecutoribus suis et calumniatoribus. Ut* (inquit Præceptor noster Matth. 5) *sitis filii Patris vestri, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et super injustos. Si enim amatis eos qui vos amant, quam mercedem habebitis? Nonne et publicani hoc faciunt? Et si salutaveritis tantùm eos qui vos salutant, quid aliud facitis? Nonne et ethnici hoc faciunt? Estote ergo perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est.* Vel inviti fateri debemus, ex hujusmodi præceptis colligi, legislatorem fuisse divinum. Quare quid mirum, si post hujusmodi præceptum edictum, audimus Evangelium ubique humanitatem, benignitatem, patientiam, obedientiam, pacemque cum quibuscumque indicere? Vult, exulare à suis non solùm homicidium (Matth. 5), quod et Scribis et Pharisæis erat inhibitum, sed *verbis contumeliosis se afficere, irasci, rixari*, multòque magis dolo malo alios circumvenire ; jubet locupletibus pauperibus dare quod superest (Luc. 11); subjectis populis tributum honoremque præstare principibus ; viris amorem (ad Coloss. 3), uxoribus obsequium ; servis subjectionem ; dominis humanitatem et mansuetudinem ; omnibus denique etiam in discolum, crudelem, idololatram misericordiam charitatemque, quæ alienam nequitiam semper vincat, neque unquàm illâ se vinci patiatur.

Eodem modo alia in proximum officia corrigit Christus et perficit. Fœnerari cum Hebræis Hebræo lege non licebat, cum exteris licebat (Deut. 13); Christiano (Luc. 6) quodlibet usuræ genus a quocumque extortæ vetatur ; potestas erat Hebræis (Deuter. 24), propter eorum cordis duritiam variis de causis uxori libellum repudii dandi; Christiano nunquàm (Matth. 19), nisi ab illâ violetur fides, id conceditur. Polygamiæ dabatur facultas Hebræo : Christiano perpetuo vinculo cum muliere unâ se conjungi conceditur (1 Cor. 7) jubeturque (Hebr. 13, 1, Thessal. 4) *honorabile connubium in omnibus, et torus immaculatus; ut sciat unusquisque vas suum possidere in sanctificatione et honore; non in passione desiderii, sicut et gentes quæ ignorant Deum.* Et quoad mulierem alienam ait Christus (Matth. 5) : *Audistis quia dictum fuit antiquis: Non adulterabis; at ego dico vobis. Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Alia ad hanc rem facientia honestatis, integritatisque plena habemus. *Fornicatio* (Ephes. 5, 1, Thessal. 4, 1, Corint. 6) *autem, et omnis immunditia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos, aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet; sed magis gratiarum actio. Non enim Deus nos vocavit in immunditiam, sed in sanctificationem;* et sanctificare debemus *corpora nostra ut templa Spiritûs sancti, qui in nobis est.* At libri integri novi Testamenti essent mihi exscribendi, qui hujusmodi doctrinis cœlestibus redundant. Epilogi instar sint hæc D. Pauli verba, quibus Epistolam ad Philippenses concludit (cap.4) : *De cætero, fratres, omnia quæ sunt vera, omnia quæ sunt honesta, omnia quæ sunt justa, omnia quæ sunt sancta, omnia quæ sunt desiderabilia, omnia quæ sunt bonæ famæ; si est aliqua virtus, si est aliqua laus disciplinæ, hæc cogitate. Quæ etiam didicistis, accepistis, audistis, vidistis in me. Hæc facite, et Deus pacis erit vobiscum.*

Doctrinis his legislator noster, ut ipse testatur, *legem adimplevit;* omnia recensita documenta, et alia quæ adduci commodè possent, cùm sint aut explicationes consecutionesque naturalium præceptorum in decalogo contentorum; aut modi certi tutissimique ut ea observentur, sicut docent D. Augustinus divusque Thomas. Non tamen hæc tota christiana moralis scientia est. Quod hactenùs diximus, ad omnes pertinet qui christianum nomen profitentur. Verùm, ut ad altiorem perfectionis in intimâ mentis cum Deo junctione sitæ gradum tendere homo posset, quædam consilia, quæ perfectionis consilia nimirùm dicuntur, Christus addidit, per quæ ab humanis curis omninò soluti illi qui illa amplecti animum inducerent, faciliùs multò ad metam hanc possent pervenire. Hæc consilia sunt rerum omnium exteriorum abdicatio per paupertatem (Matth. 19) voluntariam; abdicatio voluptatum curarumque quas secum nuptiæ afferunt, per virginitatem (1 Cor. 7), abdicatio sollicitudinum quas habet homo de statu operibusque suis, per obedientiam (Hebr. ult.), alienæ voluntati jussisque se subjiciens. Atque hoc, inquit D.

odio intestino, imprecationibus, blasphemiis Hebræorum tam veterum, tum novorum in nostros ritus, et in divinum magistrum nostrum et caput, legi potest quod scribit Joan. Alber. Fabricius de verit. Relig. Christ. cap. 31 et 37, post Buxtorfium aliosque.

Thomas, 1-2, q. 107, art. 2, fuit complementum ultimum, sive perfectio, quam legi suæ Christus imposuit. Quàvis ætate contra hæc consilia declamârunt libertini. Ita fieri debebat; inter perfectionem et licentiam nulla potest interesse societas. Tamen hoc testari possum, quidquid ipsi, et quidam maligni politici garriunt in hâc materiâ his diebus, D. Thomam aut in opere contra Villelmum à Sancto Amore, aut in Summâ Theologicâ, sed præcipuè in opere contra Gentes, lib. 3, cap. 130 et seq., examinâsse et confutavisse, ita ut nihil responderi posse videatur. Placet specimen quorumdam deistarum recentium, quorum opera præ manibus habeo, afferre. Unus ex iis est auctor libelli : *Examen de la Religion*. Invehitur hic contra omnia hæc consilia eorumque fines; et, ut ejus fert opinio, omnia evertit horrifico illo syllogismo : « Omnes Christiani tendere debent ad perfectionem : *Estote perfecti*, inquit Christus Jesus. Jam quoniam virginitas matrimonio præstat, sequitur, omnibus Christianis eligendam virginitatem, ad quam nos hortatur. At quis falsitatem hujus principii non videt naturæ ita contrarii?... Si totus terrarum orbis christianam Religionem coleret, omnesque Christiani hoc principium sectarentur, non esset valdè difficile interitum mundi prædicere, » cap. 10, pag. 124. Heus pulcherrimum argumentum! Quid opus est pluribus verbis ad illud dissolvendum, cùm duo quatuorve rem totam conficiant. Audiat auctor. Virginitas, idemque de aliis duobus consiliis dicatur, non sunt perfectio ad quam tendere Christiani debeant, sed sunt media per quæ ad eam pervenitur; media tamen non una et necessaria, sed expeditiora et tutiora; non est ergo opus ut Christiani omnes illa amplectantur, ut eam consequantur. D. Thomas cont. Gent. lib. 3, cap. 130 : « Quia verò summa perfectio humanæ vitæ in hoc consistit, quòd mens hominis Deo vacet; ad hanc autem mentis vacationem prædicta tria maximè videntur disponere, convenienter ad perfectionis statum pertinere videntur; non quasi ipsæ sint perfectiones, sed quia sunt dispositiones quædam ad perfectionem, quæ consistit in hoc quòd Deo vacetur. » Paulòque ante in eodem dixerat capite : « Hoc autem (abdicatio bonorum voluptatumque exteriorum) non est ita necessarium homini ad justitiam, ut sine eâ justitia esse non possit. Non enim virtus et justitia tollitur, si homo secundùm ordinem rationis corporalibus et terrenis rebus utatur; et ideò hujusmodi divinæ legis admonitiones dicuntur consilia, et non præcepta, in quantum suadetur homini, ut propter meliora minùs bona prætermittat. » Nihil æquius est, nihil accommodatius ad retundendum supradictum libertinum, eumque, de quo modò loquemur, qui falsò opinatur, *in lege Christi Jesu*, omnia esse de præcepto, nihil ex consilio, ut ita tanquàm absurdam virginitatem disjiciat, aliosque modos perfectionis, utpote qui sub præceptum cadere non possint. Ille est Apologista libri *de l'Esprit des Lois*, qui typis Berolinensibus edidit liberculum inscriptum : *Suite de la défense de l'Esprit des Lois*. Putat se videre per cœlibatum humanum genus jam inibi esse, ut propediem intereat; quod malum ut impediat, tam vehemens, tam furiosus loquitur, ut posset alicujus Alcorani articuli commentator esse. SS. Patres, quos per contemptum cœlibatarios vocitat, fuerunt omnes fanatici : D. Paulus cœlibatum ad libidinem inculcavit, non S. Spiritûs afflatu, pag. 30 : « Fuitque in hoc casuista mysticusque sibi uni, luminibus suis suisque erroribus fidens; » pag. 31 : « Monachi quocumque amore ferantur in perfectionem, semper societatem lædunt, cui nati erant, cuique prorsùs sunt inutiles, quandoquidem malo moventur fine, ut augeant sanctorum numerum, minuentes hominum multitudinem; » pag. 27 : « Deus ipse auctor Religionis nequit consulere cœlibatum, est enim malus, » pag. 29. At quomodò id probat? Ita : 1° quia « legislator qui dixit, *Crescite, et multiplicamini*, nunquàm legem hanc antiquavit, neque illam abrogare poterat, quin sibi contradiceret, » pag. 30. 2° Quia in homine vehementissima naturalisque propensio est ad speciem suam propagandam, pag. 30. 3° Ratio calculis inita quam hic novus Newtonus affert de consecutionibus cœlibatûs, omnes numerans homines, qui à centum millibus cœlibibus per annos sexaginta possent nasci. Ex quâ ratione auctâ per progressionem generatiònum, *per quas*, ejus judicio, *numerus entium infinitus haberetur, quæ cœlibatus destruxit*, putat se desumpsisse τεκμήριον contra hujusmodi dogma, ut hæc acerrima damna videns doloris impotens exclamet :

Quis talia fando
Temperet à lacrymis? pag. 38 et seq.

Ait, « se in hoc capite tam prolixum fuisse, quia Europæ vicem *dolet* in exitium mox casuræ; se tamen non sperare, verba sua esse audienda, » pag. 93. Atque hæc est consecutio una, quæ ex dictis ab eo vera elici potest. Quem enim argumenta illa, quæ paucis

difflantur verbis, sanæ mentis hominem movebunt? Nihil ea probant, quia nimis probant. Hoc est, ex principiis ab eo sumptis stultissima et absurdissima consequuntur; ergo ejus ratiocinia sunt falsa. Quod ita probo : Si præceptum Geneseos: *Crescite, et multiplicamini*, singulos homines respiceret, juberetque omninò, ut quisque pro virili suâ parte generationi vacaret, fortassè non solùm in regionibus, in quibus cœlibatus colitur, sed in toto terrarum orbe nemo esset, qui vel omninò, vel ex parte, vel ex aliquo, vel ex multo tempore reus criminis non esset. Promat, quæso, libertinus calculos suos de germinibus illis, quæ sese explicare possent, et quæ, ejus universis principiis positis, deberent magis evolvi, invenietque numerum majorem illo quem per virginitatem amitti dicit. Quæ natio tamen tam barbara de hoc est unquàm questa?

Distinguenda ergo sunt, inquit D. Thomas (lib. 3 cont. Gent. cap. 136) præcepta naturæ quodvis ad individuum spectantia, et spectantia ad societatem. Primum, quale esset nutriri, debet à quocumque fieri; secundum ab aliquibus, sed non à singulis speciei. Cuilibet dedit natura sibi similes generandi facultatem, sicut impertita est etiam facultatem ædificandi, vim pugnandi; sed ut opus non est, ut quisque exerceat artem ædificandi, aut militarem, ita non est opus, ut quisque sit pater. Varietate officiorum societas indiget; non quodvis individuum potest omnia præstare; quamvis singula hæc individua ad omnia munia exercenda sint apta; satis est ut præstentur à societate, unum uni, alterum alteri, cùm occasio feret, muneri cùm incumbat. In exercitu quidam vasa custodiunt (D. Thom. 2-2, q. 152, art. 2, ad 1), alii vexilla ferunt, alii enses expediunt, imperant alii. Hæc omnia munia sunt exercitûs munia; non tamen hæc omnia munia sunt unius militis munia. Hoc idem dicatur de officiis humanæ societati à naturâ præscriptis; inter quæ est etiam illud, speciem producendi; quod proinde non est necesse ut à quovis perficiatur (quibusdam casibus exceptis, ut primis mundi temporibus); imò confert etiam illud non exequi, ut aliud munus utilius nobiliusque exerceatur; et hic nimirùm est finis ille per quem dicimus nos, christianum cœlibatum adeò extolli. Hoc docet certissimum, evidentissimumque D. Thomas, de quo tamen libertinus dicere audet pag. 60 : Div. Thomas? est ne auctor afferendus seculo hoc, et objiciendus philosopho? (hoc est, auctori *de l'Esprit des Lois*, cui à censoribus fuerat objectus.) At estne credendum, eum legisse unquàm D. Thomam? sin legit, credendumne est, eum illum intellexisse? Det argumentum nobis, refutetque eas doctrinas D. Thomæ, quibus ejus insanias contudimus. Denique misericordiæ quâ tangitur prævidens Europæ jam proximum interitum, respondemus, jam decem et octo excurrisse secula, ex quo cœlibatus viget; neque unquàm caruit hominibus qui eam colerent, qui artibus scientiisque operam darent, imò, qui peste interirent plurimi, qui bella acerrima gesserint; cur idem non eveniet in posterum? Suntne hæc argumenta ejusmodi, ut SS. Patres fanatici traducendi sint, D. Paulus fanaticus, virgines omnes, hoc est illustrior Christi gregis portio, fanaticæ infelicissimæ?

Alii libertini demùm, et inter hos Baylius in pluribus sui Dictionarii locis multùm *in mala proficiscentia*, ut aiunt illi, *ex cœlibatu*, declamant. Hoc est argumentum gratissimum Romanensium, Epistolarum, aliorumque hujus generis liberculorum scriptoribus. Ecclesiæ Romanæ hostes eos præcesserunt; mendacia, fabulæ, ut ipse Baylius invitus fateri debet, (art. *Vayer*) sæpissimè patent. Apologista libri *de l'Esprit des Lois* id quoque fatetur; aitque, *suo quidem judicio generatim conservari benè cœlibatum*, pag. 40 (terrarum orbis excidium eum habet sollicitum). Tamen ab his judicibus criterio tanto præditis liguritur quidquid contra catholicam Religionem dicitur. Ut iis obstrueretur os, satis esset, quod ait D. Hieronymus Epist. 97, aliàs 78 : « Quid maledictorum pannos hinc inde consuitis, et eorum carpitis vitam, quorum fidei resistere non valetis? Num idcircò non estis vos hæretici, si nos quidam assertione vestrâ crediderint peccatores, et os fœdum impietate non habebitis, si cicatricem poteritis in nostrâ aure monstrare? » Nos fatemur candidè cum D. Augustino, *quamlibet professionem habere suos fictos*. Sufficit dicere, eos qui cœlibatum promittunt se servaturos, esse homines, ut sciamus eos cadere posse; at dici nequit, hos lapsus à cœlibatu derivari, ita ut hoc sublato nulla prorsùs peccata sint futura in hoc genere. Afferam rem certissimam recentissimamque, non ut cuiquam insultem, sed ut adversarii retundam convicia. Londini certè non residet cœlibatus. Jam de hâc civitate hoc scimus. 1° Auctor libri *Lettres sur les Anglais*, qui certè Catholicis non favet, *Lettre troisième*, pag. 88, ait : « Un plus grand désagrément pour les femmes anglaises, ou du

moins pour les femmes de Londres, c'est que la plupart des maris ont des maîtresses en chambre. Il s'en est vu qui les ont prises chez eux, et qui les ont fait manger à une même table avec leur femme. » 2° Idem auctor pag. 81, inquit : « Le nombre des courtisanes n'est pas croyable, non plus que le peu de honte que les hommes ont d'être vus en leur compagnie : elles sont publiques de toutes les manières. Ces excès trop fréquents contribuent sans doute beaucoup à rendre tant d'Anglais sombres et emportés dans leurs passions. » Non *filtratio* spirituum animalium, ut vult Montisquiæus. 3° Londinensis episcopus in primâ suarum trium Epistolarum Pastoralium pag. 5, ait hæc : « Dans quelques ouvrages imprimés depuis peu, l'on n'a point rougi d'y faire l'apologie des maisons de débauche, et de recommander même à la protection des magistrats les vices des particuliers comme avantageux au public. » 4° Idem episcopus in aliâ Pastorali suprà dictâ de terræ motûs morali Causâ, postquàm scelera multa modò indicata attulit, ait pag. 33 : « Mais notre malice n'est point encore à son comble : il semblait que la nature était devenue trop faible pour fournir à toute la dépravation de nos cœurs ; on est allé jusqu'à la brutalité.... Epargnez à ma douleur le récit de ces crimes inouïs qui nous couvrent d'opprobre ; les relations publiques en ont assez dit.... allons plus loin. » Hoc idem dicit in Epistolâ 1 trium Pastoralium pag. 5. Videt per se lector, quantùm distent fontes è quibus hæc deducimus ab iis è quibus historias desumunt suas Baylius, auctorque Litterarum Judaicarum, aliique hujusmodi scriptores : videt etiam, quid profecerint Protestantes è suis regionibus cœlibatum expellendo, quid libertini quoad mores, et num jure damnent legem de pudore quasi fontem erratorum cupiditatis, quæ quò magis irritatur eò magis furit.

Quæ modò dicta momenti maximi sunt hâc potissimùm ætate, quâ ætate cùm crudele intestinumque bellum fuerit Religioni indictum, indictumque præcipuè ex immodicæ vivendi licentiæ cupiditate effrenâ, ideò hæc evangelica consilia, per quæ divinus præceptor ad peculiarem integritatem sanctitatemque nos extollere intendit, impetuntur, conviciisque et satyris audacissimis proscinduntur. Sperare me juvat fore ut lector attentè quæcumque à nobis dicuntur, perpendens noscat, et horum philosophorum in curandâ cute occupatorum unicè impudentis dicacitatis injuriam, et illius legis jus, quæ non aliâ de causâ iis displicet, nisi quòd eos redarguit condemnatque. Hac picturâ ita crassâ Minervâ adumbratâ liceat mihi, antequàm ulteriùs progrediar, requirere ab iis qui vel tantillùm sapiunt, num ulla scribendi ratio, non dicam falsa, sed petulantior, dignaque homine, cui nullus sit Dei timor, nullus hominum pudor, nihil pensi omninò faciat, et honestatem omnem ejurârit, esse possit, quàm illa cujusdam libertini superiùs commemorati, qui hæc effutit, *Examen de la Religion*, c. 4, n. 2 : « Christus Jesus « nihil nos reverà docuit, nisi quasdam moralis « scientiæ sententias, quas ethnici jam docue- « rant certiùs multò apertiùsque. Nullum Re- « ligionis dogma docuit. Perpendantur præci- « puæ fidei veritates, ne verbum quidem de « iis Christus fecit. » Ita scribit, qui putat verbis suis Religionem evertere. Vesaniane est isthæc, an furor? me puderet, si cùm tot hactenùs de hâc re dixerim, quidquam huic responderem. Res per se loquitur. Ejusdem furfuris est sequens propositio, quam philosophus contra ethicam christianam in aciem producit. « Nisi, inquit ille, ibid. c. 10, homines præ- « occupati essent, videremus, christianam « Religionem maximè societati civili pernicio- « sam esse. Divitiarum contemptus immodicus « à christianâ religione jussus, commercium, « quod est societatis spiritus, prorsùs destruit. » Quàm benè hæc propositio cum præcedenti propositione cohæreat, lector ipse per se, vel me tacente, videt. Quàm stulta falsaque sit, argui potest ex lectione vel levi Evangelii præceptorum, quibus ad servandam justitiam, ad custodiendam pacem, quæ sunt fundamenta et societatis vincula, nihil est aptius. Jubet Evangelium, ne divitiis inserviamus, apponamusque iis cor nostrum ut supremo bono ; haud nobis interdicit eas modis honestis licitisque acquirere. Hoc autem non tollit commercium, sed auget, sed conservat, efficitque ut magis magisque floreat. At insanum hoc cogitatum, quod scitulus hic impietatis præceptor noster à Baylio desumpsit (*Contin. des pensées divers.* § 197), inde, ubi putat se demonstrare, societatem ex veris Christianis constantem non posse permanere diù, strenuè à Bernardo, et novissimè ab eodem auctore *de l'Esprit des Lois* (liv. 24, chap. 5), qui quidem liber apud libertinos maximo est ponderi, labefactatum fuit. Sed præ cæteris in hujus philosophi, multorumque deceptorum politicorum dedecus, opus immortalitate digni

Bossuetii inscriptum: *Politica eruta ex ipsis sacræ Scripturæ verbis*, legi meretur. Cujus operis et hactenùs à nobis dictorum lectione peractâ, neminem sanæ mentis futurum arbitror, qui de impudentiâ hujus critici non stomachetur, et præstantiam doctrinæ evangelicæ modò descriptæ maximè non admiretur.

Nihil aliud tamen hujus præstantiæ, ut ita dicam, præter corpus vidimus: anima quæ illam informat, quæ robur illud ei suppeditat, cujus cùm expertes omnes aliæ doctrinæ fuerint, nullum ex iis solidum stabilemque perceperunt homines fructum, superest consideranda. Nobis ergo legislator noster edicit, ex omnibus eximiis præceptis suis (Joan. 15) *nullum viribus nostris nos posse* adimplere; *nos non esse* (2 Corinth. 3) *sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis.* Faleturque expertus D. Paulus, se præ mentis oculis legem evangelicam ita impollutam habentem, tamen *sensisse* (Roman. 7) *aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ.* Quid ergo nobis prodesset pulcherrima hæc novisse præcepta, nisi legislator noster vim, ut ea exequeremur, nobis præberet? *Infelix homo*, exclamat ibid. idem Apostolus, *quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Consulamus, si lubet, philosophos omnes, ne unum quidem reperiemus qui nobis quidquam aliud respondeat, quàm somnia et deliramenta. Hebræus ipse in solâ lege Mosaicâ à fœderis pacto separatâ vim, quâ legem adimpleat, cupiditatesque suas superet, non invenit; imò recti, quod non sequitur, cognitio eum majori crimine obstringit.

Increduli omnes libertinique dicere consueverunt, hominem esse hujusmodi, qualis debet esse; quare ipsum sibi, ut Stoici aiebant, sufficere, et in seipso, quibus rationis lumina sequatur, satis virium habere. Quodlibet tamen vel tenue historiæ eorum vitæ rationis specimen nobis ostenderet, quid eorum vires quoad mores valerent. Illos Horatii versiculos (Epist. 18, lib. 1) sæpiùs usurpabant:

Sed satis est orare Jovem, qui donat et aufert,
Det vitam, det opes: æquum mi animum ipse parabo.

At quotus est qui nesciat similes videlicet moribus Venusini poetæ, qui se dicebat *nitidum benè curatâ cute Epicuri de grege porcum*, ut plurimùm fuisse mores? Nihil aliud ergo restat, nisi *gratia* (ad Rom. 7) *Dei per Jesum Christum Dominum nostrum*, ejusque superna lumina, sanctaque et libera Dei ipsius dilectio menti cordique afflata, quæ efficere possint, ut officia nostra peragamus. Hoc est præsidium illud præsentissimum, quod non solùm mentes nostras illustrabit, ut ea cognoscamus, sed etiam cor flectet, ut illa amemus. Hæc est jucunditas illa per quam *condelectamur* (ad Rom. 7) *legi Dei secundùm interiorem hominem;* sed ita *condelectamur*, ut vincentes vim et terrenarum voluptatum illecebras, quæ nos ad peccatum rapiunt, *viam mandatorum* divinorum *curramus, cùm Deus cor nostrum* dilatat (Psal. 118); pergamusque ad Christum, ad quem *nemo potest venire* (Joann. 6) *nisi Pater traxerit eum.* Hoc est auxilium illud quo Deus *operatur* in nobis, ut aut negligentes ante, aut mali *bonum velle incipiamus; et cooperatur cum* nobis, ut liberè volentes, efficaciter et liberè illud exequamur. Hoc est subsidium illud, cujus vi Paulus, qui paulò ante ita animis ceciderat, infirmusque erat, testatur (ad Philip. 4) *se posse omnia in eo qui illum confortat.* Hoc est donum illud omnipotens, quod ab amore rerum mutabilium ad illum incommutabilis boni, quod Deus est, cor convertens, delet omnia peccata nostra, amicos nos Deo reddit, et ut est semen vitæ æternæ jus nobis dat illius consequendæ. Hoc demùm est decus illud *quod est potissimùm in lege novi Testamenti, et in quo tota virtus ejus consistit, hoc est gratia Spiritûs sancti, quæ datur per fidem Christi. Et ideò principaliter lex nova est ipsa gratia, quæ datur Christi fidelibus* (S. Thom. 1-2, q. 106, art. 1), per quam omnia hujus legis munera et multa et ardua perficiuntur, mercesque percipitur.

Verùm quî, dicet aliquis, donum hoc tam excellens, et ita necessarium, poterit homo consequi? Nomen ipsum *Gratiæ*, inquit D. Paulus, satis indicat, illud non posse sibi hominem promereri; ipsa est fons cujusque nostri meriti; nullum ergo meritum ipsam præcedit. Modum tamen certum eam adipiscendi legislator noster nobis tradidit, et hic est demissa, constans, fervida ad Deum Patrem in fide, et in nomine dilecti Filii sui Dominique nostri Jesu Christi oratio facta. Hæc est Testamenti cœlique clavis; ideòque nullum præceptum fortassè magis hoc in novo Testamento inculcatur. *Oportet* (Luc. 18) *semper orare et nunquàm deficere; petite* (ibid.), *et dabitur vobis; quærite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis. Si vos cùm sitis mali, scitis bona dare filiis vestris, quantò magis Pater vester cœlestis dabit Spiritum suum petentibus illum? Amen, amen dico vobis* (Joann. 16) *omnia quæcumque petieritis Pa-*

trem in nomine meo, dabit vobis. Quærite (Luc. 12) *primùm regnum Dei et justitiam ejus* (quæ omnia ad gratiam reducuntur), *et hæc omnia temporalia adjicientur vobis;* et alia his similia loca plurima. Pervolutemus nunc omnium philosophorum ethicam, fortè nullum hujus gravissimi officii vestigium in eorum scriptis reperietur; sed nihil mirari subit; nolle enim agnoscere necessitatem ad benè vivendum divini auxilii, causa erat, cur negligerent ad Deum confugere; et negligentia hujusmodi precum eorum cæcitatis, abominandæque morum corruptionis erat origo; sine oratione enim gratia illa, quæ efficit ut homo operetur quo debet modo, non obtinetur; otiosus autem salutem non consequitur (1).

Non me latet, libertinos hæc omnia *mysticherias* et *imaginationes* appellare; gratiamque hanc, hoc auxilium interius invisibile, supra naturam, eorum sententiâ, esse commentum somniumque. Vellem ut eorum quispiam placidus breve hoc argumentum quod edo, audiret, tum verò responderet.

Innumeros mortales cujuscumque ætatis, conditionis, sexûsque altos antea, versatosque in erroribus, vitiisque evangelicam ethicam amplecti, et ne latum quidem unguem, dùm vita iis superest, ab eâ discedere, tum quantùm ad leges pertinet, tum quantùm ad alia ejus præcepta quàm immaculata, tam severa, eaque servare ita ut potiùs quàm eorum aliquod violent, lubentes inter exquisitos cruciatus animam efflent, hoc est *phænomenum* naturalibus viribus hominum vulgi superius. Omnes humani generis historiæ, et notitia quam quisque habet hominis, et suî ipsius experientia hujusmodi veritatem perspicuè comprobant. Pergamus porrò. Atqui admirandum hoc phænomenum post Evangelii prædicationem in innumeris mortalibus palam inspectum fuit (quæ propositio mox à nobis evidenter plana fiet): ergo mortales hi præsidio humanis viribus superiore erant præditi; ergo mortales hi auxilio gratiæ Jesu Christi ab ipso in lege suâ promissæ confirmabantur: ergo promissa in Evangelio gratia non est commentum, non est somnium, sed est donum ita verum, ut orbis conversio est vera.

Ita nunc argumentum resumamus; atqui lex non solùm impolluta in suis præceptis, sed quæ promittit, vimque præstat, ut omnis observetur colaturque, licet aspera, usque ad mortem, non aliunde quàm à Deo proficisci potest, qui unus id promittere potest, et in cordibus humanis peragere: ergo lex Evangelica est à Deo, et gratia ab eo promissa, et ab ipso collata, ejusmodi nobis eam ostendit.

Magis etiam argumentum confirmemus. Donum hoc, quod est supra naturam, legis Evangelicæ proprium, quod flectit corda, eisque ad illam adimplendam opitulatur, non solùm arguitur ex consequenti effectu orbis terrarum conversionis, sed etiam longè ante ab Jeremiâ nobis prædictum fuit, quale nimirùm nobis illud sub oculis Evangelium ponit, et cujusmodi in conversione orbis animadvertendum fuit. Talis est Jeremiæ locus (31, v. 21, etc.): *Ecce dies venient, dicit Dominus, et feriam domui Israel et domui Juda fœdus novum: non secundùm pactum, quod pepigi cum patribus eorum, in die quâ apprehendi manum eorum, ut ducerem eos de terrâ Ægypti: pactum, quod irritum fecerunt, et ego dominatus* (Græcus textus, cum quo convenit D. Paulus legit, *abominatus*) *sum eorum, dicit Dominus. Sed hoc erit pactum quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus: Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam* (quid aliud significat, nisi Evangelii interiorem gratiam, quæ mentes illuminat, quæ corda flectit, cujus cùm expers esset lex vetus, scripta in lapideis tabulis exteriùs erat?), *et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum. Et non docebit ultra vir proximum suum, et vir fratrem suum dicens: Cognosce Dominum. Omnes enim cognoscent me à minimo eorum usque ad maximum, ait Dominus; quia propitiabor iniquitati eorum, et peccati eorum non memorabor ampliùs.* Quòd si conferatur hoc et cum lege evangelicâ, quæ prædicat et promittit gratiam, quæque proinde *lex gratiæ* dicitur, *in cordibus nostris scripta per unctionem Spiritûs Sancti*, et componatur cum effectibus ex ipsius prædicatione in orbem derivatis, qui, ut ostendimus, nonnisi gratiæ adscribi possunt, tam ad amussim adimpletum est, ut sit quâvis exceptione majus. Iterùm ergo argumentum hoc modo afferamus. Atqui lex quoad sua supra naturam promissa confirmata per consequentes effectus, lex quoad sua supra naturam promissa pluribus seculis ante prædicta, non potest esse nisi à Deo; ergo lex evangelica vera Dei lex est; ergo in suis principiis falli non potest, et fallere; ergo ex ne-

(1) « Nullum credimus ad salutem nisi Deo « invitante venire; nullum invitatum salutem « suam nisi Deo auxiliante operari; nullum « nisi orantem salutem promereri. » Genad. de Eccles. Dogmat. cap. 27.

cessariâ consecutione est colenda. Huic ratiociniorum generi ineptias, injurias, convicia, quibus redundant eorum polyantheæ, opponere possunt; at solidè, at rectè nunquàm respondebunt. Hoc Jeremiæ loco qui tam perspicuè antiqui fœderis abrogationem, indolemque progressumque novi oculis subjicit, usus est D. Paulus ad Hebræos 8, pro Evangelio, nec per tot secula quisquam eventus fuit, qui illum refutare quovis modo potuerit, aliterque interpretari. Sed hoc argumentum alibi fusiùs pertractabimus. Hìc tantùm illud extremis labiis delibavimus, quia cùm veritatem integritatemque evangelicæ legis demonstraverimus, et respectu dogmatum, et respectu præceptorum omnium cum rectâ ratione concordium, præceptis antiqui fœderis perfectiorum, et supra id, quod unquàm dicere et fingere philosophi potuerunt, præstantissimorum, peculiaris etiam hujus novi fœderis portio, quæ gratia est, cujusque boni, quo fruimur, fons, et quæ per solum Jesum Christum nobis confertur, ostendenda erat et defendenda. Cùm corporeis oculis hæc cerni non possit, ex effectibus suis, quos sub oculis habemus, ex oraculis quæ ad illam referuntur, in aperto posita fuit; atque ita suscepta veritatis integritatisque doctrinæ librorum cùm veteris, tùm recentis fœderis demonstratio ducta est ad umbilicum.

Sectio III. — *Secunda nota doctrinæ Christianæ. — Integritas morum introducta per ejus prædicationem in homines.*

Qualis quantaque morum corruptio in ethnicis fuerit, nemo est qui ignoret. D. Paulus in primo ad Romanos Epistolæ capite eam ad vivum exprimit. Ipsi gentiles scriptores sæpè nos horrore perfundunt, non minùs publicas quàm nefandas consuetudines, quæ hominem quadrupedibus superiorem efficiunt, referentes. Ex Suetonio uno, qui turpes mores in urbe imperii principe, Cæsaribus regnantibus describit, satis possumus addiscere; Xenophon etiam, Plutarchus Tacitusque quibusdam suorum operum in locis, quæ in cultioribus orbis nationibus fuerit morum turpitudo, enarrant. Fusiùs de hâc re egimus supra. In infandum hunc vivendi modum, cujus rationem ipsam pudebat, et cujus sub jugo natura ipsa gemebat, identidem philosophi invehebantur. Personabant Porticus, Academiasque quædam sanæ ethicæ præcepta. Socrates, quasi è cœlo eam desumpsisset, quâ homines imbueret, inter cæteros colebatur. Mite et grave Platonis ingenium, Aristotelis acumen, severa Stoicorum præcepta materiam disputandi doctis præbebant, imperitisque saltem admirandi. Romanus fastus præclarè secum agi putabat, si divitias scientiarum ex Athenis hausisset. Eò docendi mittebantur liberi, et latina eloquentia Panætiorum et Cratipporum ethicæ mirum quantùm luminis elegantiæque addebat. At quæ hinc orbi corrupto, moribusque perversis emendandis utilitas? Philosophi ipsi secùs ac docebant agentes, suorum præceptorum fidem elevabant. Cicero ipse id ait (Tusc. Disp. lib. 2, cap. 4): « Quotus enim quisque « philosophorum invenitur, qui sit ita mora« tus, ita animo ac vitâ constitutus, ut ratio pos« tulat? Qui disciplinam suam non ostentatio« nem scientiæ, sed legem vitæ putet? Qui « obtemperet ipse sibi, et decretis suis pareat? « Videre licet alios tantâ levitate et jactatione, « ut iis fuerit non didicisse melius : alios pe« cuniæ cupidos, gloriæ nonnullos; multos « libidinum servos, ut cum eorum vitâ mirabi« liter pugnet oratio : quod quidem mihi vide« tur esse turpissimum. » Si hæc præceptores agebant, quid egisse discipulos censendum erit? Potiùs disputare, quàm benè vivere hi discebant; et lectionibus, quas audiebant, nihilò efficiebantur meliores. « Plerique (inquit « Aristoteles ipse lib. II Ethic. cap. 4) non « agunt secundùm virtutem, imò sermones « de virtute evitant, putantque se esse philo« sophos, atque se proborum nomen con« sequi; imitantes eos ægrotos qui attentè « medicorum consilia audiunt quidem, sed « præceptis à medicis non utuntur. » (Vid. Quintilian. Institut. lib. 1, in præf.

Hominum corruptorum morum emendationem, quam nullâ unquàm ætate, nullâ in regione philosophorum doctrina, et tota quanta fuit eloquentissima et splendidissima ethnica sapientia introducere non potuit, præstitit Christiana doctrina, præstititque non in paucis hominibus, sed in latissimis nationibus quâvis ætate, conditione, sexu constantibus, præstititque ita, ut illas ad eum perfectionis gradum evexerit, ut hostes ipsi obstupuerint. Viri multi eruditissimi argumentum de vitâ et moribus veterum Christianorum pertractârunt. Post Fleuryum legi meretur P. Thomas Mamachius Theologus Casanatensis, qui et rerum ubertate et dicendi elegantiâ valdè inclaruit (1).

(1) Originum et Antiquit. Christ. t. 3. Idem argumentum ille tractat Italo sermone in opere in tomos tres distributo, inscripto : *De' Costumi de' primitivi Christiani.*

Nos quædam ad rem nostram pertinentia afferemus. Primùm sese objicit nobis testimonium eò illustrius, quò infestiùs, Plinii Junioris, qui ad Trajanum scribens, referensque de Christianis suæ ætatis, ait, se comperisse (lib. 10, Epist. 97) : « Hanc fuisse summam vel culpæ suæ, vel « erroris, quòd essent soliti stato die ante lu« cem convenire, carmenque Christo quasi « Deo dicere secum invicem, seque sacramento « non in scelus aliquod adstringere, sed ne « furta, ne latrocinia, ne adulteria committe« rent, ne fidem fallerent, ne depositum ap« pellati abnegarent. Quibus peractis morem « sibi discedendi fuisse, rursùsque coeundi ad « capiendum cibum, promiscuum tamen, et « innoxium. » Hanc eamdem innocentiam quotidiè principes, et magistratus, et sacerdotes profani intuebantur, qui odio intestino ante tribunalia Christianos trahentes nullo alio scelere eos accusare poterant, nisi fidei. « Nos « (aiebat Tertullianus ad Scapulam cap. 2) « quos sacrilegos existimatis, nec in furto « unquàm deprehendistis, nedùm in sacrile« gio. » Et (in Apologiâ cap. 44) : « De vestris « semper æstuat carcer, de vestris semper « metalla suspirant, de vestris semper bestiæ « saginantur... Nemo illìc Christianus, nisi hoc « tantùm : aut si et aliud, jam non Christianus. « Nos ergo soli innocentes. » Idem iisdem penè verbis legitur apud Minutium Felicem in Octav. cap. 35, extr. Veritas hæc Cæsaribus ipsis innotuit, quod ex illustri Eusebii loco discimus (lib. 8, in initio, ex antiquâ versione Rufini) qui hæc scribit : « Aliquanti ex prin« cipibus Romanis et facultatem regendi pro« vincias, jurisque dicendi nostris præbebant; « et conjugibus (tales fortassè fuerunt Prisca « Diocletiani uxor, et Valeria filia, Galerii « uxor) et ministris, atque universæ domui « suæ non solùm credere in Dominum Jesum « Christum, verùm etiam cum omni fiduciâ ac « libertate in fide agere sinebant : ita ut illos « sibi fideles ac familiares ducerent, de quibus « certi erant, quòd pro fide Christi nihil per« fidum saperent. Sicut fuit opinatissimus ille « Dorotheus in cubiculo regum, qui propter « fidem Domini fidelissimus in omnibus habe« batur. Unde et cunctis præferri honore me« ruit et amore. Cum quo et Gorgonius, cæ« terique cum ipsis in Domino fideles, vel qui « intra palatium in summis honoribus erant, « vel qui ad provincias gubernandas præferri « cæteris fidei contemplatione merebantur. » Impavidi ergo certique, se non posse mendacio convinci, apologistæ nostri coram ethnicis omnibus innocentiam, virtutemque Christianorum celebrabant, quorum dicebant, verum argumentum esse magnitudinem non verborum, sed morum. « Nos, aiebat S. Cyprianus (de « Bono patient. sub initio), qui philosophi non « verbis, sed factis sumus, nec vestitu sapien« tiam, sed veritate præferimus, qui virtutum « conscientiam magis quàm jactantiam novi« mus, qui non loquimur magna, sed vivimus « quasi servi et cultores Dei (1). » Non est tamen negandum, in hâc illustri copiâ, integritate et virtute tantâ præditâ, sententiâ ipsorum hostium, quosdam degeneres fuisse filios, auctâ præcipuè progressu temporis Ecclesiarum quantitate, et paulatim disciplinæ rigore et fidei robore ex diutinâ pace decrescente. Hi tamen præ bonis erant tam pauci, ut Tertullianus (2), qui sub finem secundi, initiumque tertii seculi vixit, cum corporis nævis eos comparare non dubitaverit; imò ex eo quòd à gentilibus hi digito monstrabantur, argumentum desumpserit (3), quo ejus cœtus perfectionem, integritatemque, à cujus moribus infelices illi desciverant, defenderet.

At aliquid singillatim de hâc ipsâ virtute morumque emendatione ab Evangelio introductâ, et in primis Christianis ab ethnicis ipsis commendatâ, dicamus. Qualem quantamque sanctissimarum naturæ legum antea cladem impudicitia faceret, jam cuique patet; sed quem pulcherrimum triumphum de monstro hoc fides nostra non retulit? « Itaque, inquit Eusebius « (Præpar. Evangel. lib. 1, c. 4) nec Persæ, « qui semel ejus disciplinæ nomen dederunt, « nuptias ampliùs cum matribus ineunt... Nec « alia barbarorum genera incesto filiarum ac

(1) Similes præclari dicendi modi leguntur pro Christianis apud Justinum Mart. Cohort. ad Græc. cap. 36. Athenag. in Apolog. pag. 12. Clement. Alexandr. I. Strom. pag. 319. Minut. Felic. in Cæcil. cap. 38. « Non eloquimur ma« gna, sed vivimus. »

(2) « Non negabimus, quosdam (esse malos) : « sufficit et hoc ad testimonium nominis Chri« stiani, si non omnes, si non plures. Necesse « est in corpore, et quantùm velis integro, « aut puro, ut nævus aliquis effruticet... Major « boni portio modico malo ad testimonium « sui utitur; cùm tamen aliquos de nostris « malos probatis, jam hoc ipso Christianos « non probatis. » Lib. 1, ad Nati. c. 5.

(3) « Ipsi in colloquio si quando adversùs « nos; cur ille, inquitis, fraudator, si absti« nentes Christiani? cur immitis, si misericor« des? adeò testimonium redditis non esse « tales Christianos, dum, cur tales sint, « qui dicuntur Christiani, retorquetis. » Ibid.

« sororum concubitu polluuntur, nec ad mares « furioso libidinis æstu mares ipsi rapiuntur, « nec cæteras, quæ naturæ leges violant, vo« luptates persequuntur. » At id leve est. Pudoris custodia erat Christianorum nota. Sciebant inimici, dicebat Tertullianus, hujus dotis violationem esse nostris morte ipsâ acerbiorem; quare sperabant, se Christianam mulierem permoturos esse, si eam *lenoni* (1) potiùs quàm *leoni* se tradituros esse illi minarentur. Satis erat, ut virgo diceret, se Christianam esse, ut se disjectum de ponte amator crederet. Viderunt mulieres nostras à tyrannis in arenam productas pugnaturas cum feris bestiis in illo discrimine, in iis cruciatibus, nihil curâsse studiosiùs, quàm ut vestes adducerent, et velum ita componerent, ut in ipso luctæ ardore nihil quod modestiam læderet, eveniret (2). Quid præstantius dici potest, si externæ pudicitiæ sollicitudo in sexu ita molli imbellique cruciatuum sensum, mortisque horrorem superabat? Sed quid dicam de innumeris illis cœlibum utriusque sexûs agminibus? Habuêre quidem etiam ethnici Vestales suas; verùm ne ignoremus, quantùm non solùm numero, sed etiam virtute distarent à Christianis virginibus, ut cum his conferri possint, satis est S. Ambrosium et Prudentium, imò ipsos profanos auctores legere, qui id memoriæ tradunt. Castæ etiam erant nuptiæ, sive fidelitatem sponsorum respiciamus, sive usûs sanctitatem, et quia rarò admodùm, per mortem alterius sponsi soluto vinculo, superstes sponsus, quanquàm id non erat inhibitum, secundo nubebat. Nihil autem aut in exteriori cultu, aut in familiaribus colloquiis, aut in totius demùm vitæ actione in Christianis adverti poterat, quod honestatem non præ se ferret. Neque id mirum cuiquam videri debet, quandoquidem cogitationes ipsas pudicas servabant, utpote qui semper mentis oculis supremum judicem propositum habebant. Quo argumento Athenagoras in celebri suâ Legatione pro Christianis utitur, ut osten-

(1) « Nam et proximè ad *lenonem* damnando « Christianam potiùs quàm ad *leonem* confessi « estis (ô ethnici!) labem pudicitiæ atrociorem « omni pœnâ et omni morte reputari. » Tertul. Apolog. c. 1.

(2) Exemplum illustre habemus in actis integerrimis SS. Martyrum Perpetuæ et Felicitatis, in quibus legitur, cùm fuisset S. Perpetua in publicâ arena a ferocissimâ bove impetita, « concidit in lumbos, et ut conspexit tunicam « à latere discissam, ad velamentum femorum « adduxit pudoris potiùs memor, quàm dolo« ris. »

Holstenius primæ classis doctus, qui hos actus edidit, eruditissimisque notis eos ornavit, ad locum allatum advertit, hujusmodi femineum pudorem generatim loquendo sensum naturæ esse; et ut id confirmet, locum illum Clementis Alexand. Pædag. lib. 2, cap. 10, affert: « Summam esse indecentiam quam« cumque muliebris corporis partem nudari. » Inde Holstenius addit, « quòd in gentilibus « quoque feminis naturalis pudor semper ab« horruit. Hinc illud Euripidis de Polixenâ « jam moriente in Hecubâ, vers. 566:

Illa verò etiam moriens
Multam curam habuit honestè cadendi,
Et tegendi ea quæ tegi oculis virorum decet.

« Quod Ovidius Fastor. l. 2, v. 833, ad Lucre« tiam transtulit:

Tùm quoque jam moriens, ne non procumbat honestè.
Respicit; hæc etiam cura cadentis erat.

« Ita Cornelia Maximilla Vestalis incesti damna« ta, teste Plinio Lib. 4, Ep. 2, cùm in subter« raneum cubiculum demitteretur, hæsissetque « descendenti stola, vertit se ac recollegit: cùm« que ei carnifex manum daret, aversata est, « ac resiluit, fœdumque contagium, quasi planè « à casto, puroque corpore novissimâ sanctitate « rejecit. Πολλὴν πρόνοιαν εἶχεν εὐσχήμως πεσεῖν. »

Putarem tamen, non magni hæc exempla esse facienda, saltem non esse conferenda cum nostrâ martyre, aliisque mulieribus christianis. Et primùm quoad Polixenam, nos hoc scimus à poetâ, qui (ut post Aristotelem observant artis magistri) ad differentiam historici res narrat non ut fuerunt, sed ut esse debebant, vitiis exceptis, defectibusque. Vid. clariss. Vulpium de Utilit. poetic. c. 10. Euripides ergo admirabilis in rebus describendis finxit heroinam suam morti proximam, hunc honestatis pudicitiæque actum fecisse, qui quò eam honestiorem ostendebat, etiam majorem effectum excitabat, quod est illud πάθος tributum huic poetæ; tanquàm proprius character hujus tragœdi. Quanquàm, ut quod res est, dicamus; neque in Polixenâ conservatum videmus pudorem illum, quem Clemens Alexand. citatus ab Holstenio ait, esse legem feminei sexûs; quoniam à poetâ nobis describitur virgo hæc coram Agamemnone, totoque Achivorum exercitu, quin postularetur, ultrò, per se ipsa ante mortiferum ictum vers. 556:

Apprehendens peplos ex summo humero
Rupit ile ad medium juxta umbilicum,
Mamillasque ostendit, pectoraque quasi statuæ
Pulcherrima.

Quod pertinet ad Lucretiam, habemus ex Livio, ex Dionysio Halicarnasseo ejus mortem; ille tantùm ait, eam in vulnus moribundam corruisse; hic, eam in amplexu patris expirâsse; de circumstantiâ ab Ovidio narratâ ne verbum quidem apud eos habetur; est poetica descriptio.

Denique Vestalis actus videtur potiùs superstitio furens superbaque, quàm honestus pudor, præcipuè si jam fuerat cognita, sicut et multæ aliæ ante illam fuerant cognitæ, et ideò capite mulctatæ, ut habetur in Eusebii Chronico; et nisi fuerunt punitæ, evenit, « quòd in residuis impunitatem fecerit non « castitas tutior, sed impudicitia felicior, » ut loquitur Minutius Felix in Octav. c. 25.

dat Romanis imperatoribus, quantâ injuriâ edipodæorum concubituum, aliarumque infandarum turpitudinum criminibus accusarentur. Quia verò ad pudoris custodiam fugam à peccandi occasionibus necessariam esse ducebant, ideò à gentium conviviis, bacchanalibus, choreis et præcipuè à theatralibus spectaculis, vix fidei Christi sacramento dato, abhorrebant. Idque non tam ob idololatricam superstitionem, quâ spectacula illa inficiebantur, quàm ob res turpes, quæ ibi et audiebantur, et perspiciebantur. Quapropter ab omnibus SS. Patribus (1) ea damnantur, sed ejusmodi argumentis, et ejusmodi verbis damnantur, ex quibus facilè percipitur, quantoperè homine Christiano etiam usitatæ nostrorum dierum comœdiæ, et dramata indigna sint judicanda. Hæc primorum Christianorum ab hujusmodi spectaculis cùm pudori, tùm modestiæ infestis fuga ita ethnicis ipsis erat aperta, ut inter ea crimina recenseretur, quibus nostri tanquàm reipublicæ imperatorumque hostes accusabantur, quòd iis ludis, bacchanalibus, turpibusque spectaculis non intererant, quibus dies natales, decennalia, triumphi, aliæque solemnitates in Cæsarum honorem à quibusque nefariè celebrabantur. Tertullianus in suo Apologetico potissimùm legatur.

Quæ cura pudoris servandi esset cùm exposuerimus, amorem, quem Christiani in quoscumque ostendebant, inspiciamus. Ethnici ipsi non ignorabant, eos qui nomen huic militiæ dederant, habitos ab aliis ut fratres fuisse, ut fratres se mutuò amavisse, inter se mutuis benevolentiæ officiis, sibi ultrò opitulatos fuisse suis in ærumnis, eò etiam devenisse quosdam, ut pro aliis mortem subirent. Hujusce reciproci amoris Christianorum quolibet officiorum genere testati, comprobatique imaginem ingenuam, ut apologistas Patresque nostros prætercam, habemus ex impio Luciano in Dialogo *de Peregrini Morte* (1). « Videmus hìc Christianos cujusque ætatis conditionis, sexûs, trepidare ad carcerem fratrem suum Peregrinum eò detrusum consolaturos, trepidare, inquam, privatoque impetu, communique edicto permotos, ei *summo amore* genus quodlibet auxilii opisque præstare, neque incommodis, neque impensis, neque laboribus ullis parcere, ut illi opem ferant. » Actus Martyrum autographi narrationis hujus ab infensissimo Religionis nostræ hoste factæ veritatem pluribus exemplis confirmant. Quanquàm non carceres solùm, et vincula illustria erant mutuæ charitatis testimonia. Quamlibet ærumnæ alienæ speciem quisque suam ducebat; quisque illâ oppressum quàm maximè erigere laborabat. Hæc nimirùm charitas invisa etiam erat alteri acerrimo fidei nostræ aggressori, Juliano Apostatæ, qui eam Arsacio sacerdoti idololatræ in Galatiâ (Epist. 49) ita ob oculos ponit: « Sed quid causæ est... cur non potiùs convertamus oculos ad ea quibus Christianorum Religio crevit, id est, ad benignitatem in peregrinos, ad curam ab illis in mortuis sepeliendis positam et ad sanctimoniam, quam simulant?... Non turpe profectò est, cùm nemo ex Judæis mendicet, et impii Galilæi (ita ille appellabat Christianos) non suos modò, sed nostros quoque alant; ut nostri auxilio, quod à nobis ferri ipsis debeat, destitui videantur. » Locus hic viam nobis sternit, ut intelligamus, quàm verè hæc magnifica verba Athe-

(1) Facillimum esset afferre plura Patrum testimonia de hâc re, et producere plures doctissimos recentes scriptores, qui ea collegerunt et perpenderunt. Sufficiet locus unus P. Balti Jesuitæ, ut colligi ex ejus operibus potest, in Sanctorum PP. doctrinâ versatissimi. Ille ergo in libro inscripto : Parallèle de la Philosophie Chrétienne, etc., p. 398, in not., cùm attulisset D. Augustini locum, et Lactantii alterum, ita ait : « On ne connait pas seulement par ce passage de Lactance, ce que c'était que les mimes et les comediens, et par conséquent quelle pouvait être la pudeur des Vestales, qui assistaient à tous ces spectacles, mais encore ce qu'il aurait pensé de toutes nos comédies d'aujourd'hui, qui assurément ne sont pas plus chastes que celles qu'il condamne avec tous les autres SS. Pères, qui sur ce sujet sont d'un consentement le plus unanime qui fût jamais. »

(1) « Cùm igitur in vinculis esset (Peregrinus) communem eam calamitatem rati Christiani, nihil intentatum relinquunt, ut illum eripiant. Deinde ubi hoc fieri non poterat, ministerium omne reliquum non obiter, sed summo studio peragebatur. Et manè quidem statim videres, præstò esse ad carcerem vetulos, viduas quasdam et orphanos. Qui verò honoratiores eorum, ii etiam, corruptis carceris custodibus, intra apud ipsum pernoctabant. Deinde cœnæ inferebantur collatitiæ, et sacri illorum libri recitabantur. Quin etiam ex Asiaticis quibusdam urbibus Christianorum missu publico venêre quidam adjuturi virum, et advocati ejus futuri, consolaturique. Incredibilem enim alacritatem ostendunt, si quid fiat publicè. Ut enim breviter dicam, nulli rei parcunt... Persuaserunt enim sibi miseri in universum quidem se futuros esse immortales, et perpetuo tempore victuros; unde etiam contemnunt mortem vulgò, suâque se sponte occidendos præbent. Deinde verò primus illis legislator persuasit, omnes esse invicem fratres, » etc. Lucian. de Morte Peregrini, tom. 3. Oper.

nagoras proferre posset (in Legat. pro Christian. num. 12) : « Quænam sunt illa placita, in « quibus enutrimur? Ecce : *Dico vobis, diligite inimicos vestros*. Per vos hoc loco mihi liceat, ut apud reges philosophos causam dicens, in sermonem magno clamore exau« diendum liberrimè erumpere. Quinam enim « vel ex his qui syllogismos resolvunt, ambi« guè dicta dissolvunt, et voces, unde dictæ « sint, explanant (hoc est inter philosophos)... « quinam, inquam, ex his ita puri, insontesque « vivunt, ut inimicos non modò non oderint, « sed etiam diligant, ac iis qui priores male« dixerunt, non modò non maledicant, quod « tamen moderatissimum videtur, sed etiam « benedicant, et pro illis precentur, qui ipso« rum vitæ insidiantur? » Ad tam sublime, heroicumque charitatis, amorisque fastigium progrediebantur Christiani, præcipuè dùm persecutiones sæviebant, dùm cruciatus acerrimi exquirebantur. Quare in Actibus autographis Martyrum sæpissimè legimus, eos pacem dedisse carnificibus, et pro tyrannis oràsse. Quòd si charitate tantâ fervebant, quàm attentos fuisse, ne in aliena jura delinquerent furtis, fraudibus, adulteriis, defectionibus credendum est? Quod autem ad defectionem præcipuè spectat, celebris est locus ille (jure inquit Fabricius de Veritat. Religion. christian. c. 5), ubi Tertullianus, historicis omnibus synchronis monumentis id confirmantibus, hæc ait (ad Scapul. cap. 2) : « Nunquàm Albiniani, « aut Nigriani, vel Cassiani inveniri potuerunt « Christiani : sed iidem ipsi, qui per Genios « eorum in pridie usque juraverant, qui pro « salute eorum hostias et voverant, et fece« rant, qui Christianos sæpè damnaverant, « hostes eorum sunt reperti. Christianus nul« lius est hostis, necdùm imperatoris, quem « sciens à Deo suo constitui, necesse est, ut « et ipsum diligat et revereatur, et honoret, et « salvum velit cum toto Romano imperio. »

Sed de virtutibus his, et de moribus Christianorum omnibus legi possunt antiqui apologistæ, Justinus, Tatianus, Athenagoras, Theophilus Antiochenus et Tertullianus; qui cùm apologias suas iisdem imperatoribus (1) obtulissent edidissentque, publicique juris fecissent, suspicioni cuilibet mendacii, quo procul dubio fuissent convicti, locum nullum relinquunt: atque ita, nedùm causam, cui patrocinabantur, tutarentur, prodidissent. Horum apologistarum autem, veterumque scriptorum omnium selectiora loca collegit illu-

(1) Baylius (art. Athenagoras, Remarq. B) opinatur primos fidei defensores scripsisse quidem apologias suas imperatoribus scriptas, et etiam in vulgus sparsisse, ratos aliquod exemplar in manus principum venturum, sed tamen illos eas nunquàm iis obtulisse. « Eo modo « (inquit) quo Calvinus in suo conclavi clau« sus Basileæ Francisco I nuncupavit suas « Institutiones christianas, quas neque ille « neque alii ei obtulerunt unquàm. » Hoc est unum ex usitatis Baylii mendaciis. Argumentum enim ex illorum temporum monumentis, quod res postulabat, et ut redargueret titulum, quem Apologiæ illæ præ se ferunt in fronte, erutum nullum affert. At nos ex antiquis monumentis contrarium elicimus. Eusebius lib 4, cap. 3, et in Chron. ad ann. 127, et post eum D. Hieronymus Epist. 84 ad Magnum Orator., ita scribit : « Quadratus Apostolorum discipu« lus, et Atheniensis pontifex Ecclesiæ nonne « Adriano principi Eleusina sacra invisenti « librum pro nostrâ Religione tradidit, et tantæ « admirationi omnibus fuit, ut persecutionem « gravissimam illius excellens sedaret inge« nium? » Simile quid legimus de Aristide, et ipso antiquo apologistâ apud eumdem S. Hieronymum de Scriptor. ecclesiast. cap. 20, in quo libro loquens de Justino Martyre hæc scribit : « Justinus philosophus pro Christi « Religione plurimùm laboravit, in tantum ut « Antonino Pio, et filiis ejus, et senatui librum « contra gentes scriptum daret, ignominiam« que Crucis non erubesceret. » Satis est legere utramque Apologiam hujus Patris, ut nobis persuadeamus, eas fuisse scriptum publicum oblatum ipsi imperatori, senatuique, ut postularet examen, judicium, sententiamque causæ. Quid plura? Justinus idem id testatur in Dialogo cum Tryphone n. 120, ubi ait, se appellâsse Cæsarem ἐγγράφως, hoc est, scripto inter acta publica relato, sicut intelligendum esse locum hunc argumentis multis probat Maurinus editor. Qui editor præterea in præfatione ad opera ejusdem Justini part. 3, cap. 13, n. 4, loquens de legatione Athenagoræ, ostendit contra Baylium, non tantùm fuisse scriptam, verùm etiam imperatori oblatam. Quàm autem aptè Calvini profugæ latentisque in cubiculo Basileæ, qui Religionem abjuraverat, exemplum conveniat cum iis primis germinibus Christi sanguinis, quæ provocabant persecutores ipsos, putabantque secum præclarè agi, si pro fide morerentur, prudens lector videt; acumenque singulare Baylii intelligit. Vid. Joan. Albert. Fabric. de Verit. Relig. Christ. cap. 5, et hoc dictum sit pro rei veritate. Cæterùm, quamvis daremus, eos scriptores apologias suas principibus non obtulisse, sed solùm eas edidisse sperantes, ut aliquod exemplar ad eorum manus perveniret, ut effingit ad libidinem Baylius, tamen argumentum nostrum ex testimoniis eorum scriptorum deductum vim suam haberet. Non enim credi potest, eos Christianos fuisse adeò imprudentes bardosque, ut permiscerent gesta invisa, falsaque; quæ cognita et apud vulgus, et apud principes (qui ea legere poterant), plurimùm bonæ causæ, quam defendendam susceperant, detrimenti attulissent.

stravitque memoratus P. M. Mamachius (tom. 4 Originum christianarum), et in tribus tomis. quos italo sermone composuit (*de' Costumi de' primitivi Cristiani*). Videmus ibi ex testimoniis omni exceptione majoribus, quænam eorum fidei integritas, eorum spei firmitas, eorum charitatis æstus, eorum cultûs sanctitas, terrenorum contemptus, humilitas, temperantia, justitia, pax, orandi fervor, præcipuè invicta in defendendâ coram immanissimis tyrannis veritate fortitudo (de quâ dicemus alibi) fuerit. Ibi, ut breviter dicam, videbimus clarissimâ sub luce *phænomenum* illud, quod nos hic tantummodò indicavimus, innocentiam videlicet sanctitatemque morum in mortales fœdissimos per Evangelium inductam; quod nulla alia doctrina præstiterat ante, neque postea unquàm præstitit. Quam veritatem his verbis Eusebius explicat Lib. 1 Præpar. Evangel. cap. 4: « Illius autem utilitatis, quæ palam « doctrinæ hujus prædicationem consecuta est, « cuivis rem secum attentè reputanti clarum « hoc inprimis, et illustre specimen, intueri « licet: quòd nec aliàs unquàm ex hominum « memoriâ, nec ab eorum ullo, qui famâ quon- « dam nominis et existimatione floruerunt, sed « tantùm ex quo ipsius doctrinæ per universum « orbem diffusæ verbis, et concionibus homi- « num aures afflari cœperunt, continuò factum « sit, ut qui ferini priùs, ac barbari nationum « omnium mores fuerant, iidem lenioribus et « humanioribus institutis mansuescerent (1). »

Demonstratio itaque ad præcedentis sectionis finem allata hìc repetatur. Hominum morum corruptorum priùs, turpiumque immutatio, ut casti integrique essent, ita ut omnia jura, virtutesque colerent, est opus hujusmodi, quod nulla unquàm religio, aut doctrina patravit, et quod longè multùmque humanæ naturæ vires exsuperat, ut exempla omnia, intimaque singularis experientia demonstrant. Atqui hanc admirandam conversionem per evangelicam legem perspicuè et evidenter factam cernimus; quam hujus ipsius Religionis hostes acerrimi factam fuisse et agnoverunt, et in gratiis suis fassi sunt, ut hactenùs probavimus. Lex ergo hæc à Deo est, qui unus ita humana corda, quod nunquàm vires, curæque hominum effecerunt, aut efficere possunt, potis est immutare; quandoquidem ille unus Deus, inquit D. Prosperus *Carmine de Ingratis*, v. 333:

(1) Vide præterea Clementem Alexandr. in principio eruditissimi Operis: *Admonitio ad Gentes*, ubi eadem, quæ Eusebius, dicit.

Sic priùs immites populos urbesque rebelles
(Vincente obstantes animos pietate) subegit.
Non hoc consilio tantùm hortatuque benigno
Suadens atque docens, quasi normam legis haberet
Gratia; sed mutans intùs mentem atque reformans,
Vasque novum ex fracto fingens virtute creandi.

Sectio IV. — *Tertia nota doctrinæ christianæ. — Pernix lataque ejus propagatio.*

Conversio humanorum cordium per Religionem facta satis superque eam divinam esse demonstrat; sed circumstantiæ, quibus fides hujus immutationis instrumentum propagata fuit, mirum quantùm ponderis huic demonstrationi addunt. Hoc est illud quod demonstrandum suscipimus. Sic habeto paucis argumentum. Religio Christiana totum terrarum orbem quàm citissimè pertinuit; tamen humano lumine considerata secum gestabat, offendebatque in hominibus obstacula omnia invicta, ut amplificaretur, imò ut permaneret; ejus igitur propagatio est divina. A pernici latâque ejus propagatione sumamus initium.

Imperante Augusto, orbis totus (si Palæstinam Hebræam excipias) erat gentilis. Regnante Nerone, Romæ, quæ erat et idololatriæ et imperii sedes, Tacitus (1) multitudinem maximam Christianorum fuisse dicit; tamen ut ille ait, « hæc secta in Judæâ, ubi magis amplificabatur, nata erat; ejus auctor fuerat Christus, qui sub Pontio Pilato procuratore, morte fuerat mulctatus. » Ab hoste infensissimo initium Religionis Christianæ, ejusque incrementum habemus. Celebris in Dione est locus (2), à quo scimus, Cons. Romanum, qualis fuit Flavius Clemens et Domitillam ejus uxo-

(1) « Auctor nominis ejus (Christiani) Chri- « stus Tiberio imperitante per procuratorem « Pontium Pilatum supplicio affectus erat. « Repressaque in præsens exitiabilis supersti- « tio rursùs erumpebat; non modò per Ju- « dæam originem ejus mali, sed per urbem « etiam... Igitur primò correpti, qui fatebantur, deinde indicio eorum multitudo in- « gens. » Tacit. Annal. lib. 15, c. 44.

(2) « Domitianus cùm alios multos, tùm verò « Flavium Clementem Cons. (etsi is conso- « brinus ejus erat, ac Flaviam Domitillam, et « ipsam Domitiani consanguineam uxorem ha- « bebat) morte affecit, illato ambobus (ἔγκλημα « ἀθεότητος) crimine impietatis in deos: quo « crimine (καὶ ἄλλοι πολλοὶ) et alii plures, qui « ad mores Judæorum aberraverunt, damnati « sunt: quorum pars occisa est, pars spoliata « facultatibus. Domitilla tantummodò in Pan- « dateriam relegata est. » Xiphil. ex Dion. in Domit. n. 14, secuti sumus nitidissimam Rheimari editionem ultimam. Nomine autem ἀθεότητος intellectam fuisse Christianam fidem idolorum contemptricem advertimus alibi, com-

rem, propinquum utrumque Domitiani, Christianos fuisse, et hâc de causâ ab immani imperatore simul cum aliis pluribus capite plexos fuisse. Trajano rem tenente, Plinius Junior (1) proprætor in Bythiniâ innumeros reperit Christianos in urbibus, in pagis, in agris, cujusque ætatis, conditionis, sexûs, etiam morte contemptâ, quæ illis denuntiantur, prope jam desolata esse templa i 'olorum, et eorum sacrificia jamdiu intermissa. De quâ re imperatorem consulit quid sibi sit agendum. Ad Trajanum etiam eodem modo scribit primæ Palæstinæ præses Tiberianus (2) qui « se defatigatum dicebat puniendo et neci tradendo « Christianos, qui non cessabant ad cædem se « patefacere. » Trajani etiam ætate Romam venit sanguine suo Christianam fidem testaturus S. Ignatius, qui ad Philadelphenses scribens, ait, « Ecclesiam sanguine Christi fundatam per « Apostolorum labores, curasque jam propagari, à terræ terminis usque ad terminos. » S. Justinus Martyr, qui Antoninorum temporibus florebat, in Dialogo cum Tryphone ait « nullam fuisse nationem hominum aut barba« rorum, aut Græcorum, aut cujuscumque al« terius nominis vocarentur, aut incolerent « paludes, aut carerent tecto, aut in taberna« culis viverent, aut armenta ducerent ad pas« cua, à quibus preces, gratiarumque actiones « ad Patrem, Creatoremque universi in no« mine Jesu Christi crucifixi non effunderen« tur. » Ecclesias Christianas recenset S. Irenæus qui post medietatem secundi seculi vivebat, erectas in Germaniâ, in Hispaniis, in Galliis, in Oriente, in Ægypto, in Libyâ, et in Meditullio, hoc est, Jerosolymæ, et in Judæâ. Alibi (1) autem ait apostolicas traditiones orbem totum fuisse pervagatas; et in omnibus Ecclesiis vigere. Regebantur hæ à pastoribus suis, mutuoque amore secum invicem conjungebantur; omnium autem centrum, caput et magistra habebatur Ecclesia Romana, ut ille ait in eo perillustri loco, qui semper hæreticos torsit, et novississimè Grabbium, qui secundùm Salmasium ridiculis modis eum explicare satagit. « Ad hanc enim Ecclesiam (inquit ille lib. 3, « cap. 3, n. 1 et 2), propter potiorem prin« cipalitatem necesse est omnem convenire « Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique « fideles, in quâ semper ab his qui sunt undi« que, conservata est ea quæ est ab Apostolis, « traditio. » (Vid. Cl. Massuetti Dissert. 3, præviæ ad opera Iren. art. 4, n. 31 et seq.) Ex quibus aliisque plurimis, qui in hujus S. Patris operibus occurrunt, dicendi modis corpus et hierarchia Catholicæ Ecclesiæ ejus a tate per orbem totum diffusa, stabilisque perspicuè colligitur. In fine secundi seculi florebat in Africâ Tertullianus, et in præclarissimo suo Apologetico (1) gentes alloquens, hæc dicere iis non dubitat : « Hesterni sumus, et vestra om« nia implevimus, urbes, insulas, castella,

munisque eruditorum sententia est, ut ibi in adnotationibus observat Fabricius, ubi etiam ostendit, nomine Judæorum à Dione nominatorum à multis vocatos fuisse Christianos; nec aliud significare potest historicus. Nolo hic supersedere, quin animadvertam, ex hoc Dionis loco, sicut etiam ex aliis in lib. 1 recensitis, lumen accipere, mutuòque referre inscriptionem, quæ seculi secundi creditur, à viro ethnico uxori christianæ, ideòque impiæ appellatæ, positam. Inscriptio, allata jam à Patre de Colonia, rursùsque edita à diligentissimo Mannio in libro cujus titulus : *Principi della Religione Crist. in Firenze,* hæc est :

D. M.
ET . MEMORLÆ . ÆTERNÆ
SVTLÆ . ANTHIDIS
QVÆ . VIXIT . ANNIS . XXV.
MEN. IX. D. V QVÆ . DVM
NIMIA . PIA . FVIT . FACTA
EST IMPIA . ET . ATTIO . PRO
BATIOLO . CERIALIUS . CALLISTIO
CONIVX . ET . PATER . ET . SIBI VIVVS
PONENDVM . CVRAVIT
ET . SVB . ASCIA . DEDICAVIT

(1) « Visa est mihi res digna consultatione « propter periclitantium numerum. Multi enim « omnis ætatis, omnis ordinis, utriusque sexûs « etiam vocantur in periculum, et vocabun« tur. Neque enim civitates tantùm, sed vicos « etiam, atque agros superstitionis istius con« tagio pervagata est... propè desolata templa, « et solemnia diu intermissa. » Plin. lib. 10, « Epist. 97 ad Trajan.

(2) « Defatigatus sum puniendo, et neci « tradendo Galilæos (qui nobis veniunt sub « nomine Christianorum) secundùm vestra « mandata. Illi verò non cessant ad cædem « sese patefacere. » Meminit hujus Epistolæ Suidas in Tpaiavo; : Cottelerius eam affert G L. tom. 11, Patr. Apostol. alibi de eâ suspicatur, quia non memoratur ab Eusebio, sed docti, quos appellat Fabricius *Lux Evangel*, cap. 7, ex hoc argumento de illâ non dubitabunt.

(1) Traditionem itaque Apostolorum in toto mundo manifestatam in omni Ecclesiâ adest respicere omnibus, qui vera velint videre..... Sed quoniam valdè longum est in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones, maximæ et antiquissimæ, et omnibus cognitæ à gloriosissimis duobus apostolis Petro et Paulo Romæ fundatæ, et constitutæ Ecclesiæ, eam quam habet ab Apostolis traditionem... indicantes. Lib. 3, cap. 3, n. 1.

(2) De anno quo opus celebre lucem vidit lege Jom. Laurent. Mosheimi Disquisit Chronolog. Critic. de verâ ætate Apologetici à Tertulliano conscripti. Est in fine ipsius Apologetici illustrati et editi ab Havercampio.

« municipia, conciliabula, castra ipsa, decu-« rias, Palatium, senatum, forum, vobis tem-« pla reliquimus » (cap. 37). Iisdem dicendi modis utitur in parvo libro, quem ad Scapulam scripsit de Carthagine nominatim loquens (ad Scapul. cap. 5), Christianosque et plurimos numero, et conditione et ætate diversos recenset : atque ita à persequendis nostris illum præfectum idololatram, oculis ei subjiciens, quàm magna fut ra esset strages, si solùm illius provinciæ urbis principis *decimarentur* Christiani, se revocare posse arbitratur. Sed fusiùs hæc tractat doctor Afer in Hebræos disputans (Advers. Judæos cap. 7) : « In quem « alium, inquit, universæ gentes crediderunt, « nisi in Christum qui jam venit?... (Numerat « hic Parthos, Medos et Elamitas, aliosque « populos, de quibus fit mentio cap. 11 de « Actibus Apost.) Ut jam Getulorum varieta-« tes, et Maurorum multi fines, Hispaniarum « omnes termini, et Galliarum diversæ natio-« nes, et Britannorum inaccessa Romanis loca, « Christo verò subdita ; et Sarmatarum, et « provinciarum, et insularum multarum nobis « ignotarum, et quæ enumerare non possu-« mus: in quibus omnibus locis Christi nomen « qui jam venit, regnat : utpote ante quem « omnium civitatum portæ sunt apertæ, et « cui nullæ sunt clausæ, ante quem seræ fer-« reæ sunt comminutæ, et valvæ æreæ sunt « apertæ. » Hinc omnium clarissimorum imperatorum ex Barbariâ, ex Græciâ, ex Romanis præstantissimum fuisse Christum, ostendit. « Christi autem regnum ubique porrigitur, « ubique creditur, ab omnibus gentibus supra « enumeratis colitur, » etc.

Nihil factu facilius esset quàm multa alia Origenis, Arnobii, Lactantii, Eusebii, Theodoreti, Joannis Chrysostomi loca conglomerare; quæ quàm feliciter per totum orbem fides Christiana ab Apostolis prædicata usque ad ea tempora, quibus scribebant, fuisset propagata, satis apertè testantur. Perversè quidem sensit Campegius Vitringa (Observat. Sacrar. lib 4, cap. 7), Religione Calvinista, qui putat, et diffusè probare studet ab initio Neronianæ persecutionis usque ad Trajani tempora Christianorum fervorem deferbuisse, propagationem Religionis velificari desiisse, numerumque fidelium imminui cœptum. Hæc opinio tamen fuit à P. M. Mamachio satis validè refutata, solaque à nobis allata testimonia ad illum falsitate coarguendum sufficiunt. Tot Christianæ hostiæ et in Palæstinâ, et in Bithyniâ, et Romæ Trajani ætate immolatæ num fortassè tunc temporis è cœlo deciderant, et repentè fidei nota iis fuerat inusta? Copia hæc tam ingens electorum fructuum annon arborem jam robustam, fœcundissimam et quoquoversùm ramos extendentem suos significat? Domitianus, qui *Neronis portio* à Tertulliano vocatur, quique annos septem et decem ante Trajanum imperium accepit, annon amplam Christianorum segetem invenit, in quam falcem suam crudeliter mitteret? At ne, quod veteri vetamur proverbio, actum canamus ; hoc enim argumentum doctè, eruditèque, si quis alius, Theologus noster modò memoratus pertractavit (Origin. Christian., tom. 1 πάρεργον ad cap. 6, lib. 2) haud impar congressus cum protestante illo erudito quidem, at æquè perperam de multis Religionis capitibus opinante. Ad propositum potiùs nostrum redeamus.

Præter auctorum, qui litterarum monumentis ea mandabant, quæ suismet oculis videbant, testimonia, et qui quanquàm nostrarum sunt partium, suspecti esse non possunt ; nunquàm enim, præcipuè in scriptis polemicis, tanquàm rem in propatulo positam propagationem hanc fidei admirandam dixissent, quoties ab adversariis mendacio coargui potuissent ; præter hæc testimonia, inquam, actus autographos habemus, catalogos, et cujuscumque generis monumenta, quæ numerum incredibilem Christianorum pro fide cruciatorum, datorumque neci in decem claris persecutionibus in Ecclesiam motis, quarum primæ auctor Nero fuit, ultimæque Diocletianus, demonstrant. Non sum nescius, magni nominis criticum, qualis Dodwellus fuit (in Dissert. 11. inter Cyprianicas, quæ inscribitur de Paucitate Martyrum) nullum non movisse lapidem, ut maximam vim hanc martyrum levibus conjecturis, argumentisque negativis, quæ nihil probant, vel quia nimis probarent, vel quia à contrariis affirmantibus evertuntur rationibus, imminueret. Livor in Orthodoxam Ecclesiam, quæ jure ac meritò ut vera solaque mater de tot heroibus gloriatur, hunc etiam eruditum virum egit transversùm. Sola Tertulliani, Eusebii, Lactantiique operum lectio ; historia unius decimæ, diutinæ, immanissimæ et universæ persecutionis, acta autographa eorum cruentorum certaminum, quæ nobis supersunt ; scriptores non Christiani modò, sed etiam ethnici, consensus universus omnium Ecclesiarum per tot secula, non solùm eum de errore suo debebant convincere, sed etiam pudore suffundere. *Roma Subterranea* Arringhii nonne oculis nostris subjicit mar-

tyrum tumulum ita magnum, ut ipsa Roma patet? Neque spectaculum hoc novum Dodwello videri debebat; poterat enim illud in Prudentio, quarti seculi scriptore legere, ab ipso cæteroquin producto, at perperam, qui ita hymnum 11 incipit :

ΠΕΡῚ ΣΤΕΦΆΝΩΝ.

Innumeros cineres sanctorum Romulâ in urbe
Vidimus, ô Christo Valeriane sacer.
Incisos tumulis titulos, et singula quæris
Nomina? Difficile est, ut replicare queam.
Tantos justorum populos furor impius hausit
Quùm coleret patrios Troia Roma deos.
Plurima litterulis signata sepulcra loquuntur
Martyris aut nomen, aut epigramma aliquod.
Sunt et muta tamen tacitas claudentia turbas (1)
Marmora, quæ solum significant numerum.
Quanta virùm jaceant congestis corpora acervis
Nôsse licet, quorum nomina nulla legas.
Sexaginta illìc, defossas mole sub unâ
Relliquias memini me didicisse hominum.
Quorum solus habet comperta vocabula Christus,
Utpote quos propriæ junxit amicitiæ.

Quòd si tot victimæ Romæ tantùm furori gentili immolatæ fuerunt, quid evenisse dicemus in reliquo imperio, ubi modò minùs, modò vehementiùs Christiano nomini exquisitissima tormenta fuerunt inflicta (2)? Sed Dodwelli somnia ab hominibus doctissimis fuerunt confutata, et potissimùm à Cl. P. Ruinarto in præfatione ad Acta selecta Martyrum, in quâ eum protestantem intra vallum ipsum aggreditur et urget, numerumque *immensum* (ut omnia monumenta loquuntur) Christianorum martyrum strenuè propugnat.

Rebantur itaque (et sanè ita evenire debebat) tam atroci bello debellatam fuisse fidem., et tot cladibus Christianum nomen prorsùs deletum. Hinc veluti ob præclarissima gesta Diocletiani immanitati pagani plaudebant; quod quædam lapidea monumenta in Hispaniis inventa testantur (1). « At Martyrum sanguis « Christianos germinabat, » ut loquitur Tertullianus (Apolog. cap. ult.). Ex persecutionibus Christianorum numerus augebatur ; si qui autem cedebant, alii in eorum locum prodibant; et si qui erant in exilium acti, aut ultrò ab imperio Romano fugerant, ad barbaras gentes migrabant, prædicabantque ibi fidem, eam propagabant. Atque hic fuit unus ex miris ejus propagationis modis, non secùs ac flamma, quæ alicui nemoris arbori adhærescens tantum abest, ut vento contrario flante extinguatur, ut etiam magis magisque accendatur, latiùs serpat et remotissimas quoque plantas incendat ; quod animadvertit Eusebius in Constantini Vitâ (lib. 2 cap. 53). Interea peribant, qui Ecclesiam Christi fuerant persecuti (2) : ipsa firma fœcundaque permansit; cujus rei evidenti argumento sunt, vel sola concilia quarto seculo, vel dùm crudelissima Diocletiani sæviebat persecutio, vel annos haud multos post coacta et habita. Convenientes simul pastores de negotiis gregis sui agunt, de fidei puritate custodiendâ, de morum disciplinâ agunt. Concilio Nicæno anno 325 celebrato tercentum decem et octo episcopi, et penè omnes orientales interfuerunt. Quis non videt, quam latè in illâ unâ orbis parte annos duodecim aut circiter post acerbissimas cædes à Diocletiano et Maximiano factas Ecclesia floruerit? At superàrat Religio. Roma publicè crucem colebat ; quæ non in Labaro tantùm splendebat, sed diadema ipsius Constantini primi imperatoris Christiani ornabat; Romanaque signa auspiciis hujus felicissimi principis ab Oriente in Occidentem

(1) Editiones habent quidem vulgò *Tumbas*: videtur tamen meliùs legi *Turbas*. In annotatione Editionis in usum Delphini dicitur, Giselinum legere turbas, et ita legit Muratorius, proferens locum hunc in Anecdot. t. 2 p. 200.

(2) « Gentiles erant imperatores Augustus, « Tiberius, Caius, Nero, Vespasianus, Titus, « et post illum omnes usque ad tempus beati « Constantini imperatoris, omnesque illi, alii « minus, alii vehementiùs Ecclesiam oppugna- « bant; oppugnabant tamen omnes. Quod si « qui eorum visi sunt mitiùs agere, hoc ipsum « tamen, quòd imperatores pagani in impietate « viverent, materia bellorum erat, cùm alii, « qui ipsis adulabantur, gratiam illorum cap- « tantes Ecclesiæ bellum inferrent. » Chrysostom. *Quòd Christ. sit Deus*, t. 1, n. 15.

(1) Apud Gruterum p. 280. 3, in Hispaniâ :

DIOCLETIANUS. IOVIUS. ET
MAXIMIAN. HERCVLEVS
CAES. AVGG
AMPLIFICATO. PER. ORIEN
TEM. ET. OCCIDENTEM
IMP. ROM.
ET
NOMINE. CHRISTIANORVM
DELETO. QVI. REMP. EVER
TEBANT.

Ibidem, 4.

DIOCLETIAN. CAES.
AVG. GALERIO. IN. ORI
ENTE. ADOPT. SVPERS
TITIONE. CHRIST.
VBIQ. DELETA. ET. CVL
TV. DEOR. PROPAGATO.

(2) Vide præstantem librum de Mortibus persecutorum plurimis illustratum notis in ultimâ editione Lactantii. Parisiis 1748.

peragrârunt, ut ait Eusebius, et quàcumque terrarum Edem triumphum speciosissimum agentem circumduxerunt. Ut eam amplificaret disseminaretque imperator, ipse se à Deo electum, totque insignitum victoriis prædicabat; summâque perfundebantur lætitiâ populi; quod in aliâ præcedentibus contrariâ omninò in Hispaniis quoque inventâ inscriptione legimus (1); clariùsque etiam multò ex legibus quas pro christianâ Religione tulit contra idololatriam et Judaismum Constantinus ipse, colligimus. Itaque hactenùs à nobis de Evangelii propagatione dicta clarissimi recentis auctoris prudentissima animadversio confirmet (Fleury, second discours sur l'Histoire Ecclésiast. num. 2) : « Benè peragendo retuderunt « Christiani calumnias, quæ illis affigebantur; « patientiâque persecutores defatigârunt. Tandem post annos tercentos dominata veritas « est, imperatoresque ipsi ejus tutelam susce« perunt. Tunc vera Religio quantùm à falsis « differret, patuit. Idololatria per se cecidit, « cùm publicâ majestate, quâ sustentaretur, « caruit. Ut id evidenter Deus ostenderet, « quinquaginta annos post Juliani imperatoris « apostasiam permisit, qui omnibus imperii « viribus, præsidiisque philosophiæ magiæque « armatus restituere idololatriam non potuit. « Ille ipse pluribus suorum operum in locis « queritur, et præcipuè contra populum An« tiochenum. Dùm ethnicorum mores refor« mare intendebat, invitus sanctitatem chri« stianæ Religionis, quam imitari satagebat, « testabatur; ejusque persecutio, licet singu« laris esset ac subdola, magis magisque ve« ritatem confirmavit. Unà cum ejus regno « corruit idololatria; Romaque ab illo nonnisi « Christianos imperatores habuit. »

Cùm satis apertè probaverim primæ propositionis meæ partem, scilicet citissimam et latissimam quoquoversùm fidei dilatationem, ad secundam nunc transeo : hoc est, si res humanâ ratione perpendatur, fidei hujus propagationi tot adversabantur obstacula, ut non modò debuerit augeri, sed decrescere et imminui, ita ut aliud ab eo quod evenit eventurum esset, nisi Deus ipse fidem suam sustinuisset. Ex variis animadversionibus hujus propositionis confirmatio deducetur, singulis certissimis, ex quibus illatio, quod sperare me juvat, evidentissima consequetur.

Animadversio prima ex Augusti seculo, quo Christi Religio primum caput exeruit, lucemque aspexit, petatur, subsequentiumque Cæsarum, quibus regnantibus diffusa fuit.

Roma, Græciâ victâ, Asiâ debellatâ triumphatâque Ægypto, jam erat rerum domina. Ex Orientis victoriis maximas sibi comparaverat divitias (1). Simul cum peregrinis opibus etiam peregrina vitia Romam migrârunt. Mollities, voluptates, luxus, quæ exempla Cæsarum, licentiaque populorum fovebant, eò fuêre progressa, ut, quod sæpè de aliis rebus evenire solet, non dicam credere, sed mente quoque concipere sit difficile (2). Quodvis corruptelæ genus grassabatur, Religioque etiam eam confirmabat. Avaritia immodica, crudelisque jactantia erat comes assidua divitiarum, dùm fortuna stabat. Una plebis erat cura pergræcari, circique theatrique interesse spectaculis (3). Eamque hujusmodi rebus detinere summa erat imperantium ars politica (4). Simul cum *parvarum casarum, humilisque fortunæ casu* prolapsa etiam fuerat *Latinarum matronarum*

(1) Apud Gruterum 159, 4 Emeritæ :

IMP. CAES. FLAVIVS
CONSTANTIN. AUG.
PACIS. ET. IVSTITIÆ
CVLT. PUB. QUIETIS
FVND. RELIGIONIS
ET. FIDEI. AVCTOR
REMISSO. VBIQVE
TRIBUTO. FINITIME
PROVINC. ITER
RESTAVR. FECIT
CXIIII.

(1) *Nunc patimur longæ pacis mala : sævior armis*
Luxuria incubuit, victumque ulciscitur orbem.
Nullum crimen abest facinusque libidinis, ex quo
Paupertas Romana perit. . . . .
. . . . .
Prima peregrinos obscœna pecunia mores
Intulit, et turpi fregerunt secula luxu
Divitiæ molles.
Juvenal. Satyr. 6, v. 292.

« Sic Asia Romanorum facta, cum opibus « suis vitia quoque Romam transmisit. » Justin., lib. 36.

(2) Vid. Stanislai Kobirzykii, de Luxu Romanorum, lib. 2; est in collectione Grævii, t. 8 : et etiam Meursium de eodem argumento.

(3) . . . *Duas tantùm res anxius optat,*
Panem et circenses.
Juvenal. Satyr. 10, v. 8.

(4) De hoc Augustum monuit Pylades ille histrio insignis memoratus ob id, laudatusque à Dione Cassio. « Proinde sapienter admodùm « Pylades ab eo (Augusto) objurgatus, quòd « cum Bathyllo eamdem artem (histrionicam) « exercente, et Mœcenatis familiari, rixaretur, « respondisse fertur : Expedit tibi, Cæsar, po« pulum nobis intentum tempus consumere. » Lib. 54, in Augusto. Num hoc principium politicæ histrionicæ in hoc sensu acceptum locum habere debeat apud Christianos principes, ut quidam scriptor recens vult, viderint alii. Vid. Notas in locum Dionis.

pudicitia (1), modestia, labor, et in earum locum impudicitia, licentia, luxus immodicus successerant. Vivendi actiones Romanarum Augustarum nobis sunt argumento. Quid hinc consequeretur, unusquisque, vel me tacente, videt.

Athenæ, aliæque Græciæ urbes (2) cum suis divitiis etiam vitia sua Romam intulerunt. Artes ingenuæ, scientiæque ibi florebant. Philosophiam ergo, mari trajecto, Roma excepit; quæ in duas sectas erat divisa, Stoicam, et Epicuream. Illa fovebat superbiam, hæc voluptates consectabatur: apta enimverò Romanorum ad indolem remedia. Gymnasia itaque, rostra, nobilium cubicula, palatium Cæsarum philosophiæ præcepta personabant. Roma philosophis scatebat. Disputare, scire omnes avebant; at perversè sciebant. Philosophica theoremata non sanabant, sed augebant animi superbiam pravosque cordis affectus. Adrianus (vide Spartianum *in Adriano*), ut alios prætermittam, et disputabat cum philosophis, et *muliercularum more* lugebat, deperibatque Antinoum. Vulgò tamen Cæsarum ætate artes liberales, imitatio morum et elegantiarum Atticarum magis Romæ excolebantur. Non dicam statuas, toreumata, gemmas insculptas, picturas aliaque opera, quæ ex *perspectivâ* nascuntur, in Græciâ orta, quæ anxiè Romani inquirebant, magnâque auri copiâ sibi comparata sedulò custodiebant, supellectilemque *hominis beati*, ut ait Cicero *Lib. 2 de Nat. deor. c.* 37, putabant. Hoc dico, artem oratoriam, poesimque et quidquid litterarum humaniorum nomine significatur, Græcis exemplaribus (3) ad imitationem propositis, Augusti ætate ad unguem perfectas summo in pretio fuisse. Quælibet ejus seculi opera ex ingenio profecta, quæ ad nos pervenerunt, præstantissima ducuntur. Vulgo tamen rationis Græcorum vivendi imitatio magis cordi erat. Tangebantur instrumenta (4), saltabatur, palæstra exercebatur, cœnabatur, bibebatur, et alia his similia Græcorum more fiebant: inprimis tamen studium Atticè loquendi erat tam immodicum, ut (nempe sicut hâc quâ vivimus ætate nemo, nisi qui omnia Gallicè peragit, præsertimque qui Gallicè non loquitur, et non scriptitat Gallicè, elegans habètur, quamvis fortassè Italam natalem linguam ignoret) mulier formosa non putaretur illa, quæ de *Tuscâ non esset facta Græcula* (1); hic enim erat leporum, venerumque sermo, quo non solùm puellæ, sed matronæ, Cæsaresque utebantur ad animi affectus significandos (2).

Paucis adumbrata civilis Augusti seculi, Cæsarumque subsequentium hæc est imago. Pauca etiam quædam de Religione dicamus. Erat illa cùm superstitiosa, tùm exculta. Quidquid mythologia fictioque jam commentatæ fuerant, erat apud Romanos religio. Agmen deorum ultra id quod credibile est, magnum; ex iis alii erant mares, alii feminæ; erant nobiles, plebeii, cœlestes, inferi, rurales, civiles. Etiam dii peregrini locum habebant Romæ, iisque tanquàm advenis honore dignis præstabatur cultus (3). Quæ de his numinibus narrabantur erant probrosa; cæremoniæ quibus colebantur, erant aut ridiculæ, aut crudeles, aut infandæ. Roma tamen has impietates dementiasque vero cultu et obsequio observabat. Frequentia collegia ministrorum ad hæc tam gravia negotia peragenda selectorum erant instituta, iis adscribebantur et genere et honoribus viri amplissimi. Pontificatum maximum, cui omnes religiones subjiciebantur, à morte Lepidi triumviri iniit Augustus (Sueton. in Aug. n. 31), retentusque fuit ab imperatoribus omnibus usque ad Gratianum, ut nummi et marmora testantur. Emolumenta decoraque Vestalium erant ex præcipuis Romæ. Templa frequentia et magnifica; supellex, muneraque magni pretii; aliquot reliquiæ, quæ supersunt,

(1) *Præstabat castas humilis fortuna Latinas*
Quondam; nec vitiis contingi parva sinebat
Tecta labor, somnique breves, et vellere Thusco
Vexatæ, duræque manus. . . . . . .
Juvenal. Satyr. 6, v. 287.

(2) *Græcia capta ferum victorem cepit, et artes*
Intulit agresti Latio.
Horat. Epist. Lib. 2, Epist. 1 ad August.

(3) Legatur immortalitate digni Lazzarini Oratio 1, pro optimis studiis, habita anno 1711.

(4) *Venimus ad scholiam fortunæ, pingimus atque*
Psallimus, et luctamur Achivis doctiùs unctis.
Horat. Epist. Lib. 2, Epist. 1, v. 33.

(1) . . . . *Se non putat ulla*
Formosam, nisi quæ de Thuscâ Græcula facta est,
De Sulmonensi mera Cecropis, omnia Græcè,
Cùm sit turpe magis nostris nescire Latinè.
Hoc sermone pavent, hoc iram, gaudia, curas,
Hoc cuncta effundunt animi secreta. Quid ultra? etc.
Juvenal. Satyr. 6, v. 185.

(2) « Imbutus Adrianus Græcis studiis, ingenio ejus sic ad ea declinante, ut à nonnullis Græculus diceretur. » Spartian. in Adrian.

(3) Ideò à Theophilo Antiocheno, ni fallor, fuit appellata Roma ἐπιτομὴ τῆς δεισιδαιμονίας, compendium superstitionis; quod elogium æquè illi conveniebat ac illud, quod legimus apud Athænæum lib. 1, cap. 17, ἐπιτομὴ τῆς οἰκουμένης.

præter ea quæ narrant historici, fidem faciunt. Antequàm quidquam alicujus momenti vel quoad bellum, vel quoad pacem susciperetur, auspicia ab Jove petebantur; oracula consulebantur, divinationi habebatur fides. Omninò religio stulta impiaque erat negotium maximum, quod sollicitos habebat Cæsares, senatumque et plebem; reipublicæ enim gubernatio, resque privatæ, vitaque cum religione aut ex magistratuum arte, aut ex superstitione erant conjunctæ, et ad ipsam semper referebantur. Augusti seculi hæc facies erat, Cæsarumque subsequentium; seculi artibus scientiisque exculti, voluptatibus, ambitioni licentiæque et impotentiæ addicti, auro, ædificiis, triumphis conspicui, superstitioni dediti, quæ spiritum, utpote quæ fovebat omnes malas cordis cupiditates, illaqueabat.

Quod autem de Romà diximus intelligi volo, habità ratione, de toto Romano imperio, et præsertim de civitatibus principibus provinciarum, quæ ex crebris imperatorum itineribus, et præsidiis militaribus, et civilibus magistratibus, ex pluribus commerciorum generibus mores Romæ addiscebant, et quoad per se fieri posset, eos imitari studebant.

Ad Christi Religionem nunc mentis oculos convertamus, consideremusque, num seculo ejusmodi posset illa, si à Deo non esset, disseminari, fierique, ut reverà facta est, orbis domina. Omnibus imperii diis, quorum præsidio, et condita, et amplificata *immortalis urbs* censebatur, bellum indicebat. Jupiter Capitolinus, quem venerabantur inter triumphandum orbis victores, per recentem hanc Religionem inanis vox erat; alia numina omnia et singula, aut dæmones erant aut nihil. Ac proinde iis dedicata templa amentiam redolebant; sacrificia iis oblata erant superstitio, sacerdotes sycophantæ, Vestales fanaticæ, pontifex maximus comœdus, imò auctor errorum, scelerum, impietatis. Hoc erat christianæ Religionis theorema primum. Jam quì recipi poterat Romam à Cæsare primùm, deinde à populo? non solùm universa, et inveterata persuasio, sed politica, sed cupiditas, sed præjudicia altè defixa pectore obstabant, quæ ex tot numinibus, quæ cernebantur, quæ habebantur augusta, quibus urbs tota referta erat, referebanturque ad religionem, originem suam trahebant. Legatur Symmachi (1) relatio ad Valentinianum, Theodosium, et Arcadium Auggg., pro veteri deorum cultu, et ex eo quòd hic ad quarti seculi finem, hoc est, cùm jam nostra Religio dominabatur, dicit, quisque præjudiciorum vim arguat, quibus occupati populi fuerint tum cùm idololatria pacata, reginaque imperabat. Pergamus porrò. Idolis confractis, solo æquatis deorum ædibus, extinctis ignibus, impiis sacerdotiis eliminatis, Deus adorandus amandusque proponendus est; novaque Religio eos docet, esse hunc Jesum Christum, hoc est, ejusmodi, qui ex paupere Virgine in Judæà natus est, qui latitans ibidem per plures annos vixit, qui tandem, ita efflagitante populo suo, sub Pontio Pilato Tiberii procuratore simul cum duobus latronibus cruci affixus obiit; dici hunc Jesum Christum Deumque, et Deum quidem solum, et eumdem cum Patre suo, qui in cœlis est; dici, eum mortuum esse et resurrexisse, inde ad cœlos ascendisse, unde judicaturus homines venturus sit; omnes homines debere resurgere cum corporibus suis, ut pro meritis aut præmium aut supplicium æternum recipiant, quod ille electus judex constituet. Quid ad hæc Romanam amplitudinem et mortalem philosophiam dixisse putamus? Ipsum Judæi nomen, ut Tacitus testatur (Hist. lib. 5), Romanis abjectum erat et invisum; nomen autem crucis ita odio habebant, ut vellet Cicero, ut *non modò à corpore civium Romanorum, sed etiam à cogitatione, oculis, auribus abesset* (1). Jam Roma genua flectere Judæo, illique crucifixo, eumque colere debebat? At hic Filius Dei dicebatur. Scilicet. At nonne stomachari humana sapientia debebat audiens, prædicari sibi magnitudinem tantam conjunctam cum tantâ abjectione, gloriæque splendorem latitantem in tantâ humilitate contemptui habitâ, opprobriisque summis proscissâ? Quid plura? Deus hic unus, idemque cum Patre, à Patre distinctus, immortalis, inconspicuus, descendit è cœlo, natus est è muliere, se tot ærumnis subdidit; quì hæc tam inter se pugnantia credere philosophia poterat? Resurrectio autem

(1) Symmachi V. C. et præfecti urbis relatio ad Valentinianum, Theodosium et Arcadium Auggg., pro veteri deorum cultu adversùs Christianos. Confutata hæc relatio à D. Ambrosio fuit, Epist. 29 et 30 ad Valentinian. imp., et à Prudentio duobus libris contra Symmachum.

(1) « Nomen ipsum crucis absit non modò à « corpore civium Romanorum, sed etiam à « cogitatione, oculis, auribus. Harum enim « omnium rerum non solum eventus, atque « perpessio, sed etiam conditio atque expecta- « tio, mentio denique ipsa indigna cive Ro- « mano atque homine libero est. » Pro C. Rabirio c. 5.

ad immortalitatem risum Atheniensibus movit à D. Paulo primùm prædicata (1); Pliniusque Romæ in eorum numero eam recensuit, quæ ne Deus quidem potest efficere (2). Hæc erant principia theorica novæ Religionis. An sperari poterat fore ut radices immitterent, ut ante *arborem tristem infamemque* superbi illi Quirites genua flecterent? Progrediamur et ad ulteriora. Non solùm captivandus erat intellectus, cor etiam vincendum erat. Persuadenda erat humilitas in urbe illâ tumente, quæ gloriæ cupiditatem in virtutibus ponebat. Imperanda erat continentia iis qui non modò in turpitudinibus pervolutabantur, ut amica luto sus, sed etiam religionis specie vitium teterrimum fovebant. Venia, amorque in inimicos erat indicendus iis qui fortitudinem in ultione collocabant. Huic Romæ mollitie, commodisque affluenti lex, quæ sensus cohibet, quæ opes contemnit, erat denuntianda, spectaculorum, chorearum, conviviorum exquisitorum, promiscuorum amplexuum fuga erat edicenda; permovenda erat ad amorem in pœnitentiam, in paupertatem, in mansuetudinem, jubendaque cogitationum etiam, cordisque affectuum custodia rigida. Omnia, ut dicam summatim, cupiditatibus acriùs adversantia populo occupato in cute tantùm curandâ, motibusque carnis obsecundanti erant præscribenda præcepta. Equidem, ut dicam quod sentio, quantùm Augusti, et subsequentium Cæsarum seculo Romæ hujus legis acceptio desperanda prorsùs erat, tantùm videbatur lex sycophantæ Mahumetis libidini favens, cruentaque ab Asiæ Saracenis facilè acceptanda. Contrariorum ratio consecutionem confirmat. Lex fuit hæc earum gentium turpibus appetitibus conformis, ideòque statim exculta; lex fuit illa omninò contraria eorum populorum ingeniis; secundùm humana consilia ergo stabiliri non poterat.

Contra tamen rem accidisse vidimus, ut superiùs ostendimus. Christi Religio brevi temporis intervallo toti terrarum orbi est dominata. At qui unquàm? Num lex hæc tam ardua quoad dogmata, ita aspera quoad præcepta, res ejusmodi pariebat, quæ allicere amorem, et æquiponderare, et vincere possent difficultates et multas, et magnas exantlandas, ut ea colatur? Nihil sanè minus. Hinc tertia observatio attemperatè se nobis offert, quæ novum pondus addit argumento. Consecutiones, quæ ex cultu christianæ Religionis derivabantur acerbæ, horribilesque tantoperè erant, quæ ab illâ amplexandâ, licet neque cupiditatibus, neque seculi moribus ita adversaretur, sed esset facilis potiùs et jucunda, perterrefacere unumquemque debebant. Quod spopondimus probemus.

Deus, ut utar veteris cujusdam auctoris verbis (Sophoclis in Electrâ) lentè operatur, εὐμαρὴς Θεός. Conversio orbis ad fidem non subitò facta est. Per tria secula Religioni restitit, et pedetentim solo cessit idololatria. « Ecclesia ergo, aiunt impii (Examen de la Relig. chap. 5, 3), nonnisi paulatim constituta fuit. » Nempe, respondeo. « Progressus ergo Ecclesiæ, reponunt illi, opus hominum est. Non ita se Deus gessisset, si hanc doctrinam revelâsset. » At hujusmodi, ego inquio, eam propagandi ratio argumento splendidissimo est eam esse Dei opus. Ejus progressus quilibet tantus, tantulusque victoriis triumphisque erat comparandus; quia verò hujusmodi triumphi nonnisi per auxilium divinum singulare, et vi quâvis humanâ majus referri non poterant, idcircò Ecclesiæ progressum non hominibus, sed soli Deo esse adscribendum, colligi debet. Ad rem veniamus, quæ nobis ostendet acerbissimas consecutiones, quæ ex amplectendâ hâc fide enascebantur, quod est quod proposuimus, et ex quo contra impios concludemus.

Seculo tam molli, ita voluptatibus dedito, adeò superstitionibus addicto, cujusmodi erat Augusti, ejusque successorum seculum, quicumque christianam Religionem profitebatur, abjectus, miser, scelestus, impius, societatis,

(1) Act. 17. Celebris fuit apud Stoicos et alios etiam antiquos philosophos doctrina παλιγγενεσίας, seu renovationis rerum post certam seculorum periodum in eum statum in quo nunc sunt. Eam in Virgilio reperimus Ecl. 6:
Magnus ab integro seclorum nascitur ordo,
ad quem locum vide Servium. Hæc opinio tamen differebat valdè à dogmate ἀναστάσεως νεκρῶν, Christianorum expectantium corporum resurrectionem ad immortalem vitam. Dacierus in Vitâ Platonis p. 239, putat eum philosophum illam agnovisse: sed errat in hoc, ut solet in aliis benè multis Gallus scriptor, nimio amoris æstu in auctorem hunc abreptus; quod admonuimus alibi. Loca habemus in Phædone, et ibi præcipuè, ubi Socrates alloquitur Simmiam de eo solo puro, ubi vitam ducent beati; ex quibus non est difficile colligere, Platonem longè aliter sensisse ab eo quod, ut ille honestetur, ei adscribitur. Vide eruditiss. Huetium Alnetan. quæst. Lib. 2, cap. 22.

(2) Lib. 2, cap. 7: « Namque nec sibi potest « (Deus) mortem consciscere, si velit, quod homini dedit optimum in tantis vitæ pœnis; « nec mortales æternitate donare, aut revocare « defunctos. » Horum errorum nescio uter dicendus sit magis impius, aut magis crassus.

Cæsarum deorumque hostis ab omnibus judicabatur; quem proinde omnes contemnebant, oderant, persequebantur. Cùm vellet Tacitus nostros à Nerone ut Romæ incendiarios, et ita crudeliter extinctos significare, hæc scribit (Annal. lib. 15, c. 44) : « Ergo abolendo rumori « Nero subdidit reos, et quæsitissimis pœnis « affecit, quos per flagitia invisos vulgus Chri- « stianos appellabat... » Paulòque post : « Re- « pressaque in præsens exitiabilis superstitio « rursùs erumpebat.... per urbem etiam, quò « cuncta undique atrocia aut pudenda con- « fluunt, celebranturque. Igitur primò cor- « repti, qui fatebantur, deinde indicio eorum « multitudo ingens haud perinde in crimine « incendii, quàm odio humani generis convicti « sunt... quanquàm adversùs sontes, et novis- « sima exempla meritos miseratio oriebatur. » Suetonius de eâdem Neronianâ persecutione loquens hæc habet (in Nerone 16) : « Afflicti « suppliciis Christiani, genus hominum super- « stionis novæ ac maleficæ. » Hoc nomine appellantur etiam in antiquâ inscriptione (1) Neroni positâ ; et in superiùs allatâ in Diocletiani honorem, qui evertebant rempublicam dicuntur. Flavium Clementem virum consularem patruelem suum à Domitiano propter fidem capite mulctatum appellat idem Suetonius (in Domit. 15) contemptissimæ inertiæ ; quo nomine, Fabricius observat (adnotat. 83 in Domitian. Cassii Dionys. Edit. Reimar.), et aliis etiam omnibus, quæ odium, opprobriumque significabant, vulgò Christianos cunctos fuisse vocitatos. Ita Juvenalis eos appellat cerdones (1), hoc est, abjectissimos artifices; progeniem Plautinam, pistoresque, homines inurbanos, rudes, rusticos, orbisque gentium abjectionem eos dicit Cæcilius (apud Minutium Felicem in Octav. cap. 14). Homines idiotas eos nominavit Lucianus de Morte Peregrini, salibusque aliis contumeliosis eos affecit. Quorum omnium, aliorumque opprobriosorum nominum aut ab inimicis nostris, aut à nostris apologistis collectorum catalogum benè longum P. M. Mamachius contexuit (Origin. Christian. tom. 14, cap. 2 et 3), qui etiam calumnias, quæ patribus nostris affigebantur, atheismi, hoc est, cœnarum Thyestæarum, OEdipodæorum concubituum, aliarumque nefariarum turpitudinum, quarum causâ, ut orbis pestis, hominibusque, diisque meritò dicebantur invisi, redegit in unum. Proinde hæc Tertullianus scripsit (Apologet. cap. 40) : « Prætexentes ad odii defensionem illam quo- « que vanitatem, quòd existiment omnis pu- « blicæ cladis, omnis popularis incommodi « Christianos esse in causâ. Si Tiberis ascendit « in mœnia, si Nilus non ascendit in arva, si « cœlum stetit, si terra movit, si fames, si « lues, statim : *Christianos ad leonem!* » Hic jam qui aliquantulùm secum constet, interrogo, quî sperari poterat, fore ut cujusvis ætatis, conditionis, sexûs, seculo tam elegante, ita sollicitè voluptates sectante huic adeò invisæ, tantoperè contemptæ, tam malè habitæ sectæ homines nomen suum darent; ideòque darent, ut legem humano captu superiorem, jucundissimis vehementissimisque cordis motibus adversantem sequerentur? Neque hanc legem profitentes sunt exigui numero, ut eos furore percitos, vel vesanos dicere possimus eam fuisse amplexatos : innumeri sunt cujuslibet ætatis, conditionisque et regionum; hoc ergo egerunt systemate aliquo, aliquibus communibus principiis moti. Examinemus ergo cordis affectus omnes, seu principia, quæ homines ad agendum consueverunt impellere, et ea præcipuè, quæ tot mortalium millia, suorum, suæ gloriæ, commodorum, honorumque et voluptatum cupidorum urgere possent, ad se om-

(1) Apud Gruterum, pag. 238.

NERONI. CL. CAES.
AVG. PONT. MAX.
OB. PROVINC. LATRONIB.
ET. HIS. QVI. NOVAM
GENERI. HVM. SVPER
STITION. INCVLCAB.
PVRGATAM.

Joseph Scaliger, quod quidem ego sciam, primus fuit, qui inscriptionem hanc in dubium vocaret; post eum Itigius, et Fleetwoodus et alii. Num id fecerunt ad libidinem? Non enim scio quâ de causâ eam rejicere potuerint. Monumenta eorum temporum eam defendunt, et quoad historiam, et quoad stylum. Nos non latet, hâc ætate plurima argumenta, sed omnia Pyrrhonica produxisse Agenbuchium clarissimum antiquarium, ut extruderet inscriptionem hanc ex verarum numero; huic respondit Walchius opusculo sanè erudito, quod multa continet confirmantia à nobis in hoc capite tractata. Titulus est hic : Persecutionis Christianorum Neronianæ in Hispaniâ ex antiquis monumentis probandæ explanatio, quâ multa tam sacræ, quàm profanæ antiquitatis capita explicantur atque illustrantur. Auctore Joan. Ernesto Walchio. Ienæ 1753.

(1) *Sed periit postquàm cerdonibus esse timendus Cœperat.* (Satyr. 4, vers. 150.)
Hoc nomine significari Christianos jam docuerat Baronius, tum Tillemontius, tum Joan. Lamius, et tandem contra auctorem Historiæ Litterariæ ostendit eruditissimè P. M. Mamachius, Origin. et Antiquit. Christian. tom. 3.

nium odio, contemptui, derisui, contumeliis, ut fidem Christi profiterentur, objiciendos. Næ quidquid in humanâ rerum naturâ reperire et fingere fas est, eligendam contrariam esse partem suadet. Non fuit igitur hominum, sed Dei opus hæc ad fidem orbis terrarum conversio. Verùm magis magisque argumentum confirmemus. Quamvis acerbum sit asperumque, despectum et execrationem omnium subire, tamen malum hoc fit majus, si cunctorum bonorum, quæ chariora habentur, amissio consequatur. Huic tamen periculo subjiciebantur, qui christianæ Religioni nomina dabant. Facultatibus, domo, patriâ, natis, libertate, vitâ denique privabantur; exilia, carceres, vincula, cruciatus eos manebant. Hæc tamen omnia discrimina læti, alacresque non modò valentes viri, sed imbelles feminæ puellæque; non modò imperiti, sed etiam docti, non plebeii solùm, famulæque, sed generosi, matronæque adibant; eaque omnia patiebantur, ut Religionem colerent, quæ mysteria docet intellectum in obsequium captivantia, quæ præcepta indicit cupiditates omnes in officio continentia. Qui se motum sentiat ad fidem hanc excolendam, cujus cultum tot taliaque mala et pericula consequantur, alio luto ab eo quo cæteri homines efformantur, ejus ficta esse præcordia dicendum est. Quicumque igitur hoc esse Dei opus, qui solus moderari et flectere humana corda potest, inficias ibit, meridianâ in luce cæcutit. Quapropter dicere non ausim, num plus vesaniæ, an impudentiæ insit in superiùs allato libertino, qui admirandæ fidei propagationis argumenti pondus elevare nitens ita scribit (1): « Ecclesiæ progressus est « omninò humanum opus. Cœptum est seduci « populum eo tempore, quo nulla erat im« pressio (quid sibi velit auctor per hoc ver« bum, *impressio*, divinare non possum), quo « tempore imaginatio una dominabatur, cujus « monstrosiores fœtus asseclas suos habebant. » Quænam ejus ætatis, quâ prædicari cœpit Evangelium, fuerit indoles, vidimus supra. Hactenùs ab omnibus Augusti seculum excultissimum, doctissimumque est habitum; si illud, hujus auctoris sententiâ, fuit *imaginationis* tempus; tempus *rationis* fortassè fuerit illud Varronis ἄδηλον, aut μυθικόν. At, *monstrosiores imaginationis fœtus asseclas suos habebant*, inquit ille; *sententiarum varietatem ætas illa amabat*. Respondeo, si per se erant indifferentes, aut si cupiditates lactabant, concedimus; si cupiditatibus adversabantur, et gravium malorum causa erant, negamus. « Tantùm abest, « ait ille (1), ut populus religionem animi « affectibus contrariam non sequatur, ut etiam « ideò magis ejus ingenio conformetur. » At rogamus auctorem, ne sit illi grave exemplum alicujus religionis afferre, quæ cùm fuerit cupiditatibus infensa, ut est Christiana, et cujus professio tot mala pepererit, tamen ingenio ejus populi conformis fuerit. « Populo, inquit libertinus (2), proponenda sunt admiranda.... id amplectitur, quod se superius sibi videtur, putatque se extolli, cùm sibi id enuntiatur, quod non intelligit. » Atqui dicamus populo eorum admirandorum, quæ non intelligit, causâ, omnia bona amittenda sibi esse, vitam etiam, remurne, admiranda illa proposita eum esse amplexurum? Advertendum hìc est, nos de populo hìc sermonem habere, seu de multitudine gentium, cujusque conditionis, locique. Non est enim negandum, insaniam, aut furorem impellere aliquos posse ad ferenda levi de causâ incommoda, et mortem etiam. At in multitudinem, quæ crucem excoluit, hæc non conveniunt, ac proinde Ecclesiæ progressus, seu Religionis propagatio asperæ per se, et ex consecutionibus asperrimæ non hominum, sed Dei opus fuit.

Examinandum denique nunc restat, num, ut hic obtineretur effectus, adhibiti modi habuerint eas humanas vires, artesque, quas hactenùs frustra inquisivimus, quæ potuerint illum producere, quin opus sit ad insolitam Dei potentiam confugere. Erit hæc observatio quarta, per quam argumenti vis clarior et magis invicta elucescet. Atque ut adversarii ipsi hujus causæ judices sint, velim, simul convenirent athei, deistæ et naturalistæ, ut facem præferente arte politicâ exquisitiore, quâ se ornatos jactitant, hominum ingenia effingant à sycophantâ adhibendorum, ut Augusti tempore, eo successu, quem vidimus, Evangelium

(1) « Le progrès de l'Eglise est tout humain. « On a commencé par séduire le peuple dans « un temps où il n'y avait point d'impression, « où l'imagination seule régnait, où les visions « les plus extravagantes trouvajent des secta« teurs.... La diversité des opinions était du « goût du siècle. » Examen de la Religion, chap. 5, 3.

(1) « Bien loin que ce peuple n'embrasse pas « une religion contraire aux sens, elle est de « son goût en ce point même. » Ibid.

(2) « Il faut du merveilleux au peuple.... il « aime ce qui lui parait au-dessus de lui, et « croit qu'on l'élève, quand on lui dit ce qu'il « ne sent pas. » Ibid.

introduceretur. Auctor libri *de l'Esprit des Lois*, qui fuit procul dubio ex maximis hujus ætatis politicis, ad libertinorum ingenium factus, exitùs spem omnem abjiceret; cùm enim, ejus sententiâ (vide supra), « humanitùs clima sit « illud quod terminos religionibus præfinit, « sintque quædam climata, in quibus physicum « tantam vim habeat, ut morale nihil omninò « valeat. » Evangelii propagatio in quodvis clima, et prælatio quam ipsum sibi arrogat in *moribus* præ *rebus physicis* in quovis terrarum tractu, hujus auctoris judicio fieri *humanitùs* nullo modo poterat, quæcumque humana ratio fuisset adhibita, ut finis hic haberetur. At missum faciamus auctorem hunc, qui ex tripode nimiùm rigida aphorismata crepat, judiciumque mitioris politiæ expectemus. Hi ergo ad Evangelium propagandum requirentne præconum copiam, qui pollicitantes opes et voluptates, populos ad profitendum nomen suum Evangelio pellicerent? At hoc directò legi promulgandæ adversabatur, quæ videlicet divitiarum contemptum præcipit. At quam vim hujusmodi pollicitationes habuissent præ tot persecutionibus immanissimis, quæ et facultates, et vitam adimebant? Conscribentne validissimum exercitum, qui armis crucis sequelam indicant? Verùm quæ humana vis eò temporis Romanam potentiam rerum dominam, falsorum numinum cultûs patronam poterat labefactare? Augusti ætas non erat Mahumedis seculum, quo Romani imperii viribus distractis, imò Occidentali imperio extincto, barbaræ gentes ibidem dominabantur; et in Oriente ex intestinis contentionibus et ex cladibus acceptis ab exteris populis vires in dies Saraceni fallacis prophetæ asseclæ sumebant (vide Pierre Bergeron, Abrégé de l'Histoire des Sarrasins et Mahométans, etc. Paris 1651), præter quàm quod videmus vim potentiamque exteriorem esse prorsùs ineptas ad legem spiritalem, hoc est, in intellectu tantùm, et in libero cordis amore sitam inducendam. Postremò quis non videt strages cladesque Evangelii indoli consiliisque ejus auctoris, qui semper charitatem, veniamque præ se tulit, jubetque, tantùm adversari, quantùm post Alcorani ejusque commentatoris feroci ingenio, qui putabat in decus suum cedere, si armorum vi et cladibus vinceret adversarios suos, convenerunt? Num seligent ergo hi politici virorum, doctrinâ exquisitâ et flexanimâ eloquentiâ et quâvis arte ad persuadendum conspicuorum agmen, qui prædicaturi Evangelium circumeant? Scilicet, inquit libertinus sæpiùs memoratus (1): « Duodecim dentur « mihi homines, quibus persuadere possim « solem non esse, qui diem efficiat, non de- « spero fore ut nationes integræ hanc opi- « nionem sint habituræ. » Fortassè hìc non multùm à veritate abludit; ut enim est in veteri adagio, *stultus stultos facit;* et ipse ad hoc factus esset ad unguem. Sanè in hæc loquente estne mica salis? Ne quidquam de hypothesis fatuitate dicamus, ubi est comparatio? Quæ potest esse collatio inter chimæram, quæ nullum emolumentum, nullum detrimentum affert, et systema legum quæ omnes cupiditates oppugnant, quæ totum hominem requirunt, et acerbioribus casibus eum subjiciunt? Quamvis Socratibus, Platonibus, Aristotelibus, Demosthenibus, Tulliis sapientiores eloquentioresque fuissent, nisi divinâ sapientiâ fuissent afflati, et nisi eorum doctrina divinitatem præ se tulisset, nunquàm hominibus legem hanc amplectendam esse persuasissent. Experientia ipsa id probat. « Quid ergo? inquit Lactantius « Institut. lib. 3, cap. 27 : Nihilne illi (philo- « sophi) simile præcipiunt? Imò permulta, et « ad verum frequenter accedunt. Sed nihil « ponderis habent illa præcepta, quia sunt « humana et auctoritate majore, id est divinâ, « illa carent. Nemo igitur credit, quia tam se « hominem putat esse, quàm est ille qui præci- « pit. » Et sanè Romam (fingere siquidem id nihil prohibet) ingressi essent hi recens instituti præcones, ut artibus omnibus copiosæ eloquentiæ, omnibus humanæ sapientiæ subdolis modis, esse condonandas injurias, fugiendum luxum, evitandas voluptates, humilitatem amandam, adorandam crucem, et propter amorem hominis crucifixi exilia subeunda, cruciatus, mortem, denuntiarent. Æterna præmia polliciti essent hæc facientibus, fuissent non facientibus æterna supplicia minitati. Quid tum? Quod jus, respondissent Romani, nobis hujusmodi jugum imponendi vobis arrogatis? Si tanta vobis libido est, vos feratis, nos lumini nostræ rationis, nostræque naturæ motibus indulgebimus. Si hæc præcepta prudentia ducitis, nos delirantium somnia illa habemus, et ita opinandi æqua nobis potestas est. Quid plura? Dixissent præcones hi, se à Deo missos. Quid inde, si, ut fingimus, à Deo missi non

(1) Donnez-moi une douzaine de personnes, à qui je puisse persuader que ce n'est pas le soleil qui fait le jour, je ne désespère pas que des nations entières n'embrassent cette opinion. Exam. de la Relig.

fuissent? ne hilum quidem profecissent Romæ solitæ jam audire quotidie responsa et oracula numinum, quibus studia sua cupiditatesque approbabantur. Num persuadere potuissent, ut eam legem sequerentur Romani, quæ vires naturæ superans, non satis est, ut adimpleri possit, ut in Dei nomine denuntietur, nisi adsit divina virtus, quæ hujusmodi vires det recreetque lassas? Hi denique præcones à politicis hominibus selecti, missique, aut de lege Evangelicâ persuasi fuissent, et moribus etiam eam servâssent, aut nec persuasi fuissent nec servâssent. Nil medii. Si persuasi fuissent, et coluissent, quis, quæso, mutationem tantam in eorum intellectu et corde facere potuisset? Non enim hìc agitur de fide, *num sol sit ille qui diem efficiat*, quod ait libertinus noster, quam ut quis imbibat, satis est insaniæ unciola; agitur de emendando homine, de vincendis omnibus cupiditatibus; ad quod præstandum excellens et divina virtus requiritur. Si verò neque persuasi fuissent, neque coluissent, quæ utilitas ex eorum verbis percepta fuisset? omninò nulla, quandoquidem nulla etiam ex philosophorum declamationibus in homines redundavit, inquit Lactantius (Institut. lib. 3, cap. 26) : « Illi scilicet persuadere cuiquam poterunt, qui nihil persuadent etiam sibi? Aut cujusquam cupiditates opprimenl, iram temperabunt, libidinem coercebunt, cùm ipsi et cedant vitiis, et fateantur plus valere naturam? »

Omnis ergo hominum ars politica, omnisque potentia rationem, quâ Evangelium posset disseminari, non potuisset excogitare. Hæc igitur propagatio fuit unius Dei opus. Per se res ipsa loquitur. Deus tamen voluit eam reipsâ magis confirmare. Erit hæc quinta observatio. Humani modi ad eum finem attingendum, quem quærimus, minùs idonei fuissent. Negari tamen non potest, armorum vim, spem præmiorum, eloquentiæ robur, instrumenta illa non esse, quæ humanos animos movent, flectuntque; hæc ergo cùm in Evangelicis præconibus fuissent, credi potuisset, saltem à libertinis, nisi perfectè consecuti finem essent, saltem valdè eos fuisse homines permoturos (1). Ut ergo quælibet dubietas tolleretur, et ut ostenderet nobis Deus, Evangelii prædicationem esse opus dexteræ suæ, voluit, ut his modis omnibus carerent suæ legis præcones primi; atquè ita carerent, ut secundùm humana consilia essent ad hujusmodi opus omnium hominum ineptissimi. Selecti ergo, ut bellum idololatriæ inferrent, ut humanam sapientiam refellerent, ut captivum ad crucem ducerent imperium totum Romanum, omnes orbis nationes, fuerunt duodecim ita rudes, ita abjecti homines, ut ne prima quidem litterarum limina salutaverint. Tam clara, apertaque omnibus hæc res est, ut *Celsus ipse*, inquit Origenes (1), *lubens eam fateatur.* Hi ergo ex gente invisâ, utpote qui Hebræi erant; conditione egentes, nempe piscatores; vivendi ratione ab Atticâ elegantiâ, et à Romanâ jactantiâ valdè alieni, scilicet pauperes, et ex plebe, Romam adeunt, adeunt Athenas, Corinthum, Ægyptum, et in quamlibet elegantiorem orbis regionem, sine calamistris sine tropis, indicunt hominem crucifixum, et in cruce mortuum, esse ut Deum adorandum. Totusque orbis eum adorat : deos tanto in honore habitos à populis, esse dæmones; populique credunt; mores mutandos esse, novumque hominem induendum; mortales mores mutant, novum hominem induunt; detrimentum potiùs rei familiaris, patriæ, propinquorum, vitæ ipsius denique esse faciendum, quàm hujus legis apex unus violetur; hominesque eorum detrimentum faciunt. Hæc missio, hæc prædicatio, si oculis corporeis cernatur, insania est; at hæc insania fuit, quæ mundum vicit. Opprobrium crucis, *Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitia*, nedùm occultetur, tanquàm basis jacitur argumentumque primum cujuslibet sermonis. Præcepta moralis disciplinæ cupiditatibus adversa, nedùm mitigentur, elato vultu, minisque edicuntur. Ad hanc agendi, loquendique insolentem rationem fremunt pri-

(1) « Mihi sanè videtur, si aliquos opinione « vulgi sapientes, idoneosque sapere, ac loqui « ad multitudinis gratiam elegisset Jesus, quo« rum in docendo uteretur operâ, non evasu« rus fuisset justam suspicionem, quasi more « philosophorum novam aliquam sectam suo « nomine vellet instituere, neque promissum « de divinitate doctrinæ repræsentatum esset. » Origen. lib. 1 contra Celsum.

(1) « Nunc verò quis videns piscatores, at« que publicanos, ac ne ipsa quidem litterarum « rudimenta scientes, ut Evangelistæ scribunt « de illis, et ipse Celsus hâc parte libenter cre« dit vera dicentibus de eorum imperitia, con« fidenter non solùm Judæos alloqui de fide « in Christum, sed et inter reliquas gentes « eamdem efficaciter prædicare, non quæreret, « unde nacti sint tantam persuadendi vim? « Non enim erat vulgaris. Ecquis non dicat, « promissum illud : *Venite post me, et faciam « vos fieri piscatores hominum*, implevisse « Jesum in discipulis divinâ quâdam poten« tiâ? » Legi meretur magnus hic Pater præcipuè in hoc opere, in quo valide et strenuè agit de hac materia quam versamus.

mò Cæsares, sacerdotes, philosophi; omnes è convento certatim in hos contemptissimos duodecim homines impetum faciunt; at philosophorum doctrina eorum simplicitate superata loco cedit, sacerdotum superbia illorum abjectione prosternitur; Cæsarum impotentia eorum patientiâ frangitur. Ipsi quidem concidunt extincti ab hominibus in eos conspirantibus, at ex eorum casu Religio illa, quam prædicabant, triumphat, illique ipsi qui eam eversam volebant, lubentes in ejus propugnationem conversi sanguinem animamque profundunt. Jam quicumque hoc opus Dei non agnoscit, aut est Marpesia cautes, aut perfidia ipsa. Nam quæcumque dixi, in has argumentandi breves formulas redigo.

I. Pernix per universum orbem Religionis catholicæ propagatio est certissima, ut superiùs probavimus.

II. Obstacula, quæ huic propagationi repugnabant, erant maxima; vel oppositio quæ inter præcepta legis hujus, mortaliumque ingenium interest, præsertim temporibus Augusti consideretur; ut probavimus animadversionibus 1 et 2, vel considerentur quæ horrenda redundabant in amplexantem hujusmodi Religionem; quod probavimus animadversione 3.

III. Vis modorum, ut hæc resistentia vinceretur, erat minima, tum quia etiamsi hi modi habuissent quidquid humana politia excogitare potest, ineptum ad hujusmodi finem consequendum fuisset; id ostendimus observatione 4, tum quia reverà Apostoli quovis humano præsidio apto ad subjugandas vincendasque nationes, ut hanc legem crederent, omninò carebant; id ostensum est observatione 5.

IV. Jam cùm vis causæ non adæquat et non superat obstaculorum vim, nunquàm potest effectus consequi, nisi invisibilis virtus interveniat.

V. Ergo Evangelii propagatio non fuit opus humanum, sed divinum. Haud nobis opus hìc est Theoriis Bernullii, aut Montis Mortui, qui calculum in politicam et in ethicam invexerunt, ut majorem minoremve factorum probabilitatem definirent. Successus hic noster nobis simplex admodùm videtur, ut evidenter videamus eum non potuisse prorsùs evenire. Obstacula opposita Evangelii disseminationi undique erant maxima; modi adhibiti erant per se ineptissimi; ergo successus haberi non poterat; resistentiâ enim maximâ positâ, vi minimâ, effectus nullus est. Si ergo effectus fuit *res*, et quidem magna, quin etiam maxima, cujusmodi fuit totius orbis ad Evangelium conversio, hæc res Omnipotentis Dei fuit opus.

Nolo in fine hujus sectionis sæpiùs memorati libertini quoad Apostolorum prædicationem silentio contrarium argumentum præterire. Ita ergo ille : « Verum quidem est (1), populo sub « oculos subjectum fuisse hominem crucifi- « xum; at simul ei prædicabatur, crucifixum « hunc miracula patrâsse, resurrexisse ex « mortuis, ascendisse ad cœlos; esse Deum; « propter nos homines his ærumnis se subje- « cisse. Hoc erat id quod misericordiam et fi- « dem populi crucifixo conciliavit. » Papæ! egregiè. At respondeat mihi admirandus hic adversarius, qui quærit in scirpo nodos: Splendidæ illæ notæ quas de hoc homine crucifixo prædicabant Apostoli, hoc est, ejus resurrectio, divinitas, aut probabantur ab Apostolis testimoniis quâvis exceptione majoribus, aut non comprobabantur. Si comprobabantur, ergo Christi resurrectio quamlibet incredulitatem destruit; sin autem hæ illius hominis crucifixi dotes non satis ab Apostolis comprobabantur, interrogo, credebantne homines, an non? Si non credebant, scandalum ergo crucis non erat ablatum per resurrectionem cæterasque Christi qualitates : hoc autem est portentum adeò incredibile, ut nihil supra, homines adorâsse hominem crucifixum, quin eum et à mortuis virtute propriâ excitatum, et Deum crederent. Si verò homines credebant, en aliud portentum, credi res adeò abstrusas et difficiles, et ita credi ut credentes in earum confirmationem sanguinem effunderent, et inter cruciatus expiarent, quin satis probatas has veritates haberent. « At in populum, ait libertinus, « neque animadversio, neque examen cadit. » Verùm, inquio ego, Christi Ecclesia ab ortu ad occasum pertinens constabatne tantùm populo? Objecta, quæ nunc in aciem producunt spiritus fortes, annon fuerunt examinata, revocata ad severam trutinam à nostris apologistis in Græciâ, in Africâ, in Latio? Justini, Origenes, Tatiani, Tertulliani, Theophili Alexandrini, Cypriani, Minutii Felices, Lactantii, ut prætermittam tacitus Eusebios, Cyrillos,

(1) Il est vrai qu'on lui offrait un crucifié : mais on lui disait que ce crucifié avait fait des miracles, qu'il était ressuscité, monté aux cieux, qu'il était Dieu, que ce n'était que pour eux qu'il était réduit à cet état déplorable. C'est ainsi qu'on s'est attiré la compassion et la crédulité du peuple incapable de réflexion et d'examen. Exam. de la Relig.

Augustinos, totumque Patrum agmen; isti, inquam, erantne quadrupedes bovesque stolidi, qui se circumagi temerè et inconsultò paterentur? In uno Origenis opere in Celsum annon omnia dicteria, artificia omnia, quæ excogitare impietas potest, refutata convictaque leguntur? At *in populum*, pergit ille effutire, *neque animadversio, neque examen cadit.* Ut lubet, nil moror. Hinc igitur non mendosè colligo veritatem rerum enunciatarum summam prætulisse evidentiam, persuasionem fecisse maximam; quandoquidem populi ipsius *in quem animadversio et examen non cadit,* fulgore suo potuit oculos perstringere, eumque illâ persuasionis evidentiæque vi convincere, quam populus, si sit præcipuè innumerus, requirere solet, cùm debet eam religionem quam simul cum lacte hausit, relinquere, et unà cum illâ debet rem suam familiarem, sanguinem vitamque amittendi sciens prudensque adire discrimen. Quanquàm immorari longiùs in hujusmodi deliramentis refellendis, neque nos decet, et iis scriptoribus nimiùm honoris tribuimus.

Sectio V. — *Quarta nota doctrinæ christianæ.— Martyres qui eam defenderunt.*

Sæpiùs in præcedentibus argumentis eos innumeros heroes, qui pro Christi fide sanguinem vitamque impavidi profuderunt, commemoravimus. Sed iis in locis id egimus, ut clariori in lumine per Evangelium in homines inductam sanctitatem, servatamque in ipsius mortis atrocissimis cruciatibus poneremus, vel ut evidens à nobis fieret, fidei propagationem tam citam latamque, irritis tyrannorum persecutionibus, qui insontes victimas has immolârunt, ut terrorem incuterent quibuscumque, vel ut ejus progressum remorarentur, imò, si fieri posset, ut eam prorsùs de medio tollerent, esse Dei opus. Nunc tamen fuerit operæ pretium hoc idem argumentum illustre rursùs pertractare, ut auctoritatis illius, quam Evangelio testimonium tot athletarum sanguine confirmatum satis per se grave addit, pondus cognoscamus.

Ac primùm quidem de apostolorum testimonio dicamus, de aliis martyribus locuturi postea.

Dico, testimonium resurrectionis et hinc divinitatis Christi ab apostolis Hierosolymis, tum per orbem universum probatum esse hujus rei veritatis demonstrationem. Antequàm ad id probandum descendo, postulo, mihi concedi, apostolos non fuisse homines alius speciei à nostrâ, non omninò furentes, neque cujuslibet rationis usûs sensûsque communis expertes. Crederem à quovis postulatum hoc mihi esse concedendum. Ut autem argumentum illustremus magis, fingamus esse veram libertinorum dementissimam impiamque hypothesim, fingamus Christum sycophantam fuisse, qui dolis malis, fraudibus, eloquentiâ pellexerit detinueritque secum apostolos, iisque falsò persuaserit se esse Messiam. Enato jam die quo ab hostibus suis captus fuit, flagellis cæsus, cruci affixus, mortuus est, jam actum conclamatumque de Christo fuisset, jam ejus artificia detegenda erant, jam seductor agnoscendus. Et sanè scimus, illo atro die diversos abiisse discipulos; illuscescente autem tertio die, quo resurrecturum se esse dixerat, duo ex iis quoddam castellum, quod dicebatur Emmaüs, petentes, de illius morte sermocinantes, jam inibi erant ut prorsùs desperarent, eum, ut spoponderat, redempturum esse Israel. Jam his omnibus rebus præcognitis, nisi reipsà ille resurrexisset, requiro à libertinis quid causæ movere poterat apostolos, hoc est, homines qui non erant prorsùs vecordes, ut exsilirent in publicas plateas, ut ingrederentur Hierosolymitanum templum, et ibi elatâ voce, Christum hunc, à quo se deceptos illusosque videbant, resurrexisse à mortuis, ac proinde eum esse Messiam, prædicarent? Quodnam emolumentum ex tam impiâ, ita indignâ, adeò invisâ fallaciâ sperare unquàm poterant? Imò quæ malorum genera inde ab hominibus Deoque iis perhorrescenda non erant? Hìc ego à deistis scire vellem quid respondere possent, quod esset aliquâ ex parte ferendum. *Nemo* (vetus est verissimumque omnium philosophorum effatum) *agit propter mali desiderium.* Jam nil aliud, quàm mala, et quidem maxima, ex hoc tam aperto testimonio ab ipsis prolato, apostolis obversabatur. Nulla Judæis erat magis nomine Jesu invisa vox. Illi ut blasphemo, ut seductori inflicta mors erat. Res erat adhuc in ore omnium, tepebatque adhuc expostulatus, ut super se filiosque suos caderet, à populo cuncto effusus cruor. Eum ergo à mortuis resurrexisse prædicare quid aliud erat, nisi eum rursùs in publicum magno cum ejus decore producere; quin etiam impietatis atrocissimæ Synhedrium damnare, quod dignum morte illum judicaverat, populumque omnem eodem scelere constrictum dicere, qui à præside illius crucifixionem petierat? Quid ergo expectan-

dum apostolis erat ex hâc prædicatione, nisi ut mortis genus idem subirent, quam magister passus fuerat, qui (ut impiè increduli dicunt) eos fefellerat, et propter eum à quo ita turpiter fuerant decepti, infeliciter ipsi quoque crucifigerentur (1)?

Dicamus quid ampliùs : hoc testimonium, quod apostoli dare debebant resurrectionis Christi, non poterat nasci ex erroneâ cogitatione, quod evenit in speculativis opinionibus. Hic agebatur de facto recenti, de facto quod evenerat reipsà, de facto de quo non poterat quoad circumstantias omnes, quæ in illo erant, error ullus oriri; de facto, denique, quod apostoli, deistarum sententiâ, falsum omninò esse sciebant. Non ex ignorantiâ ergo prædicabant; ergo ex malitiâ, hoc est, ut errorem hujusmodi in vulgus spargerent. At qui poterant credere, se non solùm eventum rei tantoperè invisæ persuasuros, sed cujus nullum argumentum potuissent afferre, quod falsitate coargui non potuisset? Sed quamvis illum disseminare, quin coarguerentur, potuissent, quid emolumenti, quid voluptatis, quid decoris inde percipiebant? Christus inter vivos non erat, nec ab illo quidquam boni expectare poterant; Judæi maximo ejus nomen persequebantur odio; ergo apostoli, quin crederent id quod enuntiabant, scientes maximè impiè se agere, quin utilitatem ullam hinc sperarent, prævidentes etiam, se procul dubio conjici in pericula summorum incommodorum, odii, contemptûs, crudelium persecutionum, mortis etiam, Christum resuscitatum prædicavissent? Hæc ex libertinorum sententiâ derivantur. Argumentum ita urgeamus : Atqui in hominibus nostri generis, neque rationis, neque communis sensûs expertibus (quales fuisse apostolos, concessum fuit), hoc nunquàm post homines natos vidimus; testimonium ergo apostolorum Hierosolymis resurrectionem Christi confirmat; contrariaque sententia nonnisi ab hominibus qui sensu communi et ratione abutuntur sustineri potest.

Sed stultissimâ impiâque hypothesi missâ factâ, quæ hujus eventûs nullam affert rationem, imò illi opponitur, quicumque pudorem non ejuravit et ratione ducitur, consideret attentè hujus apostolorum testimonii Hierosolymis prolati adjuncta omnia, tum per universum orbem disseminati resurrectionis Christi, candidèque dicat, num illud ut evidens rei veritatis argumentum non agnoscat?

Apostoli isti, Christo patiente mortuoque, perterrefacti dispersique, impavidorum leonum instar in publicum prodeunt, Israelitico populo inspectante et audiente altâ voce attestantur, Christum resurrexisse, *eum, quem* (Act. cap. 2) *Judæi affligentes interemerant, Deum suscitavisse, doloribus solutis inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo, seque hujus rei testes esse.* Obstupuerunt ad nuntium hunc mirum in modum Judæi; at apostolorum testimonium satis virium habuit, ut tria hominum millia die illo ad Jesum Christum converterentur; tum quinque millia etiam hoc testimonio permota crediderunt. Fremere interea Synhedrium (ibid. 4), manus in eos injicere, in carcerem eos detrudere; tum causam rogati, cur ea prædicent, impavidi : *Jesum Nazarenum, quem illi crucifixerant, Deum à mortuis excitavisse, et in ejus nomine se mirabilia operari*, testificantur. Minitabundi iis summus sacerdos, senioresque populi, scribæque interdicunt, *ne exosum illud nomen palam usurpent;* quibus respondent, *non esse æquum obedire hominibus potiùs quàm Deo; se non posse non loqui ea quæ viderunt, quæque audiverunt.* Et sanè apostoli *unanimiter* imperterriti (ibid. 5), *stabant in porticu Salomonis*, et eorum testimonii vi permoti *viri et mulieres frequentes credebant in Dominum.* Rursùs *in carcerem mittuntur et flagellantur.* Incassum omnia, et in concilio enim, et in plateis prædicant : *Deus Patrum nostrorum suscitavit Jesum, quem vos occidistis suspendentes eum ligno.* Consilium ergo initur eos interimendi. *Non* ideò tamen *intermittunt apostoli docere et evangelizare Jesum.* Stephanus (ibid. 6 et 7), quem comprehenderant, et in concilio *testimonium reddebat Jesu Christo, ejicitur ab urbe, et lapidatur : in Eccle-*

(1) Argumentum hoc effert Origenes in Celsum : « Mirum etiam est, unde discipulis, qui, « ut obtrectatores Jesu dicunt, nec eum à « mortuis suscitatum vidissent, nec eum divi- « num quippiam esse persuasum habuissent, « in mentem venisset non reformidare, quæ « Magister passus fuerat, intrepidè se pericu- « lis committere, patriamque relinquere, ut « ex voluntate Jesu doctrinam sibi ab ipso tra- « ditam docerent. Nam arbitror neminem fore, « qui rebus diligenter perpensis, dicat illos tu- « multuosam vitam (textus habet περιστατικὸν « βίον, meliùs verteretur, *discriminibus obnoxiam* « *vitam*), propter Jesu doctrinam electuros « fuisse, nisi eos vehementer persuasisset et ex « suis præceptis vivere, et alios ad ea capes- « senda adducere : præsertim cùm, ut sunt « humanæ res, in præsens exitii periculum se « conjiciat, quisquis nova quæcumque pro- « mulgare audet, infensosque sibi reddere, « quicumque sunt priscis dogmatibus et consue- « tudinibus addicti. » Lib. 1 cont. Cels. n. 31, edit. Paris.

siâ (ibid. 8) *quæ erat Hierosolymis persecutio magna facta est, ut dispersa sit per Judæam et Samariam.* Apostoli tamen prædicant. Saulus (ibid.) minister principum et sacerdotum factus *spirat minas et cædes in discipulos Domini;* Herodes (ibid. 12) fovens sacerdotum odium, *occidit Jacobum fratrem Joannis, et mittit in carcerem Petrum.* Non ideò cadunt animis apostoli. *Verbum Dei crescebat et amplificabatur.* Sanè Petro è carcere ab angelo erepto, Sauloque apostolo facto, apostolica tuba altiùs canit, Christusque *crucifixus et resuscitatus* non per Judææ unius loca finitima, sed in Romani imperii arce et per omnes orbis plagas prædicatur. Ex Judaicâ gente ubique homines reperire fas erat. *Neque enim* (aiebat Agrippa in celebri oratione ad Hebræos habitâ, relatâque ab Josepho (lib. 2 de Bell. Judaic. c. 16) *in toto orbe populus est, qui non ex vobis portionem habeat.* Noverant ergo apostoli, Hebræos ubique sibi contradicturos, eos insitum odium ethnicorum in præcones hominis crucifixi, et crucifixi à suâ natione ut seductoris, inflammaturos. Videbant certamen sibi fore cum gentibus omnibus; fames, sitis, frigus, nuditas, naufragia, carceres, flagra, ignominiæ, contumeliæ, mors denique ipsa obversabantur oculis, nihil tamen horum eos absterret. Relinquunt domos suas, trajiciunt maria, superant montium juga, ignotos terræ cœlique tractus petunt, nullâ aliâ de causâ, nisi ut nationibus et linguis omnibus Jesum Nazarenum crucifixum et à mortuis excitatum, qui Deus est, annuntient. Id dicunt, id testificantur coram Hebræis et gentilibus, regibus et philosophis, plebe et imperatoribus. Id dicunt testificanturque et in equuleis positi, et in carceribus marcescentes, et è cruce pendentes, et capite feriendi; id dicunt et testificantur donec sibi vita suppetit; demum ut eventum hunc confirment, sanguinem profundunt. Intra annorum viginti aut triginta spatium, Evangelium ab iis per omnes orbis plagas disseminatur; orbisque hoc testimonium accipit creditque; Christusque crucifixus et resuscitatus adoratur ubique.

Nunc requiro, num fieri possit, ne in hujusmodi testimonio Deus, hoc est, veritas ea cujus ille est auctor, internoscatur? Testimonium hoc eventum præcipuè, cui tota Christi Religio innititur, nempe ejus resurrectionem, spectabat. Hunc eventum apostoli poterant planè scire, et suâ intererat eum omninò se scire; illo enim suscepti operis moles erat superstruenda. Hoc confirmat Apostolus ita scribens (1 Corint. cap. 15) : *Si Christus non resurrexit, inanis est ergo prædicatio nostra. Invenimur autem et falsi testes Dei; quoniam testimonium diximus adversùs Deum, quòd suscitaverit Christum, quem non suscitavit; si mortui non resurgunt.... Si in hâc vitâ tantùm in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.* Jam inquio, hominem interdùm esse, qui opinionem speculativam, etiam falsam imbibat, semelque imbibitam eam mordicùs ad mortem usque defendat, non est difficile concipere; ignorantia eum excæcat, amor proprius eum impellit, susceptæ partes eum permovent; at homines quosdam, agmine facto, quin emolumentum ullum percipiant, ut ultrò et spontè in publicum prodeant, orbem totum pervagentur, Religionem prædicent, semperque eamdem omnibus in locis prædicent, omnesque eam ab eventu uno desumant, quem ignorare, utpote qui se inspectantibus acciderat, nullo pacto poterant, singulique eum eodem modo narrent, seque testes dent, imò vades et obsides, licet iis intententur minæ, labores, cruciatus, tormenta, mors, dicere oportet, evidentiâ facti moveri, re humanarum utilitatum omnium maximâ impelli, vi supremâ et divinâ, quæ eodem modo in omnibus et singulis iis operetur, regi et recreari. Genus hoc testimonii nullibi nisi in christianâ Religione vidimus. (Vid. Houtteville, *La Relig. chrétien. prouvée par les faits, tom. 3, réponse à la dixième difficulté.*) Homines, qui, ut confirment tanquàm oculati testes eventum momenti tanti, quanti est Christi resurrectio, sanguinem effundant, nulla alia secta ostentare potest, libertinique, licet tot martyres fingant, exceptionem nullam alicujus ponderis possunt afferre; ergo testimonium ab apostolis pro Christi Religione prolatum evidentissimum est argumentum, quod veritatem nobis ostendit.

Sed tandem aliquando ad martyres sermo noster progrediatur, qui primi ab apostolis pro Christo mortem pertulerunt; antequàm autem vim argumenti exponamus, consideret lector, illud victimarum primis nascentis Ecclesiæ seculis pro fide immolatarum agmen ingens ac propè innumerum, materiam illam, quam jamdiù versamus invictè confirmare. Hæc enim hominum millia, quæ firmissimè fidem, quam ab apostolis sibi traditam acceperunt et crediderunt, et usque ad mortem inter immanes cruciatus sanguine suo sunt tutata, ostendunt testimonium ab iis prolatum Christi resurrectionis aliorumque præcipuorum nostræ Reli-

gionis capitum quâvis exceptione majus, assensuque hominum cujusque ætatis conditionisque esse accipiendum. Cur ergo nisi per summam arrogantiam nunc à libertinis illud rejicietur?

At ad rem accedamus. Dico, martyres christianos esse veritatis fidei evidens argumentum. Ita autem ratiocinor.

Ex monumentis certissimis, hoc est, ex publicis actis, ab historicis ejusdem ætatis non christianis tantùm, sed etiam ethnicis, ex traditione universâ constantique, ab iis demùm testimoniis cæteris, quibus probari factum potest, habemus in compertis, per quatuor secula innumerabiles homines ætatis cujusvis, gradûs, regionis, fidem Christi inter atrociora tormenta morte etiam propositâ, firmè, constanter et lætos, quæ res rubore tyrannos affecit, obstupefecitque hostes ipsos, testatos esse. Atqui hujus eventûs in hujusmodi circumstantiis in solâ Dei omnipotentis gratiâ causa efficiens reperiri potest. Martyrum ergo christianorum testimonium probat, hujus Religionis auctorem Deum esse, quem illi per ejus gratiam ad mortem usque defenderunt.

De primâ propositione in suâ quâvis parte consideratâ consentientes adversarios habemus, ut opinor, nisi velint ridiculum pyrrhonismum objicere. Præter examina exquisitissimæ criticæ artis ab Holsteniis, ab Henscheniis, à Papebrochiis, à Tillemontiis, à Fleuriis, ab Alexandris, à Ruinartis et ab aliis etiam morosis criticis facta, habemus imperialia edicta, gesta proconsularia, passiones sinceras, litteras encyclicas Ecclesiarum, et monumenta cujusvis generis, è quibus colligimus, et numerum martyrum majorem fuisse supra quàm credibile cuique est, eorumque fortitudinem ab hostibus ipsis, qui aderant eorum certaminum crudelium, inauditorumque spectatores, cognitam fuisse. Pervolvantur Acta martyrum à clarissimo Ruinarto collecta, et verissimum esse quod diximus quisque intelliget.

Difficultas ergo esse potest quoad assumptionem, seu secundam propositionem. Patronum, tum judicem do adversariis meis hominum liberrimè cogitantem, et de martyribus christianis aut nihil, aut parùm admodùm benè meritum. Est hic Henricus Dodwellus, qui cùm nullum lapidem non movisset, ut numerum incredibilem martyrum imminueret in undecimâ è suis Cyprianicis dissertationibus, strenuè confutatâ, ut alibi diximus, à doctissimis viris, in duodecimâ agit *de primorum martyrum insigni fortitudine ejusque causis*, § 1. Præmittit ergo Dodwellus tanquàm rem certissimam « admirandum animum, quo primi Christiani « mortem perferebant, atque hanc non natu- « rali modo sed per aspera et diuturna tor- « menta datam; atque ut in hoc certamen « æquè laici et clerici, mulieres virique, ado- « lescentes adultique descendebant; singuli- « que eos cruciatus patiebantur fortiter et « athleticè, qui aliis tam horribiles videntur. « Advertit etiam perspicacissimos fuisse ho- « stes, ut ea tormentorum genera invenirent, « quorum lectio ipsa perterrefacit legentem; « ducebantque tam gloriosum Christianorum « constantiam expugnare posse, ut putarent « novis honorum titulis familias suas se hone- « stâsse, et rempublicam novis triumphis am- « plificavisse. Hinc inexorabiles et integri sem- « per in affligendis iis Christianis, nondùm « obductas veteres cicatrices novis vulneribus « flagrisque renovabant. Tamen, ait ille, hæ « artes omnes, hæc durities animi priùs victæ « fuerunt tormentis infligendis, quàm patien- « tia martyrum iis perferendis. Quodque ma- « ximè admirandum est, feminæ imbelles mol- « lesque, qualis erat Felicitas (1) prægnans, « animo hilari invictoque cruciatibus obviàm « ibant, et martyrium patiebantur. »

His præmissis, eas *humanas causas* inquirere studet, quæ fortitudinem hanc tam admirabilem potuerint efficere. Hæc est adversariorum causa. Si enim causæ istæ humanæ per se possunt (quod Dodwellus, ut dicemus postea, apertè negat), argumentum è testimonio martyrum deductum nihil valet; si non possunt,

(1) In Actis autographis SS. Perpetuæ et Felicitatis erutis ex codice Cassinensi, editisque in lucem ab Holstenio, legimus de secundâ hæc, ad quæ refertur quod ait Dodwellus: « Cùm octo jam mensium suum ventrem ha- « beret; nam prægnans fuerat apprehensa, « instante spectaculi die in magno erat luctu, « ne propter ventrem differretur.... Conjuncti « itaque unito gemitu (commartyres) ad Do- « minum orationem fuderunt ante tertium « diem muneris. Statim post orationem dolo- « res eam invaserunt. Et cùm pro naturali « difficultate octavi mensis in partu laborans « doleret, ait illi quidam ex ministris catara- « ctariorum: *Quæ sic modò doles, quid facies « objecta bestiis, quas contempsisti, cùm sacri- « ficare noluisti?* Et illa respondit: *Modò ego « patior quod patior; illìc autem alius erit in « me, qui patietur pro me, quia et ego pro illo « passura sum.* Ita enixa est puellam. » Tum narrantia, quomodò hæ fortissimæ feminæ ductæ fuerunt in amphitheatrum dicunt Acta: « Horruit populus respiciens puellam alteram « delicatam, alteram à partu recenti stillantibus « mammis, » etc.

vincit Religio; tunc siquidem ad omnipotentem Dei gratiam, qui testes suæ fidei erigit recreatque, est confugiendum.

Incipit Dodwellus, § 2, ab obstinatâ Galilæorum mortis contemptorum indole, quam simul cum nomine vult derivatam fuisse in primos Christianos, qui Galilæi appellabantur, eamque ita impavidos, ita fortes in patiendis tormentis illos affecisse. Sed hoc, ut dicam quod sentio, somnium est. Quid enim martyribus Gallis, Hispanis, Romanis, Galilæorum indoles animi addebat? Satisne erat, ut Celsus et Julianus eos appellarent Galilæos, ut unà cum nomine Galilæorum fortitudinem in eos injicerent? Quanquàm demus hoc verum esse, suffecissetne illa, ut eventus explicaretur? Quandonam inter Galilæos, nisi cùm de Religione est actum, hujusmodi eventus sunt inspecti? Commemorat ille secundo loco, § 3 et seq., « rigorem pristinum veteris disciplinæ, « austerumque vitæ genus, quo utebantur « Christiani, per quod fortes fieri ad tole- « randos cruciatus poterant. » Hìc saltem dicitur, quod est magis rationi consonum, voluptates infirmant et enervant homines; dura vitæ ratio assuefacit, et ad perferendum confirmat. Ita verò. At hìc causa isthæc nec erat universa, nec sufficiens; non universa, siquidem tot martyres in gentilitate natos altosque scimus; tum paucos dies, imò paucas horas postquàm conversi ad fidem sunt, martyrium subiisse; quæ christiana dura disciplina ad patiendum eos erudiit ad hoc certamen? Non erat sufficiens; quænam enim proportio inter abstinentias, vigilias, jejunia, quæ adhibebant Christiani, et equuleos, picem ferventem, rotas, pectines, quibus lacerabantur à tyrannis?

Tertiam humanam causam, quæ locum in martyribus habuit, ait Dodwellus, § 9 et seq., fuisse amorem gloriæ, quo accensi homines non rarò difficilia opera suscipiunt. At ratio hæc quoque per se corruit. Hic enim quærendi gloriam modus non erat; ipsa siquidem confessio, se Christianum esse, erat vituperium ingens apud homines cultiores elegantioresque. Et quicumque in amphitheatrum pro hâc fide pugnaturus descendebat opprobriis conviciisque ab omnibus excipiebatur. *At cultus,* inquit hic libertinus, *qui ab Ecclesiâ martyribus præstabatur, eorum mentes alliciebat* (1). Verùm quî, inquio, gloriola hæc poterat impellere ad mortem homines qui lubenti animo opprobria et vituperia subibant, eaque gloriæ vitæque præferebant? Sed hi (quod animadvertit etiam Dodwellus § 13) aut veram credebant Ecclesiam, à quâ honores sperabant, aut non credebant; si veram putabant, credebant etiam, eam non approbare agere propter gloriam, tormentaque hâc de causâ tolerata nullam iis utilitatem in alterâ vitâ allatura; nemo autem est qui non videat quantùm cogitatio hujusmodi eos retrahere à martyrio, eosque impellere deberet ut fines mutarent. Si verò falsam Ecclesiam judicabant, cur unquàm, ut honores à deceptâ plebe haberent post mortem, pati tot contumelias et persecutiones, mortemque à nationibus, quæ dominabantur, non minùs christiana habitis insanis? Præterea, si concipimus, posse viros magnos amore gloriæ accendi ad magna suscipienda et peragenda, ad pugnandum strenuè, quomodò unquàm amor hic famæ gloriæque tot femellas, tot virgines, homines egentes obscurosque inflammare poterat, ut amorem vitæ horroremque ingenitum immanium tormentorum suffocarent superarentque? Demùm nonne scimus quot insontes hujusmodi victimæ nullo habito delectu immolarentur, sine actis publicis, quod præcipuè accidit in ultimâ Diocletiani crudelissimâ persecutione, in quâ, ut quidam scriptor ait, occidebantur velut jure belli? Nonne scimus quot simul incendio uno absumerentur; quot inter noctis tenebras projicerentur in mare, aut modis aliis de medio sustollerentur, quin sperare possent non solùm posthumum honorem corporibus suis præstandum esse, sed ne memoriam quidem suorum nominum futuram in Ecclesiâ superstitem? Quinam laudis humanæque gloriæ amor heroas istos ad certamen hoc non minùs ignotum et obscurum quàm terrificum poterat excitare?

Causa quarta à Dodwello allata, § 16, est integræ vitæ anteactæ intimum testimonium; huic autem addit et quintam causam, nempe spem vitæ futuræ immortalis: quæ duæ cogitationes, inquit ille, semper animos contra timorem mortis hominibus addiderunt. Nos quoque has cogitationes inhæsisse nostrorum martyrum mentibus non gravatè fatemur; at in eâ sumus opinione, ut credamus eas non suffecisse, ut Dodwellus ipse fatetur § 18. Possunt quidem hæ duæ cogitationes efficere, ut patienter, quoties infertur, mors toleretur; at non sufficiunt, ut avidè illa desideretur, ut sine querelis feratur, ut hilari animo exantletur, præcipuè si illam antecedant diuturna et exquisita tormenta,

(1) Le culte qu'on rendait aux martyrs flattait leur vanité. Exam. de la Relig.

quæ mortem nostrorum martyrum præcesserunt, ut in aperto ponere ex plurimis testimoniis possumus.

Gradum ergo Dodwellus facit § 19 et seq. ad eas singularium bonorum spes, quæ antiqui Christiani, inquit ille, martyribus Deum præparâsse putabant, quorum spe accensi sereno vultu cruciatibus iis obviàm ibant. Hic vera quædam falsis multis permiscet auctor, quod iis accidit qui *criterium* certum in rebus Religionis non habent. Præcipuus ejus error (1) in eo consistit ut opinetur, credidisse illâ ætate Christianos, primam resurrectionem, de quâ in Apocalypsi sermo fit, esse resurrectionem corporum justis omnibus communem, in quâ tamen præcipua portio martyrum esset; post quam statim cum Christo celebri *millenario* regno terreo non spiritalibus tantùm, sed etiam corporeis bonis scatente essent fruituri. Quæ opinio, ait ille, conjuncta cum mundi dissolutione jam creditâ vicinâ, quæ tunc vigebat, quæque vicinum hoc millenarium regnum ostendebat, mirum in modum in martyrium Christianorum animos accendebat. Nimis à suscepto proposito aberrarem, si hanc Dodwelli sententiam, quam alii Protestantes etiam tuentur, vellem refutare, qui erroris hujus primos Christianos accusant.

Præter theologos nostros legatur præclarus Bossuetius ad caput 20 Apocalypsis, ubi veritatem explanat. Mihi, ut probem Dodwello, non posse afferri tanquàm universam, præcipuamque causam, quâ impellerentur Christiani ad martyrium, millenarii regni errorem, satis erit, ut ejus oculis subjiciam locum illum clarissimum D. Justini, qui à Papiâ primus fuit, qui hanc opinionem defenderet. Loquitur ille cum Tryphone de hoc temporario regno, quo Christus fruiturus per annos mille Hierosolymis refectis unà cum sanctis resuscitatis dicebatur; ita inquit *in Dial. cum Tryph. n.* 80: « Tibi igitur et antea confessus sum, me, et multos alios hoc sentire... et multos rursùs eosque ex illo Christianorum genere, quod piam et puram sequitur sententiam, id non agnoscere, tibi significavi. » — « Et sanè, inquit laudatus modò Bossuetius (1), prætérquàm quòd sententia hæc (de regno millenario) neque in Clemente Alexandrino, neque in S. Cypriano, neque in Origene reperitur; contra verò principia, quæ hi SS. Patres statuunt, huic systemati opponuntur, ex alterâ parte scimus, pugnâsse Caium, S. Dionysium Alexandrinum, tertii seculi splendidissimum lumen, ut novimus ab Eusebio et à S. Hieronymo. » Legatur locus ipse præsulis doctissimi de resurrectione primâ in Apocalypsi nominatâ, memoratâque à Dodwello, ubi Protestantium errores in hâc re confutantur. Cùm satis nos habemus ostendisse, cùm millenariorum sententia nunquàm Ecclesiæ et fidelium doctrina fuerit, tanquàm causam universam, quæ moverit Christianos illos ad martyrium subeundum, afferri non posse; tum etiam alia errata quæ pro suæ sectæ præjudiciis in sequentibus suæ Dissertationis paragraphis Dodwellus effutit, non habemus in animo refutare. Redeamus ergo in viam, advertamusque, quamvis omnes has memoratas causas martyres impulisse fingamus, tamen scriptorem hunc candidè fateri, non sufficisse per se unas ad explicandam eorum heroum fortitudinem, sed necessaria fuisse *superna auxilia et Dei impulsus*, quibus martyres supra vires suas extollerentur et in asperrimâ pugnâ recrearentur; de quibus auxiliis impulsibusque et eruditè et doctè § 39 et seq. usque ad finem dissertationis scribit. Licet igitur ejus sententiâ litem dijudicare vellemus, causâ libertini caderent, argumentumque à martyribus pro religione sumptum esset invictum dicendum.

(1) § 20: « Jam in milleni regno primam fore resurrectionem corporum crediderunt primævi Christiani. Et ut justorum propriam eam crediderunt resurrectionem, ita martyrum in eà portionem esse præcipuam. » § 27: « Jam ut minùs veræ fuissent hæ Christianorum opiniones, erant certè illæ animis ad martyria incitandis longè tamen utilissimæ. Id genus enim argumenta suppeditabant, quæ pro captu vulgi essent accommodatissima. Inprimis non spiritualia duntaxat præmia captum illum superantia, sed etiam sensibilia pro milleni saltem illo Christi in terris regno proponebant. Tum nec ipsa illa præmia sensibilia admodùm remota, » etc.

Sperandum tamen non est, hos sanam sententiam amplexaturos. Quid enim, inquiet aliquis, num causas alias detexerunt præter conquisitas expensasque, ut fortitudinem martyrum explicarent? Scilicet, eas sic habe: *Fanatismum*, sive *speciem quamdam furoris et ebrietatis*, ex quo fit ut in omnibus religionibus fuerint martyres sui. Hæc est potens universaque causa per quam spiritus fortes martyrum christianorum fortitudinem in subeundis tot cruciatibus se explicare putant, eodemque tempore eos deri-

(1) In animadversione de opinione Millenariorum positâ ad finem explicationis cap. 20 Apocalypsis.

dent. « Imaginatio fervens (ita unus ex iis scri« bit) est martyrii causa ; ut veritas hæc pro« betur, satis est ut omnes religiones inspi« ciamus, quæ martyres suos singulæ habent (1). » Fateor, si ita aut impudentes, aut vecordes libertini sunt, ut commenta hæc in publicum edere eos non pudeat, me in iis refellendis maximoperè stomachari. Sed quoniam *respondendum est stulto juxta stultitiam suam, ne se sapientem existimet*, hanc quoque larvam ab iis detrahamus ; quod eò libentiùs à nobis est agendum, quò majus momentum argumento nostro accedet. Ac primùm quidem vellem, ut isti et quidam eorum gregarii imperiti, qui clanculùm identidem *hos omnium religionum martyres* in lucem producunt, tandem aliquando martyrologium conscriberent, et acta authentica, gesta, confessionem, tormenta, fortitudinem, vitam demùm usque ad mortem integerrimam sanctissimamque colligerent, publicique juris facerent. Baylius qui aptus natus ad hæc scribenda erat, specimen quidem nobis dedit in libro inscripto : *Pensées diverses*, § 182, ubi vitam passionemque Vaninii, quem specioso titulo *martyris atheismi* decorat, nobis dedit. Eum nobis describit « sectæ « ducem, et impietatem prædicantem, ut à suì « similibus inferorum timorem excuteret, quo « putabat eos non jure vexari. » Tum eum pingit « captum ductumque ad tribunal, impavidum « confiteri opiniones suas, sub oculis crudelis« sima habentem tormenta, noluisse illum ne « fingere quidem eas retractare : quo facto « mortem effugisset, quam demùm subiit sus« tinuitque in suarum sententiarum defensio« nem inclytus atheismi martyr. » Hoc est specimen Bayliani menologii. Verùm hæc Baylii narratio falsitatem erroresque tantùm continet. Et sanè ille ipse in parte secundâ suorum Colloquiorum inter Maximum et Themistium fateri coactus fuit Jaqueloto, se vera hujus facti monumenta non habuisse, Vaniniique causam diversam fuisse. Fuit siquidem impius ille scelestissimis moribus, juventutisque corruptor : Tolosæ captus ob impietatem finxit (inquit Bartholomæus Gramondus Hist. Galliæ, lib. 3, pag. 209, oculatus testis), et in vinculis, et ante judices, se esse Catholicum ; sed videns neque simulatâ pietate, neque palinodiâ factâ, se posse pœnam effugere, simul ac ad mortem se damnari audiit, erupit in furorem, aspectuque truci et horribili, animoque abjecto ad supplicium perrexit, brutique animantis instar mortem subiit. Hic fuit ille inclytus martyr, atque hæc vera sinceraque diligentia quâ libertini suorum martyrum acta describunt. Non agebatur hic de epochis Syrò-Macedonum, neque de re in Groenlandiâ gestâ ; Vaninii ætas erat penè recens, affectusque morte in Galliâ fuerat ; Baylius tamen ita sinceram historiam composuit. Non dubito, si libertini vellent suorum martyrum acta producere, quominùs hujus similia simus omnia reperturi.

Verùm ut ad id quod instat veniamus, non negaverim fuisse et posse esse homines qui obstinati aut furore capti, errorem suum vel morte propositâ defendant ; neque etiam dico effusionem sanguinis opus esse quod insolitum Dei auxilium requirat, invictum proinde testimonium ejus veritatis quæ sanguine confirmatur. Hoc secundo loco proposui, *ex martyrum christianorum morte cum iis omnibus circumstantiis in solâ Dei omnipotenti gratiâ causam reperiri posse ;* atque hinc collegi martyrium esse certissimum veritatis religionis argumentum. Jam verò quæ sunt circumstantiæ illæ quæ cum hujusmodi facto conjunguntur ? Eas audiant libertini, considerentque num eas inveniant in iis martyribus cujuscumque religionis, quos nobis objiciunt, et num omnes ab accensâ phantasiâ originem duxerint.

Circumstantia prima est martyrum nostrorum numerus, ultra quàm credibile est, ingens, quod firmissimis argumentis jam alibi demonstravimus. Hinc harum victimarum conditio consequitur, quæ genera ingeniaque omnia hominum, quæ in terris sunt, complectitur, hoc est non aliquos sectarum duces, quos obstinatio seducere potest ; non aliquot imperitos, non quasdam mulierculas, in quibus perturbationem aliquam mentis inesse sit suspicandum. Sunt in horum numero viri et mulieres, senes et pueri, nobiles plebeiique, docti indoctique, profani et sacerdotes, philosophi et milites, ab ortu solis ad occasum, ab austro ad aquilonem. Omnes hi per quatuor secula impavidi variis quidem linguis unâ tamen voce eamdem fidem confitentur. Phantasiæ fervorem ita concordem in tot capitibus diversimode sentientibus singulis in terrarum orbe nunquam vidimus. Tertio loco cruciatuum quibus affligebantur martyres, acerbitas consideranda est. Non enim aut laqueo suffocati fuerunt, aut capite plexi momento temporis, sed ut plurimùm

(1) L'imagination échauffée est la cause du martyre. Pour en convenir, il n'y a qu'à faire attention qu'il n'y a point eu de religion qui n'ait eu ses martyrs. Examen de la Relig.

spectabant oculis suis objectum acerrimorum tormentorum apparatum, quæ industria efferataque immanitas poterat excogitare. His tamen sese martyres subjiciunt. Traducitur mulier imbellis mollisque, qualis, exempli gratiâ, fuit S. Blandina, per omnia pœnarum genera, quibus carnifices plures simul mortalem excruciare possunt; fustigationes consequebantur ferrei pectines, quibus caro discerpebatur, tum equuleus, inde laminæ ignitæ. Semivivus reducebatur in carcerem martyr, per aliquot dies fame, siti confectus, aliisque modis malè habitus, examinabatur, constansque in fidei confessione repertus eadem subibat supplicia, renovabanturque illi vulnera. Huic reti incluso pugnandum erat cum feris belluis; ille vivus excoriabatur; alius super crate ustulabatur, in ejus os liquefactum fundebatur plumbum; unus in oleum fervens conjiciebatur; iste picibus illitus vivus ardebat, et pedetentim consumebatur, velut nocturna fax. Hæc supplicia infligebantur matribus infantes suos gestantibus, recentibus à partu stillantibus mammis, puellulis inter commoda deliciasque altis, quæ nomen ipsum doloris reformidabant. *Phantasiæ œstum* hæc patrantem prodigia, ut tot cruciatus leves redderet, quis potuisset poeta effingere? Vel quæ alia religio potuit tot gravissimosque impetus sustinere?

Ad fortitudinem constantiamque per certamen totum nostrorum martyrum gradum facio (1). Ducti ad tribunalia, præfectis, proconsulibus, imperatoribusque ipsis, quin tergiversentur, quin paveant viri, mulieres, pueri puellæque respondent : *Christiani sumus, Christum stat adorare, vestra numina sunt nihil.* Indicuntur illis exilia, reponuntque orbem totum esse sibi exilii locum, patriam suam esse cœlum; præmia promittuntur, quæ ii ut lutum contemnunt; denuntiantur supplicia, quæ veluti ludicra derident; tempus deliberandi iis datur, dicuntque se non indigere consultationibus, statuisse quid sibi sit agendum. Mortis sententia iis edicitur, unâque voce, *Deo gratias,* respondent. Legantur Acta autographa, et proconsularia præcipuè, aut ea quæ ex illis fuerunt exscripta, in quibus interrogationes judicum, responsionesque martyrum, quibus verbis fuerunt redditæ, sunt descriptæ; num omnis Græca Romanaque antiquitas à suis heroibus sublimiora et animosiora sensa iis quæ expromunt non solùm Justini Cyprianique, sed Perpetuæ Afræque, sed tot femellæ, sed tot pueri, audivit nunquàm? Quàm benè adimpletum promissum illud legislatoris nostri videmus : *Sed ante hæc omnia ejicient vobis manus suas, et persequentur, tradentes in synagogas et custodias, trahentes ad reges et præsides, propter nomen meum; continget autem vobis in testimonium. Ponite ergo in cordibus vestris non præmeditari quemadmodùm respondeatis. Ego enim dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere adversarii vestri.* Luc. cap. 21. Et alibi : *Cùm autem tradent vos, nolite cogitare quomodò aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illâ horâ quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* S. Matth. cap. 10. Æstum imaginationis, erroremque fanaticum, qui ex imperitis hominibus et imbellibus in viros tam fortes, tam sapientes faceret, quis unquàm et usquàm vidit legitque?

Etiam de fortitudine quâ hæc tormenta martyres perferebant, est dicendum. Modis omnibus immanissimis ut discerperent corpus, flecterentque nostrorum heroum animum, utebantur tyranni. At operam sumebant inanem. « Tanto animi robore (hoc unum exemplum « exscriptum ex Actis autographis sufficiat) « firmata est Blandina, ut tortores, qui invi- « cem sibi succedentes à primâ luce usque ad « vesperam omni tormentorum genere eam « cruciaverant, resolutâ nervorum compage « deficerent, seque victos confessi, cùm nul- « lum tormenti genus quod ipsi inferri posset, « reliquum haberent, mirarentur adhuc illam « spiritum ducere, toto corpore lacerato atque « perfosso, testarenturque, unicum tormenti « genus ad illam enecandam suffecisse, nedùm « tot ac tanta tormenta. Verùm beata illa, « instar generosi cujusdam athletæ, in ipsâ « confessione vires atque animos resumebat; « eratque ei refectio et quies, sensumque om- « nem præsentis doloris adimebat prolatio ho- « rum verborum : *Christiana sum, et nihil apud « nos mali geritur.* » (Epist. Ecclesiar. Vien. et Lugdun. apud Euseb. lib. 5 Histor. Eccles. c. 1.) Hæc confessionis vox, nunquàm flebilis, nunquàm querula audiebatur à martyribus

(1) Quidquid à nobis hic totoque in capite dicitur de martyribus, potest legi in Actibus autographis collectis à Ruinarto, quæ sub oculos habemus, et quorum lectio satis nunquàm laudari potest. Possunt enim quovis methaphysicæ volumine meliùs in religione confirmare lectores; imò credimus, si nostri libertini pro Epistolis Persicis, Judaicis, Cabalisticis, operibus à S. Evrementio, vellent animo æquo ea legere, fore ut non possent non erubescere suæ impietatis.

nostris inter supplicia. Res enimverò admiranda, inquit Lactantius, qui eam oculis videre potuit. « Latrones et robusti corporis viri ejusmodi lacerationes perferre nequeunt; exclamant et gemitus edunt; vincuntur enim « dolore, quia deest illis inspirata patientia. « Nostri autem (ut de viris taceam) pueri, et « mulierculæ tortores suos taciti vincunt, et « exprimere illis gemitus nec ignis potest. » Instit. lib. 5, cap. 13. Hoc addamus: argumentum illustrius multò suæ fortitudinis martyres dabant exprobrantes impietatem tyrannis, imbecillitatem in cruciando carnificibus; attestantesque se cupidos majorum tormentorum in suæ fidei Christique nominis defensionem.

Neque verò hæc fortitudo perturbata erat, turbida, furiosa; at prudens, tranquilla, lætaque. Prudens, inquam; nihil enim in iis apparebat, quod non à ratione et à divinis luminibus non proficisceretur, ut advertit Clemens Alexandrinus; qui proinde appellat hanc fortitudinem veri hominis, non puerorum, qui temerè aut imperitè periculis obviam eunt. Tranquilla, inquam, lætaque, quod ex vultu ipso emicabat, quod sæpè in Actis legimus. Quare in Actis SS. Perpetuæ et Felicitatis dicitur: « Illuxit dies victoriæ illorum, et pro« cesserunt (martyres) de carcere in amphi« theatrum (ubi tolerandum erat martyrium), « quasi in cœlum, hilares, vultu decori, si « fortè gaudio paventes, non timore. Seque« batur Perpetua placido vultu et pedum in« cessu, ut matrona Christi Dei dilecta, vigorem « oculorum suorum dejiciens ab omni con« spectu. Item Felicitas salvam se peperisse « gaudens, ut ad bestias pugnaret, » etc. Passio SS. Perpet. et Felicit. n. 18, apud Ruinar. Quod etiam legimus de martyribus Lugdunensibus, « qui læti ad tormenta properabant, « præferentes vultu quamdam gravitatem cum « lætitiâ permixtam. » Idem de D. Cypriano scribit Pontius, de S. Agnete Ambrosius, et vulgò, quod etiam Dodwellus animadvertit, hæc vultûs tranquilli lætique in veris martyribus circumstantia invenitur, longè ac in apostatis fiebat, qui horrentes deformesque apparebant. At undenam fortitudo hæc ita invicta, ita læta derivari poterat? Dicam facta certa visaque ex eo quòd sæpè sensum nullum, aut saltem levissimum doloris percipiebant, ex eo quòd iis vulnera curabantur et obducebantur, ex eo quod feræ belluæ placidæ ad eorum pedes provolvebantur, aliisque modis defendebantur. Audivimus modò, S. Blandinam eas voces: *Christiana sum*, usurpantem, *refectionem et quietem* fuisse expertam, *sensumque omnem præsentis doloris* ei fuisse ademptum. Expavit S. Perpetua « cùm primùm (1) in carcerem ingressa est, cùm nunquàm aliàs eas tenebras esset experta; fuitque ei dies ille acerbus, at paulò post ita læta fuit, ut carcer prætorium illi videretur, libentiùsque ibi quàm alibi erat: in amphitheatro autem cùm impetita fuisset à ferocissimâ vaccâ (2), ne audivit quidem, et tunc solùm id credidit, cùm in corpore et in habitu vexationis quasdam notas cognovit. » Plagarum curatio habetur in Actis martyrum Lugdunensium, in S. Andronico aliisque; allevamentum pœnarum in S. Vincentio, in S. Philippo Heraclæensi, et in aliis etiam; voces è cœlo auditæ à D. Polycarpo et à D. Victore; belluarum ferarum mansuetudinem à multis visam scriptam legimus in S. Ignatii Epistolis.

Jam horum gestorum, quæ certè animos ingentes nostris addebant, et quæ sexto loco inter circumstantias martyrii recenseo, testes erant hostes ipsi; publicè enim accidebant; neque, ut Dodwellus ipse observat, illi nunquàm ea negârunt, imò multi ea videntes fidem Christi amplectebantur, ut testantur eadem Acta et Lactantius, Instit. lib. 5, c. 13; alii autem ea dicebant per magiam gesta, quæ calumnia Christo afficta, ut D. Ignatius queritur (3), affigebatur ob hæc admiranda prodigia vulgò Christianis; quod, ut animadvertit eruditissimus Holstenius (4) ex omnibus penè Actis discimus. Quòd si libertini nostri legentes ethnicos ad artes magicas confugisse, ut hæc explicarent, quæ suismet oculis videbant,

(1) « Recipimur in carcerem, et expavi, quia « nunquàm experta eram tales tenebras. O « diem asperum! æstus validos turbarum be« neficio (id est, ob multitudinem inclusorum) « concussuræ militum.... Tales sollicitudines « multis diebus passa sum... et statim conva« lui.... et factus est mihi carcer quasi præto« rium ut ibi mallem esse, quàm alibi. » Ibid. n. 3.

(2) « Quando, inquit Perpetua, producimur « ad vaccam, illam nescio; et cùm audisset, « quod evenerat, non priùs credidit, nisi quas« dam notas vexationis in corpore et habitu « suo recognovisset. » Ibid. n. 20.

(3) Συκοφαντία μαγείας. Epist. ad Phil.

(4) « Quam calumniosam magiæ accusatio« nem et in Christianos quoties mirum aliquid « super vim humanam patrarent, frequenta« tam à persecutoribus cuncta ferè martyrum « Acta testantur. » In Not. ad Pass. SS. Perp. et Felic. § 16.

se in cachinnos solvent, requiro, num ipsi sint digni veniâ an risu, qui, cùm non possint (quin in pudendum pyrrhonismum incidant) hujusmodi facta negare, quorum ingentem habemus numerum, nobis dicunt, *causam martyrii errorem fanaticum fuisse, fervorem capitis fuisse*, ut dicendum sit, æstum hunc effecisse ne homines cruciatus sentirent, æstum hunc vulnera obduxisse, ex feris mansuetas reddidisse bellu s?

Ex iis ergo quæ hactenùs diximus, colligimus, circumstantias quæ conjunctæ fuerunt cum eventu martyrum christianorum esse 1° numerum longè maximum; 2° qualitatem hominum cujusvis conditionis et regionis; 3° acerbitatem tormentorum immanissimorum, quæ audita et excogitata unquàm fuerint; 4° animum nostrorum, eorumque sapientiam coram tyrannis; 5° eorum fortitudinem inter cruciatus non constantem solùm, sed tranquillam lætamque; 6° his addatur tanquàm circumstantia facti certissimi et publici, mira refectio dolorisque sensûs ademptio, aliique modi admirandæ defensionis, qui sæpè in Actis martyrum cernebantur.

Videt, vel me tacente, prudens lector, ejurâsse pudorem omnem (qui quidem in quovis controversiarum genere servandus est) quicumque, quod libertini faciunt, audet aliarum religionum martyres præ fidei catholicæ martyribus in medium proferre. Quæ similitudo unquàm, quæ proportio interesse potest inter aliquot scelestos per vim ad patibulum tractos, mercedem vitæ ante actæ sceleste, et agmen hoc innumerabilium heroum illis, quas exposuimus, quarum ne vola quidem et vestigium in iis impiis inveniri verè potest, notis insignitorum? Quod si et ratione habitâ numeri et prædictarum circumstantiarum nulla comparatio fieri potest inter martyres nostros, et eos juste morte mulctatos, qui nobis objiciuntur, quis non videt longè diversam fuisse causam quæ martyres nostros ad patiendum impulerit ab illâ quæ effecit ut hi paterentur? Quis non intelligit, si *ferreas imaginatio* potuit ad mortis supplicium auctorem sectæ perducere, furorem unum posse efficere ut quis putet eamdem causam sufficere ad explicandum Christianorum martyrium iis circumstantiis circumseptum, quas ex monumentis certissimis demonstravimus?

Si igitur causa istihæc, vel veriùs figmentum istud nullo modo explicare potest (provocamus autem hic omnes impios nostræ venturæque ætatis, ut aliquâ verosimili umbrâ opus suscipiant) factum hoc humanis viribus majus; si præterea ex humanis aliis causis à Dodwello propositis, et à nobis examinatis (licet earum aliquæ potuerint aliquid efficere), nulla per se nec omnes simul sumptæ possunt probabilem *hujus martyrum eventûs cum suis circumstantiis* rationem reddere; ex necessariâ consecutione ad principium illud, quod solum potest eum explicare, est confugiendum. Principium hoc non est nisi omnipotens Dei gratia, quæ interioribus validissimis luminis affectûsque auxiliis, interdùm etiam exteriori ope refectionis defensionisque opera manuum suarum in arduo certamine sustinebat, et ad illud animi victoriæque perducebat fastigium, quò humana debilitas nunquàm per se pervenit. Gratiam hanc videlicet summâ humilitate, summis precibus et ante pugnam, et in pugnâ ipsâ à Deo martyres requirebant, ut novimus ex Actis; illi confidebant, illi acceptum animum referebant. Quare hæc de S. Felicitate (ut alia prætermittam exempla) scripta legimus: « Cùm pro naturali difficultate octavi mensis in partu laborans doleret, ait illi quidam ex ministris « cataractariorum: *Quæ sic modò doles, quid* « *facies objecta bestiis, quas contempsisti, cùm* « *sacrificare noluisti?* Et illa respondit: *Modò* « *patior quod patior, illìc autem alius erit in me,* « *qui patietur pro me, quia et ego pro illo passura sum.* » Pass. SS. Perpetuæ et Felicitatis, n. 15. Hanc demùm omnipotentem Dei gratiam suos athletas recreantem agnoscebant fatebanturque ethnici ipsi, qui per hanc præcipuè causam fidem amplectebantur; ut « sanguis « martyrum ideò Christianorum semen diceretur. Nam, inquit Lactantius Instit. lib. 5, « cap. 13, cùm videat vulgus dilacerari homines variis tormentorum generibus, et inter fatigatos carnifices invictam tenere patientiam, « existimat id, quod res est; nec consensum « tam multorum, nec perseverantiam morientium vanam esse, nec ipsam patientiam sine Deo cruciatus tantos posse tolerare. »

Quod si Deus ipse gratiâ suâ fons martyrum fortitudinis primus fuit, qui testimonium perhibebant de christianâ Religione, necessariâ consecutione dicendum est, Religionis hujus Deum ipsum auctorem esse; qui cùm non possit esse auctor nisi Religionis veræ, idcircò martyrum testimonium divinitatem et veritatem Religionis christianæ comprobat, quod nos demonstrandum proposueramus.

Hic tamen argumentum ex reconditis theologiæ fontibus deductum, quod libertinus noster contra camdem consecutionem profert magistrali supercilio, tacitus præterire nullo modo possum. « Patres Ecclesiæ dicunt, esse « causam, non supplicium, quod faciat marty- « res. *Causa martyrem facit, non pœna.* Cùm « concluditur Religionem christianam esse ve- « ram, quia habuit martyres, sumitur id quod « est in quæstione (1). » At ex iis quæ dicimus argumentum per se corruit. Hìc enim ab homine qui mortem subit ad martyrum christianorum omnium suis cum circumstantiis martyrium fit transitus. Miserum enimverò sophisma! casus primus à principiis humanis et etiam malis oriri potest; secundus à solà Dei omnipotentià potest produci. Id jam demonstravimus. Patres ergo loquuntur de primo, et in eo *causa* est nota ex quâ martyr cognoscitur; nos locuti sumus de secundo, asserimusque agmen hujusmodi martyrum iis decoribus ornatum evidens esse argumentum, per quod veritas causæ cognoscatur. Neque hìc ponitur id quod est in quæstione. Veritas christianæ Religionis non pendet à martyrum testimonio; erat verax antequàm ipsi in lucem ederentur; imò quia erat ejusmodi, eam illi sunt amplexati, et sanguine suo confirmârunt; at sanguis hic in ejus defensionem à tot martyrum millibus effusus iis circumstantiis quas explicavimus, est aliud argumentum, est alia evidens ejusdem veritatis demonstratio. Religio ergo facit martyrem, et martyres Religionem confirmant. Reciprocæ sunt hæ duæ causæ, quæ diverso in genere et illustrantur et probantur. Quicumque in scientiis et in ratiocinandi arte, in quâ libertini non videntur excellere, non est prorsùs hospes et peregrinus, plura hujus similia habet exempla. At adversarius rursùs urget, et in nos telum hoc formidandum immittit: « Tantùm abest (2), « ut martyres sint veræ religionis argumen- « tum, ut etiam ejus falsitatis fuerint testes. » Actum conclamatumque de nobis est, nisi ictum evitamus. « Est enim (ita dicere pergit) « injurium Deo dicere, ultimo supplicio affi- « ciendos eum relinquere illos qui credunt id « quod ille revelavit. » Argumentum mirum! infelix tamen, quia eò quòd nimis probat, nihil probat. Et sanè si est injurium Deo dicere, eum relinquere ultimo supplicio afficiendos illos, qui res quas revelavit credunt, erit æquè injurium dicere, illum prodere homines afficiendos incommodis, laboribus, supplicio, eos qui præcepta fidei adimplent. Jam nihil in orbe antiquius miseriis bonorum fuit, prosperàque malorum impotentià. Si ergo Deus non debet dici auctor revelatæ Religionis, quia eam credentes occiduntur, neque auctor erit Religionis naturalis, quia ejus cultores sunt miseri; si id autem à Deo sustollimus, quid erit de ejus providentià? Si verò hæc de Deo negetur, quid erit de Deo? Adeò verum est, libertinos ratiocinandi arte non excellere.

Permissio mali est oppositio, quæ fit ab atheis et deistis Christianis, æquè ac naturalistis, cujusmodi se esse ostendit in suo libercuio auctor, quem impugnamus. Hujusmodi argumentum alibi fusè solvitur. Hìc extra chorum nobis objicitur tanquàm peculiare contra Religionem revelatam, cùm objici possit etiam naturali; et contrà hanc si pugnat, est nullius ponderis, ut est contra illam. Tractaturi tamen de hâc re alibi, dicimus hìc obiter, non injuriam, sed maximè Deo gloriosam martyrum mortem fuisse. Tunc enim magnoperè illuxit vim omnipotens gratiæ suæ, per quam infirmi homines tyrannorum potentiam superârunt. Religio ab orbe toto malè habita impugnataque, totius orbis domina evasit. In interfectos gloria redundavit infinita, merces nempe ita pugnantibus præparata, in seramque posteritatem summa utilitas; habent enim omnes in pugnis suis suisque victoriis argumentum revelatarum veritatum invictum, telumque validissimum, quo refellant debellentque incredulos qui illas audent impugnare. Itaque libenti animo audiat hìc lector, quomodò huic rationi, quam ethnici in Christianos afferebant, in suo *Octavio* præclarus Minutius Felix respondeat, cujus verbis argumento martyrum hactenùs pertractato egregiè finem imponemus. « Fortitudo enim in infirmitatibus « roboratur, et calamitas sæpiùs disciplina vir- « tutis est; viresque denique et mentis et cor- « poris sine laboris exercitatione torpescunt. « Omnes adeò vestri viri fortes, quos in exem- « plum prædicatis, ærumnis suis inclyti flo-

(1) Les Pères de l'Eglise disaient, que c'était la cause, et non le supplice, qui faisait le martyr; et c'est un axiome de Religion, que, *causa martyrem facit, non pœna.* Ainsi, quand on conclut que la Religion chrétienne est véritable, parce qu'elle a eu des martyrs, on suppose ce qui est en question. Exam. de la Relig. chap. 6, n. 4.

(2) Bien loin que les martyrs soient une preuve de la véritable Religion, au contraire, ils sont autant de témoins de sa fausseté: car il est injurieux à Dieu de dire qu'il livre au dernier supplice ceux qui croient à ce qu'il a révélé. Ibid. n. 5.

« ruerunt. Itaque et nobis Deus nec non potest « subvenire nec despicit, cùm sit et omnium « rector et amator suorum. Sed in adversis « unumquemque explorat et examinat : inge- « nium singulorum periculis pensitat : usque « ad extremam mortem voluntatem hominis « sciscitatur, nihil sibi posse perire securus. « Itaque, ut aurum ignibus, sic nos discrimi- « nibus arguimur... Quàm pulchrum spectacu- « lum Deo, cùm Christianus cum dolore con- « greditur, cùm adversùs minas, et supplicia, « et tormenta componitur? Cùm strepitum « mortis et horrorem carnificis irridet, insul- « tat? Cùm libertatem suam adversùs reges et « principes erigit?... At enim Dei miles nec in « dolore deseritur nec morte finitur. Sic « Christianus miser videri potest, non potest « inveniri. Vos ipsi calamitosos viros fertis « ad cœlum, Mutium Scævolam, qui cùm « errâsset in regem periisset in hostibus, nisi « dexteram perdidisset. Et quot ex nostris non « tam dexteram solùm, sed totum corpus uri, « cremari sine ullis ejulatibus pertulerunt, « cùm dimitti præsertim haberent in suâ po- « testate? Viros cum Mutio, vel cum Aquilio, « aut Regulo comparo? Pueri et mulierculæ « nostræ cruces et tormenta, feras et omnes « suppliciorum terriculas inspiratâ patientiâ « doloris illudunt. Nec intelligitis, ô miseri, « neminem esse, qui aut sine ratione velit pœ- « nam subire, aut tormenta sine Deo possit « sustinere. » Minut. in Octav. cap. 36 et 37.

SECTIO VI. — *Quinta nota christianæ doctrinæ. — Miracula.*

Licebit per benignum lectorem mihi ad argumentum descendere methodo restrictâ, quâ scholæ utuntur. Ita ergo dico.

Si Deus in confirmationem christianæ doctrinæ miracula patravit, hæc doctrina procul dubio vera est ac divina : atqui Deus pro hâc doctrinâ miracula patravit ; ergo christiana doctrina procul dubio vera est ac divina.

Propositio est ita evidens, ut evidens est Deum mentiri non posse, neque proponere aut confirmare mendacium. Assumptio, in quâ adversarii cavillari possunt, duplici ex parte impeti potest ; vel negando *factum*, hoc est, miracula esse unquàm facta in confirmationem christianæ doctrinæ ; vel examinando *jus*, hoc est, dicendo, etiamsi miracula hæc sint gesta, veritatem tamen ea non demonstrare, cùm perpetrari potuerint à dæmone ; sicut sanè omnes aliæ religiones plurima miracula ostentant, quæ tamen nihil iis favent, cùm Deus ea non fecerit, sed dæmon. His insistunt viis recentes libertini, ut argumentum non minùs splendidum quàm validum à miraculis pro Religione desumptum labefactent. Cùm igitur demonstravero 1° in confirmationem hujus doctrinæ gesta prodigia fuisse ; 2° hæc prodigia Deum edidisse, non dæmonem, causa Religioni erit adjudicanda. Nonne ita est? Jam hoc dico, ex iis quæ hactenùs diximus, eas duas propositiones non quocumque modo, sed perspicuè et evidenter, quantùm materia patitur, nos probavisse. En modum : Citissima et latissima Evangelii propagatio est *factum* certissimum, neque ab impiis negatur ; tamen ostendimus supra, sectione 4, *hanc propagationem fieri non potuisse, quamvis omnes modi humani, qui concipi etiam possunt, fuissent adhibiti.* Prædicatio Apostolorum, testimonium martyrum *factum* est, quod adversarii ipsi fatentur ; tamen *viribus omnibus humanis, causisque perpensis,* ostendimus sectione 5, *factum cum omnibus adjunctis per vires causasque humanas fieri nullo pacto unquàm potuisse.* Ergo, ut hæc duo *facta* fierent, adhibiti fuerunt modi viribus omnibus naturæ superiores, ac proinde miracula sunt patrata. Ita, inquit libertinus, tamen quæ miracula? Similia iis Apollonii et Æsculapii, proficiscentia quidem à vi majore viribus hominis, nempe à dæmone, non à Deo. At interrogo, qualem isti imaginantur sibi esse dæmonem? certè principium malum, infensum æquè homini ac Deo ; ideòque errorem suadet et iniquitatem, ut illi pariat infortunia, huic injurias. Atqui ostendimus supra, doctrinam christianam in suis theoriis convenire cum veritatibus Religionis naturalis purissimis, suis in legibus esse sanctissimam, prædicatam errorem profligâsse et peccatum ; sanctificâsse homines, et à cultu idololatrico eos absterruisse, et convertisse ad Deum ejusque amorem ; ex quo emolumenta summa redundâsse in homines, et in Deum gloriam maximam ; ergo dæmonis vi hæc doctrina disseminata non fuit ; ergo miracula pro christianâ Religione Deus operatus est, non dæmon. Ex illis ergo, quæ diximus, demonstratur, pro christianâ Religione facta fuisse miracula, et hæc non aliunde proficisci quàm à Deo.

Inducor animum, ut credam, fore ut lector qui robur eorum sentit, quæ supra diximus dilucidè, probavimusque perspicuè, hujus demonstrationis vim, cui nonnisi ineptias commentaque libertini objicere possunt, non

quidquam solidi opponere possit cognoscere.

Quòd si fortassè quispiam reponeret, probari quidem propagatione fidei, et Apostolorum martyrumque testimoniis peculiarem Dei concursum ad hæc opera duo, at externa miracula non probari; primùm quidem respondeo, divinum hunc concursum, quocumque modo fuerit, efficere, ut causam quam ago, vincam, cùm non possit non esse vera illa Religio, quam Deus concursu suo peculiari propagatam voluit; deinde respondeo, si externa miracula non fuerunt ostensa, et effectum tamen est, ut innumerabiles homines cujusque conditionis regionisque amplecterentur, et sanguine ipso Religionem ita asperam, non eloquentiâ permoti, non miraculis, defenderent; hoc esse opus miraculorum omnium maximum; ex eo enim omnipotentem vim agnoscimus, non quæ dividat aquas, aut feras belluas mites reddat, sed quæ humanos intellectus flectit, ut occultis, quæque concipi nequeunt, veritatibus assentiantur; quæ humanas voluntates movet, ut leges durissimas amplectantur, quin modum ullum exteriorem adhibeat pro consueto rerum ordine, ut illos convincat, has permoveat. Sententia hæc verissima est D. Thomæ, cujus verba referimus : « Hæc autem tam admirabilis mundi conversio ad fidem christianam indicium certissimum est præteritorum signorum, ut ea ulteriùs iterari necesse non sit, cùm in suo effectu appareant evidenter. Esset autem omnibus signis admirabilius, si ad credendum tam ardua, et ad operandum tam difficilia, et ad sperandum tam alta mundus absque mirabilibus signis inductus fuisset à simplicibus et ignobilibus hominibus. » Lib. 1. contra Gent. cap. 6. Tertiò respondeo, in duobus factis prædictis, hoc est, in Apostolorum testimoniis et in orbis conversione involvi, imò esse totius molis fundamentum, verum et admirabile prodigium; nempe Jesu Christi resurrectionem, sine quâ (ut demonstravimus supra) hæc duo facta nunquàm evenissent, et quâ creditâ, argumentum quod inquirimus elucet, hoc est, miracula à Deo in christianæ Religionis confirmationem facta, atque hinc ejus certissima divinitas. Vim harum consecutionum impii intelligunt, ac proinde hìc magis infremunt, et in hoc miraculum præcipuum et singulare nostræ fidei, quod unum ad eos convincendos sufficit, sophismata omnia expediunt. Ad eorum tamen vota minùs prosperè; ex iis enim quæ demonstravimus, eorum causa laborat. Si Christus non resurrexit, Apostolorum prædicatio, conversioque orbis fieri non poterant. Hæc duo facto sunt vera et certissima, et negari non possunt; ergo Christus resurrexit, Religioque triumphat. Contra stimulum hunc non recalcitratur. At eorum argumenta audiamus.

Thomas Woolstonus minister Anglus est ille qui post Spinosam per summam impudentiam cùm omnia miracula, tùm Christi gloriosam resurrectionem ausus est oppugnare. Hanc invadit suorum Sermonum, 6, arbitraturque (1) testimonium Apostolorum hujus eventûs nihil valere; omnia fraudulenter conficta fuisse; discipulos, signis sepulcri effractis, rapuisse Christi cadaver; tum in vulgus eos disseminâsse Christum resurrexisse. Et sanè, requiro (inquit impius celebre illud Spinosæ (2) aliorumque libertinorum argumentum afferens), nisi res ita evenit, sed Christus verè resurrexit, cur sacerdotibus et senioribus populi non apparuit? Si hæc resurrectio debebat esse argumentum præcipuum Salvatoris missionis, necesse erat ut evidenter manifestaretur, ut revocari in dubium non posset. Cur ergo nonnisi quibusdam amicis, qui seipsos testes à Deo præordinatos appellant, innotuit? Ita Woolston, qui deinde aliud argumentum afferens ita concludit : « Quis scit (uno verbo) testes resurrectionis Christi num decepti fuerint per fanaticum errorem, num alios utilitate moti deceperint? Quod sine dubio est concludendum, hoc est, eos alterutrum horum fecisse. »

Hucusque impudentia, cùm semel Religionis repagula perfregit, progredi potest. Et sanè Anglia tota, publici juris libro hoc facto, in-

(1) Primus horum Sermonum editus fuit (ut legimus in Fabricio Salut. Lux Evangelica, cap. 9), anno 1727, cum hoc titulo : Sermo de miraculis Salvatoris nostri relatus ad disputationem, quæ nunc controvertitur inter incredulos et apostatas. Constat, magistratum Angliæ processisse contra auctorem, et à magistratu Abaci regii anno 1729, illum declaratum fuisse reum impietatis et blasphemiæ, mulctatumque centum (alii dicunt viginti quinque) libris sterlingis pro unoquoque sermone, et in carcerem per annum detrusum, et ut daret duas mille libras sterlingas in cautionem. Cùm tamen non posset ille solvere hanc mulctam, neque vadem reperire, mortuus est in vinculis annis natus 65. Vide P. Niceronem Mémoir. des hommes illust. tom. 40, ubi habetur catalogus operum in hunc impium scriptorem.

(2) « Jesus Christ n'ayant apparu ni au sénat, « ni à Pilate, ni à aucun des infidèles, mais aux « saints seuls, il s'ensuit de là que sa résur- « rection doit être expliquée dans un sens spi- « rituel, et qui est à la portée des fidèles. » Spinos. Epit. 23.

tremuit. Quamquàm non erat res tantâ admiratione digna; in eo enim solo non est insolens hos enasci fructus. Hic narratur (liceat mihi paulisper ab itinere divertere), cùm Woolston quo tempore affligebatur, Wisthonem, qui non minùs suis deliramentis erat insignis, convenisset, vix hic eum vidit, cùm è scalæ fastigio irâ tumens illi indixit, ut illicò inde abiret; ejus conspectu tantùm se commoveri (vide P. Niceronem). Et Woolston miratus, se ita excipi (familiaritas enim magna inter eos intercedebat) eum interrogavit, numquid eum offendisset, quo mereretur ita haberi. « Sermonibus « tuis de miraculis, » inquit iratus Wisthon; » at ille respondit : « ratio hæc non convenit cum « veniâ illâ quam semper scriptis tuis propu« gnas, quâ tantoperè indiges, ut tibi detur. » Cui nihil aliud respondit Wisthon, nisi « eum « multò longiùs quàm putâsset, fuisse pro« gressum; » atque ita illum dimisit. Credo, idem à Woolstone episcopo Londinensi, totique Anglicano clero, omnibusque Protestantibus respondere potuisse; neque illos pro systemate suo nihil aliud potuisse reponere, nisi demissâ voce, se nunquàm putâsse, rem eò progressuram. Næ valdè desipiunt. Ripis enim disjectis, stultè putatur, flumen posse cursum suum retinere, et non esse subjecta arva repleturum aquis. « Inter Catholicam Religionem et impietatem, « pulchrè aiebat Cameracensis archiepiscopus « Fenelonus, ratio non interjacet. » Id ratio ipsa suadet, et quotidiana experientia confirmat. At de hoc argumento dicemus etiam alibi. Nunc è diverticulo redeamus in viam, et Angli libertini insanam opinionem de resurrectione refellamus.

Eventum hoc nos scire, ait, à discipulis et amicis Jesu Christi ita testantibus. Ita sanè, ego respondeo defendoque, cùm jam superiùs id ostenderim, hoc testimonium cum circumstantiis et consecutionibus omnibus superare vim omnium testimoniorum, quæ alicujus eventi in historiis humanis habemus; ita ut nullum exemplum aliud hujusmodi habeamus; ac proinde quicumque aut Pyrrhonicus non est, aut demens, quod est unum idemque, debet fateri, ex hoc testimonio eam deduci evidentiam quæ de aliquo facto haberi potest. At illi ipsi, ait Wolston, sepulcri signa fregerunt corpusque è sepulcro abstulerunt. Enimverò nonnisi spiritus fortis potest in eam opinionem ire, ut dicat, aliquot piscatores nullius nominis, abjectos et pavidos ita ut cùm viderunt magistrum suum captivum factum, omnes aufugerint; postquam sciverunt sycophantam illum crucifixum et mortuum fuisse, animos sumpsisse, ut per legionem Romanam irrepentes signa præsidis confringerent, lapidem, qui erat ad ostium monumenti, sustollerent, evolutisque linteaminibus, quibus erat involutum, cadaver sublatum, quin timerent ne vigiliæ adverterent et ideò punirentur, secum deferrent. Vix ac aliquod deliramentum hujusmodi critici imaginantur, non solùm fieri potest, sed etiam factum est, ita ut mirari subeat, si dicere non audent, auro fuisse à discipulis corruptas custodias, ut faciliùs consilium exequerentur suum. At fortassè pudet de iis hoc dicere; cùm enim non haberent nisi tritos habitus, ut fatentur nostræ Religionis adversarii, cùmque essent egentes abjectique, neque modum habebant, quo custodias tam attentas et rogatu seniorum populi vigiles corrumperent, neque certi poterant esse, vel rejectâ, vel acceptatâ oblatione, ne consilium suum manifestaretur et perirent. Sed cominùs congrediamur, illustremusque argumentum. Cur (requiro à libertinis) debebant Apostoli tam difficile tamque perniciosum cadaver illud auferendi discrimen adire? Aut sperabant, resurrecturum magistrum esse, aut non sperabant; si sperabant, erat periculum hoc subire supervacaneum; si non sperabant, erat inutile. Ut igitur aggrederentur opus vel inutile, vel supervacaneum, persecutionis acerrimæ iratæ armatæque Synagogæ, ac proinde mortis ipsius erat Apostolis periculum adeundum. Dixi, conatum futurum supervacaneum; siquidem, si sperabant Christum resurrecturum, non erat necesse, ut ejus corpus è sepulcro auferrent, quasi verò qui poterat è mortuis resurgere, non posset per se è sepulcro exire; dixi, conatum futurum fuisse inutilem; si enim non sperabant, Christum resurrecturum, quid attinebat ejus cadaver possidere? Putabantne, se corpus hoc mortuum in Israelis solio collocaturos, à quo ad altissimos dignitatis gradus eveherentur? alterutram igitur propositi dilemmatis partem eligamus, videtur necessariò hoc ineundum consilium, ut eventus expectaretur : si enim Christus resurgebat, eorum spes sine periculo perficiebantur; si non resurgebat, eorum error sine ullo periculo dissipatus fuisset. Pars una afferebat evidens periculum, periculumque summum, quin utilitas ulla perciperetur. Errat qui putat, hominem unum ita agere; desipit, qui putat homines undecim. Nisi per summam amentiam ergo dici potest, apostolos Redemptoris corpus fuisse furatos.

Ad hæc libertinus non obmutescit, at pergit dicere, ideò apostolos hoc periculum subiisse, ut et Judæis, et orbis totius incolis Christum resuscitatum annuntiarent. Sed mendicatus hic prætextus fuit à nobis capite superiore fusè dilutus, et per se corruit. Si aleæ plenam cadaver furandi consilium erat, finis qui consilio hoc intendebatur, erat lethifer. Dicendumne ergo est, hoc modo, et hunc propter finem homines agere? Cùm agnovissent discipuli ex eo quòd non resurrexerat, ut sæpiùs promiserat, putidum eum sycophantam esse, jam nullum ab illo sibi expectandum emolumentum fore videbant; ex alterâ autem parte sibi carceres, sibi cruciatus, mortem infamiamque impendere certò videbant. Et reverà quid aliud expectandum erat discipulis, nisi ut ipsi quoque sycophantæ agnoscerentur: aut etiamsi ejusmodi non essent agniti, annon sciebant Judæos prædicationem hanc morte ipsâ cohibituros? Jam omnia hæc pericula simul sumpta num poterant pellicere homines, ut discrimen tale tantumque subirent, tum labores immensos sudoresque, quod fecisse apostolos jam ostendimus, susciperent? Hoc est agere contra humanitatis principia intima; ut enim alibi diximus, et est axioma: *Nemo propter mali cupiditatem operatur*. Hoc est agere omninò stultè, quod de apostolis nemo dixit unquàm, quodque de iis scimus nos ita cogitare vetat. Addimus etiam: ratio hæc principiorum deformitatem contrarietatemque ejusmodi demonstrat, quæ de homine concipi nequit; cogor enim ex libertinorum hypothesi ab iis requirere, num apostoli, qui corpus Christi abstulerunt, eum è mortuis resurrexisse prædicaturi, fuerint ultra quàm credibile est, scelestissimi, necne. Nisi erant impii hujus generis, qui commentum hoc tam impium et omnium iniquissimum quæ in Deum patrari possint, disseminare potuerunt? Quî illud defendere testimoniis iteratis, et immanissimis se cruciatibus mortique ipsi subjicere, certò scientes eodem tempore se à crucibus et à rogis statim in manus judicis severissimi incisuros, qui ob has ipsas pœnas ab iis latas, latasque (quod adverte) nullam propter corpoream utilitatem in æterna supplicia eos detrusisset? Si autem impii ultra quàm est credibile erant, cur resurrectionem Christi, ut eum docerent esse Dei Filium, prædicabant? Cur Religionem virtutem, innocentiam jubentem, impietatique adversam prædicabant? Et ut eam tuerentur et defenderent, cur suppliciis crudelissimis, cur letho ipsi obviàm ibant? Ut igitur dicamus cum Woolstne et incredulis ejus amicis, apostolos, disruptis signis abstulisse cadaver ut Christum resuscitatum prædicarent, dicere oportet eos fuisse impios et non impios, stultos et sanos, homines et non homines. Judicet quicumque quidquam sapit, num hæ illationes sint rectæ, num hypothesis, ex quâ deducuntur, sit ingeniosa.

Finxisse apostolos, non asseveranter dicit libertinus Anglus; quapropter illusos fuisse eos (1) sentit, et ita ait: « Si Jesu Christi resurrectionis testes non deceperunt lucri gratiâ alios, decepti per fanaticum errorem ipsi fuerunt. Alterutrum certè horum contigit. » Ut horum hominum fœcunda sunt ingenia! Si pars una rejicitur, suppetit alia; si corruit responsum hoc, aliud continuò subditur. Hoc tamen infortunio urgentur, ut malæ opinioni pejorem semper substituant. Quantùm utilitatis spes potuerit apostolos ad prædicandum Christum resuscitatum, et ad fallendos homines impellere, et nos diximus modò, et per se quicumque rectè judicat, potest discernere. Num dici possit, per fanaticum errorem, aut per illusionem eos fuisse deceptos, modò sumus visuri. Dico, quoties ambigi possit, num testes resurrectionis, aut per illusionem, aut per fanaticum errorem decepti fuerint, nos moralem evidentiam alicujus facti nunquàm ampliùs habituros: corruere simul omnes historias cùm Romanas, tùm Græcas, recentes et antiquas, nobisque omnibus in Pyrrhonismum prolabendum. Id probare aggrediamur. Evidentia moralis alicujus facti testimonio sensuum nititur, et hoc testimonium cùm sit concors, vividum constansque, est veritatis argumentum. Quòd si alicui peculiari casui adsint hæ illæve conditiones, aut magis aut minùs certiores sumus, ut major minorve est testium numerus, ut major minorve eorum attentio et diligentia

(1) Spinosa etiam ita stultè opinabatur; quare in Epist. 25 ad Henricum Oldemburgium ita scribit: « Cæterùm Christi passionem, mortem et sepulturam tecum litteraliter accipio, ejus autem resurrectionem allegoricè. Fateor quidem, hanc etiam ab Evangelistis iis narrari circumstantiis, ut negare non possimus, ipsos Evangelistas credidisse, Christi corpus resurrexisse, et ad cœlos ascendisse, ut ad Dei dexteram sederet; et quòd a fidelibus etiam potuisset videri, si unà in iis locis adfuissent, in quibus ipse Christus discipulis apparuit. » Fictionis ergo accusatio etiam ab hoc impio vana putatur. Tum sequitur: « In quo tamen potuerunt decipi, ut aliis etiam prophetis contigit. » Legendam insaniam! Vide textum.

rem contemplandi fuit, ut crebriores vel rariores fuerunt observationes, ut unus pluresve sensus simul concurrunt ad judicium idem pronuntiandum. Ad rem propositum veniamus, videamusque an hæc in illam conveniant. Et primùm quidem quoad numerum eorum qui resurrectionis Christi testes fuerunt, scribit D. Paulus (1 Corint. 15), *illum semel apparuisse quingentis fratribus, quorum plerique adhuc restant et aliqui dormiunt; postea apparuisse Jacobo, postea omnibus apostolis simul, et mihi etiam tanquàm novissimo.* An jure in testimonium alicujus facti major hominum numerus requiri potest? Transeamus ad attentionem studiumque observandi? Agebatur hìc de re gravissimi momenti, respectu discipulorum; ex illâ enim divinitatis Christi, notæque illius missionis argumentum vim omnem desumebat; de veritate ejus doctrinæ et promissorum, de fundamento suæ spei, de suis laboribus suscipiendis agebatur. Præterea de opere inprimis admirabili novoque, quod per se ipsum attentissimum studium excitabat, agebatur; agebatur denique de facto de quo jam erant solliciti, quod anxiè expectabant, de quo dubii erant et ancipites. Cùm ergo post expectationem talem tantamque occasio rei veritatis penitùs perquirendæ advenisset, quis unquàm dubitare potest, num discipuli eum attentissimè inquisierint, et speculati perscrutatique fuerint? Nam non semel Christum viderunt; pluries viderunt, et ad libitum, et diù viderunt. Per dies quadraginta factæ fuerunt observationes hæ pluribus in locis, pluribusque modis, pluribusque sub aspectibus modò ab his, modò ab illis, interdùm à paucis, interdùm à pluribus, ab omnibus interdùm, composueruntque facta dictaque, certissimique facti sunt eum esse Christum. Dicamus etiam de sensibus, qui omnes testati sunt, eum esse Christum. Visus est, auditus, tactusque. Viderunt exeuntem et introeuntem, viderunt stantem sedentemque, viderunt manducantem, è terrâ se sublevantem, et in altum ascendentem demùm viderunt. Audiverunt eum ipsorum in credendo tarditatem castigantem, audiverunt eum explicantem fusè testimonia Moysis, Prophetarum et Scripturarum ad ipsum pertinentium; audiverunt mandantem quæ facienda erant ad Evangelii promulgationem, ad institutionem, regimenque Ecclesiæ. Visùs, auditùsque testimoniis accedit tactus. Discipulus quidam induxit animum, ne aliis discipulis resurrectionem magistri narrantibus crederet; intrat Christus, ubi erant illi simul. Thomas inspectantibus cunctis intulit digitum in latus apertum, in cicatrices manuum clavis perterebratarum, sibique ipsi tunc credens fatetur, testaturque, eum Dominum Deumque suum esse. His similibusque aliis colloquiis discipuli cum resuscitato Christo dies quadraginta conversati; denique simul cum ipso cùm in montem Olivarum ascendissent, cùm priùs et manducâssent, et collocuti cum illo fuissent, eum paulatim è terrâ sese attollentem, petentemque cœlum aspexerunt. Omnesque et singuli homines hi, temporibus hisce, observationibus toties repetitis, animadversionibus tantoperè intentis, perceptionibus ita claris constantibusque, omnes, inquam, semperque sunt decepti, omnes semperque somniârunt, omnes fanatici fuerunt, illusique omnes? Si ita se res habet, patet aditus ingens ad Pyrrhonismum et historiarum et factorum omnium; omnibus consiliis adimitur securitas, commercium, humanumque genus in perturbatione chaosque jacet. Distinguit per se lector nostrarum illationum ordinem rectissimum, Woolstonisque sententiæ deformissimam perversitatem, quin latiùs vager ad eam ostendendam. Contendamus ergo, ut ex dictis consequitur, apostolos de resurrectione Christi neque decepisse alios utilitatis gratiâ, neque se deceptos ex fanatico errore. Apostolorum igitur prædicatio Christi resurrectionem comprobat, demonstratque. Probat ergo miraculum, quod, cùm à solo Deo fieri possit, Religionem christianam firmissimam efficit. Quòd si ad apostolorum testimonium orbis conversio, hoc est, fides à gentibus eorum verbis de hâc resurrectione habita, licet fides hæc afferret maximam difficultatem consecutionesque asperrimas, accedat, addaturque martyrum christianorum eventum explicatis circumstantiis circumseptum, et resurrectione Christi tanquàm super fundamento erectum, ad evidentiæ gradum ejusmodi miraculum hoc evectum videmus, ut æquè evidens exemplum nullum aliud fas sit reperire.

Benè habet. At num argumentum, inquiet quispiam, Woolstonis libertinorumque ostentatum adeò, hoc est, cur Christus vix ac resurrexit, sacerdotibus senioribusque populi se non ostenderit et eorum impietatem coarguerit, notumque iis fecerit admirando hoc prodigio suæ personæ mysterium, relinquemus intactum? Respondeo, id eum non fecisse, quia noluit. Tamen cur noluit? interrogat incredulus. Quia causas habuit *sufficientes, prævalentesque,* ne vellet. At quæ unquàm hæ causæ

fuerunt? Dicam ingenuè, me illas ignorare. Ergo, concludit libertinus, Christus non resurrexit. Num magis distorta magisque inepta potest esse illatio? Quæ ars critica est unquàm hæc, quæ factum confirmatum solidissimis argumentis invictè eâ solâ de causâ negat, quia circumstantia una quæ illud consequitur nescitur? Si ostendere possent impii, Deum sapientissimum et infinitum, rerum omnium moderatorem summum in suorum consiliorum thesauris nunquàm hujus rei habere causam potuisse, esset aliquâ ex parte ferendum: verùm quis consiliator ejus fuit, ut potuerit omnia ejus consilia comprehendere, certosque nos facere, esse in eo hujusmodi causam, et causam illo dignam non potuisse? Ejus resurrectio est certa; certum quoque est, neque sacerdotibus, neque pontificibus Christum se agnoscendum præbuisse; ergo in illo fuisse causas, dignasque illo, cur id faceret, non est dubitandum. Ut contendam, has causas fuisse, satis est, scire ita rem contigisse, Deumque ita egisse. Ego tamen eas ignoro, sicut infinita alia illius æterni entis consilia me latent. Sed cùm hujusmodi ignorantia nunquàm in causâ est, cur de rebus factisque quæ certò cognoscimus, dubitemus, tum aut pervicax contumacia, aut summa vesania efficere potest, ut ex eo quòd cur Christus resurgens quibusdam apparuerit, quibusdam se non manifestârit, causam nescio, de ejus resurrectione dubitem. Possem tamen, ut libertinis aliquid indulgerem, dicere Christum principibus Synagogæ se non ostendisse, quia injustissimo execrabilique deicidio gratiâ hujusmodi se indignos reddiderant, et proinde fuisse hoc justissimum supplicium, quo omnium delictorum maximum punitum fuit. Dicere possem, etiamsi iis Christus apparuisset, eos tamen futuros fuisse adeò contumaces obstinatosque, ut sicut alia dilucida argumenta, quibus divinitatem suam iis manifestârat, noluerunt respicere, ne illum agnoscerent, ita tunc post resurrectionem eos simulaturos fuisse, et nisi negaturi omninò fuissent, saltem miraculum illud præstigium aliquod dicturos. Reor equidem hoc responsum eo modo quo Christus ipse in epulonis parabolâ utitur, me posse illustrare. Orabat scelestus hic Abrahamum, ut Lazarum resuscitatum ad quinque fratres suos superstites mitteret, *ut eos moneret, ne in eum locum tormentorum venirent*. Abrahamus ei respondit : *Habent Moysem et Prophetas, eos audiant*. Tum ille : *Nequaquàm, pater Abraham; sed si aliquis ex mortuis ad eos mittetur, audient* : (hoc est illud quod libertini etiam vellent; at quid ait sacer textus?) Abrahamus autem illi : *Si non audiunt Moysem et Prophetas, neque si aliquis ex mortuis resurgat, credent*. (Lucæ cap. 16.) Veritatem roburque hujus responsi perpendat lector, et quàm aptè rei, de quâ agimus, conveniat, obstruatque tumentium libertinorum ora, intelliget. Quanquàm egebatne Christus gregis ingratæ, corporeæque gentis emendatione et fide? Jam prævidebat tot hominum millia omnibus in orbis regionibus religionem suam amplectentium seque adorantium. Hæc, et multò etiam plura dicere libertinis possem, ut injustis eorum postulatis indulgerem. Satis tamen habebo, si dixero, etiamsi Christus à mortuis excitatus toti Hierosolymitanæ civitati apparuisset, etiamsi omnes Judæi conversi hujus eventûs memoriam monumentis litterarum consignatam nobis tradidissent, qui ausus est, quod fecit Woolston, ejusque gregarii, argumentis quæ de Christi resurrectione afferuntur, contradicere, eum tum etiam figmenta deliriaque turpissima inventurum fuisse, ita ut hujus testimonii auctoritatis accessio apostolorum testimoniis facta nihil aliud esset effectura, quàm ut eorum sermonis insania, eorumque pervicaciæ magnitudo magis magisque appareret.

Christi resurrectione ita constitutâ probatâque, christianam Religionem evidentissimâ notâ, qualis est miraculorum, argumentorum Dei testimonii visibilium fontisque veritatis essentialis nota, confirmatam videmus. Miracula dico : Christi enim resurrectio est prodigium ejusmodi, quod et alia quæ vivens admiranda per se cæteroquin satis perspicua patravit, et prodigia omnia quæ subsequentibus seculis in ejus nomine præcones sui fecerunt, nova evidentia illustrat. Si Christus qui se Dei Filium prædicabat, resurrexit, erat ergo is quem se dicebat : omnipotens igitur, naturæque supremus Dominus. Quid mirum ergo, si ad libitum nutuque consuetum ejus cursum remorabatur, et leges à se sancitas, et cujusvis agentis vim prætergrediens, cæcis visum restituebat, ægrotos sanabat, imperabat aquis, ejiciebat dæmonia, mortuos ad vitam revocabat? Quid mirum, si superno spiritu duodecim ineptos piscatores perfundens suos Evangelii apostolos fecit, omnibus linguis ornavit, facultatem miracula cujuscumque generis edendi iis est impertitus orbisque conversionis ad fidem ministros constituit? Hæc porrò prodigia non in tenebris, non in late-

bris, sed in urbibus frequentissimis, in meridianâ luce patrata fuisse scimus. Patrata fuerunt; non enim gentes Religionem imperscrutabilia dogmata et præcepta asperrima proponentem, cujus cultum horrenda consequebantur, aliquot imperitorum abjectorumque hominum verbis unis motæ fuissent amplexatæ, nisi miraculis, eam divinam esse illi confirmâssent. Patrata fuerunt; gentes siquidem apostolos, qui hanc facultatem à præceptore suo se habere dicebant, irrisissent, nisi reipsâ demonstrâssent. Patrata sunt; neque solùm gentes acceperunt ex miraculis ab apostolis factis plurima beneficia, sed per Christi fidem, impositionem apostolorum manuum, facultatem ejusmodi prodigia agendi consequebantur; prædicabaturque ubique, Christum dixisse: *Signa* (Marci 16) *autem eos qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia ejicient; linguis loquentur novis, et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit; super ægros manus imponent, et benè habebunt.* Qui negaret hæc promissa fuisse adimpleta, idem faceret, ac si conversionem gentium ad christianam Religionem negaret; si enim hæc miracula illæ non vidissent, apostolos ut sycophantas expulissent, qui sui Magistri nomine illa pollicebantur. Nam nimis stultè erraret, qui diceret apostolos fuisse deceptos, et credidisse, se exteris linguis loqui, et patrare miracula, cùm neque eas linguas loquerentur, nec miracula peragerent. Incredibilius etiam multò est dicere, omnes gentes conversas simul cum apostolis conspirâsse, ut cæteras nationes, omnesque posteros fallerent, simulâsse credere se hujusmodi fictionem, pro quâ innumera incommoda mortemque ipsam perferrent. Fuerunt ergo à Christi discipulis, et à primis fidelibus hæc miracula effecta. Hoc elatâ voce, quin timerent ne refellerentur, hostibus christianæ fidei apologistæ nostri objiciebant. Præclarum fragmentum Orationis pro christianâ Religione, imperatori Adriano à Quadrato oblatæ, de quâ locuti sumus alibi, Eusebius in suâ Historiâ nobis conservavit; ita ille aiebat: « Opera autem Servatoris nostri erant semper « manifesta, utpote quæ erant vera respectu « eorum qui aut liberabantur à morbis, aut à « morte revocabantur ad vitam. Qui non so« lum visi fuerunt ab omnibus tum, cùm fue« rant sanati, aut ad vitam revocati, sed etiam « post. Neque solùm donec Salvator noster in « terris vixit, sed etiam post ejus discessum « fuerunt superstites; ita ut ex iis quidam ad « hæc usque tempora nostra pervenerint. » Tertullianus in celebri suo Apologetico (cap. 23): « Edatur, inquit ethnicos alloquens, hìc « aliquis sub tribunalibus vestris, quem dæ« mone agi constet. Jussus à quolibet Chri« stiano loqui spiritus ille tam se dæmonem « confitebitur de vero, quàm alibi deum de « falso. Æquè producatur aliquis ex his qui « aris inhalantes numen de nidore conci« piunt.... qui anhelando profantur. Ista ipsa « virgo cœlestis (Juno Carthaginensis) pluvia« rum pollicitatrix: iste ipse Æsculapius me« dicinarum demonstrator.... nisi se dæmones « confessi fuerint, Christiano mentiri non au« dentes (à quo ad respondendum coguntur) « ibidem illius Christiani procacissimi sangui« nem effundite. » Quid aliud, nisi rei veritas et evidentia potest tantùm animi facere homini, qui prorsùs amens non sit, ut hæc dicat? Haud dissimilia et de potestate dæmonibus imperandi, et de virtute expellendi morbos legimus in ejusdem Afri apologistæ libro ad Scapulam, cap. 5: « Hæc omnia tibi et de « officio suggeri possunt, et ab eisdem advo« catis, qui et ipsi beneficia habent Christia« norum, licet acclament quæ volunt. Nam et « cujusdam notarius cùm à dæmone præcipi« taretur, liberatus est, et quorumdam pro« pinquus et puerulus. Et quanti honesti viri « (de vulgaribus enim non dicimus) aut à dæ« moniis, aut à valetudinibus remediati sunt. « Ipse etiam Severus, pater Antonini, Chri« stianorum memor fuit. Nam et Proculum « Christianum, qui Torpacion cognominaba« tur, Euhodiæ procuratorem, qui eum per « oleum aliquando curaverat, requisivit, et in « palatio suo habuit usque ad mortem ejus, « quem et Antoninus optimè noverat lacte « christiano educatus. » Haud dissimilia in Arnobio (lib. 1 advers. Gent.); in D. Cypriano (ad Demetriam); et in S. Irenæo (lib. 2, cap. 31), et in aliis scriptoribus primorum seculorum, qui de potestate miraculorum in Christi Ecclesiâ ut de re solemni et publicâ, quæ nequeat refelli à quoquam, loquuntur. Quid plura? Gentiles ipsi eam agnoscebant et fatebantur; si loquamur de iis miraculis potissimùm quæ in pugnis martyrum fiebant, ut alibi diximus, neque aliud quidquam, ut eorum luci tenebras offunderent, respondebant, nisi, quod de Christo perfidi Judæi dicebant, arte magicâ ea patrari. Quam calumniam et breviter supra retudimus, confutabiturque fusiùs, cùm alias insanias quas huic argumento à miraculis

desumpto objiciunt libertini, dissipaverimus.

Opinatur Spinosa impetu uno omnia miracula prosternere, si dicat, ea fieri non posse (Tract. Theolog. Polit. 5). Ordo enim naturæ, inquit ille, perturbari non potest, quin in Deo mutatio fiat. Ejus sublimis demonstratio est hæc : Leges naturæ non sunt nisi Dei decreta necessaria ; jam Dei decreta immutari non possunt ; est enim ille immutabilis : ergo leges naturæ mutari non possunt ; ergo miracula, quæ nimirùm in hàc mutatione naturæ consistunt, nullo pacto fieri possunt. Acervum hunc ambiguorum verborum errorumque in multis suorum operum locis objici solitum proposuit sibi D. Thomas ; nihil enim aliud nisi Stratonis, Anaxagoræque et delirantium gentilium, qui ineluctabilium fatorum vinculis non solùm numina inferiora, sed ipsum Jovem constrictum dicebant, errata continet. Si doctor eum doctrinis clarissimis dissipat, quas afferimus, summoperè materiam hanc illustraturas. Cùm ergo ait Spinosa, naturæ ordinem interrumpi aut mutari non posse, quin mutetur Deus, respondendum est, duas ordinum species in rebus esse distinguendas.

Primùm : « Si ordo rerum consideretur, prout dependet à primâ causâ, sic contra rerum ordinem Deus facere non potest. Si enim sic faceret, faceret contra suam præscientiam, aut voluntatem, aut bonitatem. Si verò consideretur rerum ordo prout dependet à quâlibet secundarum causarum, sic Deus potest facere præter ordinem rerum : quia ordini secundarum causarum ipse non est subjectus, sed talis ordo ei subjicitur, quasi ab eo procedens, non per necessitatem naturæ (*ut delirat Spinosa*), sed per arbitrium voluntatis ; potuisset enim et alium ordinem rerum instituere. Unde et potest præter hunc ordinem institutum agere, cùm voluerit : puta agendo effectus secundarum causarum sine ipsis, vel producendo aliquos effectus, ad quos causæ secundæ non se extendunt. Unde et Aug. dicit (lib. 26 contra Faustum cap. 3) quòd Deus contra solitum cursum naturæ facit : sed contra summam legem nullo modo facit, quia contra seipsum non facit. » Part. 1, qu. 105, art. 6. Vide etiam eumdem S. Magistrum lib. 3 contra Gen. c. 98, ubi eamdem doctrinam fusiùs explicat ; et alibi idem S. doctor de Potent. q. 6, art. 1, ad 6 : « Deus non facit contra rationes naturales mutabili voluntate : nam Deus ab æterno prævidit, et voluit facere, quod in tempore facit. Sic ergo instituit naturæ cursum, ut tamen præordinaretur in æternâ suâ voluntate, quod præter cursum istum quandoque facturus erat. » Itaque opera, aut phænomena contraria, aut superiora hoc cursu sunt miracula. Possunt ergo hæc à Deo fieri, cùm naturæ cursus ab illo omninò regatur ; neque mutationem ullam ei afferunt, cùm respondeant actui illi simplicissimo et æterno voluntatis, quâ cursum hunc rerum dirigens, voluit etiam ut interdùm mutari deberet.

Quare argumentum, quod affert Spinosa, aiens, leges naturæ esse decreta necessaria Dei, atque cùm decreta hæc sint immutabilia, etiam leges naturæ esse immutabiles, ac proinde miracula, quæ in harum legum mutatione consistunt, dari non posse, est purum putumque sophisma, quod ambiguis verbis innititur. Duplici enim sensu intelligi potest debetque vox, *legis naturæ*, hoc est, tanquàm *causa*, et tanquàm *effectus*. Primo sub intellectu accepta est eadem ratio æterna legislatrix et moderatrix Dei, ac proinde nihil aliud significat, quàm decreta ipsa ejus (non jam necessaria, ut somniat Spinosa, sed liberrima, ut supra docuimus). Lex autem naturæ ut *effectus* non est nisi ordo, seu cursus, quem ex æterno Dei decreto in hoc systemate res omnes servant. Jam lex naturæ sensu primo sumpta est immutabilis, secundo verò mutari potest, quandoquidem immutabili lege æternâ mutatio hujus temporarii rerum cursûs, hujusque legis naturæ propter singularia quædam eventa, ut sunt miracula, fuit decreta. « Hanc distinctionem, ut ait S. Thom. 3 contra Gentes, cap. 98, « quidam non considerantes, in diversos errores inciderunt. Quidam enim immobilitatem « divini ordinis ad res ipsas, quæ ordini subduntur, extendere conati sunt, dicentes, quòd « omnia necesse est esse, sicut sunt ; in tantum quòd quidam dixerunt, quòd Deus non « potest alia facere, quàm quæ facit : contra « quod est, » etc.

Ita breviter Spinosianum sophisma evertimus, specimenque aliud ratiocinandi illius sophistæ, tantoperè à libertinis commendati, attulimus.

Scriptor Gallus abbas de Houtteville, magni faciendus, in præclaro opere contra Religionis hostes, cui titulus : La Religion chrétienne prouvée par les faits, cupidus hanc Dei immutabilitatem arctiùs cum miraculis conjungendi, repellendique strenuè adversarios, putat, libro 1, cap. 6, « maxima prodigia colligata esse « cum decretis à Deo ad regimen universi statutis, » aut, ut alibi explicat, « ea contineri

« effectuum nomine inter leges universales; » dicit, *inter leges universales*; secundùm enim ejus principia de simplicitate, Deus « non debet singularibus voluntatibus uti, quando « voluntates generales sufficiunt effectui illi, « quem vult, producendo. » Quare ait: « Cùm « Deus det materiæ gradum certum motûs, « quem per omnia secula esset habitura, con- « cipi etiam, eum potuisse hoc modo legem « motûs communicationum definire, ut eo tem- « pore verbi causâ homines deberent eam cu- « rationem, eas eclypses, eam resurrectionem « videre. » Ad summam, sicut omnia alia eventa, quæ naturalia dicuntur, hujus auctoris sententiâ, « consecutiones legum primiti- « varum, universaliumque Dei cum ejus æter- « nis consiliis conjunctarum sunt, ita miracula « sunt effectus inseparabiles ab actione le- « gum divinarum ad regimen universi statuta- « rum; » earum tamen legum « quæ nos latent, « aut conjunctionis harum cum illis quæ nobis « apertæ sunt; » et hinc putat, vim patrantis miraculum consistere in hoc, ut sciat (ibid. pag. 49) lumine superiori, eo momento temporis ex motu ab initio mundi in materiâ impresso fuisse v. g., visum cæco restituendum, aut aliud hujusmodi miraculum patrandum. Ita opinatur auctor, urgeri suis principiis Spinosistam: quin enim mutetur, vel perturbetur ulla naturæ lex (quocumque sen u accipiatur), colligitur, miracula fieri posse, cùm nihil aliud sit miraculum, ut diximus, nisi effectus « na- « tus ex legibus naturæ, quæ nos latent, aut « ex conjunctione harum cum illis, quæ nobis « innotescunt. »

Ingeniosum enimverò est inventum, sed, ut mea fert opinio, non valdè firmum ac stabile, multò verò minùs utile causæ quam strenuus auctor contra libertinos defendendam suscepit. Ac primum quidem responsum à nobis, et vulgò ab aliis sophismati Spinosæ datum, quod divinam immutabilitatem cum naturæ legum perturbatione conjungit, notionibus tam claris certisque innititur, ut exceptionem omnem dubiumque excludant. Estne ejusmodi via quam sternit auctor hic? Efformatne ideam claram harum naturæ legum, quæ legibus naturalibus continentur, sed cuivis homini sunt occultæ; harum legum conjunctarum naturali vinculo cum legibus manifestis, illis tamen contrariarum, quia illas perturbant, mutantque?

Concipitne, quomodò « actionis legum divi- « narum, ad regimen universi statutarum, « possit inseparabilis effectus, » esse hujusmodi phænomenum omninò adversum iis quibus universum regitur? Ille quidem ait: « Hoc ipso « temporis momento, quo Deus imprimit mo- « tum materiæ, video determinationem gra- « dumque quem illi dat, et quomodò vicissi- « tudines sibi succedentes omnium temporum, « locorum, generationum disponat. Atomum « primam motam ex unâ parte potiùs, quàm « ex aliâ, gradu hoc velocitatis potiùs, quàm « illo perficere æterna consilia, fierique prin- « cipium cùm magnarum, tùm minorum mu- « tationum video. » Nihil medius fidius elegantiùs dici potest; at nihil fortassè difficiliùs potest intelligi. Quis enim concipere potest, ex simplicissimis illis legibus effectus non solùm iis qui semper constanterque eveniunt, contrarios, sed certè superiores legibus, omniumque naturæ virium maximos posse nasci? Quomodò concipi potest « vis determinationis, « certique gradûs motus à Deo primitùs mate- « riæ impressi, » per quem videmus semper constanterque in gyrum solem ferri, debere post annos bis mille per plures horas cursum intermittere, quin eum perturbet? Quis dicere poterit, « atomum primam motam ex unâ parte « potiùs, quàm ex aliâ, gradu hoc velocitatis « potiùs quàm illo fieri principium, » quo fœtens Lazari cadaver acquirat post quatuor dies pristinam formam, et anima ab eo separata rursùs cum illo uniatur? ut hæc omnia, in motu primæ atomi, distinguantur, ut ait se vidisse auctor noster, visus maximè perspicax requiritur, quo nos carere fatemur; cui etiam dicere posse videtur, cùm allata miracula non solùm consuetis naturæ legibus opponantur, sed harum legum omnium, viriumque ab auctore expositarum sint maxima, effectum inseparabilem earumdem actionis esse non posse. Et sanè P. Malebranchius propugnator, ut cuique est in compertis, systematis viarum simplicium, voluntatumque generalium, rejecerat sententiam modò relatam de miraculis, quæ ille ab hâc generalium legum serie excludit: quapropter præter alia plurima loca, hoc habemus in lib. de Naturâ et Gratiâ: « Nihil fit « in rerum naturâ, quod sententiam hanc non « confirmet (hoc est, Deum non operari volun- « tatibus peculiaribus), si miracula tantùm ex- « cipiantur, quæ tamen non differrent ab « effectibus qui dicuntur naturales, si verum « foret Deum ut plurimùm singularibus vo- « luntatibus agere: miracula enim non sunt « talia, nisi quòd secundùm leges naturales « non accidunt, atque ita miracula has leges

« præsupponunt. » Nolo hìc de propositionis veritatibus, neque de vi Malebranchii ratiocinii disputare; satis nobis est ostendere, eum à legibus generalibus miracula excipere. At quid mirum si alibi etiam corpora quæ organa habent, excludit, censetque non posse effectus harum simplicium legum ea dici? Ita ait (Medit. 7, n. 5): « Corpora, quæ organa habent, « non possunt produci solis motuum communi« cationis legibus, quæ ad duas redigi pos« sunt.... Sed perspicuè videmus, has duas « leges aliasque similes non posse corpus com« ponere, cujus instrumenta sunt infinita, et « quorum singula usum suum habent. » Ex his apparet, quantùm Malebranchius ipse ab auctore nostro dissentiat, qui in motu à Deo atomo primæ dato omnes omnium temporum, omnium locorum, progenierum omnium vices internoscebat, cernebatque omnium magnorum parvorumque eventuum principia. Quòd si corpora arborum animaliumque, effectus legum motûs generalium esse non possunt, quî mortui resurrectio, aliaque naturæ legum tenori contraria eventa esse poterunt? Verum quidem est, scribere præclarum auctorem, miracula legum occultarum effectus esse; at verum etiam est, sæpiùsque repetit, hæc involuta esse tanquàm effectus in legibus naturalibus; esse effectus inseparabiles legum divinarum ad universi regimen statutarum. Aut ergo ea dicit quæ non intelligit et quæ non videt, licet se illa videre dicat; aut inter se pugnantia dicit, et miracula iis generalibus legibus produci vult, à quibus nequeunt profificisci.

Aliud quidpiam etiam magni momenti in hoc illustris Galli auctoris systemate se nobis offert considerandum; cùm postulârit ille hanc viam muniendo effugium quodlibet se adversario intercludere, vereor, ne novum aditum illi aperuerit, quò se recipere possit, ut eludat, vel saltem tenebras offundat, perturbetque, quod hujus generis hominibus plus quàm satis est, argumentum miraculorum per se fortissimum. Res per se loquitur. Si dicatur, miracula esse inseparabiles legum generalium, quibus Deus universum regit, consecutiones, hæc incredulus inquiet, etiamsi doctrina nulla prædicata fuisset, quam essent confirmatura, evenire debuissent. Si ex legum motûs primitivarum vi, et eo tempore, et eo loco mare divisum, solem stantem, Lazarum revocatum ad vitam debebant mortales videre, hæc omnia prodigia, quin Moyses, Josue et Christus terris fuissent, erant eventura. Ex quo robur divini testimonii imminui quis non videt? Deista enim ab aliquo fortunato eventu, ab aliquâ exiguâ naturalium causarum dispositione thaumaturgorum vim omnem derivari dicet. Non sum nescius, dicturum auctorem nostrum fore ut in suâ hypothesi ea miracula non fuissent futura; idque ex harmoniâ præstabilitâ inter ordinem moralem voluntatum liberarum, ordinemque motuum physicum. At libertinus sumet, quod primùm conceditur, nempe miracula esse posse, et reipsà esse consecutiones voluntatum generalium inseparabiles, quibus Deus universum gubernat, et tanquàm effectus in generalibus motûs legibus contineri, habebitque joco et risui partem alteram systematis, illudque commentum inventum dicet, ut naturæ effectus velut divinum miraculum habeatur, respondeaturque, ut loquuntur scholæ, per thesim. Sufficiat hoc, ut noverimus, hanc auctoris sententiam novam causæ quam contra Spinosistas propugnat, non magnoperè prodesse. Addo hoc unum, videri mihi illud ne convenire quidem cum notione quam de thaumaturgis habemus, qui non tantùm cognoscunt, ut in hoc systemate dicitur, res occultas, quæ prophetiæ gratia est potiùs dicenda, sed aliquo modo admiranda opera illa, quæ virtutis curationumque gratia vocatur, eos facere existimamus (1). Ex iis, quæ tunc dicebant, facilè argui potest, non aliquam solùm cognitionem effectûs eos habuisse, qui jam naturalibus causis involutus explicandus erat, sed in nomine Dei omnipotentis etiam legibus naturæ jussisse, ut cursum consuetum intermittentes verba sua testarentur.

Auctoris igitur cæteroquin doctissimi novo systemate prætermisso, quippe quod meo judicio infirmum est, causæque, de quâ agitur, potiùs nocet, quàm prosit, doctrina à nobis allata teneatur, quæ evidenter demonstrat, Dei immutabilitati legum naturæ mutationem nihil omninò adversari, et proinde miracula fieri posse contra Spinosistas defendit. Quanquàm ut quod sentio, sincerè dicam, non minùs rectè, quàm naturæ convenienter observat Petrus Baylius, totam Spinosistarum de miraculis disputationem esse verborum jocum (Artic. *Spinos.* Remarq. R.): in eorum enim

(1) Quam partem haberent thaumaturgi in miraculis faciendis, quorum procul dubiò auctor primus est Deus, et quâ de causâ non esset in eis simplex cognitio, acutè, doctissimèque explicat D. Thom. De Potent. quæst. 6. art. 4.

systemate locum habere non potest. « Ut co- « gnoscatur, inquit ille, Spinosistarum fraus, « illusioque in hâc re, satis sit dicere, cùm « miracula fieri posse negant, hanc eos afferre « rationem, Deum et naturam esse unum et « idem, ita ut si Deus aliquid contra naturæ « leges faceret, contra seipsum faceret, quod « fieri nequit. Apertè loquimini (pergit dicere) « et sine verborum ambiguitate; dicite, leges « naturæ cùm factæ non fuerint à legislatore « libero, qui nôsset quod agebat, sed cùm sit « causæ cæcæ et necessariæ actio, nihil posse « accidere, quod huic legi adversetur. Contra « miracula ipsam propositionem vestram affe- « retis (quam cùm egimus de perfectissimi « entis existentiâ ab hoc mundo diversi, falsam « esse ostendimus); hæc erit petitio principii; « at saltem apertè loquemini. » Pudet interea loci miseros, larvâ detractâ, nativoque sub aspectu omnium quæ ad hæc usque tempora ad aures nostras pervenerint, maximè infandam impietatem proferre; simulantesque se Deum respicere, et miraculorum quæstionem (quæ juxta eorum principia fieri non possunt) se pertractare velle, incautos decipiunt; sed simul se non minùs ridendos præbent, quàm impios emunctæ naris viris se ostendunt.

Haud dissimilis in hâc re dici debet amentia malaque Woolstonis fides, qui Spinosæ insistens vestigiis, de Christi miraculis loquitur, postulatque ea fuisse allegorica, ideòque narrationem, quam Evangelistæ contexunt, non in sensu litterali, sed mystico esse accipiendam. Res miranda quidem est, eum ad hanc rem quantùm blateret, quanta crepet in suis sermonibus, audire. Num est credibile, nisi sensum omnem communem abjurâsset, eum hæc locuturum ex animo fuisse? Num æquo animo libertini hæc ostentantes deliramenta audiri possunt? Quis tam perversus, quis tam malus fingi potest, quàm qui arbitratur scribitque, nihil historici, litteralis nihil, proinque mirabilis nihil contineri in narratione omnibus cum loci, temporis circumstantiis, sedulòque factâ ab Evangelio infelicis mulieris (ut hoc exemplum afferam), quæ ab annis duodecim sanguinis fluxu laborans, cùmque illius bona medicinæ, medicique devorâssent, in pejusque illa rueret, vivâ tamen fide impulsa Servatorem domum archisynagogi petentem adiit, tangensque tantùm ejus vestem fuit continuò sanata? Quænam (malum) fatuitas non est isthæc, credere Evangelistas factum hoc litteris mandâsse, « ut simplex symbolum, aut allegoriam Ecclesiæ (ut vult Woolston Sermon. 2), cujus bona cùm cleri ministri omnia devorâssent, quin sanaretur propter eorum dissensiones rixasque, tandem ad vestes, hoc est, ad Redemptoris sermones doctrinamque se convertit, sanitatique restituitur, qua in æternâ pace perfruatur? »

Si cui libido esset mysticè intelligendi Livium et Thucydidem, næ posset id eâdem felicitate, eodemque jure, quo Woolston facit de Evangelicâ Historiâ, facere; verùm hujusmodi ingenium, quod quidem ego sciam, in totâ litterarum republicâ nondùm vidimus. Decus hoc præripiendum erat ab uno ex celeberrimis libertinorum ducibus, hoc est, eorum virorum acumine, et ingenio tantoperè excellenti pollentium, ut Christianos nimiùm credulos imperitosque despicatui habentes et risui, se unos veram artem criticam callere, jactitent. Scio, Woolstonem dicere, se Patres, Origenemque præsertim sequi, qui in interpretandis Scripturis in allegorico sensu expiscando occupantur. Hoc tamen aut pessimæ hujus impii fidei, aut crassi putidique erroris aliud est argumentum. Inquirebant scriptores illi allegorias, ita tamen ut τὸ ῥητὸν, id est, sensum litteralem primumque non negarent; quem singuli aut evidenter admittunt, aut apertè indicant. Philo, unus ex præcipuis allegoristis Judæis, qui ad imitandum signum erexit, quemque fortassè plus æquò quidam christiani doctores secuti sunt, summæ levitatis (de Migration. Abraham. pag. 402. Edit. Paris.) eos damnat, qui symbola rerum scriptarum unicè sectantes manifestum litteralem sensum negligebant. Quid de Origene dicemus, nimiùm, ut quisque novit, allegorico sensui addicto? ab insanâ Woolstonis opinione toto cœlo distat. Non enim apertis verbis solùm, ut Philo, negligentiam litteræ, tantùmque mystici sensûs studium damnat (vide eruditiss. Huetium Originian. lib. 2, quæst. 13, n. 4) sed in Celsum pugnans in Christi divinitatis, Religionisque nostræ veritatis confirmationem, spiritûs et potentiæ demonstrationem, hoc est, prophetiam et miracula Redemptoris, ejusque asseclarum affert, quod quidem falsam illius impii sententiam omninò evertit. Pluribus in locis de his miraculis Origenes loquitur (cont. Cels. lib. 1, n. 6, 38, 68, lib. 2, n. 9, 16, et alibi), eaque contra adversarii opinionem strenuè propugnat, qui Hebræorum dicteria secutus illa arte magicâ patrata effutiebat. Jam incredibilis impudentiæ est asserere, et Origenem di-

vinam Christi potentiam miraculis tantùm allegoricis confirmare voluisse, Celsoque, ut argumentum adeò ineptum ridiculumque refelleret, ad vim magicam fuisse confugiendum. Atque hæc eadem animadversio ad controversiæ fontem, hoc est, ad Evangelium nos manu veluti ducit, ubi Salvator ipse hoc eodem argumento suorum admirandorum operum utitur, ut obstinatam eorum *incredulitatem* Hebræis exprobraret, inquiens, *excusationem nullam eos habere, cùm inter ipsos tot opera fecerit, quæ nemo alius fecerat;* jubens Joannis discipulis, ut se Messiam à prophetis prænuntiatum esse ostenderet, ut illi referrent quod *viderant et audierant*, hoc est, *quia cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt.* Si hoc mysticum erat, et allegoricum solummodò, quomodò Christus eorumdem sensus judices appellabat, et id ipsum, se *esse illum qui venturus erat, neminemque alium esse expectandum*, tanquàm visibile argumentum afferebat? Quanquàm nonne Evangelium ipsum testatur, hæc admiranda opera conspicientes Hebræos *obstupuisse maximoperè, laudem dedisse Deo, quòd potestatem tantam dedisset hominibus*, et dixisse, *neminem ea signa quæ Christus faciebat facere posse, nisi Deus cum illo fuisset*, ideoque plures conversos fuisse et in eum credidisse? Nonne testatur quosdam alios magis magisque obcæcatos dicere solitos, in *Beelzebub principe dæmoniorùm eum illa signa facere?* At qui unquàm miracula mystica (hoc est, quædam rerum etiam remotarum symbola) vim tantam habere poterant, ut alios in admirationem pertraherent, persuaderentque iis divinitatem da patrantis, alios autem permoverent ita, ut ad serum evidentiam infirmandam vi Beelzebub illa fieri dicere cogerentur? Verùm immorari in hujusmodi deliriis refellendis graviter stomachor angorque supra modum, in hæc tempora quibus vivimus, illa erupisse. Si quis prædicti scriptoris insanias, quas contra litteralem historicumque Evangelicorum miraculorum sensum ille impudenter scribit, fusè labefactatas legere avet, primam ex tribus pastoralibus Epistolis Edmundi Gibsonis Londinensis episcopi, collectionemque Stackoasii (Le sens littéral de l'Ecriture sainte, tom. 1, chap. 8), hoc præcipuè consilio, ut sensus Scripturarum litteralis defendatur, elaboratam adeat.

Non possumus tamen nos demùm subducere, quin quæstionem summo animorum motu agitatam pertractemus, quanquam ab initio hujus disputationis usque nos eam valde amplâsse non ignoramus. Quæstio est de geniorum, seu substantiarum Deo inferiorum, superiorumque hominibus potestate, quibus tot opera magna, admirandaque adscribuntur, factaque jam tum, cùm idololatria grassabatur, commemorantur. Si enim hi genii (et etiam improbi, qui vulgò dæmones audiunt, operari miracula possunt, quomodò hæc testimonia veritatis invicta, voxque ipsius Dei erunt posthàc existimanda, quibus debeant se submittere mortales, eaque venerari? Eccum argumentum illud, quod plus æquo multos perterruit scriptores; qui ut ejus vim declinarent, opiniones sibi invicem adversas secuti sunt, materiamque hanc tenebris involverunt. Sperare me juvat, pedetentim iis principiis, quæ deistæ ipsi fateri vel inviti, vera esse, coguntur, me insistentem effecturum esse, ut larvam illam detraham, cui tantùm confidunt, ostensurumque argumentum quod pro Christianâ Religione ab Jesu Christi ejusque discipulorum miraculis deduximus, esse omninò epidicticum.

Ita ergo aio 1° : Deus, rerum omnium Creator supremus, sapienter eas leges sanxit, quibus universum hoc regitur gubernaturque.

2° His firmissimis legibus, quæ etiam naturæ cursus dicuntur, superstructa est innixaque humanarum actionum evidentia; quare quatenùs cum iis relationem habet, tenor hic, sive cursus ita nobis patet, ut de illo ambigere non possimus. Scimus, exempli causâ, corpus nostrum in flammas conjectum aduri, ambulantem super aquis immergi, semel mortuos ex se non posse ad vitam redire, hominem non posse suis viribus commotas maris undas, ventos perflantes comprimere, remorari solem, ne orbes suos peragat. Hæ leges nobis sunt patentes; si dubitatio ulla in nos caderet, in pyrrhonismum prolaberemur; nulli consequerentur actus, prævisio nulla prudens esset, nulla cauta consilia, non societas, non vitæ securitas.

3° Hunc legum tenorem perpetuum potest Deus, quin immutabilitati suæ, aliive attributo quidquam deroget, interrumpere, cùm ei libuerit, vel perturbare : omnipotentia illa quâ eum semel constituit, nutibus suis semper subjicit; et in alicujus harum legum perturbatione, aut intermissione nimirùm miraculum est repositum.

4° Qualem quantamve agendi vim substantiis his separatis quoad has leges quibus hæc universi moles regitur, Deus dederit vel per-

pertiri possit, rationis nostræ luminibus definire certò non possumus. Quod certissimum judicamus, hoc est, in cursum hunc nullam habere potestatem hujusmodi genios, ita ut ad libitum suum pervertere eum possint, et mutare (1). Hoc neque cum Dei sapientiâ, neque cum ejusdem dominio, neque cum providentiâ amoris plenâ, quam in nos habet, à quibus tunc securitas paxque adimeretur, convenit.

5° Quapropter dicimus, potestatis, quæcumque demùm ea sit, spirituum, præsertim malorum in hunc naturæ cursum usum pendere ab *unâ* ejusdem Dei *voluntate*, *aut permissione peculiari*.

6° His geniis malis concedi interdùm facultatem admiranda patrandi, ex revelatione scimus in historiâ magorum Pharaonis, in historiâ Pythonissæ Saülis, demùm venturi Antichristi, de cujus temporibus hæc dicuntur Matth. 24 : *Pseudo-Christi et pseudo-prophetæ resurgent, et facient signa magna et prodigia, ut decipiantur, si fieri potest, etiam electi.*

7° Hæc prodigia tamen, quæ divinâ permissione conceditur dæmones facere, nunquàm possunt esse ejusmodi, ut discerni nequeant ab iis quæ Deus patrat, hoc est, ut nesciri possit, num à Deo, an ex Dei permissu ab aliquo dæmone sint facta. Ratio, nostro quidem judicio, clarissima est : si enim hæc è miraculis Dei distingui non possent, requiro, vel homo deberet iis fidem habere, vel non : si deberet, tunc necessariò induceretur in errorem, Deusque illius erroris causa fieret, cùm permiserit, ut signo, quod à divinâ voce non distinguitur, impelleretur. Sin autem homo non cogeretur eis fidem præstare, assensumque habere in suspenso deberet, tunc inutilia essent miracula, Deusque modum auferret exteriorem significandi verum præ falso, hoc est, miraculis veritatem testandi. Quod notioni quam de divinâ sapientiâ et majestate habemus, apertè repugnat.

8° Quoties de prodigiis actis pro doctrinâ aut evidenter falsâ aut malâ, aut evidenter verâ integrâque agitur, nihil opus est alia signa inquirere, ut fons à quo derivantur, detegatur. Deus est veritatis honestatisque regula suprema; non potest ergo crimen mendaciumque confirmare ; dæmon est spiritus nequam mendacii scelerumque amans ; non potest ergo veritatem integritatemque persuadere. Ergo miracula pro falsâ doctrinâ, utcumque admirabilia videri possint, semper dæmon patrabit ; neque ab errore, quicumque eis credet, excusari poterit. Prodigia autem pro veritate edita semper à Deo proficiscentur, neque ambigi poterit, num illa dæmon fecerit : *Omne enim regnum in se divisum desolabitur, et domus supra domum cadet. Si autem et Satanas in se ipsum divisus est, quomodò stabit regnum ejus? quia dicitis in Beelzebub me ejicere dæmonia.* Luc. 11, 17.

9° Tunc igitur circumstantias, quæ cum miraculo conjunctæ sunt, examinari oportet, cùm doctrina pro quâ illa fiunt, evidentiæ notis caret ; tunc, inquam. Nam si doctrina sit verè in se falsa aut mala, vel per se refelletur detegeturque illusio, quæ non præstat quod intendebatur omninò et perfectè ; vel aliis prodigiis et majoribus magnitudine, et pluribus numero, et omnibus in adjunctis clarioribus pro contrariâ doctrinâ factis vincetur. Quare hæc evidenter divinum fontem, à quo procedunt, veritatemque doctrinæ quam confirmant indicantia, prodent alia tanquàm signa mendacia à Deo dæmoni permissa, ut probentur electi, ut mali puniantur, qui hujusmodii præstigiis scientes prudentesque decipi patientur. Has autem, similesque notas efficere, ut cognoscamus, num vera an falsa prodigia sint, ex iis, quæ n. 7 diximus, lector colliget. Ita autem reipsà evenire, historia magorum Pharaonis apertè probat, qui cùm de miraculis cum Moyse certâssent, opera quidem admirabilia, et humanam quamlibet vim superantia virgas in serpentes mutantes fecerunt ; at Moyses in Dei nomine admirabiliora et perfectiora effecit, quæ illi edere non potuerunt ; ita ut magorum potestas, quæ à dæmone erat, victa fuerit, irrisaque ; solaque regis obstinata durities in causâ fuit, cur ille in hoc certamine veri Dei potentiam, cujus se legatum Moyses dicebat, non agnosceret.

10° Hæc, quæ diximus, ad rem nostram trahentes, prodigiorum pro christianâ Religione editorum divinitatem perspicuè cognoscimus. Si veritatem integritatemque nostrorum dogmatum cùm theoreticorum, tùm moralium, de quibus in præcedentibus capitibus verba fecimus, vel obiter inspiciamus : tum si oculos convertamus ad orbis conversionem, ad eversionem idololatriæ, ad eam Christianorum vitæ rationem, è quâ honor tantus in Deum, utilitasque tanta in homines redundavit : quæ

(1) « Nec ideò putandum est, istis transgressoribus angelis ad nutum servire hanc visibilium rerum materiam ; sed Deo potiùs, à quo hæc potestas datur, quantùm in sublimi et spirituali sede incommutabilis judicat. » S. Aug. Lib. 3 de Trinit. n. 13.

omnia ex Evangelii prædicatione sunt profecta, ut superiùs diximus, facilè colligemus, dæmonem hujus Religionis ingenio, rationibusque ejus tantoperè adversæ neque auctorem, neque præconem esse potuisse. Ex his nullo negotio evincitur miracula, pro illâ facta ab illo malo spiritu, cujus dominatio et potestas per illam debellata fuit, non esse petenda. Hoc est argumentum illud, quod in re propositâ contra Celsum affert Origenes, cujus hæc sunt verba : « Itaque si positâ omni de miraculis præjudicatâ opinione, quæritur, bonone, an malo consilio quis illa fecerit, ut ne aut omnia vituperemus, aut omnia tanquàm divina admiremur et admittamus; annon perspicuum est, ex Moysi et Jesu miraculis; quibus integræ gentes constitutæ sunt, eos divinâ potestate fecisse, quæ ab illis facta Scripturæ narrant? Neque enim malis artibus, magicisque præstigiis constituta fuisset gens tota, quæ despectis non solùm simulacris falsisque numinibus, quæ reliqui homines colebant, sed etiam rebus omnibus creatis, ad Deum rerum omnium principium principio carentem ipsum assurgit. » Contra Cels. lib. 1, n. 51. Hactenùs Origenes, qui paulò ante dixerat : « Miraculorum autem Christi et discipulorum fructus est non deceptio, sed animarum salus. Quis enim dixerit, deceptione effici, ut emendetur vita, et malitia quotidie magis ac magis minuatur? » Ibid. n. 50.

11° Quòd si libertini prædictas notas doctrinæ nostræ, ut hinc divinitas cognoscatur miraculorum quæ illam confirmant, negligunt, quasi verò esset vitiosus circulus (quod tamen falsum est, cùm hæc sint argumenta duo quæ se invicem illustrant (1), ut alibi docuimus): vel ad eam mysteriorum partem, quæ doctrinas nostras complectitur, ut sunt divina missio, aliaque Christi Jesu signa, nos provocarent, respondemus, secundùm statuta principia, miracula ab illo illiusque discipulis edita per se sufficere ad fontem illum, à quo derivantur, detegendum. Hæc prodigia omnium quæ inspecta fuerint, maxima fuerunt, ut visum cæcis natis dare, voce unâ tempestates compescere, multiplicare cibos, è mortuis excitare, et præcipuè sibi ipsi, postquàm per tres dies in sepulcro delituit, vitam novam dare. Hujusmodi prodigia firma ac stabilia, ut e testimoniis quâvis exceptione majoribus sciemus, nec superata ab aliis aut majoribus aut æqualibus fuerunt. Si ergo Deus permisisset, in nomine suo, et velut opera manuum suarum à malo spiritu, ut homines deciperentur, fieri portenta hujusmodi, aut ipse nostri erroris, si fidem habuissemus, causa fuisset, aut modum per exteriora signa veritatem confirmandi sibi ademisset, si prudenter illis assentiri potuissemus: utraque consecutio veritati bonitatique Dei, ut supra, num. 7, advertimus, repugnat; miracula ergo à Christo, ut divinam suam missionem testaretur, et à suis discipulis, ut eam et alia Religionis nostræ mysteria confirmarent, edita, dexteræ Dei fuerunt opera; et proinde veritatis, divinitatisque doctrinæ nostræ per se satis ampla sunt argumenta.

12° Ex hactenùs dictis videt lector, num responsum, an verò contemptum libertini mereantur, qui ut Christi miracula deprimant, prodigia Apollonii Thyanæi relata à Philostrato in medium proferunt; illa quæ de Vespasiano Suetonius et Tacitus narrant, aliaque hujus generis eventa. Ac primùm quidem nonne risu excipiendi sunt hi critici, qui adeò veritatem evangelicarum narrationum, quæ negari nequeunt, quin in universum pyrrhonismum incidatur, naso suspendentes adunco, fidenter hujusmodi narratiunculas in scenam producunt, quas fabulas Romanenses quicumque quidquam sapit jure ac meritò dixerit? Insanam hanc injustamque agendi rationem impio Celso, qui fidem habebat prodigiis, quæ de Aristæâ Proconnesio Herodotus Pindarusque referebant, eam autem miraculis Jesu Christi descriptis ab hominibus, qui vitam et sanguinem profuderant in veritatis confirmationem, abrogabat, Origenes exprobravit: « Tu qui omninò figmenta esse putas, quæ de Jesu miraculis discipuli litteris consignârunt, et incusas eos qui illis adjungunt fidem; quomodo res hujusmodi (quæ de Aristeâ feruntur) prodigiosè confictas, fabulasque esse non judicas? Quomodò tu, qui aliis vitio das, quòd Jesu miracula nullâ ratione admittant, talia videris admittere, nullâ allatâ probatione, nulloque argumento, res illas contigisse? An Herodotum et Pindarum putas mendaciis non fallere; qui verò mori optant pro Jesu documentis, et scripta de rebus quas perspectas habebant ad posteros transmittendo reliquerunt, eos pro fig-

(1) « Il faut juger de la doctrine par les miracles: il faut juger des miracles par la doctrine. La doctrine discerne les miracles; et les miracles discernent la doctrine. Tout cela est vrai. » Pascal, Pensées, n. 27.

« mentis, pro fabulis fictisque prodigiis usque « adeò decertâsse, ut miserè vivere, et vi è « medio tolli vellent? Te ipse potiùs arbitrum « constituens inter ea quæ de Aristæâ scripta « sunt, et ea quæ de Jesu narrantur, vide ex « eventu, et ex iis quæ ad morum emendatio- « nem pietatemque erga summum Deum in- « ducendam uterque fecit, an non hoc judi- « cium ferri debeat, credendum esse, non sine « Deo facta fuisse quæ de Jesu historiâ prodi- « dit; non autem quæ de Aristæâ Proconnesio. » Lib. 3 cont. Cels. n. 25. Annon miserum est hac ætate tot litterarum luminibus illustratâ proferri vetera illa Apollonii præstigia, vade dato eo fabuloso scriptore Philostrato, μυθογράφου Φιλοστράτου, quo nomine jure eum Photius appellat (Cod. 241), cujus ineptissimus labor octo libris comprehensus (ut idem doctissimus criticus, et quicumque eum legit, animadvertit) nonnisi crassas insanias et monstrosa deliramenta narrat? Ideò aliquo modo tolerandus videtur, quia ille ipse apertè demonstrat, quàm minimùm suis narrationibus sit credendum; ut causâ exempli, cùm de cujusdam puellulæ resurrectione, quod omnium Apollonii prodigiorum caput dicitur, loquens, ridiculas circumstantias describit, et se dubitari ostendit, neque reticet ex iis qui aderant, paucos eventum credidisse (lib. 4, cap. 16. Vide Huetium Demonstr. Evangel. Prop. 9, cap. 147). Quod verò ad Vespasiani prodigia attinet, quis satis admirari potest quemdam recentem baccalaureum, l'abbé de Prades, Apol. de la Thèse, qui hæc scribere audet: « De quo non dubitabitis quoad histo- « riam non revelatam, si duo Vespasiani mi- « racula non creditis? » Nos ei respondemus, prorsùs hospitem et peregrinum in eorum temporum historiâ esse eum oportere, qui ignorat, quàm facilè tunc vulgo narrarentur miracula, et casus putarentur prodigia, cùm per adulationem, aut per probrosam politicam artem merito victorum, aut fortunæ principum erant consecranda. Livius, Appianus, Aurelius Victor, præcipuèque memorati historici Tacitus et Suetonius non pauca nobis exempla suppeditant. Hujus caput 3 legatur in quo narrantur prodigia et oracula, quæ ejusdem Vespasiani imperium præcesserunt. Num graviter in criticam fidem delinqueret, si cui libido esset contemnendi irridendique ea, et alia plurima iis similia, quibus in Vitis Cæsarum scriptor ille scatet? Neque enim nos [illegible], quod addit recens scriptor hoc est, duo prædicta « esse miracula edita ab « imperatore coram aulicis suis frequentiâ- « que valdè intentâ; » illi enim reponemus quod sapienter quidam è suis censoribus nuper respondit (Court Examen de la Thèse de l'abbé de Prades), « malè aulam cognosci, « cùm ignoratur quantùm indulgentia et adu- « latio veritatem eliminent: siquidem si Ro- « mani summam impudentiam imperatores « suos adhùc vivos inter deos referendi habe- « bant, multò magis fingere poterant, eos « miracula patrare. » Et sanè memini, me hæc legisse apud Spartianum: « Eâ tempe- « state supervenit quædam mulier, quæ dice- « ret somnio se monitam, ut insinuaret Adria- « no, ne se occideret, quòd esset benè valitu- « rus: quod cùm non fecisset, esse cæcatam. « Jussam tamen iterùm, Adriano eadem dice- « ret, atque genua ejus oscularetur, receptura « visum, si id fecisset. Quod cùm insomnium « implesset, oculos recepit, cùm aquâ quæ « in fano erat, ex quo venerat, oculos abluis- « set. Venit et de Pannoniâ quidam natus « cæcus ad febrientem Adrianum, eumque « contigit: quo facto, ipse oculos recepit, et « Adrianum febris reliquit: quamvis Valerius « Maximus hæc per simulationem facta com- « memoret. » In Adrian. cap. 25. Cur ergo, quin rei impietatis quoad historiam non revelatam simus, etiam de miraculis Vespasiani simulationem hujusmodi fas non erit nobis suspicari?

Quanquàm, etiamsi per summam liberalitatem hæc omnia miracula vera esse, libertinis concederemus, quodnam ipsi emolumentum, quodnam miracula Christi detrimentum caperent? Prodigia Apollonio et Vespasiano adscripta auctoritatem idololatriæ et impietati conciliabant. Ille se jactabat superstitionibus supra modum addictum; volebat religionem tunc vigentem coli: cùm Romam pervenisset, voluit omnia templa invisere, et ea incolere diu noctuque, transmigrationem Pythagoricam docebat; divinos honores non aspernabatur, quamvis nihil aliud fortassè, quo augustior homine videretur, haberet, quàm quòd, ut garriebat ille, avium cantum intelligebat (1). Eratne magni negotii internoscere, num à Deo veritatis, an à mendacii spiritu isthæc prodigia

(1) De vero Apollonii ingenio et præstigiis legi ex antiquis et recentibus scriptoribus multis clarissimis, cardinalis Ursius in suâ præstanti Historiâ Ecclesiasticâ lib. 1, n. 69, et 2 n. 22, meretur.

proficiscerentur? Quòd si de Vespasiani miraculis loquimur, ut qualia fuerint sciamus, satis est ita scribentem Suetonium legere (in Vespasian. n. 7) : « Hic cùm de firmitate imperii « capturus auspicium, ædem Serapidis, sub« motis omnibus, solus intrâsset, ac propitiato « multùm Deo, tandem se convertisset, ver« benas coronasque, et panificia, ut illic as« solet, Basilides libertus obtulisse ei visus « est : quem neque admissum à quoquam, et « jampridem propter nervorum valetudinem « vix ingredi, longèque abesse constabat : ac « statim advenère litteræ, fusas apud Cremo« nam Vitellii copias, ipsum in urbe interem« ptum nuntiantes. Auctoritas, et quasi maje« stas quædam, ut scilicet inopinato et adhuc « novo principi, deerat, hæc quoque acces« sit. » Finis hic politicus nonne satis ostendit, quo ex fonte illa prodigia originem ducerent? Quanquàm historicus certos nos facit, Serapidem huic consilio inservisse. Ita enim scribere pergit : « E plebe quidam luminibus « orbatus, item alius debili crure sedentem « pro tribunali pariter adierunt, orantes opem « valetudinis demonstratam à Serapide per « quietem : restituturum oculos, si inspuisset; « confirmaturum crus, si dignaretur calce « contingere. Cùm vix fides esset, rem ullo « modo successuram, ideòque ne experiri qui« dem auderet : extremò hortantibus amicis « palam pro concione utrumque tentavit, nec « eventus defuit. » Conferatur narratio hæc cum relatâ à Spartiano, detegeturque similitudo; suspicionique locus erit, hæc omnia, ut palparetur novo principi, fuisse facta; quod meo judicio non obscurè confirmat Suetonius ipse (ibid.) ita scribens : « Per idem tempus « Tegeæ in Arcadiâ instinctu vaticinantium « effossa sunt sacrato loco vasa operis antiqui, « atque in his assimilis Vespasiano imago. » Sed ut ad propositum redeamus, quamvis non conficta aulicorum adulatione hæc prodigia esse dicamus, nos in genio malo ab hoc principe ad superstitionem exculto originem comperimus; eaque aut sola ignorantia, aut impietas potest in scenam proferre, ut miracula Jesu Christi, labefactet, ut argumenti, quod ab his velut ab evidentibus pro nostrâ Religione divini testimonii indiciis colligimus, vim roburque infirmet.

Ex his autem, cunctisque in hoc capite de miraculis dictis imprudentia, imò error nuperrimi scriptoris detegitur (Mart. de Prades), qui in Thesi (quam postea sacra Facultas Parisiensis censuris affecit) n. 7, hæc habet : « Ergo omnes morborum curationes à Christo « factæ, si seorsim sumantur à prophetiis quæ « in eas aliquid divini refundunt, æquivoca « sunt miracula, utpote quæ illarum habeant « vultum et habitum in aliquibus curationes « ab Æsculapio factæ. Ex se nullam habent « miracula germanitatem cum doctrinâ. » Doctrinæ à nobis allatæ contrarium probant, sed clariùs verba Christi id confirmant, qui toties, ut supra diximus, hæc miracula, ut divinam missionem suam ostenderet, appellavit, præcipuèque cùm, discipulis Joannis requirentibus, num ille esset is, qui erat venturus, an alius expectandus sibi esset, hæc respondit : *Renuntiate Joanni quæ audîstis, et vidistis, quia cæci vident, claudi ambulant, surdi audiunt* (Luc. 7, 22). Quare animadvertit Paschalis, Pensées, n. 27 : « Jesum Christum probâsse « se esse Messiam, veram doctrinam missio« nemque suam potiùs miraculis quàm Scri« pturâ et prophetiis confirmando : et Nico« demum ex miraculis nimirùm cognovisse, « ejus doctrinam esse Dei : ita enim inquit : *Scimus, quia à Deo venisti magister : nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.* » Non judicavit Nicodemus, Paschalis inquit, de miraculis ex doctrinâ, sed ex doctrinâ de miraculis. Hæc ergo per se una, etiam prophetiis, quæ illa illustrabant, remotis, veritatem dogmatum, missionisque Redemptoris divinitatem probare potuerunt : quod potissimùm hoc capite demonstrare intendimus.

Appendix

AD SECTIONEM PRÆCEDENTEM.

Prodiit quoddam opus inscriptum : Lettres de Jean-Jacques Rousseau écrites de la Montagne, in quarum secundâ et tertiâ præcipuè nullum non lapidem movet philosophus hic, ut evertat eliminetque à Religione et ex terris ipsis miracula, testans tamen, se Christianum esse divinamque revelationem admittere. Res illi est præsertim cum theologis protestantibus; neque inficias iverim, ab illo interdùm satis validè suis principiis eos urgeri premique. Verùm quod spectat ad controversiam de miraculis generatim, quamvis in multa abeat invia diverticula, quamvis varios mutet vultus, ut decipiat fallatque lectorem, iis tamen rebus à nobis hoc in capite statutis ejus sophismata (quæ omninò sunt quovis tempore à libertinis

repetita labefactantur; miraculorumque veritas, argumentique, quod pro Religione ex iis colligitur, robur manet immotum. Haud in animo mihi est, quæcumque dicit, examinare singillatim, quædam tantùm ejus peculiaria effata afferam, et confutabo.

Notas, sive probationes divinæ revelationis ille recenset; quæ quidem ejus sententiâ tres sunt. Prima est doctrinæ natura, hoc est, sua utilitas, pulchritudo, sanctitas, veritas, altitudo aliæque dotes, quæ hominibus institutiones supremæ sapientiæ et supremæ bonitatis præcepta annuntiare possunt. « Nota hæc (pergit « ille dicere lettre 3) est tutissima, et fallere « nescia, et in se habet argumentum, quod « nulla alia argumenta requirit. » Divinæ revelationis nota secunda, nostri auctoris judicio, est hominum selectorum à Deo ad divinum verbum prædicandum sanctitas; eorum veritas, justitia, integri mores purique, unà cum mentis qualitate, est, hoc ratione, spiritu, scientiâ, prudentiâ, quæ dotes simul conjunctæ « efficiunt (inquit ille) pro iis perfectam « probationem, quæ eos hominibus majores « ostendit. » Hæc tamen nota, « licet certa « sit, » tamen, ut ille arbitratur, non est omninò fallere nescia.

Tertia missorum à Deo nota est emanatio divinæ potentiæ, quæ potest interrumpere et mutare cursum naturæ pro eorum qui hujusmodi emanationem accipiunt, voluntate. « Nota hæc (ait Rousseau) est aliarum splendidissima; » ille eam populo accommodam putat; verùm quod ad se attinet, eam non prorsùs certam existimat, et, ut infra videbimus, nullam omninò illi fidem habet. « Tamen, inquit ille, licet « hæ tres notæ sint argumenta auctoritatis « eorum in quibus insunt, sintque rationes, « quibus cogitur quisque iis credere, imò si « unum tantùm, ille ait, horum argumentorum « me permovet, operam perdit quicumque « vult ut alia admittam : argumenta sunt modi, « fides doctrinæ debita est finis. » His theoriis ita constitutis, quibus examinandis nunc supersedeo, ita de se loquitur : « Me Christianum « profiteor; insectatores mei negant me esse « Christianum. Probant me Christianum non « esse, quia revelationem rejicio; probantque « me eam rejicere, quia miraculis non credo. » Ego quoque, Rousseau, in hanc sententiam eo, ut timeam ne insectatores tui verè sentiant. At minimè verò gentium, inquit Genevensis philosophus : « Ut enim vera esset hæc eorum « illatio, opus esset, ut aut miracula essent so« lum revelationis argumentum, aut ut reliqua « argumenta, quæ illam probant, repudiarem. « Jam nullo modo verum est, miracula esse « revelationis argumentum solum, nec verum « est, me alia argumenta rejicere, quando« quidem contra in eodem opere, l'Émile, ex « quo me ut revelationis eversorem insimulant, « approbantur. » Quid ergo, inquio ego, hinc infers? An te esse Christianum? Jure valdè vereor; audi, quæso, quomodò ratiociner. Si reverà ob aliquod eorum argumentorum quæ superiùs recensuisti, revelationem admittis, constat hanc tibi miracula necessariò credenda proponere. Jesu Christi vita (quis inficiabitur?) est pars de essentiâ revelationis Evangelicæ, et hæc vita à Verbi Incarnatione usque ad ejus in cœlum ascensum est miraculorum congeries. Si igitur miracula non sunt argumentum unum revelationis, sunt tamen ejus objectum, seu pars essentialis. Jam tu, ô Rousseau, sicut ex hâc tuâ epistolâ colligitur, nullo modo miracula vis agnoscere, imò eò progrederis audaciæ, ut dicas : « Tolle ex Evangelio miracula, totus terrarum orbis Christum Jesum adorabit, » id est, ex Evangelio Christum Jesum tolle, omnesque homines Jesum Christum fatebuntur. Tu igitur divinam revelationem respuis; non es ergo Christianus. Dicam, quod sentio, magno me dolore hæc consecutio afficit, multòque majori etiam, quàm te. Si enim tibi eum dolorem incuteret, quem deberet, flammis libros tuos traderes, et fatereris, turpiter eum mentiri, qui vult haberi Christianus, et dicit se quâcumque ex ratione aut causâ divinæ revelationi credere, at miraculis, quibus revelatio, tanquàm basi innititur, se nolle credere.

Sed pergamus porrò, aliamque nostri philosophi distortam sententiam perpendamus. « Quâ de causâ insectatores mei, inquit ille, « crimini reum me traducent, si argumentum « repudio, quod Christus non solùm non de« dit, sed etiam dare apertè recusavit? » Paucisque interjectis : « Res ejusdem Christi testi« monio probatur, si dùm vitam agebat mi« racula patravit, eum nunquàm, ut missionem « suam confirmaret, miracula fecisse. » Hìc enimverò valdè vereor, Rousseau mi, ne insectatores tui, imò iidem tui amici dicturi sint, te non solùm Christianum non esse, sed ne honestum quidem hominem : siquidem quicumque honestus est tam apertè putidèque mentiri nescit. « Christus Jesus nullum edidit « miraculum, ut missionem suam comproba-

« ret ? » Revolve Evangelium, librum scilicet illum, ad quem provocas tute idem, et de quo est inter nos disputatio. Capite 8, curationem pueri centurionis, et vitam restitutam mortuo filio viduæ in urbe Naim solo vocis imperio Lucas describit, et hæc ait: *Et exiit hic sermo in universam Judæam de eo, et in omnem circa regionem. Et nuntiaverunt Joanni discipuli ejus de omnibus his.* Tum ita dicere pergit: *Et convocavit duos de discipulis suis Joannes, et misit ad Jesum dicens: Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Nonne hoc est ab illo exposcere, num esset Messias, an non? Audi nunc quid Evangelista narret: *In ipsâ autem horâ* (Jesus) *multos curavit à languoribus, et plagis, et spiritibus malis, et cæcis multis donavit visum. Et respondens* (discipulis Joannis) *dixit illis: Euntes renuntiate Joanni quæ audistis et vidistis: quia cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt.* Vide, quomodò responderit interrogationi, ostenderitque Christus Joannis discipulis, se esse Messiam. At Rousseau Evangelium præ manibus et ante oculos habens scribere audet, si Christus dùm vivebat miracula fecit, eum nunquàm, ut missionem suam comprobaret, illa fuisse operatum. Plurima alia prætermitto loca (Joann. 5, 36; 10, 37; 3, 2; 2, 23; 7, 31; Matth. 11, 20, et alibi sæpè), in quibus Christus miracula sua appellat argumentum certissimum, esse se Dei Filium missum à Patre, sicut prophetæ fuerunt vaticinati; in quibus locis exigit fidem hanc ut suorum prodigiorum fructum, objicitque Judæis eorum inexcusabilem duritiem, per quam licet tot mirabilia à nemine priùs patrata viderent, tamen eum qui erat agnoscere nollent. Hæc, inquam, prætereo, quoniam Evangelium exscribere oporteret; eritque potiùs operæ pretium audire, quomodò philosophus noster Evangelio ipso putet paradoxum suum se confirmare.

Legimus, ait ille, Hebræos decrevisse aliquod miraculum à Christo petere: *Magister, volumus à te signum videre* (Matth. 12, 38); et alibi (Joan. 6, 30): *Quod ergo tu facis signum, ut videamus et credamus tibi? quid operaris?* Si Christus, inquit Rousseau, priùs miracula edidisset, sicut hujusmodi Hebræorum postulatio inaudita impudentia fuisset, ita Christus miracula à se ante patrata iis exprobrando, aut alia faciendo, eam coarguisset: Christus tamen aut alio sensu eorum verba accipiens, aut eorum mirabilia videndi cupiditatem damnans, nolle se alia patrare testatur gravibus illis verbis: *Generatio mala et adultera signum quærit, et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ.* Aut igitur Christus miracula nulla operatus est, aut si fecit, ut suam missionem confirmaret, non edidit. Hoc est Rousseau sophisma longo verborum circuitu figurarumque involutum. Et primùm quidem quoad Hebræorum impudentiam attinet, quam ais, si Christus, miracula patrâsset, quæ nos dicimus, futuram fuisse inauditam, repono, nemini illam futuram fuisse minùs, quàm tibi. An non tu is es qui profitens te Christianum esse, qui aiens, te revelationem admittere, qui Evangelium præ manibus habens, in quo narratur Christus visum restituisse cæcis, oppressos à dæmone liberâsse, imperâsse ventis, mortuos ad vitam excitâsse hominibusque hæc miracula tanquàm publica, splendida et firmissima suæ divinitatis argumenta dedisse, an non tu is es, inquam, qui audes in dubium revocare, num Christus miracula unquàm ediderit, et perfrictâ fronte negare eum nunquàm mirabilia in suæ missionis confirmationem fecisse? Jam cùm ipse de te hoc habeas experimentum, quî unquàm Hebræorum impudentia inaudita tibi videri potest, si in tantâ luce nulla se vidisse miracula simulabant? Intellectùs cæcitas, voluntatisque durities hoc pariunt. Rationis tuæ et rationis illorum discrimen versatur in quantitate majori, minorive; at hoc genus non mutat. Atque hoc volo esse responsum primum. Alterum est, Hebræos in duobus allatis locis non postulavisse prodigium, sed prodigium ejusmodi, quale eorum voluntas libidoque volebat. Primi, ut legimus apud S. Matthæum 12, 38, et apud S. Lucam 11, 16, haud contenti expulsione dæmonis ex homine factâ paulò ante, ipsis inspectantibus, à Christo imperitantes ab eo *signum aliquod* è cœlo petebant: hoc est, ut è cœlo evocaret, velut Elias, ignem, aut, ut Samuel, præter morem efficeret ut tonaret. (Vide Hieron. in Comment. in Matth.) Secundi verò, cùm pridie panes à Christo prodigialiter multiplicatos comedissent, fuissentque confessi esse illum prophetam ab hominibus expectatum, panis cœlestis, seu mannæ datæ patribus suis in deserto per Moysen veluti miraculi majoris ponderis mentionem injicere non sunt veriti, tentantes signum ejusdem notæ à Christo videre (1). Quid Christus agit? Renuit iis satisfacere. Negat, se primis velle aliud signum dare nisi signum

(1) Legantur interpretes, et præcipuè Joannes Maldonatus ad hunc S. Joannis locum.

Jonæ prophetæ (1). Aliorum audaciam divinitùs repellit aiens, non Moysem, sed Patrem suum cœlestem eorum majoribus mannam in deserto dedisse; neque eorum petulantibus cupiditatibus vult assentiri. Nihil certius hoc est. Quid ergo hinc colligis? Christum, dùm vivebat, miracula non fecisse, aut *in suæ missionis argumentum ea non patrâsse?* At quæ logica est unquàm hæc? Quænam magis perversa ratiocinandi ratio esse potest, quàm ex his singularibus factis generatim concludere velle contra apertissima illa testimonia, quæ in eodem libro, ex quo illa desumis, meridianâ in luce Christi miracula ponunt, et ea interdùm ab illo facta, interdùm allata in suæ divinæ missionis confirmationem nobis demonstrant?

Et sanè claritatem tam splendidæ comparationis dissimulare nequit Genevensis philosophus, conaturque sese expedire periodum quamdam vafrè inserendo, quæ cùm incautis lectoribus (quæ est ejus admiranda ars) fucum facere potést, tùm causam illam quam defendendam suscepit, magis desperatam prodit. « Concedamus, inquit, alia loca intellectum ab his diversum habere (hoc est, ab illis quibus ad probandam distortam propositionem suam est abusus), hæc sententiam aliis adversantem præ se ferunt; seligo tunc jure meo ex his sensibus illum, qui mihi magis cum ratione congruere clariorque videtur. » Nego, et pernego, hæc loca, scilicet et allata à te et allata à nobis sensus sibi invicem contrarios oppositosque habere; utrique sensus veri sunt, utrique sensus mirè sibi congruunt. Verum quidem est, Christum miracula fecisse, Christum ea fecisse in argumentum suæ missionis, ad eorum magnitudinem auctoritatemque, ut fidem suam confirmaret, provocâsse, ut apertè loca à nobis recensita significant; verum etiam est, Christum edere quibusdam temporibus miracula noluisse, neque, ut suorum adversariorum retunderet perfidiam, horum mentionem fecisse. Verissimum, inquam, hoc est. At hic nulla est sensuum oppositio : quandoquidem non iidem sunt homines, non eadem tempora, circumstantiæ non eædem. Erras ergo, si putas, electioni hìc locum esse, ut ais, aut posse te jure tuo sensum aliquem perverso distortoque tuo systemati faventem elicere. Etenim (aures arrige mentemque) sicut loca à nobis exposita propositionem tuam, quâ dicis, Christum miracula non peregisse, aut ea non peregisse in suæ missionis confirmationem, omninò labefactant, nostramque tuæ oppositam perspicuè confirmant; ita alia loca quæ dicunt Christum quibusdam temporibus noluisse miracula edere, neque ullo modo quod probare intendis, probant, neque propositioni nostræ quidquam adversantur. Hæc sunt ratiocinationes ita dilucidæ claræque, ut si de aliquâ aliâ materiâ, præter Religionem, ageretur, fortassè nullum haberent adversarium, nisi aliquem aut indoctum aut stultum; sed quia impietatem, Rousseau ejusque amicos, nempe homines arte criticâ exquisitâ ornatos, impugnant prosternuntque, minùs intelliguntur. Det illis Deus *mentem sanam.*

Nos enim ad tertiam Genevensis philosophi propositionem discutiendam accedemus, quæ talis est : « Miracula non sunt argumentum « certum, et de quo homines judicare possint. » Hæc propositio, quæ jactatur ab omnibus incredulis, quæque esset formidanda, si quàm falsa est, tam vera esset, iisdem sophismatibus à Rousseau defenditur, quibus ab atheis et naturalistis omnibus quovis tempore infeliciter defensa fuit.

Definit itaque miraculum « actum divinæ « potentiæ proximum, mutationem in ordine « naturæ gravem, exceptionem veram visibi- « lemque suarum legum. » Sit ita; quid inde infers? Duæ quæstiones, inquit ille, hinc nascuntur; una : « Num Deus miracula facere « possit? » Fateturque impium futurum, qui de hoc ambigeret; altera : « Num Deus velit « patrare miracula? » dicitque, hanc quæstionem supervacaneam et inutilem, quæ ut solveretur, divina decreta essent legenda. Ergo, repono, utilis et necessaria, quam proponere debebas, et quæ solvi potest, hæc est : « Num « Deus, qui certè miracula facere potest, in « suæ Religionis confirmationem, aliqua ediderit. » Jam hanc gravem quæstionem, è quâ omnia derivantur, ex iis quæ in hoc capite demonstravimus, sapiens honestusque quilibet vir dijudicatam videt. At nimiùm versipellis est Rousseau, è recto tramite, qui illum recto-

(1) Signum hìc à Christo indicatum erat futura sua resurrectio cum fuisset per tres dies in terræ sinu, quod miraculum quæcumque alia à se gesta completurum erat et signaturum. Legantur commentatores. Rousseau multa contra hunc verborum Christi sensum blaterat vultque, ea non posse accipi de Christi resurrectione. At quàm facilè eum refutare possemus, tam inutile consilio nostro judicamus. Argumenta enim nostra in textu allata ejus præcipuum caput, et de quo nunc agitur, omninò evertunt.

remque suum ad dignoscendam veritatem duceret, digreditur; diverticula quærit in viâ, ut in errorem alios trahat.

Probare igitur studet, miraculum non posse unquàm hominem cognoscere, aut de illo judicare, « quia, cùm miraculum sit legum naturæ « exceptio, ut de illo judicaretur, has leges « oporteret agnoscere, et ut tutò judicaretur, « omnes cognoscendæ essent. » Jam, inquit, quis mortalium erit, qui tantùm sibi arroget? Newtonus ipse naturæ scrutator acutissimus omnes ejus leges penitùs se intelligere non prædicabat. Quod ergo dici potest de illo, qui se miracula facere deprædicat, est hoc, eum res extra ordinem facere. Ut agantur porrò mirabilia hæc, satis est physicam experimentalem chimicamque aliquantulùm callere. Hic enimverò philosophus noster summæ suæ eruditioni latissimum aperit campum. Loquitur de *præcipitationibus, de detonationibus, de phosphoris, de pyrophoris.* Producit *conclave abbatis Noletti,* quod vocat *laboratorium magiæ, oblectamenta mathematica, quæ sunt miraculorum collectio.* Hìc cernas machinas ambulantes, lignea capita loquentia, tubos, opticam, barometra, magnetem, per quæ omnia apud imperitos prodigia fiunt. Hinc transit ad curas admirandas, ad artem oculos laborantes visu curandi, vitam restituendi submersis aquâ, appensis, tum his similibus effutitis nugis multis concluditur, « Christum à Spiritu Dei « illustratum lumina ita majora luminibus suo- « rum discipulorum habuisse, ut mirum non « sit, si tam multa extra ordinem gessit, in « quibus spectatorum imperitia prodigium, « quod non erat, vidit. »

At quousque tandem, Rousseau, Dei hominumque patientiâ abutere? Tune es Christianus et philosophus, et sanæ mentis honestusque? quid tibi vis vafris profanisque hujusmodi cavillationibus? Tenebris Jesu Christi miracula involvere, stolidos cæcosque unà cum apostolis eruditissimos omnium seculorum viros traducere, qui illa examinârunt, crediderunt, scriptis et sanguine propugnârunt? Equidem dijudicare non ausim, utrùm in his scribendis (cogor enim verba rebus convenientia usurpare) plus insit impietatis, an dementiæ. Et sanè audito. Sicut vim hominum miracula superant, ita profectò à Deo fieri possunt; ipse fecit constituitque hunc naturæ ordinem, ipse eum regit conservatque, ille æquè facilè, et quin ulla vel minima mutatio in eo fiat, potest quibusdam temporibus eum mutare et vertere, in quo scilicet miraculum consistit. Res ergo eò redigitur, ut sciatur, num ille id fecerit. Nos affirmamus, hujusque nostræ affirmationis argumenta ejus modi afferimus, quibus in quæstionibus de facto validiora produci non possunt. Christi resurrectio, Verbi causâ, quod ejus miraculorum est præcipuum aliorumque omnium confirmatio signumque, illo demonstrationis genere à nobis probata fuit, quâ nullum historiæ factum neque firmiorem neque clariorem habere potest. Tu verò, cui *hoc miraculorum factum* minùs arridet, qui multitudinem illam auctoritatum argumentorumque refutas, quibus à nobis, et ante nos per decem et octo secula probatum fuit, et firmum certissimumque cognitum? nullis aliis rationibus, quàm obstinatâ duritie illud respuendi. Hinc fit, ut de resurrectione Christi scribere quidem audeas (1), « non esse miraculum, cor- « pus hominis postquàm per tres dies sepul- « tum fuerit, è sinu terræ exurgere, » quæ est Woolstonis aliorumque impiorum blasphemia; at ne verbum quidem, ne unum quidem cujuscumque generis, quod aut rationes nostras oppugnet, aut propositionem tuam confirmet, in aciem argumentum producis. Neque Christus ergo resurrexit, neque Christus est operatus miracula, quia non vult, quia negat Rousseau. Num hìc sit major impietas, an falsum judicium, an perversè ratiocinandi ratio, quilibet sanæ mentis homo, vel me tacente, videt. Quæstiones de facto, qualis est hæc, de quâ nunc agimus, habent argumenta propria, quibus tractentur; talia sunt testimonia, monumenta, traditio, consensus, effectus. Hic (ut supra ostendimus) ita omnia nobis favent, ut moralem quidem, sed evidentissimam demonstrationem Christi resurrectionis, miraculorum ab eo patratorum efficiant; jam cùm vis illam refellere ad ravim usque, et perfrictâ fronte contrarium repetendo tantùm, scribendoque, ut facis: « Tollantur ex Evangelio « miracula, totumque humanum genus Chri- « stum adorabit, » affers quidem tuæ audaciæ argumentum, quæ Deo miraculorum, Evangelii, Religionis auctori legem præscribere petulanter postulat; at argumentum hoc nullo modo rationes nostras infirmat, neque efficit, ut id infectum sit, quod jam factum est.

(1) La mort d'un homme n'est pas un miracle; ce n'en est pas même un, qu'après avoir resté trois jours dans la terre, un corps en soit retiré. Loquitur de loco S. Matthæi: *Sicut Jonas fuit in ventre ceti... Sic erit Filius hominis,* etc.

Non ignoro tamen, te credere, saltem apud proselytos tuos omnia superiùs exposita, et hìc recensita, de miraculorum veritate nostra argumenta te uno ictu posse evertere, sequentem libertinorum scholam, aiendo, homines de miraculis judicare non posse; cùm enim hæc naturæ legibus non comprehendantur, opus esset eas agnoscere, atque ut tutò judicari posset, eas omnes scire oporteret. Quam scientiam cùm nemo omnium possit habere, nemo omnium est, qui cognoscere, et testimonium de miraculo perhibere possit. Hoc est argumentum tuum instar Achillis fortissimum, quod tamen ego duabus animadversionibus polliceor me omninò labefacturum.

Jesus Christus, in quem gloriaris (1) nullam unquàm te evomuisse blasphemiam, in Evangelio, ut paulò ante probavimus, ut argumenta divinæ suæ missionis certissima affert miracula : *Ite, et renuntiate Joanni* (qui exquisierat per discipulos suos, num ille esset Messias) ***quæ audistis et vidistis: cæci vident, claudi ambulant, mortui resurgunt.*** Igitur de miraculis judicare possunt homines, hoc est, de operibus longè naturæ artisque vires superantibus, et ab his eas tutò distinguere, quoniam opera naturæ artisque vires non superantia argumenta certa hominis à Deo missi esse non possunt. Hoc est argumentum, cui nemo, nisi qui apertè se impium hostemque christiani nominis profiteatur, respondere potest.

Verùm ad secundam animadversionem (quæ præmissa à nobis superiùs fuerat), quæ elinguem efficiet etiam Rousseau, modò sit ejusmodi, qualem et ejus insectatores, et amici eum credunt, descendamus. Naturæ cursus, seu legum tenor ille, quas Deus ad hujus rerum universitatis regimen constituit, quatenùs relationem ad nos, ad vitam nostram, ad humana opera habet, adeò nobis est notus, adeò certus, ut dubitare non possimus. Experientia universa, perpetua constansque, id nobis ostendit; Deique sapientia, qui nobis hujusmodi ordinem ut normam regulamque nostrorum actuum dedit, nos scientes facit. Certò scimus, diem excipi nocte, æstatem autumno, morte vitam; scimus, hominem inter flammas comburi; in aquis positum deorsùm ferri, verè mortuum ad vitam non revocari, ex nihilo nihil fieri. Has aliasque his similes leges, quæ simul unitæ systema naturæque cursum efficiunt, quin Newtonum consulamus, quin physices chimicæque penetralia adeamus, ex universâ, inquam, perpetuâ constantique experientiâ, tam certò scimus, ut de iis, nisi in pyrrhonismum turpissimum incidere velimus, non possimus ambigere. Æquè igitur certi de miraculo et judicare, et pronuntiare possumus, cùm leges has quarum supremus auctor moderatorque Deus unus est, immutatas videmus. Ergo novam lucem in cœlo apparentem; alicujus remedii morbi antea prorsùs insanabilis crediti inventum, rem quidem insolitam dicemus, at miraculum non appellabimus, quia quamvis nos horum phænomenorum causa lateat, non tamen leges statutas perpetuasque aut cœlestium motuum, aut terrestrium corporum immutatas videmus. At hominem voce suâ motum solis sistere, voce suâ ventos tempestatesque sedare, visum cæco nato restituere, excitare ad vitam cadaver jam fœtens, et eum ipsum, ut prædixerat, mortuum, et per tres dies sepultum resurgere, nos hæc sine errore miracula vocamus; nos hæc majora naturæ artisque viribus opera dicimus; et Rousseau crepet, ut libet, producatque phosphoros, *pyrophoros*, totumque *abbatis Noletti conclave, et mathematica oblectamenta*, nunquàm efficiet ut dubitemus. Novimus satis naturam ut certò pronuntiemus, his temporibus constantem cursum ejus mutari, longè multùmque hæc phænomena superare naturalium causarum vires, ac proinde à Deo proficisci. Possumus igitur de miraculis judicare; sunt igitur divinæ virtutis argumenta certissima. Satis superque hoc est Rousseau sophismati exsufflando, miraculorumque Christi evidentiæ statuendæ. Eas tamen circumstantias præterire nolumus, quæ propositionem nostram clariùs demonstrant, quæ inanes illas suspiciones, eas fictas non repugnantias causarum naturalium ignotarum removent, quas ceu fumeos globos Genevensis philosophus, ne veritatem cernamus, diffundit. Hæc adjuncta sunt varietas, multitudo, modus, publica lux, duratio, effectus Christi miraculorum. Haud hìc agitur de aliquo opere mirando quidem, at vel occulto, vel fortuito, vel ex composito facto vel in uno tantùm genere, aut ad tempus fugacique. Christus meridianâ in luce, innumeris hominibus inspectantibus, in foro urbis principis, publicis in viis, in urbibus, in vicis, penè dixerim in cunctis Palæstinæ angulis miracula patravit. Miracula patravit in elementa, in dæmones, in infirmos, in mortuos. Miracula patravit solo contactu,

(1) Quàm vera sit hæc ejus gloria, locus ipse, in quo hoc dicit, ostendit.

nutu, voce. Dicit turbato mari: *Acquiesce*, et fit tranquillitas; dicit leproso: *Mundare*, et mundatur; dicit paralytico: *Surge*, et surgit; dicit viduæ filio: *Adolescens, tibi dico: Surge*, et resurgit qui erat mortuus; dicit Lazaro: *Veni foràs è tumulo*, et vivus exit. Quæ ferrea frons erit, quæ et chimicam et phosphoros, et electricitatem, et alias ineptias nostri philosophi producat in medium, ut lucem tantam subtrahat ex oculis? Quod ad Christi miraculorum durationem attinet, satis est Quadrati locum superiùs, sect. 6, recitatum, legere, et quod de Resurrectione ejus Reparatoris nostri ibidem scripsimus, relegere. Denique quoad eorumdem effectum, fuit hic, ut diximus, totius terrarum orbis à superstitioso cultu ad veri Dei integram puramque Religionem conversio; hic fuit fides innumerabilium virorum qui in illorum miraculorum testimonium sanguinem fuderunt; hic excellentissima ingenia permovit, quæ agnoverunt, et doctis validisque modis veritatem propugnârunt. Nunc, octo et decem seculis jam elapsis, in christianis regionibus, in regionibus in quibus cogitandi ratio excolitur doceturque, an poterit sine stomacho et indignatione audiri scriptor, qui spiritûs vertigine transvorsùm actus prædictorum miraculorum auctorem sycophantam, qui velut miracula suarum acutarum artium opera obtrudebat, apostolos, omnes demùm homines, qui in Christi operibus miracula, quæ in iis non erant, videbant, stupidos dementesque audet appellare? Et ferendi sunt (fortassè etiam in aliquâ catholicâ urbe) semidocti, hoc est, etiam plus quàm omninò indocti, adolescentes quidam, qui ad sidera usque scriptorem hujusmodi extollant, sibique plaudentes eum commendent *immortalem Rousseau?* Erit immortalis (detur mihi paulisper digredienti venia) ejus somniorum deliramentorumque memoria, sicut immortalis erit Spinosæ, Tolandi, Woolstonis, totque aliarum reipublicæ pestium memoria, nisi oblivio eam delet. Agnoscimus in hoc philosopho intellectum, seu ratiocinandi acumen, nosque ipsi in hoc opere sæpè (et fortassè supra quàm par erat) ejus ingenium laudavimus; at vecors esset, qui non videret, eum non solùm contra rectè ratiocinandi leges, sed etiam contra omnia honestatis bonæque fidei jura ingenio suo abuti turpiter. Impius quilibet male ratiocinatur; at impius simulans se non esse impium pessimè ratiocinatur, impietatique simulationem addit. An dicemus, esse hanc Rousseau notam? Ille ipse variis argumentis suis in libris disseminatis, et à nobis hic illic recensitis, examinatis, talem se nobis prodit; at præcipuè in materiâ hâc, quam præ manibus habemus, certissima nobis argumenta suppeditat. Ait philosophus hic, se revelationem accipere, se Christianum esse gloriatur, Evangelium ut humanis superiorem Scripturam alibi laudat; demùm inter alias sanas sententias in loco quodam jam noto *Æmilii* ait, vitam mortemque Christi Jesu esse mortem vitamque Dei. Nunc ego requiro: Si intùs et in se infeliciter secùs sentit, quare coram insectatoribus suis tam palam scribit repetitque hæc à se credita mendacia, ille, qui se magnificè effert *sui seculi candidissimum scriptorem*, ille qui in insigni habet, *vitam impendere vero?* (in fronte Epistolarum ex Monte scriptarum.) Annon hoc est apertum mendacium? At si ille seriò dicit sentitque, creditque reverà quidquid dicit quomodò postea negat, Christum miraculis missionem suam probâsse? quomodò ut veram ejus resurrectionem non agnoscit? quomodò post longum illum chimicorum et circulatorum artium apparatum Christum ut hominem effingere audet, qui « quorumdam luminum luminibus discipulorum longè superiorum ope res extra ordinem operabatur, in quibus spectatorum ignorantia miracula, quæ inibi non erant, videbat?» Priora illa effata nonne destruunt secunda? nonne falsitate, impietate, blasphemiâ hæc coarguunt? Si ergo et illa dicit, et hæc propugnat, judicet per se lector, utrùm superiùs exposita vera sit necne hujus *immortalis philosophi nota.*

Verùm redeamus in viam, et summatim colligentes quidquid gravius hucusque dictum in Genevensem philosophum à nobis fuit, tandem aliquando sermoni nostro finem imponamus. Nos de Christi Jesu miraculis adeò certi sumus ut nihil supra: ac proinde sunt nobis ejus divinæ missionis firmissima argumenta. Si enim de veritate eventuum loquimur, præter evidentiam, quam ex revelatione habemus, nos eos demonstramus illo rationum genere, quas ratiocinandi ars nos docet esse adhibendas in examinandis *factis*, et quarum vi eorum veritatem possumus detegere. Hoc modo Christi resurrectio, quæ omnium ejus miraculorum finis est et corona (quam unam brevitatis causâ hic innuimus) ita à nobis probata fuit, ut aut quodvis veritatis quoad facta *criterium* tollendum sit, aut fatendum, hoc esse ejusmodi, ut de illo dubitari non possit. Quid inquit Rous-

seau? Ille alios libertinos secutus negat eventum hunc, neque ullo modo vult eum credere. At ejus negatio, ejus impietas, tanti ponderis apud sapientem quemquam, opinor, non erit, ut argumenta nostra evertere valeat. Ut omnia negentur, non opus est nisi audaciâ; ut nihil credatur, satis est obstinatio. Quòd si examinemus, quantùm Christi miracula naturæ vires exsuperent, hoc primum à nobis probatur argumento, quod jam philosophus noster prævidit curavitque, quantùm vires passæ sunt suæ, evitare : sed frustra. Aggressus est ex Evangelio demonstrare, « si Christus dùm vivebat « operatus miracula fuerat, nunquàm tamen « illum in suæ missionis argumentum ea fe« cisse. » At philosophi nostri propositionem hanc falsam Evangelioque contrariam esse, ipsius Christi testimoniis adeò perspicuis iteratisque ostendimus, ut opus sit tantùm oculis ad ea legenda, et honestate ad judicandum. Ex hoc tam claro, tam certo facto consecutiones duas derivamus, quas jam perhorrescebat Rousseau, utpote quæ eum ita irretiunt, ut nullus effugiendi aditus sit illi reliquus. En illas: Christus in suæ missionis argumentum miracula edidit; ergo ejus miracula naturæ vires supergradiebantur, quandoquidem hæc una eum à Deo missum demonstrare poterant. Christus indicia suæ divinæ missionis opera sua admirabilia Hebræis ostendit : poterant ergo homines dignoscere, num à vi naturæ ea proficiscerentur, an ut vim naturæ superantia essent à Deo. Nullus hìc est responso locus.

Altera animadversio, unde Christi opera admirabilia vera miracula agnoscimus, ex iis notionibus deducitur, quas cursùs, seu naturæ ordinis ex perenni, universâ constantique experientiâ genus humanum habet, quæ physicam evidentiam facit, cui quælibet hominum consilia et facinora incumbunt. Jam hunc naturæ ordinem in admirandis Christi Jesu operibus immutatum certè videmus; illa igitur ut vera miracula agnoscimus. Neque verò ex eo quòd aliqua ignota naturalis causa (quod philosophus noster nobis opponit) non repugnet, cujus interventu phænomena de quibus loquimur potuerint evenire, quidquam contra nos efficitur. Aut enim consideretur natura, aut circumstantiæ perpendantur, quæ Christi prodigia sunt comitatæ, interventum quemcumque, et cujuslibet naturalis occultæ fictæ causæ præsentiam omninò excludunt, illæque nobis acta hæc demonstrant supremâ omnipotentis Dei vi, in cujus nomine, et pro cujus Religione gloriâque adhibita fuerunt. Christi ergo miracula et certissima sunt ejus cœlestis missionis, et ejus divinitatis argumenta, et sunt argumenta ejusmodi de quorum vi homines judicare possunt; quæ est propositio, quam contra Rousseau defendendam suscepimus. Multa alia in hâc re millies jam recocta à libertinis et à christianis doctoribus millies confutata ille scribit. Supervacaneum ducimus in iis refellendis immorari, eò magis quòd ex illis quæ hoc in libro statuimus, omninò corruunt. Hujusmodi est illud de prodigiis à Pharaonis magis patratis, quæ adeò extollit philosophus hic, ut omnia deprimat miracula. Satis me puto fuisse de his locutum, ne molesto veterique argumento diutiùs lectorem defatigem. Opportunum fortassè videretur artem considerare, quâ, effutitis jam ineptiis et sophismatibus omnibus à nobis superiùs recensitis, se cautum, modestum dubiumque fingit. « Cavete, inquit, « ne ex eo quòd ego miracula esse de chri« stianæ Religionis essentiâ non credam, hinc « inferatis, me miracula rejicere : nequaquàm, « neque illa rejeci, neque rejicio; si rationes « dubitandi protuli, rationes ea credendi non « reticui; multùm inter se differunt aliquid re« pudiare, et aliquid non admittere. » Ars tamen hæc est jam adeò trita et obsoleta in hujus libertini libris, ut nisi aliquem imperitum adolescentem, aut aliquam nugacem mulierem decipere possit. Hæc, quæ videtur modesta reticentia, est dictorum errorum repetitio confirmatioque. *Miracula ut de essentiâ Christianæ fidei non habere*, perinde est, ac Jesum Christum de essentiâ ejusdem fidei non ducere, cujus notio vera, et nota miraculorum congeriem de essentiâ significat. Hæc una verissima animadversio nonne sufficit, ut scriptoris nostri Religionem et meritum, integritatemque ejus modesti demissique testimonii dignoscamus? Itaque cùm id aggressus esset (sed frustra profectò) quo à christianâ Religione auctorem suum aufert, quid opus erat ut in miraculorum quæstionem penitiùs irreperet? Cùm dicit se illa non rejecisse, se rationes ea credendi non reticuisse, reverà arbitratur, hujus suæ epistolæ lectores omnes bardos fuisse aut dementes. Distinctio autem, quam interesse ait inter *non admittere* et *rejicere* miracula, non aliò tendit, nisi ut in hâc materiâ pyrrhonicum efficiat, et fortassè ut nativis coloribus se nobis depingat. Si miracula illa non *admittit*, en ejus in hoc impietatem; si ea non *rejicit*, en ejus infirmitatem, quâ fit, ut illa refutare non

possit. Hæc, nisi erro, est incredul[illegible] imago.

Sectio VII. — *Sexta nota doctrinæ christianæ. — Prophetiæ.*

Argumenta quæ hactenùs attulimus, causam quam propugnamus ita confirmant, ut in contentionem revocari non posse videatur. Integritas veritasque christianæ doctrinæ, ejus vis in pravis hominum moribus corrigendis, admiranda citaque ejus per orbem propagatio, tot martyrum, qui sustinuerunt illam, sanguis, tot miraculorum fulgor, quibus fuit confirmata, sunt ejus originis notæ ita evidentes, ut iis severissimo examine perpensis, jure postulare nobis videamur, ut christianam Religionem, quæ doctrinam hanc tenet profiteturque, divinitùs revelatam, ideòque veram esse, unusquisque fateatur. Susceptæ tamen demonstrationis evidentiam ostendamus ulteriùs. Si Deus ipse haud dedignatus esset etiam voce suâ theorema hoc, et omnium notarum, ut illud probaremus, hùc usque à nobis allatarum vim confirmare, quid ampliùs optandum esset, ut animus etiam maximè contumax sese subjiceret? Tamen hoc testimonium habemus, estque illud nimirùm, quod in capite hoc in aperto ponere intendimus, de prophetiis, quibus hæc fides divinitùs fuit prænuntiata acturi.

Itaque disputationem hoc syllogismo aggrediamur, in quo illustrando probandoque singillatim quaslibet ejus partes consilium nostrum, visque tota notæ hujus elucescet. Ea Religio vera est, cujus historia, cùm eventus liberos et contingentes complectatur, et cujus dogmata, cùm quemlibet creatæ rationis captum superent, tamen longè priùs fuit hominibus prædicta, utpote illa, quæ Deo grata foret, suisque cultoribus æternam beatitatem esset paritura, quàm per orbem prædicaretur; atqui Religio illa, quam Christus Jesus docuit, quæque per orbem totum diffusa eum ut Messiam, eum ut verum Dei Filium agnoscit, historiâ suâ eventa libera et contingentia complectitur, proponitque dogmata quamvis creatæ rationis investigationem superantia, fuitque nihilominùs hominibus prædicta, utpote illa, quæ Deo grata foret, suisque cultoribus æternam beatitatem esset paritura; ergo Religio hæc est vera.

Harum propositionum prima, seu major, quædam sibi dari requirit, hoc est, præscientiam, et veritatem Dei; attributa, quæ necessariè ex ideâ entis infinitè perfecti consequuntur. Hinc Sociniani primum horum de Deo negantes aut irridendi sunt, ut pessimi ratiocinatores, ut Xenophanes Colophonius ille, qui unus, ut ait Tullius (1), ex antiquis philosophis cùm deos esse diceret, divinationem funditùs sustulit; aut inter Epicuri discipulos recensendi, qui de divinitate pessimè sentiens de medio eam tollebat. De alio attributo, videlicet veracitate vesani tantùm dubitare possunt. Aliud datum prima propositio requirit, hoc est unum Deum, neminemque omnium alium præscientiam eventuum liberorum et contingentium habere, præcipuè si peculiari ratione à supremis Dei dispositionibus naturali rerum ordine superioribus pendeant, quod nimirùm in hâc re nobis pertractandâ accidit. Hoc etiam datum non probamus, quia per se jam patet. Ineptiæ somniaque Spinosæ ejusque discipulorum in hujus disputationis fine confutabuntur. Difficultas igitur omnis in assumptione, seu minori allati argumenti versatur, hoc est, num Religio à Christo edocta, quæ historiâ suâ eventus liberos contingentesque, et dogmatum humano intellectu superiorum veritatem continet (ut ex hactenùs dictis cognosci potuit), longè antequàm doceretur prædicareturque, vera prænuntiata fuerit. Probabimus id in medium afferendo oracula quæ præsertim desumentur ex libris veteris Testamenti christianâ Religione certè antiquioris, sicuti facilè probatur eo demonstrationis moralis genere, quo utimur in factis probandis, et sicut ipsi adversarii nostri Hebræi horum librorum custodes fidem faciunt. Ad opus ergo accedamus.

Unum ex oraculis à prophetis omnibus editum, et sæpissimè repetitum verbisque apertissimis prolatum, est, futurum aliquando tempus illud, quo gentes omnes orbem totum pertinentes, cultui falsorum numinum addictæ idem sensuræ, adoraturæque Deum verum

(1) De Divinat. lib. 1, cap. 3 : « Ex quibus « philosophis, ut de antiquissimis loquar, Co- « lophonius Xenophanes unus, qui deos esse « diceret, divinationem funditus sustulit. Re- « liqui verò omnes præter Epicurum balbu- « tientem de natura deorum, divinationem « probaverunt. » Egregiè explicat Petrus Marsus commentatus ad hunc locum illud *Epicurum balbutientem* ita : « Perplexè atque confuse lo- « quentem, verbis quippe videbatur fateri, « deos esse, re autem de medio eos tollebat, « cùm negaret ea his inesse, quæ divinæ na- « turæ propria sunt. » Num hoc elogium in Socinianos conveniat, secum reputet lector

erunt. David Propheta ita inquit psalm. 85 : *Omnes gentes quascumque fecisti venient, et adorabunt coram te, Domine, et glorificabunt nomen tuum. Quoniam magnus es tu, et faciens mirabilia; tu es Deus solus.* Et psalm. 21 : *Reminiscentur, et convertentur ad Dominum universi fines terræ, et adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ gentium. Quoniam Domini est regnum, et ipse dominabitur gentium.* Innumerabilia loca alia hujus prophetæ, in quibus apertissimè de gentium vocatione loquitur, tacitus prætereo. Ad Isaiam transeo, qui exclamat cap. 2 : *Et erit in novissimis diebus præparatus mons domûs Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes; et ibunt populi multi, et dicent : Venite, et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob; et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus; quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem; et judicabit gentes, et arguet populos multos.* Modum, quo opus hoc ingens sit perficiendum, nempe prædicatione selectorum ministrorum, nomen etiam regionum, ad quas sint mittendi, nobis prædicit propheta verbis his, quibus Deus loquitur cap. 66 : *Venio, ut congregem cum omnibus gentibus et linguis, et venient, et videbunt gloriam meam. Et ponam in eis signum, et mittam ex eis, qui salvati fuerint, ad gentes in mare, in Africam et Lydiam tendentes sagittam; in Italiam et Græciam, ad insulas longè, ad eos qui non audierunt de me, et non viderunt gloriam meam. Et annuntiabunt gloriam meam gentibus. Et adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus donum Domino in equis, et quadrigis, et in lecticis, et in mulis, et in carrucis ad montem sanctum meum in Jerusalem, dicit Dominus, quomodò si inferant filii Israel munus in vase mundo in domum Domini. Et assumam ex eis in sacerdotes et levitas, dicit Dominus.* Nonnisi hujusmodi oracula in hoc prophetâ reperies, quæ universam mutationem hanc in orbe faciendam significant, qui *replendus erat,* ut ille ait, cap. 2, *scientiâ Domini,* et ad eum sincero veroque cultu convertendus, idolis per tot secula excultis procul amandatis; quare hæc dicere pergit, cap. 2 : *In die illâ projiciet homo idola argenti sui, et simulacra auri sui, quæ fecerat sibi, ut adoraret talpas et vespertiliones*; et cap. 17 : *In die illâ inclinabitur homo ad factorem suum : et oculi ejus ad sanctum Israel respicient. Et non inclinabitur ad altaria quæ fecerunt manus ejus, et quæ operati sunt digiti ejus, non respiciet lucos, nec delubra.* Conveniunt mirum in modum cum his Isaiæ verbis Sophoniæ prophetæ verba, ut nihil magis, cap. 3 : *Quia tunc reddam populis labium electum, ut invocent omnes in nomine Domini, et serviant ei humero uno ultra flumina Æthiopiæ; inde supplices mei filii dispersorum meorum deferent munus mihi.* Eodem modo loquitur Jeremias, cap. 3 : *In tempore illo vocabunt Jerusalem solium Domini, et congregabuntur ad eum omnes gentes in nomine Domini in Jerusalem, et non ambulabunt post pravitatem cordis sui pessimi.* Innumera clarissimaque oracula sunt, quæ hoc idem significantia in prophetis reperies : plura in unum collecta ab Huetio legi possunt in Demonst. Evangel. Prop. 9, cap. 158, 159, 160, nosque etiam alia afferemus inferiùs.

Revocet nunc in mentem lector, quod diximus superiùs de Evangelii propagatione et sanctificatione gentium per illud factâ; reputetque secum, num omninò magnum hoc eventum, ut fuerat à prophetarum oraculis prædictum, completum fuerit, necne. Cognitio veri Dei, quæ ad illa usque tempora ab uno tantùm populo in Asiæ angulo latitante habebatur, per electos præcones Hierosolymis egressos flumina Ægypti transit, per Africam spatiatur, maria trajicit, ad insulas appulit; occasum pertingit, aquilonem versùs serpit, Æthiopiam et Indias ingreditur, brevique tempore per totum terrarum orbem diffunditur. Idola antea exculta perfringuntur; sacrificia impura interdicuntur, sacerdotes profani eliminantur; templa superstitionum receptacula aut solo æquantur, aut veri Dei cultui de dicantur, populique cujusvis generis, impietate, et immanitate, et moribus ferinis erroribusque abjuratis, eum unum in spiritu et veritate adorant. Factum hoc et fuit iis temporibus et nostris est adeò in propatulo et oculis ipsis ita subjectum, ut de illo nefas sit dubitare. Ergo christiana Religio, quæ hujusmodi mutationem effecit, est illa nimirùm, quæ oraculis prophetarum tanto tempore ante hominibus prænuntiata fuit, ac promissa.

Sed pergamus argumento majus pondus addere. Conversionem gentium à prophetis prædictam esse illam eamdem quæ per Evangelii prædicationem evenit, præter facti ita oraculis modò relatis consoni evidentiam, ab alio certissimo à prophetis iisdem prænuntiato indicio colligimus. Oraculo hoc prædicitur post conversionem gentium reprobatio Judaismi futura, sive novum fœdus, quod Deus cum hominibus sancire volebat cum veteris cum

Hebræis statuti abrogatione fœderis unà iturum. Recitemus primùm prophetica oracula, ostensuri postea quomodò hoc vaticinium ætate Christi fuerit adimpletum. Malachias, qui fuit prophetarum omnium postremus, hæc ait cap. 1 : *Non est mihi voluntas in vobis, ait Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestrâ : ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, ait Dominus exercituum.* Addamus et celebrem Jeremiæ cap. 31 locum quo etiam D. Paulus utitur : *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et feriam Domui Israel, et domui Juda fœdus novum, non secundùm pactum quod pepigi cum patribus eorum in die quâ apprehendi manum eorum ut educerem eos de terrâ Ægypti; pactum quod irritum fecerunt; et ego dominatus sum eorum, dicit Dominus. Sed hoc erit pactum quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus; dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam, et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum, et non docebit ultra vir proximum suum, dicens : Cognosce Dominum; omnes enim cognoscent me à minimo eorum usque ad maximum, ait Dominus, quia propitiabor iniquitati eorum, et peccati eorum non memorabor ampliùs.*

Duo habemus hìc et apertè prænuntiata, et simul conjuncta. Primum est repudium quod Deus facturus erat populi sui, et earum oblationum et sacrificiorum quibus Hebræi religionem suam illi testabantur, cum universâ et rituum et legum fœderis cum illis post exitum ab Ægypto initi abolitione. Secundum est cultus quo universæ gentes à solis ortu usque ad occasum Deum erant exculturæ; oblatio munda quæ sacrificanda erat illius nomini ubique locorum; demùm lex à fœdere antiquo diversa in hominum cordibus scripta; per quam omnes à minimo eorum usque ad maximum verum Deum erant cognituri; hique, suorum criminum veniâ impetratâ, populus ejus erant evasuri. Oculis, dico, opus est tantùm, ut singillatim omnia hæc oracula adimpleta fuisse videamus, postque Christi Evangelii prædicationem adimpleta. Tunc in gentibus, quæ idola colebant, ingens nomen veri Dei effectum, adoratum ab ortu ad occasum solis fuisse, fusè jam ostendimus. Non solùm in Jerusalem, sed ubique sacratam ei fuisse oblationem mundam, qui vel specie tenùs Religionem nostram nôrunt, optimè sciunt; per Evangelium promulgatam fuisse legem amoris in cordibus humanis scriptam cum unctione gratiæ auxiliis suis omnipotentibus hominum fragilitati opitulanti, ut ejus præcepta observarent adversariorumque aggressiones repellerent, mundi sanctificatio, imò sola martyrum historia plus satis ostendit. Illas igitur notas, ex quibus eam novum esse fœdus à Deo per suos prophetas promissum, christiana Religio præ se fert. An dissimulat fortassè libertinus et Judæus hujus illationis evidentiam sentire? Verùm cùm hujusmodi oraculorum pars prima adimpleta fuit, etiam quoad secundam partem evidentissima vaticinia simul adimplebantur. Cùm hæc prædicta lex fuit, effecit Deus ut populus quondam suus ad eas reduceretur incitas, ut perpetuò et necessariò Religionem Mosaicam exercendi facultate prorsùs careret, ac proinde tunc vetus fœdus abrogavit. Attendite : Actio illius Religionis essentialis, primaque Levit. 17, erat *holocausti, victimarum, decimarum, primitiarum, votorum et munerum, primogenitorum bovum et ovium* oblatio, quæ iis peragi debebat ritibus quos in fœdere veteri habemus. Jam capitale erat, si alibi quàm in loco à Deo jusso hæc oblatio fieret; locus autem hic, ut Davidi ostensum fuit (1), perpetuò Jerusalem esse debebat, nominatimque in areâ Ornani Jebusæi voluit Deus sibi templum et altare à Salomone erigi (2), quod solus totius orbis terrarum locus esset, in quo palam ea Religio posset exerceri. Jam Evangelii prædicationis tempore, et Jerusalem, et templum Hebræi amiserant; imò illam et hoc Titus solo æquavit, quin per decem et octo secula reædificari alterutrum potuerit. Tunc ergo Hebræo populo Religionem Mosaicam in eo tantùm templo exercendam potestas omnis colendi fuit ablata (3). Tunc ergo Mala-

(1) « Elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem sibi. Hæc requies mea in seculum seculi : hic habitabo, quoniam elegi eam. »

(2) « Cœpit Salomon ædificare domum Domini in Jerusalem in monte Moria, qui demonstratus fuerat David patri ejus, in loco quem paraverat David in areâ Ornani Jebusæi. » Paral. 2, cap. 3.

(3) Stultum esset nobis objici, etiam in Babylonica captivitate Hebræos spoliatos fuisse et urbe et templo, tamen non ideo sublatum fuisse fœdus. Discrimen patet. 1° Actum est tunc de spatio brevi annorum septuaginta; hic de seculis 18. 2° Tunc ejus captivitatis finem Deus per prophetas promiserat. Jeremias spatium annorum septuaginta prædixit; Isaias etiam Cyrum illum, à quo liberandi erant, nominavit, et in spem sæpiùs erecti Hebræi fuerant fore ut restituendi essent in patriam, et excultuiri religionem suam, ut legimus in Eze-

chiæ oraculum fuit adimpletum : *Deo non esse voluntatem in populo suo, oblationem nullam ab ejus manibus se suscepturum posthàc.* Tunc adimpletum fuit Jeremiæ vaticinium, fœdus post exitum ab Ægypto cum Israele initum desiturum. Itaque cùm Evangelium promulgatum fuit, novum fœdus longè diversum à primo Deus cum hominibus sanxit, Religionisque christianæ sacrificium fuit oblatio munda, juxta Malachiæ vaticinium ab Eoo sole usque ad occiduum nomini summi Dei in locum victimarum holocaustorumque amandatorum, substituta offerenda. Conversio ergo gentium per Evangelii prædicationem obtenta est illa ipsa quam prophetæ fuerant vaticinati. Christiana igitur Religio multo tempore antequàm à sacris præconibus disseminaretur per orbem, prædicta à prophetis fuit, utpote illa quæ et Deo grata foret, et in quâ homines erant salvandi ; à Deo enim ipso in rejecti antiqui fœderis locum, ut nomen suum in gentibus cognosceretur et adoraretur, fuit substituta.

Sed idem magis magisque evolvamus. Factum hoc splendidissimum, quod nemo unquàm negaverit, conversionis gentium, non solùm prophetias pro christianâ Religione adimpletas quoad historiam ejus originis et propagationis, sed etiam quoad præcipuum ejus dogma, quod in eo situm est ut ejus auctor, hoc est, Christus Jesus, cognoscatur Messias, satis apertè demonstrat. Ita ergo ratiocinemur. Vel ab ipso rerum primordio, liberatorem, ducem, virum divinum, in quo omnes gentes erant benedicendæ, fuisse promissum, tot antiquarum Scripturarum loca veritatem hanc testantur, ut nullo modo in dubium illa revocari possit ; Hebræique ipsi acerrimè nobis infensi vades fuerunt, hunc Messiam, quamvis noluerint eum natum agnoscere, sollicitè opperientes. Hujus expectationis, et præcipuè ætate Christi, clarissima in Evangelio habemus signa. Testes tamen exteri adsciscantur, qui maximum robur argumento addunt. Primus est Joseph, qui de ultimo Judaico bello loquens ait : « Sed quod « inprimis in bellum accendebat Hebræos, erat « oraculum in sacris codicibus ambiguè di« ctum, hoc est, fore ut aliquis è gente suâ « imperium totius orbis habiturus esset. Et sa« nè quidam hoc ita intelligebant quasi de se « dictum ; sapientesque multi de ejus intellectu « errârant. Oraculum autem Vespasiani impe« ratoris in Judæâ nominati imperium signifi« cabat (1). » Non semel, sed millies in sacris libris oraculum hoc ab Josepho memoratum, modò obscurius, modò clarius reperiri ex dicendis intelliget lector. Sed cùm Josephus ait imperium Vespasiani illâ prophetiâ denotari, sacerdos hic aulicus turpiter adulabatur, paulòque post planum faciemus. Interea loci nobis satis est ex hoc loco addiscere, Judæos eo tempore ex oraculis Scripturarum expectâsse, ut è suâ gente nasceretur ille qui totius terrarum orbis futurus erat Dominus, quandoquidem prænuntiatus erat ut expectatus desideratusque cunctis gentibus. Neque verò per Judææ terminos tantùm, sed orientalem plagam totam fama pervaserat, Hebræos tunc præstantissimi viri ortum è natione suâ expectare. Habemus in Suetonio locum, ubi hæc ait, in Vespas. cap. 4 : « Percrebuerat Oriente toto vetus constans« que opinio, esse in fatis, ut eo tempore Ju« dæâ profecti rerum potirentur. Id de impe« ratore Romano, quantùm eventu postea pa« tuit, prædictum Judæi ad se trahentes re« bellârunt. » Quid simile in Tacito, lib. 5 Histor. c. 13, habemus : « Pluribus (sunt ejus « verba) persuasio inerat, antiquis sacerdo« tum litteris contineri eo ipso tempore fore, « ut valesceret Oriens, profectique Judæâ re« rum potirentur. Quæ ambages Vespasianum « ac Titum prædixerant. Sed vulgus more hu« manæ cupidinis sibi tantam fatorum magni« tudinem interpretati, ne adversis quidem ad « vera mutabantur. » Quantùm hi errarent ita oraculum hoc interpretantes, videbimus postea ; imò res ipsa per se loquitur, ut advertit Eusebius lib. 3 Hist., cap. 8, Josephi loco relato. « Quod (oraculum) ille quidem scriptor (Jose« phus) in Vespasiano expletum esse existi« mavit. Verùm Vespasianus non totius orbis « terrarum (quod oracula prædicebant, oppe« riebanturque Judæi), sed Romanum dunta« xat imperium obtinuit. Rectiùs ergo (sequi« tur Eusebius) id referatur ad Christum, cui « dictum est à Patre : *Postula à me, et dabo « tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem*

chiele, cùm de urbe et de templo loquitur. 3° Cum fine antiqui fœderis conjungunt prophetæ principium novi fœderis ejusmodi, quale descripsimus ; jam hujus fœderis, cujus nota nulla captivitatis tempore elucet, manifesta prædicatio cernitur, in ultimo templi excidio : hoc ergo tempore, non illo, abolitum vetus fœdus fuit.

(1) Attentè hunc Josephi locum lector perpendens arguet, non perperam Huetium, aliosque doctos viros sentire, eum esse descriptum arte et fraude, ut palparetur et Mæcenatem suum, neque gentem suam læderet.

« *tuam terminos terræ*. Et per cujus apostolos « circa idem tempus in omnem terram exierat « sonus, et ad fines orbis terrarum verba per« venerant. » At de hoc loquemur postea. Hoc ergo maneat ex his exterorum scriptorum testimoniis, Christi ætate, Hebræis persuasum fuisse, eo tempore oriturum esse Messiam notis Scripturarum oraculis. Non injuriâ autem, sed jure Hebræos eum expectâsse, liceat nobis id ut certissimum credere; quod tamen probatum demonstratumque ubertim ab eruditissimo Huetio si quis legere avet, adeat illius propositionem 7 Demonstrat. evangelicæ, et ex iis quæ nos dicturi sumus cuique patebit. Ratiocinari ergo pergamus. Decus peculiare à prophetis huic Messiæ attributum est, ejus operâ tenebras quibus ejus ortûs tempore terrarum orbis fuisset involutus, esse dissipandas, ad cognitionem veri Dei ab ultimis usque terræ partibus vocandas nationes; ducem, magistrum, pastorem, benedictionem, fœdus, lucem omnibus eum gentibus futurum. Ex innumeris oraculis aliquot clariora seligamus. *Ecce servus meus*, inquit Deus per Isaiam cap. 42, *suscipiam eum; electus meus, complacuit sibi in illo anima mea; dedi spiritum meum super eum, judicium gentibus proferet... Et legem ejus insulæ expectabunt.... Ego Dominus vocavi te in justitiâ, et apprehendi manum tuam, et servavi te : et dedi te in fœdus populi, in lucem gentium, ut aperires oculos cæcorum, et educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentem in tenebris*. Illustriorem etiam locum habemus in eodem prophetâ, ubi Deus inducitur ita Messiam alloquens cap. 49 : *Et dixit : Parùm est, ut sit mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, et ad fæces Israel convertendas* (ita legit textus Hebræus) : *Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ... Reges videbunt et consurgent principes, et adorabunt propter Dominum, quia fidelis est ; et sanctum Israel, qui elegit te*. Simile est etiam illud, quod sequitur, in eodem prophetâ cap. 55 : *Ecce testem populi dedi eum, ducem, ac præceptorem gentibus. Ecce gentem quam nesciebas vocabis, et gentes quæ te non cognoverunt ad te current, propter Dominum Deum tuum, et sanctum Israel, quia glorificavit te*. Integra capita, ex quibus desumpsimus, legantur, imò tota quanta est Isaiæ prophetia, in quâ millies vocatio gentium prædicitur, et viro extraordinario, et magno, qui nemo omnium alius fuit aut esse potuit præter Messiam, tribuitur. Idem oraculum offenditur apud regem prophetam psal. 71, qui inscribitur quidem *Salomon*, in eo tamen ea dicuntur quæ nullo pacto ad Salomonem referri possunt, sed in solum Messiam cadunt. *Et dominabitur à mari usque ad mare, et à flumine usque ad cardines orbis terrarum. Coram illo procident Æthiopes, et inimici ejus terram lingent. Reges Tharsis et insulæ munera offerent ; reges Arabum et Saba dona adducent, et adorabunt eum, omnes reges terræ, omnes gentes servient ei. Quia liberabit pauperem à potente, cui non erat adjutor... et vivet, et dabitur ei de auro Arabiæ, et adorabunt de ipso semper, totâ die benedicent ei... Sit nomen ejus benedictum in secula : ante solem permanet nomen ejus. Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ, omnes gentes magnificabunt eum* (1). Hæc postrema verba nobis in mentem revocant magnificum illud promissum Abrahamo factum Gen. 12, 18, 22, deinde Isaaco ibid. 26, tum Jacobo ibid. 28, id est, in eorum *semine*, sive in *eorum progenie* omnes gentes terræ fore benedicendas. Quod certè neque in Moyse, neque in Davide, neque in Salomone, neque in Ezechiâ, neque in ullo quoquam et patriarchis antiquis, sed in solo Messiâ omnium gentium magistro, salvatore et duce, locum habere potuit. His ergo prophetarum vaticiniis (quibus et alia addi possent benè multa) lucem præferentibus, ad Jesum Christum transeamus, atque ita argumentemur : Peculiare ergo opus à Messiâ perficiendum, secundùm prophetarum oracula, esse debebat conversio gentiumque omnium benedictio; atqui hoc perfectissimè evidentissimèque per Jesu Christi adventum prædicationemque factum est. Ergo Jesus Christus est verus Messias, tantâque claritate esse illum, quem prophetæ prædixerunt, qui promissus orbi fuit, novimus, quantâ conversionem gentium (faciendam à Messiâ) ejus operâ fuisse omninò perfectam, nobis est manifestum.

Sed magis magisque argumentum hoc illu-

(1) Attemperatè advertit D. Hieronymus ita : *Hic est mos Scripturarum ut futurorum veritatem præmittat in typis juxta illud, quod de Domino Salvatore in Psal. 71 dicitur, qui prænotatur Salomonis, et omnia, quæ in eo dicuntur Salomoni non valent convenire. Nec enim permansit ille cum sole, et ante lunam in generatione et generationem; neque dominatus est à mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum, neque omnes gentes servierunt ei, neque ante solem permansit nomen ejus; nec benedictæ sunt in ipso omnes tribus terræ: neque omnes gentes magnificaverunt eum. Ex parte autem, et quasi in umbrâ et imagine veritatis in Salomone præmissa sunt ut in Domino Salvatore perfectius implerentur*. In Daniel 2.

stremus, ostendamusque præclaram hanc notam Messiæ Christo attributam aliis oraculis cum allato connexis. Legimus in Zachariâ cap. 9, 10, prædictum regem, qui *loquetur pacem gentibus, et potestas ejus à mari usque ad mare, et à fluminibus usque ad fines terræ*. Ex iis, quæ modò diximus, cernit lector hoc loco, qui simillimus est allato Psalmistæ vaticinio, Messiam prædici, qui fuit Christus Jesus; propheta tamen idem quidquam aliud de eodem rege Messiâ dicit, quod per se solum sufficit, ut oraculum ad Servatorem nostrum esse perspicuè referendum, debeamus sentire. In versiculo ergo præcedenti ita ait: *Exulta satis, filia Sion: jubila, filia Jerusalem; ecce rex tuus veniet tibi justus et Salvator: ipse pauper, et ascendens super asinam, et super pullum filium asinæ*. At quem unquàm è regibus suis, qui *justus, salvator, pauper, et ascendens super pullum asinæ*, in urbem ingrederetur, Jerusalem vidit? Hoc completum prorsùs ex quâlibet parte in Jesu Christo fuit, ut legimus in Evangelio Matth. cap. 21. Jesus Christus ergo est solus rex à Zachariâ prædictus. Ille est solus Messias, qui ut Salvator rexque pacis Hebræis simul ethnicisque, et ut supremus Dominator omnibus terrarum plagis promittitur. Hìc autem opportunè animadvertendum est, quàm injuriâ præclarus Hugo Grotius, vir cæteroquin eruditissimus doctissimusque, sed Socinianâ fuligine extremis vitæ suæ temporibus quorumdam sententiâ infeliciter offusus, postulet, penè omnes prophetias quas ad Christum spectare dicimus, primò, proprio proximoque sensu suo ad historiam eorum temporum quibus fuerunt editæ, esse referendas; Christo autem in solo secundo, mystico, allegorico remotoque intellectu tribui posse. An non plus satis est oraculum modò commemoratum ad ostendendam hujus sententiæ falsitatem? Ostendat Grotius, inquit doctissimus Huetius pestiferam hanc opinionem refellens, aliquem regem Judæ *justum, salvatorem, pauperem, ascendentem super asinam, et super pullum asinæ*, manusque dabo. Eum nobis ostendat, addam ego, regem hunc Zachariæ ætate *loqui de pace gentibus, imperium suum protendere à mari usque ad mare, et à fluminibus usque ad fines terræ*. Eamdem veritatem alia prophetarum vaticinia nobis confirmant, quæ paulò infra referemus, quæ directè, et proximè ad solum Messiam Jesum Christum referuntur, neque pacto ullo, nisi unco veluti impacto trahantur, in alios eorum temporum viros convenire possunt; quanquàm non imus inficias, quædam esse oracula quæ proximè virum aliquem præteritorum temporum respiciunt, qui fuerit typus futuri Messiæ, de quo postremò illa sint intelligenda. Ex quibus colligitur, quàm malè et periculosè idem Grotius etiam opinatus fuerit, cùm ad cap. 7 Matth. v. 22, allatis pluribus prophetiis explicatisque de Christo sensu allegorico, scripsit: « Hæc igitur « omnia, et quæ alia sunt ejus generis... non « in vim argumenti propriè adhibentur, sed ad « illustrandam atque confirmandam rem jam « creditam. » Incredibile videtur, virum in sacris litteris et in eruditione cùm profanâ, tùm sacrâ, à quo argumentum ex prophetiis deductum vi tantâ tantoque animo ad fidei nostræ veritatem probandam adhibitum videmus, tantoperè versatum, ita fœdè decipi potuisse. Loca Patrum novique Testamenti, quæ falsitatem hujus sententiæ in aperto ponunt confutantque, collecta ab eodem Huetio legi possunt; legendusque etiam est Benignus Bossuetius Galliæ lumen ingens, et P. Baltus Jesuita, qui strenuè contra Grotium omnesque Socinianos prophetias propugnârunt. Hoc unum contenti simus dicere, si multa prophetarum oracula ad solum Christum Jesum directè et proximè sunt referenda, et in illo uno sunt adimpleta, ut contra Grotium modò probavimus, vim, quæ pro christianâ fide hinc deducitur, talem tantamque esse, quanta est evidentia quæ de Dei præscientiâ et veracitate est habenda. Atque ita recentis liberti ni, cum Grotio ne per somnium quidem doctrinâ conferendi, petulantis tamen supra quàm cuique credibile est, os obstruimus: qui garrit (*Examen de la Relig.*, cap. 7, n. 4) « id, quod nobis his temporibus « dicitur, prophetiam esse, fuisse factum, quod « naturaliter evenit, quod notam nullam pro« phetiæ præ se fert; omnes significationes « prophetiarum esse allegoricas, ac proinde « nihil eas probare, cùm allegoria à demon« stratione et à quovis argumento, quod de« bet intellectui persuadere, sit removenda. » His aliisque hujus generis nugis (quarum inferiùs fortassè alia specimina afferemus) ille omnes prophetas omnesque prophetias despicatui habet et joco; argumentumque hinc deductum tanquàm ægri somnium irridet. Quæ superiùs tractavimus perfrictæ frontis scriptorem hunc abundè refellunt, qui nullo habito discrimine, *prophetias*, sive *vaticinia* cum *typis*, seu figuris confundens, suam ignorantiam satis prodit. Hæ nempe figuræ vel homines, vel facta antiqua iis notis circumstantiisque insignita

respiciunt, ex quibus clarè cognoscimus, eventum eorum ideò fuisse dispositum, ut futura prænuntient, illæ autem, hoc est, prophetiæ, seu vaticinia, quæ et *oracula* dicuntur, sunt quæ prædicunt quod est eventurum, deque his præcipuus nobis est sermo. Jam cùm hujusmodi oracula non ex ingeniosâ applicatione, non ex allegoricis explicationibus, sed secundùm eorum sensum primum, obvium, proximum in aliquo viro completa esse scimus, ut superiùs variis exemplis de conversione gentium et de Jesu Christi notis loquentes plenum fecimus, cur illa oracula tanquàm divina non erunt agnoscenda? et proinde argumentum invictum pro eâ Religione quam illa nobis indigitat, non erit deducendum?

Sed redeamus ad id quod demonstrare principe studio intendimus. Celeberrimum aliud oraculum ab Jacobo morti proximo benedicente filiis suis editum habemus; qui Judæ benedictionem impartiens hæc inquit Genes. 49 : *Non auferetur sceptrum de tribu Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est; et ipse erit expectatio gentium.* Negant Hebræi, negant libertini, oraculum hoc spectare ad Messiam, et esse in Christo adimpletum; aiunt Christiani omnes, neque magni erit laboris id probare. Itaque sic exordiri placet : Promittitur hìc vir magnus, qui, ut dicitur, *erit expectatio gentium,* vel, ut Hebræus habet textus, *et in eum erit obedientia populorum,* vel, ut legit Syriacus, *et eum expectabunt gentes,* vel ut Samaritanus et Arabicus, *ad eum congregabuntur omnes populi,* quæ versiones omnes idem significant. Ex hactenùs dictis poterit conjicere lector, quis hujusmodi vir sit. Ille certè, neque alius quisquam, in quo, secundùm promissiones Jacobo ipsi ejusque patri Isaaco, ejusque avo Abrahamo factas, *omnes gentes terræ erant benedicendæ*, ille, qui, juxta Zachariæ oraculum, *locuturus erat pacem gentibus, et dominaturus à mari usque ad mare, et à fluminibus usque ad fines terræ;* ille, qui, ut vaticinatur Isaias, *datus erat fœdus populi, et lux gentium;* ille, in quo, ut prædixit David, *omnes tribus terræ erant benedicendæ*, et quem *gentes erant magnificaturæ*. Jam hujusmodi promissa, ut supra demonstravimus, et ad solum Messiam referebantur, et in Jesu Christo sunt omninò adimpleta. Jacobi ergo oraculum respicit Christum, cumque nobis indigitat Messiam. Id confirmant præcedentes ipsius vaticinii voces, *donec veniat, qui mittendus est;* quis autem erit hic, nisi Messias? Et sanè non solùm Christiani, sed antiqui Hebræi hoc oraculum ita intellexerunt: in Thargum celebri Onkelos ita affertur locus, *donec veniat Messias;* idem legitur in Thargum Jonatani, idem in aliis Rabbinicis monumentis; versionesque Septuaginta, Syriaca, Samaritana, Arabica, idem aliis verbis dicunt. Quapropter cùm recentes Hebræi per vocem *Siloh,* quæ habetur in primo textu, aut intelligunt urbem Siloh, aut eam referunt ad Jeroboamum (in illa urbe, ut dicunt, regem electum) aut ad Ahiam Silonitem, aut ad Saülem, aut ad Nabucum, nobis delirantia somnia nullo textu fulta, imò apertè coarguta vel ab illis extremis verbis, *et erit expectactio gentium,* quæ ad nullum virorum ab ipsis confictorum pertinere possunt, nobis volunt obtrudere. Sed examinemus hujus oraculi verba prima : *Non auferetur sceptrum de tribu Juda, et dux de femore ejus.* Licet diversi sint loquendi modi, quibus variæ versiones partem hanc vaticinii efferunt, omnes tamen in hoc conveniunt, ut dicant, imperium, auctoritatem, principatum non defuturum in Judæis donec Messias veniat (1). Eventum hoc itaque clarissimè apparuit cùm Christus est ortus. Annon satis est Hebræos ipsos audire elatâ voce coram Pilato clamitantes *non habemus alium regem nisi Cæsarem,* ut ex ipsorum verbis agnoscamus, tunc temporis *sceptrum fuisse ablatum ab Judà, et defecisse ducem è suâ gente genitum?* Nonne scimus, Herodem, qui Christi ætate ibidem dominabatur, fuisse advenam, hoc est, Idumæum, qui à Romanis regnum precarium habebat? Quòd si penes pontifices et sacerdotes nonnihil auctoritatis dominique

(1) Scio recentes Hebræos, ut vim hujus vaticinii enervent, dicere, vocem *schebet*, quæ est in textu, non significare sceptrum, sed virgam gravem imperiumque tyrannicum, à quo populus ille liberari debebat a Moyse, hoc vaticinio prædicto ut putant. At à peritissimis Christianis viris ostensa fuit hujus opinionis falsitas, qui observârunt, eam vocem per se sumptam significare generatim *dominium*, et ut significet *crudele, tyrannicum*, addendum esse adjectivum, ut in psal. 2, ubi, ut significetur imperium grave durumque, dicitur, *in virgâ ferreâ*. In oraculo nostro hoc adjunctum non est, imò cùm adjungatur *sceptro dux* seu *legislator*, et *ex ejus progenie*, colligitur, non alienum sceptrum tyrannicum aut grave imperium externum, sed proprium dominium, et αὐτονομία, seu facultatem vivendi suis legibus innui; quæ in Judæis defectura non erat, nisi Messiâ nato, cui imperium omnium gentium erat promissum. Qui vult oraculum hoc latè examinatum defensumque contra Judæos legere, quod hic breviter attigimus, è pluribus nostris commentatoribus legere poterit Huetium Demonstr. evangel. propos. 9, c. 4.

reliquum erat, paulò postquàm turpiter eo fuerant abusi Christum morte mulctantes, gladio Dei ultore à Tito expedito non modò fuit suspensum, sed omninò extinctum. Jam urbis templique ruinis abhinc octo et decem seculis est tumulatum; nec exinde reipublicæ species, auctoritatis vestigium, principatûsque nota in Judæis splenduit : imò omnium orbis nationum infelices captivi vinculis suis illustre oraculi Jacobi complementum argumentumque veritatis, quam defendimus, invictum præ se ferunt. Sive ergo Patriarchæ allatum oraculum solam Judæ tribum respiceret, sive ut auctoribus SS. Patribus (1), aliqui putant, totam Hebraicam nationem spectaret, jactura sceptri, ducis, imperii, regiminis, templi, urbis agrique in Judæ tribu, et in totâ Judaicâ gente, Christo in terris orto, facta fuit. Si ergo amissio cujusque auctoritatis ab Hebræis facta, ut omnibus patet, ex unâ parte consideretur, ex aliâ si omnium gentium unanimis constansque consensio de duce supremo, de suâ per eum benedictione, de salute per Christum acquirendâ, qui erat ex semine Jacob et Judæ, perpendatur, quis dubitabit, an ad eum referendum sit Jacobi oraculum : *Non auferetur sceptrum de tribu Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium?*

Ex hoc eodem signo adeò Messiæ essentiali multis seculis post Jacobum indigitatus nobis fuit, et veluti proximus qui oriretur, ab alio prophetâ, ab Aggæo videlicet, cujus vaticinium clarius esse non potest. Regressi ex Babylonicâ captivitate Hebræi ad patrium solum, impetratâque à Cyro templum sanctum ab hostili furore eversum reædificandi facultate, multi senes, qui templum à Salomone primum tam magnificè extructum viderant, secundum tam angustum præ primo cernentes, non poterant quin graviter ingemiscerent; tunc Aggæus Deo afflatus ita pro concione dixit, cap. 2 : *Quis in vobis est derelictus, qui vidit domum istam in gloriâ suâ primâ? Et quid vos videtis hanc nunc? Numquid non ita est, quasi non sit in oculis vestris? Et nunc confortare, Zorobabel, dicit Dominus; et confortare, Jesu, fili Josedec, sacerdos magne, et confortare, omnis populus terræ... quia hæc dicit Dominus exercituum : Adhuc unum modicum est, et ego commovebo cœlum et terram, et mare et aridam; et movebo omnes gentes, et veniet Desideratus cunctis gentibus; et implebo domum istam gloriâ, dicit Dominus exercituum... Magna erit gloria domûs istius novissimæ plusquàm primæ, dicit Dominus exercituum; et in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum.* Hoc est oraculum; nos verò requirimus, cur unquàm futura erat hujus secundi templi gloria primo major? Non propter ædificium, neque propter supellectilem, sed quia in hoc cernendus erat *Desideratus gentibus*, fœdus et *pax* essentialis Dei. Quis hic erit? Ex tot vaticiniis ita constantibus, toties iteratis jam cognovimus : hic est *Messias;* hic venturus erat *adhuc modicum unum;* et appariturus in hoc templo, qui illi gloriam ejusmodi afferret, quæ longè multùmque decus primi superaret. Hoc secundum templum abhinc decem et septem seculis eversum dirutumque à Romanis, nunquàm Hebræi potuerunt illud iterùm construere; Messias ergo, qui templi secundi tempore nasci debebat, natus est, frustraque expectatur. Verùm quis unquàm in hoc secundo templo apparuit, qui dici possit *Desideratus gentibus,* ad cujus adventum commotæ sint gentes, et *fœdera mutata* (vid. S. Pauli Epist. ad Hebr. cap. 12, ubi explicat Aggæi locum), nisi Christus, qui sæpiùs locum illum conspectu suo honestavit? Ergo Christus est Messias, qui Aggæi oraculo præter alia remota vaticinia, prædictus vicinus fuit, et ex templi secundi adjuncto clarè perspicuèque indigitatus.

Sed ne discedamus Jerosolymâ et à templo. Aliud enim oraculum ad illam et hoc pertinens, et de Messiâ clarissimè loquens illustrabit confirmabitque hactenùs allata vaticinia nostrumque argumentum luce maximâ perfundet. Hoc oraculum Danielis est, Danielis illius, cujus prophetia christianæ Religionis hosti infensissimo ita clara et cum eventibus ita concors visa est, ut quo modo se expediret ignorans, scripserit, ut D. Hieronymus refert, post illa eventa eam fuisse scriptam, proinde historiam potiùs esse quàm prophetiam; quæ quidem opinio quàm est falsa, tam Religioni nostræ est gloriosa. Captivo ergo Babylone Danieli Deumque suorum patrum oranti, ut finem tandem faceret duro servitio per annos septuaginta lato, ut Jeremias prænuntiàrat, felicior non solùm Hebrææ gentis, sed omnium

(1) Justinus Martyr. in Dialogo cum Tryphon. ; Athanasius de Incarn. Verbi Dei, sed præcipuè Eusebius loco memorato, multòque fusiùs Demonst. evangel. lib. 8. Ex sententià horum PP. dicitur eventum ita ingens, licet omni genti commune, in benedictione tamen Judæ fuisse nominatum; hæc enim tribus debebat aliis præstare, utpote quæ debebat per plura secula regnare singularibusque frui privilegiis, dare nomen suum genti toti, et tandem ex eâ debebat Messias nasci.

nationum in libertatem assertio fuit revelata. *Adhuc me loquente,* inquit ille cap. 9, 21 et seq., *in oratione, ecce vir Gabriel, quem videram in visione à principio volans... dixit... Tu ergo animadverte sermonem, et intellige visionem. Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus sanctorum. Scito ergo, et animadverte : Ab exitu sermonis, ut iterùm ædificetur Jerusalem usque ad Christum ducem, hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duæ erunt; et rursùm ædificabitur platea et muri in angustiâ temporum. Et post hebdomadas septuaginta duas occidetur Christus; et non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem, et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo; et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomadâ unâ : et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium : et erit in templo abominatio desolationis, et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio.*

Oraculum attulimus juxta Vulgatæ textum ; in Hebræo fonte quædam sunt varietates, leves tamen, quæque idem significant. Quæ ad hoc vaticinium advertam, sic habe. 1° Eventum præcipuum, quod hoc vaticinio prædicitur, duobus terminis concluditur, hinc edicto reficiendi Jerusalem tunc eversam, illinc ejusdem urbis novâ eversione. Eventus hos duos vidimus ; unum quidem cùm Artaxerxes Persarum rex anno regni sui vigesimo facultatem Nehemiæ dedit in patriam se recipiendi, extruendique rursùs sanctam civitatem, quod ille per multa incommoda effecit, ut in secundo Esdræ libro legimus; alterum autem Titi ætate, qui Romanis legionibus ultimam infelici urbi perniciem intulit. 2° Antequàm eversio hæc fieret, in Judæâ nasciturus erat lethoque tradendus vir, cujus notas ejusmodi recenset propheta, quæ eum indicant *Messiam.* Et sanè quis alius *implere visionem et prophetiam, delere iniquitatem, finem ponere peccato, adducere justitiam sempiternam, ungi Sanctus sanctorum, dici Christus dux poterat,* nisi Messias? In neminem omnium sive sacerdotem, sive prophetam hæc poterant convenire. 3° Septuaginta hebdomades *abbreviatæ super populum, et super urbem sanctam, ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et adducatur justitia sempiterna, et ungatur Sanctus sanctorum,* sunt hebdomades non dierum, sed annorum. At hìc libertinus acutissimè ait (*Examen de la Relig. chap.* 7, n. 9), hoc esse commentum purum putumque, *esse hebdomadas seculorum, aut mensium.* Quid vetat, ego inquio, eum hunc quoque errorem dicere, cùm innumeros alios crassissimos effutiverit? Verùm qui vel mediocriter Hebraicos mores callet, novit, nonnisi hebdomadas *dierum,* et hebdomadas *annorum* eum populum numerâsse : illasque ut plurimùm non *hebdomadas* præcisè, sed *hebdomadas dierum* in multis Scripturarum locis appellari. Septuaginta hebdomadum ergo Danielis periodus est annorum quatuorcentum et nonaginta. 4° Unde hujusce periodi sit desumendum initium varia sentiunt etiam auctores christiani pro diversitate chronologicarum rationum quas sequuntur ; qui illud capiunt ab edicto quod Artaxerxes nuncupatus Longimanus edidit regni sui vigesimo anno, qui congruit in annum quatercentesimum quinquagesimum ante æram vulgarem, propiùs ad veritatem accedere, minoribusque difficultatibus urgeri videntur. 5° Caput tamen præcipuum prophetiæ hìc singularibus calculis superius est. Hoc annorum spatio evoluto *diripienda* erat à duce impia civitas, et Sanctuarium, postquàm jam populus ille Christum morti dedisset. 6° Et nimirùm intra hujusmodi annorum cursum natus est vixitque in Judæâ, conversatusque est Jerusalem Jesus Dominus, qui dicebatur *Christus;* ille, qui cùm esset, juxta memorata et in illo completa oracula, *expectatio gentium,* datusque orbi , *ut esset* (sicuti et fuit) *benedictio omnium gentium,* unus dici poterat debebatque, qui *impleverit prophetias et visiones, deleverit iniquitatem , adduxerit sempiternam justitiam , Sanctus sanctorum;* ille, secundùm memoratam numerandi annos rationem,annos quatuor centum et quinquaginta post Artaxerxis edictum promulgatum natus est, hoc est anno 4000 ab orbis creatione ; ille à populo suo negatus fuit , proditus, morti traditus ; cùmque ejus mors, ut à doctissimis viris ostensum fuit , in annum trigesimum sextum, aut septimum ætatis illius inciderit, semis Danielis hebdomadis ultimæ habetur, quâ Christus, victima impolluta et divina, interfectus, antiqui fœderis hostiis et sacrificio finem imposuit. Quod autem magis sententiam nostram confirmat, hoc est, ejus mortem reprobationem et dispersionem ejus gentis , urbis Sanctuariique eversionem et desolationem , vastitatemque nunquàm posthàc reparatam esse consecutam.

Est ergo Jesus Christus vir ille quem respicit Danielis oraculum; in illum enim omnes notæ descripti viri conveniunt; et circumstantiæ, quæ et comitari et consequi eventum debebant, fuerunt ætate illâ omninò adimpletæ. Objectis libertinorum Hebræorumque (1) doctorum fabulis afferendis supersedeo; nimis siquidem futiles mihi videntur, quæ tantam in lucem proferantur. Aut omnia facta neganda sunt, aut aliquis alius vir præter Christum ostendendus est, in quo prædicta oracula cuncta fuerunt consummata; hoc fieri nullo modo potest, illud evidentiæ ipsi opponitur. Non sum nescius, Marshamum (in Canon. Chronic. Ægypt. secul 18), virum cæteroquin in antiquis monumentis versatissimum, opinatum fuisse, Danielem oraculo suo profanationem templi, dispersionemque sacerdotum, mortemque Oniæ ab Antiocho Epiphane factam, quæ accidit circà annum 171 ante æram vulgarem prædixisse; neque negare ausim, valdè eruditè rationes chronologicas eum inire, ut sententiam suam confirmet. At oleum operamque perdit, Oniam, qui tunc interemptus fuit, dici potuisse *Christum et unctum*: hoc vocabulo significari posse successionem, unctionemque sacerdotum, non est inficiandum; ast ubi fuit *Sanctus sanctorum, ubi adimpletio visionis et prophetiæ, qui finem peccato posuit, qui delevit iniquitatem, qui adduxit justitiam sempiternam?* Num tunc eversa fuit urbs profanatumque *abominandis aquilis* (ut loquitur Hebræus textus) sanctuarium? Num reprobati Hebræi dispersique, et omnia vastitati solitudinique data? Nihil sanè minùs. At in Christo Jesu fuerunt hæ notæ, eoque interfecto, hæc omnia consecuta sunt funestissima nostrisque etiam temporibus permanent. Christus Jesus ergo, in quo et per quem *omnia*, inquam, memorata signa sunt completa, non Onias, Danielis prophetiâ prænuntiatus fuit. Neque verò abs re fuerit animadvertere, Josephum Hebræum perspexisse in excidio Hierosolymarum à Romanis militibus facto hujus prophetæ oraculum, de quo jamdiù loquimur, fuisse adimpletum. Locus est in capite Antiquitatum Judaicarum, ubi de Daniele sermonem habet, et videtur eum præ aliis extollere, quòd non solùm generatim, ut alii prophetæ, futura annuntiaverit, sed etiam tempus quo eventura erant prædixerit. (Ex quo addiscant quidam increduli, quanti à gente Hebræâ, cujus erat sacerdos Josephus, Daniel propheta duceretur, et quàm injuriè credant, aut nullam aut tenuem illi populo hujus prophetiæ auctoritatem fuisse.) Ita ergo ait, lib. 10, cap. 2, Antiquit. Judaic.: « Similiter etiam Daniel de Romanorum imperio scripsit, illosque magnam vastitatem genti nostræ illaturos esse. Ista omnia à Deo sibi monstrata, scriptis consignata reliquit, ut qui ea legerint et eventus perspexerint, Danielem mirentur.... Et Epicureos magno in errore versari deprehendant, qui providentiam è vitâ ejiciunt, et à Deo res humanas curari non existimant. »

Quòd si in desolatione à Romanis Jerosolymis illatâ Danielis vaticinium completum perspeximus, et proinde in Christo à Judæis cruci affixo mortuoque Messiam agnovimus, invictè illationem nostram confirmat oraculum ab ipso Redemptore de hâc ipsâ eversione factum, qui impiam civitatem dispergendam, urbemque funditùs evertendam prænuntiavit, idque in pœnam quòd noluit eum qui reipsà erat fateri. Ait ergo D. Lucas cap. 19, 41 et seq: *Et ut appropinquavit* (Christus), *videns civitatem flevit super illam, dicens: Quia si cognovisses et tu, et quidem in hâc die tuâ, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te; et circumdabunt te inimici tui vallo, et circumdabunt te; et coangustabunt te undique: et ad terram prosternent te, et filios tuos, qui in te sunt, et non relinquent in te lapidem super lapidem, eò quòd non cognoveris tempus visitationis tuæ.* Vaticinium Titi tempore re perfectum ostendit, Deum fuisse locutum, proindeque ejus urbis excidium mortis inflictæ ei qui ita loquebatur, pœna fuit; patuit enim fuisse mortem homini Deo datam. Itaque jure meritòque Prudentius seculo 5, his perpensis factis, orationem convertens ad eam miserrimam gentem, indigitansque illi Jerosolymæ ruinam, quæ reædificari non potuit ampliùs, ita cecinit in Apotheos. advers. Judæos, v. 556:

At tua congestæ tumulant holocausta ruinæ:
Quod mereare Titus docuit; docuêre rapinis
Pompeianæ acies, quibus extirpata per omnes
Terrarum, pelagique plagas tua membra feruntur.
Exiliis vagus hùc illùc fluitantibus errat
Judæus, postquàm patriâ de sede revulsus
Supplicium pro cæde luit, Christique negati
Sanguine respersus, commissa piacula solvit.

Hic tamen, ut complementum hoc prophetarum vaticiniorum Christique ipsius de irreparabili

(1) Legi possunt Rabbinorum fabulæ in hâc materia expensæ et confutatæ à Jaquelotio. *Première dissert. sur le Messie, chap. 9 et 10.*

templi Jerosolymitani excidio magis magisque illustremus, factum cognitum, sed dignum quod referatur, tacitus nullo modo prætерire possum (1). Impius Julianus Apostata anno 363 bellum Persis illaturus, ut posteris aliquod sui regni memorandum relinqueret monumentum, multòque magis ut Christum, quem sciebat prædixisse illius templi eversionem, refelleret, statuit et auctoritate suâ et auro, ibi nimirùm ubi à Tito fuerat dirutum soloque æquatum, templum reparare. Datur comiti Alypio negotium; undique illùc artifices cujusque generis confluunt; thesaurarii quid opus sit ut moles illa ingens construatur, in quam summa auri vis erat insumenda, suppeditare jubentur. Hebræi potissimùm læti præter modum, hoc imperatorem meditatum imperâsse perficj, ex omnibus provinciis ad antiquam regni sui principem urbem catervatim advolant, res vitamque in renascentis Religionis decus, cujus reædificandum templum centrum sedesque futurum erat, profusuri. Jam certatim summo studio opus urgent, mulieres ipsæ, non solùm quidquid pretiosi ex muliebri cultu habent conferentes, sed manum operi admoventes, terram instrumentaque portantes volunt insigniri; « et ut clariùs significent, inquit historicus quidam (Cardinal. Ursius Hist. Eccles. tom. 6) quàm se honestatas crederent non refugientes abjectiora serviliaque officia, ad opus accedebant splendidioribus magisque affabrè elaboratis vestibus indutæ, et ad effodiendam asportandamque terram omnia instrumenta, quædam etiam argentea comparaverant. »

At quid humana consilia, omnium regum potentia contra Dei voluntatem possunt? Deletis antiqui templi vestigiis, completoque hoc modo, quin artifices illi adverterent, *ita ut iota unum, aut unus apex non prœterierit* à Christi oraculo, hoc est, ex eâ mole lapidem super lapidem non esse relinquendum, terra effoditur, ut nova jaciantur fundamenta. Multi admirandique casus opus impediunt. Obstinato obfirmatoque animo Judæi dùm fundamenta erigunt, repente igniti globi ex illo loco erumpentes opifices adurunt, cùm naturæ effectus crederentur, rursùs fervet opus: rursùsque flammæ exsilientes contumaces operas comburunt. Itaque cùm iterùm tentandum opus non videretur ob inaccessum locum, et Romana potentia, et perfidia Judaica metuendo elemento Omnipotentis cedere coacta, imperfectum opus reliquit.

Factum hoc à multis Christianis auctoribus scimus, qui fusè illud narrant; testimonium tamen omnium maximum est illud Ammiani Marcellini, gravis historici ethnici, qui tunc in exercitu Juliani militabat, qui hoc breviùs describit, libro 23, cap. 1: « Ambitiosum quondam apud Hierosolyma templum, quod post multa et internecina certamina, obsidente Vespasiano, posteaque Tito est ægrè oppugnatum, instaurare sumptibus cogitabat immodicis Julianus, negotiumque maturandum Alypio dederat Antiochensi, qui olim Britannias curaverat pro præfectis. Cùm itaque rei idem instaret Alypius, juvaretque provinciæ rector, metuendi globi flammarum crebris assultibus erumpentes fecêre locum, exustis aliquoties operantibus, inaccessum; hocque modo elemento destinatiùs repellente, cessavit incœptum. » Lib. 23, cap. 1. Dicat jam prudens lector, num opus non sit perfidâ cæcitate, verèque Judaicâ, ne in hoc evento Danielis Christique vaticinia completa cognoscantur? Illustrat hoc factum eruditè Warburton in Dissert. de terræ motibus ignisque eruptionibus, quæ impedierunt constructionem templi sub Juliano, editâ primum Anglicè, tum versâ in Gallicam linguam anno 1754. Argumenta Basnagii, deliriaque Middletonis refelluntur, qui miraculum hoc suis systematibus contrarium volebant de medio tollere, nihili habitis iis rationibus quibus in facto hoc historico nullæ graviores evidentioresque esse possunt.

Termini, quos huic operi constituimus, vetant alia nos proferre vaticinia, quæ cùm prædicant id quod in Christo perfectum fuit, eum verum fuisse Messiam ejusque Religionem divinam esse apertissimè demonstrant. Aliqua tantùm et quidem præcipua recensere satis erit, atque ita susceptæ demonstrationi finem imponemus.

Habemus in Evangelio (Matt. cap. 2), Christum natum esse Bethlehemi; et propheta Michæas scilicet (cap. 5, 2), prænuntiârat, eum oriturum Bethlehemi: *Et tu, Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda: ex te enim mihi egredietur qui sit dominator in Israel, et egressus ejus ab initio, à diebus æternitatis.*

(1) Illud argumentum, sicut et alia benè multa, pluries jam ex editis auctoribus deprompta, haud inconsultò, quoties sese præbet occasio, semel iterumque exscribimus, ut suus cuique maneat auctori decor et dicendi peritia.

(Not. ab Edit.)

Scimus ex Evangelio (Matt. 1, 18), Christum natum esse ex virgine; nasciturum autem eum fore a virgine vaticinatus fuerat Isaias (cap. 7, 14) : *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum : ecce virgo concipiet, et pariet Filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Summoperè conantur adversarii fidei, ut oraculum hoc Isaiæ tam clarum nobis adimant. At frustra. Hæc fuit hujus oraculi occasio. Phacæas Samariæ rex, et Rasin rex Assyriæ contra Jerusalem ibant eam oppugnaturi, collocaturique super Judæ solium usque eò occupatum à regià Davidis stirpe advenam. Achaz rex cum populo timebat. Isaias cum filio suo eum convenit, et Dei nomine illi animos addit, eumque certum facit, impetus hostium futuros inutiles; et ut id confirmet, ei fidem dat, se quidquid rex voluerit admirandi patraturum, sive in inferno deorsùm, sive in excelsis sursùm. Princeps, aut non credulus, aut diffidens, noluit quidquam exposcere. Tunc propheta non ad Achaz, sed ad totam Davidis familiam conversus ait : *Audite ergo, domus David : propter hoc Deus ipse dabit vobis signum : Ecce virgo concipiet,* etc. Oraculum hoc referendum esse ad Messiam clarè evincitur : 1° Nomen *Emmanuel,* quod significat, *Deus nobiscum,* nisi illi convenire poterat : hic idem *Emmanuel* legitur in cap. seq. ejusdem prophetæ Dominus terrarum Juda : quare cùm sermo haberetur de excursionibus regis Assyriæ dicitur : *Alæ ipsius expandentur super universam terram tuam, ô Emmanuel.* 2° Ortus promissi infantis est miraculum editum à Deo, ut omnipotentiam suam significaret ; contraponitur enim illi, quod Isaias Achaz exhibuerat : *Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra ;* quo loco sanè, se verum miraculum facturum pollicebatur. Cùm ergo Isaias nullam circumstantiam, quæ miraculum significet, innuat, hoc prodigium aliud esse non potest, nisi oriturum filium *ex virgine,* hoc est, ex virgine κατ' ἐξοχὴν, ut ex addito articulo in textu constat. Pactum hoc cui convenit magis quàm Messiæ? Dicere enim, intelligi puellam priùs virginem, tum corruptam, futuram matrem, hoc non esset prodigium, quod repugnat textui; dici, intelligi de infante Ezechià, non potest : tunc enim Ezechias natus erat. Dicere, intelligi filium prophetæ, ne hoc quidem admitti potest ; ipsi enim nomen, *Emmanuel,* non conveniebat, neque ejus mater erat *virgo vera.* Ergo prodigiosa qualitas conceptûs partùsque matris virginis, notaque Emmanuelis in promisso infante efficiunt, ut oraculum sit referendum ad Messiam. Objicitur, rem adeò longinquam, ut erat Messiæ partus, non videri signum idoneum, quod promissum vindictæ à duobus regibus confirmare possit. Imò aptissimum, inquio ; tunc enim cùm renovaretur *domui David.* Messiæ promissio ab eà orituri, magna spes injiciebatur illi, certaque fiebat, hostes eam non extincturos esse, ut minabantur; Deumque illam servaturum, donec nasceretur *Emmanuel.* Sed post hoc promissum omnium bonorum maximi factum *domui David,* dat regi propheta exemplo filii sui quem secum duxerat, signum temporalis libertatis, aiens vers. 16 : *Antequàm puer hic* (ita in textu, et significabat Sear-Jasub filium suum) *sciat reprobare malum, et eligere bonum,* hoc est priusquàm ad pubertatem perveniat, *terra, quam detestaris,* id est. Assyriæ et Israelis, *relinquetur à conspectu suorum regum.* Tunc enim morientur. De duobus ergo pueris loquitur Propheta. In vers. 14, de Messià, qui promittitur *domui David,* ejusque nota erit, ut nascatur ex *virgine,* et sit *Emmanuel,* et v. 16, de filio suo valdè tenello, in cujus pubertate Achaz promittitur libertas. Hi volatus transitusque sæpissimè reperiuntur in prophetis, quanquàm si consideretur locus hic, mira detegetur conjunctio. Legi meretur ad hunc locum D. Thomas in suo Commentario, et admonitio prævia doctissimi P. de Rubeis auctoris Præceptoris, tomo 2 operum ejusdem sancti.

Nota augusta Christi Jesu manifesta facta fuit ab angelo, qui Mariæ Incarnationem Verbi annuntiavit, ut legimus in Evangelio (Luc. 1), his verbis : *Et erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David Patris sui... Et regni ejus non erit finis.* Notam hanc solius Messiæ propriam prænuntiat Isaias, (cap. 9, de mirabili ejus conceptu locutus capite præcedenti) : *Parvulus enim natus est nobis, et Filius datus est nobis, cujus imperium super humerum ejus; et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus Fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis... Super solium David, et super regnum ejus sedebit : ut confirmet illud et corroboret in judicio et justitià amodò et usque in sempiternum.* Rabbinorum ineptiæ, ut hunc locum infirment, confutantur à Clarissimo Huetio Demons. evang. propos. 9, cap. 25.

Narrat Evangelium (Matth. cap. 3), fuisse Christo præcursorem, qui fuit Joannes, qui

suis prædicationibus præparavit plebem Hebræam ad eum recipiendum, et post hujusmodi præparationem Christum venisse, et Jerosolymis et in templo præclarum et solemne munus suum exercuisse. Jam ita rem futuram, jam Malachias prædixerat (cap. 3, 1) : *Ecce ego mitto angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum dominator quem vos quæritis, et Angelus testamenti, quem vos vultis. Et venit, dicit Dominus exercituum* (vide etiam Isa. cap. 40). Quid apertius? At pergamus porrò.

Ex præcipuis Christi operibus fuit per annos tres prædicatio Evangelii salutis, et annuntiatio novæ legis gratiæ, amoris pacisque; quæ ab Jerusalem, tanquàm à centro sese diffudit convertitque, et sanctificavit gentes omnes. Jam signum hoc Messiæ comperimus in multis prophetarum oraculis superiùs allatis. Hìc ergo sufficiet recitare illud unum Isaiæ (cap. 41), qui Messiam ipsum ita loquentem inducit : *Spiritus Domini super me, eò quòd unxerit Dominus me, ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, et prædicarem captivis pœnitentiam et clausis apertionem. Ut prædicarem annum placabilem Domino, et diem ultionis Deo nostro; ut consolarer omnes lugentes.* Cùm legeret locum hunc Isaiæ in Synagogâ Nazareth Christus ipse inquit (Luc. cap. 4) : *Quia hodie impleta est hæc Scriptura in auribus vestris. Et omnes testimonium illi dabant* (inquit S. Lucas) *et mirabantur in verbis gratiæ quæ procedebant de ore ipsius.* Loquamur nunc de ejus miraculis. Quot et quàm admirabilia ille patrârit quævis morborum genera curans, superiùs diximus, Judæaque tota, ejusque hostes iidem testes fuerunt. Vis autem hæc prodigia edendi Messiæ fuit à prophetis prædicta : locum unum Isaiæ afferemus (cap. 35) : *Dicite pusillanimis : Confortamini, et nolite timere : ecce Deus vester.... Deus ipse veniet, et salvabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum.*

At silentio prætereamus quædam parva vitæ gestorumque Christi opera, à propheticis oraculis prænuntiata, et ad opus præcipuum, quod fuit ejus passio et mors, descendamus. Nos igitur Christiani dicimus cum Evangelio, Christum fuisse sanctissimum et integerrimum : erat quippe Homo Deus, in eo nullum fuisse crimen, quo malum aliquod mereretur : sed cùm esset humanum genus pluribus peccatis fœdatum, mediatorem hunc divinum suscepisse nostra crimina, et pro nobis morte et passione suâ divinæ justitiæ satisfecisse : imam et hanc fuisse ignominiosam acerbamque supra quàm credibile est. Dicimus, Deum visum fuisse illum dereliquisse, illiusque hostibus eum omninò tradidisse, nullum fuisse ejus cruciatibus modum, inauditos ejus dolores, ita ut homo non videretur ; nunquàm tamen eum questum fuisse inter tot supplicia ; imò orâsse pro inimicis suis ; mortuum demùm esse inter duos latrones; ejus mortem à Patre pro nobis acceptam causam, cur mundus sanctificaretur, fuisse ; gentesque omnes quæ illum ut Redemptorem adorârunt postea, ejusque Ecclesiam constituunt, esse spolia, quæ tam aspero certamine sibi comparavit. Hoc est quod de morte Christi, Jerosolymis illis inflictâ à Judæis, nos Evangelium docet. Audiamus nunc quid jam dixerat Isaias : « Quàm pulchri super montes pedes « annuntiantis et prædicantis pacem; annun« tiantis bonum, prædicantis salutem, dicentis: « Sion, regnabit Deus tuus.... Ecce intelliget « servus meus, exaltabitur, et elevabitur, et su« blimis erit valdè. Sicut obstupuerunt super te « multi, sic inglorius erit inter viros aspectus « ejus, et forma ejus inter filios hominum. Iste « asperget gentes multas, super ipsum conti« nebunt reges os suum. » Postquàm à versiculo 7 capitis 52 lætè prædixerat adventum ejus, qui annuntiaturus et prædicaturus erat pacem in Israel, prænuntiaveratque et gloriam, et abjectionem magni viri, qui aspersurus erat gentes multas, et super quem reges os suum essent contenturi, caput 53 hoc modo incipit : *Quis credidit auditui nostro? et brachium Domini cui revelatum est?* Egregium fidei gentium, quæ crediturae erant, duritieique Judæorum cordis vaticinium, qui quod dicturus propheta erat, non erant credituri. Ita ergo de magno illo viro loqui pergit : *Et ascendet sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terrâ sitienti. Non est species ei, neque decor : et vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum; despectum et novissimum virorum, virum dolorum, et scientem infirmitatem; et quasi absconditus vultus ejus et despectus, unde nec reputavimus eum. Verè languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit : et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum à Deo, et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra; disciplina pacis nostræ super eum, et livore ejus sanati sumus. Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit; et posuit Domi-*

nus in eo iniquitates omnium nostrûm. Oblatus est quia ipse voluit, et non aperuit os suum, et sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum. De angustiâ, et de judicio sublatus est: generationem ejus quis enarrabit? quia abscissus est de terrâ viventium: propter scelus populi mei percussi eum. Et dabit impios pro sepulturâ, et divitem pro morte suâ: eò quòd iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus. Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate. Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, et voluntas Domini in manu ejus dirigetur. Pro eo quòd laboravit anima ejus, videbit et saturabitur. In scientiâ suâ justificabit ipse justus servus meus multos, et iniquitates eorum ipse portabit. Ideò dispertiam ei plurimos, et fortium dividet spolia, pro eò quòd in mortem tradidit animam suam, et cum sceleratis reputatus est, et ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit.

Antiquam Synagogam locum hunc Isaiæ prophetæ ad Christum retulisse tam certum est, quàm quod certissimum. Multa veterum Rabbinorum testimonia ad hoc propositum Raymundus Martinius collegit (Pug. Fid. P. 3, Dist. 3, cap. 17 et alibi), qui in hâc materiâ Campegio Vitringa theologo protestante teste (Comment. in Isaiam ad hunc locum), omnium superavit diligentiam. Hugo Grotius, lib. 5 Verit. Relig. christ., in quo libro et sentiebat, et scribebat christianè, affert prædictum textum, et hæc addit: « Quis potest « nominari aut regum, aut prophetarum, in « quem hæc congruant? nemo sanè. Quem « locum (ibid.) de Messiâ interpretantur Chal« dæus Paraphrastes, Gemara Babylonica ti« tulo de Synhedrio. » Et in aliâ notâ: « De « Messiâ hæc explicant Rabboth et Salomon « Jarchi ad Gemaram titulo de Synhedrio. » Licet autem perspexerint Judæi hoc propheticum vaticinium in Christo adimpletum, tamen, si illud Messiæ attribuant, viderunt, oportere in Christo Messiam se agnoscere, ideò è plurimis insaniis quasdam absonas explicationes, ridiculas omnes falsasque expiscati sunt, ne illum Messiam faterentur. Minùs inepta, sententiâ ipsius Vitringæ (1), est illa, quæ ait, hìc prædici populum Hebræum in hâc Romanâ captivitate, et dispersione pluribus incommodis ærumnisque obnoxium. At quàm falsè! Hìc sermo fit de viro singulari, qui servus justus Domini, et vir dolorum dicitur; hic iniquitatem non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus. An hæc in populum Hebræum congruunt? Quid plura? fuit ille percussus propter scelera populi Dei. Quis est hic populus Dei, pro quo Hebræus, qui est Dei populus, percussus fuit? Obmutuit, et non aperuit os suum tanquàm agnus coram tondente se. Legant Hebræi recentes, quâ vi majores sui restiterint armis Romanis, qui in eos pugnabant, ostendantque illos agnos innocentes ovesque mutas. Sed piget diutius lectorem detinere; qui legat propheticum locum, et quovis penè verbo refutatam Hebræam sententiam videbit. Rabbinus Aben-Ezra putavit, hic innui prophetam Jeremiam; quæ quidem opinio alterius Rabbini magni nominis Abarbaneli inanis est, et futilis: « Abarbanel se mirari dicit « Aben Ezram hypothesim de Jeremiâ laudare « ut pulchram: non videre enim, quæ species « aut pulchritudo in hypothesi sit. Cùm enim « attributa hujus servi Jehovæ, Jeremiæ non « conveniunt; tum neutiquàm probabile fit, « Isaiam prophetam illustrem et Jeremiæ pa...

(1) « Minùs absurdæ quàm hypotheses aliæ, » ubi supra. Narrat Origenes in præstanti opere contra Celsum, lib. 1, n. 55, sibi quondam disputanti cum quibusdam Hebræis de hoc Isaiæ loco, hoc idem eos dedisse responsum. Ne pigeat integrum locum audire, ut translatus in Latinum fuit à P. De la Rue: « Memini me olim, cùm disputarem adversùs illos ex Judæis qui sapientes vocantur, usum esse illis vaticiniis. Quibus unus ex eis reposuit, illa intelligenda esse de uno, eoque integro populo, disperso et percusso, ut occasione dispersionis Judæorum inter plurimas gentes multi proselyti fierent: atque ita interpretabatur illud: *Ingloria erit ab hominibus species tua:* et illud: *Quibus non est annuntiatum de eo videbunt;* et illud: *Homo in plagâ positus.* Hìc quidem multa dixi, ut ostenderem quàm immeritò quæ de uno quopiam prædicta fuerant ad universum populum referrent. Rogabam quis esset ille, qui dicebat: *Iste peccata nostra fert, et pro nobis dolet;* et istud: *Ipse autem vulneratus est propter peccata nostra, et infirmatus est propter iniquitates nostras;* et hoc aliud: *Livore ejus sanati sumus.* Clarum est enim, eos qui apud prophetam res futuras videntem, taliaque velut personis afflatu sancti Spiritûs accommodantem, hæc loquuntur, esse homines sive ex populo Judaico, sive ex gentibus, qui peccatis dudùm obnoxii Salvatoris passione sanati sunt. Sed illos maximè premere visum est istud: *Propter iniquitates populi mei ductus est ad mortem.* Si enim populus est, ut volunt, de quo prophetatum sit, quomodò propter iniquitates populi Dei hic ad mortem ductus dicitur, nisi sit alius à Dei populo? Quis ille est autem, nisi Jesus Christus, *cujus livore sanati sumus* quotquot in eum credimus, *qui expolians principatus et potestates traduxit eas confidenter in ligno?* »

« rem.... tam graphicè de ortu et ministerio « Jeremiæ vaticinaturum esse, et quidem cùm « in præcedentibus nulla nota, nullum vestigium extet Jeremiæ. » Quæ notæ hìc attribuuntur huic viro, minimè Jeremiæ conveniunt; de quo præterea cùm ne verbum quidem unquàm fecerit Isaias, hic repentè in scenam producitur; sicut contra negari non potest, eum de adventu, ortu ministerioque Messiæ fuisse multa locutum; et hujus oraculi initia majestatem præ se ferentia non ostendere, non hominem quemcumque, sed Israelis Redemptorem à se prædici. Quapropter mirandum est, Grotium tanti ingenii virum, qui cùm egregiè etiam hoc loco, ut supra diximus, christianam causam defenderit, dixeritque, illud vaticinium in nullum prophetam posse congruere, hæc Judaica stulta deliria ligurire, et de Jeremiâ propheticum oraculum intelligere; licet concedat (Comment. in c. 53 Isai.) has notas in Jeremiam quidem congruere priùs; sed potiùs sublimiùsque, sæpè, et magis κατὰ λέξιν (secundùm verba) in Christum. Absurdam sententiam indignamque tanto viro, adversamque veritati, quam ille priùs fassus erat, ab uno studio his propheticarum perturbatis sensibus impietati Socinianæ favendæ profectam. Quod inter alios scriptores Vitringa illi exprobrat his verbis: « Perspexit vir illu- « stris, si Christum Jesum hìc directè et abs- « que typo aut tegmine propositum diceret, « se in propheticis analogis, in quibus de servo « Jehovæ agitur, non posse hunc diffugere « sensum, et interpretandi modum. »

In Messiâ igitur, et hinc in Christo (sicut et in memorato loco, et alibi (1), etiam idem Grotius sibi repugnans docuit) in Christo inquam, adimplendum erat vaticinium; perspectumque reverà fuit in ejus passione, et in iis quæ Passionem sunt subsecuta. Alia etiam leviora facta magni hujus eventi nobis prædixit regius Propheta in psalmo 21, in quo inducitur Messias in suæ passionis cruciatibus Patrem suum alloquens, incipiens vocibus, quas prope expirans protulit: *Deus, Deus meus, utquid dereliquisti me?* Inter cætera hæc illi dicit: *Omnes videntes me deriserunt me, locuti sunt labiis, et moverunt caput; aiens: Speravit in Domino, eripiat eum, salvum faciat eum, quoniam vult eum.* Atque hoc modo nimirùm scimus, Hebræos derisisse Christum, dùm erat in cruce: *Prætereuntes autem blasphemabant eum moventes capita sua... Confidit in Deo, liberet nunc, si vult, eum.* Matth. c. 27. Ast de hâc cruce loquiturne propheta? Et quidem apertè. Primùm memorat conjurationem fraudemque hostium ut eum morti traderent, inquiens (ibid.): *Circumdederunt me canes multi, consilium malignantium obsedit me.* Tum addit: *Foderunt manus meas* (1),

(1) Ad locum S. Joan. c. 12, v. 34: *Nos audivimus ex lege, quia Christus manet in æternum:* Grotius hæc notat: « Quæ ad evectionem Mes- « siæ pertinent diligenter annotârunt magistri « illorum temporum; cæci ad ea quæ de præ- « viis ejus passionibus dicebantur, tum alibi, « tum maximè in Isaiæ c. 53. »

(1) Vim hujus oraculi sentiunt Hebræi; putant tamen se posse eam eludere facilè per textum Hebræum, in quo non legitur *caru,* quæ latinè vertitur, *foderunt*, sed *caari*, quod significat, *quasi leo;* quare cùm non dicat Propheta: *Foderunt manus meas, et pedes meos, at, quasi leo manus meas, et pedes meos,* corruit, Hebræorum sententiâ, tota argumenti ex hoc oraculo deducti vis. Tractant quæstionem hanc viri doctissimi non solùm catholici, sed etiam heterodoxi, ut legi potest in magnâ Collectione criticorum sacrorum, et apud Thomam Malvenda Ord. Prædic. in commento ad hunc Psalmum, qui affert Munsterii, Forsterii, Merceri, Tremellii, Junii aliorumque testimonia, qui licet non jurârint in editionem Vulgatam, quam Romana veneratur Ecclesia, tamen mordicùs defendunt lectionem nostram, *foderunt,* rejiciuntque strenuè illam, *quasi leo,* inventam ab Hebræis; et sanè quis primùm non videt hanc Judaicam lectionem esse ineptam, impropriam et cujusque sensus expertem? Quid sibi vult hæc conjunctio, *tanquàm leo manus meas et pedes meos?* quæcumque vox addatur, dicendi modus est improprius, indignusque rege propheta, sicut ostendit memoratus Malvenda. At id, quod omnem quæstionem de medio tollit, est, fuisse reverà scriptum in textu Hebræo *caru, foderunt*, non ut hodie in vulgatis Hebræis legitur, *caari, quasi leo.* Quomodò id probatur? evidenter. Septuaginta Interpretes, homines Hebræi linguæ sanctæ peritissimi, multò ante adventum Christi in exemplaribus Hebræis (et certè, ut credendum est perfectissimis, de quâ re legatur inter cæteros Walton in Prolegomeno 9, præmisso Polyglottæ Londinensi n. 14), quibus usi sunt in suâ versione, legerunt *caru,* cùm verterint clarè sine verborum ambagibus ὤρυξαν χεῖράς μου καὶ πόδας, *foderunt manus meas et pedes.* Quod clarius argumentum? An dicetur, eos ita vertisse, ut faverent Christianis? Nugæ. Quid plura? Justinus Martyr et Tertullianus utuntur oraculo nostro contra Judæos, et illud juxta versionem Septuaginta legunt. Cùm solcat autem D. Justinus (ut observat clarissimus Bossuetius) accusare Hebræos quòd textus Scripturæ corruperint, neque in hoc eos arguens, consequitur, ætate D. Justini in textu Hebræo lectum fuisse *caru*, non *caari*, quæ vox fuit postea intrusa. Præterea Aquila Ponticus qui Adriani imperatoris tempore transtulit Scripturam in Græcum sermonem, et ut faveret Hebræis, ad quos migrârat, varios textus corrupit, in exemplari Hebræo quo usus est, legit *caru;* indicium est evidens, cùm non verterit, *quasi leo manus meas*, sed, *dehonorave-*

et pedes meos, et dinumeraverunt omnia ossa mea. Quid plura? Christi cruci affixi milites diviserunt sibi vestimenta, et tunicam inconsutilem sortiti sunt; quæ minima circumstantia describitur ab Evangelistâ Joanne his verbis (cap. 19) : *Milites ergo cùm crucifixissent eum, acceperunt vestimenta ejus,(et fecerunt quatuor partes,unicuique militi partem)et tunicam. Erat autem tunica inconsutilis desuper contexta per totum. Dixerunt ergo ad invicem : Non scindamus eam, sed sortiamur de illâ cujus sit.* Ita Evangelista, qui nos admonet etiam, hoc jam fuisse multò ante prædictum; quare addit : *Ut Scriptura impleretur dicens : Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.* Cæcus prorsùs est, qui non videt prædictum ab oraculo prophetæ, quod in Golgotha in Christo Jesu completum est, qui in reliquo psalmo verus nobis Messias pronuntiatur. Tandem enarratis cruciatibus, hoc subjungit propheta : *Reminiscentur, et convertentur ad Dominum omnes fines terræ. Et adorabunt in conspectu ejus omnes familiæ gentium.* Ut vis hujus prophetici psalmi intelligatur, et cognoscantur immutationes, et fraudes Rabbinorum, legenda est expositio litteralis, quam facit Bossuetius.

Quoniam verò non tantùm *Christi cruciatus*, sed etiam *gloriam*, quæ illos erat consecutura, Prophetæ prædixerunt, de hoc etiam aliquid breviter dicamus. Christum è mortuis immortalem resurrexisse, proximè præcedenti capite ostendimus. Id de Messiâ eventurum esse, *Sancto* appellato, ut reverà erat, David vaticinatus est (Psal. 15) verbis iis : *Propter hoc lætatum est cor meum, et exultavit lingua mea, insuper et caro mea requiescet in spe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo; delectationes in dexterâ tuâ usque in finem.* Hæc nimis augusta nimisque excellentia vaticinia sunt, ut dicamus in Davide fuisse completa. Quanquàm argumentum D. Petri in primâ quam habuit ad Hebræos concione, plus satis probat, ad Davidem non esse referenda, sed ad Christum : *Viri fratres* (inquit ille Act. 2), *liceat audenter dicere ad vos de patriarchâ David; quoniam defunctus est, et sepultus, et sepulcrum ejus est apud nos usque in hodiernum diem. Propheta igitur cùm esset, et sciret quia jurejurando jurâsset illi Deus de fructu lumbi ejus* (addit Græcus textus : *Secundùm carnem suscitaturum Christum) ut sederet super sedem ejus; providens locutus est de resurrectione Christi; quia neque derelictus est in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem.* Hoc est, cùm oraculum non fuerit in Davide completum, cujus ossa usque ad eum diem in tumulo cubabant, proximè directèque respiciebat Jesum Christum, ejusque resurrectionem. Etiam ejus in cœlos ascensionem, animas in locis inferis terræ detentas tanquàm spolia in triumphum secum ducentis idem David prædixit pluribus in psalmis, sed clarissimè in psalmo 68, ubi ait : *Ascendisti in altum, cepisti captivitatem, accepisti dona in hominibus;* sicuti etiam annuntiavit ejus ad Patris dexteram sessionem magnificis illis verbis (Psal. 109) : *Dixit Dominus Domino meo : Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Quis est hic Davidis *Dominus*, cui *Dominus dixit : Sede?* nisi ille, qui secundùm carnem Davidis filius, sed secundùm divinitatem æterni Patris Filius, ad dexteram ejus sedet. Qui honos cùm æqualitatem significet, in neminem omnium congruere potest; et proinde Messias Jesus Christus verus Deus nobis demonstratur.

Pollicitus tamen erat ille ipse, antequàm in cœlum ascenderet, se intra paucos dies Spiritum sanctum suum super apostolos missurum; à quo repleti lumine, amore donisque, usque ad terminos terræ disseminaturi defensurique Evangelium vel morte ipsâ fuissent, Ecclesiamque propagaturi : *Vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies.... Et eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæâ et Samariâ, et usque ad ultimum terræ.* Act. 1. Promissum hoc et viderunt, et audierunt præstitum die decimo nimirùm, à quo Christus in cœlum ascenderat, discipuli; simul enim Je-

runt manus meas. Quæ versio ostendit fraudem hujus proselyti, qui conatus est obscurare clarissimum oraculum, sed simul ostendit, se legisse *carù*, non *caari*. Demùm duo ex memoratis criticis, Tremellius et Junius, advertunt, neque in omnibus Hebræis codicibus seculorum subsequentium fieri potuisse mutationem oraculi nostri. En eorum verba : « Etsi in vulgatis exemplaribus habentur verba quæ sonant, *tanquàm leo manus meas*, tamen ad hanc lectionem, quam servamus, videlicet, *foderunt manus*, etc., non tantùm argumentationis ordine et simplicitate constructionis adducimur, Græcorumque exemplo, sed etiam duplici Massoretharum testimonio : nam testantur in bonâ librorum emendatiorum parte scriptum fuisse *carù*, quod est, *foderunt*. » Hactenùs eruditi heterodoxi scriptores. Ex quibus colligitur, in Hebræo puro textu propheticum vaticinium fuisse, quale scilicet in nostrâ Vulgatâ legitur : *Foderunt manus meas et pedes meos.*

rusalem congregatis, *apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquàm ignis, seditque super singulos eorum; et repleti sunt omnes Spiritu sancto, et cœperunt loqui variis linguis* (Græcus textus ἑτέραις γλώσσαις, *alienis linguis*), *prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.* Act. 2. Quia verò per eos dies innumeræ exteræ gentes, quæ Jerusalem convenerant, magnoperè hoc prodigium mirabantur, eas jussit animadvertere Petrus (ibid.), hoc maximè admirandum eventum etiam ab uno eorum prophetarum, ab Joele nempe fuisse prædictum his verbis (cap. 2) : *Et erit : post hæc effundam Spiritum meum super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri et filiæ vestræ; senes vestri somnia somniabunt, et juvenes vestri visiones videbunt. Sed et super servos meos, et ancillas in diebus illis effundam Spiritum meum, et dabo prodigia in cœlo et in terrâ.* Hujus oraculi complementi testis totus terrarum orbis fuit; et propter descensum Spiritûs sancti, qui, præter eum qui in Jerusalem evenit, cernebatur etiam per impositionem manuum apostolorum super Hebræis et gentilibus, qui convertebantur, et propter inaudita et incredibilia miracula, quæ ab his Evangelii præconibus fiebant, quorum prodigiorum vim his quoque quibus vivimus temporibus et in eversione idololatriæ, quæ tum debacchabatur, et in gentium corruptarum, voluptatibusque suis deditarum, sanctificatione, et in conversione demùm totius orbis ad Christi Religionem (quod tot prophetæ fuerant jamdiù vaticinati), hoc est, ad veri numinis cultum, oculis ipsis perspicimus.

Quod in catenis accidit, ut annulus ultimus cum primo conjungatur, ita hâc in re evenire jure nobis dicere posse videmur. Gentium vocatio, sanguinis Jesu Christi laborumque ejus discipulorum fructus est eventum illud ingens, quod et sæpissimè et apertissimè ab omnibus prophetis fuerat prænuntiatum. Fructum hunc à Messiâ uno, *in quo erant benedicendæ cunctæ gentes terræ*, derivandum esse uno ore illi testati sunt. Opus hoc debebat æquè cum fœderis veteris abrogatione, novique institutione procedere : hujusque rei eversio templi, et Jerusalem vastatio nunquàm posthàc reparanda, erat signum propositum. Antequàm igitur excidium illud vastitasque contingeret, venturus erat Messias. Illud et hæc evenerunt; et post Christi passionem mortemque gentes conversæ sunt; fœdus antiquum fuit abolitum, Jerusalem est funditùs diruta soloque æquata. Ex oraculis ergo hæc duo facta, Christum esse Messiam, invictè probant. Quòd si Christum Messiam esse nobis persuasum est, statim perspicimus, tanquàm lineas ad centrum, ad eum referri compleríque in eo omnia oracula, promissa omnia, quæ ab ipso rerum primordio patriarchis prophetisque de Reparatore futuro facta fuerunt. Si eum ejusmodi non fuisse quis dicat, quod dicunt Hebræi, inania sunt promissa, oracula sensùs expertia, finem nullum attingent. Nativitatis locus fuit ibi, ubi Michæas vaticinatus est; genitricis signum, cujusmodi enuntiavit Isaias; ejus præcursor, qualem ab ipso descriptum legimus; ejus prædicandi veritatem et pacem munus, ejus potestatem prodigia patrandi Isaias idem prævidit; in Jerusalem ingressus est quo apparatu viderat Zacharias; sæpiùs in templum secundum, ut *desideratus gentibus*, intravit decoravitque illud, juxta Aggæi oraculum. *Oblationem mundam* ipse instituit quæ, sublatis de medio antiquis victimis cæremoniisque, una omnipotenti Deo, ut docuerat Malachias, erat offerenda. Ille fuit *expectatio gentium :* ab illo enim omnes sanctificatæ fuerunt; venitque, *cùm ablatum esset sceptrum de tribu Judæ, et dux de femore ejus;* quo temporis puncto videlicet Messiam nasciturum Jacob prædixerat. Passus est ea quæ Isaias jam dixerat eum esse passurum; illaque gessit insignia, quæ ab eo gestanda David præviderat. E vivis sublato defecit hostia et sacrificium, civitasque sancta devastata fuit, quo modo in Daniele scriptum legimus, à Romano milite. Ille non emarcuit in sepulcro, sed victor resurrexit, triumphansque in cœlos ascendit; quæ omnia ita futura esse cecinerat David. Inde Spiritum sanctum, ut pollicitus ille fuerat, et Joel scripserat, super apostolos misit. Hinc Hebræi rejecti, dispersi, gentibus omnibus opprobrium execratioque facti sunt; gentesque ab ortu solis usque ad occasum, ab austro ad aquilonem, quod nostrismet oculis videmus, ad veri Dei cultum fuêre conversæ. Omnia hæc vaticinia, quæ Messiam respiciunt, ab iis libris quos nostræ Religionis hostes infensissimi tenent, sunt exscripta. Horum oraculorum in Christo, et per Christum complementum factum, res est omninò cognita, utpote quæ sensibus subjecta, cujus vel ipsi adversarii nostri testes possunt esse locupletissimi. Jesus Christus igitur est Messias. Ille ergo est admirabilis, consiliarius, Deus fortis, princeps pacis, ut appellatus fuit ab Isaiâ, et ut christiana Religio docet. Christiana igitur Religio, cujus historia facta libera et contingentia, et

dogmata humano intellectu superiora continet, prænuntiata fuit longè antequàm constitueretur, et prænuntiata utpote illa quæ Deo grata foret, et per quam homines æternam vitam consequerentur. A Deo ergo proficiscitur; est ergo vera; quod prophetiis demonstrare in nos receperamus.

Ex his omnibus lector ipse per se arguet, quàm inepta futiliaque libertinorum objecta sint. Ausus est Spinosa (Tract. Theolog. Polit. cap. 2) prophetandi gratiam constitutioni corporis, vique phantasiæ tribuere, fingens (licet longo verborum circuitu) antiquos prophetas fanaticos, et œstro correptos fuisse. Hoc idem sentit recens deista, qui hæc scribit (Examen de la Religion, chap. 7, n. 10): « Prophetarum œstrum est humanum antiquorum gentilium mulierumque furiosarum, in sacro tripode insidentium œstro prorsùs par. » Ut insaniam hanc refellam, satis mihi erit referre quod sapientissimè Pascalis ait, Pensées, 15: « Si homo unus de Christo cùm respectu temporis, tùm materiæ de ejus adventu prædixisset, et reverà Christus venisset, quo prædictum fuerat modo, hoc vaticinium vim ingentem haberet. At hìc quid ampliùs est. Plures homines uni aliis succedentes per annorum quatuor mille spatium constantes unanimesque hoc idem eventurum esse prænuntiant. Populus ingens est, qui per annos quatuor mille factum hoc futurum prædicit, qui per tot annorum intervallum permanet, ut unâ voce testetur arrhas quas habet, et à quibus neque minis, neque cruciatibus, qui illi intentantur, absterreri possit. Hoc enimverò est longè aliter considerandum. » Hactenùs Pascalis. Quicumque ergo fingere potest fanaticum errorem tam felicem in prædicendo, ita universum in hominibus, constantem ita in rerum vicissitudinibus, hic supra quàm credibile est insanit, et quicumque ita insanit, non potest esse nisi impius, communemque naturæ sensum omninò repudiavit.

Ejusdem furfuris est aliud argumentum, quod tamen magni faciunt laudibusque ad sidera tollunt libertini; hoc est, prophetias omnes esse allegoricas, et ab interpretibus pro arbitratu suo ad Christum referri. « Allegorias perpetuas in omnibus prophetiis animadverto (scribit memoratus libertinus). Hæ allegoricæ interpretationes (pergit blaterare), quæ nihil probant, quæque tantùm vim desumunt ab illo qui eas explicat, repugnant rationi Indi, qui quidquam sapiat, nedùm illi persuadeant. Quod tamen notatu dignum magis est, hoc est, Ecclesiam eum Scripturis subjicere sensum, qui magis illi arridet. David inquit: ***Dominus regnavit, decorem indutus est***, et Ecclesia ait, Davidem dixisse nationibus: ***Dominus regnavit à ligno***. Quod falsum est.

Impleta sunt, quæ concinit
David fideli carmine,
Dicens: In nationibus
Regnavit à ligno Deus.

« David nunquàm hæc dixit, quamcumque malimus versionem sequi. » Ex iis, quæ dicta sunt prima hujus argumenti pars est jam refutata. Oracula multa attulimus, quæ proximè et κατὰ τὸ ῥητὸν, Christum respiciunt, neque de aliis viris, ut contra Grotium ostendimus, intelligi possunt; quantùm igitur ad has prophetias pertinet, nihil opus est confugere ad allegoricum sensum, ut ostendamus eas fuisse completas. Sunt earum quædam indirectæ, allegoricæ et typicæ, imò totum vetus Testamentum fuisse novi fœderis typum dicimus. At estne istud commentum? Audiat libertinus, veritatique manus det. 1° Ex prophetiis litteralibus et allegoricis notam Messiæ mortalibus promissi affirmamus in Christo fuisse, à quo docendæ et salvandæ nationes erant. 2° Quædam reperimus oracula, quæ quidem aliquâ ex parte in quodam præteritorum temporum viro fuerunt adimpleta, ita tamen, ut, cùm hic totam vaticinii prophetici gravem majestatem, quæ indicat et virum, et facta humanis viribus superiora, sustinere non possit, evidenter cognoscamus, prophetam longiùs quàm hominis visus prospicere possit, prævidisse. Tunc autem id quod ultra humanum visum provisum fuit, ad Christum referendum esse dicimus; et hoc quidem utpote quod majus est, quàm ut homini convenire possit κατὰ λέξιν Christo tribuimus; alias autem oraculi partes non quidem *litteraliter*, sed *allegoricè* de Christo intelligentes, dicentesque veterem illum virum *typum* Christi esse, Christumque præcipuè oraculo illo fuisse indigitatum. Exemplo sit psalmus 77 de quo supra mentionem fecimus, qui inscribitur *Salomonis*, et in quo ea dicuntur quæ nullo pacto de rege illo dici possunt, sed litteraliter et directè de Christo, cujusmodi sunt illa: *Ante solem permanet nomen ejus, omnes gentes magnificabunt eum, benedicentur in ipso omnes tribus terræ*, et alia talia. Cur igitur Christus, qui

iis in locis litteraliter prænuntiatus est, etiam allegoricè prænuntiatum esse non dicemus in iis, quæ proximè Salomonem respiciebant? Verbi causâ iis propheticis vocibus: *Liberabit pauperem à potente, et pauperem cui non erat adjutor*, denotari Redemptionem Mediatoris, cujus Salomon typus erat?

3° Hæc eadem typica et allegorica figura Christi, ejusque mysteriorum est in veteri toto Testamento, et evidentia tanta est, quanta nimirùm est illa, ex quâ in aliquâ notâ ille sensus cernitur, qui unus potest nobis quamlibet notæ partem explicare, et quo remoto nota tota perplexa est obscuraque. « Nota duos « habet intellectus (egregiè more suo Pascalis « inquit Pensées 13). Cùm aliqua magni mo- « menti epistola intercipitur, in quâ intellectus « apertus est, cujus tamen sensus nihilominus « dicitur latens occultusque, ita occultus, « ut littera quidem inspici possit, quin inspi- « ciatur, intelligique possit, quin intelligatur, « quid dicendum erit, nisi epistolam hanc duas « habere significationes, tantòque magis cùm « aperta antilegomena in sensu litterali occur- « rant? Quanti ergo ducendi illi non sunt, qui « nobis notam explicant sensumque latentem « nos docent, præcipuè cùm principia quibus « utuntur, plana sint et clara? Jam hoc est « illud quod Christus et Apostoli fecerunt: « signum illi fregerunt, velum disruperunt, « et quid lateret patefecerunt. Illi nos do- « cuerunt, hostes hominum esse suas cupi- « ditates, Redemptorem fore spiritalem, duas « habiturum notas, paupertatis, ut deprimat « superbum, gloriæ, ut humilem exaltet, Chri- « stum futurum Deum et hominem. » Similis huic cogitatio est imago illa, alibi à nobis allata illius cylindri super abaco erecti, in quo varii colores sint, ita tamen ut nihil perfecti objiciant oculis, imò casu videntur in eum jacti, et sine arte ducti. Requiro à philosopho nostro, num *Indi sanæ mentis rationi* repugnaret, si cylindro suâ sub luce viso, coloribus confusis imaginem omnibus suis in partibus perfectam repræsentantibus, diceretur, hoc intendisse præcipuè artificem eos colores ita disponendo, ut non illam informem figuram exhiberent, quæ apparet in abaco, sed illam perfectam, quam in cylindro oculis objicere debebant? Considerentur sacrificia innumerabilia, expiationes aliæque cæremoniæ cunctæ, quæ in antiquo templo fiebant. Consideretur Agnus Paschalis, et ille rituum apparatus, quibus debebat immolari, sanguis effundi et carnes vorari. Considerentur ad summam leges, dicendi modi, et facta veteris Testamenti, Hebræusque corporeus, qui iis litteraliter subjiciebatur; dicemus, nihil augusti, nihil divini iis subesse; at si oculi in Christum, in ejus crucis sacrificium, in ejus sanguinem, ad ejus sanguinis pretium, ad uberem ejus redemptionem convertantur, et *antitypus* totius veteris fœderis consideretur; jam in hâc relatione omnes leges, omnes cæremoniæ, omnia antiqua facta sese evolvunt, singularem præstantiam præ se ferunt, suæ originis nobilitatem ostendunt, et Deo digna comparent. Tantùm ergo abest, ut commentitium sit in fœdere antiquo introspicere veluti sub allegoriarum et figurarum nubibus Redemptorem, ut etiam sine illo aut has perfectè intelligere, aut earum meritum amplitudinemque cognoscere non possimus.

Antequàm porrò progredimur respondemusque increduli argumenti membro ultimo, ictus horribilis, quem Voltairius in suis Epistolis de Cogitationibus Pascalis librat jacitque in eâ quæ modò diximus, non est prætereundus. Ejus verba recitemus, ne ea nos immutâsse in suspicionem incidamus. « Opinatur, « inquit, Pascalis, quidquid scriptum est in « Scripturâ duplicem habere sensum; at qui « infeliciter impius esset, posset illi dicere: « Qui verbis suis duplicem sensum affigit, de- « cipere vult homines; et hujusmodi versutia « lege punitur. Quî ergo (nunc surgit auctori « vitrea bilis, rugosaque naso sanna), quin « pudore suffundaris, de Deo dicere potes, « quod ille punit et quod hominibus vetat? At « quid hoc tantùm inquio? quàm despicata « habes ethnicorum oracula, quòd duplicem « sensum habebant? » (Lettres sur les Pensées de M. Pascal, n. 15.) Viden' cujus ponderis sint censuræ, quæ non in Pascalem, sed in totam Religionem, quæ Pascalis ementito nomine impetitur, jaciuntur? At quæ unquàm comparatio est inter duplicem Scripturarum sensum duplicemque deceptorum sermonem lege vetitum, oraculorumque gentilium duplicem sensum derisum? Hic duplex sensus includit vafrè duos significatus, quorum alter excludit alterum, et si verus est unus, alter falsus est. Hujusmodi, ut multa alia hujus generis exempla prætercam, erat oraculum celebre editum Crœso memoratum ab Herodoto (Clio 53), à Cicerone (de Divinat. 2, cap. 56), ab Eusebio (Præparat. evangel. lib. 5, cap. 20, 21), et ab aliis pluribus:

Crœsus Halym penetrans magnam pervertet opum vim.

Quod æquè intelligi poterat et de hostili imperio, quod devastandum erat à Crœso, et ita sanè hic illud accepit, et de Crœsi imperio, quod illà expeditione deberet everti, quod evenit, à Cyro. Atque hæc est illa ἀμφιβολία fraudulenta et stulta, non modò à Luciano in suo *Jove Tragœdo*, sed ab omnibus prudentibus derisa. Duplex Scripturæ sensus significat duo eventa, duos viros, sed veros, quorum uterque potest unus post alium existere ; inferior unus, præcipuus alius, unus adumbrans, adumbratus alter, unus arrhabo, alter complementum. Exemplo sit oraculum à Nathane Davidi editum 2 Reg. cap. 7 : *Suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, et firmabo regnum ejus. Ipse ædificabit domum nomini meo, et stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum. Ego ero ei in Patrem, et ipse erit mihi in Filium.*

Proximè hoc oraculum Salomonem, præcipuè Christum respicit. In utroque verum apparuit. Salomon Davidis filius fuit maximus suæ ætatis regum; ædificavit templum Deo, à quo summoperè amatus fuit, pluribusque donatus bonis. Christus quoad humanam naturam fuit è semine David, fuit, coliturque Rex regum, ejusque regnum finem nullum est habiturum. Ille veri Dei Ecclesiam constituit; verus Deus est illi Pater, eique ille est Filius non adoptatus, ut fuit Salomon, sed naturalis. En quomodò vaticinium quoad utrumque sensum de utroque intelligi potest; proximè de Salomon, præcipuè et præstantiùs de Christo ; de illo ut de *typo* et arrhâ, de hoc ut de *antitypo* et complemento. Nunc à Voltairio requiro: aut discrimen hoc tam apertum horum duorum Scripturæ sensuum, et æquivoca ἀμφιβαλίαν oraculorum gentilium noverat, aut ignorabat. Si ignorabat, vah, hebetem oculorum aciem ! Si noverat, vah, indecoram agendi hominis rationem, qui simulatione ita evidenti non modò Pascalem , sed omnes christianos doctores, Apostolos, Evangelium ipsum, in quo duplex hic sensus Fœderis antiqui statuitur doceturque, audet coarguere!

Sed ad ultimam libertini nostri argumenti partem revertamur. « Quod magis notatu est « dignum, inquit ille, hoc est, Ecclesiam Scri« pturæ qui sibi magis arriserit, sensum sub« jicere. » Si hoc Ecclesia faceret, esset mehercules facinus indignum. Qui tamen ille id probat? Hoc modo : « Davides dixit : *Dominus re« gnavit, decorem indutus est.* » Ita. Et : « Ecclesia « ait, Davidem dixisse nationibus : *Dominus « regnavit à ligno.* Quod falsum est. » Ast ego repono, esse falsissimum, Ecclesiam, aut quemvis alium dixisse unquàm, in psalmo, ubi dicitur : *Dominus regnavit, decorem indutus est*, prænuntiâsse nationibus Davidem : *Dominus regnavit à ligno.* Accipe, inquit libertinus, Ecclesiæ verba :

Impleta sunt quæ concinit
David fideli carmine
Dicens : In nationibus
Regnavit à ligno Deus.

« Nunquàm, pergit, Davides hæc dixit, quâcum« que versione uti mavis. » Possumusne inducere animum, ut credamus, eruditum hunc hominem , qui vero vultu censoriam hanc sententiam pronuntiat , legisse et perlegisse in aliquâ versione Psalmos? Tamen certo certius id est, hanc versionem, in quâ leguntur allata verba Hymni (qui quidem neque canon Ecclesiæ est, aut decretum, quod statuat ita legendum eum psalmi locum esse), hanc versionem, inquam, reperiri, estque illa nimirùm, quæ *Itala antiqua* dicitur, quâ à primis usque temporibus occidentalis Ecclesia utebatur. Hâc eâdem versione Tertullianus, S. Augustinus, S. Leo Magnus, Vigilius Tapsensis aliique Patres usi sunt, qui omnes non in psalmo *Dominus regnavit, decorem indutus est* (qui est 92 à libertino prolatus), sed in 95 ita versiculum legunt : *Dicite in gentibus, quia Dominus regnavit à ligno;* ita etiam legitur in Psalterio Romano, Corbiacensi, Carnotensi et aliis, et hoc secutus hymnum hunc Venantius Fortunatus composuit. Hæc versio Psalmorum Itala antiqua edita in lucem fuit à P. Sabatiero (Biblior. Sacror. Latinæ version. Antiquæ, seu vetus Italica, t. 2, part. 1), qui eam desumpsit à codice quo S. Germanus Parisiensis episcopus utebatur.

Liceat etiam addere, codicem alium scriptum ante seculum 6, in Bibliothecâ Ecclesiæ Veronensis servari, qui editus Romæ fuit ab eruditissimo P. Blanchino (Vindiciæ canonicarum Scripturarum), in quo duabus in columnis scriptum est Psalterium ; in primâ est textus græcus characteribus latinis expressus, in secundâ versio Itala antiqua modò memorata; in illo legitur in nostro versiculo ἀπὸ ξύλου , et in hâc è regione *à ligno.* Putat clariss. auctor, legi hic puram putamque Versionem LXX, ac proinde hos verba hæc ἀπὸ ξύλου *à ligno* deduxisse ab Hebræo fonte, à quo postea (quod iis Pater quidam exprobravit) ea ipsi Hebræi de-

leverint. Controversiam hanc missam facio, neque hanc lectionem, strenuè cæteroquin à doctissimo P. Blanchino propugnatam in notis ad hunc locum, defendere est mihi in animo: plus satis habeo, si ostendo, mentiri impudenter libertinum, qui elatâ tumidâque voce affirmat, nullam usquàm versionem esse, quæ vocem illam habeat, et si simul evinco homines hos cùm rectè ratiocinari, tùm multigenâ eruditione præstare.

Sectioni huic sat longæ finem imponet aliud argumentum, quod et impius hactenùs refutatus, et libertini vulgò sæpiùs in aciem producunt. Petitur à tenebris cæcisque latibulis, ut illi aiunt, quibus prophetica vaticinia involvuntur et delitescunt. « Si Deus (unus ex iis « inquit, Exam. de la Relig. chap. 7, 9.) afflâs- « set prophetias, eam præ se ferrent claritatem, « quâ ab iis vaticinandi ambagibus, quibus « utuntur homines, internoscerentur. » Et ibid. 2: « Si prophetiæ fuissent claræ, Hebræi ea- « rum custodes, ubi illas completas vidissent, « procul dubio resipuissent. » Quem lapidem non movent increduli, ut veritati se opponant! Porphyrius, ut scribit D. Hieronymus, Danielis librum propheticum esse negabat, quia nimis erat apertus: nostrorum temporum libertini eum cæterasque prophetias omnes, quòd nimis sint obscuræ rejiciunt. *Quo teneam vultus mutantes Protheos nodo?* Eia, doceant ipsi, quomodò prophetæ, ut iis arriderent, ut possent iis persuadere, loqui debuissent? Prophetiarum obscuritas est cujusmodi scilicet decebat oracula divina ad peculiarem providentiam relata, quæ mirè pedetentim emergens inter eas tenebras volebat elucescere, postremòque cùm tempus, quo essent complenda, adventaret, evidentissimè illa patefieri. Ab ipso mundi exordio promissus Messias fuit, et oraculo generali his tantùm verbis, *mulieris* semen serpentis caput esse contriturum. Multis seculis post Deus mortalibus prænuntiat, ex omnibus hominibus Abrahamum esse selectum, è cujus progenie oriturus erat Σωτήρ ille, in quo *erant gentes omnes benedicendæ.* Eadem promissio fit Isaaco; quia verò ille duos habebat filios, ei Spiritus sanctus significat, non à posteritate Esaü, sed Jacobi eum profecturum; Jacobo autem duodecim liberorum parenti dicitur, Judæ genus futurum illud, è quo erat egressurus. In Judæ benedictione hujus promissi oraculum clariùs effertur, additurque signum illius complementi; signum autem hoc erat *defectio sceptri in Judæ posteritate;* et nota præcipua Messiæ innuitur hæc, eum futurum *gentium expectationem.* Post diuturnam seculorum eventorumque seriem à tribu Juda eligitur pastor evehiturque ad regnum; illique (fuit autem Davides) affirmatur, ex ejus posteris edendum esse in lucem Messiam; ejusque regnum nullum habiturum finem. Vaticinium est in ejus regis Psalmis et in libris subsequentium prophetarum ita circumstantiæ omnes prædicuntur, ut hujus Salvatoris non solùm genus tribus, familia, sed etiam matris insignia, nativitatis locus, tempus huic evento præfinitum, ministerium, potestas, dignitas, mortis genus præcipuèque fœderis immutatio, totiusque orbis conversio ad ejus nominis verique Dei cultum indicentur. Oraculum ergo nostræ Religionis præcipuum tantùm abest ut sit tenebris cæcàque nocte involutum, ut potiùs dicendum sit soli simile esse, qui eò clarius nitet, quò ad meridiem propiùs accedit. Et sanè, ut jam ostendimus, Christi ætate, hujus facti fama ita percrebuerat, ut Palæstinæ terminis non contenta, in omnes orientales plagas pertinuerit. Quid ita? Videlicet quia prophetarum oracula toties fuerant repetita, ita erant clara, ut sese invicem illustrarent, darentque reciperentque mutuò lucem tantam, ut nullus ambigendi locus superesset. Quid plura? Prophetiæ ad vices vel populi Hebræi, vel finitimorum populorum spectantes permixtæ simul cum vaticinio ad Christum, et Ecclesiam pertinente prophetica oracula obscuriora nobis reddunt; nobis, inquam, qui maximè ab iis moribus, ab iis populis, ab illâ ætate dissiti sumus; at eædem hæ prophetiæ peculiares, tùm cùm adimplebantur, Hebræis argumento erant clarissimo, certissimæque spei, etiam prophetias Messiam respicientes citò fore adimplendas. Hæc ergo obscuritas ex propheticis volatibus transitibusque ab hoc ad alium virum, ab unâ ad aliam rem non modò libertinis ansam præbent hæc vaticinia irridendi, sed etiam aliam sub oculis notam objiciunt, quæ à Deo esse illa prolata, demonstrat. « Prophetæ, inquit egregiè Pa- « scalis, *Pensées,* 15, prophetias peculiares, Mes- « siæque simul permiscent, ut prophetiæ Messiæ « probarentur, peculiaresque ne frugis essent « expertes. » Denique prophetiæ à nobis allatæ superiùs præ manibus singulæ sumantur; et licet inficiari nolimus, quasdam quoad circumstantias, vel ex linguæ indole, vel ex ratione chronologicâ non esse omninò claras, tamen vaticinii summa, cum aliis colligari, omnium complexus collatis cum aliis eventis

claritate tantâ fulgere videbitur, ut ab eâ parvæ quædam peculiarium dubiorum umbræ, ceu tenuis à meridianâ luce caligo, solvantur dissipenturque. Nemo omnium sanæ mentis esse potest, qui non fateatur, Spiritum sanctum oracula illa di tâsse, (quæ libertini audacia una cum *divinandi modis ambiguis, quibus utuntur homines,* conferre potest) et Religionem christianam admirandâ prophetiarum *typorumque* serie per quadraginta seculorum decursum ab eodem Spiritu sancto adumbratam fuisse et prædictam. Atqui, si ita res se haberet, inquit adversarius, *si prophetiæ fuissent, Hebræi earum custodes, ubi eas completas vidissent, resipuissent.* Acutum mehercule telum! At contra respondeat ille, qui licet revelationis hostis, jactat se nihilominùs religionem naturalem profiteri, ac proinde Dei unitatem providentiamque agnoscere; si quis refelleret argumenta quibus hæ veritates probantur, dicens, si demonstrationes evidentes essent, nunquàm futuros fuisse aut atheos, aut Manichæos, aut Epicureos, quid reponeret? Num concederet, obstinationem, aut delirium horum capitulorum stolidorum, horumque improborum cordium nostrarum rationum lumen quidquam imminuere? Quem latet, quàm hominum cogitationes inanes sint et portentosæ? Quàm adolescentiæ præjudicia, affectuumque impetus vim in animum exerant, ut hallucinetur? Hebræi carnei, et qui intimum sensum promissorum Abrahamo factorum, oraculorum et Prophetarum non intelligebant, Salvatorem terrenum præstolabantur; alia non habebant in animo bona præter pingue solum lucrosaque commercia; nullum alium pavebant hostem nisi servitutem gladiumque: ideò nulla alia indicia futura in Messiâ censebant nisi majestatis, divitiarum, fortitudinis, triumphorum. Quare quid miremur, si hoc intuitu prophetias legentes, eas in Christo non viderent, qui pauper natus est, abjectus vixit, crucique affixus expiravit? Quanquàm hæc ipsa Hebræorum pervicacia, hæc ipsa mentis debilitas, ut prophetias ad Messiam attinentes non intelligerent, nedùm quidquam roboris detrahat (ut libertini postulant) ab iisdem, invicto potiùs argumento sunt, quod earum nobis divinitatem persuadet. Illa ipsa cordis durities, illa ipsa stupiditas à prophetis et ab Isaiâ (1) præcipuè claris gravibusque verbis nobis prædicitur, quo modo etiam illius impiæ gentis contra Salvatorem suum malefacta prænuntiantur, et proinde tantæ impietatis pœna, quæ fuit reprobatio, cædes, dispersio illius populi per universi orbis nationes. In his sine regno, sine sacerdotio vivens abhinc decem et octo seculis, veritatem eorum vaticiniorum, quibus et illius magnitudo criminis, et ejus acerbitas supplicii prædicitur, satis apertè nobis testatur.

SECTIO VIII. — *Evangelica demonstratio.*

Sed tandem aliquando hactenùs probatæ demonstrationis consecutio est deducenda, nimirùm in christianâ Religione divinam revelationem existere. Propositionem ergo, quam capite hujus libri septimo tanquàm fundamentum sermonis nostri jecimus, revocet in memoriam lector (1). Eò loci in hâc propositione fundamentum cujusque moralis evidentiæ, quam de factis habemus, qualia sunt, exempli causâ, existentia Cæsaris, Romæ conditio, inesse ostendimus, probavimusque etiam, principium hoc esse adeò certum, ut ad simplices primasque veritates reducatur, neque in dubium possit illud revocari. Tum principium hoc quomodò in hanc rem nostram congrueret exposuimus, diximusque Religionem christianam iis notis ita et tam arctè cum revelatione divinâ conjunctis convestitam esse, ut, hâc semel admissâ, causam adæquatam, quæ illas omnes explicat, rationemque simplicissimam, quæ illas producit, in illâ unâ comperiamus; hâc sublatâ, nec indicari, nec esse hujusmodi complexus, aut ratio, aut causa possit; sed, ut dicam, in suspenso sint, quin ullum sit fundamentum quo fulciantur, aut ratio quâ explicentur. Harum notarum præcipuæ ad examen revocatæ à nobis sunt, explicatæque, videmurque, nisi suscepti operis nos fallit amor, cuilibet honesto. et à præjudiciis libero homini probâsse, esse singulas ejusmodi, ut nonnisi Deum auctorem possint habere.

(1) Cap. 6 : *Et dixit* (Dominus) : *Vade, et dices populo huic : Audite audientes, et nolite intelligere, et videte visionem, et nolite cognoscere. Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava, et oculos ejus claude, ne fortè videat oculis suis et auribus suis audiat, et corde suo intelligat, et convertatur, et sanem eum. Et dixi : Usquequò, Domine? Et dixit : Donec desolentur civitates absque habitatore, et domus sine homine, et terra relinquetur deserta.*

(1) Porrò sic se habet eò loci memorata clarissimi auctoris propositio : *Complexus circumstantiarum aut signorum, aut, ut quidam dicunt, phænomenorum ita cum principio conjunctorum, ut illud solum possit eorum esse adæquata causa, quo sublato, nulla ratio sit quâ explicentur, causa nulla quæ illa generet; complexus, inquam, hic, hujusmodi existentiam confirmat.*

Doctrinam christianam in libris duorum Fœderum tam veram in suis theoriis, quam in disciplinâ morali integram vidimus, ut recta ratio eam, quippe quæ cum suis luminibus convenit, ex unâ parte approbet, simulque ut tanquàm superantem quidquid acutiùs philosophi Romani Græcique excogitàrunt, et quidquid quâvis ætate, quâvis in regione jusserunt, qui habentur sapientissimi legumlatores, suspiciat. Quantùm doctrina christiana potuerit, collegimus ex eo quòd non solùm corruptos homines ad sanam frugem revocàrit, quod ne minimâ quidem ex parte celeberrimi totius retroactorum temporum philosophi eloquentissimis orationibus suis sunt consecuti, sed etiam ex eo quòd cultores suos ad eum sanctitatis integritatisque gradum evexit, ut suos infensissimos hostes in admirationem et stuporem pertraxerit. Hujus doctrinæ etiam citissimam, et quoquoversùm latissimè pertinentem propagationem vidimus ostendimusque, humanis viribus cunctis pensitatis, id fieri minime potuisse, sive ipsius doctrinæ sectis quæ tum dominabantur, infensæ, sive humani cordis corruptorum affectuum, sive illius seculi supra quam credibile est vitiis addicti, sive horribilium, quæ ex ejus cultu derivabantur, consecutionum, sive modorum qui ad hoc opus adhibiti sunt, inertiæ ratio habeatur. Ad trutinam martyrum christianorum fortitudinem revocavimus, et luce meridianâ clariùs ostendimus hujus eventi, omnibus circumstantiis perpensis, nullam vim creatam finitamque causam esse potuisse. Ad miracula pro christianâ fide patrata oculos convertimus, et cùm eorum veritatem, præsertim resurrectionis Christi testimoniis confirmatæ ita, ut certiora historiarum facta evidentiùs confirmari non possint, patefecimus, tum eum fontem, unde ea prodigia dimanarunt, quæ nullus malus spiritus edere potest, sed solus Deus, deteximus. Illa tandem oracula, quæ per quadraginta secula de divino Salvatore, de ejus ministerio, gestis, prodigiis, potissimùmque de fœderum mutatione, de Hebræorum reprobatione, de eversione nunquàm aliàs reparandâ Jerosolymarum templique, de orbis ab idololatriâ ad veri Numinis cultum conversione, mortalibus fuerunt prænuntiata, in medium produximus. Hæc autem oracula iis contenta libris, quos acerrimi hostes ipsi nostri custodierunt sedulò, evidenter et omninò in Christo suâque Ecclesiâ fuisse adimpleta, planissimum fecimus; atque hinc, eum esse Messiam, hanc esse Religionem seculis tot ante prædictam, rectè collegimus.

Hæ sunt notæ illæ præcipuè, quas diximus probavimusque in christianam Religionem congruere, atque ita congruere, ut nulla alia Religio earum aliquam ostentare possit, nedùm verò omnes simul.

Unaquæque igitur harum notarum etiam per se sola sumpta tam aptè cum Deo, tanquàm cum causâ suâ naturali verâque conjuncta est, ut eo tantùm hujus Religionis auctore posito, nota hæc intelligi possit explicarique; eoque sublato, causa nulla sit, quæ hanc notam explicet, illiusque rationem reddat.

Unaquæque ergo harum notarum, quibus christiana Religio insignitur, ad eam divinam demonstrandam sufficit. Quòd si unaquæque vim hujusmodi habet, tot unitæ simul, omnesque copulatæ evidentissimam invictamque demonstrationem efficiunt; idque duas ob rationes, quas è vestigio subdimus.

Ac primùm quidem ex eâ communi ratione, evidentiam de existentiâ alicujus occultæ causæ eò magis augeri, quò magis augentur phænomena, seu effectus, quæ variè, sed necessariò cum illâ conjuncta, eam nobis indicant indigitantque, et variè et simul velut unam radicem suam, quâlibet aliâ magis magisque clarè exclusâ. Veritas, integritas christianæ doctrinæ causam sapientiâ et sanctitate infinitâ præditam mihi prodit; ejus autem vis in convertendis sanctificandisque gentibus causam mihi aperit irrepentem gratiâ suâ in intima cordis, voluntatesque rebelles efficaciter subjugantem. Jam causa hæc tantoperè sapiens, adeò sancta, ita potens nonnisi Deus esse potest. At eum scilicet novo evidentiæ genere hujus doctrinæ auctorem, miracula quibus illa confirmatur, mihi ostendunt. Requirunt enim hæc supremi naturæ Domini brachium. Præterea prophetiæ quæ passim in veteri Fœdere reperiuntur, in novo adimpletæ in eo, qui illas afflavit, *præscientiam* falli et fallere nesciam omnium eventuum liberorum et contingentium nobis significant, quod solius Dei decus est. Martyrum christianorum eventum, qui sanguine suo doctrinam hanc testati sunt, vim quâvis humanâ infirmitate majorem requirit, quæ quidem nonnisi à Deo proficisci potest. Conversio demum orbis modis ineptissimis, contra plurima et validissima obstacula facta, ostendit eum qui illam obtinuit, non indigere modorum robore, ut sua exequatur consilia,

sed humanam potentiam eum evertere, nihilo vim dare, hominum mentes movere, et quò ei libet flectere; jam hæ notæ singulæ et omnes procul dubio sunt unius Dei. Quælibet igitur harum circumstantiarum, quibus christiana Religio ornatur, peculiari diversâque viâ nos ad Deum auctorem cognoscendum manuducit; cùm harum circumstantiarum quælibet singularem relationem cum illo tanquàm cum eo principio habeat, quod unum propter infinita attributa sua, potest esse causa sola quæ omnes eas producit, causaque adæquata, quæ omnes explicet.

Ex hoc tamen relationum et hinc peculiarium evidentiæ graduum augmento non totum illud emolumentum habetur, quod ex consideratione earum notarum, aut circumstantiarum, quibus sepitur christiana Religio, colligitur. In hujusmodi complexu relationem aliam, eamque necessariam perspicio, quam relationem unitatis cum Deo veluti cum principio simplici, unoque totius hujus systematis appello; quæ quidem relatio, ut mea fert opinio, hùc usque allatam demonstrationem ita facit perspicuam, ut nihil supra. Animadverto igitur, notas superiùs explicatas omnes secum invicem ita connexas conjunctasque esse, ut systema mirâ partium relatione mutuâ efformatum dispositumque componant. Doctrinæ sanctitas simul cum miraculis conjurat, quæ illam confirmârunt; citissima Evangelii propagatio respondet prophetarum oraculis quæ illam præsagierunt; martyrum fortitudo unita est cum resurrectione Christi, quam testati sunt. Non solùm perfectissimus concentus in Scripturarum omnium corpore, et in omnibus prophetarum vaticiniis à mundi primordio usque ad Messiæ nativitatem cernitur; sed Judæorum verbi causâ dispersio cum vaticinio Jacobi colligata est, et templi excidium copulatur cum sacrificio *mundæ oblationis à solis ortu usque ad occasum magni Dei nomini factæ*. Morum sanctitas mysteriorum altitudini respondet; hæc insigniunt miracula; miracula animos addunt martyribus, martyres sanguine suo doctrinam confirmant. Uno verbo, omnia hæc phænomena, aut signa simul cohærent, mutuò se defendunt, se invicem illustrant, et omnia concordia ceu ad centrum totius molis commune, qui est Christus, tendunt, ut omnia, et singula divinitatem testentur veramque Religionem demonstrent. Complexus ergo hic habere nequit nisi principium *simplex unumque*, quod tamen omnia complectatur tempora, regat vices omnes, voluntates omnes introspiciat flectatque. Singulares enim quædam causæ separatæ, etiamsi possent nonnulla ex his phænomenis parere (quod fieri non potest), omnium tamen complexum oculis subjicere nequirent multòque verò minùs integrum systema componere, quod in tot seculorum serie, in tantâ regionum amplitudine, in tantâ hominum rerumque varietate tantoperè æquâ, hujusmodi multiplici unitate videmus. Hoc ergo simplex principium, unumque, quod prophetarum mentes illustravit, tot seculis post gentes ad agnitionem Dei vocavit; idem principium, quod Scripturas inspiravit, martyres erexit; illud idem, quod excitavit è morte Christum, operatum est per Apostolos miracula; illud quod exitium Jerusalem prædixit, Titum impulit ad eam urbem evertendam, ejaculatumque est è fundamentis flammas, ut ab illâ reædificandâ Julianum deterreret; jam principium hoc simplex, et unum, continensque rationem adæquatam omnium horum phænomenorum, illaque omnia intuitu prospiciens uno, opportunè aptèque quamlibet partem movens nisi Deus esse non potest : Deus ergo horum phænomenorum, seu notarum causa una est, et proinde christianæ Religionis iis ornatæ signis ille unus est auctor. Ut huic argumento ab impiis satisfiat, eorum est aut probare, in Deo non esse hujus complexûs rationem adæquatam ; sed ut hoc dicatur, et præscientia, et sanctitas, et omnipotentia, et summum imperium, et providentia neganda est, hoc est, Deus ipse negandus aut extra illum alia simplex causa, et una, quæ hunc complexum contineat, est invenienda. Atque hìc sanctè castèque affirmo lectoribus, in omnibus horum philosophorum libris, utut legantur perleganturque, nihil reperiri aliud, nisi fanatismum, et subdola verba, et sophismata. At ex iis, quæ usque adhuc probavimus, nihil videor jure ac meritò respondere posse, ita ratiocinantem esse omninò despiciendum.

Huic ergo de divinâ revelatione tractatui finem imponamus, argumentum totum ad scholasticam formam redigentes.

Notarum, aut phænomenorum complexus ita cum principio conjunctus, ut unus possit omnium rationem reddere, quo sublato, nulla ratio est, quæ illas explicet, aut causa, quæ illas pariat, hujus existentiæ principium probat; atqui christiana Religio hujusmodi notarum ita cum divinâ revelatione, sive Deo ejus auctore conjunctarum complexu convestitur

ut ille unus et singularum hujusmodi notarum, et omnium complexus rationem adæquatam reddere possit; et si Deum earum auctorem non esse fingamus, nulla est ratio, quæ singulas has notas pariat, multòque minùs complexum totum explicet; ergo Deus Religionis christianæ est auctor; ergo divina Revelatio in ipsâ est. Quod erat à nobis demonstrandum. (Valsecchi, de Fundamentis Religionis, lib. 2, cap. 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17.

LESSII VITA.

Lessius (Leonardus), natione Belga, patriâ Brechtanus in Brabantiâ, tenui loco natus, mense octobre anni 1554. Ubi primùm adolevit, à mercaturæ studio, cui destinabatur à parentibus, abstractus, Jesuitarum societatem ingressus est anno 1572, et ab ipso statim tyrocinio, magnæ illius virtutis quæ postea adeò inclaruit rudimenta posuit haud mediocria. Post vota nuncupata, jussus Duaci philosophiam publicè discipulis explicare, toto id septennio magnâ cum approbatione præstitit. Romam deinde accitus est, ubi Francisco Suaresio in theologicis doctore biennio est usus, et jam theologiæ aliis tradendæ idoneus, atque haud multò post Lovanii exorsus, totos quindecim annos summâ nominis claritudine docuit, annisque 17 sequentibus studiis domûs dirigendis præfuit.

Miraculo proximum est tam multa tamque egregia illum potuisse scribere, qui sævis fractus corporis doloribus, viribus propemodùm diuturno labore exhaustis, in carne videbatur sine carne ægram animam trahere. Adeò parcissimus erat temporis et laboris pertinax, ut inde potuerit per jus utrumque, per medicas artes, per mathematicas, per historicas et scientiarum alias excurrendo, encyclopediam veram conficere. Erat illi par ingenium, fœcundum pectus, memoria ad admirationem prompta, ut de quâvis propositâ materiâ ex tempore dissereret aptissimè. Fuit ei cum Suaresio, Vasquesio, Molinâ aliisque hujus notæ viris communicatio litterarum, qui in gravissimis scientiarum negotiis judicium ejus exquirebant.

Undique repetebantur ab eo tanquàm ab oraculo responsa; ipse verò dubiis in rebus et majoris momenti negotiis brevem sibi dari moram postulabat, ut illa, teste Deo, suâque conscientiâ discuteret et præviâ oratione expediret.

Erat summæ morum simplicitatis, aut meliùs severitatis. Paupertatem raro semper in pretio habuit. Nihil penès se patiebatur esse superflui, nihil in cubiculo picturâ aliâve arte splendidum. Dolores corporis atque animi æquè ferebat. Mira illi fortitudo fuit ac modestia in existimationis suæ dispendio faciendo. Doctrinam ipsius de *auxiliis divinæ gratiæ* notârant academiæ Lovaniensis et Duacena, passimque toto Belgio proscribebatur; ipse tamen nihil commoveri est visus. Eâdem paulò post à Sixto V, pontifice maximo, 1588, per nuntium apostolicum censurâ infirmatâ, adeò non est factus insolentior, ut adversarios etiam modestè excusaret.

Diutinis doloribus tandem victus, piissimè expiravit Lovanii, vigesimâ quintâ januarii die, anno Domini 1623, ætatis 69, religionis 51. Statim in capillos atque in omnia quæ usu tenuerat certatim à sodalibus aliisque invasum est, opinione sanctitatis. Funus perhonorificè celebratum est; illustrissimique hujus ætatis scriptores laudes ei persolverunt. « Ejus mititas, inquit Steph. Emonerius, et suavitas « morum singularis. Summa quæ in eo se « ubique prodit scriptionis nitela, et in difficultatibus quantùmcumque implexis ac, sive « rerum obscuritate, sive doctorum, ut fit, « obscuratione tenebricosis, limpiditas et pelluciditas singularis; diffusa rebus et succi « plenissima tractandi ratio; delectus sententiarum solidæque ubique doctrinæ cura insignis; in penetrando ac perspiciendo difficultatis nodo acumen et in dissolvendo « dexteritas; perpetua et nunquàm desiderata « ejus fides in referendis adversariorum sententiis, modestiaque tanto viro digna in illis « refellendis... Et verò vix intra paucos annos « prælum frequenti alterius ullius operis editione toties caluit, non exiguo argumento « adamatæ à doctis Lessii doctrinæ, eo ingenio, perspicuitate ac modestiâ traditæ. »

Verùm nullius adeò auctori nostro honorificum quàm Francisci de Salles testimonium, quod in limine tractatûs Lessii de Justitiâ legere est.

E calamo Lessii multa prodierunt quæ tomis duobus in-f° complexus est Antverpiæ typis Plantinianis Moretus, 1626-1630. Continentur autem tomo primo : 1° *De justitiâ et jure, cæterisque virtutibus cardinalibus* libri 4. Quod opus numeris omnibus absolutum implevit orbem terrarum famâ et fructu. 2° *Dissertatio de Montibus pietatis.* 3° *De licito usu æquivocationum et mentalium restrictionum.* Tomus 2 comprehendit *opuscula* inter quæ notanda sunt: *De perfectionibus moribusque divinis* libr. 14, *De summo bono et æternâ beatitudine hominis,* libr. 4; *De providentiâ Numinis et animi immortalitate,* libr. 2 ; varia *de gratiâ* et *de prædestinatione; quæ religio et fides sit capessenda,* etc., etc. Postrema hæc consultatio adeò in æstimationem omnium venit, ut è latinâ linguâ in omnes ferè alias migraverit.

Asservantur in bibliothecâ episcopatûs Mechliniensis manuscriptæ de Lessii vitâ et virtutibus *informationes*, quæ post ipsius obitum prolatæ fuerant spe adstruendæ mox *beatificationis.*

QUÆ FIDES ET RELIGIO SIT CAPESSENDA,

Consultatio.

Magna est hoc nostro ævo Religionum varietas, magna de verâ Religione disceptatio. Multi in hâc re perpetuò fluctuant, nec quidquam certi statuere possunt, ex unâ in aliam Religionem, veluti domum, experiendi causâ transmigrantes, ut mentis tranquillitatem assequantur. Alii inconsulto ausu amplectuntur aliquam, quam fors obtulerit, sine examine, sine luce; qui dùm rogantur cur istam cæteris præferant, nihil aliud respondere possunt, nisi quòd ipsis videatur melior; vel (quod singuli de suâ jactant) quia sequitur purum verbum Dei.

Negotium tamen istud dignissimum est summâ deliberatione et discussione, utpote in quo totius salutis nostræ cardo versetur. Non parva res est æterna salus, et æterna damnatio; sed tanta, ut cætera omnia sive bona, sive mala, ad hæc sint instar nihili. Hæc autem pendent ex bonâ, vel malâ Religione. Si bonam Religionem habueris, facile tibi erit salutem consequi : si malam, impossibile est te salvari (Ad Hebr 11). Per malam enim seu falsam Religionem Deo placere non potes; ac proinde neque veniam peccatorum, neque veram justitiam adipisci, neque ullo modo redemptionis Christi particeps effici. Itaque manes in morte, et ira Dei super te manet (Ad Rom. 3 et 4, etc.). Omnes enim sine Christi redemptione et vivificatione manent in morte peccati, et filii iræ; quicumque autem non habet veram Religionem, est expers redemptionis et vivificationis Christi : quare necesse est illum manere in morte, esseque filium iræ et pabulum ignis æterni.

Porrò vera Religio est unica, non multiplex, una enim tantùm est veritas (Ad Ephes. 4) : una fides, unum Baptisma, unus Deus et Dominus omnium. Unde consequens est, primò, omnes Religiones, omnes fides et fidei confessiones, præter unam, esse falsas, noxias, pestiferas, et auctore diabolo, qui est pater mendacii, introductas. Secundò, neminem, qui hanc unicam non habuerit, salutem æternam consequi posse, et omnes qui hujus expertes fuerint, quantumvis alioquin laudabiliter vixerint, in æternum perituros. Quod enim Apostolus ait de charitate : « Si linguis hominum loquar et angelorum, si noverim mysteria omnia, si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest » (1 Cor. 13), potiori ratione dicendum est de verâ fide, seu Religione, quæ charitatis et reliquarum virtutum christianarum est fundamentum. Tertiò, stupidum esse errorem quorumdam plebeiorum existimantium satis esse ad salutem si credas in Christum, et ipsum mortuum esse pro peccatis nostris, quamvis multa alia, v. g., quæ ad sacramenta, ad sacrificium Ecclesiæ, et similia fidei capita pertinent, non credas. Sic enim omnes penè sectæ hæreticorum salvarentur. Omnes enim retinent Christum (alioquin non essent hære-

tici, sed apostatæ) et credunt, paucis exceptis, illum esse mortuum pro peccatis nostris. Salvi itaque erunt Montanistæ et Novatiani, Donatistæ et Sabelliani, Ariani, Macedoniani, Aeriani, Eutychiani, Monothelitæ et similes Ecclesiæ pestes. Cur ergo Ecclesia omnibus seculis se tam acriter hæresibus opposuit? Cur Apostolus (Ad Titum 3), *hæreticum hominem post unam vel alteram correptionem vitari* jubet? Cur sermonem eorum cavendum ut carcinoma quoddam? (2 ad Timoth. 2) Frustra hæc omnia dicuntur et fiunt, si cum hæresi salus obtineri potest. Sanè contra omnium seculorum consensum est illud figmentum. « Constituamus « aliquem, inquit D. Augustinus, castum, con« tinentem, non avarum, non idolis servien« tem, hospitalitatem indigentibus ministran« tem, non cujusquam inimicum, non con« tentiosum, patientem, quietum, nullum « æmulantem, nulli invidentem, sobrium, « frugalem, sed hæreticum, nulli utique du« bium est, propter hoc solum quòd hæreticus « est, regnum Dei non possessurum. » (L. 4 contra Donat. c. 8.)

Sicut enim, teste D. Jacobo, qui in uno mandato delinquit, factus est omnium reus, et totam justitiam amittit, etiamsi reliqua servet, quia legislatorem ipsum, qui totam legem tulit, contemnit: ita qui unum fidei caput pertinaciter negat, etiamsi reliqua retineat, factus est reus totius Religionis, et totam fidem ac Religionem perdit, quia ejus auctorem contemnit. Eadem enim est prima supremaque veritas, quæ omnia fidei capita revelavit, et nobis per Ecclesiam sponsam suam (quæ est columna et firmamentum veritatis, 1 ad Timoth. 3), credenda proposuit. Qui ergo vel unum articulum obstinatè rejecerit, nolens acquiescere Ecclesiæ testimonio, eo ipso primæ veritatis, cujus Ecclesia est præco, interpres et organum, auctoritatem floccipendere censetur; ac proinde totam fidem divinam, quæ ad salutem est necessaria, amittit.

Nec refert, quòd adhuc aliqua, nimirùm primaria fidei capita, se credere putet: quia non credit fide divinâ, quæ soli auctoritati divinæ nobis infallibili modo propositæ innititur: alioquin cætera quoque eodem modo ipsi proposita crederet: sed credit illa fide quâdam humanâ, nimirùm, quia privato suo judicio ita judicat credendum, sumens sibi auctoritatem judicandi et discernendi quæ sint credenda, quæ rejicienda. Itaque ultima ratio credendi est judicium privatum, ac proinde tota illa fides est humana et inutilis. Certissimum itaque sit, sicut vera justitia se extendit ad omnia mandata; ita veram fidem, quæ ad salutem requiritur, se extendere ad omnia divinitùs revelata; ita ut illa omnia vel expressè credamus, vel parati simus credere, si nobis congruo modo fuerint proposita. Ex his perspicuum est, quantâ curâ enitendum sit, ut veram fidem et religionem assequamur, cùm hæc sit totius salutis fundamentum, et absque eâ nos certissima maneat damnatio. Unde statui aliquas vel considerationes vel rationes per se notas cuilibet ratione utenti proponere, ex quibus certa possit hâc in re institui deliberatio.

Prima consideratio, ex studio perfectionis ad quod Christi Religio inducit.

Ea religio præferenda quæ favet puritati et sanctitati vitæ, quæ ab effectu terrenorum mentes avocat, et ad cœlestium amorem traducit. Hic enim est potissimus finis Religionis, mentes hominum à rebus istis temporalibus ac infimis abducere, et ad cœlestia ac sempiterna cogitanda, amanda, persequenda elevare. At talis est sola Religio catholica. Hæc enim suadet abstinere à voluptatibus carnis et illecebris hujus vitæ; hæc docet divitias et honores contemnere, et iis, cùm possidentur, propter Christum renuntiare. Hæc suadet jejunia, cilicia, chameuniam et alias corporis afflictiones, quibus caro dometur et spiritui subjiciatur. Hinc innumeri sunt in Ecclesiâ catholicâ, qui contemptis divitiis, honoribus et voluptatibus, quibus vel fruebantur, vel frui poterant, seculo nuntium remisêre, carnem macerantes, et toti Deo rebusque cœlestibus intenti. Inter hos multi magnates, et magnatum filii ac filiæ, plurimi nobiles, plurimi qui in seculo fuerant opulentissimi, plurima nobilissima ingenia, plurimi eloquentiâ et omni litteraturâ celeberrimi. Clarissimum hoc est divini spiritûs, et veræ religionis τεκμήριον. Non enim potest illa religio non esse cœlestis, quæ naturam humanam infimis istis affixam avellit, et ad cœlestia erigit, quæ amorem temporalium expugnat, et æternorum dilectionem inserit; denique tam mirabiles in hominibus mutationes efficit. Ex fructibus suis arbor cognoscitur.

Cæteræ religiones, præsertim Lutherana, Calviniana, et Anabaptistica, de quibus hîc potissimùm agimus, et consultationem hanc instituimus, nihil tale præstant. Tantùm enim abest ut doceant carnem macerare, terrena

contemnere, voluptates carnis resecare, ut « jejunium vocent traditionem humanam, quâ « Deus frustra colatur; abstinentiam carnium, « superstitionem; vota monastica dicant esse « impia, irrita et omninò non servanda; ca- « stitatem impossibilem, omnibus esse uxores « ducendas et rei uxoriæ operam dandam : » quod Lutherus dicebat « esse tam necessarium, « quàm edere, bibere, dormire. » Ex quâ doctrinâ consecutum est, ut nemo eorum, qui aliquam ex istis novis religionibus sectantur, vel jejunio carnem maceret, vel continentiam servet, vel conjugio et voluptatibus venereis abstineat, vel suis facultatibus repudiatis, paupertatem pro Christi amore colat; sed omnes amplectuntur vitam commodam, vulgarem, secularibus rebus inhærentem, et carnis naturæque corruptæ inclinationi consentaneam. Nemo hic animum concipere potest ut angelicam vitam imitetur in terris, sicut multi sanctorum fecère, et multi adhuc in Ecclesiâ catholicâ faciunt : nemo ut curas et sollicitudines hujus vitæ excutiat, et seculi vincula abrumpat, ut liber et expeditus Christum Dominum sequatur ejusque vitam sanctissimam imitetur, et in carne suâ mortali exprimat. Nam quidquid est supra communem et popularem vivendi rationem, hæ religiones improbant. Quis ergo non videat nullam ex his esse Religionem Christi? Etsi enim Christus paupertatem, castitatem, vitam cœlibem, abnegationem suî et similia, hominum infirmitati consulens non imperet; suadet tamen, et magnis præmiis ad hæc invitat, et ad ea amplectenda in seipso nobis exempla præbuit. Hoc consilio et invitatu Christi permoti innumerabiles homines, ex omni ordine, ætate, sexu, natione, conditione, ad summam sanctitatem pervenêre, totique mundo eo nomine admirabiles fuère. At istæ religiones hoc perfectionis studium planè improbant, tanquàm vel impossibile, vel superstitiosum.

Neque solùm eximiam illam sanctitatem impediunt, sed etiam omne studium bonorum operum. Docent enim « hominem in omnibus « suis operibus peccare, quamvis hoc peccatum « credentibus non imputetur. » (Lutherus art. 31; et art. 36; et lib. de Libertate christianâ; Calvinus lib. 3 Instit. cap. 12, § 4; et c. 14, § 9.) Deinde « hominem per omnia sua bona « opera nihil apud Deum mereri, nihilò fieri « ipsi gratiorem, nihilò justiorem, nihil ampliùs « præmii habiturum, sive plurima, sive pauca, « sive nulla bona opera fecerit; (Lutherus et « Calvinus loco citato.) solam (Lutherus in « Assert. art. 1; Calvinus lib. 3 Instit. c. 11, « § 13 et 14, et cap. 19, § 2, 4 et 7) fidem « apud Deum æstimari et coronari. » Quis hâc doctrinâ positâ excitetur ad bona opera, ad orationem, ad eleemosynam, ad jejunium, ad proximorum subsidia? Si enim in his omnibus est labes peccati, et nihil meriti vel præmii, nihil utilitatis, quid me ad ista præstanda permoveat? Quis frustra, nulloque fructu laborem et opes suas impendere, et commoda sua deserere velit? Itaque hæ religiones omnia bona opera è medio tollunt; solamque fidem relinquunt hominibus, quam instar omnium esse statuunt. Non est credibile Dominum per tot labores et sudores, per tam multiplicem doctrinam, et tot cœlestia monita, per sanguinem, crucem et mortem suam, tam sterilis religionis nobis esse auctorem.

Neque dùm nostris operibus vim merendi vitam æternam tribuimus, obscuramus meritum Christi, ut ipsi objiciunt, sed illud illustramus et extollimus. Statuimus enim illud adeò esse efficax et universale, ut ipse non solùm vitam æternam nobis per illud meruerit, sed etiam vires et facultatem merendi contulerit. Sicut omnipotentiæ Dei injuriam non facit, sed eam extollit, qui dicit eam non solùm omnia operari et producere, sed etiam rebus creatis vim operandi et producendi similia contulisse. Nihil enim est quod magis declaret excellentiam et perfectionem causæ, quàm si non solùm ipsa possit operari, sed etiam aliis vires ad operandum tribuere. Itaque cùm dicimus Christum non solùm nobis meruisse vitam æternam, sed etiam vires merendi contulisse, longè magis extollimus vim meritorum ejus, quàm illi qui docent illum solum meruisse totum, et nobis nullas vires ad cooperandum meritis ipsius tribuisse. Imò hi magnam Christo injuriam faciunt, quia hanc vim et efficaciam ipsi detrahunt. Sicut quidam philosophi qui docuerunt res creatas non habere vim operandi sibi insitam, sed solam Dei potentiam increatam omnia facere, injuriam omnipotentiæ Dei irrogârunt; quasi ipsa non possit rebus creatis vim operandi, et cooperandi Deo, conferre. Injuriam autem Christo faceret, qui homini aliquam vim merendi ex Christi meritis non acceptam tribueret : sicut injuriam faceret Deo, qui in rebus creatis, aliquam vim operandi à Dei omnipotentiâ non derivatam statuere vellet. Porrò sicut operationes rerum creatarum referuntur in Deum

tanquàm auctorem omnium, quia ipse vires ad eas contulit, et simul cum rebus creatis ut causa universalis efficiens concurrit : ita omnia merita hominum justorum referuntur in Christum tanquàm auctorem omnium illorum : quia ipse vires ad illa contulit, et simul cum illis ut causa universalis meritoria concurrit. Omitto alia multa, quæ in hanc sententiam dici possent.

Secunda consideratio, ex eo quòd licentiam peccandi excludat.

Illa quoque religio est præferenda, ut Deo gratissima, quæ nullam tribuit licentiam peccandi, sed multis modis hanc excludit. Sicut enim religio, quæ ex Deo est, animos hominum ad studium bonorum operum, et vitæ christianæ perfectionem excitare et allicere debet : ita etiam deterrere à peccatis, incutere Dei timorem, et quantùm in ipsâ est peccata omnia impedire.

Talis planè est Religio catholica : hæc enim multis modis omnem peccandi licentiam removet. Primò, per sacramentum pœnitentiæ. Valdè enim deterrentur plerique à peccatis, quòd videant ea sigillatim in confessione aperienda, et pro illis pœnitentiam subeundam : et si quid sublatum sit, vel si quid damni irrogatum, id omninò compensandum. Deinde in illo sacramento requiritur dolor de peccatis, et propositum emendandæ vitæ : confertur etiam gratia et auxilium ad id præstandum. Denique dantur salutaria monita rectè vivendi. Unde hoc sacramentum mirè licentiam peccandi coercet.

Secundò, per doctrinam de satisfactione et purgatorio. Docet enim, remissâ culpâ et pœnâ æternâ, remanere plerùmque obligationem ingentis pœnæ temporalis; quam nisi in hâc vitâ per bona opera, nimirùm per orationem, eleemosynam, jejunium et similia, redemeris, luendam deferes post hanc vitam acerrimis tormentis purgatorii. Nullum malum apud Deum manere multum.

Tertiò, cùm docet ad æternam damnationem satis esse vel unum peccatum mortiferum, nisi pœnitentiâ in hâc vitâ deletum fuerit, nec quidquam fidem absque verà pœnitentiâ ad peccatorum remissionem prodesse.

Quartò, cùm multis modis incutit homini Dei timorem, variis ejus judiciis propositis : cùm nunquàm vult illum esse securum suæ salutis, sed semper vigilare, semper orare, semper esse sobrium, semper bonis operibus intentum, ne fortè aliquando vel tentationi succumbat, vel fraude diabolicâ supplantetur, vel per inconsiderantiam labatur, vel imparatus morte improvisâ opprimatur. Hinc in bonis catholicis, qui secundùm suam Religionem vivere student, videmus miram sollicitudinem ut peccata devitent; et si quæ per fragilitatem humanam commiserint, continuò ea expient et emendent.

Nihil horum præstant aliæ religiones, sed timorem divinum excutiunt, et magnam ad omnem peccandi licentiam portam aperiunt.

Primò, quia tollunt confessionis sacramentum, quo, uti diximus, homines mirè à peccatis avocantur. Nam dicunt esse inventum humanum, carnificinam conscientiarum et meram superstitionem. Mirum si aliqua superstitio et figmentum cordis humani possit habere vim tantam ad vitæ emendationem et conscientiæ tranquillitatem! Hanc vim etiam ipsi Lutherani aliquando testati sunt experientiâ docti. Nam, ut refert Sotus qui interfuit, cùm Cæsar esset in Germaniâ, missa est ab inclytâ civitate Norimberga legatio ad ipsum, per quam senatus petebat ut Cæsar imperatorio jure confessionem auricularem indiceret. Aiebant enim se usu et experientiâ comperisse, rempublicam suam post sublatam confessionem occultis criminibus contra justitiam aliasque virtutes scatere, quæ illis antea fuissent incognita. Risum tamen, ut inquit Sotus, ea legatio movit. Si enim jure divino ad occulta sua alicui pandenda homines non tenentur, nec sacerdos à peccatis absolvere potest, ut ipsi sentiebant, quomodò præcepto humano absque fructu remissionis ad id cogi poterunt?

Secundò, quia non solùm confessionem, sed etiam pœnitentiæ virtutem tollunt : quatenùs negant esse necessariam contritionem, seu dolorem de præteritis. Ut enim habet articulus Lutheri (Art. 6), « contritio facit magis peccatorem; » et (Lib. 4, cap. 19, § 27) Calvinus : « Quod, inquit, Hieronymus ait pœnitentiam esse secundam post naufragium tabulam, cùm planè impium sit, excusari non potest. »

Tertiò, quia (Calvinus lib. 3, c. 4, § 38; Lutherus in Assert. artic. 5 et 6) negant « satisfactionis necessitatem; et dicunt hanc redundare in injuriam satisfactionis Christi, » quasi si nostra aliquid valet, Christi non sit sufficiens.

Quartò, quia (Lutherus epist. ad Walden

ses de Euch. Calvinus lib. 3, c. 5, § 6) negant « purgatorium, et omnem castigatio« nem temporalem animarum, post hanc vi« tam. »

Quintò, quia (Lutherus supra, et in Assert. art. 5; Calvinus supra, et lib. 3 cap. 4, § 30) negant « remanere ullam obligationem pœnæ « temporalis remissâ culpâ. Semper enim cum « culpâ remittit totam pœnam. »

Sextò, quia (Lutherus in Assert. art. 1; Calvinus lib. 3, cap. 11, § 13 et 14, et cap. 19, § 2, 4, 7) docent « solam fidem sufficere ad « remissionem omnis culpæ et pœnæ; nec « aliud omninò requiri.)

Septimò, quia (Lutherus de Libertate christianâ; Calvinus lib. 3, cap. 4, § 28; et lib. 2, cap. 8, § 58) traduat « habenti fidem specia« lem nullum peccatum imputari. » Hàc ratione Lutherus dicebat Decalogum non magis ad nos pertinere, quàm cæremonias legis veteris, sed omnem ejus obligationem pariter esse sublatam per Christum; nimirùm quia non magis imputatur credentibus illius violatio, quàm violatio legis cæremonialis. Hæc omnia ab illis doceri patet ex locis supra de Luthero et Calvino citatis, et nôrunt omnes mediocriter in illis sectis versati.

His positis, clarissimum est tolli penitùs à cordibus hominum omnem Dei timorem, et laxari habenas ad omnia genera peccatorum : imò tantam dari licentiam per has religiones, quantam per atheismum, vel etiam majorem. Si enim habenti fidem illam specialem nullum peccatum imputatur ad culpam, vel ad pœnam, cur non ausit quantumvis gravia scelera? Quid enim timeat? An gehennam, vel purgatorios ignes? At fides facit, ut quantumvis in se peccatum sit grave et fœdum, tamen tali homini nullo modo imputetur. An iram divinam, et gratiæ divinæ substractionem? At Deus non imputat, et propter Christi satisfactionem, non potest illi irasci. An satisfactionem temporalem aut confessionem? At ista jam sunt sublata tanquàm superstitiosa. Quid ergo iste magis timeat, quàm quivis atheus? Aut quomodò non æquè laxam portam habeat ad omnia scelera omnesque impuritates? Quid atheismus efficiat, testatur Scriptura cùm ait : *Dixit insipiens in corde suo : Non est Deus; corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in studiis suis; non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Facit autem hoc atheismus, quatenùs aufert timorem divinæ castigationis, quo tanquàm freno mortales à peccatis coercentur. At istæ religiones non minùs tollunt timorem divinæ vindictæ et castigationis, dùm docent nullum peccatum credenti imputari ad culpam vel pœnam, nec unquàm pro eo fore puniendum.

Addo etiam, magis hunc salutarem timorem per istas religiones, quàm per atheismum tolli. Nam pauci athei certò statuunt non esse ullum numen; sed plerique dubitant, et reformidant oppositum. Itaque non sunt absque metu vindictæ, qui illos in multis compescat. At istæ religiones certò et indubitanter statuunt peccata credentibus non imputari, idque firmissimè credi jubent. Itaque nihil formidinis relinquunt, sed omnem penitùs metum et suspicionem vindictæ abstergunt : ac proinde longè magis habenas mentibus humanis ad omnia flagitia laxant quàm atheismus. Neque id uno tantùm modo faciunt, sed quadruplici.

Primò, dùm docent per fidem peccata non imputari, quantumvis ea sunt multa vel magna: de quo jam satis dictum est.

Secundò, cùm dicunt « omnes qui habent « veram fidem esse prædestinatos, et id fir« missimè debere credere. » (Calvinus lib. 3, cap. 2, § 6, 7, 11, 12, 15, 16 et 38.) Si enim omnes harum sectarum cultores sunt prædestinati, et id firmissimè credere tenentur, cur sint solliciti, ut vel benè agant, vel opera carnis, quæ Apostolus enumerat, devitent? Non enim possunt metuere ne salute excidant, et in gehennam deturbentur, quia prædestinatio Dei est efficax et immutabilis; et prædestinati nullo modo perire possunt. Neque purgatorii pœnas, quas credunt nullas esse, neque hujus vitæ flagella, cùm illis peccata à Deo non imputentur.

Tertiò, cùm « tollunt libertatem arbitrii, « et docent omnia inevitabili necessitate fieri; « hominemque non posse vias suas bonas fa« cere aut malas. » (Lutherus in Assert. art. 36; Calvinus lib. 1, c. 16, § 8.) Si enim nulla est libertas, nullum est propriè peccatum : sicut leo dùm hominem devorat, etsi malum inferat, non tamen peccat, quia id non liberè, sed impulsu naturæ facit, nec est in potestate ipsius hunc impulsum moderari. Nemo erit pœnâ dignus, quia quod necessitate agitur, pœnam non meretur : quare nec ullus erit infernus, nec vindicta post hanc vitam ulla. Magna enim et intolerabilis esset crudelitas homines æternis suppliciis afficere propter ea quæ ipsi nullo modo vitare poterant. Cur ergo

metuant sequi desideria cordis sui, et patrare quidquid animo libitum fuerit?

Quartò, cùm tradunt « omnia hominum « opera tam mala quàm bona ab æterno esse à « Deo prædefinita, et ut in tempore fiant, vo- « luntates hominum ad omnia illa à Deo incli- « nari, incitari, impelli, determinari. » (Lutherus supra; Calvinus lib. 1, cap. 17, § 5, etc. 18, § 1.) Si enim Deus æquè mala ac bona operatur in nobis, non est quòd conemur mala devitare, neque cur timeamus eorum ultionem. Deus enim non est ultor ejus, cujus est auctor; nec punire potest quod ipse à nobis fieri vult, et facit ut faciamus. Hæc enim esset plusquàm tyrannica immanitas, quam constat longè abesse a Deo.

Ex his luce meridianâ clarius est, religiones illas quatuor modis omnem divini numinis timorem ex animis hominum tollere, et tantam omnium scelerum tribuere licentiam, quantam ullus unquàm atheismus : idque eò perniciosiùs, quò non sub apertâ impietatis formâ, sed sub specie Religionis et honoris divini, nimirùm sub speciosis titulis fidei specialis, satisfactionis Christi, libertatis novi Testamenti, providentiæ prædestinationisque divinæ. Sub his tegitur et propinatur tantum venenum, quod mentes moresque hominum penitùs corrumpit. Quis ergo, cui vel scintilla sit recti judicii, credat hujusmodi religiones esse à Deo?

Tertia consideratio, ex sanctitate cultorum.

Illa religio præferenda, in quâ plurimi sanctitate conspicui : fieri enim nequit ut prava religio ad sanctitatem perducat, aut ut vera sanctitas cum pravâ religione consistat. At Religio catholica plurimos omnibus seculis habuit qui communi omnium Christianorum confessione sanctissimi fuêre. E quorum numero, ut alios innumeros omittam, est magnus Antonius, Hilarion, Gregorius Thaumaturgus, Nicolaus Myræ episcopus, Athanasius, Gregorius Nazianzenus, Basilius, Simeon Stylites, Cyprianus, Hilarius, Martinus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Benedictus, Gregorius Magnus, Vedastus, Amandus, Winocus, Bertinus, Rumoldus, Willebrordus, Bonifacius, Bruno, Bernardus, Romualdus, Nortbertus, Dominicus, Franciscus à Paulà, et multi nostro seculo. Quòd enim hi omnes catholicam Religionem sectati sint, dubitari non potest; tum quia Romanæ Ecclesiæ adhæserunt, ejusque fidem professi sunt, et etiam gnaviter propagârunt; tum quia ferè omnes isti monachi fuêre, et votis obstricti monasticam vitam coluêre. Imò omnes regulæ et professiones monasticæ ab illis fluxêre. Eos sanctissimos fuisse, est communis confessio totius populi christiani per tot secula quot à singulorum ætate fluxêre. Nec unquàm eâ de re fuit dubitatum. Id ipsum de plerisque istorum, et inprimis de Bernardo, Dominico, Francisco, fatentur etiam hæretici. Magna esset impudentia, ea negare, vel in dubium revocare, in quæ consensus orbis conspirat.

Si isti sancti fuêre et catholici, sicut toti orbi persuasum est, necesse est catholicam et Romanam religionem, quam ipsi tenuêre, veram esse, et à Spiritu sancto profectam. Primò, quia impossibile est ut religio falsa ad sanctitatem veram perducat. Religio enim est sanctitatis fundamentum. Non potest illud cœleste ædificium exstrui super re vanâ, super mendacio pernicioso et sacrilego, quale est omne mendacium in religione. Fieri nequit ut religio falsa animum à terrenis avocet, et ad cœlestia traducat; ut divino amore mentem accendat, et ad proximorum salutem per tot labores et sudores curandam impellat. Hæc tamen omnia religio quam sequebantur in ipsis perfecit. Itaque fieri nequit, ut ipsorum religio falsa fuerit.

Secundò, sine verâ religione impossibile est placere Deo. At omnium consensu illi placuerunt Deo, et magni ejus amici fuêre : ergo vera fuit eorum religio; quomodò enim per falsam religionem placeant Deo, qui est veritas?

Tertiò, si eorum religio vera non fuit, ergo fuit à diabolo. Hic enim mendax est ab initio, et mendacii pater : hic veram religionem suis mendaciis et fraudibus semper studuit corrumpere, ut animas perderet. Si fuit à diabolo, quomodò potuit illos ad sanctitatem perducere; diaboli adversarios, et Dei amicos efficere? *Quæ enim societas luci ad tenebras? quæ conventio Christi ad Belial?* 2 Cor. 6.

Quartò, prorsùs incredibile est Deum viros tam innocentes, tam sui et rerum terrenarum despicientes, tam studiosos divinæ gloriæ, et ardentes Dei amatores, tot seculis permisisse decipi in re tantâ, nimirùm in negotio religionis, et fundamento totius pietatis. Quis tam impiè de divinâ bonitate sentiat? Nihil illi ex parte suâ prætermisêre, quo Deo placere possent, ejusque gloriam promovere, maximis laboribus pro eâ susceptis, et totâ vitâ illi consecratâ et impensâ. Quinam fieri potest, ut illa bonitas infinita, illa *lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, tam

eximiis servis et amatoribus suis veritatem et lucem suam non ostenderit eosque in tenebris et pestiferis erroribus reliquerit? Falsum est ergo illud quod Dominus toties ingeminans et repetens promisit: *Petite et dabitur vobis; quærite et invenietis; pulsate et aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit; et qui quærit invenit, et pulsanti aperietur.* Matth. 7, Lucæ 11. Franciscus enim, Dominicus, Bernardus, Benedictus, et similia orbis lumina ac miracula, per totam vitam summo studio petierunt, quæsierunt et pulsârunt, ut saluti necessaria à Domino impetrarent, et voluntatem ipsius in omnibus cognoscerent, et implere possent; et tamen nihil sunt consecuti. Falsum erit et illud: *Si vos cùm sitis mali, nôstis bona data dare filiis vestris, quantò magis Pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se?* Lucæ 11. Ili enim assiduè hunc spiritum flagitârunt, et tamen non obtinuerunt. Spiritus enim bonus absque bonâ religione esse non potest. Omitto alia quæ in hanc sententiam possent afferri.

Quòd si blasphemum est dicere divinas promissiones falsas esse, necesse est fateri viros istos veram fidem et religionem à Domino accepisse. Quare cùm constet, eos tenuisse religionem catholicam, et Ecclesiæ Romanæ fuisse addictissimos, et omnem fidem seu religionem huic adversantem fuisse detestatos; dubitari non potest quin catholica et Romana sit vera et divinitùs inspirata religio; reliquæ verò omnes falsæ, et à diabolo inventæ.

Denique si religio illorum vera non fuit, sed adversariorum aliqua vera est, necesse est fateri, supradictos omnes, quos orbis semper ut sanctos suspexit, non solùm non fuisse sanctos, aut Dei amicos, sed fuisse impios et Dei inimicos, ac proinde damnatos et æternis suppliciis addictos. Nam sine verâ Religione impossibile est placere Deo. Neque dici potest fuisse excusatos per ignorantiam: quia ignorantia non excusat nisi in quibusdam secundariis et minùs necessariis, quæ solùm ratione alicujus præcepti positivi necessaria sunt; non autem in fundamentis et primariis capitibus. Alioqui possit quis sine omni notitiâ Dei aut Christi salutem consequi, quod universæ Scripturæ repugnat. At illi si errârunt (ut volunt adversarii), errârunt in primis capitibus. Primò, quia non agnoverunt fidem specialem, per quam solam justificamur, et sumus participes redemptionis et justitiæ Christi, et peccata non imputantur, ut auctores aliarum religionum docent. Itaque permanserunt in peccatis, exsortes justitiæ Christi, et consequenter filii gehennæ. Secundò, quia eorum judicio fuerunt extra Ecclesiam Christi (extra quam omnium consensu non est salus), et adhæserunt meretrici Babylonicæ (sic enim vocant illi Ecclesiam Romanam) et fuerunt ministri et instrumenta primaria Antichristi. Tertiò quia fuerunt idololatræ, colentes creaturam pro creatore, nimirùm panem et vinum loco Christi in Eucharistiâ, honorantes sanctos et eorum imagines, etc. Nulla est ignorantia quâ valeant ista excusari. Fuerunt ergo omnes isti impii, et sunt gehennæ tormentis addicti. At hæc omnia quàm sunt improbabilia, quàm incredibilia, et contra communem sensum omnium Christianorum, qui hactenùs exstitêre? Quòd autem in aliis religionibus nulli extiterint eximiæ sanctitatis, quorum vita mundo fuerit admirationi, satis constat. Neminem enim nominare possunt: nam etiam primi auctores terrenis addicti et voluptatum sectatores fuère, nihil supra vulgum in vitâ habuêre; quinimò maximis vitiis fuère obnoxii. Sed de hâc re plura inferiùs dicemus.

Neque his obstat, quòd etiam inter Catholicos multi sint, qui non solùm sanctè non vivunt, sed etiam variis sceleribus mentem et corpus inquinent. Id enim non faciunt concessu vel indulgentiâ suæ religionis, sed illâ prohibente, et supplicia comminante, et promissis avocante, et omni ratione impediente. Itaque illa vitæ pravitas nullo modo in religionem est referenda, nec eam imperfectam arguit. Cùm enim tria sint, quæ hominem à malo avocare, et ad bonum incitare queant, timor supplicii, spes præmii et pulchritudo ipsa operis boni; hæc tria excellentissimè proponit, et ubique inculcat suis cultoribus religio catholica. Itaque nihil omittit eorum quæ ad peccata vitanda, et sanctitatem sectandam incitare possunt. Unde si aliqui ad eam non aspirant, non id religioni catholicæ, sed libertati arbitrii, quæ contra omnia illa incitamenta niti potest, est imputandum. Quòd si ipsa timorem supplicii, et spem præmii tolleret, et omnia opera bona peccati labe inquinata statueret; tunc meritò in ipsam prava mortalium vita, et neglectus bonorum operum referendus esset. Sicut enim qui subtrahit anterides et fulcra quæ ruinam domûs impediebant, est causa ruinæ domûs, ita qui subtrahit timorem divinum, seu futuræ vindictæ, quo mortales coercentur ne in peccatorum ruant profundum, est causa ruinarum istarum. Simili mo-

do, qui tollit omne illud quod ad studium bonorum operum incitare solet, est causa neglectûs et contemptûs bonorum operum.

Ex quibus perspicuum est neglectum bonorum operum, et pravam vitam, quæ cernitur in quibusdam Catholicis, non esse referendam in eorum religionem, sed in libertatem duntaxat arbitrii : quæ verò in Lutheranis, Calvinistis, et aliis novarum religionum cultoribus, esse imputandam propriè eorum religioni, quæ omnia illa quæ malum impedire, et ad bonum excitare solent, è medio tollit : et libertati arbitrii, quatenùs hujusmodi religionem suâ sponte delegit eique inhæret.

Quarta consideratio, ex miraculis cultorum.

Illa religio, in quâ plurima miracula omnibus seculis edita, est præferenda aliis, quæ miraculis sunt destitutæ. Miracula enim sunt velut sigilla quædam et testimonia divina, quibus religio comprobatur. Cùm enim pleraque in religione sint supra naturam et captum mentis humanæ, non possunt rationibus naturalibus persuaderi; sed opus est quibusdam argumentis supernaturalibus, quibus mentes hominum convincantur. Hæc autem sunt miracula. At sola religio catholica miraculorum gloriâ fulget : sola ergo est vera religio, omnibus præferenda, utpote sola à Deo testimonium habens. Quòd autem in illâ jam inde à temporibus Apostolorum miracula plurima seculis singulis sint edita, et etiamnùm edantur, omnibus Christianis est persuasissimum, et ex variis historiis, ex annalibus regnorum, et ex vitis rebusque gestis sanctorum constat.

Sed inquiunt adversarii hæc miracula non esse vera, sed partim conficta, partim diabolica. Verùm id omni specie probabilitatis caret. Est enim contra judicium orbis, et tot seculorum. Omnes enim gentes jam inde à tot annorum centuriis ea absque ullâ dubitatione pro veris miraculis habuêre. Quis enim unquàm dubitavit de miraculis Gregorii Thaumaturgi, Antonii Magni, Hilarionis, Martini, Nicolai, Benedicti, Malachiæ, Bernardi, Dominici, Francisci Assisii, Francisci à Paulâ, Francisci Xaverii, ut alios innumeros omittam?

Præterea non esse conficta multis rationibus convinci potest. Primò, quia à gravissimis auctoribus conscripta sunt. Nam miracula Gregorii, qui idcircò Thaumaturgus (hoc est, miraculorum patrator) dictus est, conscripta sunt à Gregorio Nysseno in illius Vitâ, et Basilio lib. de Spiritu sancto cap. 29 : Antonii, ab Athanasio et Hieronymo; Martini à Severo Sulpitio; Nicolai, à variis scriptoribus Græcis; Benedicti, à Gregorio Magno et aliis; Malachiæ, à Bernardo; Bernardi, à diversis auctoribus gravissimis illius ætatis; Francisci, à Bonaventurâ; Dominici, ab iis qui ea à fide dignis acceperant; Francisci à Paulâ recensentur in diplomate canonizationis; Francisci Xaverii, post summam inquisitionem et testes juratos, comprobata sunt publico testimonio proregis Indiæ. Quis credat istos viros sanctitate, doctrinâ, auctoritate illustres, voluisse in perniciem animæ, et æternum sui nominis probrum, ista confingere, et mundo imponere? Nam mendacium in iis quæ ad religionem pertinent, est perniciosum et gravissimum peccatum. Deinde si essent conficta, facilè potuissent convinci vanitatis ab illius ævi hominibus apud quos scribuntur patrata. At nemo unquàm illa rejecit nisi paganus, vel Judæus, vel hæreticus. Accedit, quòd plurima ex illis, publicis testimoniis episcoporum vel magistratuum, et præviâ causæ cognitione sunt confirmata. Denique dicere illa esse conficta, est tollere omnem fidem historiarum, et evertere omnem notitiam superiorum temporum. De omnibus enim gestis antiquis dici poterit esse conficta, cùm nisi ex scriptis auctorum probari non possint.

Pari modo, non esse ope dæmonum perfecta, constat multis modis. Primò, quia edita à viris sanctissimis Deoque addictissimis. Quis credat Franciscum, Dominicum, Bernardum, Benedictum, Martinum, et similes commercium cum diabolo habuisse? Deinde, quia opera illa longè diaboli vim superabant. Non enim potest diabolus illuminare cæcos, corrigere claudos, excitare mortuos, subitò roborare paralyticos, siderata aridaque repente vegetare membra et similia, quæ omnem naturæ vim excedunt, præstare. Unde nec magi talia unquàm ope dæmonum efficere potuêre. Talia tamen plurima et penè innumerabilia nostri sancti perfecerunt, idque repente ad solum contactum, ad signum Crucis, ad breves preces, et sæpè ad solum imperium. Tertiò, quia ea quæ dæmonum artificio fiunt, vel parùm durant, tanquàm præstigiæ et delusiones oculorum, ut constat ex iis quæ faciunt magi : vel si durant, fiunt per causas naturales earumque vim non excedunt. Deinde illa mortalibus plerùmque non sunt utilia, sed vel noxia, vel inutilia et vana; qualia sunt, ignem descendere de cœlo, statuam loqui, et similia, quæ facturus est

Antichristus ejusque pseudo-propheta novissimis temporibus, ut ex Apocalypsi colligitur: nec adducunt ad emendationem. At miracula sanctorum habent effectum permanentem et solidum, et mortalibus sunt utilissima, eosque ad Dei timorem et vitæ emendationem excitant. Quartò, nova miracula nunquàm approbata fuêre in Ecclesiâ, nisi prævià magnâ discussione, examinantur enim testes et plerùmque sub jurejurando; inspicitur ipsum factum, an naturæ viribus, an ope dæmonum fieri possit; considerantur omnes circumstantiæ, quo modo, quo ordine, quâ occasione, quo loco et tempore, quo fine, coram quibus, et circa quos miraculum patratum. Et sæpè non desunt æmuli, qui libenter rem elevarent, vel suspectam redderent, si possent; et idcircò nihil intentatum aut indiscussum prætermittunt. Itaque impossibile est diù latere fraudem, si qua subsit: et ad divinam providentiam pertinet, non permittere homines tam miserè deludi, præsertim post tantam diligentiam ab illis adhibitam, ad veritatem rei indagandam. Quintò, si miracula Ecclesiæ fiunt à diabolo ad retinendos homines in falsâ religione, cur non facit similia in aliis falsis religionibus: nimirùm inter Turcas, Arianos, Anabaptistas, libertinos et similes? Cur has omnes miraculis suis destituit, et solam catholicam illustrat? An fortè hæc illi magis est cordi quàm reliquæ omnes? At non debebat etiam alias negligere, ex quibus illi tam ampli proventus. Delectatur varietate falsi cultûs, ut omnium se ingeniis et affectibus accommodet. Itaque cùm sola religio catholica miracula habeat, nulla autem religio falsa, perspicuum id signum est miracula Ecclesiæ catholicæ à diabolo non esse. Denique quænam subest ratio, cur dicentur conficta, vel dæmonis ope patrata? An quia fieri non poterant? At Deus est omnipotens; et ipse similia multa per Apostolos fecit, ut ex Scripturis constat. An quia Scripturis repugnant? At Dominus apertè promisit hanc miraculorum et sanitatum gratiam, cùm ait: *Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet: quia ego ad Patrem vado, et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio.* Joan. 14. Quibus verbis insinuat, semper in Ecclesiâ gratiam miraculorum futuram; nec solos Apostolos, sed etiam multos apostolicos et eximiæ sanctitatis viros, pro loco et tempore miracula patraturos. Hanc ergo Domini promissionem videmus impleri dùm sancti viri miracula faciunt. An quia teste carent? præter scriptores fide dignissimos, habemus fidem et consensum populorum; habemus in multis testimonia episcoporum vel magistratuum, post accuratum rei examen et juratos testes confecta. Denique plurima publicè in multorum præsentiâ sunt gesta. Nullæ sunt historiæ antiquæ (præter eas quæ S. Scripturâ continentur), quæ tot ac tantos testes habeant. Accedit quòd singulis ætatibus, imò singulis ferè annis, in diversis locis miracula ingentia per Sanctos cum Christo regnantes, et maximè per beatissimam Virginem fiant; quæ locis illis sunt omnibus manifesta, et ab omnibus cerni oculis, et manibus palpari possunt: quæ etiam post magnam discussionem testibus juratis et publicis testimoniis sunt confirmata.

Sed, inquiunt adversarii, vera miracula confirmant Evangelium et statuunt idololatriam, hoc est, cultum reliquiarum et imaginum, invocationem sanctorum, Missam et similia: ergo sunt à diabolo. Verùm hìc est manifestum sophisma, quod vocatur petitio principii. Sumitur enim ut certum id quod erat probandum, et de quo est controversia. Supponitur enim ut certum et indubitatum, religionem catholicam esse falsam; et ex eo colligitur miracula, quibus illa confirmatur, falsa esse et diaboli præstigia Simili modo Scribæ et Pharisæi supponebant doctrinam Christi falsam esse, et Moysi adversariam, et inde colligebant miracula ipsius falsa esse, et ipsum in Beelzebub principe dæmoniorum ejicere dæmonia. Sic quoque pagani calumniabantur miracula martyrum, artibus magicis ea tribuentes; et Ariani, Eunomiani, ac Vigilantiani, miracula Catholicorum, ut testatur Victor Uticensis lib. 2 de Persecut. Wandal., et Ambrosius sermone de sanctis Gervasio et Protasio; Hieronymus contra Vigilantium. At nos contra ex veritate miraculorum, quæ ab omnibus perspicuè cognosci, oculis cerni, et manibus palpari potest, colligimus veritatem religionis catholicæ, de quâ est controversia. Nunquàm enim ad confirmationem falsæ doctrinæ miracula facta legimus, qualia sancti plurima fecerunt. Nunquàm mortui ab hæreticis excitati, aut cæci illuminati, aut claudi erecti, aut paralytici curati, aut dæmones è corporibus hominum fugati. Nunquàm talia à Luthero, vel Calvino vel horum sectatoribus perfecta. Tentavit Lutherus aliquando de quâdam suâ discipulâ diabolum ejicere, sed periculum adiit, ne ipse

ab eo necaretur; ut scribit Fredericus Staphylus, qui interfuit. Rursùs tentavit quemdam Nesenum in Albi submersum quibusdam immurmurationibus in vitam revocare; sed irrito conatu. Tentavit similiter Calvinus, volens excitare ad vitam eum, qui ipsius suasu se simulârat mortuum; sed eo successu, ut ex vivo fecerit mortuum. Nam justo Dei judicio simulatori illi vita subtracta est, cùm illum Calvinus ad vitam revocare conatur. Historiam luculentè cum suis adjunctis narrat Hieronymus Bolsecus. Quare cùm neque vera, neque simulata miracula eis succedant, conantur hoc firmamentum miraculorum, quod sanè potentissimum est et mentem omninò convincit, Ecclesiæ catholicæ subtrahere, sed nullâ probabilitate, ut ostensum est.

Sicut igitur qui miracula Domini vel Apostolorum considerabant, et animo tranquillo, semoto odio aliisque pravis affectibus perpendebant, dubitare non poterant quin doctrina ipsorum esset à Deo, qui eis tam illustribus signis suffragabatur: ita qui modò, deposito parumper odio et passionibus, diligenter considerant miracula, quæ in Ecclesiâ à sanctis hominibus, vel adhuc viventibus vel vitâ functis singulis seculis fiunt, dubitare nequeunt, quin illorum doctrina et religio à Deo sit, et Ecclesia, cui adhærent, sit vera Dei Ecclesia.

Quinta consideratio, ex gentium conversione.

Illa censenda est vera Christi religio, ac proinde amplectenda, ad quam semper facta est gentium conversio. Dominus enim passim in Scripturis hanc gentium ad fidem et verum Dei cultum conversionem promisit: quæ promissio debet impleri. Atqui religio ad quam gentes omnibus seculis sunt conversæ, et etiamnùm hoc seculo convertuntur, est religio catholica et Romana: nullum ergo dubium esse debet, quin hæc sit vera Christi religio.

Quòd autem illa religio, ad quam semper facta est, et etiamnùm fit gentium conversio, sit religio catholica et Romana, perspicuum est ex iis, quæ tum hoc seculo tum superioribus gesta sunt. Hoc seculo innumerabiles conversi sunt, et assiduè convertuntur; in Indiâ orientali, in Japoniâ, in maximo Chinarum regno, et in insulis plurimis Indici maris. Similiter in novo orbe, ubi plurima et amplissima regna. Hi omnes ad catholicam religionem transeunt, et Ecclesiæ Romanæ adjunguntur; idque per religiosos viros auctoritate Romani pontificis ad hoc missos.

Seculo decimo quarto unus S. Vincentius Ferrerius ordinis Prædicatorum convertit ad fidem catholicam ad viginti quinque millia, partim Judæos, partim Saracenos; ut testatur divus Antonius ejusdem ætatis scriptor, 3 p. Histor. tit. 23, c. 8, § 4.

Seculo decimo tertio plurimi in Tartariâ fuêre conversi ad religionem catholicam per duos Dominicanos à summo pontifice missos, petente id illorum imperatore, quem Magnum Cam vocant; sicut scribit Paulus Venetus, cujus operâ ille imperator in eâ re est usus.

Seculo duodecimo conversi fuêre Norwegi per Adrianum IV, priusquàm pontifex esset, ut scribit Platina in Vitâ Adriani IV.

Seculo undecimo conversi magnâ ex parte Hungari, et episcopi illis à Romano pontifice dati, petente id eorum rege S. Stephano nuper converso: ita scribunt Centuriatores cent. 11, cap. 2.

Seculo decimo conversa multa regna operâ Henrici I, imperatoris, et Adalberti Boemorum et Methodii Moravorum Archipræsulum, ut scribunt Centuriatores centur. 10, cap. 2.

Seculo nono, conversi Wandali, Bulgari, Sclavi, Poloni, Dani, Moravi, Ecclesiæ Romanæ adjuncti; ita cent. 9, cap. 2.

Seculo octavo conversa est magnâ ex parte Germania per S. Bonifacium à Gregorio II ad hoc missum; cent. 8, c. 2.

Seculo septimo conversi Francones à S. Kiliano, quem ad hoc Romanus pontifex miserat; cent. 7, c. 2.

Seculo sexto conversi ad fidem Angli per monachos à S. Gregorio ad hoc destinatos cent. 6, cap. 2.

Denique Brabanti, Flandri, Hollandi, Frisii, Westphali, Franci et reliquæ gentes vicinæ quibus conversi? Nonne à filiis Ecclesiæ Romanæ, nimirùm, à Servatio, Eligio, Rumoldo, Amando, Vedasto, Livino, Remigio, Willebrordo, Swiberto, Wulfrano et aliis, qui omnes Ecclesiæ Romanæ fuêre addictissimi? Ex quibus constat, omnes gentes quæ ex paganismo vel Judaismo à mille retrò annis ad Christum conversæ sunt, conversas esse ad fidem catholicam Romanam, et adjunctas Ecclesiæ Romanæ.

Quod etiam præter cætera apertè indicant sacerdotes, altaria, sacrificium Missæ, cultus reliquiarum et imaginum, peregrinationes, invocatio sanctorum, monasteria, monachi,

obedientia summi pontificis, et alia catholicæ religionis propria, quæ post conversionem apud omnes illas gentes viguerunt; donec nuperrimè per novitias istas religiones fuère sublata. Quis hæc considerans dubitare queat, quin religio catholica sit vera Christi religio? In hâc enim videt impleri illam de gentium conversione divinam promissionem: ad hanc relictis idolis, relictâ vitæ impuritate, uxorum multitudine, morum feritate et barbarie, abdicatâ pristinâ vivendi licentiâ convolare tot populos, tot nationes remotissimas, tot regna potentissima; et in eâ mansuescere sub jugo Christi, imbibere timorem Dei, formari ad omnem vitæ honestatem, accendi ad contemptum temporalium, et amorem cœlestium. Quì fieri potest, ut ea religio falsa et impia sit, quæ tantam in animis barbarorum efficit mutationem? Denique quì fieri potest, ut divina providentia, tot jam seculis omnes gentes, cùm idololatriam deserere, veritatem totis animis amplecti, et ad Ecclesiam Christi se aggregare voluerunt, permiserit decipi, et in alios errores funestos novamque idololatriam impelli; idque per eos qui in Ecclesiâ habebantur ab omnibus legitimi ministri, qui sanctitate vitæ, sapientiâ et miraculis clari? Absit ut de divinâ bonitate ejusque providentiâ, quâ saluti hominum consulit, ita sentiamus.

Porrò ad Lutheranam, Calvinisticam, et Anabaptisticam, nulla est unquàm facta gentium conversio, nulla paganorum regnorum accessio; sed eorum duntaxat, qui Christianum nomen præferentes, pristinæ religionis et disciplinæ pertæsi, libertatem carnis et novitatem sectabantur, defectio: quod est perspicuum hæreseos argumentum. Hæresis enim nihil est aliud quàm catholicæ doctrinæ corruptio, et Christianorum à pristinâ religione, retento nomine Christiano, defectio. Et hæreticorum doctorum studium est, non convertere ethnicos, sed pervertere Christianos. Unde rectè Tertullianus lib. de Præscriptionibus: « De verbi administratione quid dicam? Cùm « hoc sit negotium illis, non ethnicos conver« tendi, sed nostros evertendi: hanc magis « gloriam captant, si stantibus ruinam, non « si jacentibus elevationem operentur; quo« niam et ipsum opus eorum non de suo pro« prio ædificio venit, sed de veritatis destru« ctione. Nostra suffodiunt ut sua ædificent. « Ita fit ut ruinas faciliùs operentur stantium « ædificiorum, quàm exstructiones jacentium « ruinarum. »

Sexta consideratio, ex nomine catholica, *et reipsâ hoc nomine signata.*

Rursùs illa religio censenda est vera Christi religio, quæ semper habita et dicta fuit *catholica:* juxta illud symboli Apostolici: *Credo sanctam Ecclesiam catholicam.* Atqui sola Romana dicta est catholica, ejusque cultores Catholici: ergo sola religio Romana est vera Christi religio. Hanc solam catholicam nuncupari, et semper ita nuncupatam esse, primò ex ipso usu per orbem recepto constat. Unde etiam sæpè hæretici in suis scriptis illam catholicam vocant, et ejus sectatores catholicos: nec unquàm ulla secta hoc nomen meruit. Nunquàm enim vel Marcionitæ, vel Montanistæ, vel Manichæi, vel Donatistæ, vel Pelagiani, vel Vigilantiani, vel Waldenses, vel Lutherani, vel Calvinistæ, vel Anabaptistæ Catholici passim vocati sunt, aut eorum doctrina religio catholica. Sola Ecclesia Romana, eique adhærens multitudo, Ecclesia catholica: et hujus Ecclesiæ religio, fides, doctrina, religio catholica, fides catholica, et doctrina catholica dicitur: et ejus sectatores Catholici.

Secundò, quia catholicum idem est quòd universale, latissimè patens, et ad omnia se extendens. Talis autem est religio Romana, quia per totum orbem diffusa extendit se ad omnes gentes et ad omnia regna. Nullum enim regnum, nulla gens nobis cognita, quæ hanc religionem vel non habeat adhuc, vel aliquando non habuerit, vel modò non incipiat habere. Imò hoc tempore penè apud omnes gentes est publica religionis nostræ professio. Nimirùm, apud Japones, Chinas, Indos, Persas, Tartaros, Turcas, Afros, Brasilios, Peruanos, Mexicanos, etc. Omnibus enim his locis reperiuntur Catholici, reperiuntur templa, altaria, imagines Christi et sanctorum: celebratur Missa, administrantur nostra Sacramenta, servantur festa et jejunia; denique servatur publicè religio Romana. Cui dubium esse possit eam esse veram Religionem, et veram salutis viam, quam Dominus omnibus regnis proponi et prædicari voluit; quam in omnibus regnis tempore congruo crescere et fructificare fecit; et quam etiamnùm ubique aliquo modo conservat, efficiens ut Catholici per totum orbem sint dispersi, ut infideles per illos ad veræ religionis notitiam pervenire possint.

Extendit etiam se ad omnia tempora, quæ quidem ab Apostolorum ævo fluxère. Nulla enim

ætas, nullum seculum ab eo tempore assignari potest, quo hæc religio non fuerit. Omnibus seculis celebrata Missa pro vivis et defunctis, celebrata festa, servata jejunia, frequentata vota monastica, invocati sancti, honoratæ sanctorum reliquiæ, et alia nostræ religioni propria in usu fuêre, ut ex omnium ætatum scriptoribus constat.

E contrario si sectas omnes consideremus, nulla ex his unquàm catholica religio nuncupata est, aut sectatores earum catholici, ut dictum est; sed à suis auctoribus nomen accepêre, ut Simoniani, Valentiniani, Pelagiani, Lutherani, Calvinistæ, etc. Nulla toto orbe diffusa est. Olim cùm religio catholica mundo illuxit, brevi tempore per totum orbem diffusa est, et in omnibus penè regnis fructificare et crescere cœpit, ut ex Apostolo constat. At religio Lutherana, Calvinistica et Anabaptistica, jam post 70 vel 80 annos angustis adhuc finibus continentur, et magis deficiunt in alias sectas abeundo, vel ad catholicam religionem redeundo, quàm proficiunt. Nulla etiam ex his jam inde à temporibus Apostolorum duravit, sed omnes à 70 vel 80 annis inventæ sunt. Itaque neque ratione temporis, neque ratione locorum, neque ratione nationum catholicæ dici possunt. Addo, catholicam religionem unicam esse et eamdem ubique. At illæ religiones sunt inter se diversæ admodùm, et in primariis capitibus discrepantes; et altera alteram hæreseos damnat. Quomodò ergo catholicæ dici possunt?

Septima consideratio, ex successione.

Præterea illa religio vera Christi religio censenda est, cujus ministri omnes ab Apostolis descendunt, suntque Apostolorum successores, vel ab eorum successoribus ordinationem et auctoritatem acceperunt. Hâc enim ratione constabit, religionem illam et Ecclesiam quæ illam religionem colit, Apostolicam esse. Atqui talis est religio catholica: ergo, etc.

Ministros omnes catholicæ religionis ab Apostolis descendere, sive potestatem ordinis spectes, sive jurisdictionis, perspicuum est. Omnes enim inferiores ministri, præsertim presbyteri, diaconi et subdiaconi, ordinantur ab episcopis. Episcopi suum ordinem ab aliis episcopis acceperunt: et hi rursùs ab aliis, et sic deinceps sursùm versùs usque ad Apostolos, qui hanc potestatem proximè à Christo accepêre. Sicut ergo omnes homines, secundùm vitam et potentiam naturalem, longo generationum tractu descendunt ab Adamo: ita omnes Ecclesiæ ministri, secundùm potestatem supernaturalem, longâ ordinationum et sanctificationum serie descendunt à Christo Domino, qui est secundus Adam. Nullus itaque est minister in Ecclesiâ, qui potestatem suam quâ consecrat, quâ sacrificat, quâ absolvit à peccatis, et alia sacramenta conficit, et populum Christianum sanctificat, non possit ad Christum tanquàm primum fontem et auctorem reducere. Unde etiam omnia illa opera, quæ per hanc potestatem perficit, tribuuntur Christo tanquàm primario auctori, qui hanc potestatem instituit eique invisibiliter præsidet et assistit, cujus homo solùm est instrumentum, per quod ipse omnia facit, ut optimè D. Augustinus et alii Patres docent.

Pari modo omnis potestas jurisdictionis ministrorum, quâ populum Christianum regere, verbum Dei prædicare et omnia munia pastoralia obire possunt, à Christo descendit, et ad ipsum perspicuè reduci potest. Parochi enim habent suam jurisdictionem ab episcopis, episcopi à summo pontifice, et summus pontifex, cùm B. Petri in eamdem cathedram et in idem munus regendæ Ecclesiæ catholicæ sit successor, necessariò quoque succedit in eamdem jurisdictionem, quæ immediatè à Domino, beato Petro, et in ipso omnibus ejus legitimis successoribus collata est. Qui autem in Ecclesiâ non habent potestatem ordinariam, sed delegatam tantùm, eam à parochis, vel episcopis, vel summo pontifice acceperunt. Itaque nullus est minister in Ecclesiâ catholicâ, nullus concionator verbi Dei, aut catechista, qui suam missionem perspicuè ostendere non possit, et demonstrare eam à Christo derivari. Et sanè nisi id possent, non essent ullo modo audiendi, sed suspecti habendi tanquàm lupi, cùm non per ostium in ovile intrent, sed aliunde occultè irrepant.

Hoc argumentum semper maximi fecêre Patres antiqui, ad omnes hæreses convincendas. Nam per illud ostenditur continuatio religionis nostræ per singula secula, usque ad tempora Apostolorum. « Tenet me, inquit S. Augusti« nus, in Ecclesiâ, ab ipsâ sede Petri Apostoli, « cui pascendas oves suas Dominus commen« davit, usque ad præsentem episcopatum suc« cessio sacerdotum. » His similia D. Hieronymus Dialogo contra Luciferianos, quæ mox dabo.

Nullus ex novarum religionum ministris id ostendere potest. Et quidem potestatem Ordi-

nis, quâ Sacramenta conficiant et populum sanctificent, ad Apostolos et Christum reducere nequeunt, quia omnem illam sustulerunt. Nec ullus inter eos est aut episcopali aut sacerdotali ordine seu gradu insignitus (nisi fortè apostata à religione catholicâ, cui gradus ille ad nihil ampliùs apud eos servit), cùm tamen Christi Ecclesia semper hos gradus habuerit, et ab illis gubernata fuerit. Similiter nec potestatem jurisdictionis, quâ verbum Dei tanquàm veri pastores prædicent, Baptismum administrent, et populum in spiritualibus cultuque divino regant. Quæro enim à quo Lutherus, à quo Calvinus hanc potestatem habuit? A quo missus est uterque ad prædicandum novum Evangelium et populum reformandum? Non enim fuerunt missi ab ordinariis Ecclesiæ pastoribus, ut satis constat: ex se ergo venerunt, à nullo missi. At quod potest esse certius signum non esse audiendos sed cavendos? *Quomodò enim prædicabunt, nisi mittantur?* Ad Rom. 10. *Qui enim non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro: qui autem intrat per ostium, pastor est ovium.* Joan. 10. Per ostium non intrant quicumque absque ordinariâ vel legitimâ auctoritate officium pastoris usurpant.

Sed fortè dicent se à Christo missos, et auctoritatem reformandi Ecclesiam accepisse. Verùm non satis est id dicere; omnes enim hæresiarchæ id de se affirmant. Unde oportet ut proferant patentes, quibus fidem faciant, et nos convincant se à Christo missos esse, sicut Apostoli maximis miraculis suam missionem confirmabant. Alioquin non debebimus eorum reformationem acceptare; imò tenebimur eos tanquàm impostores rejicere. Deinde quomodò missi à Christo, cùm tam diversa et inter se pugnantia tradant? Si Lutherus missus à Christo, non potest ab eodem missus esse Calvinus, qui ejus doctrinam in multis subvertit, et tanquàm hæreticam damnat. Et è contrario, si Calvinus à Christo missus, non potest ab eodem missus esse Lutherus. Deus enim sibi non est contrarius, neque spiritus Prophetarum se mutuò destruunt. Omitto alia quæ in hanc sententiam dici possent.

Octava consideratio, ex consensu doctorum veterum, et controversiarum decisione, et quia extra nulla soliditas.

Illa religio est Christo imputanda, et cæteris omnibus præferenda, in quâ est summa doctorum omnis ætatis et religionis circa fidei capita consensio, in quâ controversiarum omnium facilis terminatio; à quâ si recesseris, nihil certi habeas, quò te conferas. Atqui talis est sola religio catholica: ergo hæc sola est vera Christi religio.

Ac primùm de consensione DD. circa capita nostræ religionis, constat ex eorum scriptis. Quotquot enim antiqui doctores scripserunt in Græciâ, in Asiâ, in Ægypto, in Africâ, in Hispaniâ, in Italiâ, in Galliâ, in Germaniâ, in Angliâ de mysteriis nostræ religionis, omnes consentiunt circa libertatem arbitrii, circa merita bonorum operum, circa sacrificium Missæ pro vivis et defunctis, circa vota monastica, jejunia, festa, invocationem sanctorum, et similia, quæ à novis istis religionibus improbantur; nec diffitentur Lutherani et Calvinistæ. Sed dicunt istos esse nævos antiquorum, jam ad superstitionem et humanas traditiones inclinantium. Unde ipsi ad verbum Dei provocant, ipsorum nempe sensu intellectum. Verùm, quàm hoc est improbabile, veteres omnes, tam diversis locis de iisdem rebus scribentes tanto consensu, potuisse errare? Consensus enim plurimorum, præsertim qui ante inter se communicârunt, in idem dogma, est maximum signum veritatis, mentes divinitùs illustratas ad se trahentis, et in unitate colligentis. Veritatis enim, cùm unica sit, est congregare in consensum; falsitatis, quia multiplex, dissipare in varias sententias et errores. Unde hæretici diversis locis de eâdem re scribentes vix unquàm consentiunt, sed in plurimas sententias distrahuntur; quia semel à veritate recesserunt. Deinde nullum est dogma religionis catholicæ, de quo ostendi possit, esse de novo introductum ab aliquo in Ecclesiâ: quod est signum manifestum, illud semper in Ecclesiâ extitisse, at ab Apostolis descendere. Si enim de novo post Apostolos contra doctrinam apostolicam esset introductum, ostendi posset quo seculo, quâ ætate id factum esset, quo loco et auctore; quinam se huic novo dogmati opposuerint. Nullum enim novum dogma sine magnâ commotione et contradictione introduci potest. Sic enim de singulis hæresibus ostendere possumus, quo tempore et loco, et quo auctore introductæ primùm sint: quinam se illis opposuerint: quas commotiones concitârint; denique à quo pontifice et concilio sint condemnatæ. Quòd si de singulis hæresibus id ostendi potest, quantò magis id ostendi posset de maximis religionis capitibus, si aliqua innovatio in illis esset facta? Perspicuum igitur

est religionem catholicam nostram, non solùm ministrorum successione, sed etiam doctrinæ consanguinitate, ut Tertullianus loquitur, cum antiquâ et Apostolicâ congruere et continuari.

Quòd autem novarum religionum dogmata cum veteribus non consentiant, et ipsimet satis fatentur, cùm in supradictis capitibus veteres reprehendant superstitionis, et affirment eos ab errore excusari non posse; et infra fusiùs ostendemus.

Secundò, de controversiis quæ in Ecclesiâ interdùm suboriuntur, has facilè expediri testatur perpetuus Ecclesiæ usus. Habet enim Ecclesia catholica infallibilem judicem controversiarum, summum pontificem cum concilio; quo judice hactenùs facilè omnes controversiæ diremptæ: omnes hæreses variis seculis exortæ sunt profligatæ, et populus catholicus in unâ fide, in unâ religione et doctrinâ per totum orbem retentus. Hoc modo damnata hæresis Ariana per Nicænam synodum sub Sylvestro; Macedoniana per Constantinopolitanam primam sub Damaso; Nestoriana per Ephesinam sub Cœlestino; Eutychiana per Chalcedonensem sub Leone I; Iconomachorum à Nicænâ secundâ sub Adriano I. Et ut alias omittam, Berengariana de Eucharistiâ per synodum Romanam et Vercellensem sub Leone IX, per Turonensem sub Victore II, per Romanam sub Nicolao II; denique per aliam Romanam sub Gregorio VII.

Omnis enim ratio postulat ut causa religionis, cùm sit communis toti Ecclesiæ, non judicetur à privatis, qui nullam in Ecclesiâ dignitatem obtinent, sed ab ipso universalis Ecclesiæ pastore, unà cum aliis particularium præsidibus, quibus regimen Ecclesiæ est commissum, et ipsam Ecclesiam universalem, ut capita, uniti repræsentant. Sic controversiæ de legibus et privilegiis regni, non ab alio quàm à rege et regni primoribus, qui totum regnum repræsentant, sunt decidendæ. Quorum enim est regere aliquam communitatem, sive in temporalibus, sive in spiritualibus, eorumdem est sopire lites et controversias circa materiam proprii regiminis incidentes decidere, omni in posterum contradictione sublatâ. Et sanè nisi Ecclesia hanc potestatem haberet, valdè esset imperfecta et mutilè instituta, et miserabilior quovis regno temporali, quàvis republicâ politicâ. Nullus enim unquàm contentionum de maximis fidei capitibus esset finis, nullus dissensionum et contradictionum terminus; et necessariò brevi illam in mille sectas oporteret discindi: sicut hæreticorum conventiculis evenire videmus.

Hinc fit ut in Ecclesiâ catholicâ omnia fidei capita sint certa et definita, nullaque circa ea fiat variatio, et summus in illâ sit omnium consensus. Ex quibus consequens est tertium, si à catholicâ religione recesseris, nihil certi restare quò te conferas, cuique tutò salutem tuam possis committere. Quam enim religionem in tantâ varietate capessas? An Lutheranam? Cur non Calvinisticam, aut Anabaptisticam? Cur Lutheranam cæteris præfers? Non enim minùs Calvinistæ et Anabaptistæ Scripturam à se affirmant, quàm Lutherani. Rursùs, si Lutheranam amplecti velis, utram, quæso, eliges, mollem an rigidam? Puram illam quam tradidit propheta Germanicus Lutherus; an eam quam Philippus Melanchton interpolavit? Sed et hæc multiplex est: nam sæpiùs Augustana confessio est mutata. Si Calvinisticam, cur non Lutheranam, cùm Lutherus sit omnium parens, et primus orbi hanc lucem novi Evangelii extulerit? Rursùs, si Calvinisticam; utram tandem, Puritanam an Protestantium? Hæ enim non parùm dissident, ut Angli probè nôrunt. Omitto plurimas differentias, in quas singulæ hæ sectæ abeunt, sicut et Anabaptistæ. Nulla subest ratio solida, cur unam ex his, cæteris omnibus ut certam præferas. Omnes enim æquè fortiter affirmant, verbum Dei à se stare, se spiritum Dei habere, Scripturæ sensum pro suâ doctrinâ esse perspicuum: contraria omnia falsa esse, et Scripturis manifestè adversari. Nec aliter id probant, quàm hoc esse manifestum habenti spiritum. Itaque omnes eamdem suæ doctrinæ rationem afferunt, eodemque fundamento nituntur. Omnes ergo amplecti oportet, vel nullam.

Longè aliter religio catholica sua dogmata probat, nimirùm ex S. Scripturâ secundùm intellectum communem Patrum expositâ: ex omnium seculorum doctoribus, ex sanctitate miraculis, spiritu prophetico eorum qui hanc religionem coluerunt: ex constantiâ et uniformitate doctrinæ per tot ætates, ex puritate vitæ, quam hæc doctrina inducit, ex gentium ad hanc doctrinam conversione, etc.

Nona consideratio, ex variis causis ob quas novæ sint suspectæ et declinandæ.

Omnes aliæ religiones præter catholicam, et nominatim Lutherana, Calviniana, et Anabaptistica (de quibus hic nobis potissimùm est

sermo) meritò suspectæ haberi debent, et tanquàm sectæ hereticæ sunt repudiandæ, ob multas causas, quas hìc breviter commemorabo et expendam.

Prima ratio, ex novitate. — Omnis novitas et καινοτομία, ut Gregorius Nazianzenus loquitur, in omni republicâ, sed maximè in negotio religionis vitanda. Religio christiana est res antiqua, solida, immutabilis, duratura usque ad finem seculi : est enim Ecclesiæ Christi forma, vigor, et veluti anima. Nam sicut per animam caro animatur in hominem viventem, ita per Religionem cœtus hominum, qui alioquin per se totus est caro, formatur in Christi Ecclesiam, in spiritale regnum. Sicut ergo Ecclesia et regnum Christi est res antiqua et inexterminabilis, adversùs quam portæ inferorum non prævalebunt, et cui Christus promisit se adfuturum usque ad consummationem seculi, ita etiam Religio, per quam Ecclesia et regnum Christi subsistit. Novitas ergo repugnat Christi religioni.

Novas autem esse istas religiones, constat primò, quia possumus assignare earum primos auctores, et locum, et tempus, et modum quo sunt introductæ, et ostendere quinam se illis opposuerint; quantæ propter illas ubique commotiones et turbæ sint excitatæ : denique quomodò et à quibus damnatæ. At quæ possunt esse clariora signa novitatis? Eodem modo omnes hæreses novitatis contra doctrinam Apostolicam introductæ convincuntur : quia de singulis ostendere possumus, quo tempore incœperint, quo loco, quo auctore, quibus se opponentibus, et à quibus condemnatæ.

Secundò, ante annum Domini 1517, religio Lutherana non erat in mundo; similiter nec Calviniana, nec Anabaptistica, quæ duæ sunt soboles Lutheranæ. Constat enim ex scriptoribus, eo tempore quo Lutherus caput extulit, præter Judaicam, Mahometicam et paganam, non fuisse nisi Catholicam et Hussiticam.

Tertiò, si dicas illarum aliquam, v. g. Lutheranam, semper fuisse, sed latuisse; peto in quo loco fuerit, in quibus regnis et oppidis : qui fuerint ejus defensores? Deinde, unde nôsti, illam antea extitisse; cùm id non ex scriptoribus constare possit, qui nihil tale insinuant, sed contrarium. Præterea cùm ubique fuerint inquisitores hæreticæ pravitatis, quo pacto ita latere potuit hæc religio per tot centurias annorum, ut nunquàm detegeretur : nunquàm aliquis ejus sectator incideret in illorum manus et castigaretur? Nunquàm aliqua secta hæretica ita se occulere potuit, quin sæpiùs deprehenderetur, et in examen ac quæstionem publicè vocaretur. Ad hæc, si ante Lutherum illa religio erat in mundo, quomodò ejus cultores, qui hactenùs latuerant, Luthero prædicante non se prodiderunt, agnoscentes suæ fidei doctorem, et suæ religionis contesserationem? Quomodò tunc non emerserunt in publicum, complectentes socium et patronum, qui religionem ipsorum jam ante oppressam vindicabat in libertatem? At nulli tales comparuerunt, qui jam ante illâ religione essent imbuti; sed omnes qui Luthero se adjunxêre, antea catholicam religionem fuerant professi : sicut et ipse Lutherus antea catholicus et monachus fuerat, et missas per 15 annos celebrârat seriò et devotè, ut ipsemet fatetur.

Sed objiciunt aliqui, tempore Eliæ Ecclesiam Dei fuisse occultam, adeò ut Elias putaret se solum relictum fidelem : ut patet 3 Reg. 19, et ad Rom. 11. Cùm enim Elias dixisset Domino : *Altaria tua destruxerunt, prophetas tuos occiderunt gladio, et ego derelictus sum solus, et quærunt animam meam :* responsum ei à Domino : *Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal.* Simili ergo modo fieri potuit, ut Ecclesia Lutherana, vel Calvinistica, olim ratione persecutionis fuerit occulta.

Respondeo primò, si solùm ageretur de exiguo aliquo tempore, quo sævit persecutio (sicut tempore Jezabel in Samariâ) aliquid fortassè hæc objectio coloris haberet : verùm ut tot seculis occulta manserit, nullâ ratione fieri potuit : neque ullum hujus rei in totâ antiquitate potest afferri exemplum. Nulla enim potest esse tanta hypocrisis, tantum artificium simulandi, et tegendi sensa animi in causâ religionis, in aliquo notabili hominum cœtu, quin successu temporis detegatur. Unde religio christiana quòcumque penetravit inter ethnicos, non diù latuit, sed mox se aperuit, quantùmvis magna impenderent pericula. Pari modo detectæ hæreses et hæretici, quantùmvis niterentur suam fidem occultare, ut patet in Pelagianis, Manichæis et aliis.

Secundò, etiamsi concedamus, pro aliquo tempore veram Dei Ecclesiam in Samariâ fuisse occultam ob persecutionem Jezabelis, absolutè tamen et universè occulta non fuit. In Juda enim publicè verus Deus legitimè colebatur. Ibi erat templum Domini, et veri sa-

cerdotes, et publica sacrificia, et concursus fidelium, et verbi divini sincera expositio. Mirum non est in aliquo particulari loco, vel regione quâpiam, Ecclesiam ad tempus aliquod occultari, id enim quotidianum est : sed ut absolutè, et toto orbe occulta sit, fieri non potest, cùm sit *civitas supra montem posita,* ut omnes gentes eam videant, et ad eam accurrant, juxta vaticinium Isaiæ : *Venite et ascendamus ad montem Domini,* etc. Isaiæ 2. Imò etiam in locis, quibus subinde causa persecutionis ad tempus se occultat, nunquàm ita latet, quin multis indiciis se prodat, et famam suî excitet, etiamsi asperrima vigeat persecutio. Nemo nescit in Angliâ plurimos esse sacerdotes, etiamsi studiosissimè in eos inquiratur. At quæ unquàm fama, quæ suspicio, quis sermo ante Lutherum fuit de religione Lutheranâ, vel Calvinisticâ ? Nullus historicus, nullus scriptor vel talis religionis, vel aliquorum qui tale doctrinæ corpus tenuerint, meminit. Mera ergo desperatio est, ad hoc præsidium occultationis confugere.

Ex quibus luce meridianâ clarius est, Lutheri religionem novam omninò esse, et ante illius tempora mundo incognitam : neque ullum hominum cœtum, aut etiam fortè personam particularem ante illum extitisse, qui eamdem religionem, hoc est, eadem fidei capita omnia, idem corpus doctrinæ fidei tenuerit. Etsi enim aliqua dogmata à veteribus hæreticis acceperit, non tamen idcircò eadem est religio Lutherana et veterum hæreticorum, nisi secundùm partem. Nam religio est complexio omnium capitum quæ ad fidem pertinere statuuntur. At nemo ante ipsum eamdem dogmatum complexionem docuit.

Idem convincitur aliâ ratione. Nam constat veteres Patres et Doctores, qui singulis seculis floruerunt, Lutheranæ religionis non fuisse. Confitentur enim libertatem arbitrii, et necessitatem bonorum operum, et merita vitæ æternæ, et legis divinæ possibilitatem : probant invocationem sanctorum, cultum reliquiarum et imaginum, sacrificium Missæ pro vivis et defunctis, ordinationem ministrorum, votorum monasticorum, evangelica consilia, quadragesimalis jejunii usum, et similia, quæ illa religio tanquàm superstitiosa, Deo injuriosa et impia rejicit. Quòd autem veteres omnia illa fateantur et probent, perspicuum est ex eorum scriptis, nec ipsi Lutherani et Calvinistæ negare possunt : sed dicunt hæc esse veterum nævos. Pulchri sanè nævi, superstitio, idololatria, impietas. Quòd si superiorum seculorum Doctores hanc religionem non tenuerunt, sed ejus placita passim improbârunt, perspicuum est eam non esse antiquam, sed novam. Nam in Ecclesiâ non fuit aliqua religio habita pro verâ Christi religione, præter eam quam Patres et Ecclesiæ Doctores tenuerunt.

Ex his clarè sequitur Lutheranam religionem non esse religionem Christi. Christi enim religio non est nova, sed antiqua : at Lutheri religio est nova, ut ostensum est, non antiqua. Christi religio jam inde à temporibus Apostolorum semper fuit in mundo ; at Lutheri religio non semper fuit, sed cœpit jam ab annis 321. Ante annos 321 non erat, ut ostensum est. Rursùs, si Lutheri religio est vera Christi religio, cœtus hominum eam tenentium est vera Christi Ecclesia; ergo Christi Ecclesia ante Lutherum non fuit : quia nec religio Lutherana, quæ Ecclesiam constituit, ante Lutherum fuit, ut ostensum est. Si dicas eam fuisse temporibus Apostolorum, et prioribus aliquot seculis, probandum tibi est, aliquos tunc fuisse, qui illam dogmatum complexionem tenuerint. Nos certè contrarium facilè probamus. Nam constat sacrificium Missæ pro vivis et defunctis, ordinationes ministrorum, vota monastica, et similia quæ Lutheranæ religioni repugnant, temporibus Apostolorum et proximis seculis in Ecclesiâ fuisse.

Deinde, esto, temporibus Apostolorum, et aliquandiù postea fuerit, tamen tertio saltem et quarto seculo cœpit omninò deficere. Quod etiam ipsi Lutherani doctores fatentur, ut patet ex opere Centuriarum ab ipsis edito, centuriâ 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, cap. 4. Ergo saltem per 1300 annos Ecclesia Christi collapsa est et intercidit. Nam ut minimum tam diù constat Lutheranam religionem non fuisse, sed huic planè contrariam viguisse. Extincta itaque fuit tot seculis vera religio, obscuratum Evangelium, eversa Christi Ecclesia, donec propheta Germanicus Lutherus emersit, qui funestas tenebras depelleret, orbi lucem Evangelii inferret, et Ecclesiæ ruinas instauraret. Indicant hoc passim Lutherani in quibusdam Germaniæ oppidis, cùm prægrandibus litteris in frontispiciis domorum scribunt in hæc vel similia verba : *Anno tali, illuxit huic urbi lumen verum Evangelii Christi, superstitione depulsâ,* etc. At si Ecclesia Christi tot seculis intercidit, quomodò verum est ipsam ædificatam esse supra petram, et non potiùs super arenam? Quomodò portæ inferi adversùs eam non præva-

luêre? Quomodò ipsa est *domus Dei, firmamentum et columna veritatis* (1 Tim. 3)? Quomodò regnum Christi (quod est Ecclesia) est stabile, firmum, æternum, quod nunquàm dissipabitur?

Si dicas, Ecclesiam et religionem Lutheranam omnibus retrò seculis usque ad Apostolorum tempora fuisse, sed occultam, præterquàm quòd id absque auctore asseritur, omni probabilitate caret, ut ostensum est. Sed demus, occultam fuisse : ergo illa non erat Ecclesia Christi. Hæc enim est *civitas supra montem posita,* quæ abscondi non potest; hæc est *mons domûs Domini præparatus in vertice montium, et elevatus super colles, omnibus conspicuus, ad quem fluent omnes gentes;* hæc est regnum Christi diffusum à *mari usque ad mare, et à flumine usque ad terminos terræ :* hæc est *mons ille magnus, replens universam terram.* Ecclesia enim Christi mundo debet esse conspicua, tum ut suo cultu et decore, suisque moribus, ex externâ specie gentes ad se alliciat; tum ut qui volunt fieri Christiani, sciant quò se debeant conferre, quos adire, à quibus instructionem petere. Similiter ejus doctrina et fides manifesta esse debet; alioquin mundo esset inutilis, nec posset gentes convertere. Unde etiam in maximis persecutionibus nunquàm ita latuit, quin passim cognosceretur; ut ex historiis ecclesiasticis constat; hinc tanta martyrum multitudo. Deinde si tot seculis latuit, indigna prorsùs fuit hoc nomine. Quomodò enim dici potest Ecclesia Christi, quæ Christi sinceram doctrinam non audet confiteri? quæ tam pusilli est animi, et ita mortem timet, ut se abdat in tenebras, et tot seculis non audeat prodire in lucem? Denique quæ tot seculis non solùm se occuluit, et sinceram fidei professionem suppressit, sed etiam professa est fidem falsam, nempe papisticam, adoravit idola, contaminavit se mille superstitionibus et sacrilegiis? Nam ante Lutherum omnes Christiani exteriùs in omnibus gerere se debebant ut catholici : alioquin mox ab inquisitoribus et episcopis deprehensi fuissent, et tanquàm hæretici puniti. Miserabilior itaque et deformior fuisset Ecclesia Christi ruinis synagogæ, seu sectâ Judaicâ, quæ semper suas synagogas, et liberam suæ religionis professionem quibusdam locis habuit; nec coacta est, saltem generatim, ad idolorum cultum. Miserabilior et deterior sectis omnibus hæreticis. Nulla enim unquàm secta fuit alicujus nominis, quæ non sua templa, vel domos religiosas, suos conventus, suos episcopos, suæ religionis formam et professionem habuerit, ita ut passim cognosci posset.

Ex his perspicuum est nihil absurdius dici posse, quàm Ecclesiam Christi tot seculis latuisse. Itaque concludo hoc dilemmate : Vel religio Lutherana et Calvinistica ante suos auctores extitit, vel non extitit; si non extitit, ergo est planè novitia; ac proinde non potest esse religio Christi, quæ est antiqua : si extitit, ergo fuit occulta, ac proinde non potuit esse Christi religio, quæ semper fuit manifesta. Quæ de Lutheranâ religione in isto discursu dicta et probata sunt, eadem probata intellige de Calvinisticâ et Anabaptisticâ. Nam eadem harum trium est novitas, eadem ratio : sed claritatis causâ, et ne sæpiùs tria illa nomina fastidiosè repetantur, unam tantùm nominavimus.

Concludo, itaque verbis sancti Hieronymi, qui sic scribit : « Brevem tibi apertamque « animi mei sententiam proferam : in illâ « Ecclesiâ esse permanendum, quæ ab Aposto- « lis fundata, usque ad diem hanc durat. Si- « cubi audieris eos qui dicuntur Christi, non « à Domino Jesu Christo, sed quopiam alio « nuncupari, ut puta Marcionitas, Valentinia- « nos, Montenses, sive Campitas, scito non « Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse syna- « gogam. Ex hoc enim ipso quòd postea insti- « tuti sunt, eos se esse indicant, quos futuros « Apostolus prænuntiavit. Nec sibi blandiantur « si de Scripturarum capitulis videntur sibi « affirmare quod dicunt : cùm et diabolus de « Scripturis aliqua sit locutus; et Scripturæ « non in legendo consistant, sed in intelli- « gendo. » Novitas itaque est signum hæreseos ab Apostolo prænuntiatæ; appellatio, signum novitatis; usurpatio Scripturæ diabolo et omnibus hæresibus communis.

Secunda ratio, ex defectu successionis. — Altera ratio, cur illæ religiones non sint probandæ, est quia carent successione ministrorum ab Apostolis continuato ordine deductâ : quæ successio est necessaria ut aliqua religio vel Ecclesia censeatur Apostolica. Nam sine hâc successione non potest cum Apostolicâ continuari. Unde passim docent Patres, eos qui apud se veram Christi Ecclesiam esse dicunt, debere successionem suorum episcoporum ostendere, eamque sursùm versùs usque ad Apostolum aliquem continuatâ serie reducere. Quod si non possunt efficere, clarè convinci, veram Christi Ecclesiam apud eos non

esse. Sic Optatus Milevitanus libro 2 contra Parmenianum, volens convincere Donatistas, apud eos Ecclesiam non esse, ait : « Vestræ cathedræ originem ostendite, qui vobis vultis « sanctam Ecclesiam vindicare. » Tertullianus de Præscript. adversùs hæreticos : « Cedant hæ« retici origines Ecclesiarum suarum, evolvant « ordinem episcoporum suorum, ita per succes« sionem ab initio decurrentem, ut primus ille « episcopus aliquem ex Apostolicis viris habue« rit auctorem et antecessorem. » Eodem argumento utuntur passim alii Patres, Irenæus, Epiphanius, Hieronymus, Augustinus, etc.

Constat autem nec Lutheranos, nec Calvinistas, nec Anabaptistas id vel in speciem facere posse. Cui enim, obsecro, Lutherus, qui harum religionum maximâ ex parte est auctor et parens, successit? Cujus cathedram et auctoritatem occupavit? Quis ante eum Lutheranæ religionis antistes fuit? Quis ante Calvinum vel Zwinglium Calvinianæ? Quòd si nemo assignari potest, perspicuum est eas carere illâ successione, quam Patres requirunt, ut Ecclesia aliqua cum Apostolis copuletur.

Rursùs, non solùm carent successione cathedræ et auctoritatis, sed etiam ordinatione gradûs, ab Apostolis descendente. Duplex enim in ministris Ecclesiæ potestas semper fuit requisita, utraque ab Apostolis continuato ordine derivanda, ut supra, consideratione septimâ, dictum est : nimirùm potestas Ordinis, per quam offertur sacrificium, et conficiuntur Sacramenta ad sanctificandos fideles ; et potestas jurisdictionis, per quam datur jus regendi et pascendi Ecclesiam verbo Dei, etc. At neutram ipsi ad Apostolos referre possunt. Non enim potestatem jurisdictionis, cùm careant successione, ut ostensum est. Neque etiam Ordinis. Quis enim ordinavit Lutherum vel Calvinum episcopum Ecclesiæ suæ. Si dicant ordinationem non requiri, contradicunt toti antiquitati, et perpetuo Ecclesiæ usui. Nunquàm enim in Ecclesiâ habitus fuit episcopus, ita ut munia omnia episcopalia obire posset, nisi ab alio episcopo ordinatus, cui ex Apostolorum constitutione duo alii episcopi debent conjungi, ut expressè præcipitur can. 1 Apostolorum, et can. 4 synodi Nicænæ ; et insinuat Apostolus scribens episcopo Timotheo, et monens : *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii* (1 Tim. 4) : hoc est, cœtus episcoporum qui simul cum ordinante manus ordinando imponebant, ut Patres exponunt.

Ex quibus clarè constat, Lutheranos et Calvinistas neutram potestatem ab Apostolis habere, secundùm neutram ab Apostolis descendere, neutram in Apostolos posse reducere ; ac proinde veram Christi religionem et Ecclesiam non habere. Hæc enim, quoad utramque potestatem, ab Apostolis derivari, ipsisque continuari debet, ut ostensum est. Omnis enim potestas spiritualis à Christo per Apostolos et eorum successores, continuâ quâdam successione et communicatione, in reliquos ministros derivari debet : sicut vita corporalis continuâ quâdam successione à primo homine per medios derivatur ad extremos. Sicut enim in veteri Testamento nulli erant sacerdotes, nisi qui descendebant ex Levi per Aaron, ita in novo nulli sunt sacerdotes vel episcopi, nisi qui gradu Ordinis et jurisdictionis potestate à Christo summo sacerdote per Apostolos eorumque successores descendunt. Sicut ergo synagoga non poterat esse sine sacerdotibus, continuatâ serie descendentibus ex Aaron, ita Ecclesia Christi non potest esse sine sacerdotibus, seu episcopis, continuatâ serie descendentibus ab Apostolis et eorum successoribus. At Lutheranorum et Calvinistarum cœtus nunquàm tales ministros habuerunt; nunquàm apud eos fuerunt episcopi legitimè ordinati, et jurisdictionis potestate ab Apostolis eorumque successoribus descendentes, qui populo præessent. Perspicuum est ergo apud eos Ecclesiam Christi non esse.

Tertia ratio, ex defectu missionis. — Tertia ratio, quia hæ religiones inductæ ab iis, qui nullâ legitimâ auctoritate missi, sed à seipsis venerunt. Hoc autem meritò illas suspectas reddere debet erroris, et auctores earum, ne fortè sint lupi et seductores. Nemo enim in Ecclesiâ prædicare potest, nisi legitimâ auctoritate fuerit missus, juxta illud Apostoli : *Quomodò prædicabunt, nisi mittantur?* Ad Rom. 10. Alioquin maxima nascetur in Ecclesiâ confusio. Quivis enim officium prædicandi, et Ecclesiam regendi, sibi assumere posset, et quosvis errores disseminare. Si enim in repub. temporali et politiâ humanâ, nemo seipsum potest intrudere, et assumere magistratum ad regendum populum in rebus terrenis ad hanc vitam duntaxat pertinentibus, sed debet à principe ad hoc constitui, quantò minùs in Ecclesiâ, in regno Christi spiritali, potest quis sibi arrogare officium pastoris ad regendum populum in iis quæ salutem spectant æternam ; sed ab Ecclesiæ supremo rectore, et sacrorum

principe, constitui debet? Multò enim magis vitanda est confusio regiminis in Ecclesiâ quàm in politiâ; cùm illa in perniciem cedat animarum, hæc solùm in damna fortunarum vel corporum.

Deinde, *qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, hic fur est et latro,* inquit Dominus. (Joan. 10.) At is qui absque legitimâ missione et auctoritate assumit sibi officium pastoris in Ecclesiâ, is non intrat per ostium, sed ascendit aliunde, ut Patres passim exponunt, et per se satis constat. Quid enim aliud est, *intrare per ostium,* quàm intrare legitimâ viâ, legitimâ auctoritate? Ostium enim est via ordinaria, ad hoc instituta ut per eam intretur in ovile. Unde designat auctoritatem, per quam ministri debent admitti in ovile Christi, ad oves Christi regendas et pascendas.

Rursùs, Dominus apud Joannem ait : *Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit; qui autem quærit gloriam ejus qui misit eum, hic verax est, et injustitia in illo non est.* (Joan. 7.) Quibus verbis significat, non esse credendum iis qui legitimè missi non sunt, sed à seipsis veniunt, quia gloriam propriam quærunt : ac proinde non ad veritatem, sed ad honorem et compendium loquuntur, et doctrinam suam omnem eò dirigunt.

Denique Apostolus in Epist. ad Hebræos adeò hanc missionem necessariam ducit, ut etiam in Christo Domino eam requirat : *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquàm Aaron. Sic et Christus non semetipsum clarificavit ut pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum : Filius meus es tu, ego hodiè genui te.* (Ad Hebr. 5.) Unde Dominus toties inculcat Judæis suam missionem, nimirùm quòd à se non venerit, sed à Patre missus, idemque multis modis confirmat.

Ex his clarè deducitur, Lutherum, Calvinum, et similes novos doctores audiendos non esse, et eorum doctrinam vitandam. Quia constat, eos aliquâ legitimâ auctoritate missos non esse, sed à seipsis venisse : constat eos sibi magistratum et officium pastorum et jus reformandi in Ecclesiâ usurpâsse : constat non intrâsse per ostium, et viâ legitimâ, sed aliunde ascendisse in ovile; ac proinde, juxta Domini sententiam, pro furibus et latronibus habendos.

Dicent fortè, se esse missos à Christo immediatè, sicut olim Prophetæ mittebantur extraordinario modo à Deo ad reformandum populum : et sicut Apostoli missi fuêre à Christo Domino ad mundum convertendum : et post ascensionem Domini Paulus, qui non ab hominibus missus est, nec ab hominibus Evangelium accepit, sed proximè ab ipso Domino.

Verùm primò, non satis est hoc dicere et fortiter affirmare, sed oportet probare, et convincere esse verum, ne legitima causa populo et pastoribus ordinariis relinquatur, eos tanquàm impostores rejiciendi : sicut Prophetæ et Apostoli non solùm dixerunt se missos à Deo, sed id etiam abundè signis divinis demonstrârunt.

Secundò, omnes hæresiarchæ, et omnes pseudoprophetæ, omnibus seculis idem dixerunt, nempe se à Deo missos esse, et suam auctoritatem ab eo accepisse. Vel ergo omnes acceptandi sunt, vel nulli. Cur enim potiùs credam, v. g., Calvinum missum à Deo quàm Lutherum, vel Mennonem, vel Muntzerum, vel Arium hæresiarcham, cùm ille majora suæ missionis argumenta, quàm alii, non proferat?

Tertiò, si Calvinus missus est à Deo, ergo Lutherus à Deo missus non est : et è contrario. Quia si duo contraria prophetant, et uterque alterius prophetiam seu doctrinam erroris et hæresis damnat, uterque alterius religionem destruit : quare si uterque à Deo missus est, spiritus Dei sibi adversatur, seipsum pernegat et evertit, destruens per alium quæ per hunc ædificavit. Inter Prophetas à Deo missos semper fuit summa doctrinæ consensio.

Quartò, si Lutherus vel Calvinus à Deo missus est ad Ecclesiam reformandam, peto quo tempore, quo loco Deus illis hoc ministerium imposuit? quibus verbis sive interiùs, sive exteriùs ad eos usus est? Quomodò capita reformationis eis declaravit, quem ordinem et modum præscripsit? Quomodò, quâve formâ illis apparuit? Exteriùsne modo visibili, sicut Paulo, an interiùs per visionem imaginariam in extasi aliquâ, sicut Prophetis, et Joanni Evangelistæ in Apocalypsi? Hæc enim omnia Deus, cum iis quos ipse mittebat, observare solet; et ipsi Prophetæ statim initio suæ prædicationis hæc omnia explicabant, ut populus intelligeret, à quo missi essent, quidve illis mandati datum, ut constat ex prophetiâ Isaiæ, cap. 1, 6 et plurimis aliis, Jeremiæ cap. 1, 2, 3 et sequentibus penè omnibus, Ezechielis 1 et sequentibus, Danielis 2 et 9. Denique omnes Prophetæ isthæc ante omnia præmittere consueverunt, ut

in eorum prophetiis est videre. Similiter notum est, quo tempore, quibus verbis Dominus Apostolos miserit, quidve illis injunxerit, etc.

At isti novi Prophetæ tam parùm considerati fuère, ut non adverterint simile quid esse fingendum, si à Deo missi immediatè volebant videri. Unde nulla hujus rei apud eos mentio. Quod est certissimum signum, mendacium esse necessitate cogente confictum, cùm dicunt se à Deo missos. Cui enim dubium esse potest, si minimam hujus missionis divinæ speciem sensissent, id eos non fuisse in suis scriptis prætermissuros, sed statim toti mundo patefacturos, expresso tempore, loco, modo, præcepto Domini, cæteris hùc pertinentibus circumstantiis.

Quintò, accedit, quòd si illi missi à Deo fuère, non solùm fuisse missos ut reformatores morum, sicut Prophetæ mittebantur; sed ut reformatores totius doctrinæ et religionis. Itaque maximè necessaria erat exacta hujus missionis descriptio, et expressio capitum quæ Deus reformari volebat, eaque verbis ipsius Dei ejusque nomine Ecclesiæ erant proponenda, sicut Prophetæ facere consueverunt, cùm nomine Dei populo mandata divina proponebant. At non ita processerunt isti novi Prophetæ, sed casu, et prout res ferebat, ex uno dogmate in aliud sunt devoluti; sicut in contentionibus, cùm animi magis magisque exacerbantur, fieri solet; et sicut experientiâ discebant, se rebus suis maximè posse commodare, et summi pontificis auctoritati, quâ condemnabantur, incommodare. Quod enim pontificiis rebus maximè putabatur obfuturum, vel ipsorum auctoritati profuturum, id statuebatur dogma fidei, et nucleus verbi Dei, ut infra ostendemus.

Sextò, in politiâ humanâ, ad auctoritatem regendi, non satis est dicere, se à principe qui procul absit, et conveniri non possit, ad hoc missum; sed patentes idoneas exhibere debet, sigillo principis munitas, quæ deinde diligenter examinantur, ne qua fraus subsit : et si aliquod indicium imposturæ deprehensum fuerit, non admittitur, donec plenam fidem faciat. Idem videmus in legatis et nuntiis Apostolicis, qui omnes suas patentes authenticas, quibus eorum missio et commissio contineatur, ostendere debent, alioquin non recipiuntur, nec habent auctoritatem Quænam ergo fatuitas est, in Ecclesiâ et regno Christi admittere novos non solùm pastores, sed etiam reformatores totius religionis quâ constat Ecclesia, eo solo nomine, quòd dicant se à Christo missos, se spiritum Dei habere, nullis ostensis patentibus, nullis exhibitis signis, quibus id probent?

Septimò, ipsa quoque ratio temporis vehementer illis adversatur. Si enim Ecclesia jam ab anno sexcentesimo planè concidit, et facta est synagoga Antichristi, ut ipsi docent, cur usque ad hæc tempora dilata est horum reformatorum remissio? Cur Deus solidis novem seculis Ecclesiam in suis ruinis, in superstitionibus et idololatriâ, tanquàm nihil ad se pertinentem, reliquit; et tantis temporum spatiis expletis, primùm ei hosce vel reformatores, vel novos architectos misit? Hiccine est amor Christi in suam Ecclesiam, quam sanguine suo lavit, quam spiritu suo vivificavit, quam sibi in sponsam adoptavit? Longè benigniùs se gessit erga ancillam, synagogam inquam, ad quam tot Prophetas misit; quam in idololatriam vel impietatem declinantem usque ad excidium non deseruit, sed assiduè missis servis suis revocare studuit. Itaque si volebant isti homines videri reformatores, debebant fingere Ecclesiam paulò ante concidisse, non tot seculis in suis ruinis computruisse : alioquin ipsum temporis intervallum eorum missionem confutat, et imprudenter confictam esse ostendit.

Octavò, his accedunt alia signa certissima, missos à Christo non esse; ut prava vita, superbia, contemptus sanctorum Patrum, errores et mendacia in quibus deprehensi, inconstantia doctrinæ, de quibus sequentibus rationibus dicetur.

Denique docent ipsi nihil esse credendum nisi quod habetur in Scripturis. Ostendant ergo ex Scripturis se à Deo ad reformandam Ecclesiam missos esse : quo loco, quibus verbis Scriptura dicat hanc à Domino auctoritatem Luthero vel Calvino esse concessam : alioqui vel ipsis judicibus non possumus eis fidem adhibere, nec ut Ecclesiæ reformatores acceptare.

Lutherani missionem sui prophetæ conantur stabilire quâdam prophetiâ SS. Ambrosii et Augustini, insinuatâ chronographicè hoc versiculo : *Tibi Cherubin et Seraphin incessabili voce proclamant.* Nam ante aliquot annos ediderunt effigiem Lutheri, ære incisam, cum hâc inscriptione :

« Divinum atque admirabile vaticinium DD.
« Ambrosii et Augustini, de tempore et ad-

« ventu S. Lutheri, quo contra Antichristum « Romanum scribere cœpit, ut litteris hujus « versiculi numerum anni repræsentantibus « continetur, quod est apud Christi fideles « admiratione et notatu dignum : »

TIbI CherUbIn et SeraphIn InCessabILI VoCe proCLaMant.

Hujus versiculi litteræ numerales conficiunt 1517, quo primùm Domini anno Lutherus prædicare cœpit.

Verùm hic versiculus parùm causæ Lutheri favet. Nam primò ex hujusmodi numeris, nihil certi colligi potest, ut multis exemplis superioribus annis de successu rerum apparuit. Deinde, ut concedamus esse prophetiam per numeros litterarum de Luthero insinuatam, per eam non significaretur exultatio et gratulatio cœlestium spirituum ob Lutheri prædicationem, sicut volunt Lutherani; sed potiùs excæcatio Lutheri, et omnium eorum qui illius sectam essent amplexuri. Sicut Isaiæ 6, ubi Seraphin simili modo clamant : *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth; plena est omnis terra gloriâ ejus,* (ex quo loco isti versiculi in Hymno sunt positi) designatur excæcatio Judæorum, ut ex sequentibus colligitur. Provocatur enim Deus, ut aspectu suæ sanctitatis, quâ illi omne peccatum summoperè displicet, tanta scelera et impietatem meritò supplicio vindicet. Simili modo vindictam clamabunt sub mundi finem, Apocal. 4, 8. Denique, si scribamus illa nomina juxta rationem Hebræam per M, non per N, nempe Cherubim et Seraphim, uti scribenda sunt, sic exurgent anni ter mille quingenti 17, quibus expletis adhuc clamabunt quidem Cherubim et Seraphim : *Sanctus, Sanctus, Sanctus;* sed hic clamor non erit exultatio de fructu Evangelii Lutheri, sed approbatio justi supplicii, quo ipse cum omnibus suis asseclis in omnem æternitatem torquebitur.

Quarta ratio, ex defectu miraculorum. — Suspectæ habendæ religiones istæ novæ cum auctoribus, quia absque ullis miraculis aut signis divinis introductæ. Hæc tamen maximè erant necessaria.

Primò, ut sic ostenderent se non esse impostores, sed veros pastores à Deo missos, et convincerent Ecclesiam se debere recipi. Cùm enim ex Scripturis constet, novissimis temporibus multos pseudoprophetas venturos, qui jactent se à Deo missos, eosque Dominus attentè cavendos jusserit, nemo novus admittendus est qui suæ missionis πληροφορίαν et plenam fidem non fecerit, sed omnes suspecti habendi. Atqui non possunt ullo modo hanc πληροφορίαν facere, nisi divinis signis, ut sunt miracula, prædictio futurorum, revelatio absconditorum, etc. Hæc enim cùm rerum creatarum vim superent, manifestum est esse à Deo. Unde sunt veluti patentes, Dei sigillo obsignatæ, quibus missio divina probatur. Hinc quotquot à Deo unquàm immediatè missi sunt ad populum docendum, miraculis vel aliis supernaturalibus signis instructi venêre, quibus eorum missio populo est manifestata. Sic Moyses filios Israel educturus ex Ægypto, eisque legem daturus, cum maximâ miraculorum potestate venit; et innumera vel ipse fecit, vel Deus circa ipsum, toties ei sub visibili specie apparendo, exhibuit. Sic omnes Prophetæ vel miraculis vel occultorum revelatione suam missionem probârunt. Idem fecit ipse Dominus Prophetarum : qui etsi clarè ex Scripturis convincere posset se Messiam esse, idque etiam testimonio Joannis Baptistæ satis posset constare, tamen plurimis miraculis statim initio prædicationis se à Patre missum ad hominum salutem ostendit; et Pharisæis odio ipsius credere nolentibus dixit, ut si ipsi propter se credere nollent, saltem operum magnitudine convicti crederent. Pari modo omnes Apostoli apud Judæos et ethnicos multis miraculis suam missionem probârunt. Denique idem fecêre variarum gentium primi Doctores, qui illos ex paganismo ad fidem nostram traduxêre. Quare cùm isti novi prophetæ dicant se missos immediatè à Deo, si id miraculis et signis supernaturalibus non confirment, sicut omnes alii proximè à Deo missi fecêre, non sunt ullo modo audiendi. Nec obstat quòd Joannes Baptista miracula non fecerit : quia Deus circa ipsum multa mira et supernaturalia operatus est, quibus satis constare poterat de ejus missione. Ipsa quoque vitæ austeritas, et morum sanctitas non parvum miraculum erat. Itaque nemo dubitare poterat, ipsum à Deo missum.

Secundò, miracula maximè erant necessaria, ut probarent se non tantùm mitti ut correctores morum, sed etiam ut reformatores et correctores totius religionis, qui Ecclesiam collapsam reædificarent, et regnum Christi extinctum suscitarent, novaque omnia facerent. Quantis opus erat miraculis, ut mundus convinceretur, se teneri ad hæc tam mira et paradoxa credenda, eosque pro talibus acceptandos? Etiamsi mille mortuos excitâssent,

et centena millia claudorum, cæcorum, paralyticorum curâssent, vix satis fuisset, ad tantæ rei fidem faciendam. Primò, quia Apostolus ait : *Licet nos aut angelus de cœlo evangelizet vobis præterquàm quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* (Ad Gal. 1.) Et idem repetens, majoris confirmationis causâ addit : *Sicut prædiximus, et nunc iterùm dico, si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit.* Si angelo aliquid contrarium receptæ fidei doctrinæ annuntianti non esset credendum, quantis miraculis opus esset ut homini alicui de rebus tantis certa fides habeatur, nimirùm Christi Ecclesiam esse penitùs collapsam, idololatriam invectam, fidem extinctam; omnes esse in statu damnationis; maxima religionis capita esse reformanda, et Lutherum vel Calvinum ad hanc reformationem à Deo esse missum? Nonne dignum erat ut omnia miracula Apostolorum et Christi Domini in hoc reformatore reviviscerent? Deinde, quia religio catholica, quæ nunc viget, plusquàm à mille annis est in possessione (quod etiam adversarii fatentur) ut à toto mundo habeatur pro verâ Christi religione, et qui ab eâ recedunt, habeantur hæretici. Ergo sine maximis et evidentissimis signis divinis, quibus clarè constet possessionem iniquam fuisse, non potest deturbari. Debent autem hæc signa adeò esse perspicua, et ita convincere mentes hominum, ut nullus ampliùs relinquatur tergiversandi locus : alioquin non tenentur credere, sed potiùs tenentur tam diuturnæ possessioni favere, et religionem catholicam non deserere. Accedit, quòd Religio catholica omnibus illis seculis maximâ miraculorum gloriâ, et sapientiâ, et sanctitate sectatorum fulserit, et etiamnùm fulgeat. Pluribus ergo et majoribus et clarioribus miraculis opus est, ut legitimè deturbare et rejici possit: majori item sapientiâ et sanctitate, et horum publicâ famâ in sectatoribus illarum religionum novarum, quàm in sectatoribus Ecclesiæ unquàm fuerit.

Denique, quando religio veteris Testamenti apud Judæos mutanda erat, et ex umbrâ ad veritatem, ex typo ad exemplar transeundum, etsi Dominus clarissimè ex Scripturis convinceret illam mutationem esse faciendam, et se à Deo ad hoc esse missum; tamen idem maximis et plurimis miraculis confirmandum censuit, ut nulla relinqueretur illis occasio tergiversandi : quantis ergo opus esse putabimus miraculis, cùm agitur de ipsâ religione novi Testamenti mutandâ, quam Scripturæ clarè pronuntiant nunquàm ampliùs mutandam, sed et Deum illi adfuturum usque ad seculi consummationem, et portas inferi adversùs eam non prævalituras? Quis enim prudenter rem tantam, tam novam, tam paradoxam, tam Scripturis et judicio Patrum omnium adversam, credat sine maximis miraculis? Imò, quæ miracula ad hoc vel probabiliter credendum satis esse queant? Ex his patet meritò nos ab illis miracula exigere; et eos iniquissimè nobiscum agere, cùm sibi absque miraculis in rebus tantis fidem haberi postulant; et nisi omnia credamus, gravissimas persecutiones commovent.

Sed, inquiunt, probamus nostra ex Scripturis. Ita est, sed sensu vestro, non juxta consensum sanctorum Patrum, et receptorum Ecclesiæ Doctorum, qui ante nostras controversias extitère, ac proinde partiales esse non poterant, intellectis.

Deinde, argumenta vestra facillimè instar telæ aranearum à catholicis doctoribus dissolvuntur. Præterea, tot jam ab 80 vel 90 annis orti sunt novi reformatores, tot Ecclesiæ collapsæ instauratores, tot religionis extinctæ suscitatores ; qui etsi quàm maximè inter se sint contrarii, et se mutuò evertant, destruentes singuli quod alius ædificavit, tamen omnes sua confirmant ex Scripturis, omnes hujus solius testimonio nituntur, omnes Scripturam suis substructionibus fundamentum unicum faciunt. Itaque vel omnium, vel nullius probatio admittenda. Denique, cùm nihil sit credendum nisi quod Scriptura dicit, ubinam, quæso, dicit, te à Deo missum ad religionis et Ecclesiæ collapsæ instaurationem?

Dicent fortè, se miraculis non carere : maximum enim esse miraculum, quòd tam brevi tempore, tam multi hoc novum Evangelium sint complexi. Fortassè id aliquem colorem haberet, si illorum religio esset severior et carni asperior quàm religio catholica. Verùm cùm omnem catholicæ religionis severitatem abroget, et carni omnem licentiam tribuat, quid mirum, si multi eam sequantur? Quid mirum si gravia amotis impedimentis deorsùm ruant, et flumina sublatis obicibus ad mare properent? Corrupta natura nostra maximè ad licentiam vivendi propendet, quam in istis religionibus invenit. Itaque eas amplectuntur, non quia vi rationum persuasi, credunt eas esse sanctiores; sed quia inveniunt in illis quod quærebant; et illo nunc absque metu, et sub specie honestâ religionis et pietatis possunt frui. Addo, hoc miraculum ab omnibus istis novis religio-

nibus afferri posse. Nam non solùm ad Calvinistas, sed etiam ad Lutheranos et Anabaptistas multi confluxère. Omnes itaque erunt sanctæ, et Deo auctore eductæ. Sed Deus seipsum negare non potest, nec à se stabilita destruere : ac proinde nec tam contrariarum et se mutuò damnantium religionum esse auctor.

Quinta ratio, ex vitâ et morum conditione.— Quinta ratio, quia hæ religiones introductæ ab hominibus malæ vitæ et infamiâ notatis, superbiâ, invidiâ et maledicentiâ singulari; et nihil minùs quàm spiritum Apostolicum præ se ferentibus. Nam quod ad Lutheri vitam attinet, scimus illum monachum professum fuisse, et quindecim circiter annis sacerdotem; ac proinde duplici voto continentiæ obstrictum. Scimus eumdem relicto monasterio, habitu et professione suâ, ad vitam secularem reversum, et monialem professam è monasterio adductam sibi copulâsse, et cum eâ assiduè vixisse: quâ in re, totius orbis Christiani judicio, duplex sacrilegium commisit; et toties id repetivit, quoties eâ est usus. Quæ ratio vivendi potest esse magis scandalosa? Scimus illum adeò fuisse ventri et libidini addictum, ut assiduè in conviviis et compotationibus versaretur; et diceret usum feminæ magis esse necessarium quàm edere, bibere et dormire et, licitum esse uti ancillâ, si uxor debitum recusaret.

Vitam Calvini descripserunt Hieronymus Bolsecus, Julius Brigerus et alii, pessimis facinoribus plenam : nimirùm, falsis criminationibus, homicidiis, furtis, impuritatibus. Eadem plures alii scribunt, nec unquàm vidi ea à quoquam refutata. De infamiâ Lutheri constat ex facto memorato toti orbi notissimo, cùm monachus professus et sacerdos sanctimonialem professam sibi copulavit. Hoc enim omnium DD. judicio infamiam parit. Si enim jure Cæsareo infamis est qui in adulterio deprehensus est, *L. Palàm* § *Qui in adulterio; de Ritu nuptiarum,* quantò magis qui nuptias bis sacrilegas contrahit, et sacrilego concubitu assiduè utitur! Fœdius enim est esse adulterum Christi, quàm uxoris vel mariti.

De infamiâ Calvini constat ex actis judicialibus Novioduni illum convictum et per sententiam damnatum de nefando crimine, et publicè exurendum fuisse, nisi ad preces episcopi pœna ignis fuisset commutata in supplicium virgarum, et ferri candentis in tergo ustulationem. Unde patet illum quoque jure et facto fuisse infamem. L. 1 *De his qui notantur infamiâ ;* et L. *Quid ergo* § *Ex compromisso*, De his qui notantur infamiâ.

De superbiâ ac maledicentiâ Lutheri constat primò, quia omnis ipsius doctrina hinc exordium sumpsit. Cùm enim quædam indulgentiæ per Germaniam essent promulgandæ, hoc munus prætermissis Augustinianis, quibus id antea sæpiùs commissum fuerat, delatum est fratribus Dominicanis. Id indignissimè ferens Lutherus, primùm contra indulgentias declamare cœpit : quâ de re cùm reprehenderetur, sensim plura et majora contra auctoritatem summi pontificis et alia fidei capita adjunxit, et ingentes turbas per totam Germaniam excitavit, ut fusè scribit Joannes Cochlæus, horum omnium spectator, in Actis Lutheri anni 1577. Hæc superbia et indignatio fons est totius Lutheranæ doctrinæ : absque illa fuisset, Lutherana religio non esset; quare nec tot aliæ, quarum illa parens.

Secundò, Lutherus in Epistolâ ad Argentinenses scribit se libenter negaturum fuisse realem præsentiam Christi in Eucharistiâ, ut papatui incommodaret, nisi Scripturæ in contrarium tam essent claræ. Alio loco sic ait : « Si quod « concilium statueret aut permitteret utramque « speciem, nos nequaquàm utrâque uti velle« mus ; sed in despectum concilii ejusque sta« tuti, aut unâ aut neutrâ uti vellemus, male« dicturi universos, qui ex statuto concilii « utrâque uterentur. » Hìc in despectum concilii etiam re ad salutem necessariâ abstinendum docet ; cùm tamen etiam tyranno licita præcipienti parere possimus, et sæpè debeamus: unde constat quo spiritu actus fuerit; quid enim huic furori possit comparari? Idem lib. contra regem Angliæ scribit, reges, principes, pontifices, non esse dignos qui solvant ipsius corrigiam calceamenti : se pro sancto viro haberi velle, velint nolint homines. Ibidem ait, se non magni facere mille Cyprianos, mille Augustinos. Item principes, reges et imperatores Christianos vocat tyrannos, moriones, stultos, fatuos, feras bestias, carnifices, lendes capitis, bullas, Dei inimicos, nequissimos nebulones; et scurrilia cantica in eos comminiscitur.

De Calvini superbiâ et maledicentiâ sat multa Bolsecus : sat etiam ex libris Calvini est conspicua; contemnit enim passim omnes veteres et sanctos Patres, et audacter erroris accusat. Doctores scholasticos vocat sophistas. Sæpè pro concione in has voces erumpebat : « Ego « propheta sum ; ego Dei spiritum habeo ; ego « si erro, tu es, Deus, qui me propter peccata

« populi in errorem mittis et decipis,» etc. Litteras et opuscula quædam sua, in quibus suas laudes, dignitates, et in Ecclesiam merita decantabat, alieno vel ementito nomine edebat in lucem, ut Bolsecus et alii scribunt. Plurima alia hujus generis possem afferre, tum contra istos, tum contra alios novarum religionum hujus seculi auctores et propugnatores : sed invitus in hoc genere versor. Qui plura volet, legat Vitam Bezæ per Bolsecum, et Julii Brigeri Flores, Surii Commentarios et alios.

Quis nunc istis perpensis in animum inducat, Deum hujusmodi hominibus, qui et omni jure et orbis judicio erant infames, quorum vita turpissima, lingua effrenis et maledica, animus tumidus, ambitiosus, iracundus et invidiâ plenus, ad reformationem Ecclesiæ suæ uti voluisse? Quis unquàm hujusmodi mores vel in Apostolis, vel Prophetis notavit? Erant quidem Apostoli plerique conditione humiles; nulli tamen ob flagitia infames. Et quamvis essent indocti et simplices, repente tamen facti sunt sapientiâ, vitæ sanctitate, et miraculorum gloriâ admirabiles. Mira in illis animi demissio, mira mansuetudo, mirus gloriæ, rerum terrenarum et voluptatum hujus vitæ contemptus, mira in proximum charitas, mira in verbis modestia et circumspectio. Similes mores cernimus in omnibus quibus Deus usus est vel ad gentium conversionem, vel ad morum populi Christiani reformationem. V. g., in S. Augustino Anglorum Apostolo, in S. Bonifacio Germanorum, in SS. Adelberto, Othone, Willebrordo, Eligio, et in aliis aliarum gentium : in S. Benedicto, Bernardo, Romualdo, Dominico, Francisco, et aliis, quorum exemplo et doctrinâ plurimi ad contemptum terrenorum et amorem cœlestium sunt excitati.

Si ad alicujus provinciæ conversionem, si ad morum nonnullam in populo correctionem, Deus talibus viris, quorum vita mundo erat admirabilis, usus est, qui tamen non immediatè à Deo, sed à summo pontifice suam missionem accepêre; quales, obsecro, par erat esse eos qui mittebantur immediatè à Deo, idque ad reformationem præcipuorum capitum religionis, imò ad totius Ecclesiæ et regni Christi collapsi instaurationem? Etiam tota sanctitas et excellentia, omnes virtutes et omnia dona spiritalia quæ fuerunt in S. Joanne Baptistâ et in omnibus Apostolis, simul in unum conflata ipsis infusa fuissent : hoc tamen totum haud satis fuisset ad sufficientem illis auctoritatem tantæ molitionis conciliandam. Et nos tam fungi erimus, ut credamus divinam sapientiam, ad rem adeò stupendam, usam fuisse hominibus non solùm nullâ vitæ sanctitate commendatis, sed etiam infamibus, impuris, ambitiosis, vindictæ cupidis et maledicis? Quid enim hoc aliud erat quàm omnibus micam prudentiæ habentibus justam dare occasionem eos non admittendi, sed ut impostores aversandi? Nam qui per infamiam non possunt admitti ad ullam dignitatem, ad ullum officium, sive ecclesiasticum, sive seculare, imò nec ad accusandum, nec ad postulandum, quomodò admittentur ut reformatores religionis, ut architecti Ecclesiæ, ut judices episcoporum, pontificum et conciliorum œcumenicorum?

Sexta ratio, ab erroribus et inconstantiâ doctrinæ. — Sexta ratio, quia auctores harum religionum apertos habent errores, et sunt in suâ doctrinâ valdè inconstantes : quod est clarum signum eos infallibilem Spiritûs sancti directionem non habere; ac proinde à Deo immediatè missos non esse, nec eis fidem adhibendam.

Nam quotquot à Deo fuêre missi ad populum docendum, ita ab eo regebantur, ut in suâ prædicatione suisque scriptis, falli nullâ in re possent. Unde nullus unquàm vel minimus error in doctrinâ Prophetarum aut Apostolorum repertus est : quod etiam insinuat Dominus, cùm ait : *Iota unum aut unus apex non præteribit à lege donec omnia fiant.* (Matth. 5.) Idem fusè docet D. August. Epist. ad Hieronymum, ubi dicit si in aliquo scriptore sacro vel unum mendacium inveniretur, ruituram totam illius scriptoris auctoritatem. Qui enim in uno deceptus est, in aliis quoque decipi potuit; unde firmiter eo niti non possumus. Idem multis locis docet Lutherus, cujus hæc sunt verba : « Si semel deprehenderer ita mentitus, falsus « et crassè stolidus, jam tota mea doctrina et « honor et fidelitas finem penitùs haberet; « unusquisque me pro nequam et infami ne« bulone (ut æquum est) habiturus esset (lib. « contra Emserum). » Et alibi : « Qui semel « mentitur, hic certissimè ex Deo non est, et « suspectus in omnibus habetur. » (In assert. Teuton. art. 25. Quod sex aliis locis in suis operibus inculcat. Imò ipse Dominus in Scripturis hoc nobis indicium dedit, ut si deprehenderimus Prophetam in aliquâ re falsum pronuntiâsse, certò sciamus illum à Deo missum non esse.

Hoc tanquàm certissimo fundamento posito, conficio hanc ratiocinationem : Quicumque vel

in uno errat in suâ doctrinâ, hic non est missus à Deo; at Calvinus et Lutherus in plurimis errant in suâ doctrinâ ; ergo certum est non esse missos à Deo. Major jam satis probata est, quam et ipsi adversarii confitentur. Minor probatur : Ut enim omittam ea quæ falsò Catholicis imponunt, et quæ falsò affirmant in nostrâ doctrinâ esse nova, et veteribus ignota; ut prætercam errores historicos et chronographicos, afferam duos tantùm maximi momenti utrique communes. Prior est : « Nullam esse « arbitrii nostri libertatem, sed omnia ineluctabili necessitate fieri. » Aliter est : « Deum « non minùs esse auctorem et impulsorem ope« rum malorum quàm bonorum. »

Istos errores esse manifestarios et exitiales, constat : quia tollunt omnem politiam, omnes exhortationes, omnes leges et præcepta, omnes judices et tribunalia. Hæc enim omnia sunt vana, si non est arbitrii libertas. Injusta quoque erit omnis flagitiorum punitio : nam quod non est liberum, et quod, Deo impulsore, agitur, nullam pœnam meretur. Denique tollunt infernum, et vitæ futuræ pœnam omnem. Omnium quoque criminum effusam licentiam ingerunt, ut supra, consideratione secundâ, ostensum est. Hæc duo dogmata multis occasionem dedêre, ut ex Calvinismo ad Turcismum vel etiam ad atheismum transirent ; satius enim est nullum habere Deum, quàm habere illum qui omnium scelerum sit impulsor.

Jam verò inconstantia doctrinæ etiam in rebus maximis est incredibilis. A condito orbe non extitit scriptor ita inconstans, ita suî immemor, sibi contrarius et suæ doctrinæ eversor, ut Lutherus. Non enim minùs sibi ipse quàm sanctis Patribus et conciliis repugnat, ut fusè ostendit inter cæteros D. Cochlæus, in opere inscripto, Lutherus septiceps, idque in omnibus penè fidei capitibus. De solà communione Eucharistiæ ex ipsius operibus ipso vivo notatæ sunt 36 contradictiones à Gasparo Querhamer laico Saxone, in Tabulâ contradictionum Lutheri, et in lucem editæ cum maximâ Lutheri confusione et auctoritatis ipsius imminutione. Et de communione sub utrâque specie, notata sunt à D. Cochlæo contradictoria capita septem. Denique totus liber Cochlæi inscriptus, Lutherus septiceps, nihil aliud continet quàm ejus contradictiones et contrarias de omnibus penè controversis articulis sententias, ipsius verbis expressas. In omni autem contradictione necesse est alteram partem falsam esse.

Calvini antilogias refert Coccius ipsius verbis 24; mihi satis erit duas ponere. De omnipotentiâ Dei uno loco dicit : « Verbo Dei nulla « est impossibilitas objicienda » (ad c. 1 Lucæ). Alibi dicit : « Illud somnium de potestate ab« solutâ in Deo, quam scholastici introduxe« runt, execranda blasphemia est » (ad cap. 23 (Isaiæ). Item : « Ego detestor hanc doctri« nam quâ papistici theologi sibi placent, fin« gentes in Deo potestatem quamdam abso« lutam (de prædestinatione). » Christi divinitate uno loco scribit : « Christum esse verum « Deum, ejusdem cum Patre essentiæ » (ad cap. 1 Joan. v. 1). Alibi dicit : « Nomen « Dei per excellentiam ad solum Patrem per« tinere : hunc solùm ac propriè cœli ac ter« ræ creatorem esse : imò et Patri subjectum « Filium etiam secundùm divinitatem » (contra gentilem refutatione 10). Ibidem : « Im« propriam et duram locutionem esse Symboli « Nicæni, *Deum de Deo, lumen de lumine.* » Epistolâ 2 ad Polonos asserit « Christum se« cundùm naturam etiam divinam Patre esse « minorem. » Ecce quò novitas illa devolvitur !

His positis, quis sapiens in animum inducat credere, istos à Deo missos ad Ecclesiæ instaurationem? Quomodò enim Ecclesiam collapsam instaurent, qui propriam doctrinam tam fœdè destruunt? Quibus tam parùm est vel doctrinæ, vel prudentiæ et circumspectionis, ut antilogias in rebus maximis vitare non possint? Sanè quicumque sibi contrarius est, et quæ nunc statuit, mox destruit, eum ex spiritu Dei non loqui luce meridianâ clarius est. *Si enim quæ destruxi*, inquit Apostolus, *iterùm hæc ædifico, prævaricatorem me constituo* (ad Gal. 2). Non potest spiritus Dei sibi esse contrarius, non potest seipsum negare. Accedit, quòd etsi in multis sibi ipsi contradicant et sua placita evertant, audeant tamen dicere se esse certos de suâ doctrinâ ; se scire suam doctrinam esse verissimam, esse ipsissimam Christi doctrinam. Sic enim ait Lutherus : « Certus sum quòd doctrinam meam de « cœlo habeam » (contra regem Angliæ). Item : « Certissimus sum quòd doctrina mea non sit « mea, sed Christi; et quòd doctrina mea non « possit sibi esse contraria, cùm sit doctrina « Christi. » Et alio loco dicit, « Se ita esse « certum, ut doctrinam suam à nemine, ne ab « angelis quidem judicari velit. » Et, « ne« minem salvum esse posse, qui doctrinam « ipsius non receperit. » (Contra statum eccle-

siasticum.) Pari modo Calvinus sæpè pro concione dicebat, « se prophetam esse; se « decipi non posse, nisi Deus ipsum deciperet; » ut supra in quintâ ratione commemoravimus.

Ex quibus manifestè colligas, hos non solùm spiritu Dei non esse locutos, cùm apertos errores et antilogias habeant, sed etiam impostores videri, et populum voluisse decipere. Qui enim dicit se esse certum doctrinam suam, in quâ sunt errores et antilogiæ, esse à Deo, præsumitur non agere bonâ fide, sed loqui contra mentem, ac proinde velle imponere populo. Constat enim illum qui talis est, nullam internam illustrationem habere à Deo, qui illum de doctrinæ suæ veritate aut Dei testimonio certum reddat. Nam Deus contrária testari aut revelare non potest. Quâ fronte ergo tam audacter affirmant, se certos esse doctrinam suam esse à Deo, esse Christi doctrinam? Itaque non bonâ fide in hoc negotio versati sunt, sed imponere mundo voluerunt.

Dicunt aliqui, eos errâsse subinde in principio cùm nondùm spiritum Dei plenè haberent, postea verò non errâsse, nec dogmata sua mutâsse. Sed hoc nullum habet veri colorem. Quicumque enim à Deo immediatè missi fuêre ad populum docendum, statim ab initio missionis suæ infallibilem Dei assistentiam et directionem habuêre, ita ut nunquàm in doctrinâ suâ vel minimùm erraverint, ut de Prophetis et Apostolis constat. Imò maximè initio opus erat illâ directione : quia tunc maximè omnia et singula discutiuntur, et auctoritas doctoribus et doctrinæ est concilianda. Si enim in aliquo errore vel antilogiâ fuissent deprehensi, omnis eorum auctoritas periisset; et meritò tanquàm impostores, qui se finxissent à Deo missos, repudiari potuissent. Pari modo, si Calvinus et Lutherus missi sunt à Deo ad Ecclesiam reparandam, maximè opus erat ut statim ab initio doctrina eorum esset solidissima, omni carens antilogiâ, omni errore, ne velut impostores meritò repelli possent.

Deinde peto quando tandem hanc plenitudinem spiritùs assecuti sunt, ut non ampliùs errare potuerint? Quomodò id mundo constare potuit, ut homines scirent in posterioribus illis fidem habendam esse, in prioribus minimè? Nisi enim id constet, meritò præsumentur etiam in posterum errâsse posse, quos liquet hactenùs errâsse. Denique totâ vitâ varios fuisse suaque mutâsse, correxisse, et in diversis opusculis, vel ejusdem operis diversis locis contraria scripsisse, perspicuum est ex paucis illis quæ supra adduximus, et ex plurimis quæ Cochlæus, et alii verbis illorum commemorant. Quò enim progressi fuêre longiùs, eò ferè acerbiores evaserunt; et quæ initio mitiùs erant dicta, vel exasperârunt, vel in contrarium mutârunt.

Septima ratio, ex dolo malo, et fraudibus, quibus utuntur. — Ea religio suspecta habenda, cujus auctores et propugnatores utuntur dolo malo, fraudibus et mendaciis ad eam propagandam. Vera enim religio hujusmodi subsidiis non eget, sed falsa; quæ cùm veris solidisque rationibus sit destituta, necesse est ut ponat mendacium spem suam. Atqui auctores et propugnatores religionis Lutheranæ et Calvinisticæ multùm utuntur fraudibus et mendaciis ad suæ sectæ propagationem : ergo suspecta meritò habenda est.

Fraudibus eos uti constat, primò, quia Catholicis multa falsò imponunt, ut eos faciliùs oppugnent, et eorum religionem infament : 1° « Papistas adorare statuas, ligna, truncos, « saxa, sicut ethnici sua idola; » sicque quidquid in Scripturis, est contra cultum idolorum, adducunt contra venerationem imaginum. Quâ in re non agunt bonâ fide. Nôrunt enim, vel facilè ignorare non possunt si velint, nunquàm in Ecclesiâ adoratas statuas sanctorum tanquàm deos, aut cultu soli Deo debito sicut ab ethnicis coluntur idola : neque eo modo ut cultus sistat in imaginibus, quasi illis aliquid excellentiæ insit, sed ita ut transeat ad prototypum, seu ad ipsos sanctos cum Christo regnantes. Nam illa externa adorationis nota, quæ fit coram imagine, est veneratio prototypi. Sicut erigere statuam regi, vel illi statuæ caput aperire, non est honor statuæ nisi materialiter, sed est honor ipsius regis. Quòd autem honor iste qui sanctis defertur, non sit cultus latriæ, qui Deo proprius, perspicuum est : quia non colimus aliquem sanctum ut supremum dominum et auctorem rerum; sed solùm ut amicum ejus qui supremus est Dominus. Tanti enim facimus Deum, ut etiam eos quos ipse sublimes fecit, dignos aliquo honore putemus. Quod sanè non in injuriam, sed in honorem Dei cedit; sicut in honorem regis cedit, quòd aulici ejus honorentur propter respectum quem habent ad regem : nimirùm quia sunt ejus domestici, ejus ministri, ejus amici, etc. Hæc dixerim, quia hìc multi simplices impingunt.

2° Papistas adorare panem tanquàm Deum, ac proinde esse ἀρτολάτρας, quasi dicas, panicolas : quo modo sæpè Calvinus Catholicos vocat. Verùm et hìc malâ fide utuntur. Nam sciunt Catholicos credere non remanere panem in Eucharistiâ, sed esse ibi verè, realiter et substantialiter corpus Christi, unà cum animâ et divinitate : et sic non velle adorare panem, sed totum Christum ibi præsentem.

3° Papistas suam fiduciam ponere non in Christi meritis, sed in suis meritis et in sanctis.

4° Papistas docere hominem justificari non per fidem Christi, sed propriis meritis et his similia : quæ nihil sunt aliud quàm meræ imposturæ, ad infamandam doctrinam catholicam excogitatæ. Possem afferre hujusmodi plusquàm centum capita, falsò vel toti Ecclesiæ vel catholicis doctoribus imposita. Quis dicat in hujusmodi hominibus esse spiritum Christi, aut eos sincerè in hoc negotio procedere, et veritatem stabilire velle?

Secundò, non solùm dogmata, sed etiam crimina falsa imponunt, præsertim iis quos maximè putant suis successibus obstare, nimirùm cædes, proditiones principum, et varia turpitudinum genera. Quot, Deus bone, superioribus annis libelli à Calvinistis et Lutheranis prodière, et quotannis adhuc prodeunt in vulgus, quibus sceleratissima et turpissima facta viris religiosis, ab hujusmodi sceleribus alienissimis, impinguntur? Sed facilè detectæ sunt hæ strophæ. Partim enim litteris publicis magistratuum testimonium innocentiæ redditum, et falsitas patefacta est : partim ex ipsâ narrationis serie et circumstantiis clarissimè sunt refutatæ. In quibusdam enim supra 50 aperta mendacia notata sunt, in aliis ad 12, 15, 20, etc. Adeò enim cæcum est fervens odium, ut non curet quâ probabilitate fingat, modò se posse nocere speret. Sed momentaneum est hoc nocumentum, et paulò post, detectâ calumniæ impudentiâ, in magnam cedit commendationem eorum qui calumniam passi, et in detestationem eorum qui ejus architecti fuêre.

Denique dolo malo utuntur in suis dogmatibus confirmandis, Scripturarum et Patrum sententiis aliquid addendo, vel detrahendo, vel immutando, vel omissis perspicuis proferendo quasdam obscuras, ut illorum doctrinæ favere existimentur : Lutherus enim ut suam, de Justificatione per solam fidem, stabiliret sententiam, ad Rom. 3, ubi Apostolus ait : *Arbitramur hominem justificari per fidem*, addit *solam*. Cùmque rogaretur cur id fecisset, respondit in hæc verba : « Si tuus papista morosum et difficilem se præbere volet de voce « (*sola*) statim dic : Papista et asinus eadem « res est : sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas. Nolumus enim papistarum « esse discipuli, sed præceptores. Semel enim « superbiendo gloriabimur adversùs hujusmodi « asinos. » Et infra : « Rogo te, ne quid aliud « hujusmodi asellis respondeas de voce (*sola*) « sed tantùm dicas : Lutherus sic vult, ille « doctor est omnium doctorum in papatu, » etc. (Epistolâ ad amicum de voce *sola*.) En modestiam hujus prophetæ in fraude illâ excusandâ.

Idem Lutherus 2 Pet. 1, vertens illam sententiam : *Quapropter, fratres, magis satagite ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis;* omittit illa verba, *per bona opera*, quia apertè obstabant ejus sententiæ, quâ bona opera nihil ad salutem conferre censebat.

Psal. 75, vers. 12 : *Vovete et reddite Domino Deo vestro*, Lutherus in margine apponit hoc glossema triplicem fraudem continens : « Quòd « pro Deo vestro illum habere velitis, quemadmodùm requirit primum præceptum : et « nolite vovere sanctis vel alia vota. » Proverbior. 31 : *Mulierem fortem quis inveniet?* Lutherus rhythmum amatorium Germanicè apponit ad marginem, hoc sensu : Nihil amabilius in terrâ mulierum amore, cui is obtingere potest.

1 Corinth. 9 : *Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi?* Lutherus de suo addit, *in uxorem*. Quasi Apostoli circumduxerint suas uxores, idque ad opus conjugale.

Zwinglius loco illorum verborum : *Hoc est corpus meum*, contra omnium exemplarium Græcorum et Latinorum fidem in editione Germanicâ posuit : *Hoc significat corpus meum*. Actorum 2 vers. 27 : *Non derelinques animam meam in inferno*; Græcè, Οὐκ ἐγκαταλείψεις τὴν ψυχὴν μοῦ εἰς ᾅδου, Beza vertit : « Non relinques « cadaver meum in sepulcro. » Ψυχὴν, *animam*, vertit in cadaver, et ᾅδην *orcum*, in *sepulcrum*. An non hoc est corrumpere Scripturas?

Calvinus omnia penè Scripturæ loca, ex quibus sancti Patres probant trinitatem personarum, divinitatem Filii aut Spiritûs sancti, ita exponit, ut omnem eorum vim elidat : quâ in re non parùm Judæis, Sabellianis, Arianis

et Macedonianis gratificatur. Totum caput 53 Isaiæ, quod de Christi passione, morte et satisfactione manifestè loquitur, exponit metaphoricè de molestiis quas populus Judaicus peccando exhibuit Deo. Quid violentius aut absurdius dici potest? quid Judaicæ perfidiæ accommodatius? Matth. 19, v. 17 : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Calvinus vult hoc dictum ironicè.

Ad Hebr. 5, v. 7 : *Exauditus est pro suâ reverentiâ;* Græcè, Εἰσακουσθεὶς ἀπὸ τῆς εὐλαβείας : Calvinus εὐλαβείαν exponit metum et dubitationem ; dicitque significari Christum adeò terribili mortis terrore concussum, ut quasi in desperationem incideret salutis æternæ. Omitto alia plurima.

D. de Plessis Calvinista, in quodam suô libro de Cœnâ Domini, plusquàm centum testimonia Patrum et Doctorum, partim mutilando, partim addendo corrupit; et quædam argumenta quæ à Doctoribus contra veritatem afferuntur, ut postea solvantur (sicut D. Thomæ, et aliis doctoribus scholasticis familiare est) tanquàm ex propriâ illorum sententiâ scripta essent, produxit. Quâ de re publicè convictus fuit coram rege Christianissimo à D. d'Eureux, qui fuit illustriss. cardinalis. Nota sunt ista toti Galliæ. Eodem artificio utuntur omnes illorum scriptores, cùm ex Patribus aliquid dogmatum probandum suscepêre.

Præterea omissis locis perspicuis, ubi Scripturæ vel Patres apertè et de industriâ rem explicant, mentemque suam aperiunt, captant obscuros, ubi obiter et aliud agentes rem attingunt. Quo modo plurima testimonia afferuntur non solùm contra præsentiam realem corporis Christi in Eucharistiâ, sed etiam contra alios fidei catholicæ articulos apertissimos, ut contra arbitrii libertatem, contra justitiam internam, contra merita bonorum operum, contra auctoritatem conciliorum, etc. Nihil enim est adeò perspicuum in fide nostrâ, quod non locis aliquibus obscuris Scripturæ vel Patrum in speciem oppugnari possit; nihil adeò absurdum, quod non defendi. Quid enim absurdius dici possit, quàm Christi corpus esse ubique, sicut et divinitas? Et tamen hoc plurimis testimoniis Scripturarum et Patrum confirmare nituntur. Quid absurdius, quàm Deum esse auctorem omnium malorum? hominem non esse liberi arbitrii? Et tamen multa loca obscura ex Scripturis et Patribus ad hæc stabilienda adducunt.

Si veritas quæritur, cur omissis locis perspicuis confugiunt ad obscura, et in his explicandis non acquiescunt judicio Patrum et veterum doctorum, qui ante nostra tempora fuêre, sed suo sensu duntaxat niti volunt? Cùm aliqua Patrum obscura dicta in speciem favent, ea sedulò producunt, et suam doctrinam Patrum auctoritate communire nituntur. Cùm verò Catholici contra ex Patribus afferunt, quæ illorum doctrinam clarè evertunt, respondent Patres fuisse homines errori obnoxios, se niti verbo Dei, quod errare nequeat.

Si dicas etiam Patres verbo Dei niti, respondent Patres mentem verbi divini non esse assecutos, ac proinde deceptos. Si petas quomodò sciant ipsi Patres non esse assecutos verum sensum verbi Dei, se verò esse assecutos, respondent id esse evidens ex verbo Dei. At quomodò evidens, cùm tam diversæ sint interpretationes, et omnes Patres aliter interpretentur quàm ipsi; et Lutherani aliter quàm Calvinistæ vel Anabaptistæ? Evidens, inquiunt, est habenti spiritum, aliis non est evidens. Sic singularum sectarum patroni respondent, et ultimum judicium de singulis dogmatibus in spiritum privatum reducunt.

Dicunt igitur Calvinistæ, omnes Patres, omnes Doctores Ecclesiæ, omnia concilia œcumenica caruisse spiritu intelligendi Scripturas : eodem carere Lutheranos et Anabaptistas : sed se hunc possidere, solisque Calvinistis hunc divinitùs concessum, et idcircò sibi manifestum esse, quidquid docent, esse purum verbum Dei. Idem dicunt Lutherani de conciliis, Patribus, et Doctoribus catholicis et de Calvinistis ac Anabaptistis, nimirùm eos carere spiritu; sibi verò solis hunc datum : et idcircò sibi manifestum esse suam doctrinam verbo Dei esse consentaneam. Denique Anabaptistæ hunc spiritum cæteris omnibus abrogant, et sibi solis vindicant proprium.

Verùm quàm hæc omnia sunt absurda, et ab omni ratione aliena! Quàm incredibile est, omnes Doctores catholicos et Patres caruisse spiritu intelligendi Scripturas; et hunc spiritum solis Calvinistis datum, vel solis Lutheranis aut Anabaptistis! Quàm vanum et frivolum est, ut quæque secta hunc spiritum solis suis cultoribus proprium asserat, nec id aliter probet, quàm id esse manifestum habenti spiritum, et eum cui id esse manifestum non sit, non habere spiritum! Nonne hoc est ambulare in circuitu, et principium petere, et omnem controversiam in id quod maximè obscurum est, et nemini al-

teri constare potest, resolvere? Unde enim sciam te habere spiritum? Quando unquàm Doctores Ecclesiæ catholicæ hoc modo sua dogmata probârunt? Omnis enim probatio debet fieri per id quod adversario est manifestius, et faciliùs ab eo conceditur. At illa probatio super quâ omnia illorum dogmata sunt fundata, procedit ex eo quod maximè est obscurum, et solo nititur testimonio privati hominis, qui in causâ est pars et accusator. Non enim potes mihi probare te habere illum spiritum, nisi solo tuo testimonio, quod de teipso perhibes. At qui de seipso testimonium perhibet, testimonium ejus non est verum, hoc est, non est habendum verum, nisi aliis modis probetur. At illi, v. g., Calvinistæ, aliis modis probare non possunt se hunc spiritum privatum habere, sed volunt sibi credi ad nudam suam asseverationem, quâ dicunt id se certò scire. Itaque nulla ratio est, cur illis fides adhibenda; quin potiùs maxima ratio suppeditat, cur omnibus fides sit abroganda. Spiritus enim Dei non potest sibi esse contrarius; illi autem et inter se et sibi ipsis contrarii sunt : ergo spiritu Dei non reguntur.

His adde, et hoc quoque ad fraudem et dolosam machinationem pertinere. Recesserunt illi à fide avitâ, quæ tot seculis viguit, et novitias religiones sunt amplexati. Principes, juxta morem Ecclesiæ jam inde à Constantini temporibus receptum, eos compellere volunt, ut ad antiquam religionem, quam professi aliquando fuêre, redeant, et novitates illas deserant : quam ob causam conqueruntur ipsi de principibus catholicis, eosque tyrannidis accusant, inimicos Evangelii vocant, totoque orbe illis invidiam concitant, tanquàm qui conscientiis contra salutem æternam vim inferant : denique prætextu hujus libertatis bella et seditiones adversùs eos concitant. Atverò, cùm ipsi, Deo ob peccata nostra permittente, rerum potiti fuerint, nullam libertatem catholicis concedunt, sed asperrimas persecutiones adversùs eos excitant, et cogunt variis tormentis, et bonorum confiscatione deserere religionem antiquam, et capessere novam quam ipsi nunquàm didicêre, cui nunquàm nomen dedêre, cui nihil omninò debent, quam nullis idoneis argumentis confirmatam vident, quam maximis et gravissimis rationibus ab Ecclesiâ in toto orbe Christiano vident damnatam. Hoccine est agere bonâ fide, animo sincero, æquo jure? Nonne hæc est societas leonina, cui omne jus in armis et potentiâ, quæ figit et refigit leges pro suo commodo? Et quænam possit esse major tyrannis in conscientias quàm ista?

Nunquàm in Ecclesiâ coacti ad fidem catholicam, nisi qui illam aliquando professi fuerant, idque nonnisi post idoneam et plenam probationem, cui respondere desertores non poterant. At isti nostri novatores cogunt eos qui nunquàm ipsorum novitates fuêre professi, idque priusquàm eos convincant erroris. Quâ in re etiam contra suam doctrinam faciunt. Docent enim hominem non esse liberi arbitrii, sed omnia decreto et impulsu divino agere, cui resistere nequeat, et Deum solis electis suis fidem infundere. Quo jure ergo catholicos ad fidem cogunt quæ non est in ipsorum potestate? Deinde cùm tota credendi ratio juxta eorum placita ad spiritûs interni testimonium revocetur, iniquè faciunt compellendo catholicos ut credant, non solùm contra testimonium spiritûs interni privati, sed etiam contra testimonium publicum spiritûs Ecclesiæ universalis. Certum enim est ex Scripturis, Ecclesiam spiritu Dei regi, et ideò errare non posse : hoc tamen non est ullo modo certum de privatis hominibus.

Octava ratio, ex eversione bonorum operum.— Illa religio, quæ omne studium bonorum operum tollit, Christo non est deputanda, qui ubique bona opera, et observationem mandatorum Dei commendat : atqui religio Lutherana et Calvinistica omne studium bonorum operum tollit; ergo neutra censenda est Christi religio. Quòd illæ duæ religiones tollant studium bonorum operum, constat : Primò, quia utraque docet hominem omnibus suis operibus bonis nihilò fieri justiorem coram Deo, nihil promereri mercedis æternæ, nihil minùs vel ampliùs in cœlo habiturum præmii, sive pauca, sive plurima, sive nulla bona opera fecerit : solam enim fidem æstimari apud Deum, solâ fide omnem justitiam contineri. Sic enim ait Lutherus : « Ego pro meritis sancti Petri ne unum « quidem obolum darem, ut me adjuvaret; « quia seipsum juvare non potest, sed quid- « quid habet, à Deo habet per fidem in Chris- « tum. » (De X præceptis cap. 1.) Hic apertè docet S. Petrum propter sua opera non fuisse justiorem, aut plus accepisse boni in cœlis, sed solam fidem ejus coronatam. Et alibi: « Ita vides quàm « dives sit homo Christianus, sive baptizatus, « qui etiam volens non potest perdere salu- « tem suam quantiscumque peccatis, nisi nolit « credere. Nulla enim peccata possunt eum

« damnare nisi sola incredulitas : cætera omnia, si redeat vel stet fides in promissionem « divinam, in momento absorbentur per eamdem fidem. » (De Captivitate Babyl. cap. de Baptismo.) Rursùs alio loco : « Opus bonum non potest doceri, nisi lædas fidem, cùm fides et opera in re justificationis extremè adversentur ; ita fit ut doctrina operum necessariò sit doctrina dæmoniorum, et discessio « à fide. » (De Votis monasticis.)

Eadem est sententia Calvini, ut patet ex Institut., ubi dicit, « cum justitiâ fidei nullo « modo sociari posse operum justitiam : nec « solùm opera quæ fiunt solis naturæ viribus, « sed omnia alia, quovis ornentur titulo, ex« cludi per justitiam fidei. » (Lib. 3, cap. 11, § 13.) Idem docet multis aliis locis. Si nihil est meriti in operibus bonis; si illa non reddunt nos Deo gratiores, nec propter illa aliquid præmii in cœlis capiemus, cur nos in illis fatigemus? cur fortunas nostras in opera misericordiæ, in subventiones pauperum expendamus? cur orationi insistamus? cur jejunemus, aut corpus affligamus? Stultum est in iis se fatigare, et de illis esse sollicitum, quæ nullum fructum nobis parient. Quis non videat per hanc doctrinam omne studium bonorum operum extingui ?

Secundò, quia utraque religio docet, omnia nostra bona opera, non solùm nihil boni mereri apud Deum, sed etiam esse peccata, et quidem per se mortifera, etsi ob fidem non imputentur credentibus. Multis locis hoc docet Lutherus : « Justus, inquit, in omni bono « opere peccat » (in Resolut. contra Eckium, et in Assert. art. 31). Rursùs : « Opus bonum « optimè factum veniale peccatum est secun« dùm misericordiam Dei, sed mortale pecca« tum secundùm judicium (in Assert. art. 32). Rursùs alio loco : « Optimum opus nostrum, « quo à Deo gratiam, auxilium et consolatio« nem obtinere nitimur, nobis in peccatum re« putatum est, sicut ait Propheta Psal. 108 : « *Et oratio ejus fiat in peccatum* » (in Assert. art. 29). Idem multis aliis locis inculcat.

Eamdem doctrinam tradit Calvinus ; nam l. 3 Institut. ait : « Omnia opera hominum si « suâ dignitate censeantur, nihil nisi inquina« menta et sordes sunt ; nec ullum à sanctis « exire potest opus, quod non mereatur ju« stam opprobrii mercedem. » Lib. 3, cap. 12, § 4. Idem docet cap. 14 et alibi.

Si omnia opera nostra bona sunt verè peccata sunt inquinamenta et sordes, quæ nam divinam mereantur, quis non videat multò satius esse ab iis abstinere, quàm facere? Abstinendo enim non peccamus, faciendo peccamus : satius autem est non peccare quam peccare. Abstinendum itaque ab eleemosynis aliisque misericordiæ operibus, imò ab omni oratione, quia hæc omnia, ut à nobis fiunt, peccata sunt. Quâ ratione efficaciùs possit omne studium bonorum operum everti, quàm si doceatur, ea non solùm nihilò nos facere justiores aut meliores coram Deo, sed etiam esse sordes, inquinamenta, peccata.

Nec refert quòd subinde dicant Deum requirere bona opera in testimonium fidei, seu ut fidei signa ; id enim dicunt, ne populo videantur omnia bona opera penitùs è medio tollere. Sed frustra hoc colore utuntur. Nam quomodò Deus ea requirit, si sunt peccata, quæ ipse nisi misericorditer non imputaret, æternâ pœnâ vindicare deberet? An requirit ut in fidei signum et testimonium peccemus? Quomodò requirit in fidei testimonium ea quæ potiùs testantur fidei defectum ? Nam qui de bonis operibus sunt solliciti, eo ipso testantur, fidem non sufficere. Si enim fides sufficit, ut illi volunt, et bona opera nihil juvant, quomodo bona opera sunt signum fidei? Itaque studium bonorum operum non est signum fidei specialis, de quâ ipsi loquuntur, et cui ipsi omnia tribuunt, sed fidei catholicæ, quâ credimus fidem non sufficere, sed insuper requiri opera, quæ vitæ æternæ sint meritoria : quam fidem ipsi rejiciunt.

Ex his clarissimum est, per illas religiones omne studium bonorum operum elidi.

Nona ratio, ex licentiâ vitæ quam tribuunt.— Illæ religiones non sunt Christo auctori assignandæ, quæ mentibus hominum timorem Dei penitùs eximunt, et latissimam portam ad omnia scelera omnemque vitæ impuritatem aperiunt. Ubique enim Scriptura nobis timorem divinum injicit : nec quidquam est quod magis ingeminet et commendet, cùm inde omnis vitæ probitas potissimùm pendeat. Atqui religio Lutherana et Calvinistica timorem Dei mentibus hominum penitùs excutiunt, et non minùs omnem scelerum licentiam præbent quàm atheismus ; ergo non sunt auctore Christo natæ. Quod istæ hoc faciant, et quidem quatuor diversis modis, clarissimè ostensum est supra, consideratione secundâ. Idem nunc breviter ostendo his rationibus : Primò, quia Lutherana religio docet Decalogum non pertinere ad fideles Christi, sicut nec leges cæ-

remoniales et judiciales. Sic enim ait Sermone de Moyse : « Ex textu clarè patet quòd etiam « decem præcepta ad nos non pertineant; non « enim nos, sed solùm Judæos Dominus ex « Ægypto eduxit. In novo Testamento Moyses « non tenetur: si eum in uno articulo obser- « varem, debitor fierem diversæ legis obser- « vandæ. » Idem fusè docet in c. 4 Epist. ad Gal. et in c. 20 Exodi. Si Decalogus non magis nos obligat quàm leges cæremoniales, ut expressè docet in cap. 4 Epist. ad Gal., ergo sicut non teneor servare legem cæremonialem, v. g., circumcidere carnem, comedere agnum paschalem, servare sabbata, etc., ita nec moralem seu Decalogum. Si solutus sum Decalogo, quid mihi non liceat? possum itaque idola exteriùs colere, parentes et magistratus contemnere, committere homicidia, adulteria, furta, falsa testimonia, et similia quæ Decalogo vetantur: sicut possum facere ea quæ legi cæremoniali repugnant.

Et quamvis Calvinus eamdem doctrinam de Decalogo non apertè tradat, occultè tamen eam satis insinuat. Primò cùm docet, « legem « Dei etiam sanctis esse impossibilem. » Lib. 2 instit. 7, § 5. Si est impossibilis, ergo non obligat : nemo enim obligatur ad impossibile. Nullus unquàm tyrannus subditos suos ad impossibilia obstrinxit; et Deus id faceret? Absit ab eo tam barbara immanitas. Hoc ergo ipso quo Decalogus cœpit esse impossibilis, desiit ejus obligatio : ac proinde nihil ad nos pertinet. Deinde quia Calvinus docet omnia opera nostra esse inquinamenta, sordes et peccata, coram Deo : at nemo potest obligari ad peccatum; ergo non obligamur ut vel conemur quidem Decalogum vel aliquam ejus partem implere. Idem aliis rationibus possem confirmare, sed hæc sufficiant. Ex quibus constat, etiam juxta Calvini placita, Decalogum nihil ad nos pertinere.

Secundò hæ duæ religiones nullum faciunt discrimen operum bonorum et malorum coram Deo, sed solùm coram hominibus. Sicut enim opera quæ dicuntur mala, apertam malitiam habent, ita operibus bonis justorum tribuunt malitiam occultam propter concupiscentiam internam, ratione cujus malitiæ volunt hæc esse peccata mortifera coram Deo. Si ita est, cur potiùs incumbam operibus bonis cum naturæ afflictione, et dispendio fortunarum, quàm pravis, quibus magna voluptas et utilitas sæpè est conjuncta ? Cùm enim utraque sint mala coram Deo, cur non potiùs præferam illa in quibus voluptas vel utilitas temporalis iis in quibus molestia, fatigatio, dispendium?

Tertiò, quia utraque religio docet hominem per solam fidem specialem esse justum coram Deo absque ullis bonis operibus : et illi qui fidem hanc habet, nullum peccatum imputari. Ita docet Lutherus plurimis locis, ut supra ostensum est. Ex quâ doctrinâ infert, « solam « incredulitatem esse peccatum, et solos in- « credulos damnandos : eum autem qui fidem « retineat, damnari non posse. » Lib. de Libertate christianâ, et de Captivitate Babyl. Idem docet Calvinus, cùm ait : « Omnia pec- « cata sunt mortalia infidelibus, fidelibus om- « nia venialia. » Lib. 2 Instit. cap. 8, § 58 et lib. 3, cap. 2, § 28. Venialia vocat, quia Deus ea illis non imputat, sed hoc ipso quo fiunt condonat, et veniam tribuit. Quæ doctrina clarè sequitur ex illo principio, quo ipsi statuunt solam fidem specialem esse causam justificationis, hoc est, hominem esse justum coram Deo, eo solo quo firmiter credit Christum plenè satisfecisse pro ipsius peccatis; per hanc enim fidem applicari ipsi Christi satisfactionem, et fieri ipsi quasi propriam, ita ut per eam justus reputetur coram Deo, etiamsi voluntas interiùs non mutetur. Itaque manente hâc fide, nullum peccatum ipsi nocere potest, quia manet in justitiâ Christi, eamque per fidem retinet firmiter. Quâ doctrinâ positâ, non est quòd vereamur quodvis scelus patrare. Nulla enim idcircò punitio, nulla vindicta à Deo metuenda est, cùm Deus illud non imputet ad culpam, ob satisfactionem Christi nobis per fidem communicatam.

Potestne atheismus majorem licentiam ad omne flagitium omnemque vitæ turpitudinem præbere? Fatentur id satis ministri quidam Calvinistæ in Angliâ, qui ex illâ de justificatione fidei Calvini sententiâ, inter cæteras has deducunt et tuentur conclusiones : 1° « Omnes « illi errant, qui putant se salvandos, cùm mul- « ta bona opera fecerunt. 2° Non est necesse « laborare quò bonis operibus vitam consequa- « mur æternam : jam nunc enim eam tenemus. « 3° Est hic unus ex præcipuis erroribus qui ver- « santur in Christiano, arbitrari quòd bona « opera quidquam prosint ad salutem. 4° Pecca- « ta nostra nihil minuunt de gloriâ Dei; totum « damnum peccati positum est in scandalo « proximi. 5° Christus suo sanguine redemit « et liberavit nos ab omnibus peccatis et legi- « bus, ut deinceps nulla lex nos obliget in con- « scientiâ. » Hic apertè liberamur à Decalogo,

et ab omnibus præceptis Sacramentorum. 6° « Nihil debes Deo, nisi fidem, ut confitearis « Christum Jesum, et credas eum surrexisse « à mortuis; sic enim salvus eris; in reliquis « omnibus Deus liberum tibi facit ut sequa- « ris voluntatem tuam. Omnia enim facere « potes absque scrupulo conscientiæ. Neque « enim perire vel damnari potes quidquid ex- « ternè vel feceris vel infectum reliqueris. » Hæc omnia illi deducunt (et quidem rectissimè) ex illo de justificatione per fidem specialem fundamento à Luthero et Calvino posito : in quorum etiam scriptis penè hæc omnia expressè habentur. Quis majorem licentiam optare vel fingere possit ad omne flagitium?

His adde quæ supra consideratione secundâ dicta sunt, ubi tres alios modos posuimus, quibus hæc licentia conceditur. Omitto etiam fenestram illam quam Calvinus aperuit, cùm docuit libr. 3, c. 25, § 12, « pœnam damna- « torum nihil esse aliud quàm sentire Deum « adversum, et ab eo terreri, etsi nobis per « res corporeas ea pœna figuretur; ut per te- « nebras, fletum, stridorem dentium, ignem « inextinguibilem. » Quibus verbis satis apertè indicat, infernum nihil aliud esse quàm vanos terrores. Si enim Deus nihil mali infert, sed solùm terret damnatos, profectò vanus est ille terror ac ridiculus, vanæ inferorum pœnæ, ac nihili pendendæ.

Decima ratio, ex eo quòd hæreses antiquas renovent. — Omnis religio vitanda quæ continet hæreses olim ab Ecclesiâ catholicâ damnatas, quæ semper pro hæresibus habitæ fuère. Atqui religiones istæ novæ continent tales hæreses; imò nihil videntur esse aliud quam diversarum hæresum à diversis hæresiarchis diversis seculis traditarum, et olim per ecclesiam catholicam proscriptarum colluvies : ergo sunt vitandæ. Minor nobis probanda. Consideremus ergo præcipua harum religionum dogmata.

1° Uterque, nimirùm Lutherus et Calvinus, docet, « nullam esse arbitrii libertatem. « Et Lutherus art. 36, affirmat, hoc esse præcipuum suæ religionis fundamentum. At illa fuit olim hæresis Simonis Magi et Valentini, teste Augustino hæresi 11, et Manichæorum et Wiclefi, etc.

2° Uterque docet Deum « esse impulsorem « omnium scelerum, et omnia mala fieri ex vi « decreti divini. » At olim fuit ista hæresis Simonis Magi et Florini.

3° Uterque docet, « non esse necessaria ad « salutem bona opera, sed sufficere fidem. » At hæc fuit olim hæresis Simonis Magi et Eunomianorum, circa annum Domini 360.

4° « Uterque docet, « habenti fidem nihil « obesse peccata quantumlibet multa et ma- « gna, horum enim malitiam non imputari « credenti. » Quæ olim etiam fuit hæresis Eunomianorum, et Basilidis et Carpocratis, teste Irenæo lib. 1, c. 23 et 24.

5° Calvinus « negat præsentiam realem cor- « poris Christi in Eucharistiâ. « At hæc olim fuit hæresis Berengarii circa annum Domini 1051. Ubi notandum primò, etsi aliqui privatim ante Berengarium eâ de re dubitaverint et quæstionem moverint, neminem tamen fuisse ausum hoc publicè profiteri, ut testantur Hugo Lingonensis et Adelmannus Brixiensis in Epistolis suis ad Berengarium, et Paschasius lib. de Verbis institut. hujus sacramenti. Itaque fuit hæc constans Ecclesiæ doctrina, omnibus hæresiarchis intacta usque ad tempora Berengarii. Secundò, sententiam Berengarii ipso vivo fuisse in quinque conciliis damnatam, et ipsum Berengarium ter suam sententiam abjurâsse, et tandem in fide catholicâ cum magnâ pœnitentiâ mortuum. Quo mortuo extincta fuit illa hæresis ferè per ducentos annos usque ad Lollardos, qui eam renovârunt, ut colligitur ex Trithemio in Chronico Hirsaugiensi ad annum 1315. Eamdem postea tenuit Wiclef, ut patet ex art. ejus 3. Quo mortuo rursùs extincta fuit per centum circiter annos, usque dùm Zwinglius eam restituit, quem Calvinus et aliquot alii sunt secuti. Ex quo manifestè apparet hanc sententiam semper in Ecclesiâ pro manifestâ hæresi habitam. Itaque vel Ecclesia semper in primario fidei articulo erravit, et sic nunquàm Ecclesia Christi fuit; vel sententia illa, quæ realem corporis Christi præsentiam Eucharistiæ abrogat, reverà hæresis est.

6° Uterque tollit « omnes traditiones, et solis « Scripturis omnia vult contineri. » Eadem fuit hæresis Arianorum, ut constat ex D. Augustino : item Nestorii, Dioscori, et Eutychetis, ut habetur in septimâ synodo Act. 1.

7° Uterque negat « Sacramentum Pœniten- « tiæ et Confirmationis. » Eamdem hæresim olim docuère Novatiani, teste Cypriano et Theodoreto.

8° Uterque docet « Ecclesiam solis bonis « constare : et Ecclesiam olim visibilem, mul- « tis seculis periisse : hoc verò tempore in suo

« tantùm existere. » Similis planè fuit hæresis Donatistarum, ut testatur D. August. lib. de Unitate Ecclesiæ cap. 12.

9° Uterque docet « non esse orandum pro « defunctis : non esse servandum jejunium « Quadragesimæ, aut alia statuta jejunia, sed « cùm cuique visum fuerit, jejunandum. » Idem olim docuère Aeriani, teste Epiphanio hæresi 75, et Augustino lib. de Hæresib. cap. 33.

10° Uterque negat « venerationem sacrarum « reliquiarum, imaginum Christi ac sanctorum; « et vocat idololatriam. » Idem olim fecit Vigilantius, teste Hieronymo : fecère et Iconomachi, teste Zonarâ, Cedreno Nicephoro, de Iconomachis.

Ex his luce meridianâ clarius est, præcipua dogmata, quibus Lutherana et Calvinistica religiones constant, esse hæreses antiquas, jam olim ab Ecclesiâ damnatas; eaque semper pro hæresibus in Ecclesiâ habita fuisse. Idem facilè de cæteris ostendi potest. Unde sequitur, has religiones nihil esse aliud, quàm veterum et jam olim profligatarum hæresum colluviem.

Undecima ratio, ex defectu regulæ credendi. — Istæ religiones novæ nullam habent certam credendi regulam, quam sequantur : ergo non sunt admittendæ. Capita enim religionis debent esse definita, certa et immutabilia. Quòd nullam certam credendi regulam habeant, ex quâ statui possit, quid sit necessariò credendum, quid minimè, constat primò : Quia neque traditiones Ecclesiæ, neque conciliorum œcumenicorum auctoritatem, neque veterum Ecclesiæ Doctorum, et eorum qui ante nostras lites extiterunt, judicium admittunt.

Traditiones omnes rejicit Lutherus in cap. 1 ad Galatas, et Calvinus lib. 4 Institut., docentque nihil credendum, nihil recipiendum, quod in Scripturâ sacrâ non contineatur. Concilia œcumenica, quæ hactenùs in Ecclesiâ summam auctoritatem habuère (sunt enim veluti comitia principum et magnatum in regno Christi) « ita contemnit Lutherus, ut quidquid illa de« finierint, id omne cujusvis privati hominis « judicio subjectum esse velit. » Imò dicit « esse rem insanam quòd concilia concludere « velint quid sit credendum. » Ibidem docet, « quid credendum sit, quid non, id relinquen« dum judicio cujusvis viri spiritalis. »

Idem insinuat Calvinus cùm ait, « non esse « Ecclesiæ judicare qui libri sint canonici, sed « ad hoc spiritum internum pertinere. » (Lib. 1, c. 7, § 1, 2, 4.)

Denique quod ad Patres attinet, Lutherus « non curat mille Augustinos, mille Cypria« nos. » Calvinus etiam plurimis locis « eos « contemnit, et errâsse affirmat. »

Nihil igitur horum est illis credendi regula.

Sed inquiunt : Ipsa Scriptura est nobis regula credendi : hæc enim errare non potest. Verùm facile est ostendere hanc regulam non sufficere. Primò, quia per hanc regulam, non possumus judicare de ipsâmet Scripturâ; et ita ipsa regula nobis incerta manebit, quæ tamen ante omnia debebat esse certissima. Ex Scripturâ enim constare non potest hunc librum esse verè Scripturam, non esse supposititium, non esse confictum ab aliquo impostore : hanc vel illam sententiam non esse perversam, non esse insertam : denique nihil esse additum vel detractum quod ad doctrinæ substantiam pertineat. Hoc totum ex Scripturâ constare non potest, sed solùm conjecturis quibusdam humanis parùm firmis probari, semotâ Ecclesiæ traditione : et sic totum fidei nostræ fundamentum conjecturis incertis nitetur. Deinde Scripturæ vis non consistit in sono verborum, sed in sensu, qui est vita et anima Scripturæ. At possunt esse mille controversiæ de sensu, quæ etiam ex ipsâ Scripturâ, semotâ traditione et Patrum expositione, non possunt decidi, ut experientiâ constat. Nam de sensu illorum verborum : *Hoc est corpus meum*, et multorum aliorum, acerrimè disputant inter Lutheranos et Calvinistas, etc.

Si dicas cum Calvino, judicium de Scripturis et earum sensu pertinere ad spiritum internum; hoc nihil est aliud quàm dictamen spiritûs interni, id est, judicium privatum cujusque, primam credendi regulam constituere. Quisque enim dicere potest se spiritum habere, et hujus inspiratione judicare hanc partem esse S. Scripturam, non illam : hunc esse sensum, non illum. Sic Lutheranus ex suo spiritu judicat Epistolam Jacobi esse stramineam, et Apocalypsim Joannis dubiæ auctoritatis : Calvinista verò ex suo spiritu judicat utrumque esse verbum Dei. Sic Lutherus ex suo spiritu judicat « abolendam esse falsam opinionem « quòd sint quatuor Evangelia, nam Evange« lium Joannis esse unicum, pulchrum, ve« rum ac principale, aliisque tribus longè et « longè anteponendum. Similiter Pauli Epi« stolæ ac Petri longè præcedunt, inquit, tria « Evangelia, Matthæi, Marci, Lucæ. » Libenter illa rejecisset, quia apertè statuunt meritum et necessitatem bonorum operum, et observationis mandatorum, et commendant castitatem

et paupertatem : sed cùm non auderet prorsùs rejicere, voluit elevare auctoritatem, et insinuare non esse spiritu divino conscripta. Pari modo Calvinus ex suo sensu judicat illa verba : *Hoc est corpus meum*, hunc habere sensum : Hic panis est figura corporis mei. Lutherus verò : Hic panis est verè corpus meum. Omitto alia innumera. Ex quibus patet judicium privatum cujusque constitui regulam credendi ; vel quod idem est, ipsam Scripturam secundùm privatum cujusque judicium expositam.

Secundò, illa non est idonea credendi regula quæ contrariis dogmatibus æquè accommodatur. Atqui Scriptura contrariis religionibus et dogmatibus accommodatur. Omnes enim sectæ hujus temporis, etsi in plurimis et maximis capitibus hostiliter dissideant, hanc sibi regulam adoptant eamque suis placitis accommodant. Lutherani enim dicunt se Scripturâ niti : similiter Calvinistæ : tantumdem et Anabaptistæ. Neque mirum, quia singuli Scripturam accipiunt non juxta communem intellectum Ecclesiæ, aut Patrum communem expositionem, sicut Catholici, sed secundùm privati spiritûs cujusque. Quomodò facilè omnibus hæresibus accommodari potest. Unde liquet hanc regulam sic acceptam esse nullius momenti, et totam reduci in judicium privatum cujusque.

Tertiò, si esset aliquis judex qui ita ferret sententiam in quâvis lite, ut non posset liquidò constare utri parti causam adjudicaret, sed utraque pars contenderet eam sibi adjudicatam, et sententiam judicis clarè à se stare ; ille omnium mortalium judicio non esset idoneus judex ; nam nulla lis posset terminari per ejus sententiam. Tanta enim post sententiam esset controversia utri faveat, quanta fuerat ante de jure partium. Atqui talis judex est sacra Scriptura sepositâ Ecclesiæ et Patrum expositione. Semper enim ita fert sententiam, ut non possit liquidò constare utrique parti, utri faveat ; sed utraque pertinaciter affirmat, perspicuum esse eam à se stare. Hinc fit ut nunquàm finiantur controversiæ. Ridiculum itaque est solam Scripturam constituere judicem. Talis enim in omni controversiâ debet constitui judex, qui ita possit ferre sententiam, ut omnibus, et maximè utrique parti clarè constet, utri faveat, alioquin nunquàm illa controversia finiri poterit. Qui ergo Scripturam solam judicem faciunt, eo ipso apertè indicant se nullum judicem, quo causa possit decidi, admittere, præter judicium suum privatum. Perinde enim faciunt, atque si Titius et Caius litem civilem habentes, nollent alium judicem quàm codicem Justiniani cum Pandectis, sepositâ Doctorum interpretatione ; et Titius pro suo jure productâ aliquâ lege affirmaret, per eam manifestè causam sibi adjudicari, Caius verò negaret : similiter Caius allegatâ aliâ lege diceret clarum esse eam legem sibi favere, Titius verò negaret : et ita ambo causâ indecisâ discederent : nonne res esset ridicula, et omnes dicerent, neutrum velle causam definiri ? neutrum admittere alium judicem quàm proprium judicium ? Simili planè modo hoc ipso quo illi nolunt alium judicem quàm Scripturam, et quisque suo spiritui reservat ejus interpretationem, ostendunt se nolle causam legitimo modo definiri, nec alium judicem quàm proprium judicium admittere.

Quartò, quàm non sufficiat ista credendi regula, indicat ipsa experientia. Nam videmus nullum apud nos esse finem controversiarum etiam de gravissimis fidei capitibus. Dissentiunt enim Lutherani, Calvinistæ et Anabaptistæ in multis hoc tempore acerbissimè, et se mutuò damnant hæreseos. Dissentiunt ipsi Lutherani tum inter se in plurimis, tum à Luthero parente et apostolo suo : adeò ut hoc tempore numerentur centum et ampliùs Lutheranorum sectæ nominibus et dogmatibus quibusdam discrepantes. Dissentiunt inter se Calvinistæ maximè in articulo de capite Ecclesiæ. Magna enim illorum pars hanc potestatem tribuit principi seculari, etsi mulier sit : vocantur hi Protestantes. Alii id nefas ducunt et blasphemiam : hos vocant Puritanos. Dissentiunt inter se Anabaptistæ in plurimis, ita ut multæ eorum sectæ diversæ numerentur nominibus et dogmatibus distinctæ.

Denique nunc eò ventum, ut cùm se quisque hanc regulam sequi, eâque niti putat, tot penè sint hæreses, quot hæretici. Plerique enim, præsertim simpliciores, dicunt se parùm curare quid docuerit Lutherus vel Calvinus, se enim adhærere S. Scripturæ, et verbo Dei, in quo nullus error esse potest, et ita se putant valdè securos. Scripturam autem quisque pro suo captu et judicio intelligit. Unde cùm se putant Scripturam habere regulam credendi, loco Scripturæ habent imaginationem propriam. Quod enim imaginantur significari verbis Scripturæ, pro vero sensu Scripturæ accipiunt ; sicque quot sunt diversæ hominum imaginationes, tot sunt regulæ credendi.

Sed unde fit, ut sua cuique imaginatio, pura veritas, et ipsissimus Scripturæ sensus videatur? Provenit hoc partim ex immensâ quâdam philautiâ et æstimatione sui : qui enim se magni facit, facilè sibi persuadet omnes suas inventiones et animi conceptiones præclaras esse : partim ex diabolicâ operatione, qui interiùs phantasiam hominum pervertit, ut id quod apprehendunt, statim ob levissimam aliquam ratiunculam, perspicuam veritatem putent. Cùm enim homines tædio religionis antiquæ veritatem aversantur, et pruriunt auribus ad novitates, justo Dei judicio sinuntur decipi à diabolo. Hic ergo dùm interiùs in sensibus eorum operatur, putant se divino spiritu illustrari, et omne de fidei dogmatibus judicium ad hunc spiritum referunt. Hinc fit ut cuilibet sectæ, et ferè cuilibet homini privato sua apprehensio purum Dei verbum videatur, nec curet omnes rationes, quæ in contrarium afferuntur. Significat hoc Apostolus cùm ait : *Eò quòd charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent, ideò mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio* (2 Thess. 2). *Mittet,* non imperando, sed diabolo vires locando, ut eos qui veritatem seu antiquam religionem contempserunt, possit decipere et in mille errores agere transversos.

Sed inquiunt plerique, præsertim simplices : Deus non sinet decipi eos qui humili corde scrutantur veritatem ; ipse enim promisit se daturum spiritum bonum petentibus se : ego autem ita facio : rogo Deum ut me illuminet, et Scripturarum verum sensum aperiat, et ipsas Scripturas assiduè perscrutor.

Magna hæc est diaboli illusio. Quomodò enim humili corde veritatem inquirunt, qui judicium Doctorum Ecclesiæ, judicium sanctorum Patrum, et judicium conciliorum œcumenicorum contemnunt? qui viâ à Domino constitutâ et ostensâ uti nolunt, sed revelationes non necessarias postulant? Ab illis enim possent veritatem intelligere, et omni se errore liberare ; sed nolunt se illis submittere, et putant certiùs suâ industriâ, suo ingenio et suo spiritu ex Scripturis nudis se veritatem indagaturos. Quasi verò sancti Patres, Ecclesiæ Doctores et præsules, aut Scripturas scrutati non fuerint, aut spiritu Dei sanoque judicio fuerint destituti, ut non potuerint eas assequi? Quæ major superbia cogitari queat quàm hominem privatum, et plerùmque idiotam omnis antiquitatis, omnis disciplinæ liberalis ignarum, se anteponere tantæ sapientiæ auctoritati et sanctitati ; tantæ doctorum numerositati? Non igitur putent se, quamdiù hâc mente sunt, aliquid à Domino impetraturos, quia malè petunt, superbè petunt; sed potiùs à spiritu superbiæ et mendacii, cui justo Dei judicio ob tantum crimen traduntur, decipiendos. Hic est spiritus ille quem omnes hæretici, etsi dogmatibus maximè contrarii, sentiunt et jactant et à quo veritatem sibi quisque revelari existimat. Quod certè, qui cæcus non est, facilè advertere potest : quia spiritus Dei contraria non revelat.

Accedit, quòd Scriptura sacra nusquàm homines privatos in dubiis fidei ad scrutandas Scripturas remittat, sed ad Ecclesiam, et eos qui in Ecclesiâ præsident. Sic Deuteronomii 17 remittuntur in ambiguis ad sacerdotes, qui pro tempore præsunt; quibus qui obedire noluerit, jubetur morte plecti. Ideò in Ecclesiâ posuit Deus pastores et doctores, ideò voluit illam toti mundo esse conspicuam; columnam et firmamentum veritatis : ut omnes eam facilè consulere possent, et in ejus sententiâ securissimè acquiescere. Non omnibus datur spiritus intelligendi Scripturas, ut ex Apostolo constat : *Non omni spiritui credendum, sed probandi spiritus, si ex Deo sunt.* Itaque etsi spiritus tibi aliquid suggerat, nondùm es securus : non enim certus es illum adeò esse. Constat enim innumerabiles esse deceptos : nam omnes hæretici hunc spiritum jactant. *Transfigurat se frequenter angelus satanæ in angelum lucis* (2 Cor. 11). Ex his constat, spiritum privatum regulam credendi esse non posse.

Duodecima ratio, ex absurdo. — Si aliqua ex istis novis, verbi gratiâ, Calvinistica religio, esset vera Christi religio, præter cætera absurda supra insinuata, hoc quoque sequeretur, omnes Catholicos, qui à temporibus Apostolorum hactenùs extiterunt, damnatos esse, et æternis ignibus addictos : quia juxta hujus religionis primarium dogma caruerunt fide justificante, ac proinde justitiâ coram Deo. Unde permanserunt in peccatis suis, et in illis sunt mortui. Fides enim necessaria ad justificationem, ut hæc religio tradit, est illa quâ homo firmiter credit se esse justum coram Deo propter Christi satisfactionem, quæ ipsi per hanc fidem applicetur et imputetur.

Hanc autem fidem constat orbi ignotam usque ad Lutheri tempora fuisse. Neque ipse diffitetur, sed potiùs gloriatur quòd veram rationem justificationis à veteribus obscuratam mundo patefecerit. Idem constat ex omnium

veterum scriptis : tum quia præter fidem Christi requirunt internam voluntatis mutationem, et propositum servandi totam legem : tum quia damnant illam securitatem salutis, et volunt hominem cum timore et tremore salutem suam operari, et semper esse sollicitum. Unde fidem illam specialem, quâ quis certò credat se esse justum, omnes rejiciunt ut meram præsumptionem. Etsi enim credendum sit Christum ex parte suâ pro nobis plenissimè satisfecisse, non tamen constat nobis utrùm nos fecerimus ea omnia quæ ex parte nostrâ sunt necessaria, ut hujus satisfactionis simus participes; et utrùm eâ aliquando non excidemus.

Perspicuum igitur est omnes veteres hâc fide caruisse. Damnati sunt igitur tot sancti Patres, tot martyres, tot virgines. Damnati Irenæus, Justinus, Gregorius Thaumaturgus, Nazianzenus, Basilius, Chrysostomus, Damascenus, Hilarius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Martinus, Nicolaus, Antonius, Benedictus, Bernardus, Dominicus, Franciscus. Damnati Laurentius, Vincentius, Sebastianus, Catharina, Cæcilia, Agnes et alii innumerabiles, qui vel sanctitate et miraculis, vel martyrii gloriâ mundo admirabiles fuêre. Denique damnati sunt omnes majores nostri, qui retrò usque ad tempora Apostolorum extiterunt. Et ut Tertulliani verbis utar : « Perperàm tot seculis evangelizatum, perperàm creditum, tot millia millium perperàm tincta, tot opera fidei perperàm administrata, tot virtutes, tot charismata perperàm operata, tot sacerdotia, tot ministeria perperàm functa, tot denique martyria perperàm coronata. » (Lib. de Præscript. adversùs hæreticos.)

At quàm hæc omnia sunt incredibilia, absurda et blasphema! quàm totius orbis et omnium seculorum judicio contraria!

Neque dici potest eos fuisse excusatos per ignorantiam : quia nemo sine fide, sine justitiâ Christi, sine redemptionis Christi participatione, sine remissione peccatorum, salvus esse potest; ut ubique Scriptura, præsertim novi Testamenti, docet. Nulla ignorantia efficere potest, ut absque istis salutem aliquis consequatur. Nullum itaque hìc est effugium ; vel illi omnes damnati sunt, vel religio Lutheri et Calvini in primario suo dogmate de Justificatione falsa et impia.

En duodecim rationes, quibus clarè demonstratur religiones istas novas esse vitandas tanquàm falsas et perniciosas. Sequitur nunc ultima consideratio.

Consideratio decima, et conclusio totius deliberationis.

Postremò illa religio amplectenda in vitâ, quam in horâ mortis nos tenuisse volemus, et cujus justam rationem, cùm ante tribunal Christi stabimus, reddere poterimus. De rebus enim agendis non potest melior institui deliberatio, quàm ex mortis et judicii æterni consideratione : nimirùm ut illud hìc deligamus, quod in illo articulo nobis maximè possit prodesse; illud vitemus, quod nobis tunc certam perniciem, vel saltem periculum afferre possit. Atqui talis est religio catholica. Quòd enim instante morte hanc præferemus, patet

Primò, plurimorum exemplo, qui etsi hæreticè vixerint, quando tamen moriendum est, cupiunt mori catholici : judicant enim id esse securius.

Secundò, quia quisque tunc optat se plurima opera bona fecisse, et magno studio omnia peccata vitâsse ; ad quorum utrumque inducit efficaciter religio catholica : ad neutrum Lutherana vel Calviniana, sed potiùs ad bonorum operum contemptum, et licentiam vitæ.

Tertiò, quia religio catholica habet multa remedia, quæ in tremendo illo transitu non sunt contemnenda, ut pœnitentiam peccatorum, absolutionem sacerdotum, Sacramentum extremæ Unctionis et Eucharistiæ, quæ magnam consolationem et fiduciam fidelibus afferunt : his enim satisfactio Christi nobis communicatur. Nuda illa fides res est valdè frigida et imbecilla in illo articulo. Quomodò enim seriò tibi persuadere poteris Christum tibi esse propitium, te esse justum et salvandum per Christum, qui remedia ab ipso instituta contemnis, et extra communionem Ecclesiæ catholicæ mori constituis? Omnes sectæ hujus temporis hanc fidem jactant, et tamen non omnes salvæ fient. Unica enim est vera Christi religio, extra quam nemini est salus ; ut non solùm omnes Catholici, sed etiam Lutherani, Calvinistæ et Anabaptistæ docent. Nihil ergo proderit illa tua fides specialis, nisi Christi veram religionem teneas.

Quòd etiam facilè rationem sui facti supremo judici reddituri sint, qui catholicam sunt sectati, neque hâc ex parte aliquid eis periculi impendeat, perspicuum est. Faciamus enim me stare ante tribunal illud tremendum, et interrogari, cur religionem catholicam, seu

Papisticam, ut illi vocant, sectatus sim, et non potiùs eà desertà ad novam illam ex Calvini reformatione creatam transierim. Respondebo cum summâ securitate : Ideò catholicam tenui, quia hæc docet à rebus terrenis avocare animum, et transferre ad amorem cœlestium : docet carnem domare, et Dei timore configere, bonis operibus insistere, superioribus obedire, vacare orationi, et omnem peccandi licentiam præscindere. Ideò catholicam tenui, quia in hâc video plurimos, sapientià, sanctitate, miraculis, et prophetiæ spiritu toti mundo admirabiles; quos impossibile est in tanto negotio fuisse deceptos : quia huic video singulis seculis à Deo per miracula plurima testimonium perhiberi : quia in hâc video divinas promissiones impleri : est enim hæc diffusa per totum orbem. Ad hanc facta est hactenùs, et fit assiduè gentium conversio : in hâc summa Doctorum omnibus seculis in capitibus fidei concordia ; in hâc successio perpetua cathedræ, et ministrorum omnium cum Apostolis connexio; in hâc omnium controversiarum velox decisio. Hæc per tot secula contra omnes hæreses et persecutiones tyrannorum stetit immobilis, nec quidquam portæ inferi adversùs eam prævalere potuerunt. Contraria omnia in istis novis religionibus deprehendi. Nulla itaque fuit mihi ratio ab hâc religione discedendi, aut ullo modo de eâ dubitandi.

Verùm, ut cætera quæ commemoravi omittam, nonne satis est ad omnem securitatem, quòd conscius mihi sim, eamdem religionem me secutum, quam video secutos viros sanctissimos, et miraculis clarissimos, Malachiam, Bernardum, Dominicum, Franciscum, et alios omnes qui jam à quingentis annis cœlesti conversatione et stupendis operibus orbi fuerunt admirationi ? Clarè enim constat fieri non potuisse ut illæ cœlestes animæ, Deo adeò devotæ et addictæ ; adeò charæ et familiares, in re tantâ sint deceptæ. Securè itaque hos duces in negotio religionis sequor.

Tu verò qui aliam aliquam sectatus es religionem, quam, obsecro, facti tui rationem reddere poteris, quando in illo tremendo judicio interrogaberis? Respondebis fortè judici : Ideò catholicam deserui, quia putabam illam plenam idololatriâ, et superstitionibus, et traditionibus humanis; putabam in eâ præsidere Antichristum; putabam Catholicos niti suis meritis, non tui sanguinis pretio.

Sed quid si tunc detersâ fascinatione diabolicâ, quæ jam mentem occupat, videas clarè te deceptum, quid concilii capies? non enim erit ampliùs pœnitentiæ et resipiscentiæ locus. An fortè ignorantiam allegabis? At hæc non excusabit , quia facilè veritatem cognoscere potuisses, si eam diligentiam quam res postulabat, præstitisses. Nec unquàm tibi defuit justa ratio dubitandi, quæ te ad hoc stimulare debebat. Sicut ergo Judæos non excusabit, quòd per ignorantiam erraverint, quia veritatem cognoscere potuerunt, ita nec te excusabit. Ut enim absque flagitio posses à catholicâ recedere, oportebat non solùm putare, et ob leves aliquas suspiciones opinari, sed certissimè scire, et omni affectu seposito exploratissimum habere, illa mala catholicæ religioni inesse, ita ut nullus ampliùs in animo relinqueretur scrupulus, nulla justa dubitandi ratio. Tantùm verò abest, ut hujusmodi certitudinem de erroribus Ecclesiæ habueris, ut nulla vel probabilis ratio tibi suppeditârit.

Quâ enim probabilitate et specie veritatis in animum inducere potuisti, eam religionem idololatriæ et tantis erroribus esse obnoxiam, quam videbas à tot sapientiâ et sanctitate vitæ illustrissimis viris, tot annorum centuriis cultam? quam tot miraculis et martyriis confirmatam? quam toto orbe diffusam? in quâ et summa doctorum concordia, et perpetua successio, et clara cum Apostolis continuatio et connexio? Quomodò fieri potest, ut tot seculis nemo doctorum, nemo sanctorum hanc idololatriam, has superstitiones et errores notaverit?

Rursùm : Quomodò in animum inducere potuisti eam esse veram Christi religionem, quæ Deum auctorem et impulsorem omnium scelerum statuit? quæ hominibus arbitrii libertatem eripit? quæ studium bonorum operum è medio tollit? quæ portam latissimam omnibus sceleribus non minùs quàm atheismus aperit? quæ subditos legibus et obedientiæ principum sub specie libertatis christianæ eximit? quæ antiquas et damnatas hæreses plurimas ab Orco revocat? cujus auctores nullâ vitæ austeritate, nullâ morum sanctimoniâ commendati, nullis miraculis clari ; sed homines voluptatibus carnis addicti, terrenarum rerum cupidi, ambitiosi, maledici, seditiosi, apostasiâ et sacrilegis nuptiis, vel præposterâ libidine infames; inconstantiâ doctrinæ incredibili?

Denique si aliqua ex his novitiis religionibus est vera, ergo concidit per tot secula Christi Ecclesia, eversum est Christi regnum, evacuatæ sunt divinæ promissiones de Ecclesiæ

firmitate; prævaluerunt adversùs eam portæ inferorum. Ergo tot seculis Evangelium frustra prædicatum, frustra creditum, frustra tot gentes à paganismo conversæ, frustra Baptismus et alia Sacramenta administrata, frustra suscepta jejunia et carnis macerationes, frustra obita martyria, et tot millium sanguis pro Christi confessione effusus. Ergo perierunt omnes majores nostri: perierunt sancti Patres, perierunt tot martyrum, tot confessorum myriades, tot Deo devotæ animæ, sanctitate, miraculis, prophetiæ spiritu illustres. Omnes enim veræ religionis veræque justitiæ expertes fuêre, omnes idololatriæ addicti.

Quòd si hæc falsa, blasphema, et vel cogitatu horrenda sunt, quî fieri potuit ut non adverteres religiones illas, ex quibus tam atrocia clarè deducuntur, falsas esse, aut saltem de illis non dubitares? Si dubitâsti, cur non dedisti operam cognoscendæ veritati, ex quâ tota salus tua suspensa est?

Monuit Dominus ut attentè nobis caveamus à *falsis prophetis, qui veniunt* ad nos *in vestimentis ovium, intrinsecùs autem sunt lupi rapaces.* (Matth. 7.) Quomodò non venit tibi aliquando in mentem cogitare et vereri, ne fortè Lutherus, Calvinus, Menno, et similes ex numero sint illorum, à quibus Dominus cavendum monuit? Hi enim pulchrâ specie verbi Dei et puri Evangelii obtecti prodierunt, quasi à Deo missi ad ovium salutem; et interim ipsas oves venenato doctrinæ suæ pabulo perdiderunt. *A fructibus*, inquit, *eorum cognoscetis eos.* Quis verò hic fructus? Seditiones, bella, expilatio, et eversio ecclesiarum ac monasteriorum, vastatio urbium, extinctio antiquæ pietatis, omnium licentia scelerum.

Scimus ex apostolicâ informatione multas hæreses novissimis temporibus exorituras, multos pseudoprophetas et seductores Satanâ obstetricante prodituros in lucem. Quoties ergo nova aliqua doctrina Ecclesiæ adversa emergit, ea nobis ut minimùm suspecta cum suo auctore habenda est.

Omnes igitur, qui extra catholicam sunt, per Dei bonitatem quâ conditi, et Christi sanguinem quo redempti sumus, per æternam hæreditatem quam in cœlis præstolamur, et torrentem voluptatis divinæ, quo ibi, qui veritatem et justitiam tenuerint, potabuntur, rogo et obtestor, ut negotium istud quàm maximè cordi habeant; ut perpendant an solido fundamento nitantur; an securi de suâ religione sint futuri in horâ mortis, et cùm ante Christi stabunt tribunal, in illo articulo, cùm æterna et immutabilis sententia erit excipienda. Examinent hanc nostram Consultationem, quam ad eum finem conscripsimus. Nusquàm acquiescant, donec omnia ritè excusserint, et πληροφορίαν in negotio tanti momenti sint assecuti.

Cogitent quanta pœna eos maneat, si religio quam tenent hæresis est, et ipsi sunt hæretici. Hæresim esse, et quidem (pestilentissimam, omnes Doctores catholici, omnes Academiæ, et totus orbis Christianus exceptis iis qui eam sequuntur, quorum numerus ad alios est exiguus, et eruditio non magna) pro certissimo habent, et prorsùs indubitato: ita ut innumeri sint, qui pro eâ confessione mortem oppetere, et æternam animæ salutem exponere sint parati.

Maximum sanè peccatum est hæresis. Primò, quia facit ut homo judicium suum præferat judicio omnium Patrum, omnium Ecclesiæ Doctorum, omnium conciliorum, et totius orbis episcoporum. Contemnit enim omnes illos tanquàm homines spiritu Dei destitutos; et sibi soli suisque sodalibus hunc spiritum arrogat: quâ in re immane quantùm est superbiæ! Secundò sponsam Christi, quæ est Ecclesia, censet adulteram satanæ et filiam perditionis. Tertiò, impingit illi crimen idololatriæ et varias superstitiones. Quartò, ingerit multas blasphemias in sanctissimam Eucharistiam et omnes sanctos. Quintò, omnia sacra indignis tractat modis. Sextò, vicarium Christi vocat Antichristum, et mille in illum probra et maledicta jactat absque ullo veritatis colore. Idem facit in omnes Ecclesiæ gradus et ordines; denique omnis hæreticus optat evertere universam Ecclesiam, et totam extinguere catholicam Religionem. Continet itaque nostri ævi hæresis summam superbiam, multas atroces blasphemias, multa maledicta et convicia, multa sacrilegia, et maximum nocentissimumque odium in Christi Ecclesiam. Hæc enim quasi intrinsecè hæresi insunt, et habitualiter hæresis ad hæc omnia inclinat, et quotidiè actu excitat et impellit. Ita omnes catholici Doctores de hæresi sentiunt, et res ipsa per se satis est perspicua. Majus itaque peccatum est hæresis cum suo fœtu, quàm innumera peccata Catholicorum.

Nunc perpendant, obsecro, quantum erit hujus peccati supplicium. Si enim vel ob unum furtum, ob unam fornicationem, nisi pœnitentiæ hic remedium subvenerit, ignem æternum homo sustinebit, ut Scriptura apertè docet:

quantam pœnam sustinebit propter hæreseos peccatum, quod mille furtis, mille fornicationibus est gravius? Si pœna quam ignis noster naturæ vi infert millecuplùm augeretur, et ita cresceret ut millecuplò gravior fieret; quàm horrenda, quàm impatibilis et incomprehensibilis illa pœna foret? Nemo sibi blandiatur, non fore ibi pœnam ignis, sed solùm nescio quos terrores irati Dei, ut Calvinus fingit. Nimis id apertè Scripturis adversatur. « Ite, « inquit, in ignem æternum. (Matth. 25.) Ver« mis eorum non moritur, et ignis non extin« guitur. (Marci 9.) Pluet super peccatores « laqueos : ignis et sulphur et spiritus procel« larum pars calicis eorum. (Psalm. 10.) Pones « eos ut clibanum ignis in tempore vultûs tui: « Dominus in irâ conturbabit eos, et devorabit « eos ignis. (Psalm. 20.) Missus est pseudo« propheta in stagnum ignis et sulphuris. » (Apoc. 20.) Et alia hujusmodi. Eadem est omnium veterum et Ecclesiæ DD. sententia.

Certissimum itaque fit, fore ibi ignem verum, omnibus nostris ignibus majorem et acriorem, quo omnes hæretici ardebunt, et die ac nocte in omnem æternitatem cruciabuntur, quamdiù erit infernus, quamdiù stabit cœlum, quamdiù vivet Divinitas. Et ascendet fumus tormentorum ipsorum à conspectu Domini in secula seculorum. Hæc verba fidelissima sunt et vera. Tunc maledicent deceptoribus suis, et magistris à quibus in hanc miseriam deducti sunt. Maledicent diabolo, qui eos excæcavit, et variis illusionibus sub specie pietatis fascinavit. Maledicent et sibi ipsi, quòd eis aures præbuère, quòd doctrinam novitiam tam stolidè absque diligenti examine suscepêre; quòd in re tantâ explorandâ tam cæci, tam socordes fuerint. Ne ergo in illud miseriarum pelagus præcipites ruant, totum hoc Religionis negotium omni studio ac diligentiâ discutiant, peritissimis ad eam rem consultoribus adhibitis.

Unum autem est, quod maximè sinceræ huic deliberationi officere solet : nimirùm anticipata quædam opinio, quâ plurimi tenentur, de idololatriâ, superstitionibus et abusibus Ecclesiæ catholicæ. Primùm ergo seponant parumper hoc præjudicium, et cogitent se hâc in re falli posse. Incredibile enim videtur viros sanctissimos et doctissimos, quales Ecclesia plurimos semper habuit, hanc idololatriam, si quæ sit, vel non vidisse, vel visam non solùm non abjecisse, sed sedulò retinuisse et coluisse. Antiqua est ista Mahumetanorum et Iconomachorum calumnia. Et nulla unquàm fuit hæreticorum secta, quæ infestis animis ab Ecclesiâ non dissederit, atque errores graves non imposuerit. Hoc enim prætextu uti debent, ut jure videantur ab Ecclesiâ recessisse.

Deinde lumen à Deo assiduè flagitent, quo liquidò possint cognoscere quæ sit vera Christi religio veraque Ecclesia, paratosque se exhibeant ad eam amplectendam. Fides enim est donum Dei. *Nemo, inquit, potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* (Joan. 6.) Nemo sine Patris cœlestis illustratione ad Christum per veram fidem venire potest. Hanc ergo illustrationem, et hunc tractum precibus assiduis obtinere satagant. Dicant cum Prophetâ : « Illumina oculos meos, ne unquàm obdor« miam in morte, ne quando ex hâc vitâ dis« cedam, dicat inimicus meus : Prævalui « adversùs eum. Emitte lucem tuam et verita« tem tuam, ipsa me deducant et adducant in « montem sanctum tuum, et in tabernacula « tua. Notam fac mihi viam in quâ ambulem, « quia ad te levavi animam meam. Eripe me « de inimicis salutis meæ; Domine, ad te con« fugi; doce me facere voluntatem tuam, quia « Deus meus es; » et similia.

Orationi jungant eleemosynam et beneficentiam in pauperes. Quantùm enim hæc duo valeant ad lumen veræ Religionis à Deo impetrandum, ostendit exemplum Cornelii centurionis, cui ab angelo dicitur : *Corneli, orationes tuæ et eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei. Et nunc mitte viros in Joppem, et accersi Simonem quemdam, qui cognominatur Petrus; hic dicet tibi quid te oporteat facere* (Actor. 10). Hujus ergo exemplum imitentur, qui à Deo in hoc negotio veræ religionis dirigi exoptant.

Interea diligenter, et magno cognoscendæ veritatis desiderio, perpendant ea quæ in hâc Consultatione proponuntur, et si quæ dubia, vel non satis intellecta remaneant, adeant Doctores catholicos, qui facilè ipsis in omnibus ita satisfacient, ut tandem mens ipsorum plenam quietem in luce veræ religionis assequatur.

Hoc vovemus, hoc precamur, hoc te omnibus votis, omnibus precum suppliciis obsecramus, ô lux vera, lux æterna, omnium illuminatrix hominum pariter et angelorum. Etsi enim diabolicâ fraude seducti, à te et Ecclesiâ tuâ recesserunt, tuæ tamen sunt creaturæ, ad imaginem et similitudinem tuam efformatæ, pretio sanguinis tui redemptæ ad cœlestem hæreditatem et consortium tui regni conditæ et vocatæ.

Non pereat tam præclarum opus tuum, quod tibi tanti stetit, quod æternas tibi referet laudes agnitâ veritate, quod ad gloriam tuam splendebit in omnem æternitatem. Discute tetram caliginem quæ nunc mentem obsidet; amove fascinum diaboli, quo mentis oculi tenentur, et phantasia pervertitur; incute metum aciem ignis inextinguibilis et incendii æterni, omnibus verâ religione destitutis præparati : injice ardentem veritatis cognoscendæ et salutis consequendæ amorem; ostende illis lucem miserationum tuarum, ut cognoscant ovile tuum, et intelligant ovile in quo ante fuerunt, non esse ovile tuum, sed diaboli; in quo quicumque manent, tanquàm oves reservantur non ad vitam, sed ad perditionem, ut sint pabulum igni, esca morti : *Mors depascet eos.* Reduc illos ad ovile tuum, ut in eo salutari pabulo doctrinæ tuæ et mirabilium Sacramentorum tuorum refecti, sanentur ab antiquis satanæ plagis, et crescant in tuo spiritu, spiritu humilitatis et timoris Domini, spiritu mansuetudinis et charitatis; et vegetentur ad æternam vitam, in quâ nobiscum, post momentum vitæ hujus, consortes effecti gloriæ et beatitudinis tuæ, te laudent, te benedicant et glorificent ævo sempiterno.

Nunc mihi breviter monendi Catholici, ut apud se perpendant, quantum sit hoc veræ religionis, quod ipsis præ innumeris aliis divino favore obtigit, beneficium, quantoque nexu illius causâ divinæ majestati sint obstricti. Paucorum hoc donum est, si infinitum vel errantium vel dubitantium numerum spectes, eoque etiam nomine pluris æstimandum. Cogitent in rebus humanis nihil huic comparandum; non voluptates, non honores, non auri argentique myriades, non sceptra et imperia. His omnibus veræ religionis margaritum infinitis partibus esse præstantius et pretiosius. Qui illud possideat, hunc verè divitem esse, etsi à rebus terrenis sit inops, utpote civem sanctorum, filium Dei, hæredem regni et cohæredem Christi; si tamen illi consentaneè vivere velit. Qui illo careat, eum ter miserum esse, etsi omnibus bonis hujus vitæ circumfluat. Hanc esse certissimam et unicam ad æternam beatitudinem viam, à quâ quicumque deflexerit, in sempiternum exitium certissimè ruiturum. Atheismi dogma esse, quemque in suâ religione salvari posse. Sicut enim unus est Deus, unus Christus, una veritas, una rectitudo, una justitia, ita est una fides, et una religio, et una Dei Christique Ecclesia seu congregatio, extra quam salus esse non potest. Caveant ne vel legendi audiendive curiositate, vel hæreticorum incautâ consuetudine, vel placendi cuipiam mortalium studio, vel timore damnorum, aut vitæ temporalis, vel spe lucrorum, vel ambitu honorum, vel aliam ob causam, tantum bonum prodigant. *Quid prodest homini si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro animâ suâ?* At qui religionis damnum facit, detrimentum pariter animæ sustinet. Non ergo vereatur omnia hujus retinendæ causâ exponere, cujus amissio, perditio est vitæ æternæ. Infelices animas illas, et nomine christiano indignas, quæ parvi faciunt catholicæ religionis excidium, modò pace temporali, ad reculas et quisquilias hujus vitæ congregandas, vel retinendas, frui possint. Magno stabit illis hæc amentia et vilipensio tanti boni, postquàm breve hujus vitæ momentum prætervolaverit, et ad interminabilem æternitatem repente devolutæ fuerint.

Multi seductores exierunt in mundum : multi sub veste ovinâ, sub blandâ verbi Dei specie contegunt lupinam rabiem, in perniciem ovium Christi. Monuit Dominus non semel, ut ab his attentè caveamus; monuerunt crebrò Apostoli, et sancti Patres. *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab eâ.* (Eccles. 13.) *Qui amat periculum, peribit in illo.* (Eccles. 13.) Nunquàm tempora fuère magis periculosa, et insidiosa saluti : nunquàm major diaboli fascinatio, major spiritus vertiginis tenuit homines : nunquàm erroris operatio efficacior, et mentium excæcatio tetrior. Quæ omnia meritò occupant animos eorum, qui magnum illud catholicæ et orthodoxæ religionis donum parvi æstimant, et rebus temporalibus postponunt.

Quibus ergo sua salus est cordi, conservent hanc cœlestem gemmam, eamque omni studio custodiant, quia ex eâ vitâ procedit. Et quia donum est supernaturale, quod sine ope divinâ nec obtineri nec conservari potest, tantis undique periculis et hostibus nos cingentibus, auxilium à Deo et sibi, et liberis suis, et toti familiæ ad hunc scopum assiduè implorent; eleemosynis et aliis pietatis officiis divinum numen propitient. (*Bona est enim oratio cum jejunio et eleemosynâ, magis quàm thesauros auri recondere.* (Tobiæ 12.) Vitam suæ religioni congruentem instituant, et rerum terrenarum sitim expectatione cœlestium et æternorum bonorum restinguant; memores illius sententiæ Apostolicæ : « Qui volunt divites fieri, inci-

« dunt in tentationem et in laqueum diaboli, « et desideria multa inutilia et nociva, quæ « mergunt homines in interitum et perditio- « nem. Radix enim omnium malorum est cu- « piditas, quam quidam appetentes erraverunt « à fide, et inseruerunt se doloribus multis. » (1 ad Tim. 6.) His præsidiis inter discrimina horum temporum tuti incedere, et veræ unicæque religionis donum sartum tectumque præstare, et per illud vitam æternam adipisci facilè poterunt. Regi seculorum immortali et invisibili soli Deo honor et gloria in secula seculorum. Amen.

Appendix.

DE FIDE ET RELIGIONE CAPESSENDA.

Tria nobis in hâc appendice præstanda sunt. Primò discutiendum, utrùm quivis in suâ fide et religione salvari possit. Secundò, utrùm Calvinus docuerit Deum esse auctorem omnium scelerum. Tertiò, utrùm Calvinus fuerit convictus libidinis præposteræ, et ob eam causam stigmate inustus.

CAPUT PRIMUM.

Utrùm quivis in suâ fide ac religione salvari possit.

Quod ad primum attinet, diximus in præfatione, esse stupidum errorem quorumdam, qui satis ad salutem esse putant, si credant in Christum, eumque pro peccatis nostris mortem perpessum; idque breviter aliquot rationibus confirmavimus. Verùm quia hic error latissimè patet, et plurimorum mentes persuasit, rogatus sum, ut eam rem fusiùs explicarem. Itaque duas de eâ instituam quæstiones, argumentis utrinque allatis.

Prior est, utrùm satis sit ad salutem credere in Deum, et nemini facere injuriam, hoc est, utrùm quilibet in suâ fide salvari possit, modò simul honestè vivere studeat. Altera est utrùm si fides Christi est necessaria, ipsa per se sufficiat; an verò aliquid aliud credere oporteat.

Prior quæstio. — Quod ad priorem quæstionem attinet, multi hoc tempore sentiunt, quemlibet in suâ fide salvari posse. Ratio quâ potissimùm moventur, est, quia incredibile videtur omnes Judæos et Turcas, quorum plurimi Deum piè colunt, et cum proximis justitiam servant, in æternum perire, solùm eo nomine quòd in Christum non crediderint; cùm in hoc non videantur magnoperè culpandi, eò quòd ab ineunte ætate aliter instituti non fuerint. Cur enim Deus, qui vult omnes salvos fieri, adeò angustam salutis viam fecerit? Cur miseros illos qui juxta suum captum ipsi placere student, nemini injuriam faciunt, justitiam et probitatem vitæ sectantur, æternis suppliciis, ob ignorantiam rei de quâ non satis edocti fuère, addixerit?

Verùm hæc sententia, etsi solâ ratione naturali consultâ, aliquam speciem æqui et veri habere videatur, tamen consideratis iis quæ nobis divinitùs in Scripturis sunt revelata, est omninò paradoxa. Si enim quilibet, etiam Turca vel Judæus, in suâ fide salvari potest: ergo frustra Apostoli et sancti Patres tantoperè in fide Christi asserendâ laborârunt: frustra tot martyres per omnia tormentorum genera sanguinem et vitam pro eâ profuderunt. Poterant enim ab hâc doctrinâ et professione absque salutis dispendio abstinere, et confessione unius Dei cum Judæis esse contenti. Addo: Ergo frustra Christus factus est homo; frustra tot miracula patravit, ut Messias et Salvator mundi crederetur; frustra crucifixus et mortuus est. Nihil enim horum ad salutem hominum erat necessarium. Satis erat mittere per orbem prædicatores, qui fidem unius Dei mortalibus persuaderent. Hoc modo ratiocinatur Apostolus ad Galatas 2, cùm ait: *Si per legem justitia, ergo gratis Christus mortuus est*; hoc est, si justitia potest obtineri per cognitionem unius Dei et legis observationem, frustra Christus mortuus est: nimirùm, quia minimè saluti nostræ mors ejus erat necessaria.

Deinde falsa et mendax erit Scriptura universa, quæ Christum esse nostrum mediatorem, redemptorem et salvatorem docet; quæ illum nobis propitiatorem per fidem in sanguine ejus proponit; cujus sacrificio nos Deo reconciliari, cujus sanguine à peccatis ablui, cujus fide nos justificari passim confirmat: nec esse aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. Hæc omnia vana et falsa erunt, si quilibet in suâ fide salvari potest.

Dicet fortè aliquis, Christum esse quidem nostrum Redemptorem, et omne bonum nobis ab ipso provenire; tamen ejus fidem non esse absolutè necessariam: sufficere enim ut credamus omne bonum nobis à Dei benignitate procedere, nec opus esse ut cognoscamus quibus mediis illud conferatur. Verùm id et Scripturæ divinæ repugnat et rationi. Scripturæ,

quia hæc apertè docet Christi redemptionem nobis non applicari nisi per ejus fidem ; ac proinde omnes, qui fide Christi carent, esse expertes justificationis, manere sub peccato, esse filios iræ, esse obnoxios damnationi. Rationi, quia ut efficiamur participes alicujus magni et insoliti beneficii, omnis ratio postulat ut agnoscamus beneficium et benefactorem, eumque, ut par est, cum omni gratiarum actione honoremus ; hanc enim gratitudinem ipsa conditio beneficii et benefactoris postulat. Itaque cùm beneficium redemptionis sit adeò magnum et exoticum ; et ipse qui illud contulit, adeò sublimis et eximius, et modus quo contulit, adeò mirabilis, operæ pretium erat hæc omnia à nobis cognosci, ne prorsùs ingrati in tantum benefactorem viveremus et moreremur, neve pro amore odium, pro benedictione maledicta, pro gratiarum actione blasphemias ei more Judæorum rependeremus. Absurdum itaque est, eos, qui in Christum non credunt, salutis per Christum nobis paratæ ponere participes. Quod etiam ex eo confirmari potest, quòd nemo possit salvus fieri, qui ignorat Deum, et beneficium creationis : alioquin omnes idololatræ salvari possent : ergo neque is, qui redemptionis beneficium ignorat, salvari potest, quia beneficium redemptionis est longè majus et mirabilius, magisque ad gloriam Dei et Christi pertinet, et ampliorem à nobis honorem, servitutem et gratiarum actionem postulat.

Neque satis est generatim cognoscere omnia bona nobis à Deo provenire ; hoc enim ad gratitudinem et honorem ipsi debitum non sufficit ; sed oportet cognoscere quale et quantum sit ipsius beneficium, et quo modo, quâ viâ et ratione illud contulerit ; nimirùm quòd à peccato et æternâ morte nos liberaverit, quòd ad æternam vitam nobis aditum reserârit, idque stupendo prorsùs modo, nimirùm nostram sibi naturam copulando, et in eâ mortem pro nobis sustinendo. Hoc enim potissimùm ipsius charitatem, misericordiam et justitiam commendat : hoc omne à nobis obsequium, omnem laudem, benedictionem et gratiarum actionem reposcit ; hæc igitur maximè ad salutem cognitu sunt necessaria.

Si quilibet in suâ fide salvari potest, ergo ad salutem sufficit ea fides, quæ non est donum divinitùs infusum, sed humana persuasio, privato judicio concepta, humanâ auctoritate subnixa, fallaci fundamento substructa. Turcæ enim etsi credant unum Deum cœli terræque conditorem, bonorum et malorum operum remuneratorem : ea tamen fides non est à Spiritu sancto, sed à judicio privato, vel potiùs à diabolo. Non enim ita credunt, quia Deus id per aliquem verum prophetam hominibus proposuit ; sed quia Mahometus, quem Dei prophetam et organum fuisse in docendis mortalibus putant, in suo Alcorano ita tradidit. Itaque etsi illud quod credunt verum sit, tamen quia fundamentum, tota ratio credendi falsa est, et pestilens, nimirùm Mahometum esse Dei prophetam ; fides ipsa quâ credunt fallax est, et spectato fundamento quo nititur, noxia saluti, in omnes pestiferos illius sectæ errores mentem inclinans et necessariò impellens. Quomodò ergo dici potest illam fidem sufficere ipsis ad salutem, aut eos ex hâc fide salvari posse? Quomodò id quod est incertum, fallax, pestiferum, potest statui fundamentum justitiæ coram Deo, et salutis consequendæ?

Pari modo Judæi, etsi eadem et plura credant veritati consentanea, tamen fides, quâ illa credunt, fallax est et à Spiritu Dei aliena. Tota enim ratio credendi est, quia illorum Rabbini et synagogæ doctores ita Scripturas interpretantur ; hi enim sunt illis credendi regula ; sive (quod idem valet) Scriptura sacra, quatenùs horum interpretationi subest. Atqui tota hæc ratio credendi fallax est, nec minùs noxia quàm illa Turcarum. Non enim minùs noxium est credere Rabbinos ad interpretationem Scripturarum esse præditos Spiritu Dei, quàm Mahometum esse prophetam Dei : neque ad minora absurda ex vi illius principii impelluntur. Quomodò ergo talis fides potest esse salutis fundamentum ? Denique hæc sententia nullum facit discrimen inter Turcismum, Judaismum, et Christianismum, nisi in quibusdam adiaphoris, et minimè ad salutem necessariis : ita ut perinde sit, in quâ religione vivas, cùm in omnibus æquè salutem possis adipisci : quod nihil est aliud quàm viam aperire Alcorano et Mahometum æquare Christo; vel potiùs atheismum non obscurè inducere. Probare enim omnem religionem, est tollere omnem religionem, et nullam censere necessariam : cùm vera religio non nisi unica esse possit.

Ratio fundamentalis, quâ hæc sententia potissimùm nititur, nullius est momenti. Primò enim, si non est incredibile Deum per aliquot annorum millia totum mundum (exceptâ gente

Judaicâ, orbis exiguâ portiunculâ) reliquisse sub idololatriâ, et permisisse ruere in exitium, etsi inter eos tot essent præclara ingenia tot numinum et humanæ justitiæ probitatisque serii cultores; non debet etiam incredibile videri, si Turcas et Judæos modò perire dicamus. Secundò, hoc tempore minùs esse excusabiles Turcas et Judæos quòd non credant in Christum, quàm olim fuerint ethnici, non agnoscentes unum Deum cœli et terræ conditorem. Ratio est, quia cùm totus penè mundus esset sub idololatriâ, æstus communis consuetudinis abripiebat omnes, neque privatis hominibus offerebat se ratio magnoperè de suâ religione dubitandi; neque si oborta fuisset aliqua dubitatio, suppetebat facilis modus cognoscendæ veritatis. At modò postquàm fides et religio Christi pervasit orbem, et ubique terrarum reperiuntur Christiani, fieri non potest quin multiplex se offerat Judæis et Turcis de suâ religione dubitandi occasio. Itaque tenentur rem discutere, et conferre cum Christianis, quos ad manum habent: quod si non faciant, sed mentem ab hujusmodi cogitationibus odio religionis christianæ, vel aliâ ex causâ avertant, seipsos reddunt coram Deo inexcusabiles. Tanti enim momenti est negotium religionis et salutis, ut omnibus aliis rebus anteponi, et summo studio, cùm justa ratio dubitandi ingeritur, debeat pervestigari, etiamsi in remotas regiones esset abeundum.

Postremò, si aliqui sunt, qui nihil de Christi religione audierunt, vel quibus nihil quo meritò ad ulteriorem inquisitionem commoveantur, in mentem incidit, hi non damnabuntur ob peccatum infidelitatis, quòd nimirùm in Christum non crediderint; sed propter alia contra legem naturæ commissa, quæ ipsi divinâ ope vitare poterant. Non enim Deus illos ita suâ providentiâ et auxilio destituit, quin possint vitare peccata quæ faciunt, si, prout valent et debent, divinis inspirationibus cooperari, et rem tantam cordi habere velint. Itaque nemo Deo suam damnationem imputare poterit, quamvis arcta sit via salutis; sed sibi, suæ, inquam, negligentiæ et malignitati, quâ divinas inspirationes neglexit, salubria monita contempsit, et sciens ac volens, conscientiâ propriâ reclamante, in peccatum et exitium se præcipitavit.

Altera quæstio. — Altera quæstio est, utrùm sufficiat ad salutem credere in Christum, eumque pro peccatis nostris esse mortuum, etiamsi multa alia nolimus credere?

Plurimi, præsertim ex plebe, id satis esse existimant, modò ea quæ de Deo et Christo habentur in symbolo Apostolorum credantur; cætera omnia putant adiaphora, et quemlibet de illis posse credere prout ei bonâ fide videtur credendum: Symbolum autem à quovis credi volunt juxta sensum qui cuilibet videtur optimus. Itaque statuunt quemlibet qui Christum confitetur, in suâ fide salvari posse; sive sit Papista, sive Lutherista, sive Calvinista, sive Anabaptista, sive alterius sectæ. Omnes enim hi tenent idem caput, quod est Christus; omnes iidem innituntur fundamento, quod est Christus Jesus. Itaque à salute excidere non possunt, etiamsi in aliis dissentiant. Hinc aliqui potentes, qui istis novis religionibus utuntur ad stabiliendum et amplificandum suum imperium, plurimùm laborant, ut ex Lutheranis et Calvinistis unam Ecclesiam conficiant; et persuadere nituntur inter eos non esse discrimen, nisi in nescio quibus apicibus et rebus adiaphoris.

Verùm hæc sententia multa secum trahit incommoda. Primò, quia salvat penè omnes antiquos hæreticos. Plerique enim confitentur Christum, et suo sensu tenent Symbolum. Salvari itaque poterant in suâ hæresi Ariani, qui Filium Patri negabant consubstantialem; Macedoniani, qui Spiritum sanctum Filio faciebant minorem; Nestoriani, qui duas in Christo statuebant personas; Eutychiani, qui carnem Christi in divinitatem conversam asserebant; Apollinaristæ, qui Verbum divinum loco animæ rationalis carni unitum in Christo ponebant; Monothelitæ, qui unicam tantùm voluntatem et operationem in Christo statuebant; Pelagiani, qui peccatum originale negabant, et hominem viribus naturæ posse gratiam Dei et salutem promereri docebant; Donatistæ, qui Christi Ecclesiam ubique periisse præterquàm in parte Donati affirmabant; Novatiani, qui lapsis pœnitentiam negabant; Montanistæ, qui Montanum Paracletum putabant. Hi omnes juxta hanc sententiam, singuli in suâ fide ac hæresi salvati sunt, quia in Christum crediderunt, et non minùs Symbolum Apostolicum, quàm modò Lutherani et Calvinistæ tenuerunt. At quid absurdius magisque paradoxum in Ecclesiâ dici potest? Si enim cum hujusmodi fide salus obtineri potest, cur tot concilia, tanto labore et sumptu convocatis ex toto orbe episcopis, adversùs illas hæreses celebrata? Cur toties anathemate fuêre damnatæ? Cur sancti Patres tantoperè in illis extirpandis la-

borârunt? Cur Catholici hæreticorum illorum consuetudinem et convictum tantoperè exhorruerunt? Cur plurimi exilia, mortem, et omnia tormentorum genera perferre maluerunt, quàm alicui ex illis hæresibus subscribere? Sanè hæc omnia frustra, stultè et injuriosè facta sunt, si in illis sectis salus obtineri poterat, quod cùm nemo sapiens dicere possit, fatendum est, hæreses illas esse animorum pestes, nec posse ullo modo salutem cum illis consistere.

Secundò, quia condemnat erroris totam antiquitatem, quæ semper existimavit hæreticum non posse salutem consequi; et idcircò tam acriter se illis opposuit, tantoque studio semper eas confutavit.

Tertiò, quia condemnat ipsum Apostolum, qui ad Titum 3, sic præcipit: « Hæreticum « hominem post unam et secundam correptio« nem devita, sciens quia subversus est, qui « hujusmodi est, et delinquit, cùm sit pro« prio judicio condemnatus. » Cur jubet illum vitari, si error ejus non officit saluti? Cur dicit illum subversum et condemnatum? Idem 2 ad Timot. 2: *Sermo eorum ut cancer serpit.* Sicut ergo cancer est lethalis corpori humano, nisi exscindatur, ita hæreticus cœtui fidelium.

Dicet fortè aliquis neminem esse censendum hæreticum, nisi qui rejicit Christum, aut negat aliquid pertinens ad Symbolum. Verùm hoc prorsùs imperitè et absurdè dicitur. Sic enim non esset hæreticus qui vetus et novum Testamentum è medio tolleret, diceretque illa esse vel conficta, vel humano spiritu conscripta, multisque erroribus, ut scripta profanorum auctorum, obnoxia. Non esset hæreticus qui negaret infernum, vel pœnarum æternitatem; qui dæmones omnes aliquando poneret salvandos, cùm nihil hisce de rebus in Symbolo Apostolorum habeatur. Non esset hæreticus qui vetaret nubere, qui nuptias diceret esse à diabolo, qui escas nonnullas suâ naturâ statueret immundas: quos tamen inter hæreticos censet Apostolus 1 ad Timoth. 4. Non esset hæreticus qui in Christo duplicem assereret personam, quem tamen hæreticum esse et Antichristum ait S. Joannes Epist. 1, cap. 4. Non esset hæreticus qui negaret Baptismum et omnia Sacramenta. Denique nullus eorum quos supra commemoravimus, inter hæreticos esset numerandus, quod toti antiquitati et omnibus Doctoribus, qui jam à decem vel duodecim seculis extiterunt, repugnat.

Quartò, hæc sententia omnes hæreses et sectas supradictas fidei orthodoxæ exæquat, statuendo non minùs per illas quàm per hanc salutem obtineri posse. Itaque orthodoxa religio nihil erit melior Arianismo, Pelagianismo, Nestorianismo, Eutychianismo aliisque falsis religionibus: quod per se absurdissimum, et nihil aliud est quàm inducere merum atheismum. Statuere enim omnes religiones esse bonas, nihilque ad negotium salutis interesse quam profitearis, est nullam curare religionem. Si enim est aliqua religio, hæc non potest esse nisi unica, sicut unica est veritas, unica justitia, unica fides, unica beatitudo, unus Deus et Dominus omnium, unus mediator Dei et hominum homo Christus Jesus.

Quintò, ridiculum est dicere sat esse credere Symbolum juxta suum sensum, cùm una tantùm sit veritas: quæ si non attingitur jam falsum creditur; at fides falsa quid potest juvare ad salutem? Itaque perinde est, sive tali modo Symbolum credas, sive nullo modo credas. Poterit ergo quis salvus esse, etiamsi multos articulos absolutè non credat. Idem dixerim de Scripturis. Si enim sufficit credere Scripturis suo sensu intellectis, cùm hic sensus sæpè possit esse erroneus, etiam satis erit, etiamsi nullo modo illis fidem adhibeas. Non enim fides falsa magis potest esse necessaria ad salutem quàm fides nulla, quâ nimirùm quis absolutè non credit.

Si dicas Symbolum debere credi in vero sensu, jam damnas sectas hujus temporis, quarum nulla est quæ omnes Symboli articulos credat eodem sensu quo catholici; aut in Symboli explicatione non differat ab aliâ. Unde cùm non sit unica veritas, necesse est omnes religiones hujus temporis præter unam à veritate aberrare, ac proinde ad salutem non sufficere.

Quòd autem multùm discrepent in Symboli sensu, patet. Illum enim articulum: *Et in Jesum Christum Filium ejus unicum,* aliter explicant Ariani, Tritheitæ et multi Calvinistæ, qui Filium Patre statuunt minorem; aliter Lutherani et Catholici, qui æqualem et consubstantialem. Articulum de descensu Christi ad inferos aliter intelligunt Calvinistæ, qui putant ibi significari Christum sustinuisse tormenta damnatorum, dubitâsse de suâ salute, et timuisse ne ab æternâ morte penitùs absorberetur; aliter catholici et Lutherani, qui talem expositionem non sensum articuli Symboli, sed blasphemiam dicunt esse Calvini. Articulum de ascensu Christi ad

cœlos, etc., aliter intelligunt Lutherani, Ubiquistæ, qui Christi corpus ponunt ubique et omnibus locis esse præsens, sicut ubique præsens est ejus divinitas; aliter Calvinistæ et catholici, qui non dubitant per hujusmodi expositionem totum penè Symbolum everti[1], Christique incarnationem, nativitatem, passionem, mortem, ascensum ad cœlos, adventum ad judicium è medio tolli. Articulum de judicandis vivis et mortuis aliter exponunt catholici, qui dicunt Deum ita judicaturum, ut opera bona remuneret cœlo, opera prava inferno; aliter Calvinistæ et Lutherani, qui operibus bonis omnem mercedem denegant, et solius fidei specialis in judicio divino habitum iri rationem censent. Articulum de Spiritu sancto aliter intelligunt catholici et Lutherani, aliter Ariani et multi Calvinistæ. Articulum de Ecclesiâ Lutherani et Calvinistæ intelligunt de congregatione invisibili prædestinatorum; catholici de congregatione visibili catholicorum, in quâ multi sunt prædestinati, multi reprobi. Articulum de Communione sanctorum ita extenuant Lutherani et Calvinistæ, ut omnem penè communionem, quæ à catholicis ponitur, tollant. Articulum de Remissione peccatorum, explicant de solâ non imputatione, non agnoscentes internam ullam renovationem per justitiam inhærentem et dona infusa : quo modo catholici peccata remitti statuunt.

Ex his patet quanta sit discrepantia in ipsius Symboli intellectu. Itaque cùm non sit nisi una veritas, et hanc ostenderimus in consultatione nostrâ, esse apud catholicos, necesse est reliquas sectas falsam Symboli doctrinam et fidem tenere. Si ergo vera requiritur Symboli fides, fieri nequit ut quilibet in suâ fide salvari possit. Si falsa sufficit, quomodò fides falsa potest juvare ad salutem?

Sextò, Scriptura divina non est minoris auctoritatis quàm Symbolum Apostolicum; nec minorem Deo injuriam irrogat, qui aliquid in Scripturis clarè expressum negat, quàm is qui aliquem Symboli articulum rejicit. Ergo nulla est ratio cur fides restringatur ad Symbolum, et in reliquis sentiendi sit libertas, cùm non minùs teneamur credere omnia quæ sunt in Scripturis, quàm quæ in Symbolo. Etsi non obligemur omnia quæ in Scripturis continentur distinctè nôsse, tenemur tamen omnia generatim credere : adeò ut sine scelere hæreseos non possimus aliquid eorum ut falsum vel ambiguum rejicere. Quo ergo colore, quâ probabili specie dici potest, non referre quomodò in cæteris credas, modò Christum et Symbolum retineas? Cur Symbolum potiùs quàm universa Scriptura teneri debet, cùm ejus non sit major quàm Scripturæ auctoritas? Nimis profectò est rudis et impolita hæc phantasia, omni fundamento destituta.

Septimò, in omni fide non solùm spectandum est quid credatur, sed etiam et inprimis, quo fundamento credatur, quæve sit tota sic credendi ratio. Ex hâc enim tota fidei natura et conditio pendet. Nam qualis est ipsa credendi ratio, quam fidei fundamentum vocamus, talis est ipsa fides. Si illa est certa et falli nescia, fides quoque certa est et infallibilis; si illa est fallax, fides etiam incerta erit et errori obnoxia. Exempli causâ : Turca credit esse unum Deum omnium conditorem, quia ita docet Alcoranus, quem spiritu divino conscriptum putat; fides ejus, etsi verum credat, falso tamen et fallaci nititur fundamento, cujus vi ad multa falsa et blasphema credenda impellitur : et non esse plures personas in Divinitate, Christum non esse Deum, Christum esse minorem Mahometo, tenendam esse circumcisionem, et similia. Itaque illa fides ex vi sui fundamenti fallax est et noxia. Idem accidit omnibus hæreticis. Quo posito, sic urgeo :

Fides quæ fallaci nititur fundamento, etsi aliqua vera credat, tamen non potest esse sufficiens ad salutem : atqui fides omnium sectarum hujus temporis nititur fallaci fundamento; ergo non potest sufficere ad salutem. Propositio videtur per se nota. Quomodò enim id quod fallax et mendax est, potest esse basis et fundamentum salutis æternæ? Quomodò vera religio quâ Deo placemus, potest esse fundata in fallaci fide? Sanè id non minùs à ratione alienum, quàm si dixeris veritatem niti mendacio, sapientiam errore, virtutem imprudentiâ.

Restat probanda assumptio. Quòd ergo omnes sectæ fallaci nitantur fundamento, sic ostendo. Vel enim credunt sua dogmata propter auctoritatem Apostolorum (Lutheri, inquam, Calvini, Melanchthonis, Zwinglii, etc.,) quos divino spiritu præditos existimant; vel quia singuli proprio judicio ea in Scripturis contineri judicant; vel denique quia spiritus privatus interiùs testatur ea esse vera, vel hanc esse Scripturæ divinæ mentem. Quidquid enim sectæ hujus temporis credunt, ob aliquid horum trium credunt; et unum horum trium, fundamentum suæ fidei, et credendi rationem

statuunt. Atqui hæc fundamenta et hæ rationes credendi sunt omninò fallaces.

Quòd enim primum fundamentum, nimirùm auctoritas Lutheri, Calvini et aliorum, qui novas istas religiones procuderunt, fallax sit, patet, quia experientiâ constat potuisse illos falli, et reipsà in plurimis lapsos esse. Nam multa revocârunt, multa correxerunt, in multis ipsi sibi contradixerunt, ut in consultatione de religione capessendâ, consideratione XI, ratione VI, abundè ostensum est. Hinc pauci modò sunt qui illorum auctoritate niti velint, quòd homines, ac proinde errori obnoxios fuisse dicant. Unde et illorum sectatores pro libito ab illis recedunt, ubi quid melius se invenisse putant. Auctoritas itaque illorum fallax est, etiam discipulorum et sectatorum judicio.

Nec minùs fallax est alterum, nempe judicium privatum, quo Scripturas exponunt. Multa enim falsa judicio privato videntur vera: et quæ antea videbantur vera, postea judicantur falsa. Hinc tanta multorum in credendo variatio, tanta fluctuatio: nempe quia imbecillum est humanum judicium, præsertim in mysteriis fidei, et Scripturarum intellectu, quæ omnem humanæ rationis captum superant.

Respondent plerique se in credendo non niti suo judicio, sed Scripturis divinis, quæ non possunt errare. Quâ in re quàm miserè decipiantur vel ex eo constat, quòd omnes penè sectæ affirment, se niti Scripturis, cùm tamen in plurimis inter se dissentiant et contraria doceant: quod nullâ ratione fieri posset, si non suo privato judicio, sed legitimo Scripturæ intellectu niterentur. Scriptura enim nusquàm sibi est contraria, nusquàm à se dissentit. Itaque quòd ipsi tantoperè dissentiant, ex eo provenit, quòd suo privato judicio Scripturæ sensum fabricent, qui pro diversitate judicii ac ingenii cujusque est diversus. Nituntur ergo Scripturâ, non ut subest interpretationi Ecclesiæ catholicæ, et SS. Patrum, sed ut subest interpretationi judicii privati. Nam vis Scripturæ non in verbis nudis, sed in sensu et interpretatione consistit; hunc autem sensum judicium privatum excogitat, et verbis Scripturæ tanquàm corpori vitam inserit. Itaque totum fundamentum est judicium privatum: quod quàm fallax sit, dissensiones tot sectarum apertè demonstrant. Perinde enim est, sive dicas te niti Scripturâ ut subest interpretationi proprii judicii, sive privato judicio.

Denique tertium credendi fundamentum, quo plurimi hoc tempore nituntur, maximè omnium fallax est et illusorium. Cujus signum, quòd inter Anabaptistas, qui præ cæteris instinctu spiritûs ducuntur, maxima sectarum sit varietas, et dissensio fidei, quod fieri non posset, nisi spiritus, quo reguntur et nituntur, fallax esset et varius. Idem cernitur inter Calvinistas et Lutheranos, et inter diversos sive Lutheranorum, sive Calvinistarum sectas et factiones. Singulis enim sua sententia certa est et evidens testimonio privati spiritûs, qui singulos interiùs docet, singulis testimonium veritatis perhibet. Ex quibus manifestum est nunc spiritum non esse Spiritum sanctum, Spiritum veritatis, qui contraria docere et sibi ipse adversari non potest: sed spiritum nequam, spiritum erroris, qui mendax est ab initio, et pater mendacii, qui operatur in filiis incredulitatis, de quo Apostolus: *Quia charitatem veritatis non receperunt, idcircò mittet illis operationem erroris, ut credant mendacio*, 2 Thess. 2. Et alibi: *In novissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, et doctrinis dæmoniorum*, 1 Tim. 4. Omnis enim hæresis doctrina dæmoniorum est. Et S. Joannes: *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sunt: nam multi pseudoprophetæ exierunt in mundum.* Ep. 1, c. 4.

Hic igitur spiritus est qui in cordibus hæreticorum dominatur, cujus testimonium operationem interiùs inseri sentiunt, et putant esse operationem Spiritûs sancti: qui eorum phantasiam et mentem ita fascinat et pervertit, ut lucem putent esse tenebras, et tenebras lucem: ut clarissimam fidei catholicæ veritatem putent esse errorem, et tetros errores perspicuam veritatem. Et sanè nisi prorsùs fascinati essent et excæcati, facilè possent advertere, spiritum illum quem interiùs sentiunt, non esse spiritum Dei; vel saltem de eo dubitare inciperent, cùm omnes sectæ, inter quas tanta dogmatum maximorum dissensio, hujus spiritûs testimonium æquè sentiant, jactent et sequantur, eoque in asserendis dogmatibus maximè repugnantibus nitantur. Sed justo Dei judicio id accidit. Sicut enim Judæi qui Christum recipere noluerunt, permissi sunt diabolo excæcandi, ut apertè colligitur ex Apostolo 2 ad Thess. 2, ita hæretici, quia catholicam fidem deseruerunt (quæ non est minor culpa quàm Judæorum), eidem permissi sunt, ut mentes eorum tanquàm fascino distineat, et in omne genus errorum impellat.

Quòd si quis attentè consideret, advertet

etiam potentiorem in nostris hæreticis quàm in Judæis vel Mahumetanis esse diabolicam operationem mentisque fascinationem; idque duplici ratione. Primò, quia Judæi in eâdem fide conveniunt, nec apud illos sunt variæ sectæ; apud Mahumetanos verò tantùm sunt duæ, eæque non adeò discrepantes. At apud nostri temporis hæreticos sunt sectæ plurimæ, aliæ ex aliis novorum accessione dogmatum propagatæ, quæ se mutuò hæreseos damnant; et hæ omnes ex unâ intra 90 annos enatæ, quod est indicium, diabolum mirificè interiùs istorum hominum possidere mentes, turbare phantasias, pervertere imaginationes et judicia, ut nusquàm possint consistere, nusquàm acquiescere.

Secundò, quia plebeii homines apud Judæos et Turcas non nituntur suo judicio, neque spiritûs privati instinctu et testimonio, sed judicio suorum doctorum, vel (quod idem est) Scripturâ suâ, quatenùs expositioni doctorum suæ religionis subest. Itaque habent aliquam regulam credendi, et fundamentum suæ fidei, rationi naturali quodammodò consentaneum, nimirùm majorum suorum consensum, seu Scripturam suæ religionis majorum sensu expositam. At plerique hæretici hujus temporis non curant ampliùs suos majores et apostolos, à quibus hoc novum Evangelium primò acceperunt; sed eos tanquàm homines errori obnoxios deserunt, et toti nituntur proprio judicio, vel testimonio spiritûs privati, sive (quod prorsùs idem est) Scripturâ divinâ juxta sensum proprii judicii vel spiritûs privati intellectâ. Quod est evidens signum, satanam ita in eis efficaciter operari, et eorum mentes infatuare, ut non solùm quisque sibi novas hæreses, vel opiniones fingat, sed etiam in seipso, suoque sensu interno et gustu, fidei suæ fundamentum, et credendi regulam statuat : quisque enim se doctum à Domino, et spiritûs magisterio instructum putat (etiam mulierculæ et puellæ), ac proinde ab omni errore immunem, Patres omnes homines fuisse errori obnoxios. Idem de suis apostolis et ministris censent. At quæ major fascinatio et illusio possit esse? Hinc fit ut nulla certa et rata dogmata habeant, nullum corpus doctrinæ et religionis statuant, sed in incertum vagentur, prout spiritus ille privatus eos impellit : nec possit cum illis de plerisque dogmatibus ulla disputatio institui, cùm nulli sententiæ sint addicti, et ipsi per imperitiam majorum suorum doctrinam nesciant. Verùm de hoc spiritu vertiginis, plura diximus in consult., consid. 9, ratione 11. Ex his manifestè concluditur, omne fundamentum credendi, quo sectæ hujus temporis nituntur, fallax esse ac deceptorium; et subinde fidem earum, quæ illi innixa est, inutilem esse ad salutem.

Octavò, si in suâ fide, singuli qui Christum agnoscunt, salvi esse possunt, cur tanta inter religiones dissensio? cur se mutuò hæreseos damnant et anathema perstringunt? Cur Lutherani Calvinistas pro fratribus agnoscere recusant, et eos impios ac blasphemos esse publicè pro concione clamant, et scriptis libris affirmant? Cur pari modo proceres Calvinistarum, in quibus Theodorus Beza pater omnium et veluti Papa post Calvinum, tractant Lutheranos? Cur Anabaptistæ solos suos fideles et Christianos vocant, reliquos pro infidelibus habent. Ex quibus patet, hoc novum commentum non solùm doctrinæ catholicæ, sed etiam omnibus sectis, quæ aliquem religionis et pietatis zelum præ se ferunt, adversari, et ad solos atheistas relegandum.

Nonò, ut quis possit salvus fieri, non sufficit unius, duorum vel trium mandatorum observatio, sed necesse est servare omnia, juxta illud Domini Matth. 19 : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Ut si quis sit adulter aut fur, etiamsi reliqua mandata servet, tamen salvus esse non poterit, ut passim Scriptura docet. Ergo pari modo non sufficit ad salutem, duos, tres, vel quatuor articulos credere, sed necesse est credere quæ Deus revelavit, et nobis per Ecclesiam credenda proposuit. Non enim minùs fides, quàm obedientia mandatorum Decalogi ad salutem est necessaria : nec minùs debet fides esse perfecta ac integra quàm obedientia et observatio Decalogi. Sicut ergo obedientia se debet extendere ad omnia mandata, ita fides debet extendere se ad omnia revelata. Confirmatur, quia teste S. Jacobo capite 2 : *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus. Qui enim dixit : Non mœchaberis, dixit et : Non occides,* q. d. : Factus est omnium reus, et punietur quasi totius legis violator, quia contempsit ipsum legislatorem, qui totius legis est auctor. Ergo simili modo, qui unum articulum negaverit, etiamsi reliqua omnia credat, factus est reus totius fidei et religionis, nimirùm quia contemnit primam veritatem Deum, qui non minùs istum quàm alios revelavit; contemnit Ecclesiam catholicam Christi sponsam (quæ est *columna et firmamentum veritatis*) per quam nobis non

minùs istum quàm alios proposuit. Et hæc est ratio, cur non minùs sit hæreticus qui unum fidei dogma pertinaciter negat, quàm qui centum. Quia hoc ipso quòd vel unum negat, contemnit primam veritatem Deum, qui illud revelavit; contemnit auctoritatem Ecclesiæ, quæ illud proposuit, facit Ecclesiam subjectam errori, et mendacem. Unde etiam de cæteris omnibus incertus redditur, et totam fidem divinam perdit. Sublato enim fidei divinæ fundamento, totam fidem ruere necesse est, et solam opinionem vel fidem humanam errori obnoxiam, quâ reliqua credat, remanere.

Decimò et postremò, hæc sententia est maximè periculosa in praxi. Facit enim ut homo non curet quam religionem teneat, quid credat, vel non credat, itaque non inquirit veritatem; et tam facilè ac securè suscipit falsa quàm vera. Omnes tamen non solùm Catholici, sed etiam nobiliores sectæ, et quicumque aliquâ doctrinæ vel sapientiæ laude sunt celebres, pro certo statuunt, absque verâ religione et verâ fide non posse salutem obtineri; et quotquot verâ religione caruerint, in æternum perituros. Itaque sectatores hujus sententiæ damnantur ab omnibus, et ipsi soli pollicentur sibi salutem nullo auctore, nullo Scripturæ testimonio, nullâ ratione suffulti, solâ cerebri sui vanâ et stolidâ imaginatione confisi. Audiant igitur ex S. Fulgentio, quid semper tenuerit antiquitas, quid omnibus seculis docuerit Ecclesia. Sic igitur communis fidei regulas tradens scribit libro de Fide ad Petrum Diaconum, cap. 38: « Firmissimè tene, et « nullatenùs dubites, non solùm omnes paga- « nos, sed etiam omnes Judæos, hæreticos « atque schismaticos, qui extra Ecclesiam ca- « tholicam præsentem finiunt vitam, in ignem « æternum ituros, qui paratus est diabolo et « angelis ejus. » Et cap. 39: « Firmissimè « tene, et nullatenùs dubites, quemlibet hære- « ticum sive schismaticum in nomine Patris « et Filii et Spiritûs sancti baptizatum, si Ec- « clesiæ catholicæ non fuerit aggregatus, « quantascumque eleemosynas fecerit, etsi « pro Christi nomine etiam sanguinem fuderit, « nullatenùs posse salvari. Omni enim homini « qui Ecclesiæ catholicæ non tenet unitatem, « neque Baptismus, neque eleemosyna quàmli- « libet copiosa, neque mors pro Christi nomi- « ne suscepta proficere poterit ad salutem, « quamdiu in eo hæretica vel schismatica pra- « vitas perseverat, quæ ducit ad mortem. »

Hæc semper fuit Ecclesiæ fides, et omnium Patrum indubitata doctrina: quam omnes qui extra Ecclesiam versantur, utinam accuratè perpenderent! Viderent profectò quàm periculoso in statu versentur. Tu, Christe, lux mundi, mentibus eorum affulge.

CAPUT II.

Utrùm Calvinus docuerit Deum esse auctorem omnium scelerum.

Quidam ministri Calvinistæ in Hollandiâ Consultationi meæ apud simpliciores eo nomine detrahere conati sunt, quòd dicerent auctorem duplici manifestâ calumniâ in Calvinum uti. Altera, cùm ait: « Calvinum statuere « Deum esse auctorem omnium scelerum: » id enim Calvinum nunquàm docuisse. Altera, cùm refert « illum incurrisse infamiam juris « ratione sententiæ, quâ Novioduni criminis « nefandi damnatus fuerit, et ferro candenti « ustulatus. » Sed absit à me, ut alicui etiam hæretico aliquid falsò sciens imponam, sive de doctrinâ agatur, sive de moribus. Ita mihi Christus inspector cordis mei, qui me judicaturus est secundùm opera mea, propitius sit. Scio hujusmodi mendacium perniciosum esse, et de eo scriptum: *Os quod mentitur occidit animam*, Sap. 1. Non opus habent catholici mendacii et calumniæ præsidio, ut hæreticorum doctrinam oppugnent. Hæc illorum arma sunt, quibus hactenùs nisi, et in quibus spem suam omnem posuêre, juxta illud: *Posuimus mendacium spem nostram: mendacio protecti sumus*, Isaiæ 28.

Calvinum clarè docuisse, omnia scelera et opera nefaria omnium hominum et dæmonum, tam interna quàm externa, fuisse ab æterno à Deo prædestinata, ordinata, decreta, disposita, et in tempore homines ad illa à Deo excitari, moveri, impelli, cogi, ita ut ipsi se habeant in modum instrumenti, Deus verò in modum causæ principalis, facilè ex ipsius scriptis demonstrari potest. Nullum enim dogma ab illo traditur vel luculentiùs vel diligentiùs. Idem sæpiùs à doctoribus catholicis et Lutheranis ostensum est, ut saxeæ frontis sit, qui id ausit negare. Et ut alios omittam, fusè et clarissimè demonstrârunt ex catholicis cardinalis Bellarminus lib. 2 de Amissione gratiæ et Statu peccati, cap. 3 et 4. Guillelmus Reginaldus lib. 3 Calvino-Turcismi, cap. 23, et Martinus Becanus in opusculo de Auctore peccati Ex Lutheranis, Conradus Schlusselburgius in

suâ Theologiâ Calvinisticâ, et Sebastianus Castalio de Prædestinatione ad Calvinum.

Nos idem breviter demonstremus. Calvinus igitur lib. 1 Institut. cap. 18, § 1, ita scribit : « Absurdum videtur (sensui carnis) volente ac jubente Deo excæcari hominem, qui mox cæcitatis suæ daturus est pœnas. Tergiversando itaque effugiunt, Dei tantùm permissu non etiam voluntate hoc fieri : ipse verò palàm se facere pronuntians effugium illud repudiat. » Hic apertè docet Deum non solùm permittere, sed etiam velle, et jubere, et facere ut homo excæcetur, etsi id sensui carnis absurdum videatur. Sequitur : « Quòd autem nihil efficiant homines nisi arcano Dei nutu, nec quidquam deliberando agitent, nisi quod ipse jam apud se decreverit, et arcanâ suâ directione constituit, innumeris et claris testimoniis probatur. » Hic omnia hominum opera, tam mala quàm bona, asserit effici arcano Dei nutu, decreto et directione. Itaque omnia hominum scelera jam ab æterno à Deo sunt decreta, ut sic fierent : et homines nutu divino ad illa excitantur, et diriguntur. Et paulò post : « Vult Deum perfidum regem Achab decipi : operam suam offert diabolus ad eam rem ; mittitur cum certo mandato ut sit spiritus mendax in ore omnium Prophetarum. » Hic docet Deum velle et præcipere ut diabolus mentiatur et decipiat hominem ; et rejicit sententiam de permissione. Et infra : « Absalon incesto coitu patris torum polluens, detestabile scelus perpetrat : Deus tamen hoc opus suum esse pronuntiat. Clamat Deus, suo sibilo, tubæ suæ clangore, imperio et jussu excitari impios ad bellum. » Ibidem docet, quidquid Satan operatus est contra Job, quidquid Judæi contra Christum, quidquid Chaldæi contra Judæos, quidquid Semei contra David, id totum fuisse opus Dei : nec solùm permissu, sed decreto, nutu, directione, jussu et imperio Dei factum. His enim vocibus ad mentem suam meliùs explicandam utitur. At quâ ratione potest Deus clariùs, aut magis propriè statui omnium scelerum auctor?

§ 2 : « Quantùm ad arcanos motus spectat, quod de corde regis prædicat Salomon, flecti huc atque illuc prout Deo visum est, ad totum certè humanum genus extenditur, tantùmdemque valet, ac si dixisset : Quidquid animis concipimus, arcanâ Dei inspiratione ad suum finem dirigi. » Si omnes interni motus ex inspiratione et impulsu Dei concipiuntur, et in fines suos tendunt, Deus non minùs est auctor proditionis Judæ, quàm conversionis Pauli ; non minùs odii in Christum, quàm amoris, etc. Et infra : « Sed nihil potest clarius desiderari, quàm ubi toties pronuntiat se excæcare hominum mentes, ac vertigine percutere, spiritu soporis inebriare, incutere amentiam, obdurare corda. Hæc enim ad permissionem multi rejiciunt, ac si deserendo reprobos, à satanâ excæcari sineret. Sed cùm disertè exprimat spiritus, justo Dei judicio infligi cæcitatem et amentiam, nimis frivola est illa solutio. » Itaque Deus juxta Calvinum propriè est auctor primarius cæcitatis, infidelitatis, amentiæ et obdurationis seu obstinationis animi in malo. Ipse hæc omnia directè vult, decernit, infligit et operatur in homine. Idem paulò post dicit : « Deum præcipere impiis ut faciant quæ facturi sunt, non quòd eos docere velit ad spontè parendum, sed quia eos flectit ad exequenda sua judicia, perinde ac si jussa ejus animis insculpta gestarent. Unde, inquit, apparet certâ destinatione Dei fuisse impulsos. » Itaque impii ad omnia quæ agunt, flectuntur à Deo, et certâ destinatione Dei impelluntur. Addit : « Fateor quidem interpositâ satanæ operâ, sæpè Deum agere in reprobis, sed ut ejus impulsu satan ipse suas partes agat, et perficiat quantùm datum est. » Ecce quidquid fecit satan, facit impulsu Dei : « Dicitur satan excæcare infidelium mentes : sed unde hoc, nisi quòd à Deo ipso manat efficacia erroris, ut mendaciis credant, qui renuunt parere veritati ? » q. d. : Satan quidem interiùs et exteriùs proponit errores, sed hoc totum non sufficit ad excæcandas hominum mentes, nisi Deus eas flectat, et efficaciter moveat, ut illis fidem adhibeant : « Deus dicitur homines dare in reprobum sensum, et projicere in fœdas cupiditates, quia justæ vindictæ suæ præcipuus est auctor, satan verò solùm minister. » Denique ita concludit : « Summa hæc sit, cùm Dei voluntas dicitur omnium rerum esse causa, providentiam ejus statui moderatricem in cunctis hominum consiliis et operibus, ut non tantùm vim suam exerat in electis, qui Spiritu sancto reguntur, sed etiam reprobos in obsequium cogat. » Ubi Deo voluntatem non permissivè tantùm, sed propriè et efficaciter statuit in impiis causam omnium consiliorum et operum, ipsosque impios divino nutu et impulsu cogi, ut agant omnia quæ agunt.

Lib. 3, cap. 23, § 1, dicit « non esse consentaneum præparationem ad interitum aliò « transferre, quàm in arcanum Dei consilium. » Ubi ostendit non minùs reprobos à Deo præparari ad interitum, quàm electos ad regnum. Et § 4 : « Fateor sanè, in hanc quâ nunc illi« gati sunt miseriam, Dei voluntate dedisse « universos filios Adam; atque id est quod « principio dicebam, redeundum semper esse « ad solum divinæ voluntatis arbitrium, cujus « causa in ipso sit abscondita. » Ubi lapsum Adami et totius posteritatis refert in solum divinæ voluntatis arbitrium. Itaque lapsus est Adam, quia Deus ita voluit, ita prædestinavit. § 6 : « Ecce quùm rerum omnium dispositio in « manu Dei sit, quùm penès ipsum resideat « salutis ac mortis arbitrium, consilio nutuque « suo ita ordinat, ut inter homines nascantur « ab utero certæ morti devoti, qui suo exitio « ipsius nomen glorificent. » Ibidem docet Dei ordinationem afferre necessitatem peccandi et pereundi : « Quùm, inquit, non aliâ ratione « quæ futura sunt prævideat, nisi quia ita ut « fierent, decrevit, frustra de præsentiâ lis « movetur, ubi constat ordinatione potiùs et « nutu omnia evenire. »

§ 7 ridet eos qui dicunt hominem esse liberi arbitrii, et Deum propter prævisa peccata destinâsse illum ad interitum : « Unde factum « est, inquit, ut tot gentes unà cum liberis « eorum infantibus æternæ mortis involveret « lapsus Adæ absque remedio, nisi quia Deo « ita visum est? Nec absurdum videri debet « quod dico, Deum non modò primi homi« nis casum, et in eo posterorum ruinam « prævidisse, sed arbitrio quoque suo dis« pensâsse. »

§ 8 : « Non dubitabo igitur cum Augustino « simpliciter fateri voluntatem Dei esse re« rum necessitatem; atque id necessariò fu« turum esse, quod ille voluerit. » Denique nullum ferè dogma tam diligenter ab eo inculcatur, utpote in quo sit summa Calvinianæ religionis.

Ex his quæ dicta sunt manifestè colliguntur istæ propositiones : primò, voluntas Dei non solùm permissivè, sed etiam propriè et efficienter est causa omnium operum in impiis. Secundò, nihil agunt impii nisi ex arcano nutu, decreto et directione Dei. Tertiò, Deus præcipit satanæ ut mentiatur, et decipiat homines. Quartò, impii imperio et jussu Dei excitantur ad bellum et ad omnia quæ faciunt adversùs cultores Dei. Quintò, Deus certâ destinatione impellit impios et satanam ad omnia quæ agunt. Sextò, omnia opera satanæ et impiorum sunt propriè opera ipsius Dei, cùm Deus sit auctor primarius ad ea excitans, impellens et dirigens : satan verò et impii solùm se habent ut ministri et instrumenta. Septimò, Deus suâ voluntate et providentiâ excitat et cogit impios ad ea quæ impiè agunt. Octavò, Deus ab æterno voluit, decrevit et prædestinavit ruinam humani generis, quia ipsi ita visum est. Nonò, voluntas Dei est rerum omnium necessitas, et idcircò omnia impiorum opera necessariò fiunt, quia Deus voluit et decrevit ut fierent.

Ex his luce meridianâ clarius est, Deum omnium scelerum à Calvino statui auctorem, et quidem primarium, ac magis principalem quàm sit satan vel ipse homo : idque propter quatuor causas. Primò, quia ipse est prima omnium origo et radix. Nam ipse ex se pro suo beneplacito decrevit, ut homo omnia ista faceret : ex cujus vi decreti suis temporibus omnia ejus opera proveniunt. Secundò, quia non externo præcepto aut consilio tantùm inducit (quod tamen satis est ut quis propriè sceleris sit auctor) sed interiùs excitat, impellit, flectit et dirigit in opus, ita ut initium, medium et finis operis ab ipso sit. Tertiò, quia non ita impellit, ut relinquat homini facultatem resistendi, sicut satan facit, sed cogit et necessitat. Quartò, quia ipse in omni opere habet se ut auctor principalis, satan verò et homo impius solùm ut ministri et instrumenta, sicut securis in manu artificis, ut ipse ait.

Sed, inquiunt, Calvinus aliis locis, præsersertim libello contra libertinos, acerrimè hanc sententiam, Deum esse omnium scelerum auctorem, tanquàm maximè impiam insectatur, satius esse affirmans nullum esse Deum quàm talem. Fateor ita esse. Verùm quis nesciat hæreticorum inconstantem docendi modum, eosque sua omnia loco et tempori accommodare? Ratio hujus inconstantiæ est multiplex : Prima, studium fallendi lectores; nimirùm ut venenum doctrinæ suæ hoc artificio contegant; et quod maximè agunt et docent, minimè docere videantur. Cùm enim alibi apertè negant ac detestantur quod aliis verbis alibi luculentè tradunt, simpliciores, quorum maxima turba est, non advertentes contradictionem, subesse putant mysterium : quo fit ut et doctoribus salva sit sua existimatio, et discipuli maximis erroribus involvantur nescii. Si apertè dixisset Deum esse auctorem omnium scelerum

nimis id durum visum fuisset, nec facilè homines in suam traxisset sententiam. Itaque visum fuit id sub istis terminis fortiter negare: idem tamen alibi specie commendationis divinæ providentiæ et efficacis operationis luculentè et efficacissimè tradere.

Secunda, sæpè disputatio aliqua vel negotium exortum cogit prioribus dogmatibus contraria proferre. Sic cùm occasione prioris doctrinæ Lutheri maxima in plebe facta esset morum dissolutio, coactus fuit Lutherus pleraque sua non solùm mitigare, sed etiam dissimulanter revocare et mutare, ut ex libro quem inscripsit, *Visitatio Saxonica*, constat.

Tertia, est spiritus vertiginis, quo Deus sinit illos agitari, et hùc illùc tanquàm ebrios impelli: quo fit ut ipsi propriam doctrinam clarissimè destruant, et quod uno loco ex verbo divino firmissimum affirmant, alibi tanquàm hæresim ac blasphemiam condemnent; nimirùm ut sint inexcusabiles qui hujusmodi Vertumnis fidem adhibent. Fecit hoc Lutherus in plerisque suis dogmatibus, adeò non minùs ipse sibi quàm Ecclesiæ catholicæ adversetur, ut Cochlæus clarè ostendit. Fecit Philippus Melanchthon et auctores confessionis Augustanæ, sæpissimè dogmata sua mutantes. Fecit et Calvinus, tum in aliis multis, tum maximè in hoc dogmate: ita tamen callidè, ut quod sub unâ verborum formâ negabat, sub aliâ firmiter assereret, rem tamen ipsam semper tenuit. Neque mirum videri debet Calvinum hæc docuisse. Eadem ante illum docuerant ejus magistri Lutherus et Zwinglius, Melanchthon etiam et Petrus Martyr, et alii novorum evangeliorum apostoli.

Lutherus lib. de servo Arbitrio contra Erasmum sic scribit: « Nulli in manu suâ est cogitare quidquam mali aut boni, sed Deus in nobis omnia bona et mala operatur. » Et in assert. art. 36: « Quomodò potest homo se ad bonum præparare, cùm nec in potestate ejus sit suas vias malas facere? Nam et mala opera in impiis Deus operatur. » Potestne aliquid dici clarius? poteratne Deus apertiùs auctor omnium scelerum affirmari? At non sistit in simplici assertione, sed vult esse præcipuum et clarissimum fidei articulum. Nam eâdem assertione, hunc articulum: « Liberum arbitrium est figmentum in rebus, seu titulus sine re, quia nulli est in manu suâ quippiam cogitare mali aut boni, sed omnia de necessitate absolutâ eveniunt; nimirùm quia Deus omnia bona et mala in nobis operatur, » facit primarium et summam totius suæ doctrinæ. « In cæteris, inquit, articulis de Papatu, conciliis, indulgentiis, aliisque non necessariis nugis, ferenda est levitas et stultitia Papæ et suorum: sed in hoc articulo, qui omnium optimus et rerum nostrarum summa est, dolendum ac flendum est, miseros sic insanire. »

Idem clarissimè docet Huldericus Zwinglius Calvini præceptor, tomo 1 in Explicat. art. 20: « Fortissimum Dei verbum stat à nobis, nempe Deum omnia operari in nobis, nos nihil aliud quàm instrumenta esse, per quæ operatur Deus, sicut per malleum faber. » Addit, quòd « sicut faber sibi tribuit opus quod per malleum facit, non malleo, ita opera nostra omnia Deo magis quàm nobis tribuenda. » Et lib. de Providentiâ Dei fol. 365: « Quia lex homini data est, semper homo peccat quando contra legem facit, quantùmvis nec sit, nec vivat, nec operetur nisi in Deo, ex Deo, et per Deum. Sed quod Deus operatur per hominem, homini vitio vertitur, non Deo. Et quando tamen facimus adulterium, vel homicidium, Dei opus est motoris, auctoris atque impulsoris. Latro Deo impulsore occidit; et sæpenumerò cogitur ad peccandum. » Eadem fusissimè prosequitur et confirmat.

Eadem docuit Melanchthon in Locis communibus anni 1521, tit. de libero Arbitrio. Ubi primò doctrinam Patrum de libero arbitrio dicit esse impiam, à divinis litteris et judicio spiritûs alienissimam. Deinde proponit suam: « Quandoquidem, inquit, omnia quæ eveniunt, necessariò juxta divinam prædestinationem eveniunt, nulla est arbitrii nostri libertas. » Et infra: « Voluntati nostræ libertatem per prædestinationis necessitatem adimit Scriptura, » etc. Et in Annotat. in Epistolam ad Romanos, c. 8: « Nos verò docemus, non solùm permittere Deum creaturis ut operentur, sed ipsum omnia propriè agere. Et sicut fatentur proprium Dei opus fuisse Pauli vocationem; ita fatemur opera Dei propria esse, Davidis adulterium, Manlii severitatem, etc. Constat enim ex cap. 1 ad Romanos, Deum omnia facere non permissivè, sed potenter; id est, ut sit ejus propria Judæ proditio, sicut Pauli vocatio, » etc. Hæc fusiùs, ut intelligatur quale istorum primariorum apostolorum, qui mundi tenebras dispulerunt, et religionem reformârunt, sit dogma principale. Si enim principale dogma et fundamentum religio-

num novarum adeò tetrum est et blasphemum, quid de eorum religione reformatâ statuendum?

CAPUT III.

Utrùm Calvinus fuerit convictus sodomiæ, et ob eam causam stigmate inustus.

Non ex aere scripsi ea quæ hâc de re in consultatione adduxi, neque ex meo cerebro, sed ex bonis auctoribus et famâ communi, quæ 40 et ampliùs annis viguit, non solùm apud catholicos, sed etiam apud Lutheranos. Plurimi scriptores hujus rei tanquàm certæ et notoriæ mentionem fecère : ex quibus paucos afferam.

Primus sit Hieronymus Bolsecus medicus, conscius secretorum Calvini, ut ex præfatione apparet. Hic in ejus Vitâ, quam ante annos 34 descripsit, et dedicavit Primati Franciæ archiepiscopo Lugdunensi, cap. 5, ita scribit : « Nihil jam de nativitate dicam, quæ in annum « 1509 incidit, quo Novioduni Picardiæ in lu« cem editus est. Neque etiam commemorabo « de patre ejus Gerardo Cauvino aliud, nisi « impium hominem fuisse, et in Deum maximè « blasphemum : quod de illo testimonium præ« cipui aliquot cives Noviodunenses interrogati « perhibuerunt. Notariusque legalis in publi« cas tabulas retulit ; quarum exemplum cui« dam Bartelier dominii Senatûsque Gene« vensis secretario, Noviodunum hujusce rei « gratiâ, ut in vitam atque mores Calvini in« quireret, et qualis adolescens fuisset explo« raret, præcipuè misso, est impertitus. Quod « ego testimonium publicum apud hunc vidi, « et in ipsiusmet manibus inspexi : et idcircò « ut rem verissimam commemorare possum. « In quo quidem testimonio hoc quoque erat « adjectum : Calvinum, cùm curatum illic be« neficium et aliud sacelli cujusdam sacerdo« tium obtineret, sodomitici sceleris convictum « in vitæ discrimen venisse, ut igni, quæ hu« jusmodi sceleris ordinaria et legitima pœna « est, cremaretur. Cæterùm episcopi urbis « commiseratione pœnam moderatam, ut cau« terio candens ejus humero lilium inureretur. « Quo probro confusus, neque talem ignomi« niam ferens, utrumque ecclesiasticum bene« ficium in pastorem Noviodunensem transtu« lit ; et ab eo certâ pecuniæ summâ acceptâ, « in Germaniam, deinde in Italiam profectus « est, fortunæ, si quam sibi propitiam invenire « posset, se permittens. Cæterùm silentio « præterire nolo, Novioduno discedentem co« gnomine immutato Calvinum se pro Cauvino « vocitâsse, sive imprudentem sive consultò, « quòd hoc nomen moribus ejus conveniret, « quibus malignum illum et vindictæ cupidis« simum Calvinum expressit, cui Juvenalis, « cùm ad eum Satyram 12 scriberet, hunc ver« sum attribuit :

At vindicta bonum quo non felicius ullum.

« Sed fuit etiam cùm se Carolum de Happe « oppidò appellaret, et in omnibus litteris sub« scriberet. » Hæc ille.

Si ista de crimine sodomitico et stigmate vera non erant, cur discipuli Calvini ea non refutârunt? Cur inspectionem actorum publicorum, et magistratuum testimonia non petierunt? facilè enim, si falsa erant, refutari tunc temporis potuissent. Primò, testimonio magistratûs Genevensis, qui publico instrumento declarare potuisset, tale scriptum nunquàm ad se perlatum : se nihil unquàm de hujusmodi Calvini crimine inaudisse ; non enim dubitandum quin eo tempore, nimirùm anno 1577, fuerint multi superstites, qui hujus rei possent meminisse, et fortassè ipse Bartelier, in cujus manibus se hoc testimonium vidisse affirmat Bolsecus, adhuc supererat. Secundò, testimonio magistratûs Noviodunensis. Non enim est dubium quin ex actis judiciariis, quæ asservari diligenter solent, veritas cognosci posset : verùm neutrum fecerunt fratres evangelici. Quis credat, si solidâ aliquâ ratione tanti sceleris infamiam à suo apostolo amoliri potuissent, et adversarium suæ religionis Hieronymum Bolsecum calumniæ convincere, et apud omnes hoc modo infamem reddere, eos id fuisse prætermissuros? Sic enim effecissent ut nec in cæteris, quæ Bolsecus de Calvini variis criminibus, et pessimis artibus, ac machinationibus scribit, ei fides adhiberetur. Itaque cùm nihil fecerint eo tempore quo maximè oportebat (nimirùm cùm libellum suum Bolsecus evulgavit) ut ista solidè confutarent, nemini prudenter rem expendenti dubium esse potest, quin rationis inopiâ, et criminis conscientiâ id omiserint; alioquin injurii in suum apostolum, et sacrilegi in suam religionem extitissent. Accedit, quòd Bolsecus non solùm dicit se in manibus illius secretarii hoc testimonium vidisse et inspexisse ; sed etiam jurejurando affirmat : ita enim scribit in Epistolâ dedicatoriâ ad archiepiscopum Lugdunensem : « Jam hoc quoque eumdem testor Deum, nihil « me hoc tractatu complexum, quod contra « meam conscientiam scriptum esse mihi con-

« scius sim : sed quæ scribo omnia veritate « niti, et vel ex tabulis et testimoniis manu « ipsius Calvini descriptis ea me desumpsisse, « vel referentibus maximæ auctoritatis viris « cognovisse manuque palpâsse, » etc. Omitto signa et peristases varias quæ concurrunt : ut quòd nomen aliquoties mutârit, quòd beneficia sua per simoniam vendiderit, quòd patriam deseruerit, quòd in Germaniam se contulerit, quòd alia multa impuritatis indicia in ejus vitâ apparuerint, ut Bolsecus et alii scribunt.

Secundus sit Julius Brigerus. Hic in Floribus Calvinistarum ita scribit : « Calvinus cùm No« viduni curatum beneficium, et aliud sacelli « cujusdam sacerdotium obtineret, sodomitici « sceleris convictus in vitæ discrimen venit, ut « igni cremaretur. Cæterùm episcopi urbis « commiseratione pœnâ moderatâ, cauterio « candens ejus humero lilium est inustum. « Quam ignominiam haud ferens, vendidit be« neficia sua, et in Germaniam se contulit, mu« tato priùs nomine. Nam pro Cauvino Calvinum « se vocitabat, et aliquando Carolum de Heppe, « aut Happe. » Hæc ille ex Bolseco et aliis. Non sine numinis providentiâ videtur ea nominis mutatio facta. Calvinus enim per anagramma est Lucianus : nimirùm ut Luciani in eo notetur impietas.

Tertius sit Thomas Stapletonus, qui in Promptuario catholico, sabbato hebd. 3 Quadrag. ita scribit : « Inspiciantur etiam adhuc « hodiè civitatis Noviodunensis in Picardiâ « scrinia, et rerum gestarum monumenta; in « illis adhuc hodiè legitur Joannem hunc Cal« vinum sodomiæ convictum, ex episcopi et « magistratûs indulgentiâ solo stigmate in tergo « notatum, urbe excessisse. Nec ejus familiæ « honestissimi viri adhuc superstites impe« trare hactenùs potuerunt, ut hujus facti me« moria, quæ toti familiæ notam aliquam inu« rit, è civicis illis monumentis ac scriniis « eraderetur. » Hæc ille ante annos circiter 23, quia conscripsit illa aliquot annis ante evulgationem. Itaque tunc extabant adhuc acta publica, quibus id continebatur ; quæ tamen jam dicuntur renovata et mutata, omissâ infami illâ de scelere et stigmate Calvini narratione. Facilè id potuit Stapletonus cognoscere per Anglos qui assiduè illàc transibant Duaco Rhemos, vel Rhemis Duacum commeantes.

Quartus sit præclarus martyr Edmundus Campianus : quintus, Joannes Duræus Scotus. Campianus enim ante annos 30, in suâ fidei Demonstratione, ratione 3, Calvinum « stigma« ticum perfugam vocat. » Ad quod Wittakerus in suâ Resp. p. 50, hoc tantùm respondet : « Si stigmaticus fuit Calvinus, fuit etiam Pau« lus, fuerunt alii. » Ubi non obscurè Wittakerus videtur fateri, sed aliorum exemplo excusare. Joannes Duræus hanc Wittakeri responsionem refutat his verbis : « Quòd Cal« vini stigma humeris inustum, cum Pauli sti« gmatibus conferre non dubitas ; facis id « quidem pro tuâ modestiâ et summo in præ« ceptorem amore humaniter : nisi quòd me« minisse debueras Christi stigmata in corpore « suo Paulum portâsse ; Calvinum verò sti« gmata liliorum, quibus nonnisi nefarii ho« mines ob immania crimina ad perpetuam « inuri memoriam solent. » Ad hæc Wittakerus nihil ampliùs quod responderet habuit. Unde etsi in suâ Responsione contra Duræum ad cætera, quæ hoc loco Duræus affert, respondere conetur, ut patet pag. 280, hoc tamen de stigmate prorsùs dissimulat. Hæc ex libro anglico cui titulus : Apologia Protestantium pro Romanâ Ecclesiâ. Quid causæ fuisse putabimus homini alioquin loquacissimo et importunissimo, hujus silentii, nisi quòd famâ publicâ, et conscientiâ propriâ convictus, nullo colore rem tegere et honestare potuerit?

Sextus, Surius ad annum Domini 1538, ita de Calvino scribit : « Huic (Argentoratensi « novæ ecclesiæ) aliquandiù præfectus fuit « Joannes Calvinus ex Galliâ profugus, qui po« stea Genevensem in Allobrogibus Ecclesiam « occupavit. Hunc Calvinum à patriâ suâ ob « vitæ improbitatem exulâsse quidam scribit : « eumdemque alius dicit inter dissolutos suæ « urbis viros dissolutissimum, inter incon« stantes et fœdifragos inconstantissimum. » Hæc et alia Surius de Calvino ex publicâ famâ : et libellus editus est ante annos 47.

Septimus sit Guillelmus Reginaldus in hæreticorum scriptis versatissimus, et tandem ab hæresi ad fidem catholicam traductus. Hic lib. 2 Calvini-Turcismi cap. 11, id probat ex scriptis Lutheranorum sub personâ Micheæ ita scribens : « Taceo Theodorum Bezam et Joan« nem Calvinum (quales et quantos apostolos !) « non polygamiæ, non fornicationum, non « adulteriorum, non stuprorum, sed sceleris « longè horribilioris reos : qui tamen in Eccle« siis vestris tanquàm clarissima sidera longè « latèque resplendent. Mitto quæ Lutherani fra« tres objiciunt (de Calvini ἀσελγεία, variis fla« gitiis et sodomiticis libidinibus, ob quas

« stigma Calvini dorso impressum fuit à magistratu sub quo vixit). Et quanquàm Theodorus Beza aliter de vitâ moribusque Calvini « scribat, tamen contra Theodorum Bezam « isti arguunt hæc esse verissima (nec unquàm luculenter et solidè à Calvinistis refutata). Nam quod ad Bezæ testimonium attinet (cùm Theodorus Beza, inquiunt, eâdem « hæresi et eodem fermè peccato nobilitatus « sit, ut historia de Candidâ meretriculâ et « Audeberto testatur, nemo ipsi hâc in parte « fidem habere potest). »

En septem testes, omnes ἀξιόπιστοι, omnes omni exceptione majores : quibus accedat octavus Conradus ipse Schlussenburgius Lutheranus, cujus verba jam ex Reginaldo retulimus. Longè plures afferre possem; sed hi abundè sufficiunt, non solùm ad me vindicandum à notâ calumniæ, sed etiam ad faciendam fidem cuilibet æquo lectori. Quis enim in re historicâ plura et graviora testimonia requirat?

His accedunt multæ rationes et indicia quæ rem ostendunt esse valdè credibilem. Primùm, quia historia de crimine illo consentanea est aliis Calvini gestis, quæ de ipso commemorantur. Scribit enim Bolsecus in Vitâ Calvini cap. 11 : « Cùm puer Calvini minister quatuor francorum millibus hero subtractis se « in fugam dedisset, et amici vellent illum « persequi, nunquàm Calvinum permittere voluisse, ne videlicet comprehensus puer arcana patefaceret. Quæ res ingentem suspicionem movit, ipsum puero abusum esse. »

Aliud factum narrat Florimondus præses Burdegalensis lib. 7 de Ortu hæresis, cap. 9 : « Fertur, inquit, et complures scriptis evulgârunt rectorem collegii de Boncourt accusâsse Calvinum nefandi criminis; et ex « puerorum depositionibus, cùm non comparuisset, absentem fuisse condemnatum. » Omitto alia impuritatis illius documenta, quæ à scriptoribus referuntur.

Secundum, quia historia illa est conformis vitæ et moribus discipulorum Calvini, qui se omni genere libidinis inquinârunt. Notæ sunt libidines Bezæ successoris Calvini, de quo scribit Conradus lib. 1, fol. 92 : « Certò constat « Theodorum Bezam à pueritiâ imbibisse vatum impudicitiam et impudentiam, totamque « ætatem explendis suis libidinibus et cupiditatibus, ac de scribendis suis amoribus, et « ulciscendis suis rivalibus exercuisse : atque « in meretricem, lenam et cinædum transformatum esse. De quo item constat et hoc, « quòd obscœnissimis verbis scripsit ad Germanum Audebertum Aureliæ, et eumdem « tanquàm Adonidem à Theodoro Bezâ factum « esse. » Plurima in hanc sententiam referunt Bolsecus, Julius Brigerus, Stapletonus, et alii. Nota est in Scotiâ impuritas Joannis Knoxi Scotiæ apostoli, et aliorum multorum quos memorat Julius Brigerus in Floribus, et Guillelmus Reginaldus supra, et Villagagnon adversùs articulos Richeri, et alii.

Tertium, quia est consentanea sex primariis capitibus doctrinæ Calvini, quorum primum est de Providentiâ. Secundum, de Electione. Tertium, de libero Arbitrio. Quartum de Fide justificante. Quintum de bonis Operibus. Sextum, de præceptorum divinorum Impossibilitate.

Primum sic ostenditur. Calvini doctrina est : Deum ab æterno omnia opera scelerata hominum et dæmonum decreto suo statuisse ac præordinâsse, et suis temporibus ad ea excitare, movere, impellere, ut supra ostensum est. Si ita est, cur homo nitatur resistere? cur cùm se ad hujusmodi nefanda sentit impelli, detrectet et renitatur? cur non sequatur impulsum divinum? cur non obsecundet ejus voluntati et decretis? Impium enim est Deo velle resistere, ejusque impulsum conari cassum et irritum reddere.

Secundum ostenditur. Calvini doctrina est : « Omnes Calvinistas esse electos ante omnem « operum prævisionem : neque solùm esse « electos, sed etiam hoc ipsum debere firmissimè credere ; adeò ut si quis eâ de re aliquo « modo dubitet, horrendè sit sacrilegus, miserrimè cæcus, Spiritui sancto injurius, et « prima pietatis tirocinia ignoret. » Ita docet lib. 3 Instit. c. 2, § 38 : « Abundè liquet, fidei « nihil esse magis adversum, quàm vel conjecturam, vel aliud quippiam dubitationi af- « fine. » Loquitur de fide electionis, et futuræ salutis. Et infra : « An igitur sani sunt isti, « qui nullam esse gratiæ Dei certitudinem colligunt? » Per gratiam, intelligit favorem quo prosequitur electos. Et § 39 : « Quid aliud « quàm Christi promissiones in dubium revocamus, dùm servi Dei sine ipsius spiritu haberi volumus, quem super suos omnes effusurum se denuntiavit? Quid, quòd Spiritui « sancto injurii sumus, qui fidem opus ejus « peculiare ab ipso separamus? hæc cùm prima sint pietatis tirocinia, miserrimæ est cæcitatis, arrogantiæ notari Christianos, qui « Spiritûs sancti præsentiâ gloriari ausint,

« sine quâ gloriatione Christianismus ipse « non constat. » Idem docet § 40; item c. 24 ejusdem libri cap. 6, 7, 8. Cùm ergo omnes Calvinistæ firmissimè credant se habere Spiritum sanctum, qui testatur ipsos esse filios et electos Dei, quid mirum si liberè ausint quidvis patrare? Quidquid enim egerint, non possunt à salute excidere, nec Spiritum sanctum, vel internum electionis testimonium amittere.

Tertium ostenditur, quia Calvini doctrina est, « Hominem nec in actionibus bonis, nec « in malis, nec in adiaphoris esse liberi arbi« trii : » eò quòd vis divinæ providentiæ in omnibus actionibus dominatur, et ad omnes inflectit et impellit. Ita docet lib. 1, cap. 18; et lib. 2, cap. 2, § 4 : « Nimis philosophicè hâc « de re (de libero arbitrio) locuti sunt, qui se « Christi jactabant esse discipulos. Nam quasi « adhuc integer staret homo, semper apud « Latinos liberi arbitrii nomen extitit. Græcos « verò non puduit multò arrogantiùs usurpare « vocabulum : siquidem αὐτεξούσιον dixerunt; « ac si potestas suî ipsius penès hominem « esset. » Ubi sugillat omnes Patres Latinos et Græcos libertatem arbitrii statuentes. Idem prosequitur cap. 3, 4 et 5. Si Calvinistæ non sunt liberi arbitrii, et vi providentiæ ad omnia quæ agunt impelluntur, cur non liceat illis patrare quidlibet? cur illis culpæ vertatur, quod non liberâ electione, sed vi providentiæ insuperabili admittunt?

Quartum ostenditur, quia doctrina Calvini est, « Fidem Calvinistarum non posse amitti; « eamque efficere, ut nullum peccatum Calvi« nistis imputetur. » Priorem partem tradit libro 3 Instit. cap. 2, § 11 : « In fidem non « illuminantur reprobi, nec Evangelii effica« ciam verè sentiunt, nisi qui præordinati « sunt ad salutem. » Et infra : « Ergo ut solos « electos semine incorruptibili in perpetuum « regenerat, ut nunquàm dispereat semen vitæ « in cordibus eorum insitum; ita solidè in illis « obsignat adoptionis suæ gratiam, ut stabilis « ac rata sit. » Fidem vocat semen incorruptibile, et semen vitæ, quod nunquàm perit de cordibus electorum. Et infra : « Vivâ fidei ra« dice solos electos dignatur, ut in fidem us« que perseverent » Et § 12, ubi ita scribit : « Hoc iterùm tenendum est, quantumvis exi« gua sit ac debilis in electis fides, qui tamen « spiritus Dei certa illis arrha est ac sigillum « suæ adoptionis, nunquàm ex eorum cordibus « deleri posse ejus sculpturam. » Ecce fides semel insculpta cordibus prædestinatorum, nunquàm deleri potest. Iisdem locis docet, « reprobis non dari veram fidem, sed fidei « umbram, » imaginem nullius momenti quæ indigna sit fidei appellatione.

Alteram partem docet lib. 3, cap. 4, § 28. Ubi cùm rejecisset distinctionem peccati venialis et mortiferi, et docuisset omnia peccata secundùm se esse morte digna, subdit : « Cæ« terùm fidelium peccata venialia esse, non « quia non mortem mereantur, sed quia Dei « misericordiâ nulla est condemnatio iis qui « sunt in Christo Jesu; quia non imputantur, « quia veniâ delentur. » Idem docet lib. 2, c. 8, § ultimo. Si nullum peccatum, quantumvis in se grave et enorme, fideli Calvinistæ imputatur; cur, qualecumque tandem sit, timeat illud admittere? cur sibi vim faciat, ut suis cupiditatibus resistat? cur voluptatibus, ad quas effectus inclinat, se privet? Nihil enim inde incommodi ipsi proveniet : sicut nihil commodi accipiet, si restiterit.

Quintum ostenditur, quia doctrina Calvini est, omnia illa quæ vocantur opera bona, etiam in fidelibus esse « Sordes et inquinamenta, et justam opprobrii mercedem mereri. » Ita docet l. 3 Instit. cap. 12, § 4 : « Omnia hominum « opera, nihil sunt nisi inquinamenta et sordes: « et quæ justitia vulgò habetur, ea apud Deum « mera est iniquitas. » Et cap. 14, § 9 : « Ha« bemus ne unum à sanctis exire opus, quod « si in se censeatur, non mereatur justam op« probrii mercedem. » § 11 : « Duobus his « fortiter insistendum, nullum unquàm exti« tisse pii hominis opus, quod si severo Dei « judicio examinetur, non esset damnabile. « Ad hæc, si tale aliquod detur (quod possibile « homini non est) peccatis tamen, quibus labo« rare auctorem ipsum certum est, vitiatum « ac inquinatum gratiam perdere. » Idem docet cap. 15, § 3. Si Calvinistæ firmiter credunt omnia quæ vocantur bona opera, esse « sordes « et inquinamenta, et omnem operum justi« tiam esse apud Deum meram iniquitatem, » cur de bonis operibus sint solliciti? cur illa omni studio non detestentur et vitent? Omnes enim tenentur detestari et fugere omne id quod nihil est nisi mera iniquitas, meræ sordes et inquinamenta. Cur potiùs se dedant operibus bonis quàm pravis, eleemosynæ quàm rapinis, fidelitati quàm perfidiæ, veritati quàm mendacio, castitati quàm libidini; cùm omnia sint coram Deo prava, inquinamenta, iniqua, et mortem æternam mereantur? Quis non vi-

deat hoc uno articulo non solùm omnem religionem et pietatis cultum, sed etiam omnem honestatem et virtutem moralem funditùs everti?

Sextum ostenditur, quia doctrina Calvini est, « Præcepta divina esse homini impossibilia, » lib. 2 Instit. cap. 7, § 5. « Quòd autem « impossibilem legis observationem diximus, « id est paucis verbis explicandum simul et « confirmandum. Solet enim vulgò absurdissima sententia videri, ut Hieronymus non « dubitet anathema illi denuntiare. Quid visum « sit Hieronymo, nihil moror, » etc. Deinde id fusè confirmat. Si Calvinistæ credunt legem divinam esse impossibilem, non est quòd eam conentur servare aut tentationibus carnis resistere. Cur enim conentur ad impossibilia? Fides illis est instar omnis observationis et impletæ legis, ut idem docet capite illo 7, § 4.

Ex his perspicuum est historiam illam, et alias hujusmodi quantumvis exoticas, doctrinæ Calvini sex modis esse consentaneam; nihilque in genere libidinum et scelerum esse adeò mirabile, quod spectatâ tali doctrinâ non reddatur credibile. Retuli verba Calvini, ne dicatur me illi falsò imponere. Postremò hæc historia congruit S. Scripturæ. Ex Scripturâ enim habemus, philosophos traditos in reprobum sensum, ita ut contumeliis nefandarum libidinum afficerent corpora sua, eò quòd veritatem Dei in injustitiâ detinerent; hoc est, juxta notitiam quam de Deo habebant, non viverent : *Cùm enim Deum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt,* inquit Apostolus. Si philosophi, quia juxta veritatem cognitam non vixerunt, meritò in reprobum sensum sunt traditi, quantò justiùs id accidit nostris hæresiarchis, et novi evangelii apostolis, qui non solùm veritatem Dei in injustitiâ detinent, sed eam planè pervertunt, et in mendacium ac blasphemiam commutant? Qui non solùm volunt dici sapientes, sed apostoli et prophetæ, et θεόπνευστοι, et Ecclesiæ reformatores et instauratores. Justo itaque Dei judicio traduntur in reprobum sensum, et permittitur diabolo, ut et mentem eorum excæcet, et carnem libidinum facibus accendat, et ad omnem impuritatem, immunditiam ac libidinum contumeliam eos impellat : ut appareat mundo quàm sint viles et abominabiles; et nulla excusatio supersit iis qui tam fœdis carnis mancipiis fidem adhibent.

Testatur de se ipse Lutherus, quòd sub initium sui evangelii (antequàm professam monialem sibi copulàsset) « propter libidinis ve« hementiam, et amorem mulierum, ad insa« niam penè redactus fuerit. » (In Colloquiis mensalibus, folio 415.) Idem in capite 31 Proverb. hoc glossema apponit : « Nihil amabilius « vel suavius est in terrâ, quàm amor mulie« rum, si cui is potest contingere. » Et alibi testatur « se non magis à muliere potuisse « abstinere quàm à cibo et potu; » De Vitâ conjugali, colloq. mensal. fol. 400 et 526. et opus conjugale esse opus divinum, cœleste, spiritale. Quis unquàm leno vel adulter adeò fuit impurus, ut ita loqueretur?

Ulricus Zwinglius in litteris suo et aliorum evangelicæ doctrinæ ministrorum nomine scriptis : « Apud Paulum non aliam matrimonio« rum causam, quàm carnis ad libidinem « æstum, reperire licet; quem in nobis fer« vere, negare non possumus, cùm hujus « opera nos coram Ecclesiis infames reddi« derint. » Ecce fatentur isti sua dedecora et suam infamiam. Sequitur : « Æstum verò li« bidinis eas carnis cupiditates et affectus in« telligimus, quibus homo tantùm non accen« sus, carnis libidinosæ studia animo suo « versat, in his solis omnes cogitationes suas « insumit, hæc meditatur, totusque in hoc est, « ut carnis furori satisfaciat. » Idem habet aliâ supplicatione, quam nomine quorumdam Tuguri Evangelistarum mittit ad episcopum Constansiensem; cui præter Zwinglium subscripsêre Leo Judæ, Erasmus Fabricus, et Balthasar Tracselius : ubi fatentur isti apostoli, « se tam valdè arsisse, ut multa inde« corè gesserint homines quadragenarii. »

De Calvino, Bezâ, jam dictum. De Anabaptistarum apostolis nihil dicam, quia res notissima. Ex quibus perspicuum est, novarum istarum religionum auctores, dùm volunt videri apostoli et reformatores Ecclesiæ, fuisse miserrima carnis suæ mancipia : et justissimè hoc probrum à Domino in illos permissum, ut omnibus scintillam prudentiæ habentibus sint contemptui; et nemo, nisi qui spontè se à veritate avertit, ab illis decipiatur. Contraria planè fuit Apostolorum Christi, et eorum qui veram Religionem initio in variis provinciis plantàrunt, vita, mores, disciplina.

DOMINE, MISERERE.

FRATRUM BALLERINI VITA.

Ballerini fratres, (Petrus et Hieronymus) Veronæ nati, prior anno 1698, alter verò anno 1702, ambo presbyteri, omni doctrinâ, ac præcipuè Scripturæ sacræ scientiâ maximoperè claruerunt. Quemadmodùm sanguine, ita et laborum eorumdem amore juncti, studio quisque pro suo ingenio conjunctim incumbebant. Theologiæ canonumque Petrus, historiæ verò criticæque artis partes Hieronymus versavit exercitatiùs. Defunctus est Petrus anno 1764; pluribus verò post fratrem annis vitam prolongavit Hieronymus.

Ballerini fratrum inter opera memoratu maximè dignum illud quod de suo ferè totum Petrus elucubravit, nempe quem edimus librum singularem *de vi ac ratione primatûs Romanorum pontificum,* 1 vol. in-4°, Veronæ impressum ann. 1766. Ipsorum insuper laboribus ac curis in lucem de novo prodière *Summa Theologica* D. Antonini, *Summa* item D. Raymundi de Pegnafort; ad hæc, opera Leonis Magni, necnon Gilberti Veronensis episcopi; editio omni ex parte completa cardinalis Norisii, cum notis ac dissertationibus, Veronæ anno 1732, 4 vol. in-fol. Accedit his italo sermone scriptum opusculum, gallicè translatum à Nicolio de la Croix, Paris, 1760, in-12, cum hoc titulo : *Méthode d'étudier tirée des ouvrages de saint Augustin.*

PRÆFATIO.

Cùm pontificum Romanorum primatus unum sit è præcipuis christianæ Religionis capitibus, ex quo catholicæ Ecclesiæ bonum maximè pendet, quodque idcircò hæretici et schismatici multis nituntur impetere, Catholicorum munus esse ipsum propugnare, explicare et constituere, nemo orthodoxus revocabit in dubium. Mihi autem hâc in re operam navaturo illud nunc propositum non est hæreticos aut schismaticos refellere, qui vel eumdem primatum negant, vel merum primatum ordinis adstruunt. Disputationem scilicet instituturus sum cum catholicis illis scriptoribus, qui, etsi ex catholico dogmate ipsum non meri ordinis, sed præcipuæ jurisdictionis primatum fatentur, de ejus tamen facultatibus atque prærogativis disputant atque dissentiunt. Superfluus fortassis videri poterit noster hic labor, cùm alii plures hinc et hinc eâdem super re libris luculentissimis disseruerint, nec tamen successerit, ut dissidentes ad concordiam revocarent. Quærenti autem mihi, cur post tot scripta et edita à doctissimis viris utrinque volumina, adhuc in re tantâ vigeat inter Catholicos acris concertatio atque dissensio; illud in causâ fuisse visum est, quia principia quibus res isthæc tractatur, inter contendentes non omninò conveniunt. Etsi enim multa ex sacris libris, ex traditione, ex conciliis et Patribus utrinque afferantur; cùm tamen ea alii aliter explicent et interpretentur, nihil certi principii loco præstitutum invenitur, cui omnes assensum præbeant, et ex quo certa controversiæ definitio deducenda sit. Cùm in omnibus quæstionibus, tum præsertim in hâc, ut res ex voto cedat, is qui dissentientes in suam, quam veram arbitratur, sententiam adducere studet, principia quæ ab ipsis adversariis certa judicentur et concedantur, præfigere debet, et ita explicare ex ipsorum quoque sententiâ, ut ne diversam interpretationem patiantur; dein verò quatenùs ex iis cætera, quæ in controversiam veniunt, legitimè consequantur, probè demonstrare.

Hanc ego methodum in re præsenti mihi proposui, quam si aptè exsequar (nitar quidem certè), non inutilem operam me suscepisse æquus lector judicabit. Id autem quomodò sim præstiturus, paucis præfabor. Omnes Catholici, ut diximus, conveniunt in asserendo pontificio præcipuæ jurisdictionis primatu; sed quæ sit propria hujus primatûs ratio, quæ præcipuæ ejus jurisdictionis vis, in quâ ex catholico dogmate conveniendum sit, ante omnia erit explicandum, et ex principiis ipsorum adversariorum consensu appro-

batis constituendum, ne in quæstionem ampliùs possint ea revocare. Hâc verò primatûs ratione ac præcipuâ vi, seu jurisdictione, quæ cæterarum ejus facultatum radix et origo est, ex principiis quibus adversarii suos quoque calculos adjicient, constituta, quatenùs facultates ab istis in controversiam adductæ, ex eâ primatûs ratione ac præcipuâ vi, seu ex principiis illorum assensu concessis dimanent, faciliùs patebit; et ita, ni me mea fallit opinio, patebit, ut iidem adversarii catholici, ni principiis, quæ ipsimet, ut catholicum sensum tum ab hæretico, tum à schismatico alienum præferant, cogentur concedere, renuntiare velint, easdem facultates primatui ab se quoque asserendas intelligant.

Cùm porrò de omnibus pontificiis facultatibus, quæ primatui competunt, et in quæstionem cadunt, nimis longum esset singillatim disserere, satis mihi erit principia quæ ad naturam ac vim primatûs omnium facultatum fontem cognoscendam sufficiant, ex adversariis ipsis exertè constituere, ac dein facultates præcipuas ex iisdem principiis colligere et vindicare, quæ cæteris enucleandis satis indicio erunt. Præcipuæ autem pontificii primatûs facultates, quæ ad spirituale regimen pertinentes in gravem disputationem adducuntur, sunt istæ duæ : prima, quale sit jus Romanorum pontificum in definiendis controversiis fidei; secunda, quænam sit eorumdem potestas collata cum potestate concilii œcumenici. Hæ duæ, si ex principiis quæ ob cognoscendam naturam ac vim primatûs propriam adversariis consentientibus statuentur, ad certitudinem adduci queant, quis non videat quàm facilè de cæteris sit futurum judicium, ut ne de singulis multa sint in medium afferenda ? Circa primam facultatem definiendi controversias fidei (in quibus comprehenduntur et quæstiones morum ad naturale ac divinum jus pertinentes) adversarii quidem catholici, quos impugnandos suscepimus, non negant, imò expressè fatentur, præcipuas Romanorum pontificum partes esse dogmatica in illis decreta proferre (Declarat. convent. Cleri Gallicani n. 4); sed num hæc per se absolutè irreformabilia sint, seu infallibilitatis privilegio gaudeant, illud est quod maximâ contentione inficiantur. Cùm autem hæc prima facultas, si cum infallibilitatis prærogativâ probetur conjuncta, maximi momenti sit, et ob principia præstituenda, constituendamque naturam ac vim primatûs propriam, ex quâ eadem prærogativa proximiùs et evidentiùs consequitur, non ita brevem operam requirat, de hâc tantùm hoc in opere agemus. Altera porrò facultas pontificia collata cum jure conciliorum generalium quænam et cujusmodi sit, cùm non unicum fidei negotium respiciat, in quod principia hâc in dissertatione afferenda potissimùm conferunt, sed disciplinæ quoque materiem complectatur, quæ aliis atque aliis principiis indiget, aliàs, si vacabit, explicabitur atque constituetur.

Sanctus Augustinus, initio libri de Mendacio, lectorem jure præmonuit : *Quisquis legis, nihil reprehendas, nisi totum legeris.* Id à me multò magis præmonendum et enixiùs petendum. Principia enim, quæ præmittentur ad evolvendam statuendamque naturam ac vim pontificii primatûs, consecutiones indicabunt de inerrantiâ et infallibilitate Romanorum pontificum in definitionibus fidei. Hinc autem præoccupationes adversariorum, objecta et difficultates identidem ingerent præsertim ex quibusdam factis, quæ cùm directè principiis ipsis non adversentur, non erunt ibidem solvenda, sed solventur postea loco proprio. Itaque præoccupationibus omnibus sepositis totum opus antea legatur, nihilque lector reprehendat, antequàm totum legerit, in quo omnibus saltem gravioribus objectis, quorum solutio non ex uno vel altero, sed ex omnium vel plurium principiorum complexu pendet, congruentiori singulis loco satisfactum iri confido.

Et quoniam hâc in dissertatione de fidei materiâ potissimùm agendum est, libet paucis nostri systematis præcipuam vim, ac totius ratiocinationis summam indicare. Principia, in quibus adversarios consentientes videbimus, in illud tandem recidunt, quo cunctis Catholicis necessaria statuetur cum Romanâ sede Romanisque pontificibus unitas communionis et fidei ratione primatûs. Istud autem principium, quod ipsius primatûs propriam præcipuamque vim continet, eamque coactivam ad utramque unitatem, et potissimùm atque primariò ad unitatem fidei cum fide ejusdem Sedis et Romanorum pontificum à cunctis fidelibus omninò servandam; istud, inquam, principium post probationes ex sacrâ Scripturâ ac traditione Patrum ita videbimus ipsorum quoque adversariorum testimoniis adstrui, ut ipsum principium quoad necessariam etiam fidei unitatem per se absolutè non negent, sed quibusdam tantùm effugiis et conditionibus stu-

deant restringere, quæ tamen inepta et inutilia esse patebit, nisi præstitutis principiis quæ concedere coacti fuerunt, ne catholicum dogma ex Scripturis ac Traditione exploratum convincantur deserere, renuntiare velint. Hinc porrò cùm clarè consequetur Romanorum antistitum infallibilitas in definitionibus fidei, quibus fidei unitas ex constitutis præstanda est ab omnibus et à totâ catholicâ atque infallibili Ecclesiâ, incohærentia adversariorum detegetur, dùm post concessa principia hanc prærogativam impugnant. Huic autem infallibilitatis privilegio iidem adversarii nihil reipsà habent quod opponant ex Scripturarum ac Traditionis auctoritate, quæ cum laudatis principiis cohærens tota nostra est, ut perspicuè probabitur. Unum tantummodò, quod ipsos jure permovisse videri potest, sunt mera facta quorumdam errorum circa fidem, qui nonnullis pontificibus tribuuntur. Hos verò errores, qui sunt postremum adversariorum effugium, dùm excutiemus, patebit vel non esse errores, vel, si errores sint, non esse errores definitionum fidei, quibus tantùm ex principiis statuendis fidei unitas debetur, et infallibilitas adjudicanda est; ubi ejusmodi definitionum notæ et characteres quibus discernantur, explicabuntur, omnisque confusio, quæ adversariorum præjudiciis causam dedit, auferetur. Ex his itaque illud perspicitur, quàm necessaria sit totius operis lectio, antequàm quispiam repugnet, et quàm importunum esset in principiorum tractatione difficultates obtrudere ex quibusdam erroribus, qui per se non spectant ad ipsa principia, sed ad infallibilitatis quæstionem, de quâ post constituta principia ultimo tantùm capite agetur.

Haud dubito, quin hæc pontificiæ infallibilitatis defensio post edita postremis hisce temporibus à præstantissimis eruditissimisque adversariis multo non minùs ingenio, quàm studio lucubrata, et magno etiam cum plausu à multis suscepta, recusa, et ubique disseminata volumina, parùm æquo animo, seu potiùs averso excipienda sit à nonnullis, risu, aut commiseratione dignum existimantibus nisum in causâ quæ doctiorum, uti putant, communi ferè sensu ita est à celeberrimis scriptoribus luculentissimè rejecta, ut jam desperata judicetur. Id mihi quoque magnam vim olim intulit audito quodam eruditissimo et eloquentissimo viro, qui in adversariorum operibus apprimè versatus, ipsorum sententiam pluribus propugnabat, et scriptores nostræ sententiæ vindices ita naviter disertèque refellebat, ut æquæ defensioni locus ampliùs non esse videretur. In quo ancipiti dùm magnâ cum animi perturbatione versarer, sanctorum potissimùm et doctissimorum postremæ ætatis virorum, qui pro plenissimâ et supremâ Romanorum pontificum potestate, præsertim in definitionibus fidei, certissimè steterunt, auctoritas me continuit erexitque, ratum fieri non posse, ut horum sententia, quæ teste Claudio Fleury (Discours 9 in Hist. Eccles.), apud ipsos theologos Gallos non desierat esse ferè communis etiam post comitia anni 1682, sit penitùs inanis, vel omninò infirma, et non potiùs solidissimis Scripturæ ac Traditionis fundamentis innixa. Hæc præcipuè cogitatio me deinde excitavit ad investiganda et conferenda utriusque sententiæ documenta; et Deo Patre luminum adjuvante me detexisse credo certa principia, quæ ab adversariis quoque concessa, ad pontificii primatûs, quem illi pariter agnoscunt, rationem et vim explicandam, ac totum systema formandum atque constituendum, ad illorum hallucinationes incohærentiamque detegendam, ad rectam evangelicorum testimoniorum ac traditionis intelligentiam et usum; uno verbo ad veritatem agnoscendam et propugnandam manuducent; irrisoresque, si præoccupationes seponant, ingenioque principiorum nexui ac systematum rationi comprehendendis apto potiantur, non tam ad animositatem deponendam, quàm ad mutandum consilium, sanctosque viros laudatos imitandos atque sequendos impellent. Num verò hæc ex præjudicio potiùs nostræ sententiæ, quàm vi rationum, et sacræ præsertim auctoritatis, dicta sint, ipsa lectio attenta operis probè intelligentibus patefaciet.

Illud tandem moneo, ut, si qui aliquid contra reponendum putabunt, videant (etiam atque etiam rogo) ne arripiant tantùm hinc et hinc separatim aliqua quæ sine cæterorum nexu, et sejuncta à principiis systematis, probabilia fortassis videri poterunt; sed de ipsis principiis potissimùm, et de toto systemate judicium proferant aptèque confirment; aliàs ipsum systema ex principiis adversariorum concessione probatis, nec à novo censore impugnatis deductum, satis per se subsistet, et omnia quæ separatim opponentur intactis systemate et principiis systematis, inania esse penitùs demonstrabit. Vide, ex. gr., quæ in hanc rem observabimus cap. 13, ubi de quibusdam antiquorum Patrum testimoniis, quæ

adversari creduntur Traditioni eo capite probatæ, peculiarem et notatu dignam animadversionem exhibebimus. Ita pariter, si omnia et singula quæ in fusiori opere illustrissimi et celeberrimi Meldensis episcopi duobus voluminibus contra nostram sententiam digesta sunt, voluissem singillatim excutere et confutare, longum nimis opus debuissem contexere, quod molestiam lectoribus pareret, ipsâque prolixitate ac principiorum concessorum molestâ et confutanti singillatim necessariâ repetitione impediret, ne systema per se manifestum, tot diverticulis identidem interruptum, facilè comprehenderetur. Dùm systema per se ex probationum complexu est evidens, ex eo satis respondetur objectis, etiamsi non omnia afferantur in medium, cùm præsertim ex responsis ad objectiones præcipuas, quæ non erant omittendæ, aliarum leviorum responsio satis elucescat.

DE VI AC RATIONE
PRIMATUS ROMANORUM PONTIFICUM,
AC DE ISTORUM INFALLIBILITATE IN DEFINIENDIS CONTROVERSIIS FIDEI,
Liber singularis.

CAPUT PRIMUM.

PROPOSITIO PRIMA. — *S. Petrus inter Apostolos primatum habuit, qui in Romanos pontifices ejus successores transivit. Hinc ratio et vis primatûs istorum eadem est ac illa, quæ fuit ratio et vis primatûs S. Petri : et idcircò quæcumque S. Petro congruunt testimonia, unde primatûs ejus ratio et vis statuitur et explicatur, eadem in eamdem planè sententiam de Romanis pontificibus eorumque primatu accipienda sunt.*

De hâc primâ propositione, quatenùs primatum aliquem inter Apostolos S. Petro concessum, et ex eo in Romanos pontifices ejus successores traductum affirmat, de hâc, inquam, propositione inter me et adversarios catholicos, quibuscum totus mihi nunc futurus est sermo, penitùs convenit; ut vel ex ipsorum testimoniis, quæ in sequentibus capitibus afferentur, patebit. Hinc probanda in præsentiarum non est, uti esset probanda multis, si contra hæreticos, vel schismaticos ageremus. Quanquàm cùm hæc propositio primatum aliquem S. Petro et Romanis antistitibus generatim attribuens, nihil statuat de ejusdem institutione atque naturâ, etiam cum hæreticis atque schismaticis ipsis non difficile esset in eâ convenire. Primatum enim aliquem in Ecclesiâ necessarium et ipsi pernoverunt, eâ ratione ducti, quam eorumdem testimoniis confirmaturi sumus cap. 8; hæcque ratio ejusmodi est, quæ primatum in uno aliquo exigit, non in Ecclesiæ initiis tantùm, sed perpetuò usque in finem mundi, ita ut aliquem primi successorem, qui eodem primatu potiatur, semper efflagitet. Petro autem hunc primatum primò fuisse delatum semper agnovit catholica Ecclesia; neque in hoc cum hæreticis aut schismaticis multa pugna esset, cùm aliquem Petri primatum concedant, ut constabit ex dicendis cap. 2. Solùm ut hunc primatum Romanis pontificibus eriperent, fuit ille quorumdam acatholicorum conatus non levis, et conatus quidem duplex, primùm negare iter S. Petri Romam, dein, si hoc iter concedendum sit, inficiari episcopatum ejus Romanum, ex quo S. Petri primatus in Romanos pontifices jure successionis transivit. At prima opinatio, quæ S. Petri iter Romam negabat, adeò evidentibus explosa est documentis, ut ipsorum quoque heterodoxorum peritissimi illud ampliùs non negent, nec, etsi maximè velint, negare nisi impudenter queant. Altera porrò, quæ Romanum S. Petri episcopatum excludit, præter alia multa satis vel exinde refellitur, quòd nonnisi ex episcopatu quem Romæ S. Petrus instituit gessitque, Romana Sedes S. Petri cathedra semper appellata est in Ecclesiâ catholicâ et in Romanorum antistitum catalogis, quos an-

tiquissimi quoque Patres in sua opera inseruerunt, primus semper describitur S. Petrus, cui alii veluti successores subjiciuntur. Id quidem ita manifestum est, ut Joannes Pearsonius, quantùmvis heterodoxus, non solùm affirmaverit, sed etiam demonstrârit, nunquàm apud antiquos dubitatum fuisse quin S. Petrus Romanam Ecclesiam fundaverit, et Romani pontifices eidem in episcopatu successerint. (Oper. posthum. edit. Londin. pag. 27 et 31.)

Primatûs Petro delati ratio nullam particularem sedem episcopalem, cui ipse alligaretur, per se videtur postulâsse. At quod per se Petri primatus non exigebat, certa requirebat illius in primatu successio, quæ in bonum Ecclesiæ perseverare, facilèque expediri debebat, ut probè observavit Bossuetius in Defensione declarationis cleri Gallicani, lib. 10, al. 15, c. 5: « Petri successores cùm ordinandi fuerint, de « cœlo lapsuri non sunt; neque ad creandos « eos, ubi opus fuerit, totam Ecclesiam citari « commoverique oportebit. Necesse ergo est, « aliqua ut sit catholicæ Ecclesiæ pars, ex quâ « existant, aliique aliis subrogentur. Quare ita « constituti sunt, ut non modò universæ Ec« clesiæ præsint, sed, quemadmodùm cæteri « episcopi, peculiarem habeant, quam regant, « Ecclesiam, nempe Romanam, quam Petrus « fundârit et rexerit. » Id etiam necesse fuit, ne vagus incertusque esset summi pontificis locus, quò in urgentibus Ecclesiæ necessitatibus ex remotissimis quoque regionibus tutè confugeretur : si enim sedes ejus vaga esset et incerta, et modò hùc, modò illùc in longinquas et dissitas orbis partes summi pontifices discurrerent, nesciretur quò dirigendæ essent litteræ : quod christianæ rei plurimùm detrimenti attulisset. Hinc ergo particularis episcopatûs à Petro eligendi, cui primatis persona alligaretur, necessitas agnoscitur. Fuit ille quidem Antiochenæ sedis fundator et rector aliquot annos, sed cùm inde Romam transierit, hùc primatum à suâ personâ indivisum pariter transtulit, et ibidem supremum diem claudens eumdem primatum ad successores in eâdem sede transmisit. Cur porrò episcopatus Romanus præ cæteris à Petro delectus fuerit, cui primatus uniretur, alia quæstio est, quam hìc discutere nec vacat, nec opus est. Si enim stet Romæ Petrum fuisse, et in Romanâ sede decedentem, successoribus suis primatum bono Ecclesiæ necessarium reliquisse, statim sequitur, quod et adversarii catholici cum totâ Ecclesiâ tanquàm dogma certissimum tenent, Romanos pontifices eidem Petro in ipsius primatu succedere, adeò ut eâdem, quâ ille functus est, totius Ecclesiæ primatis vi ac ratione, jure successionis potiantur.

Neque verò contra hanc æqualitatem Petri et successorum ejus Romanorum pontificum in ratione primatûs difficultatem illud moveat, quòd Romani pontifices antiquâ veluti formulâ Petri vicarii à multis appellentur, perinde ac si inferiorem Petro gradum ac dignitatem obtineant. Vicarii enim nomen apud veteres passim pro successore alicujus accipitur, qui æqualem ei cui succedit, cùm dignitatem, tùm auctoritatem jure successionis est consecutus. Hinc vicarii et successoris voces de eodem simul acceptæ leguntur, uti S. Cyprianus Epist. 67, al. 68, ad Stephanum Papam memoratis ejus prædecessoribus Cornelio et Lucio : « Vicarius, inquit, et successor eorum factus es. » Frequentius autem unum vicarii nomen pro successore sumptum, quod æqualitati nihil præjudicii affert. Ita S. Gregorius lib. 1, Epist. 4 ad Mediolanenses electum Mediolanensis sedis episcopum vicarium S. Ambrosii nominat, quemadmodùm et Thato ejusdem sedis episcopus se vicarium Ambrosii appellat in documento anni 866, apud Puricellum ; et similiter (ut alia omittam exempla) in diplomate Ottonis apud Ughellum Hildericus episcopus Veronensis dicitur vicarius S. Zenonis; quos omnes prædecessoribus suis æquali dignitate et auctoritate successisse exploratum est. Vicarii nimirùm hi omnes eo sensu appellati sunt, quòd eorum, quibus successerunt, vicem gererent, perinde ac si eximii illi prædecessores in ipsis viverent. In hanc itaque sententiam Romani pontifices S. Petri vicarii dicti fuerunt, quia succedentes S. Petro ejus vices gerunt, ita ut S. Petrus in ipsis adhuc vivere, eâdemque sibi traditâ primatis dignitate ac potestate toti Ecclesiæ præesse videatur. Hinc quidem Eulogius episcopus Alexandrinus S. Petrum in summis pontificibus respiciens, eumdem in Romanâ cathedrâ tunc quoque sedentem professus est, dicens, ut tradit S. Gregorius, lib. 7, Epist 40, quòd ipse (S. Petrus) in eâ nunc usque in suis successoribus sedeat : et pari locutione Philippus Romanæ Ecclesiæ presbyter Ephesini concilii Patribus affirmare non dubitavit : « Nulli dubium, imò seculis omnibus notum, quòd S. Petrus ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus vivit. » Ita pariter S. Petrus Chrysologus in epistolâ ad Eutychem n. 2 : « S. Petrus, inquit,

qui in propriâ sede (id est, in successoribus) et vivit, et præsidet; » et S. Leo serm. 2, al. 1 in assumptione sui ad pontificatum c. 3: « Cujus (Petri) in suâ sede vivit potestas, et excellit auctoritas; » et c. 4: « Cujus dignitas etiam in indigno hærede non deficit. » Quid ergo vicarii nomen offendat, si successorem designat ejusdem dignitatis, auctoritatis atque primatûs hæredem? Sed quid pluribus moror in re ab ipsis adversariis concessâ?

Interim quid ex eâ sequatur, animadvertant velim, ne qui hanc primam propositionem ultrò dant, in disputationis decursu minùs cohærenter loquentes, importunum nobis et lectoribus negotium facessant. Si nimirùm semel concedant uti exploratum ac certum, Romanos pontifices S. Petri successores eâdem primatûs ratione ac vi potiri quàm S. Petrus obtinuit; profectò sequitur, easdem ipsius primatis prærogativas, de quibus postea agendum erit, iisdem competere, eademque sacræ auctoritatis testimonia, ex quibus primatûs S. Petri ratio ac vis eruitur, quæque ipsi uti primati congruunt, Romanis quoque pontificibus eodem prorsùs sensu convenire. Hinc autem nec mirum, nec exorbitans judicandum erit, si ego, aut alius quispiam de pontificibus Romanis promiscuè accipiat eà testimonia quæ de S. Petro ratione primatûs dicta fuerunt, perinde ac si, ad primatum quod pertinet, illi omnes cum S. Petro sint unum et idem: quo sensu verissimum est, quod Bossuetius loco laudato scripsit: « Accipiendi ergo Romani pontifices tanquàm una persona Petri. » Maximè verò mirum et incongruum videri debet, quod in operibus quorumdam adversariorum legitur, qui etsi eumdem omninò primatum S. Petri ad Romanos pontifices ejus successores fatentur transisse, testimonia tamen quædam insignia, quæ ad S. Petrum ratione primatûs pertinent, ipsi uni convenire contendunt, nec animo satis æquo patiuntur, si quem eadem ad illius successores referentem audiant. Hæc animadversio memoriâ retinenda quid spectet, et cui usui futura sit, suo loco patebit.

CAPUT II.

Propositio II. — *S. Petri et Romanorum pontificum primatus non est primatus meri ordinis; sed præcipuæ auctoritatis, seu jurisdictionis, ex quo præcipua ipsis jura et facultates competant necesse est.*

Hæc quoque propositio à catholicis, quibuscum agimus, adversariis expressè asseritur, neque à quopiam catholico revocari potest in dubium; soli enim hæretici vel schismatici eam inficiari queunt. Primatus ordinis non ille tantùm intelligitur, quo quis merà honoris prærogativâ donatus, omni omninò jure careat; sed ille etiam hoc loco intelligendus est, quo in publicis negotiis nullum jus nisi in materiâ meri ordinis cuipiam tribuitur: unde hoc primatu insignitus præter honoris locum præcipuum ad quædam tantummodò meri ordinis propria jus habet. Ita in omni republicâ, in quâ jurisdictio penès omnes Patres residet, uni primatus ordinis deferri solet, ex quo ille non modò in digniori loco primus sedet, primus nominatur, primus dicit sententiam, etc., quæ ad merum honorem pertinent; verùm etiam pro jure suo senatum indicere, referre de negotiis, rogare sententias, et consultando, monendo, hortando totam actionem regere solet: quæ vera et propria, at meri ordinis jura sunt, nec primatum meri ordinis excedunt.

Si, quando agitur de primatu Romani pontificis, de hoc uno meri ordinis primatu ageretur, nulla, vel admodùm levis cum hæreticis atque schismaticis ipsis esset contentio. Cùm enim in omni cœtu necesse sit, unum aliquem ordine præesse, qui unica negotia permoveat, et actionem cœtumque ipsum regat, quis id in solâ Ecclesiâ et inter episcopos Ecclesiæ præpositos necessarium inficiabitur? Hinc Salmasius in præfatione operis *de Primatu Papæ* scripsit: *Ut in omni ordine primatus est, quia et primus semper aliquis datur ordinis, et secundus, et tertius, ita in ordine episcoporum.* In hoc autem episcoporum ordine primatum ejusmodi tribuere Romano pontifici successori S. Petri, qui primus inter Apostolos à Christo institutus, apostolici collegii rector fuit, cujusque sedes Romana primas semper in Ecclesiâ habuit, nemo quidquam, vel diutiùs repugnaret. Ob unum jurisdictionis primatum, qui adversùs schismata et hæreses semper in Ecclesiâ plurimùm valuit, schismatici atque hæretici in eamdem sedem iniquiores litem moverunt, parati tamen ordinis primatum illi concedere, si eo uno contenta sit. Claudius quidem Salmasius in laudatâ præfatione memorati operis, in quo ipsum primatum conatur evertere, de hæreticis palàm fatetur, *Reformatos primatum tantùm ordinis in Papâ agnoscere*; id autem unum eos indignari ait, quòd *Papæ potestas non primas in ordine partes aut sedis tenere contenta, suprema omnium, qui in*

aliquâ sunt potestate aut dignitate, haberi vult. Et in Apparatu ejusdem operis pag. 172, Papam recipi posse affirmat, si redire *sustineret ad primatum* ordinis (1). Idipsum de schismaticis eò certius est, quòd hi Romanæ sedis primatui minùs quàm hæretici infensi esse solent; ut Barlaami ac Nili schismaticorum testimoniis si res exigeret, confirmare liceret.

Ecclesia verò catholica à schismaticorum æquè ac hæreticorum partibus aliena (2), præcipuæ jurisdictionis, non autem meri ordinis primatum Romano pontifici semper asseruit; ejusdemque sententiæ sit oportet, quicumque in Ecclesiâ catholicâ esse, et neque ad hæreticos, neque ad schismaticos velit accedere. Enimverò huic doctrinæ, quæ interim à qualitate jurisdictionis præscindit, neminem Catholicorum refragari exploratè tradit Ludovicus Maimburgus, qui in Romanæ sedis antistites non benè animatus, ab omni assentationis suspicione hâc in parte alienissimus est. Hæc autem ille scribit in tractatu gallicè inscripto, *de l'Etablissement et des prérogatives de l'Église de Rome et de ses évêques*, cap. 4 : « Je dirai « seulement ce dont tous les Catholiques con- « viennent, que Jésus-Christ choisit S. Pierre « entre tous ses apôtres pour lui donner, non « seulement la primauté d'ordre, d'honneur « et de rang, en lui donnant le premier lieu, « comme à celui qui est le premier entre ses « égaux en dignité, et en ces dons, ces pou- « voirs et ces grâces, qui sont inséparables de « l'apostolat et de l'épiscopat; mais aussi la « primauté de jurisdiction, de puissance et « d'autorité sur tous les fidèles dans toute « l'Église, dont il le constitue le chef. » Id est, latinè : « Id solùm dicam, de quo Catholico- « rum omnium est concors sententia, Jesum « Christum ex omnibus Apostolis S. Petrum « elegisse, cui non solùm primatum ordinis, « honoris et gradûs conferret, primum locum « illi concedendo tanquàm primo inter æquales « dignitate, donis, facultatibus et gratiis apo- « stolatui et episcopatui inseparabiliter an- « nexis; sed etiam primatum jurisdictionis, « potestatis et auctoritatis in omnes fideles « in totâ Ecclesiâ, cujus eum ipse constituit « caput. » Quæ si S. Petro uti primati conveniunt, ejus quoque successoribus Romanis pontificibus, ut idem auctor deinceps tradit, et ut ex primâ propositione necessariò sequitur, pariter convenire dicenda sunt. Quare Claudius Fleury inter oppugnatores notissimus, hanc doctrinam suo Catechismo historico inseruit : « Episcopus Romanus, quem hodiè ap- « pellamus Papam, semper habitus est omnium « episcoporum primus, cùm habeat supra alios « primatum jurisdictionis jure divino (de quo « jure divino dicetur c. 4), sitque visibile ca- « put Ecclesiæ et Vicarius Jesu Christi, qui est « caput principale et invisibile. » Similia aliorum hujus generis scriptorum testimonia passim occurrunt, ex quibus cùm non pauca alibi opportuniori occasione afferentur, tùm verò hìc satis erit recitare textum comitiorum generalium Gallicani cleri Parisiis congregatorum die 8 maii an. 1728, in litteris ad regem Christianissimum, unde hæc ad verbum latinè reddita profero : *Primatus quem nos in Papâ recognoscimus, non restringitur intra simplicem honoris præeminentiam.* Et relatis aliquot testimoniis antiquorum Patrum concluditur : *Necesse est igitur secundùm catholicam fidem recognoscere in summo pontifice primatum honoris simul et jurisdictionis, uti agnitus fuit primis quoque Ecclesiæ temporibus.*

Quid quòd vel illi ex oppugnatoribus, qui supra omnes sunt acerbiores in Romani pontificis auctoritatem, etsi agentes de illius facultatibus, has ita angustis coerceant limitibus, ut ab adstruendo meri ordinis primatu minimùm distent, de ipso tamen primatu disserentes, ut illum ab heterodoxorum dicteriis vindicent, jurisdictionem in eo peculiarem fatentur? Inter hos memorandus præsertim Ludovicus Ellias Dupinus, de cujus consensu hâc in parte dubitare quispiam posset. Is enim in dissertationibus *de antiquâ Ecclesiæ Disciplinâ* Parisiis editis an. 1691, adeò primatum pontificium coarctare studuit eo pariter loco, ubi

(1) Hìc haud omittendum videtur, hunc eumdem scriptorem in epistolâ 27 libri primi epistolarum gallicè scriptâ an. 1630, antequàm librum *de Primatu Papæ* lucubraret, confessum fuisse, meri ordinis primatum sine ullo præcipuo jure summo pontifici tribuere penitùs esse à primitivæ Ecclesiæ praxi, et à hierarchiæ ecclesiasticæ conditione alienum. « De penser aussi que cette primauté ne soit « autre chose qu'une préséance et l'honneur « d'aller devant, c'est se mécompter. La pra- « tique de la primitive Eglise est contraire, « qu'il lui a toujours été donné davantage, et ce « mot *primatus* en toute la hiérarchie eccle- « siastique n'a jamais été sans quelque fonc- « tion supérieure, ou jurisdiction avec l'hon- « neur. »

(2) Hunc præcipuæ jurisdictionis primatum antiquissimus Ecclesiæ Pater S. Irenæus lib. 3, cap. 3, aptissimè expressit duobus verbis, *potentiorem principalitatem*, ubi *principalitas* primatum, *potentior* verò potestatem, seu jurisdictionem præcipuam indicat.

illum constituendum et propugnandum sumpsit, ut S. Petro cæteros Apostolos *potestate* et *auctoritate* omninò æquales prædicet, *excepto primatu*, qui si primatus intelligendus esset sine ullâ speciali *potestate* et *auctoritate*, meri sanè ordinis primatus esset, præcipuæ jurisdictionis non item. Perspicua inprimis sunt ejus verba dissert. 4, c. 1, § 3, ubi post allatas quasdam Patrum sententias, quibus omnes Apostoli Petro pares fuisse dicuntur: « Hæc, inquit, probant, Apostolos in clavium « administratione, fidei prædicatione, Eccle- « siarum fundatione, potestate, auctoritate « æquales fuisse : ut eos in primatu Petro « æquales fuisse nullus dicit. » Et paulò post de SS. Petro et Paulo loquens, queis frequentiùs à Patribus æqualitas videtur attribui; similiter ait, eos « in apostolatu, in potestate, in « auctoritate æquales fuisse, in primatu non « item. » Primatum porrò merum sine ullâ speciali potestate et auctoritate hìc accipi à Dupino ea subindicant, quibus ipsum primatum inde colligit, quòd Petrus *primus* semper sit habitus atque à Christo decretus, et quòd necesse sit, ut ait § 1, « aliquem primum inter « plures esse; primatus enim res est, quæ uni « tantùm convenit, nec alteri potest communicari; » quæ verba et his similia primatum meri honoris et ordinis omni præcipuo jure nudatum à Dupino admissum videntur ostendere.

Nihilò tamen minùs peculiarem aliquam potestatem Romanis pontificibus asserendam, quæ propria primatûs à S. Petro jure successionis ad ipsos transmissi aliis communis non est, ipse quoque fateri ac statuere debuit, ne perpetuam certamque Ecclesiæ catholicæ doctrinam desereret. Id autem non solùm declaravit in monitione ad lectorem memoratis dissertationibus præfixâ, ubi pollicitus se impugnaturum eos tantùm, qui *auctoritatem nimiam ejus* (pontificis) *extollunt*, protestatur suâ in lucubratione *assertum Romani pontificis primatum, et legitimam ejus potestatem defensam*, eosque laudat, qui *divinum pontificis primatum et supremam ejus in Ecclesiâ auctoritatem solidis rationibus adstruunt;* sed potissimùm expressit in ipsâ dissertatione quartâ c. 2, § 3, cùm post constitutum ex suâ mente primatum, hæc de præcipuis ejus facultatibus subdit : « Ex hoc « primatu Romani pontificis fluunt multæ « prærogativæ, quæ ipsæ non secùs ac primati « jure divino competunt; » easque mox distinctè refert. Difficile quidem videtur hæc cum antea dictis conciliare. Si enim prærogativæ ejusmodi non sunt inanes (ut ipso affirmante non sunt nec esse debent), eædemque primo Romano pontifici S. Petro tanquàm primati competebant; propriæ utique unius Petri fuêre, neque in illis vel S. Paulus, vel alii Apostoli fuerunt Petro æquales *potestate* et *auctoritate*. At quidquid de ejusmodi sententiarum conciliatione sit, ipse Dupinus viderit. Mihi nunc satis est ostendisse, vel hunc scriptorem, qui secundæ propositioni adversus videri poterat, generatim idipsum tradidisse.

Hìc non expendo cujusmodi sint eæ prærogativæ et facultates primatûs peculiares, de quibus Dupinus; id enim præsenti argumento necessarium non est. Illud autem omittere interim nequeo, monendos esse auctores, si qui fortassis erunt Dupino similes, videant etiam atque etiam diligenter, ne quo disputationis et contentionis æstu abrepti, in ea verba calamo excurrant, quæ vel nihil præcipuæ jurisdictionis Petro et successoribus ejus attribuant, vel facultates adstruant valdè tenues et angustas, sicque recidant in primatum, qui vel reipsà sit primatus meri ordinis, vel à primatu meri ordinis modicùm differat, à quo quidem (ut Gallicanus clerus notavit in laudatis comitiis generalibus anni 1728), ipsi pariter schismatici et hæretici primatum jurisdictionis excludentes nihil abhorrerent, eò quòd suum in eo primatu concedendo pravum et à catholicâ Ecclesiâ alienum sensum intactum relinquerent. Id enim Dupini sententiæ accidisse dolens comperi. De ipsius enim opere gallicè edito an. 1707, cum titulo : *De la puissance ecclésiastique et temporelle*, ubi pontificiam auctoritatem arctis limitibus similiter circumscribit, nec non de ejusdem operis epitome ab ipso Dupino insertâ in Bibliothecam ecclesiasticam tom. 19, verba faciens Joannes Trickius heterodoxus in ejusdem Vitâ latinè impressâ Lipsiæ hoc elogio usus est : *Quàm probè semel iterùmque vir doctus principiis Protestantium, hoc est, veritati, accedit!* Hoc epiphonema multùm pudoris ac metûs incutere deberet quibusdam Dupini asseclis, qui non majorem in Romanis pontificibus primatûs auctoritatem admittunt. Hinc porrò à Catholicis interim colligendum est, majus aliquod jus eidem primatui esse asserendum ab iis, qui cum hæreticis vel schismaticis convenire nolint.

CAPUT III.

PROPOSITIO III. — *Hic præcipuæ jurisdictionis, et non meri ordinis primatus S. Petri et Romanorum pontificum ejus successorum personalis est, seu ipsorum personæ alligatus; ac proinde jus quoddam præcipuum ipsorum personale, id est, nulli alii commune, in eo primatu contineri debet. Hinc cùm de jure, seu jurisdictione propriâ primatûs agitur, hæcque Romanæ S. Petri Sedi, Cathedræ, vel Ecclesiæ tribuitur, Sedis, Cathedræ, vel Ecclesiæ Romanæ nomine, cui ea jurisdictio primatûs propria asseratur, una Romani pontificis persona intelligenda est, cui uni idem primatus est alligatus. Hinc quoque sequitur, quidquid juris ratione primatûs Romanæ Sedi, Cathedræ, vel Ecclesiæ competit, Romanorum pontificum personæ ita esse tribuendum, ut nullius adjutorio vel societate ad idem jus exerendum indigeant.*

Hæc item propositio non negatur ab adversariis, nec negari à quopiam potest, qui primatum præcipuæ jurisdictionis agnoscat. S. Petri quidem primatum personalem ipsius fuisse, nec alii cuipiam aliorum Apostolorum communem iidem acerbiores impetitores concedunt; unde capite præcedenti vidimus Dupinum ipsum de æqualitate inter Apostolos et S. Petrum à nonnullis Patribus assertâ dissentem excepisse primatum : *Primatus enim res est quæ uni tantùm convenit, nec alteri potest communicari.* Cùm autem hic primatus non fuerit meri ordinis, sed præcipuæ jurisdictionis, ut iisdem adversariis fatentibus ibidem probavimus, hæc quoque peculiaris jurisdictio, quæcumque sit propria primatûs, quæque ipsum primatum constituit, uni Petro primati debuit convenire, nec S. Paulo, aut aliis Apostolis potuit esse communis. Quare omnes Apostoli potuerunt esse æquales in omnibus facultatibus apostolatûs, qui fuit communis omnibus, non autem in facultate aut facultatibus propriis primatûs, quæ uni Petro primati tribuendæ sunt, sicut ipsi uni fuit tributus præcipuæ jurisdictionis primatus.

Hâc quidem de causâ propositio ex quibusdam libris excerpta : *S. Petrus et S. Paulus sunt duo Ecclesiæ capita unum caput constituentes*, die 24 januarii an. 1647, in Congregatione S. Officii (1) proscripta et hæreseos notata fuit ab Innocentio X, eo sensu accepta et explicata, « ut ponat omnimodam æqualitatem inter S. Petrum et S. Paulum sine subordinatione et subjectione S. Pauli ad S. Petrum in potestate supremâ et regimine universalis Ecclesiæ. » Hoc pontificium decretum hæreseos notam infligens memoratæ propositioni eo sensu explicatæ, et libellis in Galliâ scriptis propugnatæ, uti omninò æquissimum Gallicana suscepit Ecclesia, quemadmodùm constat ex litteris octoginta quinque episcoporum Galliæ anno 1653 datis ad eumdem pontificem Innocentium, quibus laudatum decretum respicientes inseruerunt hæc verba : « Experta est nuper Beatitudo vestra, quantùm apostolicæ sedis in gemini capitis errore profligando valuerit auctoritas. Continuò sedata est tempestas, atque ad Christi vocem venti et mare obedierunt. » Eâ proscriptione cautum fuit de peculiari jurisdictione propriâ primatûs, qui cùm unius S. Petri personæ competeret, ita *omnimodam æqualitatem* excludebat inter sanctos Petrum et Paulum, ut S. Paulus aliis licet nominibus apostolatûs S. Petro æqualis, ipsi tamen ratione primatûs *subordinatus et subjectus* fuisse dicendus sit *in potestate supremâ et in regimine universalis Ecclesiæ.* Hæc prærogativa S. Petri, quæ non primatum meri ordinis in ipso adstruit, sed primatum propriæ et peculiaris jurisdictionis deinceps explicandæ, cui etiam S. Paulus suberat, primatum utique peculiaris juris S. Petri personalem constituit, quem ipsa Gallicana Ecclesia profitetur. Hinc quidem Petrus de Marca inter Gallicanos maximi nominis eodem anno 1647, quo dicta propositio damnata fuit, paulò ante condemnationem eâ super re sententiam rogatus, exercitationem lucubravit de singulari S. Petri primatu, ubi jurisdictionem primatûs propriam, sicut et ipsum primatum soli S. Petro competentem, et personalem adeò certò pronuntiat, ut propositionem, quæ *omnimodam æqualitatem* nullâ primatûs exceptione inter SS. Petrum et Paulum adstruebat, traditioni ac divino juri contrariam affirmet. Idipsum probârunt alii plures Gallicani scriptores, quos indicare nimis esset operosum.

Omittere tamen nequeo Paschasium Quesnellum, qui Gallicanis adversariis suspectus esse non potest. Rem exponam ex ejus libello sine loci notatione edito anno 1705, cum hâc epigraphe : *Idée générale du libelle : Motif de droit pour le Procureur de la cour ecclésiastique de Malines, accusateur et partie contre le P.*

(1) Hoc decretum legitur inter alia decreta subjecta indici librorum prohibitorum edito sub Alexandro VII, Romæ anno 1664. num. 53, pag. 357.

Quesnel. Cùm is accusatus fuisset, eò quòd in alio opere S. Petrum et S. Paulum duo Ecclesiæ capita constituens, reproduxisse visus esset propositionem damnatam; hanc criminationem diluturus, pag. 92, scribit, eum tantùm in damnatam thesim incurrere, qui admitteret inter SS. Petrum et Paulum *omnimodam æqualitatem sine ullâ subordinatione ad S. Petrum,* ut in decreto explicatur. Se autem ab hâc sententiâ adeò alienum præfert, pag. 94, ut S. Paulo non attribuerit unquàm primatum universalem in totam Ecclesiam, qualem uni S. Petro asserendum non dubitat, sed quemdam primatum particularem in gentibus, quarum caput, magister, doctor et Apostolus in sacrâ Scripturâ et in traditione appellatur. Quin etiam addit, se non posse approbare sententiam Petri de Marca, qui universalem primatum inter eosdem Apostolos ita dividi posse censuit, ut S. Petro tribuatur quidem primatus auctoritatis, at S. Paulo doctrinæ primatus non negetur. Cur verò istam primatûs partitionem abs se probari non possit, hâc ratione statuit : « Car la fonction d'enseigner aux « hommes les vérités de la foi, d'interpréter « la parole de Dieu, d'expliquer les mystères « du salut, étant, selon l'Ecriture et les con- « ciles, la principale fonction de l'épiscopat « et le fondement de l'Eglise.... dépouiller S. « Pierre de la primauté de la doctrine pour « en revêtir S. Paul, c'est, à mon avis, saper « la primauté par le pied, et, comme l'on dit, « faire la part à l'aîné. Car il s'agit ici de cette « sorte de doctrine, qui est reçue par la ré- « vélation, et non pas d'une doctrine d'érudi- « tion et de littérature, acquise par l'étude : « et je ne crois pas qu'on puisse donner à S. « Paul une primauté à l'égard de la première, « ni qu'on doive mettre l'autre en ligne de « compte, en parlant d'une primauté aposto- « lique, instituée par Jésus-Christ. » Id est, latinè : « Munus enim docendi homines ve- « ritates fidei, interpretandi verbum Dei, ex- « plicandi salutis mysteria cùm ex Scripturâ « et conciliis sit principale munus episcopa- « tûs, et fundamentum Ecclesiæ.... adimere « S. Petro primatum doctrinæ, ut tribuatur « S. Paulo, idem est, meâ quidem sententiâ, « ac primatum è radice evellere, et, ut dici « solet, primogenito (1) hæreditatis partem « dare. Hìc enim agitur de doctrinâ quæ ex « revelatione dimanat, non autem de doctrinâ « eruditionis et litterarum, quæ studio com- « paratur. Ego autem existimo haud attribui « posse S. Paulo primatum doctrinæ primi « generis, nec alterum (eruditionis ac littera- « rum primatum) computari debere quidquam, « dùm consideratur primatûs apostolicus, qui « à Christo institutus fuit. » Et pag. 96, ea testimonia, quibus S. Paulus in Epist. 2 ad Cor. c. 11, vers. 5, ait : *Existimo enim nihil me minùs fecisse à magnis Apostolis;* et c. 12, vers. 11 : *Nihil enim minùs fui ab iis, qui sunt supra modum Apostoli,* sic explicat Quesnellus: « En tout cela l'égalité ne regarde précisé- « ment que l'apostolat, non la primauté de « l'apostolat. » Id est : « In his omnibus æqua- « litas non respicit propriè nisi apostolatum, « non autem primatum apostolatûs; » quem quidem *primatum apostolatûs et principatum* sanctus quoque Augustinus, tract. 12 in Joan. n. 5, et lib. 7 de Bapt. c. 1, S. Petro expressè vindicat. Ita Quesnellus *primatum apostolatûs* et primatum non solùm *auctoritatis,* sed etiam *doctrinæ,* solius Petri proprium et personalem agnoscit, ex quo aliqua peculiaris potestas seu jurisdictio ejusdem primatûs propria uni Petro tribuenda sit. Hæc fusiùs exposui, ut palam fiat, etiam Gallos, contra quos acturi sumus, agnoscere, jurisdictionem primatûs, quæcumque illa sit, esse debere solius primatis propriam et personalem, in quâ ipse ab aliis non dependeat, sed alii ipsi subsint, uti vel S. Paulum in eâ S. Petro subjectum et subordinatum fuisse fatentur.

Quod autem personale in Petro fuit ratione primatûs, idem in successoribus ejus Romanis pontificibus, in quos idem primatus Petri cum eâdem jurisdictione transivit, personale esse dicendum, inficiari potest nemo. Hinc nulla major in Ecclesiâ turbatio efferbuit, quàm cùm ob diversorum electionem pontificum plures de pontificatu Romano decertantes incertum reddebant, cuinam competeret primatus in universâ Ecclesiâ, qui dividi inter plures nequit. Soli igitur Petro, et soli successorum ejus personæ ita alligata est propria primatûs dignitas et jurisdictio, ut nulli alii episcopo præstantiorum licet sedium, et minùs multò pluribus aliis episcopis quantùmvis in unum collectis possit adscribi : neque in eâ jurisdictione primatûs essentiali Romanus pontifex dependere ab alio quopiam debet aut potest, cùm præsertim ipsam à Christo acceptam (ut videbimus capite sequenti) idem Christus nullâ conditione circumscriptam, personalem

(1) Qui *primogenitus* jure Gallico hæres ex asse debet esse.

solius Petri ac successorum esse instituerit, uti primatum jurisdictionis instituit personalem, qui sine personali jurisdictione intelligi nequit.

Id autem potissimùm animadvertendum ab illis est, qui Romanam sedem, seu cathedram, ab antiquis laudatam invenientes, peculiarem primatûs jurisdictionem Romanæ quidem sedi, seu cathedræ, quam à Romano pontifice distinguendam putant, non autem uni personæ pontificum vindicant: quod quàm sit à ratione alienum, ex hactenùs dictis exploratum est. Quidquid enim peculiare præ cæteris Romanæ cathedræ, seu sedi tribuitur, non aliunde quàm ex primatûs prærogativâ tribuitur, quæ non in alio est, quàm in Romano pontifice, qui in eâ cathedrâ sedet. Quemadmodùm ergo primatus personalis et singularis est solius Petri et successorum ejus; ita etiam jurisdictio et prærogativæ, quæ eidem sedi ab antiquis asseruntur ratione primatûs, ejusdem Petri ac successorum singulares et personales judicandæ sunt, ut nec à personâ Petri et Romanorum antistitum separari queant, nec attribui possint Romanæ sedi, aut cathedræ, si quid his vocibus distinctum à personâ Petri vel pontificum intelligendum (quod tamen perperam intelligeretur) videatur. Idem est sentiendum de Ecclesiâ Romanâ, quo nomine quidam comprehendentes unà cum pontifice Romanum clerum, vel synodum Romanam, pari errore illa his simul junctis tribuunt, quæ ob personalis primatûs rationem unius pontificis personalia sunt. Neque hìc existimari velim in uno Romano pontifice totam esse Romanam Ecclesiam, quam sanè qui strictè nominat, non unum episcopum, sed cœtum etiam eidem adhærentem significat. Hoc unum dico, primatûs rationem et jurisdictionem cum prærogativis ejus propriis, de quibus nunc nobis est sermo, quoties Romanæ tribuuntur Ecclesiæ, uni personæ summi pontificis convenire, nec posse transferri in alios, quicumque sint, qui Romanæ Ecclesiæ nomine comprehendantur, ut per inconsiderantiam aliquibus evenit; unde postea indignæ consecutiones primatum ferientes profectæ sunt, quæ alibi detegentur.

Neque hoc loco obtrudatur celebris illa distinctio ex S. Leone petita: *Aliud sunt sedes, aliud præsidentes*, ubi persona præsidentis episcopi ab ipsâ sede distinguitur. Quando enim de solo primatu, et de essentiali jurisdictione primatum constituente agitur, uti nunc agitur, sicut primatus cum essentiali ipsius jure adeò personalis Petri fuit, ut nec S. Pauli, nec alius cujusquam societatem admiserit; ita personalis quoque esse debet in successoribus S. Petri, adeò ut nullum alium in ejus partem aut communionem recipiat, et unum idemque sint quoad rationem primatûs Romana sedes S. Petri, et præsidentes Romani pontifices, qui in eo jure personæ ipsorum annexo ab eâ sede eodem jure insignitâ distingui non possunt. Uberiorem verò ejus Leoninæ distinctionis explicationem ex Leonis mente ac circumstantiis proferemus aliâ occasione cap. 14.

CAPUT IV.

PROPOSITIO IV. — *Hic primatus præcipuæ jurisdictionis et personalis sancti Petri ac Romanorum pontificum jure divino constitutus est, non autem apostolicâ institutione, aut ecclesiasticâ.*

Græci schismatici primatum ordinis, quem Romanis pontificibus non denegârunt, jure humano, seu ecclesiastico, non autem divino constitutum voluêre. Lutherus quoque, licet in thesibus Lipsiæ disputatis cum Eckio anno 1519, thesi 13, et in disputationis decursu eumdem primatum studuerit evertere, tamen in fine disputationis meri ordinis primatum uni S. Petro primùm concessit; tum verò in Resolutione propositionum Lipsiæ disputatarum ipsum ordinis primatum Romanis etiam pontificibus tandem indulsit, ita tamen ut ex solo humano jure derivârit. Hinc Melanchton in Epistolâ de eâdem Lipsiensi disputatione ait, tum « quæstionem fuisse, utrùm jure divino probari posset œcumenici pontificis auctoritas; » et paulò post: « Lutherus œcumenici pontificis auctoritatem veneratur ac tuetur; de jure divino disputare voluit. » Idem Lutherus in Epistolâ ad Emserum: « Volo, inquit, et ego Romanum pontificem esse primum omnium: verùm esse Romanum pontificem jure divino superiorem nullâ ratione credam. » Solùm post damnationem suæ hæresis per Leonem X, anno 1520, nullum servavit modum, et Romanum antistitem passim Antichristum appellavit. Quam methodum iniquiores quidem in Romanam sedem homines secuti sunt; at reliqui paulò moderatiores, et minùs turbulenti non ita. Quare Blondellus in opere: De Primatu in Ecclesiâ, pag. 24, affirmat « Protestantes neque Apostolicæ cathedræ dignitatem unquàm veteri Romæ denegâsse, neque primatum, quem habet in vicinas Ecclesias,

« imò etiam quem aliquâ ratione obtinet in « universa, ita tamen ut ecclesiastico juri « duntaxat id tribuant, quod pontifices divino « jure ad se pertinere contendunt. » Si contra hos agendum mihi esset, non difficile foret divinum jus non tam sacrâ auctoritate adstruere, quàm ratione ipsâ. Quæ enim ratio primatum in Ecclesiâ necessarium probat, ut ipsis quoque hæreticis fatentibus probaturi sumus cap. 8, eumdem quoque institutum probat à Christo, qui suæ Ecclesiæ in necessariis non defuit: unde Bossuetius in Variationum historiâ lib. 5, n. 27, Protestantes hoc divinum jus negantes jure reprehendit, quòd « non viderint primatum, qui ex experientiâ adeò « necessarius ipsis visus est, ipsius Christi « institutionem meruisse. » Hanc rationem præstantissimus inter heterodoxos philosophus Guillelmus Leibnitius, Epist. 8, ad Joannem Fabricium scribens *circa jus Romani pontificis*, his verbis exposuit, quæ divinam institutionem apertissimè statuunt: « Cùm Deus sit Deus « ordinis, et corpus unius Ecclesiæ catholicæ « et Apostolicæ uno regimine hierarchiâque « universali continendum juris divini sit; consequens est, ut ejusdem sit juris supremus « in eo spiritalis magistratus terminis se justis « continens (hæc verba nunc addo) directoriâ « potestate, omniaque (fortè omnique) necessaria ad explendum munus pro salute Ecclesiæ agendi facultate instructus. »

Quid autem pluribus distineor cum viris catholicis, qui Petri et successorum ejus primatum peculiaris jurisdictionis et personalem divino jure, non autem apostolico vel ecclesiastico institutum fatentur? « Obtinet ille « (Romanus pontifex) in nos primatum auctoritatis et jurisdictionis sibi à Christo Jesu « in personâ S. Petri collatum. Qui ab hâc « veritate dissentiret, schismaticus, imò et « hæreticus esset. » Sic clerus Gallicanus in conventu habito Parisiis mensibus martio et maio anni 1681. Quod ipsum tradidit in eâ Declaratione anni sequentis, quâ pontificiam auctoritatem coercere studuit; necnon in Epistolâ anni ejusdem ad universos Gallicanæ Ecclesiæ præsules. Similiter alii Gallicani conventus, inter quos ille anni 1728, postquàm asseruit primatum summi pontificis non meri honoris et ordinis, sed præcipuæ jurisdictionis eo textu, quem descripsimus cap. 2, de institutione ejus divinâ addidit: « Hæc jurisdictio non est meri ecclesiastici juris; « ipsa est juris divini et institutionis Jesu « Christi. » Eodem sensu Facultas Parisiensis anno 1542, in suâ celebri contra Lutherum censurâ hunc articulum 23 posuit: « Non minùs « certum est unum esse jure divino summum « in Ecclesiâ militante pontificem, cui omnes « Christiani parere tenentur. » Et anno 1617, propositionem Marci Antonii de Dominis, quâ primatum Romanæ sedi attribuit aliis nominibus excluso jure divino, schismaticam et heræticam declaravit. Idipsum sanxit anno 1683, rogata à senatu sententiam circa quamdam propositionem in quâ de summi pontificis auctoritate decernebatur. In prooemio enim pronuntiat « pontificem immediatè à Christo non honoris « solùm, sed potestatis ac jurisdictionis primatum habere in totâ Ecclesiâ. » Infinitus propemodùm essem, si non absimiliter aliorum præsertim episcoporum Galliæ tum veterum tum recentiorum testimonia vellem describere. Id ergo cùm ab ipsis quoque adversariis catholicis quos hoc in opere impugnandos mihi proposui, concedatur, fusiùsque ab ipsis etiam statuatur, cùm adversùs schismasticos, vel hæreticos agunt, plura disserere opus non est.

Neque prætereundum arbitror quemdam anonymum auctorem operis inscripti: *Traité de l'autorité du Pape, La Haye* 1720, qui libro primo cap. 6 nostræ propositioni contraire videtur, cùm « Romani episcopi primatum « nonnisi juris ecclesiastici » esse statuat. At præterquàm quòd is modum ac limites à cæteris quoque Gallis præfixos nimiùm multùm transcurrit, ita sese postea explicat, ut primatum ipsum Petri ac successorum divini juris esse affirmet, et solùm ecclesiastico juri tribuat hujus primatis electionem, quatenùs Romanæ potiùs quàm alii affigeretur Ecclesiæ. « Conceditur, inquit laudato capite, num 10, « primatum, quem Romana Ecclesia possidet, « esse institutionis divinæ, idque est quod Patres nobis tradidêre. At ipsi nec expenderunt, nec definiêre, num hic primatus, qui « est institutionis divinæ, cuipiam sedi volente « Christo affixus sit. » Et post pauca: « Idem de « primatu ac de episcopatu sentiendum. Episcopatus est divini juris. Ad populum autem « electio episcopi pertinet. Primatus item divinæ institutionis est, et ad Ecclesiam spectat sibi caput eligere, quod meliùs conveniat. » Hoc qui fatetur, perperam omninò Romani pontificis primatum nonnisi ecclesiastici juris esse proposuit.

Ne verò quod de electione pontificis Ecclesiæ permissâ traditur, fucum faciat, nonnulla

explicatiùs paucis evolvam. Primatus, qui Ecclesiæ perpetuò necessarius futurus est ex dicendis cap. 8, ita ex divinâ institutione S. Petro collatus fuit, ut eodem mortuo non deficeret, sed in successores ejus transiret. Esto igitur Ecclesiæ concessum sit Petri successorem eligere, non alium tamen præter successorem S. Petri primatem poterit constituere : divino enim jure rationem primatis in universâ Ecclesiâ successoribus ejusdem Petri alligatam traditio prodidit. Quocumque porrò jure S. Petri et in primatu ejus successio, quæ alicui particulari sedi alligenda erat ex cap. 1, n. 2, Romanæ potiùs, quàm alii sedi fuerit adnexa (sive ex ordinatione ipsius Christi id profectum quispiam velit, sive ex simplici voluntate, aut, ut quidam Galli cum Bellarmino loquuntur, *ex facto Petri* (Bellarm. l. 2 de Rom. Pont. c. 12), qui primatum ibi reliquit, ubi vitam finivit), nihil refert, quando de hâc Petri primatis successione Romanæ sedi relictâ dubitare non licet ; jam non alius nisi ejusdem sedis episcopus esse potest S. Petri primatis successor, in quem ipse primatus jure successionis transierit, ac transeat. Sola ergo hujus successoris electio Ecclesiæ concessa est, ut uno mortuo alius, qui magis placeat, et in eam methodum, quæ magis expedire videatur, in ejus locum subrogetur. Id autem in divinâ primatûs institutione, quam anonymus agnoscit, nihil immutat, nec ecclesiasticum jus in ipsum primatum inducit. Semper enim electio, quæ per eos fit, qui Papâ inferiores, sicut in se non habent primatum, ita nec conferre electo possunt, ecclesiasticum quidem jus in ipsâ eligendi ratione præsumit; at ad ipsa primatûs et divinæ institutionis jura quod pertinet, mera est conditio, sine quâ Petri successor non haberetur, in quem primatus divinæ institutionis transiret. Itaque successoris electione Ecclesiæ licet permissâ, electi successoris primatus et jurisdictio Deum immediatum habet auctorem, ita ut electione legitimè peractâ, statim in electo divini juris primatus exeratur, ob quem electus eâdem Petri auctoritate ex divinâ institutione fungitur, perinde ac si ab ipso Christo toti Ecclesiæ præpositus fuisset, ut S. Petrus quondam præpositus fuit.

Illa verò perpauca nonnullorum veterum scriptorum testimonia à memorato anonymo collecta, quibus primatus *ab antiquitate*, vel *decretis Patrum* Romanæ sedi assertus, seu tributus præfertur, huic divinæ institutioni nihil præjudicii creant, cùm non alium primatum ei tribuerit antiquitas, nisi eum, quem divinæ institutionis esse alia plura et explorata antiquorum testimonia profitentur; cui si peculiaris honor conciliorum decretis delatus fuit, in ejusdem divinæ institutionis gratiam delatus, ipsam præsumit, non destruit. Notanda hoc loco quæ P. Coustantius monet in Epist. 14 Bonifacii I, not. 6, ubi in hanc rem opportunè allegat et laudat Nicolai I verba ex Epist. 8 : « Ista igitur privilegia huic Ecclesiæ Christi « (id est, Romanæ) à Christo donata, à synodis « non donata, sed jam solummodò celebrata « et venerata. » Nicænum porrò canonem sextum, qui hæc privilegia Romanæ sedi tribuisse ex unius et recentioris codicis Oxoniensis lectione à Quesnello editâ videri poterat, ita corrigendum monet, ut in veteribus codicibus legitur : *Ecclesia Romana semper habuit* (non, ut Quesnellus prætulit, *habeat*) *primatum:* de quâ correctione vide plura tomo tertio novissimæ editionis operum S. Leonis not. 32, in canones Nicænos col. 52. Posteriores verò auctores, qui sub Constantiensis synodi tempora primatum Romani pontificis, imò et S. Petri, ex ecclesiastico et apostolico jure derivare videntur, nisi eamdem interpretationem ferant, maximo errore lapsi dicendi sunt : unde jam ab omnibus (præsertim post definitionem concilii Florentini) et ab ipsis Gallicanis adversariis hâc in parte rejiciuntur, qui non modò divinam primatûs institutionem passim profitentur, sed illam etiam adeò certam et de fide credendam hàbent, ut contrariam sententiam in M. Antonio de Dominis hæreseos notaverint, ut vidimus, et idem anonymus animadvertit. Hinc pariter cùm anno 1723, in lucem prodiisset opus posthumum Claudii Fleury, cui titulus : Neuvième discours de M. l'Abbé Fleury sur les libertés de l'Eglise Gallicane, ubi hæresis nota inuritur sententiæ, quæ humanæ institutioni meræque ecclesiasticæ disciplinæ primatum summi pontificis tribuit; hæc autem nota displicuisset cuidam anonymo, qui idem opus recudens, hanc censuram corrigendam censuit, non tulit hoc ipse rex Christianissimus, ac decreto supremi consistorii diei 9 septembris anni ejusdem recusum opus cum notis suppressit atque prohibuit, et ut in editorem auctoremque notarum diligenter inquireretur, præcepit, quemadmodùm refert Tournely quæst. 4, *de Romano pontifice* tomo 1, pag. 94.

CAPUT V.

Propositio V. — *Divinum illud jus, quo primatum præcipuæ jurisdictionis et personalem S. Petri ac summorum pontificum constitutum diximus, præcipua habet fundamenta in iis evangelicis testimoniis, quæ de S. Petro primo Romano pontifice totius Ecclesiæ primate passim recitantur, nimirùm : Tu es Petrus, et super hanc Petram*, etc. *Pasce oves meas*, etc. *Confirma fratres tuos*, etc.

Etsi in sacris libris, qui canonici appellantur, non omnia expressa fuerunt, quæcumque Christus instituit ac docuit (quædam enim solâ traditione, seu solo verbo Dei tradito ad nos pervenerunt); tamen ad S. Petri primatum quod pertinet, hujus præcipua fundamenta in Evangelio contineri ipsa SS. Patrum prodit traditio, quæ eumdem S. Petri primatum commendans infinitis propemodùm in locis, certa quædam de Petro evangelica testimonia ferè inculcat : ex quo sequitur, antiquos Ecclesiæ Patres iisdem evangelicis testimoniis primatum Petro commissum accepisse. Jure igitur Milevitani concilii Patres in Epistolâ ad Innocentium I, *auctoritatem* (seu, primatum in ipsum pontificem à S. Petro transmissum) *ex sanctarum Scripturarum auctoritate depromptam* affirmârunt; et S. Gregorius lib. 4, Epist. 32 : « Cunctis, inquit, Evangelium scientibus liquet, quòd voce Domini sancto et omnium Apostolorum principi Petro totius Ecclesiæ cura commissa est. » Quâ in re non dissentientes illi ipsi adversarii, quibuscum nobis res est, quando primatum vindicaturi adversùs hæreticos vel schismaticos disputant, eadem Evangelii testimonia Patrum traditione laudata opponere et inculcare coguntur, optimè intelligentes, non alia esse ex Scripturis insigniora primatûs documenta, radicemque ejus in iisdem esse potiorem. Recitant quidem plures etiam traditionis textus, quibus idem jurisdictionis primatus luculenter statuitur : unde ipsum *divinitùs institutum, et ab Evangelio discimus, et tota docet ecclesiastica traditio,* inquit clerus Gallicanus in comitiis anni 1682, Epist. ad Gallic. Eccles. Præsules. Cùm verò in ipsis traditionis textibus eadem evangelica testimonia tanquàm primatûs fundamenta referantur; si quis hæc ad primatum præcipui juris et personalem statuendum nihil valere contenderet, ipsam quoque traditionem iisdem testimoniis subnixam eò nihil conferre existimet, necesse est : quod idem esset ac divinam institutionem omninò subvertere. Stet itaque in evangelicis testimoniis de S. Petro insignibus contineri debere præcipuum ac personale illius jus, quo præcipuæ atque personalis jurisdictionis primatus à Christo eidem collatus et ad successores ejus transmissus constituitur.

Testimonia autem in hanc rem celeberrima, quæ Patrum traditione ex Evangelio frequentiùs inculcantur, hæc ferè sunt. Primò illud Matthæi c. 16, v. 18, quo Christus ante suam passionem Petro supremam in Ecclesiâ auctoritatem promittens dixit : *Ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam : et tibi dabo claves regni cœlorum*, etc. Alterum Joannis c. 21, v. 15, cùm idem Christus, postquàm resurrexit, totius Ecclesiæ curam Petro committens, ait : *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* Illud etiam ex Lucâ c. 22, vers. 32, identidem à Patribus ingeritur, cùm Christus coram omnibus Apostolis pro Petri fide se præcipuè orâsse professus, ipsi id officii dedit, ut fratres confirmaret : *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Hæc sunt testimonia maximè insignia, ad quæ referuntur commodè reliqua, eaque frequentiùs à Patribus, imò et ab ipsis adversariis catholicis ad primatum Petro asserendum afferri solent. Ex his ergo peculiaris in Petrum primatûs jurisdictio manavit, quæ tam ipsius ac successorum ejus est propria ac personalis, quàm primatus ipsorum proprius ac personalis esse debet ex constitutis c. 3.

Huic propositioni, quæ satis probata videtur, assensum præbent omnes Catholici, vel illi, quos adversarios habeo, ut colligere licet (1) ex Joan. Majore, Joan. Brevicoxa, Antonio de Rosellis, Maimburgo et aliis, qui in vindicando primatu ea evangelica testimonia producunt. De duobus quidem prioribus textibus adeò constans Catholicorum sententia semper exstitit, ut ipse Lutherus, antequàm ab Ecclesiâ planè desciscerel, in opere scripto contra Silvestrum de Prierate iisdem testimoniis allegatis, *omnes fateri* affirmaverit, pontificis au-

(1) Joan. Major. tom. 2 oper. Gerson, edit. Dupini pag. 1121 ; Joan. Brevicoxa t. 1, ejusdem edit. pag. 875; Antonius Rosell., de Potest. imper. et Papæ pag. 20, edit. an 1487 ; Maimburg., de Prærogat. Rom. Eccles. c. 4 ; Bossuetius in Meditationibus super Evangelium et alibi. Catechismus Caroli Colbert episc. Montispessulani c. 3, de Eccles. § 7, etc.

ctoritatem ex illis derivari. Confer P. Coustantium in præfatione ad Epistolas Romanorum pontificum num. 6, ubi hanc eamdem rem à Patribus antiquissimis traditam profitetur; quos tamen si consulamus, tertium quoque testimonium pro eodem primatu proferentes invenire licebit : unde Bossuetius in præviâ dissertatione insertâ *Defensioni declarationis cleri Gallicani* novissimæ editionis Amstelodamensis anni 1745, c. 34 (t. 1, pag. 31), hoc etiam tertium testimonium complectens, palam pronuntiat : « Theologi omnes, ac Parisienses « vel maximè adversùs hæreticos primatum « Apostolicum probant ex his locis : *Tu es Pe-« trus*, et : *confirma fratres tuos*, et : *pasce oves « meas.* »

Nullos hâc in re adversos me habere posse olim putabam nisi schismaticos vel hæreticos, qui ut primatum divinæ institutionis ac divini juris excluderent, hæc testimonia ad eum nihilùm pertinere contenderent. At dein evolvens dissertationem quartam Dupini : *De antiquâ Ecclesiæ disciplinâ,* magnâ cum admiratione deprehendi, eum concedere quidem, primatum pontificis jure divino institutum ex Evangelio potissimùm erui : at ea testimonia evangelica quæ indicavimus, quæque traditio præsertim inculcat, ad primatum asserendum referenda nequaquàm existimat. Imò cap. 1, § 1, eos ex proposito impugnans, qui eadem testimonia pro primatu attulerant, ipsa eodem modo explicat, quo explicare solent heterodoxi : quæ sola ipsius cum heterodoxis consensio multùm suspicionis debet ingerere. Ostensurus porrò quæ sint loca evangelica, unde primatus elici debet, « nunc, inquit, aliunde primatum Petri « stabilimus, » illud principii loco ponit : « In « omnium hominum collegio debet aliquis ordo « servari, et necesse est aliquem primum in-« ter plures esse. » Talem verò fuisse S. Petrum ut ex sacris libris probet, tria allegat, primò illud Matthæi, c. 10 : *Duodecim Apostolorum nomina hæc sunt : Primus Simon, qui dicitur Petrus.* Tum illud simile Marci, c. 3, ubi *Simon Petrus,* inquit, « primus commemoratur, « et in multis exemplaribus Græcis πρῶτος « etiam dicitur, non secùs ac apud Matthæum. » Demùm Lucas, c. 6, vers. 14 : « Electos à Chri-« sto Apostolos numerans, orditur à Petro. » Ex his autem primatum ejusdem Petri idcircò colligi evidenter putat, quia « Evangelistæ, cùm « Apostolos enumerant, Petrum non modò « semper primo collocant ordine, sed primum « fuisse affirmant. » Porrò ut ostendat Petrum etiam post Christi mortem eumdem locum retinuisse, quem ea testimonia à Christo ante mortem ipsi attributum demonstrant, profert Acta Apostolorum, ubi c. 1, « commemorantur « omnes Apostoli, et inter eos primus nominatur « Petrus, primus ibi cæteros alloquitur, et quid « sit faciendum præscribit ; c. 2, primus om-« nium Apostolorum Christum annuntiat, » etc. Testimonia verò evangelica, quæ retulimus, non aliter ait in eumdem primatum statuendum posse conferre, nisi quia « in his locis Petrus « personam gerit Ecclesiæ, præ cæteris Apo-« stolis loquitur, et ipse à Christo nomine « eorum compellatur quasi primus et præci-« puus. »

Si pontificium primatum SS. Patres et catholicæ Ecclesiæ traditio ex allegatis à Dupino textibus in eamdem ipsius rationem unicè, vel potissimùm assererent, nihil laborarem. At cùm non ex his testimoniis, sed ex illis antea à nobis descriptis eumdem primatum præcipuè statuant, quis Dupini sententiam probare jure poterit? Hùc accedit, quòd ex allatis à Dupino locis nonnisi meri ordinis primatus deduci videri potest, ut primatum quidem meri ordinis exinde collegisse videtur idem Dupinus, non solùm quia ex ipsis illud tantùm evinci ait, quòd Petrus « semper primus collocatur « in ordine, et primus fuisse affirmatur, » quæ à meri ordinis et honoris primatu nihilùm discrepant; sed magis multò quia ejusmodi primatûs rationem præstituens § 1, unius ordinis necessitatem inculcat, propterea quòd « in « omnium hominum collegio debet servari, « ut aliquis primus inter omnes sit ; » et inferiùs, § 3, responsurus hæreticis opponentibus Apostolorum æqualitatem in potestate et jure, ex quâ æqualitate primatus Petri videtur excludi, reponit eo ipsius primatu æqualitati nihil derogari ; « nam, ut monuimus, inquit, « plures esse non possunt primi, sed unum « esse primum necesse est. » Hinc autem primatum aliis Apostolis haudquaquàm fuisse communicatum ait, « quòd primatus res sit, « quæ uni tantùm convenit, nec potest alteri « communicari, licet potestate auctoritateque « æquales fuisse » contendat : quæ uni primatui ordinis et honoris competere queunt. Hæretici quoque atque schismatici ex memoratis Evangelii locis Petri primatum pari ratione posse concedi neutiquàm inficiabuntur, cùm meri ordinis et honoris primatui non omninò repugnent. Equidem Claudius Salmasius in Apparatu præmisso operi de Primatu Papæ

pag. 13, ex iisdem testimoniis ordinis et honoris primatum solummodò colligit.

Si verò non meri ordinis, sed præcipuæ jurisdictionis primatus à viris catholicis est admittendus, ut ipsum quoque Dupinum (minùs licet cohærenter) admittere ostendimus cap. 2, hic autem præcipuæ jurisdictionis primatus jure divino constitutus, ipso pariter concedente est ex sacris libris potissimùm eruendus, non illa tantùm testimonia à Dupino ingesta, quæ meri ordinis primatum statuere queunt, ad ipsum probandum afferri debent, sed alia potiora à nobis indicata, quæ quidem in eumdem jurisdictionis primatum adstruendum traditio ipsa Patrum potissimùm ingerit. In his sanè cùm totum vel præcipuum ipsius traditionis fundamentum sit positum, heterodoxi ea subvertere toto conatu nisi sunt, intelligentes (ut fatetur M. Antonius de Dominis lib. 1, c. 6, n. 1), nihil præterea reliquum esse, quod ex Scripturâ ipsis negotium facessat. Hinc ergo cognoscitur, quantùm in principiis ipsis Dupinus exorbitet, quantâque perturbatione vel præjudicio actus, heterodoxis faverit. Id profectò monendum fuit, tum ut liqueat vel ex hoc, auctorem ejusmodi in consequentibus subinde sententiis non potuisse non transcurrere ultra crepidam, tum ut alii, si qui eodem ingenio iisdemque præjudiciis impediantur, sibi maximè caveant, ne in similes prolapsiones, quæ hæreticis et schismaticis prosint, turpiter offendant.

CAPUT VI.

Propositio VI. — *Cùm primatus peculiaris jurisdictionis et personalis S. Petri et Romanorum pontificum laudatis evangelicis testimoniis potissimùm incumbat; in iisdem interpretandis non omnia aliis Apostolis eorumque successoribus, id est, episcopis debent esse et censeri communia, ita ut quod Petro dictum fuit à Christo, æquè omnibus dictum fuerit in Petro, eædemque in ipso facultates æquè omnibus traditæ fuerint; sed præter facultates aliis Apostolis communes aliquid juris præcipui ac personalis Petri in ipsis testimoniis contineri debet, quod in Romanos pontifices ejus successores transiens, primatum peculiaris et personalis jurisdictionis divino jure institutum constituat.*

Hæc propositio ex præcedentibus per consecutionem, ut scholæ vocant, immediatam necessariò fluit, ut cuivis consideranti patebit; simulque palam ipsi fiet, eam ab adversariis, qui præmissa dederunt, negari non posse. Quicumque sive schismatici, sive hæretici primatum Romanorum pontificum sunt aggressi, cùm viderent ipsum evangelicis, quæ indicavimus, testimoniis niti, hæc perinde distorquere et explicare studuerunt, ut nihil Petro juris peculiaris relinquatur, quod ad alios pariter Apostolos non pertinuerit. Græcos schismaticos, ac præsertim Armenos eâ explicandi ratione usos patet ex eorum libris, quibus suarum partium schisma defendere studentes, pontificium primatum impetiverunt. Inter hæreticos Joannes Wiclefus, et Joannes Hus, Martinus Lutherus, et cæteri istorum asseclæ iisdem vestigiis institère; et Marcus Antonius de Dominis quondam archiepiscopus Spalatensis, et dein apostata, ut suam dignitatem episcopalem pontificiæ æqualem suaderet, primatumque pontificium infringeret, in libris de Republicâ christianâ eadem testimonia evangelica æqualiter de omnibus Apostolis, quibus episcopi succedunt, intelligenda contendit, ut ne quid peculiaris juris et personalis S. Petro reliquum fuerit. Quòd si inter hos quidam æquiùs sentientes aliquid præcipuum laudatis testimoniis Petro concessum alicubi fatentur, ita tamen subinde explicant, ut id ad primatum meri ordinis pertineat. Ita, ex. gr., Joannes Cameronus in cap. 16 Matthæi sermonem faciens de primo loco Evangelii : *Tu es Petrus, et super hanc petram*, etc., eos primùm latè impugnans, qui nihil præcipuum his verbis Petro collatum prædicant, apertissimè statuit, « liquere quidem aliquid singulare à Christo Petro fuisse « his verbis collatum, quod non fuit illi cum « aliis Apostolis commune. » At deinde ipsum testimonium explicans de Petro primo fidei præcone, qui prima Ecclesiæ fundamenta jecit, id tantùm profert, quod in meri ordinis primatum recidit. Idem est de interpretationibus, quas nonnulli hæretici aliis evangelicis testimoniis subjiciunt.

Hic autem illud vel maximè in rem nostram animadvertendum est, omnes ejusmodi interpretationes easdem planè esse, ac illæ sunt, quas afferunt quidam ex nostris adversariis catholicis, cùm aliquas pontificias facultates impugnandas suscipiunt; et iisdem planè adminiculis, iisdemque nonnullorum Patrum auctoritatibus, quæ eas interpretationes videntur fulciri, pariter abutuntur. Nonne horrorem Catholicis injicere deberet tanta interpretandi cum hæreticis et schismaticis conspiratio atque consensio? Hæc si quid probarent pri-

matum peculiaris jurisdictionis, qui jure divino constitutus, Evangelio potissimùm innititur, penitùs evertendum probarent, ut schismatici et hæretici similiter interpretantes contendunt. Quòd si primatus ejusmodi everti non debet ex Catholicorum sententiâ, ea profectò testimonia evangelica non ita interpretanda sunt, ut omnia jura, facultates omnes, quæ iisdem locis collatæ fuerunt S. Petro, aliis Apostolis fuerint communes, nihil autem præcipuæ jurisdictionis illi fuerit tributum. Aliquid ergo præcipui et personalis juris in ipsis testimoniis contineri ac reperiri debet, quod uni Petro, non verò aliis Apostolis congruat; specialemque primatûs prærogativam et auctoritatem in ipso uno constituat, ne, si id vocetur in dubium, præcipua primatûs fundamenta evertantur. Itaque peculiarem aliquam Petri facultatem debemus ex eo colligere, quòd ipsum Christus petram Ecclesiæ posuit, eidem cum clavibus regni cœlorum ligandi et solvendi potestatem tradidit, totique Ecclesiæ pastorem præfecit, etc.

Opponi solet, vel cæteros Apostolos pastores institutos fuisse ovium Christi, omnibusque datam ligandi solvendique potestatem; ipsos etiam esse lapides duodecim à Joanne memoratos Apoc. c. 21, quibus Ecclesia incumbit, superædificata, ut ait Paulus (Ephes. c. 2, vers. 20), super fundamentum Apostolorum et Prophetarum. Igitur cùm hæc sint aliis Apostolis communia, non ex eo tantùm quòd S. Petrus Ecclesiæ petra et fundamentum positus fuerit, quòd cum clavibus acceperit potestatem ligandi atque solvendi, et quòd ovium Christi cura ipsi fuerit commissa, cæteris ita præstat, ut jurisdictionis primatus ipsi præ omnibus delatus ex laudatis locis evangelicis colligi queat. Quid ergo? Corruetne idcircò primatus præcipui juris et potestatis, eòque adducenda erit (quod hæretici et schismatici contendunt) primatûs vis et ratio in Evangelio potissimùm fundata, ut honoris unius causâ Petrus præcipuè nominatus fuerit à Christo, vel primo loco? Nihil minùs. Id autem si ex animo nolint adversarii nostri catholici (neque enim suspicor eos primatum specialis jurisdictionis verbis tantùm asserere, ut catholici habeantur, re autem unà cum hæreticis atque schismaticis nequaquàm agnoscere), desinant, quæso (quod satis superque nituntur heterodoxi), communem cæteris Apostolis evangelicorum textuum de Petro interpretationem ingerere, cùm de primatûs naturâ et facultatibus, seu jurisdictione illius propriâ disseritur, perinde ac si hæc solà interpretatio ipsis textibus subsit: et eo saltem consilio desinant, ne hâc methodo primatûs fundamenta subruere, ipsumque præcipuæ ac personalis jurisdictionis primatum rejicere existimentur, sicque arma sectariis præbeant, quibus insurgant contra nos, catholicumque dogma de primatu ex nobis ipsis oppugnent.

Alia igitur nobis ineunda est via, quâ in memoratis evangelicis testimoniis, præter potestates aliis quoque Apostolis communicatas, aliquid juris solius Petri proprium nanciscamur, quod cæteris Apostolis minimè competens, primatum in eo constituat non meri ordinis, sed peculiaris jurisdictionis, quæ jure divino instituta ex iisdem evangelicis locis colligenda est. Pares quidem Petro fuisse omnes Apostolos in apostolatûs facultatibus, at non in primatu vidimus cap. 3, adeò ut ipse solus, apostolatûs primatum obtinuerit. Qui cùm non fuerit meri honoris primatus, sed jurisdictionis præcipuæ ac personalis, ob quam admitti nequit *omnimoda æqualitas* inter S. Petrum et S. Paulum; sed is et similiter cæteri Apostoli S. Petro fuerint aliquâ ratione subjecti atque subordinati, ut annuentibus quoque episcopis et scriptoribus Gallis ostendimus eodem capite tertio; quodnam fuerit hoc peculiare et personale solius S. Petri jus in aliarum facultatum apostolicarum æqualitate, et jus quidem evangelicis indicatis testimoniis potissimùm innixum, ex quo primatus peculiaris jurisdictionis constat, in sequentibus capitibus inquirendum et explicandum erit.

CAPUT VII.

Propositio VII. — *Hoc præcipuum et personale S. Petri jus primatûs proprium, quod in laudatis evangelicis testimoniis continetur (ne quid confingamus ex arbitrio) ex traditione iisdem testimoniis cohærente eruendum est.*

Nullâ probatione indiget hæc propositio, quæ exploratissimis theologicis principiis maximè congruens, ab adversariis catholicis non negabitur. Notum est enim omnibus catholicam religionem colentibus, traditionem Patrum tutissimum esse sacræ Scripturæ interpretem; ac proinde ea laudatorum testimoniorum sancti Evangelii interpretatio catholicis adversariis non poterit non probari, quæ ex obvio verborum sensu illud idem peculiare ac personale S. Petri jus explicet, quod cum jure eidem S. Petro à Patrum traditione asserto

planè concordet. Id autem multò patebit evidentiùs, si hoc idem jus congruat etiam, imò requiratur à fine, quem in instituendo primatu Christum sibi proposuisse traditio declarârit, ipsique adversarii non solùm non negent, sed traditione edocti fateantur. Hæc in sequentibus probanda erunt. Exordiemur autem à fine instituendi primatûs, quippe ex eo cæterorum ratio ac intelligentia pendet.

CAPUT VIII.

PROPOSITIO VIII. — *Ex Patrum traditione liquet, pontificii primatûs instituendi rationem seu finem fuisse totius Ecclesiæ unitatem, ob quam componendam et conservandam idem primatus utilis ac necessarius, à Christo institutus fuit.*

Antequàm textuum evangelicorum interpretationem traditione suffragante proferam, ex quâ primatûs propria vis et jurisdictio dignosci et constitui queat, ipsius primatûs à Christo instituendi ratio ac finis aperiendus est, quem tum Patres Ecclesiæ prodiderunt, tum adversarii ipsi è doctrinâ SS. Patrum professi sunt et profitentur. Ita enim facilior patebit aditus tum ad dignoscendam propriam primatûs vim et jurisdictionem, quæ sanè rationi ejus instituendi congruens et consentanea esse debuit, tum ad discernendam propriam laudatorum testimoniorum interpretationem atque sententiam, quæ ad eamdem vim ac jurisdictionem primatûs solius Petri ac successorum ejus propriam referatur.

Cùm de ratione primatûs quæritur, non illud hoc loco quæritur, cur Petro potiùs quàm alii ex Apostolis primatus delatus fuerit, sed cur ipse primatus à Christo fuerit institutus. Duplicis hujus quæstionis discrimen animadvertendum maximè est, ne quis fortè, si legat vel S. Hieronymum scribentem primatum ætati delatum, quia Petrus senior erat (Hieron. lib. 1 in Jovin.), vel SS. Hilarium et Chrysostomum primatûs causam referentes in illud, quòd Petrus primò vocatus à Christo primus Christo credidit (Hilar. c. 7, in Matth. Chrys. hom. 9 de Pœnit.), vel tandem Origenem et Augustinum, qui eximiè Petri charitati primatûs eidem conferendi rationem adscribunt (August. serm. 16 et 246), ne quis, inquam, hæc vel his similia legens, existimet in his rationem contineri instituendi primatûs, cùm hæ non primatûs instituendi, sed primatûs Petro potiùs quàm alii ex Apostolis conferendi rationes extiterint. Non alias primatûs rationes afferri vellent heterodoxi, quippe quæ si solæ essent, non modò honorarius tantùm et meri ordinis primatus Petro delatus probari posset, verùm etiam primatum ejusmodi cum ipso Petro desiisse, nec in ejus successores, ad quos eædem rationes non pertinent, haudquaquàm transiisse perfacilè convinceretur. Hâc quidem de causâ Marcus Antonius de Dominis pontificii primatûs oppugnator infensissimus, postquàm lib. 1 de Republicâ c. 4, eas tres rationes attulit deferendi Petro primatûs, exinde primò collegit primatum ejus nihil peculiaris juris habere; sic enim scribit num. 7: « Invenio « ego Petrum primatum aliquem, citra tamen « primatum potestativum et jurisdictionalem, « esse consecutum, nimirùm ex ætate, ordine « vocationis, amoris fervore et propriis virtu« tibus; unde factum est, ut aliquo modo « primas inter Apostolos retineret. » Hunc autem amorem præcipuè asserit fuisse « præ« cisam et formalem rationem primatûs. » Dein verò alibi hunc primatum unà cum Petro interiisse affirmare non dubitat. Quibus similia planè scripsit Claudius Salmasius in Apparatu ad libros de Primatu pag. 2. Absit ergo à Catholicis eas solas rationes urgere, ne hâc viâ primatum juris in Petri successores transfusi cum hæreticis negare et evertere videantur. Itaque prætermissis his rationibus, quæ ad eam quæstionem spectant, cur Petrus inter Apostolos primatu donatus fuerit, alia altior ratio inquirenda est ad eam hujus loci propriam quæstionem pertinens, cur primatum ipsum juris præcipui S. Petro commissum, et ad successores ejus transmittendum Christus in Ecclesiâ instituerit: id enim cognoscere ad primatûs ipsius naturam et vim cognoscendam, ac ex evangelicis de Petro testimoniis tutè eliciendam maximè conferret.

Hæc autem ratio non perinde in hâc atque in priori quæstione evenit, varia et anceps est, sed una et omninò certa, quæ exploratæ traditioni innixa, concordi omnium etiam adversariorum confessione probatur, nimirùm unitas Ecclesiæ catholicæ, cui ut ex æquo prospiceretur, unus supremus pastor, qui eam unitatem custodiret atque tueretur, toti Ecclesiæ præpositus fuit. Omnes quidem pastores et doctores, seu (quod eòdem recidit) episcopi omnes eo consilio Ecclesiæ fuerunt præfecti, ut ejus unitati prospicerent, quemadmodùm tradit Apostolus ad Ephes. c. 4. At inter summum pontificem et inter episcopos reliquos illud maximè interest, quòd (Vid. Bossuet. Exposit. doctr. cathol. c. 21, in fine) hi, cùm in par-

ticularibus tantùm Ecclesiis primatum teneant, ad unitatem tantùm particularium Ecclesiarum, quæ tamen in totius Ecclesiæ unitatem confluit, tuendam proprio jure per sese utantur : Romanus autem pontifex cùm in S. Petro primatum acceperit in universalem Ecclesiam, ad totius Ecclesiæ unitatem proprio jure vindicandam et conservandam positus sit. Itaque primatûs ejus instituendi ratio non unitatem solummodò, sed totius catholicæ Ecclesiæ unitatem conservandam prospexit, ut in propositionis primâ parte diximus. Id autem tot Patrum testimoniis liquet, ut de constanti Ecclesiæ traditione in eo addubitare Catholicorum nemo possit. Ipsa sanctorum Patrum verba hic referrem, nisi eadem fusiùs opportuniori loco describenda essent capite 13, ubi Patrum traditio in totum systema comprobandum exponetur. Confer ibidem præsertim textus Cypriani, Optati, Paciani, Hieronymi, Leonis Magni, et aliorum similium, qui primatum S. Petro traditum pronuntiant bono unitatis, ut Ecclesiæ unitas in eo formaretur, et schismatibus, quæ unitatem scinderent, auferretur occasio.

Neque id auctores, quos adversarios habemus, inficiari aut in dubium revocare potuerunt. Quin cùm in aliis non paucis circa auctoritatem pontificum ratione primatûs dissentiant à nobis, in hoc planè consentiunt, et vi sanè ipsius traditionis consentiunt : unde Nicolius inter Gallicanos adversarios celebris in Instruct. 10 in Symbolum scripsit § 10 : « La « tradition nous apprend que Dieu, pour con- « server son Eglise en unité, a établi une « chaire et autorité supérieure pour veiller à « la maintenir, qui est celle de l'Eglise de « Rome. » Id est : « Docet nos traditio, Deum « ob conservandam suam Ecclesiam in unitate, « constituisse cathedram et auctoritatem su- « periorem, ut in ejus conservationem invigi- « laret, quæ est Romanæ Ecclesiæ cathedra. » Hâc quidem de causâ iidem Gallicani Romanum pontificem et Romanam sedem, seu cathedram *catholicæ unitatis centrum* appellare solent, in quo scilicet *unitas servatur Ecclesiæ*, ut legimus in ipsâ Declaratione cleri Gallicani editâ in comitiis generalibus anni 1682. Hoc sanè consilio primatum præcipui juris in totam Ecclesiam S. Petro et successoribus traditum, ut conservetur Ecclesiæ unitas, et schismatum occasiones præcidantur (quemadmodùm traditio docet) disertè affirmavit etiam Carolus episcopus Antissiodorensis adversariis nostris satis notus, cùm primatum præcipuæ jurisdictionis professus, istum articulum veluti certissimum subjecit : « Nos credimus Jesum « Christum tradidisse illum (primatum) S. Pe- « tro, ex quo ad successores ejus transit (*pour « conserver l'unité de l'Eglise, et ôter toute oc- « casion de schisme*) ob conservandam unitatem « Ecclesiæ, et ut omnis schismatis tollatur oc- « casio. » Et similiter Claudius Fleury in Institutione juris Eccles. c. 14, n. 7, Romanum pontificem *jure divino cæteris præfectum* pronuntiat *ad unitatem Ecclesiæ conservandam.* Exploratiùs autem Cl. Bossuetius in Defensione declarationis cleri Gallicani lib. 3. c. 12, professus se in celebri Expositione doctrinæ catholicæ c. 21, ubi de Auctoritate sedis Apostolicæ sermo est, ea *tantùm* exposuisse, quæ *de sede Apostolicâ vera Ecclesiæ fides* docet, id statim ibi expositum ait : « Ecclesiam unitate « nixam, tuendæ ac firmandæ unitati primatum « S. Petri à Christo institutum, sedemque « Apostolicam hujus unitatis centrum et radi- « cem esse. » Id ergo non dubiæ opinionis, sed veræ fidei Ecclesiæ catholicæ credidit. Alia ejusdem generis adversariorum testimonia nunc referre opus non est, cùm hactenùs recitata in rem præsentem sufficiant. Quòd si plura desideres, lege quæ ex adversariis afferentur cap. 14.

Adeò ob unitatem conservandam hic primas Ecclesiæ præpositus fuit, ut ipsum in eumdem finem præficere non solùm utile, sed necessarium etiam habitum fuerit. Inter errores Joannis Hus damnatos in synodo Constantiensi, ille inter præcipuos censetur, quo hujus visibilis Ecclesiæ capitis, seu primatis necessitatem inficiabatur art. 27 : « Non est scintilla « apparentiæ, quòd oporteat esse unum caput « in spiritualibus regens Ecclesiam, quod « semper cum ipsâ militante Ecclesiâ conver- « setur et conservetur. » Necessitas autem hujus capitis non aliunde derivatur traditione Patrum, quàm ex unitate Ecclesiæ. De Petro enim ait Romanus Catechismus (ad art. 9 Symbol. § 12) : « Fuit illa omnium Patrum « ratio et sententia consentiens, hoc visibile « caput ad unitatem Ecclesiæ constituendam « et conservandam necessarium fuisse. » Id ipsum deprehenderunt cum omnibus Catholicis etiam adversarii nostri, qui adeò necessarium Ecclesiæ hocce caput professi sunt, ut eidem Ecclesiæ necessaria est unitas, quæ ab ejus capitis unitate maximè pendet. Nicolius in Expositione Symboli, art. 9, c. 2 : « Necesse est, « inquit, ob unitatem Ecclesiæ, non solùm ut

« particulares Ecclesiæ ministri unà cum laicis « et ecclesiasticis episcopo adhæreant, verùm « etiam ut inter episcopos primus existat, qui « omnibus præsideat, prospiciatque omnibus « quæcumque ad conservandam unitatem ne- « cessaria sunt. » Bossuetius in Defensione declarationis Cleri Gallicani (lib. 10, al. 15, c. 5), Romanam cathedram *pro sui pontificis dignitate uniendæ Ecclesiæ necessariam* declarat. Maimburgus in Tractatu historico de Ecclesiâ Romanâ, c. 4, necessitatem hujus capitis ad catholicam unitatem perspicuè statuit; et non absimiliter alii earumdem partium scriptores, apud quos frequens est ac recepta assertio, Romanam sedem esse *centrum necessarium unitatis catholicæ*.

Quid, quod nonnulli etiam ex acatholicis idipsum fateri coacti sunt? Hugo Grotius in Voto pro pace ecclesiasticâ ad art. 7, hæc habet : « Ordo sive in partibus, sive in toto con- « tinetur in principatu quodam, sive in præ- « positi unitate : et hoc est quod in Petro « Christus nos docuit. » Et aliquantò post : « Hic ordo semper in Ecclesiâ manere debet, « quia semper manet causa, id est periculum à « schismate. » Similia tradit in Discussione Rivetiani Apologetici, ubi de Petri primatu disserens, testatur cum Hieronymo unum fuisse præfectum, uti oportebat, ob unitatem servandam, ut schismatibus præcaveretur. Nam « sine tali primatu, inquit, exiri à con- « troversiis non poterat, sicut hodie apud Pro- « testantes nulla est ratio, quâ ortarum inter « ipsos controversiarum reperiatur finis. » Eamdem porrò necessitatem primatûs confirmat ex Cypriano, à quo fatetur in unitatis bonum *agnosci Petri primatum cum auctoritate*. Unius quidem summi sacerdotis necessitatem quamdam cum auctoritate bono unitatis in veteri Testamento Deum præmonstrâsse pernovit Calvinus, hæc scribens lib. 4 Instit. c. 6, § 2 : « Quia undique ab idololatris septi « erant Judæi, ne religionum varietate distra- « herentur, cultûs sui sedem in medio terræ « sinu Deus collocavit, illi UNUM antistitem « præfecit, quem omnes respicerent, quo me- « liùs in unitate continerentur. » Eamdem unius summi pontificis auctoritatem in novâ quoque Ecclesiâ necessariam affirmârunt alii Protestantes, quorum textus affert P. Ignatius Flume Ordinis Prædicatorum, cui lucubranti adversùs novatores opus inscriptùm : *Schola veritatis orthodoxæ*, præstò fuit non exigua ejusmodi auctorum et librorum etiam rarissimorum supellex. Aliqua tantùm testimonia rei præsenti maximè congrua recitare sufficiet. Cowellus Calvinista in Examinatione doctrinæ contra actionem causæ innocentum impressâ an. 1564, postquàm folio 106, de Petro et cæteris Apostolis dixerat : « Unum cæteris « præponi necesse est ad evitanda schismata « et dissensiones tollendas, » folio 107, sub initium addidit : « Hoc tunc optimum fuit me- « dium in primitivâ Ecclesiâ, cùm Dei gratia « major et copiosior erat, quàm nunc con- « ferri videmus. Imò ipsi duodecim Apostoli « vix satis inter se convenissent, nisi UNUS « (Petrus) cæteris præfectus fuisset. Inde est « illud S. Hieronymi : Inter duodecim unus « eligitur, ut capite constituto schismatis tol- « latur occasio. » Cartuvrightus in Defensione Wirgisti, pag. 390, ait : « Si necessarium est « ad unitatem in Ecclesiâ tuendam unum « archiepiscopum aliis præesse, cur non pari « ratione toti Ecclesiæ Dei unus præerit ar- « chiepiscopus? » Et in secundâ Repl. part. 1, pag. 582, in medio : « Ad pacem Ecclesiæ « tuendam æquè necessarium est Papam præ- « esse archiepiscopis, atque archiepiscopos « omnibus unius regni provinciis. » Hospinianus in Historiâ sacramentariâ de Jacobo Andreâ primario Lutherano, tradit : « Demonstrare « conatur ecclesiarum statum tranquillum « tueri difficile esse, nisi ad supremum pon- « tificem et administratorem aliquem rerum « summa deferatur. » Hinc Hookerus de ecclesiasticâ Politiâ in præfatione sect. 6, fol. 26 et 38, scripsit : « Hoc unum sat scimus tam « naturâ et experientiâ, quàm ipsâ Scripturâ « edocti, contentionibus istis (circa fidem) « tandem finem imponendum esse, definitivæ « alicujus judicis sententiæ nos submittendo, « cui neutra litigantium pars sub quovis præ- « textu contradicat...; alioquin semper con- « fusio erit, nec spes ulla pacis conse- « quendæ. »

Quid plura? Iidem hæretici Presbyteriani, qui veterem Aerii hæresim excitârunt, licet unum presbyteratum admittentes, episcopatum jure divino institutum negent, fatentur tamen istum jure humano fuisse necessariò constituendum, eò quòd ad schismata impedienda, seu ad unitatem Ecclesiæ servandam, eo supremo gradu unum aliquem potiri opus sit. Quam in sententiam unum è presbyteris olim præfectum docuit Calvinus lib. 4 Institutionum c. 4, n. 2 : « Quibus, inquit, docendi « munus injunctum erat, eos omnes nominâ-

« runt presbyteros. Illi ex suo numero in sin- « gulis civitatibus unum eligebant, cui specia- « liter dabant titulum episcopi, ne ex æquali- « tate, ut fieri solet, dissidia nascerentur. » Sicuti porrò cuique urbi unus episcopus ad unitatem in eâ continendam præesse debet, ita ad tuendam unitatem in totâ Ecclesiâ unus summus pontifex toti Ecclesiæ præsit necesse est; hujusque summi pontificis necessitas ad unitatem servandam in totâ Ecclesiâ tantò major est necessitate unius episcopi in singulis civitatibus, quantò præstantior ac magis necessaria est totius Ecclesiæ, quàm particularium ecclesiarum unitas; et quò majus periculum imminet ex schismate quod totam Ecclesiam moliretur scindere, quàm ex schismate quo particulares tantùm ecclesiæ in partes discindantur. Hinc autem patet Doduvelli error, qui, cùm animadvertisset S. Cyprianum Ecclesiæ unitatem ab unitate præpositi derivare, statuit ab eo S. Martyre « non agi de « illius Ecclesiæ unitate, quam catholicam hodie dicimus, quæ nimirùm omnes ambitu « suo per terrarum orbem particulares com- « plectitur, sed de ipsis duntaxat ecclesiis par- « ticularibus. » Quem errorem ex ipso Cypriano egregiè refellit novissimus editor Benedictinus Congregationis S. Mauri, in præfatione editionis Cyprianæ Stephani Baluzii § 1. Ipse Joannes Laurentius Moshemius, quantumvis heterodoxus, in Disputationibus ad historiam catholicam pertinentibus Altonaviæ vulgatis anno 1733, eumdem Doduvellum aliosque cum eo similiter interpretantes S. Cypriani sententiam coarguit. Cùm enim negari non posse fateatur, S. Martyrem et alios etiam antiquiores Patres visibilem unitatem tribuisse Ecclesiæ, eamque derivâsse ab uno episcopo, quem ejus unitatis originem et centrum statuunt, ut probaverat § 10 et seq., tum verò id de solis ecclesiis particularibus accipiendum negat, eò quòd si unus ad particularis ecclesiæ unitatem sit necessarius, unus pariter ad unitatem totius Ecclesiæ necessarius dicendus est. « Id verò quin sentiat, inquit, nemo unus « tam hebes esse potest, inter unitatem quam- « dam universæ Ecclesiæ in Romano pontifice « desinentem, talemque, qualem ex Irenæo et « Cypriano descripsimus, communitatem, vix « tantùm esse spatii, quantùm inter atrium « et cubiculum, aut inter manum et di- « gitos. »

Quòd si ex hactenùs dictis ad unitatem totius Ecclesiæ tuendam S. Petri et successorum ejus primatus necessarius debet admitti, non video quomodò se tueri possint hæretici, qui hanc necessitatem confitentes in genere, institutionem ejus, perinde ac institutionem episcopatûs à Christo derivare nolunt, sed vel ab Apostolis, vel ab Ecclesiâ, aliquantò post Apostolorum mortem colligunt: cùm certum esse debeat Christum et prævidisse, et providisse omnia quæcumque ad suam Ecclesiam ejusque unitatem custodiendam et conservandam opus essent. Hinc jure merito Catholici hosce hæreticos impugnantes, inimicos planè habent ejus unitatis, quam Ecclesiæ necessariam negare non possunt: et idcircò Bossuetius in Expositione doctrinæ catholicæ c. 21, unitatem Ecclesiæ professus, ad quam *custodiendam uniendamque primatum S. Petri institutum* à Christo docet; eos ejusmodi unitatis hostes pronuntiat, eò quòd tollant primatum, qui *commune totius catholicæ unitatis centrum est.* Et non absimiliter in Variationum historiâ lib. 7, n. 70, eos Anglicanos perstringit, qui « maluerunt etiam in Religionis negotio regem « caput habere, quàm in cathedrâ S. Petri « agnoscere principium à Deo institutum ob « unitatem christianam. » Sed hæc potiùs contra hæreticos disputanda, quàm contra adversarios catholicos, qui hâc in re nobiscum planè sentientes, confitentur cum Joanne de Parisiis, caput unitati Ecclesiæ tam necessarium cum idoneo principatu præpositum « non « quidem synodali ordinatione, sed ex ore « Domini, qui Ecclesiæ suæ noluit deficere in « necessariis ad salutem. » Hæc tamen dixisse juverit, ut quisque intelligat, eam doctrinam, quâ ad unitatem Ecclesiæ congruâ potestate continendam institutum fuisse diximus primatum S. Petri ac Romanorum pontificum, non tam traditioni Patrum, cui nostri adversarii calculos adjiciunt, quàm rationi ipsi heterodoxis quoque aliquatenùs cognitæ maximè consonam inveniri.

CAPUT IX.

Propositio IX. — *Memoratam totius unitatis catholicæ à Petro componendæ et conservandæ rationem ne sibi Christus frustra proposuisse dicatur in instituendo ejus primatu, vim et potestatem ipsi primati ad eum finem obtinendum idoneam dedisse credendus est: jus scilicet coactivum unitati componendæ et conservandæ necessarium, non verò merum officium repræsentandæ unitatis. Hoc autem jus coactivum ad unitatem catholicam ex primatûs ratione ac*

fine S. Petro tributum, ipsius peculiare ac personale primatûs jus potissimùm constituere percommodè intelligitur.

Deum nemini officium commisisse unquàm, quin facultates ad illud exequendum idoneas eidem largiretur, exploratum est omnibus. Id autem multò magis dicendum, cùm de officio agitur necessario Ecclesiæ catholicæ, cui Deus nec defuit unquàm, nec deerit, uti certum ex fide est. Itaque cùm S. Petro ac successoribus ejus primatum Christus tradiderit in universam Ecclesiam ad unitatem ejus formandam atque tuendam, quin facultates ad hunc finem assequendum idoneas eisdem contulerit (1), dubitare non licet : quod ipsum exigit ratio à Bossuetio proposita in sermone ad comitia Cleri Gallicani anni 1681 : « Etenim Jesus « Christus se communicat tali mensurâ, quæ « ipsi placet : semper autem se eo modo com« municat, qui statuendæ unitati suæ Eccle« siæ sit congruentior. » Sancti quidem Patres constanti Ecclesiæ traditione ita unitatem S. Petro creditam prædicant, ut aptâ et necessariâ ad id potestate eumdem præditum innuant, vel præsumant, ut mox videbimus, ac pluribus liquebit ex testimoniis afferendis, cap. 13.

Hæc autem idonea unitatis catholicæ compingendæ atque custodiendæ potestas, non meram unitatis repræsentandæ facultatem, sed ejus formandæ et continendæ vim planè coactivam, jurisdictionis propriam efflagitat. Quod eâ de causâ distinctè monitum volo, ne quem fortassis fallant vel moveant quædam aliquorum Patrum sententiæ, in quibus unitatis repræsentandæ officium seu munus S. Petro ob primatum tribuitur. Ea autem vis coactiva ex constitutis capite præcedenti manifestissimè colligi potest. Si enim unum caput ad schismata impedienda unitatemque Ecclesiæ servandam necessarium fuit, et eo quidem consilio Petrus à Christo caput Ecclesiæ constitutus est, ut unitatem eamdem custodiret et vindicaret, quod præcedenti capite ex traditione, ipsis etiam adversariis fatentibus, demonstravimus; vim procul dubio cogendi ad unitatem obtinere debuit : solâ etenim unitatis figurâ atque repræsentatione schismata tolli vel impediri non possunt. Præterquàm quòd si sola unitatis repræsentatio absque coactivo jure Petri primatum constitueret, primatus meri ordinis et honoris inde oriretur, quem nemo Catholicorum admittit. Equidem Marcus Antonius de Dominis cum suis asseclis tantùm, qui primatum jurisdictionis excludunt, hanc vim coactivam, quæ jurisdictioni necessaria à Catholicis adstruitur, inficiatus libro primo de Republicâ Eccles. cap. 1, n. 1, meram vim unitatis et Ecclesiæ repræsentativam in Petro consequenter agnovit cap. 7, n. 8 ; Catholicos autem secùs tradere fatetur, qui cùm *veram jurisdictionem* in summo pontifice admittant, *vim coactivam* jurisdictionis nomine intelligunt et admittunt : « Quia in eo requirunt, inquit c. 1, n. 1, veram jurisdictionem, hoc est, vim coactivam. » Hinc penes nos Catholicos illa Augustini et aliorum Patrum testimonia, in quibus S. Petrus, cùm ob primatum claves regni cœlorum accepit, unitatem repræsentâsse traditur, non perinde accipienda sunt, ac si ille ratione primatûs merum fuerit signum unitatem, seu unam Ecclesiam catholicam repræsentans, quod in eo præter cæteros Apostolos positum fuerit (sic enim ille meri honoris et ordinis, nulla autem jurisdictionis prærogativa reliquis Apostolis præstitisset); sed ita ut præcipuæ jurisdictionis primatus (1) non excludatur, qui cùm vim aliquam coactivam debeat continere (neque enim jurisdictio sine vi coactivâ, quæ subditos obliget, intelligi potest); hæc ad eam unitatem catholicam potissimùm debet adigere, ad quam continendam et vindicandam primatus institutus fuit.

Equidem SS. Patres de instituendi primatûs ratione enucleatiùs agentes, hanc vim coactivam primati collatam non obscurè insinuant, cùm dicunt, vel cum S. Irenæo, necesse esse omnes undique fideles cum Romanâ Apostolicâ sede convenire, seu unitatem tenere, propter potentiorem principalitatem, id est, propter primatum, vel cum S. Hieronymo, Petrum prælatum cæteris, ut capite constituto schismatis tollatur occasio; vel cum Optato, S. Petro claves, quæ jurisdictionem ac vim coactivam significant, bono unitatis datas fuisse : quæ sententia satis indicat, S. Petrum claves,

(1) Hinc etiam Guillelmus Leibnitius ipso naturali lumine utens, in eo textu, quem recitavimus capite quarto, n. 1, in fine, supremum spiritualem magistratum Ecclesiæ regendæ jure divino præpositum, eodem jure *omni necessariâ ad explendum munus pro salute Ecclesiæ agendi potestate instructum* affirmavit.

(1) Vim quidem coactivam non excludi ob repræsentationem, seu figuram unitatis, vel Ecclesiæ, patet ex conciliis generalibus, quæ, licet universam Ecclesiam repræsentent, vi tamen maximè coactivâ potiuntur.

id est, coactivam jurisdictionem accepisse, non ut unitatem tantùm repræsentaret, ad quod nihil clavibus, vel præcipuâ jurisdictione opus est, sed ut eam componeret et custodiret; quod sine vi ad unitatem catholicam cogente, quæ schismata ac divisiones impediat, vel disjiciat, præstari non potest. Unde celebre illud laudati doctoris S. Hieronymi in Dialogo contra Luciferianos num. 9 : « Ecclesiæ salus in summi sacerdotis dignitate pendet, cui si non EXORS quædam et ab omnibus EMINENS DETUR POTESTAS, tot in ecclesiis efficientur schismata, quot sacerdotes. » Aliter primatus bono unitatis institutus, ut (quod ait idem Hieronymus) schismatis tollatur occasio, nihil in hoc bonum utique conservandum et vindicandum conferret. Hinc nonnulli etiam ex ipsis acatholicis vim aliquam coactivam primati tribuendam præsumpserunt, cùm ipsum ad unitatem Ecclesiæ necessarium aliquando fateri coacti sunt, ut præcedenti capite vidimus.

Adversarii quidem nostri hanc unitatem cum Romano pontifice veluti catholicæ unitatis centro necessariam statuentes, ut Ecclesiæ unitas servetur, vim procul dubio coactivam quæ ad eam unitatem cogat, in eodem agnoscunt. Enimverò, in Declaratione Cleri Gallicani anni 1682, ubi primatus asseveratur sedis Apostolicæ, in quâ unitas servatur Ecclesiæ, eidem sedi potestas asseritur, quâ pax Ecclesiæ continetur : ubi pax Ecclesiæ continetur idem est, ac quod paulò ante dictum fuerat, unitas servatur Ecclesiæ : potestas autem, quâ hujusmodi pax seu unitas continetur atque servatur, vim utique coactivam exprimit præcipuæ jurisdictionis, quæ ei unitati continendæ et conservandæ necessaria est. Quin cùm ejusmodi potestas ibidem asseratur adversùs hæreticos, qui illam fraudibus moliuntur destruere, et in hanc causam referatur ejusdem potestatis assertio, quòd nimirùm illi « simplices animas ab Ecclesiæ matris Christique adeò communione (id est, unitate) dissociant, » satis ostenditur eam potestatem negari non posse, quin Ecclesiæ unitas scissuris exponatur. Adeò vi ejus sedis coactivâ Ecclesiæ unitatem servari, eidemque servandæ adeò necessariam illam esse Declarationis auctores noverunt, ut solos hæreticos inficiari eamdem vim posse satis indicaverint. Hinc Nicolius, in Expositione Symboli art. 9, c. 2, postquàm necessitatem primatûs statuit ob unitatem Ecclesiæ, de eâ potestate primatis itidem necessariâ his verbis concludit : « Oportet igitur hocce caput auctoritate frui, quæ ipsi necessaria est, ut unitatem conservet. » Et post pauca : « Quanquàm summus pontifex hâc potestate non utatur nisi ex constitutionibus et decretis canonum, verùm nihilominùs est juris esse divini et ex institutione Christi, ut omni potestate et prærogativis ad unitatem EFFICACITER (id est, vi prorsùs coactivâ) conservandam necessariis præditus sit. » Similia leguntur apud alios, qui aliis in capitibus nobis adversantur. Quare Ludovicus Habert, doctor Sorbonicus, tom. 7 Theologiæ dogmaticæ, part. 2, c. 4, § 3, propositâ quæstione : « Quænam summo pontifici conveniant jure divino, uti capiti totius Ecclesiæ non solùm in occidente, sed etiam in Oriente, et in universo terrarum orbe? » id in responsione omninò certum et à nullo Catholico in dubitationem adductum ponit : « Omissis iis, de quibus est controversia, certum est ea ipsi competere jure divino, sine quibus servari non potest Ecclesiæ unitas. »

Obtrudant nunc, qui jure se posse confidunt, eas Augustini formulas, quibus scripsit S. Petrum propter primatum gessisse typum, seu figuram unitatis, cùm ad eum Christus laudatis evangelicis testimoniis locutus est; perinde ac si meram unitatis repræsentationem, non autem præcipuum jus in unitatis bonum ipsi uti primati attribuerit. Quò evaderet hâc in hypothesi primatûs peculiaris vis et jurisdictio, quæ ex primatûs instituendi fine ipsi unitati constituendæ atque conservandæ necessaria, adversariis quoque nostris confitentibus, negari non potest? Nihil sanè in hunc scopum profuisset merum unitatis typum in Petro collocâsse, si vis ad unitatem cogens addita non fuisset. Certè typus, seu repræsentatio unitatis, jus coactivum nequaquàm excludit, ut patet ex generalibus conciliis (1), quæ etsi universam Ecclesiam repræsentent, jure tamen coactivo non carent. Augustinus quidem cùm S. Pe-

(1) Hìc obiter notare liceat à duobus repræsentari universam Ecclesiam, à concilio generali, et à Petro ac successoribus ejus, sed diverso modo. Concilium generale repræsentat Ecclesiam uti universalem, seu catholicam, quatenùs ex episcopis ex totâ Ecclesiâ convocatis constat, in quibus tota continetur Ecclesia; in episcopis enim Ecclesia est, ut ex Cypriano discimus epist. 69. Petrus verò ejusque successores repræsentant Ecclesiam ut unam, et unitatis figuram gerunt, quatenùs Ecclesiæ unitas quæ ab uno ducit originem, per unum Petrum et successores formatur et continetur, ut ex eodem Cypriano atque Paciano suo loco videbimus; et in eo uno, in quo formatur Ecclesiæ unitas, ipsa Ecclesia una continetur. Sicuti porrò ge-

trum, dùm claves regni cœlorum, id est, ecclesiasticam jurisdictionem clavium nomine designatam accepit, personam ac figuram Ecclesiæ gessisse scripsit « propter primatum, « quem in discipulis habuit, seu propter Apo« stolatûs sui primatum, » (quia scilicet primus cujuslibet cœtûs totum cœtum repræsentare solet); non idcircò cogitavit primatum nudatum omni jure proprio et personali ipsius primatis, quod et ipse alibi, et aliorum Patrum traditio, adversariis quoque confitentibus, in bonum unitatis S. Petro disertè asserit, ut in uno et per unum unitas compingatur et conservetur in totâ Ecclesiâ, seu ut in Petro unitatis negotium formaretur, quod ex Optato notavit (lib. 8 Defens. c. 3) Bossuetius eo quoque loco, ubi de typo et figurâ unitatis sermonem facit : qui sanè finis instituendi primatûs jurisdictionem primatûs propriam eidemque fini consequendo necessariam satis declarat.

Hâc porrò ratione intelligitur, quomodò primatus bono unitatis institutus, unitatem totius Ecclesiæ in Romanæ sedis centro compactam et coalescentem præcipuo jure tueatur, et cur hanc unitatem cum eâdem sede, seu cum Romanâ Ecclesiâ catholicæ unitatis centro necessariam dixerit (l. 3 de hæres., c. 3) S. Irenæus, non *ob principalitatem* tantùm, quâ voce primatus exprimitur, sed propter *principalitatem potentiorem*, nimirùm ob primatum, qui unitati formandæ et conservandæ vim *potentiorem* et omninò coactivam habet : unde etiam Bossuetius (in Corollar. Defens. n. 10, part. 2) primatum præcipui juris, vimque ejus præcipuam indicaturus, *potestatem uniendæ Ecclesiæ* natam appellavit, et libro primo historiæ Variationum num. 4, ex Petro de Alliaco vocavit « sanctam auctoritatem à Jesu Christo in« stitutam ob conservandam unitatem inter « ipsius membra, » quæ auctoritas sine vi coactivâ intelligi nequit ; et ex hâc quidem coactivâ vi tantùm effici potest illud, quod Romanæ sedi tribuit auctor præfationis Defensioni declarationis novissimæ editionis præfixæ pag. 22 : « Quæ (Romana sedes) cæteras « sibi obnoxias habet spirituales potestates ; « quæ ecclesiasticæ unitatis commune cen« trum, omnes ecclesias unitate consociat. »

Ex his autem omnibus illud consequitur, in hâc potestate, quæ S. Petro et Romanis pontificibus jure successionis competit in unitatem Ecclesiæ, cùm ex primatûs ratione ac fine competat et fluat ; in hâc, inquam, potestate ipsum primatûs peculiare et personale jus contineri, adeò ut potestas et vis coactiva ad catholicam unitatem in totâ Ecclesiâ conservandam ac vindicandam potior sit primatûs ratio atque facultas. Hinc Natalis Alexander, tom. 3, dissert. 4, in seculum primum § 1, n. 7, post recitata aliquot Patrum testimonia, ex quibus « constat S. Petro singularem ca« thedram, et cæteris superiorem constitutam « fuisse, quæ unitatis ecclesiasticæ centrum « esset, ipsumque fuisse caput huic unitati « servandæ à Christo præpositum, » concludit in rem præsentem satis opportunè his verbis, quæ primatûs rationem et jus præcipuum ac proprium innuunt : « Quo in munere primatûs « ratio potissimùm splendescit. » Concinit non obscurè Bossuetius, cùm in Catechismo de festis ad diem SS. Petri et Pauli propositâ interrogatione : *En quoi consiste la primauté de l'Eglise romaine*, hanc responsionem secundo loco posuit : *En ce que toutes les Eglises doivent garder l'unité avec elle.* Id est, Latinè : « In quo « consistit primatus ecclesiæ Romanæ ? R. In « hoc, quòd omnes ecclesiæ debent cum ipsâ « unitatem servare : » ob vim utique cogentem ad unitatem.

Cùm tandem evangelica testimonia capite quinto laudata, quibus potissimùm S. Petri primatus innititur, aliquod præcipuum et personale ipsius jus continere debeant ex capite sexto ; hoc autem jus ipsius præcipuum et personale primatûs causa ipsi competens, jus sit cogendæ et vindicandæ catholicæ unitatis, ut ex traditione Patrum et ex ipsorum adversariorum doctrinis demonstrâsse mihi videor hoc capite non disjuncto à præcedenti ; ea profectò memoratorum testimoniorum interpretatio, quæ præcipuum et personale ipsius jus ad hanc unitatem constituendam et conservandam exhibeat, non violenta, nec conficta ex arbitrio, sed germana, et ad genuinam primatûs naturam cognoscendam et explicandam congrua, traditionique Patrum et ipsorum adversariorum principiis consentiens, eademque unius Petri ac successorum ejus propria habenda erit, sicut primatus ipse proprius istorum est. Id sanè cùm apertè sequatur ex hactenùs constitutis, nostri adversarii inficiari non poterunt. Maimburgus quidem idipsum

nerali concilio, quod Ecclesiam uti catholicam repræsentat, non negatur vis quæ eamdem Ecclesiam cogat ; ita nec neganda Petro ac successoribus, qui Ecclesiam repræsentant ut unam propter primatum cui vim peculiarem in bonum unitatis adscribendam etiam adversarii fatentur.

expressè docet in Tractatu historico de Romanâ ecclesiâ c. 4, ubi relatis evangelicis testimoniis, quibus S. Petri primatum præcipui juris constitutum nobiscum agnoscit et probat, ei objectioni, quâ eadem testimonia ad alios quoque Apostolos extendi traduntur, responsurus, omnes facultates in Evangelio indicatas aliis communes affirmat præter hanc, quæ ad unitatem in totâ Ecclesiâ custodiendam pertinet. « Hoc, inquit, inter Petrum et reliquos Apostolos interest, quòd cùm Christus sermonem ad omnes simul habuit, iisdem tribuit quod commune est omnibus, et in quo omnes æquales sunt, uti est potestas sacrificii offerendi, docendi omnes gentes, baptizandi, remittendi peccata, et quidquid ad alia munera spectat. At quando ad unum Petrum in singulari sermonem convertit, ipsi tribuit quidquid ipsius proprium est, ipsum unum alloquens, ut in Ecclesiâ statueret unitatem, cujus principium et fundamentum eumdem Petrum constituit, quocum cæteros omnes cohærere opus est, ut sint unum ob unionem quam habere debent cum capite, sine quo nihil sunt, nullamque potestatem exercere queunt. » Non absimilia tradit Petrus de Marca in opusculo de Discrimine clericorum et laicorum c. 3, in quo ex sanctorum Patrum doctrinâ affirmat communicatam à Christo aliis Apostolis omnem potestatem, præter illam quæ « pro tuendâ unitate in universalis Ecclesiæ regimine illi præ cæteris indulta est. » Quid ab adversariis expressius scribi potuit, ut evangelica testimonia Petro et aliis Apostolis aliquatenùs communia, in eam unam interpretationem Petri et primatûs ejus propriam accipienda cognoscantur, quatenùs ad unitatem in totâ Ecclesiâ tuendam pertinent? Quam verò in sententiam hæc unitas ab eo tuenda iisdem testimoniis spectetur, explicabimus cap. 12.

CAPUT X.

Propositio X. — *Ecclesiæ unitas nunc consideranda duplex est; alia fidei, quâ omnes Christi fideles in unius fidei professione debent convenire; alia charitatis, quâ omnia Ecclesiæ membra inter sese eodem pacis et communionis vinculo debent copulari : sed potior est illa prior unitas fidei, cui potissimùm conservandæ posterior est Ecclesiæ maximè necessaria. Primatus verò S. Petri et successorum ejus ob unitatem in totâ Ecclesiâ continendam et conservandam institutus, eâ vi præditus esse debet, quâ utramque hanc unitatem Ecclesiæ necessariam contineat atque conservet.*

Cùm nos hìc Ecclesiam appellamus, non eam intelligimus sanctorum atque electorum, quæ, cùm interior potissimùm sit, oculis hominum non omninò patet; sed de illâ loquimur, quæ exterior est, atque visibilis, quâ omnes, tam boni quàm mali Christiani, in eamdem fidei societatem charitatis et communionis vinculo copulati, licet toto orbe effusi, locorumque intervallo discreti, unum cœtum et corpus efficiunt. Hæc autem Ecclesia ita una est, atque esse debet una, ut ejus unitas prærogativa sit ipsius Ecclesiæ potior, quam eidem primo loco concilium Constantinopolitanum 1 in fidei Symbolo vindicavit, et S. Joannes Chrysostomus, hom. 1 in Epist. 1 ad Corinth., hanc unitatem in definitione Ecclesiæ ponendam duxerit veluti omninò essentialem, quæ Ecclesiæ adimi nequit, quin ipsa destruatur Ecclesia : « Ecclesiæ nomen, inquit, non ambitum, sed unionem et consonantiam significat. » Christus quidem non plures, sed unam Ecclesiam voluit constituere, et (quod legitur Joannis cap. 10), mortuus idcircò est, *ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum*, nimirùm ut in unam Ecclesiam coadunaret illos qui, partim ex Judæis, partim ex gentibus, in ipsum essent credituri. Istud verò est illud, quod de Christo Paulus prodidit ad Ephesios 2, v. 13 : *Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum*, id est, Judæos et gentes; ac in eamdem sententiam idem Christus, antequàm ad mortem progrederetur, hanc Ecclesiæ suæ unitatem Patri maximè commendans, dixit Joan. 17 : *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut nos.*

Sicuti verò hæc una Ecclesia, quæ exterior est atque visibilis, eos complectitur, qui eamdem fidem profitentur, et eodem charitatis vinculo conglutinantur, ita ejus unitas, quæ totum Ecclesiæ corpus et singula membra propiùs attingit, duplici ex capite potissimùm pendet, ex fide nimirùm, quæ una est in omnibus, et ex charitate, cujus vinculo omnes colligantur. Nam quòd (Ephes. c. 22, et Coloss. 1, 18) unus sit Christus caput Ecclesiæ, nec propriè, nec proximè respicit singulorum membrorum unitatem ; quòd autem una sit (1 Cor. 10, 18) sacramentorum participatio, id non unitatem ipsam, sed unitatis potiùs significationem, argumentum, vel medium innuit ; idemque censendum de reliquis, quæ ad uni-

tatem referri solent. Duæ itaque fidei et charitatis unitates eæ sunt, quæ ad singula membra propriè et proximè spectant, unumque ex omnibus membris Ecclesiæ corpus, et Ecclesiam unam efficiunt. Unde (lib. 3 Offic. c. 3, n. 19) Ambrosius Ecclesiam definit : « Congregationem quæ in unum connexum corpus atque compactum unitate fidei et charitatis assurgit. »

Ecclesia porrò una est potissimùm ob fidem, quatenùs omnes Christiani unam eamdemque fidem profitentur. Fides profectò, ut idem ait Ambrosius (lib. 1 de Incar. 6, 5) *Ecclesiæ fundamentum est :* et hoc fundamentum, quod in singulis ædificiis debet esse unum, unius Ecclesiæ ædificium constituit, ipsamque Ecclesiam efficit unam. Quapropter Christus ante mortem pro Ecclesiæ unitate Patrem exorans, non pro solis Apostolis se orare dixit, sed pro illis etiam omnibus qui in se credituri, Ecclesiam hâc fidei unitate effecturi erant unam : *Non pro eis autem rogo tantùm, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint ; sicut tu, Pater, in me et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint* (Joan. 17, v. 20). Huc respiciens Paulus exigit ut *occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei.... ut non jam simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ* (Ephes. 4, v. 13). Ex hâc unitate fidei unam Ecclesiam noverunt et Patres. Tertullianus de Præscriptionibus omnes toto orbe diffusas ecclesias unam appellavit, propterea quòd omnes tenentes eamdem fidem, *unam omnes probant unitatem.* Pari ratione Theodoretus in psalmum 47 : « Communiter, inquit, omnes ecclesiæ ad unam rediguntur ob consonantiam veterum dogmatum. » Et antiquus auctor commentarii in psalmum 23, Hieronymi operibus olim inserti, n. 11 : « Ecclesia, ait, ex pluribus personis congregatur ; et tamen una dicitur propter unitatem fidei. » Cui mirificè concinens Euthymius in psal. 88 : « Si loca respicias, inquit, ecclesiæ plures sunt ; si religionem et fidei communicationem, omnes quæ ubique sunt ecclesiæ, unam constituunt fidelium Ecclesiam. » Præclarè quoque in eamdem sententiam Athanasius Sinaita Anagog. in Exam. l. 3 : « Congregentur aquæ, quæ quidem ex diversis populis, et gentibus, et sectis sub unitate fidei congregantur. » Patet igitur ob unitatem fidei, quæ singulis Ecclesiæ membris inesse debet, Ecclesiam præcipuè unam vocari.

Porrò ubi variæ essent fidelium scissuræ, hæc fidei unitas non exiguum periculum subiret : « Neque enim scissio, vel schisma fieri potest, nisi diversum aliquid sequantur, qui faciunt, » inquit Augustinus lib. 2 in Cresconium c. 7. Et S. Hieronymus in epist. ad Tit. c. 3 : « Nullum schisma non sibi aliquam confingit hæresim, ut rectè ab Ecclesiâ recessisse videatur. » Hinc ad fidei unitatem tuendam, quæ est unitas Ecclesiæ potior, altera eidem unitas necessaria est, quâ scilicet Christiani conjungantur inter se, *solliciti*, ut ait Apostolus (Ephes. 4), *servare unitatem spiritùs in vinculo pacis ;* sicque *omnes idem sapiant, eamdem charitatem habentes, unanimes, idipsum sentientes* (Philip. 2, v. 2). Hæc itaque unitas, quam charitatis et pacis appellamus, ob unitatem potissimùm fidei conservandam Ecclesiæ necessaria est ; ita ut ad hanc veluti ad primariam unitatem referatur : quod inter ipsos heterodoxos (1) Claudius Salmasius omninò necessarium ex solâ naturali ratione perspexit. Equidem hæc unitas charitatis, quam inter proprias veræ Ecclesiæ notas SS. Patres referunt, non illam charitatem respicit, quâ diligere nos debemus mutuò uti homines (hoc enim amore debemus conjungi vel cum infidelibus, qui extra Ecclesiam sunt ; nec si quis ejusmodi amore careat, dùm cætera adsint, ab Ecclesiæ unitate idcircò descivit), sed specialem quamdam charitatem innuit Christianorum propriam, quâ adhærentes pastoribus et episcopis nullâ scissurâ divisis, nullâ dogmatum varietate dissidentibus, ita inter sese fidei consensione junguntur, ut *idipsum invicem sentientes*, quod Apostolus (Rom. 12, v. 16) monuit, omnes eamdem fidei unitatem pacis vinculo custodiant. Hinc unitate charitatis contineri unitatem fidei Africani episcopi in Sardiniâ exules prodiderunt. « Membra, inquiunt, ecclesiastici corporis.... in unitate fidei compages retinet charitatis.. » Et similiter, cùm post Acacianum schisma charitatis et communionis unitas restituta fuit, de unitate quoque fidei simul redditâ et Occidentales et Orientales lætatos legimus, propterea quòd illa ad hanc ita sit necessaria, ut hæc sine illâ stare non possit. Hâc de causâ laudatus Apostolus unitatem charitatis Corinthiis commendans, sententiarum unitatem commendavit (1 Corinth. 1, v. 10) : *Obsecro autem vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi,*

(1) In Apparat. ad tract. de Primatu Papæ, pag. 226 et 227.

ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata : sitis autem perfecti in eodem sensu, in eàdem sententià : quasi non alium finem quàm unitatem fidei *unitas* charitatis respiceret, de quâ propterea affirmavit (1) Felix III, aut potiùs Gelasius: *Communio* (quo nomine veteri formulâ visibilis unitas charitatis significatur) *ad fidem pertinet;* et Tertullianus: « Communicamus Ecclesiis Apostolicis, quòd nulla doctrina diversa : » id est, quòd una omnium est fides, seu ob ejusdem fidei unitatem.

Porrò hæ duæ unitates fidei et charitatis tam veræ Christi Ecclesiæ singulorumque ejus membrorum propriæ ac necessariæ sunt, ut qui alterutrâ careat, is esse desinat in verâ Ecclesiâ. Hinc duo sunt, quæ homines ab Ecclesiâ potissimùm excludunt: hæresis, quâ tollitur unitas fidei, et schisma, quo charitatis unitas adimitur. Cùm autem primatus S. Petri ac successorum ejus ob unitatem totius Ecclesiæ conservandam institutus, vi coactivâ eidem unitati servandæ et continendæ necessariâ præditus sit ex constitutis capite præcedenti; vi utique præcipuâ et coactivâ præditus dicendus est ad servandam et continendam utramque fidei et charitatis unitatem, ex quibus ea Ecclesiæ unitas constat; et primariò quidem unitatem fidei, quæ est unitas Ecclesiæ potior, ad quam unitas charitatis, seu communionis refertur. Id ex præmissis laudati capitis palam sequitur. Cùm verò in hoc sita sit potior vis primatûs, quam hoc in opere explicandam et statuendam suscepi, idipsum latiùs probandum mihi est per partes singulas, ut ne quid uspiam difficultatis, si fieri potest, supersit. Probabitur autem, ut arbitror, luculentissimè quatuor sequentibus capitibus; si nimirùm, capite 11, necessariam prorsùs ostendero unitatem charitatis seu communionis omnium Christi fidelium cum Romanis pontificibus successoribus S. Petri, quæ, cùm ob unitatem fidei necessaria sit, ad necessitatem quoque unitatis fidei cum iisdem eodem capite præstituendam aditum aperiet ; si postea eamdem fidei potissimùm unitatem cum ipsis necessariam pleniùs evicero capite 12, argumentis locupletissimis ex Evangelio petitis, ubi evangelicorum testimoniorum promissa interpretatio peculiarem et personalem primatûs facultatem continens, ex obvio verborum sensu proferetur, ex quâ vis cogens præcipuè ad unitatem fidei manifesta fiet; si præterea, capite 13, traditionem producam, quæ dùm utramque communionis et fidei unitatem cum ipsis pontificibus necessariam præferet, nihil à nobis ex ingenio confictum comprobabit ; si tandem (ne quid ad evidentiam desit) capite 14, concinentia quoque adversariorum testimonia subjiciam, ex quibus ipsi pariter, si cohærenter loqui velint, nec ad inanes exceptiones distinctionesque, itidem expendendas et disjiciendas confugere, jure dissentire non possint.

(1) Vide tom. 5 concil. Ven. edit. col. 190 ; ubi Felici III hoc opusculum tribuitur: sed veriùs tribuendum esse Gelasio I ostendimus in tractatu *de Collectionibus* part. 2, cap. 11, § 4, n. 9, tom. 3, S. Leonis, novissimæ editionis.

CAPUT XI.

PROPOSITIO XI. — *Primatus S. Petri et successorum ejus adeò præditus est vi cogente ad utramque charitatis seu communionis et fidei unitatem, ut necesse omninò sit, omnes Catholicos cum successoribus S. Petri unitatem tenere non solùm charitatis et communionis, sed præsertim fidei.*

§ 1. *De necessariâ unitate communionis omnium fidelium cum summis pontificibus ratione primatûs. Oppositio à nonnullis ingesta ex schismatibus Meletii Antiocheni et Acacii Constantinopolitani diluitur.*

In statuendâ necessitate unitatis communionis omnium Catholicorum cum Romanis pontificibus non multùm laborandum nobis esset, dùm iis cum adversariis agimus, qui ex evidentissimâ et constanti Patrum traditione fusiùs proferendâ cap. 13, Romanum pontificem ratione primatûs catholicæ communionis centrum agnoscentes, communionem cum eodem omnibus veræ Ecclesiæ membris necessariam fatentur, ut ex eorum verbis paulò post recitandis, vel allegandis, patebit. Juverit verò altiùs aliquantò modum proponere, quo hæc charitatis seu communionis unitas compingatur : sic enim hujus unitatis necessitas manifestior fiet. Illud autem primò certum esse Catholicis debet contra sectarios, non minùs Ecclesiam quàm ejus unitatem debere esse visibilem. Si enim Ecclesia una et ejus unitas non pateret, *nulla esset,* ut cum Augustino loquamur, *securitas unitatis.* Unitas verò charitatis, quæ visibilis sit, non in merâ charitate internâ et invisibili sita est, sed in externâ, quæ exterioribus charitatis signis declarata, catholicæ communiònis nomen ex antiquâ formulâ obtinuit. Hinc unitas charitatis visibili Ecclesiæ necessaria, communionis catholicæ

unitatem ita efflagitat, ut vera Christi Ecclesia, quæ una et visibilis est, in unicâ communione inveniatur, à quâ quicumque separantur, non sint in Ecclesiâ. Porrò ut omnes Christi fideles hoc charitatis et communionis vinculo in unum coeant, unamque visibilem Christi Ecclesiam constituant, cùm singuli inter sese immediatè uniri et communicare non possint, satis est, si uniantur et communicent cum suo cujusque episcopo, qui uniatur atque communicet cum aliis catholicæ communionis episcopis, et potissimùm cum Romano, qui catholicæ unitatis et communionis centrum et origo est. Ita enim qui cum hoc communicat atque unitur, communicat et unitur cum omnibus Catholicis cum ipso unitis et communicantibus, et ex hujusmodi unione atque communione omnium cum hoc centro unitatis exsurgit ea catholica charitatis et communionis unitas, quæ in unâ visibili Ecclesiâ visibilis esse debet, et cuique fidelium est ad salutem necessaria.

Unitas scilicet, quæ ex S. Cypriani sententiâ latè explicandâ cap. 13, § 3, ab uno ducit originem, sicuti in particularibus ecclesiis oritur ab uno episcopo unitatis earumdem ecclesiarum centro, quocum omnia ejusdem ecclesiæ membra uniri debent atque communicare, ita in universali Ecclesiâ à Romano pontifice catholicæ unitatis et communionis centro exoritur, quocum omnes particularium ecclesiarum episcopi cum suis cujusque membris uniantur atque communicent. Hanc quidem compingendæ catholicæ unitatis rationem indicavit Bossuetius in Expositione doctrinæ Ecclesiæ catholicæ, cap. 21, cùm scripsit: « Auctoritatem episcopatûs statuere unitatem « in ecclesiis particularibus, primatum verò « S. Petri esse centrum commune totius uni« tatis catholicæ, » ubi hanc compingendæ unitatis seu communionis catholicæ vim ad primatum refert. Quod hic Bossuetius dicit de S. Petro, *in Defensione declarationis Cleri Gallicani*, lib. 9, c. 32, idipsum affirmat de Romanis pontificibus successoribus S. Petri, idque divinæ Christi institutioni tribuit scribens: « Certum est Romanum pontificem à Deo esse « positum, qui catholicæ societatis commu« nionisque esset vinculum, » ubi *vinculum* pro centro accipitur; et post pauca: « Tesseram « christianæ fraternitatis in Romani pontificis « communione à Christo constitutam, » pronuntiat. Legatur etiam Nicolius, part. 2, in articulum nonum Symboli de Communione sanctorum c. 1, et, si libet, conferatur quoque Dupinus in tractatu de Excommunicatione part. 1, § 3, n. 5, ubi non absimilem unitatis formandæ explicationem ex S. Cypriano derivat. Ita enim ea unius Ecclesiæ definitio ab hoc sancto martyre proposita, epist. 69: « Plebs « sacerdoti suo coadunata, et pastori suo grex « adhærens, » quâ particularium ecclesiarum unitatem in episcopo tanquàm in centro collocavit, eatenùs exprimit, et jure transfertur ad declarandam unitatem totius Ecclesiæ catholicæ, quatenùs Romanus pontifex *Sacerdos* et *Pastor* est, cui omnes particulares ecclesiæ per suos quæque episcopos, *sacerdotum* (ut ait idem Cyprianus) *glutino* coadunantur et cohærescunt. Ex hâc explicatione, quæ sanè verissima est, et sanctorum Patrum traditioni maximè consona, non solùm probè intelligitur quomodò in Ecclesiâ unitas charitatis visibiliter coalescat, sed illud etiam exploratè dignoscitur, cur ea charitatis et communionis unitas cum summo pontifice quibusque catholicæ Ecclesiæ membris necessaria sit. Si enim charitatis et catholicæ communionis unitas, Ecclesiæ visibili omninò necessaria, non aliunde oritur quàm ex unitate et communione omnium universæ Ecclesiæ episcoporum et suarum cujusque plebium cum Romano pontifice, qui idcircò catholicæ unitatis centrum et radix ab omnibus etiam adversariis agnoscitur; procul dubio quicumque catholicam Ecclesiæ unitatem tenere velit, uniri et communicare omninò debet cum eodem summo pontifice, extra quem quæcumque esset paucorum, aut plurium unitas, catholicæ Christi Ecclesiæ unitas non esset. Id quidem sequitur ex institutione Christi, qui, visibilis Ecclesiæ unitati prospecturus, S. Petrum et successores ejus totius Ecclesiæ petram et fundamentum ita posuit, ut non alia sit Christi Ecclesia, nisi quæ huic fundamento incumbit, atque cohæret; unde S. Ambrosius enarrat. in psal. 30, n. 30, considerans illa de Petro: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,* statim intulit: *Ubi ergo Petrus* (idem dicendum de successoribus ejus, in quibus Petrus vivit et præsidet, *ibi Ecclesia:* quibus verbis profectò connexionem et communionem omnium Ecclesiæ membrorum cum eo fundamento necessariam præsumpsit. De hujus ergo unionis necessitate dubitare nemo potest; ac propterea si quis hanc unitatem desereret, is non tam à Romano pontifice sejungi, quàm ipsum fundamentum, quod à Christo suæ Ecclesiæ positum fuit, necnon Ecclesiam ipsam ei fundamento

innixam deserere, et à catholicâ unitate et communione separari convinceretur.

Ex memoratâ verò, quæ institutioni Christi congruit, S. Ambrosii sententiâ : *Ubi ergo Petrus, ibi Ecclesia,* perspicuum fit quodnam sit verum et propriè dictum schisma, quo quis charitatis et communionis catholicæ unitate desertâ, in Ecclesiâ esse desinit. Illud nimirùm est, quo quispiam separatus ab unitate et communione summi pontificis, desciscit ab eo fundamento, in quo Ecclesia Christo instituente superstructa consistit. Licet enim dissensiones et scissuræ, quæ olim inciderunt inter episcopos, latè dici potuerint schismata ; si tamen neutra pars separata fuit ab unitate et communione Romanæ sedis, seu Romanorum pontificum successorum S. Petri, neutra dici potuit separata ab Ecclesiâ catholicâ, quæ ibi est, *ubi Petrus*, seu in unitate et communione Petri ejusque successorum ; et neutra dici potuit in schisma propriè dictum incidisse. Itaque in episcoporum dissensionibus atque scissuris Romani pontificis ratio potissimùm habenda est, ut dignoscatur num et in quâ parte sit propriè dictum schisma. Cùm scilicet inter episcopos et eorum particulares ecclesias ejusmodi scissura intervenit, ut una pars cum Romano antistite unitatem et communionem custodiat, altera non item, tum verum existit schisma, quod à catholicâ unitate eam partem dividit, quæ separatur ab unitate et communione Papæ. Hæc enim pars, deserto eo quod Christus catholicæ communionis centrum, et suæ Ecclesiæ fundamentum instituit, non esset ampliùs in Ecclesiâ quæ in eâ solâ communione, et in eo fundamento ex Christi institutione reperiri potest. E contra verò in partem alteram, quæ cum Romano pontifice unitur atque communicat, et multò minùs in ipsum pontificem, à quo pars aliqua sejuncta sit, schisma verum et proprium, à catholicâ Ecclesiâ et unitate discindens, cadere nequit, cùm ipse ita centrum et fundamentum sit unitatis catholicæ, à quo totius Ecclesiæ unitas pendet, ut à catholicâ unitate et ab Ecclesiâ separari non possit, quin priùs à semetipso separetur ; pars autem huic unita, hâc unione catholicam unitatem certissimè tenet, à quâ dividi nequit, quin priùs ab hoc unitatis centro et fundamento recedat. Hinc in constituto Vigilii jure traditur, eos ab Ecclesiâ non posse abscindi « quos sibi inconvulsè unitos apostolica « judicavit auctoritas : » et è contra Firmilianus, epist. 75 inter Cyprianicas, perperam omninò et per nimium æstum locutus agnoscitur, cùm schismatis notam inussit Stephano Papæ, qui complures episcopos in controversiâ de hæreticorum baptismate communione privâsse credebatur, dùm ait, Stephanum alloquens : « Excidisti enim te ipsum ; noli te « fallere ; siquidem ille est verè schismaticus « qui se à communione ecclesiasticæ unitatis « apostatam fecerit. » Malè prorsùs, malè : nam Papa excommunicatione aliquos plectens, licet quodammodò se ab ipsis separet (1), cùm tamen non se, sed illos abscindat à centro unitatis catholicæ, non se, sed illos *à communione ecclesiasticæ unitatis,* et ab Ecclesiâ præcidit : ac propterea S. Irenæus, qui non eodem quo Firmilianus æstu abripiebatur, contrario prorsùs sensu Asianos, si verè à summo pontifice excommunicarentur ob aliam controversiam de Paschate, ab unitate Ecclesiæ reipsà amputatum iri credidit, cùm Victorem Papam rogavit : « Ne tam multas eccle« sias omninò propter traditionis ex antiquâ « consuetudine inter illos usurpatâ observa« tionem, à corpore universæ Ecclesiæ peni« tùs amputaret, » uti testatur Eusebius lib. 5 Hist. Eccles. c. 24. Hâc quoque de causâ in omni ambiguitate, num quis esset in corpore universalis Ecclesiæ, seu in unitate et communione catholicâ, semper observatum fuit, num cum Romanâ sede communicaret, ut aliquot exemplis patebit referendis cap. 13, ex Aureliano imperatore, ex Satyro, S. Ambrosii fratre, ex imperatore Gratiano, S. Hieronymo, Menna Constantinopolitano, et aliis : ac proinde Italiæ episcopi in consilio Aquileiensi, cui S. Ambrosius præfuit, ex Romanâ sede *jura communionis manare in omnes* professi sunt, eò quòd nulli jus competat communionis catholicæ, nisi cum Romanâ sede unitatem et communionem habeat.

Neque fortè quispiam reponat, cum Romanâ sede unitatem adhuc posse servari, dùm quis

(1) Hâc eâdem ratione exploditur illud non absimile Justiniani in Epist. ad Synodum Constantinopolitanam, tom. 6 Concil. Ven. edit. col. 197, d. ubi Vigilium Papam arguit, ac si *ipse semetipsum alienum catholicæ Ecclesiæ fecerit.... separans semetipsum à vestrâ communione.* Hanc verò Epistolam, quâ idem imperator schismatico planè sensu Vigilium in diptycha inseri vetat, cum cæteris documentis ex codice Joliano insertis in gesta synodi 5, et à Baluzio vulgatis, supposititiam planè esse ostendimus in *Defensione* Dissertationis Norisianæ de Synodo 5, c. 6, tom. 4 Oper. Norisii, col. 1035 et seqq.

separatus est à communione pontificis, si Apostolicæ sedis communionem teneat : Romana enim Apostolica sedes, supra quam Christus fundavit Ecclesiam, quæ idcircò catholicæ unitatis et communionis centrum et origo est, non alia profectò est quàm ipse Romanus pontifex S. Petri successor, ita ut qui cum hoc unitatem et communionem non habet, neque habeat cum Apostolicâ sede. Romanæ scilicet et Apostolicæ sedis privilegia ad primatum pertinentia, ex Constitutis cap. 3, Romani pontificis personalia sunt; ac proinde Romani pontificis persona à Romanâ sede frustra distinguitur, ubi agitur de unitate et communione catholicâ, cujus servandæ causâ Romana sedes, seu Romani pontifices ex primatûs personalis prærogativâ ac jure ejusdem unitatis et communionis centrum instituti fuère. Confer quæ contra ejusmodi distinctionem fusiùs disserentur cap. 14, § 5.

Quid autem pluribus immoror in constituendâ necessitate unitatis et communionis cum Romanâ sede Romanove pontifice, si hâc in re ipsos quoque adversarios confitentes habeo? Nicolius, part. 2 in Symbolum Apostolorum art. 9, de Communione sanctorum c. 1, veluti dogma fidei certum hoc ponit : « Nobis « præterea adhærendum est per communio« nem expressam atque præcipuam cum capite « Ecclesiæ summo pontifice. » Et Claudius Fleury in Catechismo historico lib. 2, part. 2, lect. 9, catholicam Ecclesiam idcircò *Romanam* appellari ait, quia « veræ Ecclesiæ nota est « communio cum sanctâ sede Romanâ, » seu cum Romano pontifice, qui eam sedem tenet. Alia similia aliorum testimonia proferentur cap. 14. Hinc quoque solemnes et frequentissimæ illæ protestationes sunt eorum etiam Gallorum qui auctoritati Apostolicæ novissimis temporibus restiterunt, dùm professi sunt se inviolabiliter « adhærere S. Petri cathedræ uti « communi centro unitatis catholicæ, à quo « nunquàm licet se separare : (*dont il n'est jamais permis de se séparer*) : quæ professio, etsi ab iis prolata, qui à Romanâ sede et antistite Romano maximè dissidebant, inanis professio est, ut alibi videbimus ; cùm tamen edita fuerit, ut schismatis declinaretur suspicio, ex certâ etiam apud ipsos doctrinâ de necessitate unitatis et communionis cum eâdem sede originem ducit. Itaque ad statuendam hujus unitatis necessitatem, quæ ab adversariis conceditur, pluribus opus non est.

Neque verò concedentibus hoc principium dubitationem possunt ingerere quædam personalia facta ex Meletii Antiocheni et Acacii Constantinopolitani schismatibus, in quibus nonnulli, etiamsi actualis communionis cum Romanis pontificibus essent expertes, non solùm tamen æternam salutem consequi, verùm etiam inter sanctos potuerunt referri. Hæc siquidem facta in dubium revocare nequeunt, multò autem minùs destruere principium quod ex catholico dogmate ab ipsis adversariis certum conceditur. Tota difficultas in eo sita est, num et quomodò ejusmodi peculiaria facta cum concesso certoque principio componi et conciliari queant. Ubi verò de factis quibusdam difficilioribus ad certum principium exigendis agitur, omnes circumstantiæ cognoscendæ et expendendæ essent, quarum quædam si lateant, vera quandoque responsio et conciliatio ex ipsis deducenda lateret. Certè verò si conciliatio ex notis circumstantiis producta difficultatem patiatur, non idcircò principium ex dogmate certum repudiandum, aut revocandum erit in dubium. Factum Meletii Antiocheni facilè componitur, si consideres eum excommunicatione propriè dictâ nunquàm fuisse præcisum ab unitate et communione catholicâ , et sedis Apostolicæ, sed ipsi tantùm negatas fuisse à summo pontifice Damaso litteras communionis episcopalis, eò quòd hic pontifex, qui Paulinum Antiochenæ sedis episcopum probaverat, eique tanquàm Antiocheno episcopo litteras communionis episcopalis tradiderat, noluit simul Meletium ejusdem sedis episcopum agnoscere, ne contra Nicænum decretum duo ejusdem urbis episcopi ab Apostolicâ sede probari viderentur. Tempore autem schismatis Acaciani, quo vigente Orientales communione sedis Apostolicæ fuerunt expertes ob nomen Acacii, quod nisi è diptychis deleretur, eos in communionem haud recipiendos Romani pontifices jure merito censuerunt; hujus, inquam, schismatis tempore, nonnullos quidem sanctissimos viros, et in Sanctorum album relatos in Oriente floruisse negari non potest. At hâc in re multis et obscuris facti circumstantiis involutâ, cùm certum est Orientales, statim post Acacii obitum, unitatem et communionem cum sede Apostolicâ uti omninò necessariam quærentes, et à summo pontifice enixè postulantes, hoc ipso facto ejusmodi necessitatem fuisse confessos, uti patebit ex dicendis c. 13 ; tum verò est pariter certum, Sanctos, qui in Oriente per idem tempus Apostolicæ sedis communione

caruerunt, anathemati in Acacium et cæteros cum ipso communicantes lato, nec causam, nec favorem præstitisse, et absque suâ culpâ fuisse impeditos, ne ad actualem unitatem et communionem Apostolicam, quam summoperè expetebant, pervenirent, quod quatenùs ipsorum sanctitati nihilùm obsit, nec generali principio hâc sectione constituto, et ab adversariis concesso præjudicare queat, si vellem explicare, fusior disputatio instituenda esset, quæ cùm principiorum et systematis filum nimiùm abrumpens, in alias quæstiones à proposito alienas distraheret, et ad vindicandum principium aliàs certum atque concessum necessaria non sit, hoc loco omittenda visa est.

Hìc tandem non prætereundum est, quod nonnullos movet ex Asianis episcopis, quos Victor Papa, et ex S. Cypriano, quem Pontifex Stephanus à Romanæ sedis communione abscidisse, et in hâc separatione obiisse præsumunt. Utraque verò hypothesis falsa est. Nam quoàd S. Cyprianum, S. Stephanus Papa in eum quidem et in cæteros ejusdem sententiæ fautores in controversiâ de hæreticorum baptismate excommunicationem minatus est, non tamen actu tulit, ut inter Gallicanos adversariis nequaquàm suspectus probavit P. Coustantius in Dissertatione epistolis Stephani subjectâ § 7, et ego pariter ex Augustino confirmaturus sum c. 13. Asianos verò in quæstione de die paschatis, S. Irenæo agente, vel non excommunicavit Victor Papa, ut Valesius aliique contendunt, vel unitas et communio ita mox fuit restituta, ut *ab eâ* (unitate) *aliquando discessum* fuisse S. Cypriani ætate non recoleretur, quemadmodùm ex Firmiliani litteris collegit laudatus P. Coustantius in Victorem n. 7, ac propterea aliquis Asianus sanctus extra communionem sedis Apostolicæ vità functus falsò præsumitur.

Probatâ itaque necessitate communionis omnium Catholicorum cum Romanæ sedis pontificibus, uti ex catholico dogmate confitendum est, et adversarii quoque catholici adversùs schismaticos et hæreticos fatentur, inquiro latiùs num et quatenùs in duobus schismatibus Meletii Antiocheni et Acacii Constantinopolitani quidam fuerint Apostolicæ communionis expertes, et nihilominùs inter sanctos etiam à Romanis habiti sint et adhuc habeantur. Meletius nimirùm, Antiochenus episcopus, à Romanâ quoque Ecclesiâ sanctorum fastis adscribitur, licet Romanus ejus temporis antistes non cum ipso, sed cum Paulino eidem Ecclesiæ præfecto communicaret; unde Antiochenum schisma, quod multos in partes distraxit, conflatum est, aliis Meletium, aliis Paulinum Antiochenæ sedis episcopum agnoscentibus. In Acaciano porrò schismate, quod Orientis Ecclesias à Romanâ communione sejunxit in annos circiter triginta quinque, inter Orientales sanctos extiterunt S. Macedonius, episcopus Constantinopolis, S. Daniel Stylita, S. Sabas, S. Theodosius Cœnobiarca, S. Elias, episcopus Hierosolymorum, S. Flavianus Antiochenus, et S. Joannes Silentiarius.

Verùm quoad S. Meletium Antiochenum, qui absens ad eam sedem promotus fuit, quæcumque fuerint circumstantiæ electionis ejusmodi, coeuntibus in hanc non solùm Catholicorum, sed Arianorum etiam suffragiis, è quibus postremis timendum erat, ne si ipse huic electioni non acquiesceret, aliquis Arianus ad eam sedem eveheretur, cum maximo periculo catholicæ fidei; certum est eum statim, ut catholicæ doctrinæ prospiceret, publicè professum Nicænam fidem, eamdemque ita forti animo propugnâsse contra Arianam perfidiam, ut hâc de causâ in Arianorum odium incurrerit, ac tria exilia subierit. Exilii autem tempore habita fuit synodus Alexandrina, in quâ editum celebre decretum, ut illi quoque in communionem reciperentur, qui Arianorum communione fuerant polluti, dùm Nicænam fidem profiterentur. Hinc S. Meletius, qui tam apertam Nicænæ fidei professionem etiam exilio confirmatam ediderat, ab omnibus Catholicis in communionem et uti Antiochenus episcopus fuisset receptus cum suis, qui sese jam ab Arianorum communione separaverant, nisi Lucifer Calaritanus, ante ejus decreti notitiam nimiùm præceps, Antiochenæ sedi præfecisset Paulinum, ex quâ ordinatione Orientalis Ecclesia in partes abiit; paucis Paulino, aliis autem pluribus Meletio adhærentibus. Quòd si Romanus pontifex cum Occidentalibus et Ægyptiis Paulinum recepit, non tamen pollutæ communionis, nec ab Ecclesiâ præcisus ab iisdem est habitus S. Meletius, quocum omnes ferè Orientis episcopi communicabant, et in his S. Basilius, S. Gregorius Nazianzenus, S. Gregorius Nyssenus, et alii qui profectò Romanæ sedis communione gaudebant; neque idcircò hi à Romanis pontificibus Apostolicâ communione privati, aut reprehensi, perinde ac si Meletii communione contaminati fuissent. Qui autem cum illis communicat, qui immediatè communicant cum sede Apostolicâ, satis

per hos cum eâdem sede communicat, ut perspicuè colligitur ex illis Optati, quibus Donatistis aiebat, l. 2, c. 6 : « Si inde habetis aliquem unum « (qui communicet cum Ecclesiis Apostolicis); « per unum communicatis et cæteris angelis « (angelorum nomine episcopos ex Apocalypsi « intelligit), et per angelos supra memoratis « Ecclesiis, et per ipsas Ecclesias nobis. » Neque absimiliter S. Hieronymus, epist. 82 ad Theophilum scripsit, n. 11, se satis communicare cum Ecclesiâ Hierosolymitanâ, à cujus actuali communione erat disjunctus, quia communione actuali jungebatur Romanæ Ecclesiæ, ipsique Theophilo, necnon et presbyteris degentibus in viculo Bethlehem, qui cum Joanne Hierosolymorum episcopo immediatè communicabant. « Quod scribit nos per te et Roma« nam Ecclesiam communicare ei, à quâ vi« demur communione separati, non est necesse « ire tam longè. Et hìc in Palæstinâ eodem « modo ei jungimur..... In viculo Bethlehem « presbyteris ejus, quantùm in nobis est, « communione sociamur. » Non ergo defuit S. Meletio omnis cum Romano pontifice unitas atque communio, quæ saltem mediata negari non potest.

Solùm defuit, seu potiùs suspensa fuit communio immediata, sive quòd communionis litteræ immediatè à sede Apostolicâ tradi non possent ad ipsum tanquàm Antiochenum episcopum, cùm datæ fuissent Paulino, nec duobus concedendæ essent, ne contra Nicænum canonem duo ejusdem urbis episcopi probarentur; sive quòd in turbulentissimis ejus temporis circumstantiis, Romanis tanto intervallo discretis, haud satis perspecta esset Meletii fides, quæ falsis suspicionibus à nonnullis impetebatur; unde ob Orientalium rerum apud Occidentales ignorationem, hos Paulino datis litteris communionis, attribuisse episcopatum Antiochenum, frustratos autem *virum Dei admirabilem Meletium*, scripsit S. Basilius epistolâ 349, nunc 244, ad Terentium Comitem : quæ omnia cùm immediatæ communionis impedimentum culpâ ejus vacuum præferunt, tum verò nec ipsi mediatâ saltem communione fruenti, nec sanctitati ipsius pluribus documentis comprobatæ quidquam præjudicii exinde inferri posse patefaciunt.

Cæterùm immediatam quoque Romanæ sedis communionem eidem aliquando concessam dubitandum non est, siquidem cùm Paulino, qui eâ immediatè fruebatur, pacem abs se sedulò quæsitam et æquis conditionibus oblatam conciliavit, ut Socrates et Sozomenus testantur. Hâc sanè conciliatione in Occidentem allatâ, acceptisque utriusque partis, Meletii scilicet et Paulini, litteris, Occidentales episcopi congregati in Aquileiensi concilio anno 381, S. Ambrosio præside, Theodosium imperatorem pro utrâque parte rogârunt, perinde ac si utraque in communione catholicâ existeret : certè verò Meletium Romanæ sedis communione haudquaquàm privatum non solùm illud adstruit, quòd, cùm in disputatione quâdam communio cum Romano pontifice probanda esset, Damaso se adhærere Meletius professus est, ut liquet ex Hieronymi epistolâ 16 ad eumdem Damasum; idque ita probavit, ut Sapores ab imperatore missus, controversas Ecclesias eidem adjudicaverit Theodoreto teste; verùm etiam, imò multò apertiùs adstruit illud (ut Tillemontius fatetur) quòd plures Meletii litteræ (in Meletio, art. 9) in Occidentem missæ, rejectæ ab Occidentalibus non fuêre, uti rejecissent procul dubio ex veteri constantique eorum temporum disciplinâ, si eum à catholicâ et Romanâ communione avulsum judicâssent. Quòd si qua difficultas circa Meletii fidem falsis rumoribus disseminata immediatam communionem aliquandiù suspendit, ea satis disjecta atque sublata fuit ex gestis in Antiochenâ synodo anni 379, ubi Meletius primus omnium recepit subsignavitque litteras synodi Romanæ antea allatas in Orientem à Sabino, Mediolanensis Ecclesiæ diacono, et recentiora decreta Damasi missa per Dorotheum presbyterum, quæ errores ejus temporis expressè proscribunt. Hæc quidem Antiochenæ synodi gesta exhiberi in documento edito è codice, quem vidit Holstenius, et recuso in editione Venetâ Conciliorum P. Labbei tom. 2 col. 1043, ubi primùm illa epistola, tum ista decreta, seu decretorum fragmenta, ac tandem Meletii et aliorum episcoporum Orientalium subscriptiones afferuntur cum hâc clausulâ : *Explicit synodus Romana et Antiochensis,* satis probâsse nobis videmur in Tractatu de antiquis collectionibus canonum part. 2, c. 9, in quo manuscriptam collectionem Veronensem eadem gesta continentem, et cum Holsteniano codice concinentem descripsimus. Hæc porrò gesta et subscriptiones, quæ *tomi* nomine laudantur à Patribus Constantinopolitanæ synodi anni 382, can. 5, et in eorumdem Patrum epistolâ ad Damasum (ut ibidem animadvertimus), ad ipsum pontificem à Meletio et cæteris Antiocheni concilii Patribus missâ, omnem circa

fidem ejus suspicionem deterserunt, ac propterea adeò fuerunt suscepta, ut in scriniis Romanæ Ecclesiæ authenticum eorum exemplum repositum et custoditum fuerit, quod immediatæ communionis argumentum est. Nihil ergo obest, quin tantum episcopum de catholicâ fide, pro quâ ter in exilium missus fuit, optimè meritum, et ob eximias virtutes à sanctissimis viris Basilio, utroque Gregorio Nazianzeno et Nysseno, Joanne Chrysostomo, aliisque maximis laudibus celebratum inter sanctos confessores non solùm Græca, sed Latina etiam recensuerit Ecclesia.

Difficultas autem in Acaciano schismate major videtur quoad eos sanctos, qui ejus schismatis tempore in Oriente floruerunt. Quam ut faciliùs disjiciamus, quædam principia præstituenda videntur. Schisma propriè dictum, uti monuimus supra illud est quo quis ab unitate Ecclesiæ catholicæ, ejusque centro Romano pontifice sponte suâ se separat, ut perspicuè docuit S. Thomas 2-2, q. 39, a. 1 : « Propriè « schismatici dicuntur, qui propriâ sponte et « intentione se ab unitate Ecclesiæ separant... « Ecclesiæ autem unitas in duobus attenditur: « scilicet in connexione membrorum ad invi- « cem, seu communicatione, et iterùm in or- « dine omnium membrorum ad unum caput... « Hoc autem caput est ipse Christus, cujus « vicem in Ecclesiâ gerit summus pontifex ; et « ideò schismatici dicuntur, qui subesse re- « nuunt summo pontifici, et qui membris Ec- « clesiæ ei subjectis communicare recusant. » Quòd si quis non se separavit ab unitate Ecclesiæ, nec à communione summi pontificis membrorumque Ecclesiæ summo pontifici adhærentium, sed vel præcisus fuit ab unitate Ecclesiæ et communione capitis ac membrorum ejusdem Ecclesiæ per excommunicationis sententiam, vel iis in locis et circumstantiis est, in quibus summus pontifex communionem aliquâ de causâ ipse denegat, tunc distinguendum est. Vel enim sic præcisus ab unitate et communione, nihil curat ut in unitatem et communionem recipiatur : et ita separationem ex propriâ contumaciâ approbans, schisma implicitè vult, et veluti schismaticus jure habendus erit, uti apertè inter cæteros fatetur Nicolius lib. 2 de Unitate c. 10, his verbis : « Desiderium unionis actualis cum toto corpore « essentiale et necessarium est, adeò ut Chri- « sti fidelis, quantùmvis esset injustè excom- « municatus, schismaticus fieret ex eo quòd « non adhiberet, nec quæreret omnia media « possibilia ac justa, quibus in unitatem Ecclesiæ « rediret. » Vel unitatem et communionem quibuscumque rebus quærit, nec obtinere potest, eò quòd aliquod impedimentum obsistat : et tunc iterùm est distinguendum : vel enim impedimentum, quod interponitur, ne ad communionem et unitatem, quam expetit, recipiatur, ob culpam ejus non tollitur; et tunc non excusatur voluntatique et contumaciæ ejus, quâ impedimentum tollere abnuit, tribuenda erit separatio, quæ idcircò schismatis malitiam involvet. Secùs autem dicendum, si interjectum impedimentum ipsius culpâ careat, nec ejus culpâ fiat, quo minùs tollatur. Præclarum hâc in re illud Augustini in libro de verâ Religione, n. 11 : « Sæpè etiam « sinit divina Providentia, per nonnullas ni- « miùm turbulentas carnalium hominum sedi- « tiones, expelli de congregatione christianâ « etiam bonos viros. Quam contumeliam, vel « injuriam suam cùm patientissimè pro Eccle- « siæ pace tulerint, neque ullas novitates, vel « schismatis vel hæresis moliti fuerint, doce- « bunt homines quàm vero affectu, et quantâ « sinceritate charitatis Deo serviendum sit. « Talium ergo virorum propositum est, aut « sedatis remeare turbinibus ; aut, si id non « sinantur, vel eâdem tempestate perseverante, « vel ne suo reditu talis, aut sævior oriatur, « tenent voluntatem consulendi etiam eis ipsis « quorum motibus perturbationibusque cesse- « runt, sine ullâ conventiculorum segrega- « tione usque ad mortem defendentes, et « testimonio juvantes eam fidem quam in « Ecclesiâ catholicâ prædicari sciunt. Hos « coronat in occulto Pater, in occulto videns. « Rarum hoc videtur genus ; sed tamen exem- « pla non desunt ; imò plura sunt quàm credi « potest. » Justi ergo et sancti esse possunt, ita ut à Deo coronentur, qui sine proprio reatu, à communione et unitate Ecclesiæ præcisi, recipi expetunt atque contendunt, sed aliunde impediuntur. Hìc vel maximè locum habet illa ejusdem Augustini ratio epist. 78, n. 4 : Quid enim obest homini, quòd ex illâ tabulâ (nimirùm è sacris diptychis, è quibus delebantur excommunicatorum nomina) non vult eum recitare humana ignorantia, si de libro viventium non eum delet iniqua conscientia ?

Neque verò ex his colligas actualem communionem et unitatem externam cum Ecclesiæ corpore ejusque visibili capite Romano pontifice, ad salutem non esse penitùs necessariam. Est enim actu necessaria Ecclesiæ visibili, ut inter varias societates Ecclesiæ nomen præfe-

rentes discernatur, quænam sit vera Christi Ecclesia, uti modò supra statuimus. Quod autem Ecclesiæ visibili necessarium est actu, singulis quoque ejus membris, quoad fieri potest, actu est ad salutem necessarium, adeò ut cuique nitendum sit, ut eam communionem actu teneat. At si quis iis in circumstantiis versetur, in quibus, etsi maximè velit, ab eâ communione actuali non suâ culpâ, sed aliunde impediatur; ipsi, quoad duret ejusmodi impedimentum, ad salutem actu necessaria non est. Idem scilicet dicendum de communionis actualis necessitate ac de baptismo actuali. Hoc omnes Catholici actu necessarium fatentur, ut quis sit in corpore Ecclesiæ. At impeditis ab eo percipiendo, actu non est ad salutem necessarium, « cùm ministerium baptismi, non « contemptus religionis, sed articulus necessi- « tatis excludit, » ut Augustinus tradidit lib. 4 de Bapt. c. 22, cui concinit S. Bernardus in tractatu de Baptismo ad Hugonem de S. Victore c. 2. Hinc catechumenus, seu quicumque alius, qui baptizari desideret, sed impotentiâ vel impossibilitate prohibeatur, cætera autem ad salutem necessaria non desint, eo in voto decedens salutem consequetur. Idem accidet etiam præcisis ab unitate et communione Ecclesiæ, si ad eam omnibus modis contendant, et in cæteris rectè sese gerentes aliunde impediantur. Utrique nimirùm unitatem et communionem Ecclesiæ, quâ actu carent, affectu tenent; et quamvis non sint in visibili unitate et corpore Ecclesiæ, unitate tamen spiritûs sunt intùs in ipsâ Ecclesiâ, cui voto et charitate adhærent; unde Augustinus de probis viris atque spiritualibus absque ipsorum vitio ab Ecclesiâ præcisis scripsit lib. 1 de Bapt. c. 17 : « Spirituales autem, sive ad hoc ipsum « pio studio proficiscentes, non sunt foràs, « quia et cùm aliquâ vel perversitate, vel ne- « cessitate hominum videntur expelli, ibi ma- « gis probantur, quàm si intùs permaneant; « cùm adversùs Ecclesiam nullatenùs erigun- « tur, sed in solidâ unitatis petrâ fortissimo « charitatis robore radicantur. » Qui hanc unitatem spiritûs habet, unitatem quoque actualem cum Ecclesiæ corpore et capite quærere omni nisu debet, ut Nicolius loco laudato tradidit. « Nam essentiale est spiritui unitatis « catholicæ ad actualem unitatem et commu- « nionem, quæ est naturalis status corporis « Ecclesiæ, tendere, » ita scilicèt ut per hominem non stet ne actu fiat. Sola impossibilitas, seu impedimentum, quod absque hominis culpâ aliunde obsistat, eum poterit excusare, et saluti ejus, dùm adsint cætera, nihil præjudicii afferre.

Videant ergo quàm perperam sese nonnulli purgare eo nomine existiment, quòd à communione sedis Apostolicæ non se separârint, sed ab ipsâ sede separati fuerint, dùm hæc separatio ex eorum culpâ originem duxit, et pertinacia ipsorum in causâ est, ne in communionem recipiantur. Hâc eâdem ratione se à schismate defendere conati sunt plures recentiores hæretici, sicut olim eâdem de causâ sese studuerunt purgare inter cæteros antiquos hæreticos Montanistæ, cùm se non exîsse de Ecclesiâ, sed ab eâ invitos fuisse exclusos atque communione privatos, et exinde satis tutos præferebant, ut probat cardinalis Ursius in dissertatione Apologeticâ pro SS. Perpetuâ et Felicitate c. 2, § 7. Quæ excusatio si non probatur ab adversariis catholicis, dùm pro vindicandâ illorum separatione ab Ecclesiâ affertur; quomodò eamdem probare poterunt, dùm adducitur ob excusandam separationem à sede Apostolicâ per excommunicationis sententiam, quæ, dùm sejungit ab unitate et communione ejus sedis, quæ catholicæ Ecclesiæ est fundamentum, ab unitate et communione ipsius Ecclesiæ, ei fundamento incumbenti, uno eodemque ictu præcidit? Confer quæ in hanc rem luculenter protulit illustrissimus Fenelonius, archiepiscopus Cameracensis, in Instructione pastorali diei 25 junii anni 1714.

His præmissis, ad schisma Acacii, episcopi Constantinopolitani, accedamus. In eum qui ob communionem cum Petro Mongo hæreseos notato, nec satis purgato in ejusdem hæreseos suspicionem venerat, anathema à Romanâ synodo publicè latum fuerat; ipse verò hoc facto indignatus, Romanum pontificem è diptychis expungens, sese quoque ab ejus communione sejunxerat, et apertum schisma confecerat. Quæstio autem præsens non circa personam Acacii versatur, sed circa quosdam eo in schismate implicitos, ac primò circa Euphemium et S. Macedonium, qui Acacio in eâdem sede successêre. Hi porrò non foverunt ipsum schisma, sed potiùs omni nisu conati sunt ut Apostolicæ sedis communionem jamdiu vivente Acacio interceptam revocarent. Annuissent votis Romanæ sedis antistites : at quominùs id facerent, in causâ fuit nomen Acacii, quod è sacris diptychis expungendum judicabant. Ne autem illi ipsum expungerent, non ea ratio fuit quòd nutarent in fide, pro

quâ ambo ita dimicârunt egregiè, ut hostibus ejus sese objecerint apertè, et in exilium pro câdem pulsi, præclarè ibidem obierint: sed aliæ fuerunt causæ, quæ pro ejus temporis et loci circumstantiis satis æquæ iisdem videbantur. Inter multiplicia fidei dissidia, quæ totum Orientem discindebant atque turbabant, delere è diptychis Constantinopolitanæ Ecclesiæ nomen Acacii videbatur dissidium non leve dissidiis addere non sine gravi periculo fidei. Populus enim, Acacii nomen audire solitus, si deleretur, offensus, graves tumultus et scandala excitaturus credebatur: quæ scandala subindicat imperator Anastasius in litteris ad Hormisdam pontificem, eisdemque scandalis ipse imperator Acacii amantissimus favorem præstiturus fuisse videtur. Notæ sunt turbæ pares in Asiâ aliisque provinciis excitatæ, cùm aliquot annos post de expungendis aliis episcopis Acacii quondam communicatoribus ageretur, « apud quos, inquit Epiphanius ad « eumdem Hormisdam, nomina quorumdam sa« cerdotùm suorum tacere difficile et impos« sibile esse videtur, tantaque eorum obstina« tio est, ut omne periculum pro tali facto « parati sint sustinere. » Idipsum testatur etiam Justinus imperator earumdem provinciarum, memorans « clericos et populos omnibus « pertentatos minis et persuasionibus, qui ta« men nequaquàm flexi sunt, ut tollant an« tistitum et repellant nomina, quorum apud « eos opinio floruit; sed morte vitam duriorem « æstiment, si mortuos condemnaverint, quo« rum gloriabantur vitâ superstitum. » Idem Constantinopoli quoque timendum erat, ut ipse Justinus suggerit; multò autem magis initio erat timendum, cùm Anastasius imperator Acacii memoriæ patrocinaretur. Has porrò turbas ab hæreticarum partium episcopis atque patronis in fidei detrimentum conversum iri Catholici præsentiebant. Tantum autem malum ut isti impedirent, dissimulandum interim censuerunt nomen Acacii, et commodius tempus expectandum, nec Romanæ sedis præceptum hisce in angustiis et cum tanto fidei præsertim atque animarum periculo cogere judicârunt. Id consilii eruitur ex Orientalium episcoporum Epistolâ ad Symmachum, ubi communionis restitutionem implorantes, eam dissimulandi nominis Acacii causam afferunt, ne, si contra nitantur episcopi catholici, ejiciantur, vel cogantur creditas sibi Ecclesias deserere, sicque « in loca... hæretici ingre« dientes, lupi discerpant oves... Putas isti « amore vitæ hoc faciant, an amore anima« rum? »

Hæc quidem ratio haud satis probata Romanæ sedi, quæ sub hoc velamine simulationem et hæresim latere suspicabatur, ut apparet ex Hormisdæ epistolâ 32. At cùm hæc simulationis et hæreseos suspicio reipsà à veritate abhorreret, propterea quòd Euphemius et Macedonius non simulatè, sed ex animo profitebantur fidem catholicam, pro cujus confessione ac defensione exilium etiam subierunt, Acacii autem nomen in diptychis dissimulandum crederent fidei et charitatis causâ, quam explicavimus, quis non videat eos in hisce circumstantiis potuisse credere se coram Deo excusatos à delendo nomine Acacii? Id sanè ipsi etiam Romano pontifici Anastasio fuisse perspectum videri potest,[si modò vera sunt, quæ de eodem tradit Bibliothecarius. In eo enim ipsum fuisse tradit, ut, retento licet Acacii nomine, communicatorias litteras ad CP episcopum mitteret. Istud autem ne fieret, Romani cleri dissensio effecit, quam idem Bibliothecarius indicat. Romanis scilicet animo insederat, reum fuisse Acacium, ac propterea indignum qui in diptychis legeretur; eos verò, qui ipsius nomen retinendum contenderent, dubiam fidem præferre, vel saltem magnum inferre præjudicium fidei, quæ ex Acacii nomine non leve ab Eutychianis detrimentum captura credebatur. Hæ autem causæ, etsi satis justæ pro Romanâ sede habendæ sunt, ne quis ejus œconomiam atque constantiam, quæ cursu temporis expungendum obtinuit nomen Acacii, nimiæ severitatis, aut vitii coarguat, non tamen impediunt quominùs Acacii successores, qui rectam fidem tenebant, et propugnabant etiam acerrimè, præsentius ac majus fidei et animarum periculum in delendo, quàm in dissimulando ejus nomine ex circumstantiis sibi cognitis timere, ac proinde se fortiori præcepto adstrictos judicare potuerint, ut ne Apostolicæ sedis præcepto aliis præsumptionibus nixo obligarentur.

Hâc verò in hypothesi, quis interjectum restituendæ communionis impedimentum in Euphemii et Macedonii culpam (1) rejiciat, vel

(1) Euphemius et Macedonius, quibus nullâ propriâ culpâ præcisis ab unitate, suspensa fuit communio Apostolica ob nomen Acacii, non multùm distare videntur ab iis quibus sine propriâ culpâ existentibus in loco interdicto vetitum est sacra ibidem facere et ministrare, vel etiam ab iis, quibus per se haud excommunicatis interdicta est cum excommu-

saltem in talem culpam, quæ nec exilio, quod pro fide catholicâ ad mortem usque fortiter perpessi sunt, purgari potuerit? Si qua nimirùm culpa in ipsis admittenda sit (quæcumque illa fuisse credatur) eò quòd dissimulaverint in diptychis nomen Acacii, dùm Constantinopolitanæ sedi præfuerunt; nulla certè nova culpa ex eo nomine ipsis tribui potest, cùm ab eâ sede pulsi, expungere ipsum ampliùs non poterant. In exilio autem, quod pro Chalcedonensi concilio subierunt, cùm liberi ab episcopalibus curis atque periculis, in sanctis operibus vitam transigentes anterioribus maculis abstergendis operam dederint; quis non videat, ipsos deletâ eâ, si qua fuerit, vel quæcumque fuisse credatur culpa, sanctitatem potuisse colere, et ad æternam gloriam pervenire? Hâc sanè ratione S. Hormisda summus pontifex disparem multò cognovit ab Acacii causâ successorum ejus causam, quippe quòd *propter confessionem Chalcedonensis synodi aliqui eorum* (nempe Euphemius et Macedonius) *fuerint exilio deportati.*

Hâc quoque de causâ inter sanctos relati sunt etiam Flavianus secundus episcopus Antiochenus, et Elias Hierosolymorum episcopus, licet non solùm communicaverint cum Euphemio et Macedonio Romanâ communione carentibus ob nomen Acacii, verùm etiam aliis quibusdam maculis tradantur aspersi gravioribus procul dubio, quàm dissimulatio nominis Acacii, cùm iidem ferantur se aliquando non ita fortes præstitisse in vindicandâ synodo Chalcedonensi, reprimendisque inimicorum ejus conatibus, uti sese constantes exhibuerunt Euphemius et Macedonius. Etsi verò has graviores maculas præsertim quoad S. Eliam imposturæ tribuendas non immeritò existimem; communionis verò litteræ Euphemio ac Macedonio ab iisdem traditæ fuerint, propterea quòd eos in vindicandâ fide synodi Chalcedonensis fortes deprehenderint, timendumque esset, ne, si eas non darent, inimici laudatæ nicatis communio. Nihilo tamen minùs si spiritualis, vel etiam corporalis justa necessitas, jure quoque canonum approbante, à culpâ eximere aliquando potest celebrantes vel in loco interdicto, vel præsente, et non expulso excommunicato aliàs vitando, dùm id non vergat in grave scandalum, aut in ecclesiasticæ auctoritatis, seu Religionis contemptum; nonne illæ causæ scandalorum et periculi animarum ac fidei, ob quas Euphemius et Macedonius dissimulandum crediderunt in diptychis nomen Acacii, excusare ipsos poterant, dùm vacarent episcopalibus officiis?

synodi à Catholicis Orientalibus haberentur, ut de S. Eliâ colligitur ex S. Sabæ Vitâ; certum tamen creditur hos ob communionem (quæcumque fuerit) cum Euphemio et Macedonio, Romanæ sedis communione caruisse. Quidquid autem fuit, aut fuisse præsumatur in ipsis maculæ, delevit saltem exilium, quod fidei causâ pertulerunt, cujus quidem gratiâ eorum memoria commendatur in Romano Martyrologio his verbis die quartâ Julii: « Natalis sanctorum Flaviani secundi episcopi Antiocheni, et Eliæ episcopi Hierosolymorum, qui pro synodo Chalcedonensi ab Anastasio imperatore in exilium acti, victores migrârunt ad Dominum. » Licet verò obierint eo tempore, quo Romanæ sedis communione Orientalibus nondùm restitutâ, expertes creduntur actuali ejusdem sedis communione, à quâ consequendâ non proprio vitio, sed aliunde fuerunt prohibiti; communionem tamen et unitatem spiritûs constanter retinuerunt, et ornârunt sanctitate vitæ, quam cùm Deus miraculis notam fecerit, in Sanctorum album ab Occidentali et Romanâ etiam Ecclesiâ relati fuerunt. Hæc ad vindicandos Euphemium et S. Macedonium Constantinopolitanos, S. Eliam Hierosolymitanum, et S. Flavianum secundum Antiochenum sufficiunt.

Faciliores sunt cæterorum sanctorum vindiciæ, nimirùm S. Danielis Stylitæ, S. Sabæ, S. Theodosii Cœnobiarchæ, et S. Joannis Silentiarii. S. Daniel, qui supra columnam sanctissimè vitam exegit, et pro catholicâ fide plura certamina subiit, communicaverit necne aliquando cum Constantinopolitanis episcopis post invectum schisma, ex Vitâ ejus aliisque documentis non liquet, uti Tillemontius fateri coactus fuit in S. Daniele pag. 449. Conjectura autem ex eo ducta, quòd Euphemius, cùm de supremo ejus agone audivit, ad ipsum cum aliis accessit, ut interesset ejus morti, nihil evincit. Is enim eò pervenisse videtur, postquàm idem sanctus spiritum Deo reddiderat. Quòd si ipsum accessisse credas ante ejus mortem, num cum eodem communicâsse dici potest S. Daniel, qui supremum spiritum agens illum præsentem habuit, non abs se accitum, sed suâ sponte ac famâ ejus sanctitatis impulsum? Quoad funus ac sepulturam idem Sanctus caverat, ne imperatoris aut alius cujusquam munera reciperentur eo fortè consilio, ut contaminatæ communionis oblationes excluderet; sed omnia Rais insignis pietatis feminæ dispositioni curæque commisit. Num verò si

quid egit Euphemius, cùm funus prosecutus, sacrum corpus suis manibus deposuit, Daniele consentiente factum dici potest?

Porrò sancti Sabas, Theodosius Cœnobiarcha, et Joannes Silentiarius, in quorum potestate non erat delere è diptychis nomen Acacii, non communicârunt cum episcopis Constantinopolitanis schismatis tempore, sed cum Eliâ Hierosolymitano, qui ad Euphemium et Macedonium communicatorias litteras dederat ob eam fidei causam, quam ex S. Sabæ vitâ indicavimus; cum Eliâ, inquam, sui cœnobii episcopo communicârunt ob causas fidei utiles vel necessarias, quæ sanctitati nihil officiunt. Cùm porrò iidem omnes post conciliatam cum Romanâ sede communionem diutiùs sanctissimè vixerint, supremumque diem clauserint; hæc exempla nihil conferunt, ut probetur, etiam extra communionem Romanæ sedis, Romanorumque pontificum, posse quempiam Sanctorum albo adscribi, ac proinde illam non esse necessariam ad consequendam salutem. Illud autem ex dictis hactenùs patere existimo, hanc actualem communionem per se necessariam esse, rarissimis casibus tantùm exceptis, in quibus aliquis eamdem omnibus studiis quæsitam, si absque suâ culpâ ab eâ actu obtinendâ aliunde impediatur, spiritu teneat, ut de excommunicatis ex falsi criminis præsumptione, vel etiam de catechumenis à baptismo percipiendo impeditis traditur : qui rarissimi casus ad eos frequentiores traduci non debent, ubi non exterior causa, sed propria voluntas, et refractaria inobedientia, vel alia culpa impedimentum apponat. Cæterùm sicut rarissimorum casuum exceptio, in quibus aliqui sine proprio vitio impediantur à percipiendo baptismate, non destruit generale principium de necessitate baptismatis; ita exceptio pariter rarissimorum casuum, in quibus nonnulli citra proprium crimen fuerunt aliunde impediti ab obtinendâ actuali communione Romanorum pontificum sedisque Apostolicæ, generale principium de ejusdem communionis necessitate etiam ab adversariis assertâ haudquaquàm evertit, imò potiùs aliquâ ratione confirmat, juxta illud vulgatum : *Exceptio firmat regulam in contrarium.*

Antequàm huic sectioni finem impono, haud prætermittendam arbitror Nicolii sententiam, de Unitate Eccles. lib. 2, c. 10, quâ Acacianos eo nomine excusare nititur, quòd excommunicatio papæ in Acacium et communicatores ejus lata, ab Ecclesiæ corpore probata non fuerit. Justam quidem Romanæ sedi fuisse causam fatetur excommunicandi Acacium : at cùm tam multi Orientales, qui sese ab ejus communione non separârunt, magna fuerint Orientalis Ecclesiæ pars, hos, quibus haud probatam fuisse putat pontificiam sententiam, Ecclesiæ nomine videtur intellexisse, ita ut iidem communicantes invicem, nihilùm obstante eâdem sententiâ, in Ecclesiæ corpore et unitate perstiterint. Nihil excogitari absurdius potuit. Hâc enim in sententiâ vel excommunicatio Pontificis in Acacium ejusque participes lata, eò quòd ab Ecclesiæ corpore probata non fuisse credatur, irrita ab initio præsumenda est, antequàm constaret de Ecclesiæ approbatione atque consensu, vel non. Qui primum velit, is fateri debet, omnem excommunicationem etiam justam manere suspensam, atque tamdiù vim non habere, quandiù ab Ecclesiæ corpore recepta et probata non sit; si enim ante probationem Ecclesiæ valeat, et excommunicatum ab Ecclesiæ corpore actu præcidat, nihil est, cur ad vim ejus Ecclesiæ approbatio requiratur. Ita quidem aliquatenùs sentire videtur idem Nicolius, opere citato, cùm haudquaquàm dubitandum esse ait de excommunicationibus sive à Romano pontifice, sive à particulari synodo, sive ab episcopo latis : « Quando hæc « judicia... deinceps à totâ Ecclesiâ probata et « recepta fuerunt, » hâc ratione subjectâ : « Nam hoc in casu non solus papa, nec solum « concilium, aut episcopus particularis ille est, « qui separat ab Ecclesiâ, quos excommunicat; « sed integrum corpus Ecclesiæ separat, et « excommunicatio ejusmodi totius corporis « auctoritate nititur. » Aliter verò sentiendum esse ait de excommunicationibus, quando alii episcopi aliæque Ecclesiæ iis non consentiunt; has enim si non omninò irritas affirmat, certè in dubium vocat : *Hæ excommunicationes haud habitæ sunt tanquàm certæ et indubitabiles.* Id autem præter quàm quòd ad eludendas excommunicationes etiam justissimas ipsis quoque hæreticis facilem aditum aperit, ab Ecclesiæ mente et praxi quàm sit alienum, perfacilè agnoscitur; excommunicationes enim statim ac latæ sunt, ab Ecclesiæ corpore excommunicatum separare, semper judicatum fuit à Catholicis, ut ne Ecclesiæ consensus sit expectandus. Solùm cùm ab inferiori judice feruntur, si judici superiori non probentur, rescindi possunt; non autem latæ ab initio suspenduntur, quoad Ecclesiæ consensus accedat. Imò nec per subsequentem appellationem

suspenduntur, si vel injustæ sint, sed superiori judici per causæ cognitionem rescindendæ reservantur. Enimverò duplici tantùm ex capite dubitari potest de excommunicationum valore, scilicet ex potestatis, seu jurisdictionis, vel ex materiei seu causæ defectu. Non valet excommunicatio, si potestas non sit legitima, aut jurisdictio aliquâ ex parte (ex. gr., per reservationem) sit impedita. At si potestas legitima sit, et jurisdictio non sit impedita, nullus dubitat de excommunicationis valore, etiamsi fortassis in causâ vel materiâ defectus aliquis subsit : unde ratæ habentur excommunicationes ab inferiori quoque judice per errorem latæ injustâ de causâ, nisi error intolerabilis sit (hoc enim casu ejus potestas, seu jurisdictio ipso jure disponente impeditur), uti palam præsumitur in can. *Per tuas,* de Sent. excom. Sic, ex. gr., verè ab Ecclesiæ corpore abscisi traduntur can. *Inquisitione,* eodem tit., qui idcircò excommunicantur, quòd debitum noluerunt reddere ob impedimentum dirimens sibi exploratum, quod tamen in foro externo probare non potuerunt; et similiter S. Augustinus in libro de verâ Religione c. 6, injustè quidem per seditionem atque calumniam, at validè expulsos notavit de *congregatione christianâ* etiam bonos viros, quos proinde ipse Nicolius loco citato ab Ecclesiæ corpore actu separatos concordi *totius mundi* sententiâ fatetur. Ad dignoscendum itaque excommunicationum valorem, quas legitimæ potestates non impeditæ ferunt, Ecclesiæ approbatio non est expectanda, nemoque ex probatis auctoribus invenietur, qui id uspiam docuerit. Novum hoc inventum est, quo eluderetur summorum pontificum auctoritas, quæ per omnes est legitima, et cùm sit divini juris, impedita à quopiam dici nequit, nisi primatus ipse divini juris impediri posse dicatur.

Quòd si rata ab initio fuit Apostolicæ sedis sententia in Acacium et participes seu communicatores ejus; num si quæ Ecclesiæ ipsam postea non approbâssent, ex ratâ irritam reddidissent? Fieri quidem potest ut aliquæ Ecclesiæ excommunicatos à sede Apostolicâ in communionem recipiant; quod tamen antiquissimis etiam canonibus adversatur, quibus cautum erat, ne quis ab uno excommunicatus, ab aliis in communionem reciperetur. Vide inter cæteros canonem quintum Nicænum. At ex concessâ ab aliis communione excommunicatis à sede Apostolicâ, non idcircò hujus sedis sententia fuisset sublata, nec ipsius communio invito pontifice illis fuisset restituta. Orientales quidem ipsi orthodoxi, qui non expunxerunt nomen Acacii, licet aliarum Ecclesiarum Orientis communione fruerentur, sententiam tamen Romani pontificis latam in Acacium et communicatores ejus, quâ se quoque noverunt comprehensos ob Acacii nomen è diptychis non expunctum, ita habuerunt validam, ut se ab Apostolicæ sedis communione separatos agnoscentes, in eamdem communionem restitui multis precibus contenderint (vide Epist. Orientalium ad Symmachum post ejus epist. 8); quod profectò non fecissent, si eam, ob defectum approbationis Ecclesiarum Orientalium, irritam et effectu vacuam judicâssent. Idipsum quoque satis fateri videtur laudatus Nicolius, cùm separationem Romanæ Ecclesiæ ab Ecclesiis Orientis omnimodam, et ejusmodi fuisse loco allegato affirmet, ut ne unam quidem inter has invenire liceat, quæ cum utrâque parte communicaret; ac præterea in iis quos vindicare studuit, sincerum agnoscat communionis recuperandæ desiderium, quod satis per se eam actu jam ademptam confirmat. Neque verò ii qui à Romanâ sede actu separati, cùm tam multis episcopis et Ecclesiis totius Orientis communicabant, communicâsse dici possunt cum Ecclesiâ catholicâ, et in ejusdem Ecclesiæ unitate perstitisse, nisi Ecclesiæ catholicæ nomen tribuatur iis qui à Romanæ sedis communione erant sejuncti; cùm Ecclesia catholica ex Christi institutione alia non sit, nisi quæ cum papâ communicat, qui catholicæ communionis radix et centrum ab ipsis adversariis agnoscitur. Adde etiam quòd, cùm non negetur, nec negari ab iisdem adversariis possit Ecclesiæ catholicæ nomen illis competere, qui cum Romanæ Apostolicæ sedis summo pontifice communicant, statueretur hâc ratione duplex Ecclesiæ corpus, aliud quod cum papâ communicabat, aliud quod à papæ communione erat segregatum; et ita statueretur duplex Christi Ecclesia, quo absurdius dici nihil potest adversùs certissimam Ecclesiæ traditionem, quæ Ecclesiæ nomine nonnisi unicam unius communionis societatem semper accepit, ut ipse Nicolius statuit lib. 1 de Unit. Eccles. c. 5 et sequentibus. Hæc itaque opinatio veram Christi Ecclesiam statuens extra petram à Christo positam, et extra communionem non solùm immediatam, verùm etiam mediatam cum Romanâ sede Romanove pontifice totius unitatis catholicæ centro collocans, nulli Catholicorum probari poterit; verendumque est maximè ne hâc

eâdem ratione hæretici atque schismatici similiter abutantur, ut suos quoque cœtus à nobis separatos per anathemata, quæ ab ipsis non approbantur, veram Christi Ecclesiam esse, et in ipsis adhuc non minùs, quàm in nobis Romanâ communione fruentibus, veram catholicam communionem reperiri contendant. Hâc igitur sententiâ eliminatâ, quorumdam sanctorum qui tempore Acaciani schismatis floruerunt in Oriente, vindiciæ aliâ prorsùs viâ ineundæ sunt, quam satis probabiliter indicatam hucusque dictis existimo, ut ne tamen negem aliam fortè probabiliorem et veriorem quoad nonnullos sanctos afferri potuisse, si omnes nunc obscuræ facti circumstantiæ paterent.

§ 2. *Necessitas unitatis fidei cum fide Romanæ sedis, seu Romanorum pontificum ex præstitutâ necessitate unitatis communionis et charitatis cum iisdem colligitur.*

In eâ parte, quæ charitatis et communionis unitatem cum Romano pontifice necessariam statuit, adversarii facilè acquiescunt, cùm vel ipsi alicujus unitatis necessitatem adstruere debeant cum eo, quem catholicæ unitatis centrum fatentur, et magnificè prædicant, nec minor admitti unitas possit, quàm quæ charitatis et communionis unitas appellatur. At de necessitate unitatis fidei non levis forsitan quæstio ab ipsis movebitur. Itaque hæc mihi pluribus constituenda est. Huc sequentia capita dirigentur. Hâc autem in sectione ex hactenùs probatâ, ipsorumque adversariorum doctrinis confirmatâ necessitate unitatis communionis et charitatis cum Romano pontifice, unitatem quoque fidei cum eodem potissimùm necessariam ostendam.

Pontificium primatum ad unitatem totius Ecclesiæ per summum pontificem peculiari potestate conservandam atque continendam à Christo institutum vidimus cap. 8. Hæc autem Ecclesiæ unitas cùm duplex sit, charitatis scilicet, seu communionis et fidei; non minùs ad unam quàm ad aliam tuendam pontificii primatûs jus porrigatur necesse est. Quod jus cùm includat vim unitatis coactivam ex constitutis cap. 9, summus utique pontifex sicut ob tuendam unitatem charitatis et communionis est tanquàm centrum, quocum omnes Christiani uno charitatis et communionis vinculo debent conjungi, ita ad vindicandam unitatem fidei positus dici debet tanquàm centrum, quocum omnes in eamdem fidem conspirare atque convenire cogantur. Ita sanè fiet, quod adversarii ipsi cum Bossuetio (in Exposit. doctr. cathol. c. 21) fatentur, ut *primatus sedis S. Petri sit centrum commune*, non partis, sed *totius unitatis catholicæ*, quæ non solùm charitatis et communionis, sed et alteram fidei unitatem potissimùm complectitur. Enimverò si charitatis et communionis unitati, quæ minor est, hoc visibili Romanæ sedis centro, cum quo omnes communicent, à Christo provisum fuit; num sine certo visibili centro, cui in fide sit adhærendum, relicta credenda est unitas fidei, quæ est unitas Ecclesiæ potior? Imò si charitatis et communionis unitas Ecclesiæ necessaria est ob unitatem fidei, ad quam illa refertur, uti statuimus capite 10; cum eo profectò, quocum necessaria est unitas charitatis et communionis, necessaria item dicenda est unitas fidei, ita ut discrepare non liceat à fide per eum traditâ jure primatûs, quocum ob unitatem fidei communicandum est. Equidem communionis unitas cum Papâ idcircò potissimùm Ecclesiæ est necessaria, ut præcaveatur schismatibus, quæ fidei divisionem et hæreses sæpissimè pariunt; atque ut schismatibus exortis discernatur, ubi vera Christi Ecclesia sit inter plures, quæ se pro Christi Ecclesiâ venditant. Discernere autem ubi sit vera Christi Ecclesia, idem est ac discernere, ubinam vera revelatio et fides, cui adhærendum sit, reperiatur. Itaque externæ communionis unitas cum Romanâ sede idcircò Ecclesiæ necessaria est, ut non tam schismata impediantur, quàm dissensiones fidei, vel iis obortis in solo cœtu illi sedi adhærente et cum illâ communicante, vera Ecclesia veraque revelatio ac fides discernatur, cui adhærendum illi sit, qui in verâ Christi Ecclesiâ esse velit. Necessitas ergo communionis cum Romano pontifice fidei pariter unius cum eo retinendæ necessitatem involvit.

Adde quòd, si non servetur cum Papâ unitas fidei, nec communionis cum ipso unitas necessaria servabitur: omnes enim discrepantes à fide Papæ idem pontifex cum totâ Ecclesiâ sibi adhærente à suâ communione præcidit, quam præcisionis sententiam inanem haud posse præferri patet ex modo dictis hujus cap. § 1, ad finem. Vel ergo communionis unitas cum Papâ necessaria dici nequit; vel si necessaria dicenda est, ut ipsis adversariis fatentibus probavimus, necessaria quoque dici debet cum eodem unitas fidei, sine quâ communionis unitas haberi non potest. Communicandum quidem esse cum Ecclesiâ catholicâ in

unitate ejusdem fidei nemo catholicus negaverit. Quænam verò est Ecclesia catholica, nisi quæ cum Romanæ sedis pontifice in unitate fidei communicat? Quicumque enim ab isto discrepârunt in fide, aut discrepant, sicut ab ejus communione semper fuerunt præcisi, ita ad Christi Ecclesiam ampliùs non spectârunt, nec spectant; quæ alia non est, nec fuit unquàm, nisi quæ cum Papâ communionem servavit ac servat. Igitur quâ ratione cum Ecclesiâ catholicâ communicandum est in fidei unitate, eâdem est communicandum in unitate fidei cum sede Apostolicâ, quâcum qui non communicat in fide, præcisus ab Ecclesiæ corpore, neque cum verâ Ecclesiâ communicat: unde in formulâ fidei sub Hormisdâ pontifice traditâ anno 517, *sequestrati à communione Ecclesiæ catholicæ* traduntur, qui *non consentiunt sedi Apostolicæ*, id est, qui cum fide ejusdem sedis seu Romanorum pontificum non concordant. Quæ eadem formula legitur tum in libello Joannis Constantinopolitani dato an. 519, tum in alio inserto actioni primæ synodi œcumenicæ octavæ. Hinc quidem S. Cyrillus episcopus Alexandrinus adhærendum sibi esse sensit fidei à S. Cœlestino pontifice declaratæ, ne ejus communione privaretur, et ita separaretur à communione Ecclesiæ catholicæ, ut constabit ex dicendis c. 13, § 11.

Quid tandem, si consideremus unitatem communionis adeò exigere ejusdem fidei unitatem, ut ea nonnisi unam eamdemque fidem profitentibus exhibenda sit? Præclarè admodùm Dupinus in tractatu de Excommunicatione communionis unitatem exponens, postquàm docuit illam omnibus fidelibus necessariam, uti societatibus necessaria est unio inter membra, affirmat Ecclesiæ membra debere esse unita non tam « fidei professione, quàm signis « unitatis externæ, quæ quis debet præstare « alii eamdem fidem profitenti, » et hæc signa communionem apud antiquos appellata animadvertit. Si ergo communio, quam Vincentius Lirinensis in Commonit. n. 3 et 28, *fidei communionem* vocat, iis solis præstanda est, qui eamdem fidem profitentur; in Romano utique summo pontifice, quocum est necessaria communio, eamdem fidem agnoscamus oportet: quod ejusdem fidei unitatem ac necessitatem præsumit. Id autem ex antiquitate exploratius fiet, si antiquam praxim rationemque expendamus, quâ totius catholici orbis ecclesiæ cum Romanâ communicabant. Hæc communio, quæ uno charitatis vinculo omnes catholicas ecclesias cum Romano pontifice totius catholicæ communionis centro compingebat, fiebat per litteras, quas pacificas, seu communicatorias appellabant. Harum litterarum frequens apud veteres mentio, hæcque præcipua ecclesiasticæ unionis probandæ et continendæ ratio habita semper fuit. Sacramenta enim communia cum Romanâ Ecclesiâ, habere poterant plures sectæ ab eâdem divisæ: litteræ autem communicatoriæ inter catholicæ tantùm unitatis episcopos ultrò citròque tradebantur. Electi scilicet Romani pontifices initio statim ad catholicos Patriarchas et Autocephalos litteras id genus mittebant, quibus eos suâ in communione et unitate esse declarabant, et in eâdem communione et unitate esse significabant omnes, quæ sub iisdem Patriarchis atque Autocephalis continebantur ecclesiæ: et similiter Patriarchæ atque Autocephali statim post electionem litteras ejusdem generis mittebant Romam, ut sese Romanæ sedi unitos et cum ipsâ communicantes ostenderent. Si porrò ejusmodi litterarum, quæ supersunt, expendamus indicia, hæc ipsarum transmissio non meræ cæremoniæ et communionis erat formula, sed præter notitiam novæ electionis, aut ordinationis professionem fidei potissimùm continebat. Hinc Gelasius in epistolâ secundâ ad Laurentium episcopum de Lignido unius meminit professionis fidei, perinde ac si hic unus earum litterarum scopus esset. « Mos est Ro« manæ Ecclesiæ sacerdoti noviter constituto « formam fidei suæ ad sanctas ecclesias præro« gare. » Hinc palam fit communionis ejusmodi vim unitatem fidei sive probandam, sive statuendam spectâsse; unde sequitur ibidem Gelasius ejus moris instituendi causam et finem declarans, « ut sub quâ fide vivendum sit secundùm « statuta Patrum, in hanc nostram epistolam « (cui mox inseritur professio fidei) propter bre« vitatem sine fastidio lector agnoscat. » Hinc etiam factum videmus, ut quorum episcoporum ad Romanam sedem litteræ exploratam non exhiberent professionem fidei, illæ nequaquàm reciperentur, nec iisdem redderetur communionis responsio, quandiù ipsarum scriptores in professione fidei aliisve fidem tangentibus non satisfecissent. Ita cùm non omninò placeret fidei professio, quam Epiri veteris episcopi ad Hormisdam dederant, misit ipse formulam fidei cum Romanæ ecclesiæ fide penitùs concordem, cui illi unà cum Joanne Nicopolitano Metropolitâ apertè subscriberent, ut communicatoriæ litteræ ipsis redderentur. Vide epist.

8 et 9 laudati pontificis. Ita etiam Felix III monuerat Thalasium Archimandritam monachorum Constantinopoleos, ne communicaret cum regiæ urbis episcopo, nisi priùs fidem professus esset, quæ Romano pontifici probaretur. Similia leguntur de Anatolio Constantinopolitano episcopo, cui communicatorias reddere litteras S. Leo tamdiù distulit, quoad circa fidem fecisset satis, ut liquet ex ejusdem pontificis epistolis 69, 70, 71 et 111 nostræ novissimæ editionis. Confer etiam epistolas 127, 129 et 130, quibus pleniorem fidei expositionem à S. Proterio Alexandrino eumdem S. Leonem exegisse manifestum est. Itaque vides, lector optime, unitatem communionis memoratis litteris compactam ita ad unitatem fidei directam fuisse, et utramque inter sese ita fuisse conjunctam, ut (quod notavit P. Garnerius) alteram sine alterâ cum Romanâ sede obtinere nemo potuerit. Negari quidem nequit, communicatorias litteras et communionis unitatem aliquando fuisse negatam intactâ fide ob læsum aliquod caput meræ disciplinæ : at diversæ fidei hominibus unquàm fuisse concessam probari non poterit. Alia nimirùm capita præter fidem nonnunquàm tangebantur in summorum pontificum communicatoriis litteris : hoc verò semper cautum, ut una eademque fides servaretur, nec nisi profitentibus eamdem fidem traderentur. Unitas ergo fidei cum Romano pontifice unitati communionis necessaria semper fuit. Hinc factum est, ut præferentes Romanam communionem, ubi dubium esset, de unitate fidei interrogarentur, uti Flavianus Antiochenæ ecclesiæ presbyter à Paulino quæsîsse fertur : « Si Damasi communionem amplecteris, « ô amice, doctrinæ nobis manifestam simili- « tudinem ostende... Ostende igitur consensio- « nem doctrinæ, » quòd scilicet notum esset, sine doctrinæ consensione, id est, sine unitate fidei, communionis unitatem non posse consistere. Redit ergo argumentum superiùs institutum, videlicet si communionis unitas cum Romanâ sede, ut adversarii quoque concedunt, cuilibet Christiano necessaria est, fidei pariter unitas, sine quâ communio non subsistit, æquè saltem necessaria negari non potest. *Æquè saltem*, inquam, cùm fieri queat, ut quidam absque culpâ et absque salutis periculo careant actuali communione Romanâ, si ipsam toto nisu quærentes, ab eâdem actu obtinendâ citra suam culpam aliunde impediantur, ut paulò antea de Sanctis tempore schismatis Acaciani pluribus explicatum est : at fieri nullo casu potest, ut quis unitate fidei, quæ à nullo potest aliunde impediri, absque suo vitio careat : ac proinde hæc actu et absolutè, et magis quàm actualis communio generatim est necessaria.

In statuendâ verò necessitate unitatis fidei, quæ sicuti majori controversiæ videtur obnoxia, ita et majori usui futura est, accuratior est opera collocanda. Hactenùs ex necessitate communionis illam deduximus. Potiora et apertiora in sequentibus dabimus ; et primò quidem ex sacrâ Scripturâ, tum ex traditione, ac tandem ex ipsorum adversariorum testimoniis, ne hiscere ampliùs possint, nisi et sacrarum litterarum satis obvio sensui, et doctrinæ omnibus seculis traditæ, et suis ipsorum principiis et confessionibus sese opponere velint. Nonnulla quandoque incident, quæ communionis necessitatem adstruent eo præsertim fusiori capite, in quo traditionem latè exponemus : sed pleraque necessitatem unitatis fidei manifestissimè comprobabunt.

CAPUT XII.

PROPOSITIO XII. — *Unitatem præsertim in fide cum fide S. Petri ac successorum ejus Romanorum Pontificum omnibus Christianis necessariam evincunt ex sacrâ Scripturâ illa evangelica testimonia, quæ de primatu S. Petri insigniora sunt.*

Eò tandem pervenimus, ubi evangelicorum testimoniorum, quibus primatus peculiaris jurisdictionis et personalis S. Petri ac successorum ejus Romanorum pontificum constitutus fuit, interpretationem ejusdem Petri ac successorum ejus ratione primatûs propriam et obvio verborum sensui congruentem afferamus, concinentem postea traditionem allaturi. Insigniora testimonia evangelica, quæ primatûs fundamenta jecerunt, sunt illa tria de S. Petro, quæ commemoravimus cap. 5. Hæc autem quatenùs unitatem fidei cum fide Petri et successorum ejus omninò tenendam potissimùm statuant atque demonstrent, antequàm singillatim expono, egregiam clarissimi Bossuetii de intellectu sacrarum litterarum doctrinam præmittere plurimùm interest. Is in primâ pastorali epistolâ de promissis Christi suæ Ecclesiæ factis, distinguendum notat inter fidem et intellectum fidei. Licet enim fides, quæ divinæ revelationi innititur, una semper in Ecclesiâ fuerit, nec quidpiam in eam novi induci possit, intellectus tamen fidei, quo scilicet fidei

rationes et fundamenta explicantur, quique sacris doctoribus debetur, cùm per examen subtile et accuratum dogmatum intelligentiam aperuerunt, sicut ad rectè credendum necessarium non est, ita fide intactâ nunc minor, nunc major esse in Ecclesiâ potest. Doctores enim et expositores sacri quandoque nullis obstrepentibus hæresibus contenti quorumdam dogmatum fide ob divinæ revelationis auctoritatem ab Ecclesiâ propositam, accuratiorem explicationem præterierunt. At subortæ deinceps hæreses, quæ dogma catholicum oppugnârunt, acuêre sacrorum doctorum aciem, ut ob retundendam heterodoxorum audaciam, fidei impetitæ rationem eruerent, et ita nonnullorum dogmatum intellectum, qui desiderabatur, in Ecclesiâ pepererunt. Præclara in hanc rem illa Augustini in Psalmum 54, num. 22 : « Ex hæreticis asserta est catholica, et ex « his qui malè sentiunt, probati sunt qui benè « sentiunt. Multa enim latebant in Scripturis, « et cùm præcisi essent hæretici, quæstionibus « agitaverunt Ecclesiam Dei. Aperta sunt quæ « latebant, et intellecta est voluntas Dei.... « Multi, qui optimè possent Scripturas dignoscere et pertractare, latebant in populo Dei, « nec asserebant solutionem quæstionum dif« ficilium, cùm calumniator nullus instaret. « Numquid enim perfectè de Trinitate tracta« tum est, antequàm oblatrarent Ariani? Num« quid perfectè de Pœnitentiâ tractatum est, « antequàm obsisterent Novatiani? Sic non « perfectè de Baptismate tractatum est, ante« quàm contradicerent foris rebaptizatores; « nec de ipsâ unitate Christi enucleatè dicta « erant, quæ dicta sunt, nisi postea quàm se« paratio illa urgere cœpit fratres infirmos, ut « jam illi, qui noverant hæc tractare atque « dissolvere, ne perirent infirmi, sollicitati « quæstionibus impiorum, sermonibus et dis« putationibus suis obscura legis in publicum « deducerent. » Similia idem S. doctor inculcat in libro de Dono perseverantiæ num. 53, fateturque loca Scripturarum occasione Pelagianæ hæreseos *copiosiùs* et *enucleatiùs* explicata atque defensa, *quàm si nulla talis necessitas coegisset*. Plura ejusdem generis exempla Bossuetius loco laudato subjicit, ex quibus palam est, inquit, « hæreses aperire viam ad expli« cationem sacrorum testimoniorum exactio« rem, et ita à fide, quæ priùs eadem obtine« bat, ad intellectum, quatenùs imbecillitati « nostræ congruit, nos pervenire. » Quorsùm hæc ad nos? Nimirùm ne novitas, quæ fidei intellectum tantùm respiciat, damnanda perinde credatur, ac novitas, quæ tangit substantiam fidei : ac idcircò nemo mihi succenseat, si occasione præsentis controversiæ contra pontificiam auctoritatem excitatæ, intellectum ac explicationem, quæ non satis hactenùs observata videatur, divinis de Petro testimoniis afferam.

Ut autem explicationis, seu interpretationis ipsorum testimoniorum hoc capite afferendæ æquitas et veritas faciliùs innotescant, certum ex propositionibus antea constitutis præsumendum est, S. Petri primatum, qui in Romanos pontifices successores ejus transivit, esse primatum non meri ordinis, sed præcipuæ ac personalis jurisdictionis, quæ solius primatis propria, non est alii communis, sicut nec communis fuit ipsis Apostolis, qui in apostolatûs jure erant æquales, non verò in jurisdictione personali primatûs uni Petro delati. Certum item est, hunc primatum, et jus proprium ac personale primatûs Petro delati fundari in locis evangelicis, quibus primatus Petro concessus fuit, adeò ut licet ea loca aptari queant aliis Apostolis in aliis prærogativis ac juribus, non tamen in jurisdictione propriâ et personali primatûs. Hoc autem jus primatûs proprium ac personale detexisse et constituisse mihi videor ex ratione seu fine instituendi primatûs, ut scilicet per unum toti Ecclesiæ præpositum unitas conjungeretur, atque conservaretur ipsius Ecclesiæ, cui proinde compingendæ et custodiendæ in totâ Ecclesiâ speciale jus ei fini obtinendo necessarium S. Petro et successoribus traditum probavimus : idque non tam quoad unitatem charitatis et communionis fatendum est, quàm de unitate fidei, quæ est unitas Ecclesiæ potior. Hæc ex præstitutis certa. In explicandis igitur evangelicis testimoniis, quibus S. Petri primatus in successores ejus traductus innititur, ea interpretatio, quæ utriusque unitatis in totâ Ecclesiâ continendæ ac vindicandæ vim et facultatem congruentem S. Petro traditam exhibeat, non arbitraria, nec violenta, aliisve communis, sed propria et personalis solius primatis habenda erit, quæ proprium ac personale primatûs jus declarabit. Id quidem illud est, quod hoc capite explicandum et constituendum mihi sumo : quod si ex æquo conficiam, et si præterea idipsum quoad substantiam traditioni apprimè consonum ex dicendis sequenti capite invenietur, nihil ad statuendam veram primatûs vim atque rationem, veramque

evangelicorum testimoniorum sententiam detegendam desiderabitur.

§ 1. *Illa Christi verba, Matthæi c.* 16, *v.* 18 : Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, etc., *necessitatem unitatis fidei cum fide S. Petri ac successorum ejus Romanorum pontificum manifestissimè evincunt.*

Hic evangelicus textus quatenùs necessitatem exigat unitatis communionis cum S. Petro et Romanis pontificibus ejus successoribus, vidimus per decursum capitis præcedentis. Quatenùs verò unitatem potissimùm fidei cum ipsorum fide jure primatûs traditâ omninò necessariam probet, nunc constituendum est. Hunc textum exigere unionem Ecclesiæ cum petrâ, supra quam Christo instituente ipsa Ecclesia ædificata est, nemo ibit inficias : ædificium enim illi petræ, seu fundamento, supra quod constructum est, necessariò debet incumbere et adhærere. Id ab omnibus Romanæ et catholicæ communionis hominibus certò et constanter agnitum fatetur etiam M. Antonius de Dominis lib. 6 de Rep. Eccles. c. 6, ubi etsi hocce testimonium evangelicum primatui conetur eripere, ex obvio tamen sensu, et ex ædificii similitudine Romanos et se quoque cum ipsis necessariam totius Ecclesiæ unionem cum eo fundamento sic profitentes inducit num. 2 : « Hic jam nos Romani sistere solemus, et dicere, Petrum à Domino designari pro fundamento totius Ecclesiæ, quæ debet eidem inniti, quemadmodùm ædificium innititur fundamento. » Videndum ergo, quid in Petro designatum fuerit nomine *petræ*, supra quam Christus Ecclesiam se ædificaturum promisit. Et siquidem palam ostendam *petræ* vocabulo significatam fuisse illam fidem, seu professionem fidei, quam S. Petrus inter varias hominum sententias de Christo edidit; hanc fidem, seu fidei professionem positam à Christo suæ Ecclesiæ fundamentum, necessariamque esse totius Ecclesiæ unionem cum eàdem Petri fide omninò liquebit. Id porrò si ad primatum ejusdem Apostoli pertinere, ac propterea ad successores quoque S. Petri Romanos pontifices eodem jure traductum deinceps ostendero, necessitatem quoque adhærendi Romanorum pontificum fidei toti Ecclesiæ impositam exploratum fiet. De *petræ* significatione, quam proposui, inprimis cognoscamus : et ne quid ex ingenio videar educere, non meam, sed Patrum interpretationem in medium afferam.

I. Petræ *nomine fidem S. Petri significari Patrum traditione ostenditur.*

Etsi *petræ* nomine Petrum ipsum designari Patrum traditio doceat, cùm Ecclesiam super Petrum ædificatam compluribus ipsorum testimoniis proditum sit; nemo tamen huic traditioni aliam traditionem me contraponere existimet, cùm Petri fidem eo nomine propriè significari ex traditione demonstrandum suscipiam; et multò minùs suspicetur, me hâc viâ favere heterodoxis, qui ut primatui S. Petri hunc evangelicum textum eripiant, non S. Petrum, sed fidem *petræ* vocabulo indicari contendunt. Qui enim non fidem cujuscumque, nec fidem in genere, sed fidem S. Petri, quam scilicet S. Petrus in ædificandâ Ecclesiâ fundamentum jecit, petram Ecclesiæ à Christo positam ostendit; satis in hâc fide ipsum Petrum petram Ecclesiæ constitutum probat, et solùm quâ ratione petra et fundamentum Ecclesiæ idem Petrus intelligendus sit, apertiùs exponit : ac propterea is traditionem nequaquàm opponit traditioni, sed genuinum et congruum evangelici textûs sensum proferens traditionem ex traditione potiùs explicat atque confirmat. Cùm porrò hinc statuendum nobis sit præcipuum primatûs jus in unitatem fidei; dùm hanc interpretationem statuimus non solùm ab heterodoxorum consilio maximè recedimus, verùm etiam illorum nisum omnem exinde elidendum confidimus. Eia igitur Patrum testimonia proferantur.

Audiamus primò hâc in re disserentem S. Hilarium, qui S. Petri fidem, seu confessionem fidei laudans, « super hanc igitur confessionis petram, inquit, Ecclesiæ ædificatio est... Hæc fides Ecclesiæ fundamentum est. » Et alio loco : « Felix fidei petra Petri ore confessa. » 2° S. Gregorius Nyssenus de Trinitate cap. ultimo inscripto : « Ut petra vitæ Christus in divinis Scripturis prædicatur, » ait : « Petra verò fidei tanquàm fundamentum, quia ipse Dominus ait ad principem Apostolorum : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,* super confessionem videlicet Christi, quia dixerat : *Tu es Christus filius Dei vivi.* » Hæc fuit quidem confessio Christi, sed edita à Petro. 3° Neque aliter S. Ambrosius de Incarnatione c. 5, n. 34 : « Fides ergo est Ecclesiæ fundamentum ; non enim de carne Petri, sed de fide dictum est quia portæ mortis ei non prævalebunt : ubi respicit illud evangelicum : *Super hanc*

« *petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ* « *inferi non prævalebunt adversùs eam.* » 4° Ab Ambrosio non disjungendi duo antiqui auctores, quorum opera sub illius nomine quondàm inscripta fuerunt. Auctor Commentariorum in Epistolas Pauli, in cap. 2 ad Ephesios v. 20: « Dixit Dominus ad Petrum : Super istam pe- « tram ædificabo Ecclesiam meam, hoc est, in « hàc catholicæ fidei confessione statuam fide- « les ad vitam. » 5° Auctor idem sermonis in Natali Apostolorum Petri et Pauli, qui etsi Augustino item tributus, Ambrosio tamen veriùs tribuendus à Patribus Benedictinis creditur, S. Petrum in Ecclesiâ fidei fundamenta continere tradit : quod idem est ac fateri eum suâ fide Ecclesiæ fundamenta jecisse. 6° S. Epiphanius hæresi 59, n. 7 : « Princeps Aposto- « lorum Petrus.... qui quidem solidæ petræ « instar nobis exstitit, cui velut fundamento « Domini fides innititur, supra quam Ecclesia « modis omnibus ædificata est. Inprimis qui- « dem quòd Christum Dei vivi Filium esse « confessus est, idque vicissim audiit, super « hanc solidæ fidei petram ædificabo Ecclesiam « meam. » 7° His accedat S. Augustinus, qui tract. 7 in Joan. n. 20, de Christo ait : « No- « minavit petram, et laudavit firmamentum « Ecclesiæ in istâ fide, » quam scilicet Petrus professus fuerat, ut in antecedentibus dixerat. Apertiùs in Ps. 69, n. 4 : « Petrus, qui « paulò ante eum (Christum) confessus erat « Filium Dei, et in illâ confessione appellatus « erat petra, supra quam fabricaretur Eccle- « sia, » etc. 8° S. Joannes Chrysostomus Hom. 54, al. 55, in Matthæum, n. 2 : « Super hanc « petram ædificabo Ecclesiam meam, id est, « super fidei confessionem. » Et Hom. 82, al. 83, in eumdem Matthæum, n. 3 : « Super con- « fessionem ejus (Petri) Ecclesiam ita fundavit « et munivit, » etc. Rursùs in cap. 1 Epist. ad Galatas : « Itaque cùm Petro dixisset : Beatus « es Simon Barjona, promisissetque futurum « ut Ecclesiæ fundamenta super illius confes- « sionem jaceret, » etc. Hinc Homiliâ de Debitore decem millium talentorum, Petrum vocat « firmamentum fidei, confessionis fun- « damentum, » et Hom. contra ludos, « Petrum « fundamentum fidei. » 9° Subjiciam auctorem sermonis 1 in Pentecosten, inter Chrysostomi opera : « Super hanc petram. Non « dixit, super Petrum ; neque enim su- « per hominem, sed super fidem ejus « (Petri) ædificavit. » Fidem autem Petri qui dicit, non excludit Petrum, sed id ponit, quod in Petro fundamenti rationem continet, nempe fidem ejus, seu fidem ab eo prædicatam, super quam Ecclesia ædificata verè fuit, cujusque gratiâ Petrus « fidei petra, « et rectæ fidei fundamentum » appellatur ab alio auctore sermonis septimi de Martyrio SS. Apostolorum Petri et Pauli, qui in ejusdem Chrysostomi operibus legitur. Similes formulæ apud alios frequenter occurrunt. S. Leo epist. 119, al. 92, ad Maximum Antiochenum, c. 2, « catholicæ fidei petram » S. Petrum vocat. Asterius Amasenus apud Lambecium « fidei « petram ac basim Dei Ecclesiæ. » Auctor serm. 79 Appendicis Augustinianæ « confessionis « Christi crepidinem, immobilis fidei funda- « mentum. » *Petra* item *fidei* dicitur à Flavitâ CP. à Zenone imperatore, et ab aliis quos recensere non vacat. Et hinc « fundamentum « credentium » appellatur ab Euthymio in c. 16 Matth. et à Philippo Cœlestini legato in Ephesinâ synodo act. 3, « columna fidei, » quæ omnia indicant, *petræ* vocabulo non aliud significari nisi S. Petri fidem. 10° S. Eucherius episcopus Lugdunensis, seu alius quivis auctor homiliæ in S. Petri Natali : « Videamus itaque « quid sit : *Et super hanc petram ædificabo Ec-* « *clesiam meam.* Super hanc petram, quam tu « modò docuisti dicens : *Tu es Christus Filius* « *Dei vivi,* super hanc petram, et super hanc « fidem ædificabo Ecclesiam meam. » 11° Cyrillus Alexandrinus lib. 4 de Trinitate hunc eumdem locum exponens : « Petram, inquit, « opinor, nihil aliud quàm inconcussam et fir- « missimam discipuli fidem vocavit, in quâ Ec- « clesia Christi ita fundata et firmata esset, ut « non laberetur, et esset inexpugnabilis infero- « rum portis. » 12° Juvenalis Hierosolymorum episcopus in Synodicâ ad presbyteros et archimandritas Palæstinæ, « cùm summus, ait, et « primus Apostolorum Petrus dixisset : *Tu es* « *Christus Filius Dei vivi,* Dominus intulit di- « cens : *Beatus es,* etc., *et ego dico tibi, quia tu* « *es Petrus et super hanc petram,* » etc.; quæ ad laudatam Petri professionem referens, subdit : « Super hanc confessionem roborata « est Ecclesia Dei. » 13° Theodoretus epist. 77, ad Eulalium Persicæ Armeniæ episcopum : « Dominus noster Apostolorum principem, cu- « jus confessionem veluti basim quamdam et « fundamentum Ecclesiæ defixerat, » etc. Iterùm epist. 177, ad Joannem Œconomum, recitatis Petri verbis : *Tu es Christus,* etc., subjicit : « Audiamus et Christum Dominum confessio- « nem hanc confirmantem : *Super hanc* enim

« *petram,* inquit, *ædificabo Ecclesiam meam.* » 14° S. Petrus Chrysologus serm. 154, de S. Stephano : « Petrus à petrâ nomen adeptus « est, quia primus meruit Ecclesiam fidei fir« mitate fundare. » Si per fidem Petrus fundavit Ecclesiam, Petri fides Ecclesiæ petra et fundamentum fuit. 15° Maximus Taurinensis in eamdem planè sententiam hom. 4, de Petro Apostolo : « Petra dicitur, eò quòd primus in « nationibus fidei fundamenta posuerit. » 16° Eusebius Gallicanus, seu alius quilibet auctor sermonis in Natali S. Petri apud Combefisium : « Ego dico tibi, quia tu es Petrus fide « fortis, doctrinâ stabilis, » etc. Idque *petræ* nomine significari affirmat. 17° Anonymus relatus in Catenâ Nicetæ super Matthæum : « Petram fidei confessionem vocavit : cùm au« tem super hanc ædificari nuntiatur, inde « ostendit, multos jam futuros, qui in eum « crederent. » 18° Stephanus Cameracenus apud laudatum Combefisium in die Sanctorum Petri et Pauli : « Tu, qui Petrus existens, pe« tra fies fidei Verbi, et constituendæ Eccle« siæ fundamentum, etc.... Hâc basi superpo« sitâ, reliqua etiam dogmata, puto, super« struentur. » 19° S. Isidorus Hispalensis lib. 7 Originum c. 9. « Dixerat Petrus : *Tu es Chri« stus Filius Dei vivi.* Deinde ei Dominus : « Super hanc petram, quam confessus es, « ædificabo Ecclesiam meam. » 20° S. Joannes Damascenus Orat. de Transfiguratione laudans Petri confessionem ait num. 6 : « Hæc est fir« ma illa et immota fides, supra quam tan« quàm petram Ecclesia fundata est. » Et in sacris Parallelis ex veteri Græco scriptore tit. 3, Christus ad Petrum sic loquens inducitur : « Super tuam instar petræ firmam fidem ædi« ficabo Ecclesiam meam. » 21° Synodus Forojuliensis sub S. Paulino Aquileiensi : « Ec« clesia super eam persistit petram, quam « B. Petrus non carne, vel sanguine, sed Pa« tre, qui in cœlis est, revelante sibi confes« sus est, et illius fide regitur et gubernatur. » 22° Hanc interpretationem communiorem suo ævo testatur Jonas Aurelianensis, lib. 3 de Cultu imaginum : « Multi namque, ait, et penè « omnes petram, supra quam ædificatur Ec« clesia, fidem intelligunt B. Petri, quæ com« munis est sanctæ totius Ecclesiæ, » etc. 23° Hincmarus Rhemensis in opusculo adversùs Hincmarum Laudunensem c. 5 : « Tu es Pe« trus, et super hanc petram, id est, rectæ fi« dei, quam Patre tibi revelante confessus es, « ædificabo Ecclesiam meam. » 24° Troslejanum concilium can. 15, loquens de Ecclesiâ, quæ, inquit, « cùm generaliter ab ipso suo ca« pite super Petrum, id est, super confessio« nem Petri sit ædificata, » etc. 25° Rupertus Tuitiensis Abbas, lib. 3 in Matthæum : « Su« per petram fidei, quam confessus est Pe« trus , » etc. 26° S. Thomas Cantuariensis, epist. 97 libri primi : « Nonne in fide et do« ctrinâ Petri totius Ecclesiæ structura consur« git? » 27° S. Bruno Astensis in Expositione capitis 33 Exodi : « Vocatur fides petra : « unde cùm Domino Petrus diceret : *Tu es « Christus Filius Dei vivi;* mox ejus fidem con« firmans ait : Et ego dico tibi, quia tu es Pe« trus, et super hanc petram, id est, super « hanc fidem tuam, quâ me dicis Filium Dei « vivi, ædificabo Ecclesiam meam. » 28° Cæsarius Cisterciensis Homiliâ de Cathedrâ S. Petri : « Super hanc petram, id est, super fidei « tuæ firmitatem, à quâ cognominaris, ædifi« cabo Ecclesiam meam. » 29° Magister Menegaldus in opusculo contra Wolfelmum Coloniensem, quod Muratorius in Latinis Anecdotis edidit cap. 17, recitatâ confessione Petri : « Propterea, inquit, tam perspicacis fidei soli« ditas ab ipso Dei Filio fundamentum Eccle« siæ facta est, super quod totius ædificii stru« ctura consurget. » 30° Similiter inter Scholasticos S. Thomas 2-2, q. 174, a. 6 : « Super « hanc petram, scilicet confessionis tuæ, ædi« ficabo Ecclesiam meam ; » quibus similia leguntur in Supplemento q. 25, a 1. 31° Neque Romani pontifices ab hâc interpretatione, quam aliis antiquorum scriptorum testimoniis confirmare liceret, dissentiunt. S. Leo serm. 62, al. 60, c. 2, novæ edit. col. 239, illam Petri confessionem : « Tu es Christus Filius Dei vivi, « Deo revelante editam affirmat, ut ad regimen « totius Ecclesiæ præparatus, primùm diceret « quod doceret, et pro soliditate fidei, quam « erat prædicaturus , audiret : Tu es Pe« trus, » etc. In quem locum vide quæ fusiùs adnotavimus in eâdem editione tom. 1, col. 461 et 462. Item serm. 51, al. 94, c. 1 : « Tan« tùm in hâc fidei (à Petro declaratæ) subli« mitate complacuit, ut beatitudinis felicitate « donatus, sacram inviolabilis petræ acciperet « firmitatem , super quam fundata Ecclesia « portis inferi et mortis legibus prævaleret. » 32° S. Gregorius lib. 4, epist. 38, ad Theodelindam reginam : « In verâ fide persistite et « vitam vestram in petrâ Ecclesiæ, hoc est, in « confessione B. Petri Apostolorum principis « solidate. » 33° Joannes VII, epist. 76, ad

Petrum Comitem : « Super quam etiam solidam confessionis petram suam Dominus fabricavit Ecclesiam. » 34° Adrianus I, in epistolâ, quæ act. 2 synodi VII, lecta et probata est, de Petro ait : « Iste tam præcelso prælatus honore, promeruit confiteri fidem, supra quam fundatur Ecclesia. » Iterùm in epistolâ ad episcopos Hispaniæ concilio Francofordiensi præfixâ : « Super hanc, inquit (Christus), petram quam confessus es, et à quâ vocabuli sortitus es dignitatem, super hanc soliditatem fidei ædificabo Ecclesiam meam. » 35° Nicolaus I, epist. 6, ad Photium : « Christus super soliditatem fidei suam sanctam dignatus est stabilire Ecclesiam, secundùm illius veridicam vocem dicentis : Amen dico tibi : Tu es Petrus, » etc. 36° Stephanus VI, epist. 2, ad universos episcopos : « Catholica Christi et Dei nostri Ecclesia fundata super firmam petram, Apostolicæ videlicet petræ confessionem, » etc. 37° Innocentius II, epistolâ ad episcopos Senonensis concilii, quæ à S. Bernardo dictata creditur, et est epist. 194 inter illas ejusdem sancti Bernardi : « Testante Apostolo, sicut unus Deus, ita una fides esse dignoscitur, in quâ tanquàm in immobili fundamento, præter quod nemo potest aliud ponere, firmitas Ecclesiæ catholicæ inviolata consistit. Inde est quòd B. Petrus Apostolorum princeps pro eximiâ hujus fidei confessione à Domino ac Salvatore nostro audire meruit : *Tu es,* inquit, *Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, petram utique firmitatem fidei, et catholicæ unitatis soliditatem manifestè designans. » 38° Urbanus III, in epistolâ ad archiepiscopos, episcopos, et abbates : « Cœlestis altitudo consilii.... sacrosanctam Romanam Ecclesiam... supra petram fidei soliditate fundavit, illud ei tribuens Apostolicæ confessionis fortitudine firmamentum, ut, » etc.

Sed quid plura commemoro ? Concludam testimoniis Ecclesiæ, quæ in publicis Missarum precibus idipsum expressè docuit et docet. In Sacramentario Gallicano, quod Mabillonius produxit in lucem, hæc leguntur ad Contestationem Missæ in die Cathedræ S. Petri : « Testis est hæc divina B. Petri cathedra episcopatûs exposita, in quâ fidei meritò revelationis mysterium fidei Filium Dei confitendo præfatus Apostolus ordinatur, in cujus confessione est fundamentum Ecclesiæ, nec adversùs hanc petram portæ inferi prævalent. » Eadem occurrunt in Missali Gothico, quod Ven. Cardinalis Thomasius edidit, ac præterea in eodem Cathedræ festo præmittitur oratio, in quâ habetur : « Fide prælatus est (Petrus), et per hanc Petri petram (id est, fidem) basis Ecclesiæ fixus est. » In Benedictionali, quod vulgavit Lambecius, die natali SS. Petri et Pauli, hæc benedictio describitur, quæ Gallicanæ originis inserta legitur etiam in Sacramentarium Gregorianum editionis Menardi : « Benedicat vos omnipotens Deus, qui nos B. Petri saluberrimâ confessione in ecclesiasticæ fidei fundavit soliditate. Amen. » Similiter in Collectâ, quam apud Romanos vetustissimam cognoscimus ex Gregorianis antiquioribus Sacramentariis, à Pamelio atque Muratorio impressis, quæque vel hoc tempore recitatur in Missâ vigiliæ eorumdem Apostolorum, hæc leguntur : « Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut nullis nos permittas perturbationibus concuti, quos in Apostolicæ confessionis petrâ solidâsti. »

Itaque petræ nomine S. Petri confessionem ac fidem esse accipiendam tanta ac tam aperta Patrum, Pontificum, ac ecclesiasticorum librorum traditio nos dubitare non sinit : unde id apud omnes Catholicos constans et certum pronuntiare non dubitavit Joannes Ekius, lib. 1 de Primatu petri contra Lutherum cap. 13, ubi huic explicanti evangelicum testimonium de fide Petri, et affirmanti « supra fidem Petri ædificatam Ecclesiam, » reponit incunctanter : « Quis ei in hoc repugnat? quis negat? quis inficiatur? Ille prodat, nominet quem hujus dissensorem. »

II. *In hanc* petræ *interpretationem, quomodò Ecclesia super Petrum ædificata commodè intelligatur. Aliæ interpretationes conciliatæ. Non singularis illa fides, quâ S. Petrus Christum Dei Filium professus est, sed universa fides christiana, quam in ædificandâ Ecclesiâ prædicavit,* petræ *nomine accipienda monstratur.*

Qui fidem non quamcumque, sed Petri confessione aut prædicatione propositam *Ecclesiæ petram* intelligit, is, ut monuimus, non excludit Petrum, sed ipsum satis in eâ fide et confessione Ecclesiæ fundamentum agnoscit, quæ sanè *per hanc* fidei *petram basis Ecclesiæ fixus est,* ut in Missali Gothico traditur, quique proinde non *petra* et *fundamentum* solummodò, sed *petra fidei* et *fidei fundamentum* appellatur à Patribus in decursu supra laudatis. *Ibi* nimirum *habes personam meam, ubi confessionem*

meam; hic quoque dicere potest S. Petrus, uti aliâ occasione dixit apud Cassianum lib. 3 de Incarnatione c. 12. Enimverò quâ congruâ ratione evangelicus textus aliter exponi possit, non video. Qui enim fieri potuit, ut super Petrum ædificaretur Ecclesia ? Non super ossa, nec super carnem quidem S. Petri ædificata intelligi potest; at super fidem ab eo prædicatam constructa optimè intelligitur, cùm S. Ambrosius et alius auctor sermonis editi inter Chrysostomi opera observârunt. (Vide supra passim.) Cùm scilicet verum Ecclesiæ fundamentum sit fides, ut tradit idem Ambrosius, quatenùs Ecclesia ex fidelibus constans, per fidei prædicationem constructa est, ac sine ipsâ homines nec sunt, nec esse possunt Ecclesiæ membra; non aliâ profectò congruâ ratione S. Petrus intelligi potest ipsius Ecclesiæ petra et fundamentum nisi per fidem quam, dùm prædicavit, ecclesiastici ædificii fundamentum posuit. Ita Patrum testimonia quibus S. Petrus, et testimonia quibus ejus fides *petræ* nomine explicatur, nihil pugnant inter se, sed optimè cohærent, et in unam eamdemque catholicam doctrinam ac traditionem conspirant. Ex unâ enim parte evangelicus textus de S. Petro propriè accipiendus statuitur; ex aliâ verò, quâ congruâ de eo ratione propriè intelligendus sit, commodè exponitur: quod utrumque S. Gregorius Nazianzenus aptè complectens scripsit: « Petrus petra vocatur, atque « Ecclesiæ fundamenta fidei suæ credita habet. »

Neque difficultatem afferant quidam Patres evangelici textûs verba, *super hanc petram,* explicantes de Christo principali petrâ et fundamento Ecclesiæ, de quo Paulus ait (1 Corinth. 3, v. 11): *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus.* Etsi negari non potest quin Christus sit vera et principalis petra et fundamentum Ecclesiæ, cùm tamen evangelicus textus, de quo nunc agimus, expressè loquatur de Petro, eumque ob fidem Christi, quam professus est et prædicavit, *petræ* voce ibidem designatum traditio Patrum affirmet; in dubium vocari nequit, quin et ipse, qui ex « principali illâ petrâ communionem et virtutis « accepit et nominis » (verbis utor antiqui scriptoris librorum de Vocatione omnium gentium lib. 2, c. 28), ob eamdem fidem constitutus fuerit *petra,* supra quam Ecclesia constructa est. Cùm porrò exploratum sit, Christum esse petram et fundamentum Ecclesiæ per eam fidem quam in ædificationem et fundamentum Ecclesiæ ipse tradidit; ex aliâ autem parte constet, post Christi mortem et ascensionem, prædicatione traditæ à Christo fidei ædificatam fuisse Ecclesiam, quam idem Christus laudato evangelico textu promiserat ædificandam super Petrum, seu super Christi fidem prædicandam à Petro (unde Cyprianus Epist. 69 scripsit: « Petrus super « quem ædificanda fuerat Ecclesia); » non aliter Christus, seu fides Christi fuit petra et fundamentum Ecclesiæ, nisi quatenùs Petro prædicante Ecclesiæ ædificandæ fundamentum posita fuit. Ita hæc interpretatio de Christo principali petrâ redit ad Petrum, quatenùs Christi fides prædicata à Petro fuit illa petra, supra quam Ecclesia Christo instituente ædificata est, quamque cùm Petrus in ædificationem Ecclesiæ prædicavit, non aliud fundamentum posuit, præter illud quod à Christo positum, erat ipse Christus annuntiatus prædicatione fidei. Verum quidem est in ædificationem Ecclesiæ prædicatione fidei laborâsse etiam alios Apostolos, ex quo ipsi etiam fundamentum Ecclesiæ sunt, juxta illa Ephes. 2: Superædificati super fundamentum Apostolorum (1), id est, supra Christi fidem, quam Apostoli prædicârunt. Quid verò sit illud peculiare ac proprium prædicationis S. Petri, ex quo præcipua et propria primatûs ejus vis ac ratio deduci queat, laudatumque evangelicum textum ad primatum ipsius personalem jure referri demonstretur, planum fiet ex dicendis modò.

Interim ex hactenùs dictis facile intelliges, fidem Petri, quæ Ecclesiæ visibilis fundamentum est, haud esse fidem ejus internam et invisibilem, sed externam, uti diximus, professionem fidei, nec singularem quidem illam, quâ idem Apostolus interrogatus à Christo, ipsum Dei vivi Filium confessus est, sed illam, quâ totam Christi et fidei doctrinam in ædificandâ Ecclesiâ prædicavit: neque enim per illam primam de Christi divinitate professionem Ecclesia ædificata fuit, sed deinde prædicatione fidei, quâ post Spiritûs sancti adventum fides Christi posita est uti fundamentum Ecclesiæ. Porrò cùm in ejusmodi ædificationem prædicavit Petrus Christi fidem, non unum illud de divinitate ejus dogma prædicavit, sed totam Christi doctrinam, quæ in Christi fide continetur, et fidelibus necessaria est. Itaque

(1) Additur in textu Pauli, *et Prophetarum*, qui scilicet fidem Christi venturi prænuntiârunt: unde tum in Apostolis, tum in Prophetis eadem Christi fides est fundamentum Ecclesiæ.

hæc tota, in quâ Ecclesiæ ædificatio assurgit, *petræ* nomine significata intelligi debet. Hinc sanè plures sancti Patres laudati superiùs : « Fidei fundamentum, petram fidei, fidei co« lumnam, vel etiam catholicæ fidei petram, » S. Petrum generatim appellant, quæ formulæ non unius articuli, sed universa fidei dogmata comprehendunt. Quòd si aliquot antiqui specialem ejus fidei, quâ Christum Dei Filium Petrus confessus est, mentionem fecerunt, id fecerunt, propterea quòd contra eos hæreticos agerent, qui Christi divinitatem impugnabant. Negari tamen nequit, quin hæc particularis confessio cæteris dogmatibus, quæ Christus tradidit, fundamentum Petro fuerit, ut omni obsequio crederet quæcumque de illo audivit, quem Patre revelante Dei Filium profitebatur. At sicut non ea una singularis fides prædicanda fuit in ædificationem Ecclesiæ, ita non ea una fundamentum Ecclesiæ habenda est. Quare sanctus Leo, qui eâ singulari confessione præparatum quodammodò innuit sanctum Petrum ad totius fidei prædicationem, ut nimirùm de Christo *disceret quæ doceret*, mox hanc totius fidei prædicationem, quæ tota et integra est fides Christi, Ecclesiæ petram satis designans addidit : « Et pro soliditate fidei, quam ERAT « PRÆDICATURUS, audivit : Et super hanc pe« tram, » etc. In re exploratâ plura disserere opus non est.

III. *Quatenùs ex hâc interpretatione laudati textûs evangelici unitas præsertim fidei omnium Christi fidelium cum fide S. Petri, seu prædicatâ à sancto Petro necessaria probetur. Eadem unitas fidei quatenùs ab aliis Apostolis servata in fundandis ecclesiis.*

Evangelicum textum : *Tu es Petrus, et super hanc petram*, etc., ad primatum præcipuæ jurisdictionis S. Petro ex Christi institutione tributum pertinere vidimus cap. 5. Itaque haud satis est eumdem textum explicâsse de Petri fide, ut hactenùs fecimus, sed aliquid inde præcipui juris primates proprium ipsi Petro ac fidei ejus asseratur necesse est. Cùm porrò præcipuum jus proprium primatûs ad unitatem Ecclesiæ vi coactivâ compingendam et conservandam pertineat, ut ostendimus cap. 8 et 9, ex laudato evangelico textu jus aliquod præcipuum, quod ad eamdem Ecclesiæ unitatem componendam et custodiendam aptè referatur, eliciendum est. Ex duplici autem Ecclesiæ unitate charitatis, seu communionis et fidei, hunc textum, qui sancti Petri fidem *petræ* vocabulo Ecclesiæ fundamentum præfert, unitatem potissimùm fidei totius Ecclesiæ cum fide sancti Petri necessariam evincere, obvia et litteralis, ut ita dicam, interpretatio significat. Si enim Christus, cùm primatum præcipui juris in unitatem Ecclesiæ instituens, sancto Petro dixit : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, petræ nomine Petri fidem, seu professionem fidei tunc editam, et postea prædicandam in ædificandâ Ecclesiâ designavit, quid, amabo, est, super hanc fidem à Petro prædicandam Ecclesiam ædificabo? nihil aliud profectò, quàm innuere Ecclesiam ipsam fidei à Petro prædicandæ tanquàm basi adhærere debere, quod unitatem fidei omninò requirit. Cùm igitur in eâdem Petri fide tanquàm in fundamento quod Christus posuit, tota stare debeat Christi Ecclesia; nec alia sit, aut esse possit Ecclesia Christi, nisi quæ super hanc petram, id est, super hanc Petri prædicationem et fidem ædificata, eidem inhæret; quicumque ad Ecclesiam Christi pertinere velit, huic petræ, seu fidei à Petro prædicatæ debet inniti, adeò ut qui huic fidei nolit inhærere, nec unitatem ejusdem fidei teneat, is neque in fundamento Ecclesiæ, quod Christus constituit, nec in ipsâ Ecclesiâ subsistat. Quam in rem Beda de Petri fide et confessione sermonem faciens, quam esse dixit illam petram, supra quam Christus construxit Ecclesiam : « A cujus societate (id « est, unitate) confessionis, inquit, quisquis « deviaverit, quamvis sibi magnus videatur, « ad ædificium Ecclesiæ non pertinet. » Et S. Leo in epistolâ 33, al. 29, num. 1, ad synodum Ephesinam : « Nimis à compage hujus ædifi« cationis alienus est, qui beati Petri confes« sionem non capit. » Necessitatem ergo unitatis fidei servandæ cum Petri fide hoc testimonio evangelico atque institutione ipsius Christi cunctis fidelibus impositam liquet, ac idcircò vis coactiva unitatis fidei necessitatem imponens ex institutione Christi, primatûs Petri prærogativam ac jus præcipuum statuit, quod in memoratis Evangelii verbis contentum hoc paragrapho evolvendum proposuimus. Hinc Petri primatus peculiaris prærogativæ *primatus fidei* jure vocatur ab Ambrosio, *fidei principatus* à Cassiano, et *principatus in episcopatu fidei* à Marciano imperatore, quippe qui vim suam per fidem, seu professionem fidei à sancto Petro prædicatæ potissimùm exerens, ad unitatem fidei custodiendam in Ecclesiâ præcipuo jure præditus fuit.

Hoc autem præcipuum jus coactivum ad

unitatem totius Ecclesiæ si consideretur proprium primatûs, ex constitutis cap. 9, proprium item habendum est fidei Petri, qui solus inter Apostolos primatum obtinuit; ac propterea ad cæterorum Apostolorum fidem extendi non potest. Ne quid verò hâc in re difficultatem faciat, quid inter Petri et Apostolorum fidem interfuerit, explicandum est. Quamvis Apostolorum omnium fides dici aliquomodò possit petra et fundamentum Ecclesiæ, quæ *supra fundamentum Apostolorum* extructa traditur à Paulo (Ephes. 2), non tamen unitatis totius Ecclesiæ petra et fundamentum est, cui totius Ecclesiæ fides inniti debeat: hæc enim primatûs propria vis est, unique proinde S. Petro ejusque fidei competit. Quòd si quis totius etiam Ecclesiæ petram Apostolorum fidem esse contendat, quippe cui adhærere oportet omnes Catholicos, non repugnabo, si modò Apostolorum prædicationi et fidei ea vis tribuatur, quatenùs cum prædicatione et fide Petri unitatem tenuit; ita ut unitatem cum hâc Petri fide atque prædicatione necessariam nihilùm infirmet, sed potiùs statuat atque præsumat. Apostolorum scilicet prædicatio et fides petra verè ac propriè fuit earum particularium ecclesiarum, quæ ipsorum prædicatione constructæ, super eam petram ædificatæ fuerunt; non autem propriè fuit petra totius Ecclesiæ catholicæ, quæ bono unitatis super unam Petri fidem Christo instituente ædificata fuit. Hinc sanctus Cyprianus epist. 73, scripsit: « Ecclesia est una, et super unum, qui claves accepit, Domini voce fundata. » Et in libro de Unitate Ecclesiæ unitatis bonum proponens, ejus causâ « super illum unum (inquit de sancto Petro) Dominus ædificat Ecclesiam suam. » Quibus similia apud alios Patres invenies. Si ergo *unus Petrus,* id est, una Petri fides, universalis Ecclesiæ petra et fundamentum posita fuit à Christo, nec aliud fundamentum quispiam potest eidem Ecclesiæ ponere, nisi quod ab eodem positum fuit, ipsæ particulares ecclesiæ ab Apostolis extructæ, ad catholicam Christi Ecclesiam aliter pertinere non poterant, nisi super Petri fidem ædificatæ, ipsius unitatem tenerent; ac propterea Apostoli, cùm illas construxerunt prædicando fidem, non aliam fidem potuerunt ponere fundamentum nisi eam quæ prædicabatur à Petro, vel una esset cum Petri fide, ut super hanc fidem illæ ædificatæ dici possent, et eatenùs ad Christi Ecclesiam *super unum* ædificatam spectarent. Hinc ipsa etiam Apostolorum fides, quæ sanè fuit fundamentum Ecclesiæ, non aliter fuit Ecclesiæ fundamentum, nisi quia fuit una cum fide Petri, et sic ipsi quodammodò inhærebat, cui tota Ecclesia, ac totius Ecclesiæ fides Christo instituente debet incumbere. Hoc Christi institutum non eò spectat, ut per sese in suspicionem adducatur aliorum Apostolorum fides, sed ut intelligamus Ecclesiæ et unitatis (1) bonum id postulâsse, ut non alia haberetur fides Ecclesiæ, nisi quæ in unum cohæreret cum fide Petri, quam unam ejusdem unitatis bono totius Ecclesiæ petram Christus ponendam instituit.

(1) Sicut Ecclesiæ et unitatis bonum efflagitabat, ut centrum unitatis communionis catholicæ, cum quo omnes Catholici communionem servarent, esset in Petro ac in ejus sede, quam idcircò adversarii *centrum catholicæ unitatis* fatentur (vide infr. c. 14, § 1); ita etiam postulabat, ut centrum unitatis fidei catholicæ, cum quo omnes unitatem ejusdem fidei custodirent, in Petri prædicatione ac fide ab eodem depositâ in suâ sede collocaretur; ipsique Apostoli in futurorum temporum exemplum ac normam, dùm ecclesias fundarent, eas fundantes in fide, quæ una esset cum fide Petri, de hâc unitate fidei cum hoc centro ab omnibus tenendâ easdem instruerent. Quam in sententiam Apostolis prædicatione fidei ecclesias ædificantibus affirmavit Petrus de Marca in opusculo de Discrimine clericorum et laicorum n. 13: « Tenebantur Apostoli fundare ecclesias in unitate, cujus caput cùm esset Petrus, illius communioni eas subjicere tenebantur. » Hæc de unitate communionis. De fidei autem unitate addit n. 21: « Porrò unitatem ab omnibus Apostolis servandam in illâ unâ cathedrâ (cathedræ nomen ad fidei doctrinam refertur), ne si ab ejus unitate recedentes in ecclesiis ædificandis aliam cathedram constituerent, schismatici et peccatores haberentur. Nullum erat periculum, ne scissâ unitate Ecclesiæ, Apostoli proprias sibi ecclesias defenderent, sejunctas à communione Petri. Sed regiminis semel constituti forma exposcebat, ut sciremus Apostolos quoque ipsos huic regulæ à Christo præscriptæ subditos fuisse. » Præiverat Petro de Marca alius Gallus, laudatus à Tournely, Cardinalis Perronius, in responsione ad regem Angliæ scribens c. 56: « Hanc unitatem in Ecclesiâ servandam cùm decrevisset Christus, principium ejus et radicem in Petro constituit. Cùm autem ad stabiliendum hoc unitatis ecclesiasticæ caput eximiâ quâdam auctoritate opus esset, quæ valeret schismata compescere, aut avertere ab Ecclesiâ; præter auctoritatem Apostolatui essentialem, facta est personæ Petri, quam huic muneri obeundo destinavit Christus, singularis dignitatis et potestatis accessio, ut nimirùm omnes fideles, atque ipsos Apostolos in officio suo contineret ac prohiberet, ne quis Ecclesiæ scinderet unitatem; non quidem quasi hâc disciplinâ egerent Apostoli, quibus singulis speciatim in orbis christiani administratione Deus adfuturus

Hanc fortè unitatem suæ fidei cum fide Petri ut Paulus apostolus probaret (Gal. 1, v. 18), Hierosolymam ascendit *videre Petrum* cum ipso aliquid collaturus (ἱστορῆσαι enim in Græco textu est Latinè videre *percontandi, seu conferendi aliquid gratiâ*, ut Erasmus et Heinsius à Calmeto laudati observârunt); et in hunc finem apud eumdem diebus quindecim stetit. Quod cùm idem Apostolus adhibeat veluti argumentum rectè suæ prædicationis, quemadmodùm (1) Bossuetius animadvertit, satis innuit, prædicatum abs se Evangelium se cum eo contulisse, non quòd ipse de eo quidquam ambigeret, sed ut hâc collatione et unitate cum Petri prædicatione et fide aliis, qui dubitarent, ipsum omninò certum demonstraret. « S. Jacobus Hierosolymis erat (addit « Bossuetius) et S. Paulus eò non ascendit, « ut Jacobum videret, sed ut viderem, inquit, « Petrum : cum eo fuit diebus quindecim, et « hoc testimonio suam prædicationem confir« mavit. Id autem ostendit, quod cùm post « annos quatuordecim inspirante Spiritu san« cto Hierosolymam iterùm perrexit, ut cum « Apostolis conferret Evangelium, quod gen« tilibus prædicabat, S. Petrum potissimùm « eo consilio invisit, ne in vacuum curreret, « aut cucurrisset. » Quibus concinens S. Thomas Cantuariensis (lib. 1, Epist. 97) : « Doctor « gentium, inquit, qui gloriatur, se non ab « homine, nec per hominem Evangelium di« dicisse, sed instructum à Christo, ascendit « Hierosolymam, cum ecclesiarum principe « de fide contulit, ne fortè in vacuum curre« ret, vel cucurrisset : » vacua nimirùm esse, aut videri poterat prædicatio fidei, quæ cum Petri prædicatione ac fide Ecclesiæ fundamento una esse atque cohærere non probaretur. Idipsum etiam Tertullianus subindicat in libro de Præscript. c. 23, ubi affirmat S. Paulum « ascendisse Hierosolymam cogno« scendi Petri gratiâ, ex officio et jure scilicet « erat, sed ut Ecclesiæ formam aliquam pro« poneret, quâ res essent post mortem suam « componendæ. » Hoc unitatis quidem bonum Petro primati præ cæteris Apostolis commissum respiciens S. Hieronymus lib. 1 contra Jovinianum ait : « Licet super omnes Aposto« los ex æquo Ecclesiæ fortitudo solidetur, ta« men propterea inter duodecim unus eligitur, « ut capite constituto (id est, constituto hoc capite et centro unitatis, prædito potestate ac vi coactivâ ad unitatem custodiendam) schisma« tis tollatur occasio. »

(1) Vide Bossuetii Meditationes in Evangelium, ubi agit de sermone Christi tempore ultimæ cœnæ num. 70.

« ejusdem fidei et prædicationis, » quæ unitatis probandæ consilium satis declarant. Hanc fortassis ob unitatem fidei, in quam ipsorum Apostolorum prædicatio in novis ecclesiis toto mundo erigendis conspirabat, de Romanæ Ecclesiæ fide à S. Petro ibidem prædicatâ scriptum à Paulo fuit (Rom. 1, v. 8) : *Fides vestra annuntiatur in universo mundo.* Neque enim aliâ ratione Romanorum fides videtur fuisse annuntiata in omnibus mundi ecclesiis, nisi quia ab Apostolis eorumque discipulis in ecclesiarum constructione prædicantibus fidem, quæ una erat cum fide, quam Petrus Romæ prædicaverat, de hâc unitate ac de ipsius unitatis necessitate omnes moniti fuerant, ut animadverterent, non aliam futuram fidem veræ Christi Ecclesiæ, nisi quæ cum Petri fide Romanis tradita (1) conveniret. Hinc quidem profluxisse existimo, antiquissimam illam traditionem, cujus testis est vetustissimus Pater S. Irenæus (l. 3 advers. hær. c. 3), necesse esse scilicet omnes undique fideles et ecclesias convenire cum fide ecclesiæ Romanæ : de quo plura capite sequenti § 1. Id ex eo potissimùm pendet, quia Petri fides Romæ prædicata, et ad successores transmissa, Ecclesiæ petra et fundamentum est, cui omnes, qui volunt esse in Christi Ecclesiâ, inhæreant oportet, ut hactenùs probâsse mihi videor. Ex his autem omnibus palam consequitur, evangelicum testimonium : *Tu es Petrus,* etc., unius Petri fidem *petræ* nomine ita designare, ut cum hâc fide totius Ecclesiæ unitatem efflagitet, sicque *primatum et principatum fidei* in eo statuat, cujus peculiare jus ad unitatem potissimùm fidei exigendam porrigatur.

IV. *Eadem fidei unitas cum fide Romanorum pontificum successorum S. Petri eodem primatûs jure necessaria ostenditur. Pauca adduntur de clavium potestate, quæ eodem textu evangelico promissa S. Petro, æquali jure in successores ejus transivit.*

Cùm primatûs propria vis sit, quæ ad unitatem totius Ecclesiæ præcipuo jure continendam protenditur, vis utique coactiva unitatis potissimùm fidei cum fide S. Petri, quam ex

(1) Hanc unitatis et concordiæ in fide vim ipse Quesnellus detexit in laudatis Apostoli verbis, in quæ propterea notatum voluit in suis ad novum Testamentum observationibus: « Fides Ecclesiæ Romanæ jam inde ab initio « Ecclesiæ usque ad hoc tempus in mundo « universo celebratur. Consolatio est Catholi« cis antiquis et novis videre se IN EADEM « DOCTRINA JUNCTOS ILLI ECCLESIÆ. »

evangelico textu hactenùs explicato constituimus, primatûs Petri propria habenda est. Quod autem fuit proprium primatûs S. Petri, non in solo Petro sistere, sed in successores ejus Romanos pontifices transire pariter debuit, in quos eumdem primatum eodem cum jure ac vi in Ecclesiæ bonum transisse certum est. Igitur vis coactiva unitatis fidei totius Ecclesiæ cum fide Romanorum pontificum æquè admittenda est, ac illa quæ in Petro fuit. Enimverò cùm hæc vis à Christo fuerit primatui adnexa, ut unitati prospiceret, unitati autem Ecclesiæ non in illo initio tantùm, quandiù vixit Petrus, sed semper usque ad seculi finem prospiciendum fuerit, eadem vis non minùs Petri, quàm successorum ejus primatui à Christo tributa dicenda est. Sicuti porrò fides S. Petri, quæ totius Ecclesiæ unitatem divinâ institutione exigebat, ea fides fuit, quam Petrus suâ prædicatione Ecclesiæ proposuit, ita et ea fides, quam eâdem Petri auctoritate proponunt Romani pontifices, eamdem fidei unitatem divino pariter jure efflagitat, adeò ut non sola fides à Petro proposita et prædicata, sed illa etiam, quam proponunt et prædicant ejus successores, habenda sit illa *petra*, cui unitatis bono tota Ecclesia Christo instituente debet incumbere et inhærere. Secùs nihil erit præcipui juris, quod in unitatem Ecclesiæ ac in primatûs rationem Petri simul et successorum ejus proprium ex laudato evangelico textu congruâ interpretatione eliciatur, ut consideranti patebit.

Traditionem quidem si consulamus, eamdem unitatis fidei necessitatem cum S. Petri ac Romanæ sedis, seu Romanorum pontificum Petri successorum fide perpetuò agnovit, ut constabit ex dicendis capite sequenti. Certè iidem Petri successores eâdem ratione, quâ S. Petrus, Ecclesiæ *petra* à sanctis Patribus dicti inveniuntur. S. Augustinus in Psalmo contra partem Donati memoratis Romanæ sedis pontificibus, qui S. Petro successerunt, addidit : « Ipsa est petra, quam non vincunt superbæ « inferorum portæ. » S. Leo serm. 5, al. 4, in Anniversario assumptionis suæ c. 4 : « Soli« ditas enim illa, quam de petrâ Christo etiam « ipse (Petrus) petra factus accepit, in suos « quoque se transfudit hæredes ; » et ante ipsum Bonifacius I, Ep. 4, ad Rufum Thessalonicensem n. 1 : « Quam (Romanam sedem « constat dignatione petræ spiritalis elatam. » Mitto alia ejusdem generis plura, quæ respiciens Bossuetius in sermone ad comitia Cleri Gallicani an. 1681, id tanquàm certum ex fide prodidit, S. Petrum « in suis successoribus « semper esse petram, seu fundamentum fide« lium ; » eademque comitia in litteris anni sequentis 1682, ad universos Ecclesiæ Gallicanæ præsules tunc viventem summum Pontificem *Ecclesiæ petram* appellant. Eâdem porrò significatione hoc *petræ* nomen accipiendum est in Petri successoribus ac in Petro, ita ut fidem ab ipsis prædicatam ac propositam indicet. Quòd si consideres semper creditum fuisse, Romanos pontifices, cùm fidei doctrinam proponunt, non aliam proponere, nisi quam à S. Petro traditam et non interruptâ antistitum successione in eâdem Petri sede incorruptè servatam semper docuit (1) traditio, imò et adversarii ipsi confessi sunt; multò apertiùs intelligetur eorùmdem pontificum fidem, quam docent, habendam esse fidem ipsius S. Petri, quem sanè *semper in successoribus loquentem,* ut Bossuetius monuit, agnovit antiquitas, ac propterea æquè ac Petri fidem verè esse illam petram, cui tanquàm fundamento ex divinâ institutione totam Ecclesiam in unitate adhærere necesse est, ut ex textu evangelico antea explicato deduximus, qui cùm ad primatum S. Petri pertineat, eâdem ratione, quâ ad Petri, ad ejus successorum ejusdem primatûs hæredum fidem in idem unitatis bonum porrigitur. Hinc quidem laudatus Bossuetius lib. 10, al. 15, Defensionis declar. Cler. Gallic. c. 1, ubi præsens evangelicum testimonium exponit, ingenuè ex eodem fateri coactus fuit : « Quoties « successores Petri communem ecclesiarum « fidem ex communi traditione pro officio

(1) Hæc Romanorum pontificum peculiaris laus à Vincentio Lirinensi in Commonitorio n. 6, asseritur, ut traditam à majoribus doctrinam tenuerint atque defenderint. S. Augustinus, lib. 1 in Jul. n. 13, affirmat, Innocentium non aliud Africanis *respondere potuisse nisi quod antiquitùs Apostolica sedes et Romana cum cæteris tenet perseveranter ecclesiis.* Et similiter Zozimus, cùm in Cœlestium tulit sententiam, illud attendisse ab eodem Augustino traditur in lib. de Pecc. orig. c. 8 : *Quid de illo sentiret prædicanda in Domino Romanorum fides,* ea scilicet quam Romanis à Petro traditam S. Paulus laudat ad Rom. 1, v. 8. Hinc *fidem Apostolico ore laudatam* se consulere affirmavit S. Hieronymus, cùm Damasum in quæstione de Hypostasibus consuluit : quippe certum ipsi erat, non aliam fidem à Romanis pontificibus pronuntiari, qui non minùs *Petri cathedram,* quàm *fidem tenent,* ut olim fassus fuerat ipse Pelagius in libello fidei. Vide quæ pluribus ex traditione addentur capite sequenti, ac præsertim, quæ adnotabuntur capite 14.

« promererent, eorum decretum, prædicatio-« nem, fidem fore Ecclesiæ fundamentum, » seu illam petram fidei, cui in bonum *unitatis*, ut idem ait, *maximè in fide* tota adhærere debet Ecclesia. Confer integrum textum afferendum c. 14, infra, et de conditione « quoties « communem ecclesiarum fidem ex communi « traditione promerent, » vide adnotanda ibidem.

Reliqua essent sequentia evangelici textûs verba : *Et tibi dabo claves regni cœlorum, et quæcumque ligaveris super terram*, etc. Quæ non minùs quàm præcedentia ad primatum relata, aliquod peculiare jus primatûs proprium et S. Petri ac successorum ejus personale debent continere. Clavium nomen potestatem, seu jurisdictionem ecclesiasticam significat. Hæc clavium potestas non uni S. Petro, sed aliis etiam Apostolis à Christo communicata fuit iis verbis Matth. 18 : *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo; et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo.* Num idcircò Apostoli potestate pares S. Petro dicendi sunt? Qui primatum jurisdictionis, et non meri ordinis super ipsos Apostolos S. Petro asserunt divino jure concessum, ut vel adversarii cum omnibus Catholicis asserunt, ii jurisdictionem primatûs propriam agnoscunt, quæ aliis Apostolis communis non fuit : ùnde iidem adversarii fatentur Apostolos Petro æquales fuisse in omnibus, *excepto primatu*, id est, exceptâ jurisdictione propriâ primatûs, quæ cùm inter Apostolos *omnimodam æqualitatem* excludit, tum verò necessariam adstruit illorum « subordi-« nationem et subjectionem ad S. Petrum in « potestate supremâ, et regimine universalis « Ecclesiæ, » ut liquet ex constitutis cap. 3, ubi propositionem contrariam à sede Apostolicâ Gallis episcopis approbantibus damnatam expendimus. Jurisdictio autem primatûs propria, cui et Apostoli suberant (1), unitatem totius Ecclesiæ spectans, id potissimùm et primariò exigebat, ut Apostoli possent quidem omnia quæ poterat S. Petrus, sed salvâ semper cum eo unitate communionis et fidei, cujus ipse centrum fuerat à Christo constitutus, idque ita ut non solùm ipsi in futurorum temporum normam utramque unitatem præferrent et custodirent cum eodem S. Petro, verùm etiam ecclesias toto orbe ædificandas de eâdem unitate cum Petro et successoribus ejus servandâ instruerent. Vide quæ in hanc rem de unitate potissimùm fidei animadvertimus col. 995, 996, et in subjectâ adnotatione. Verba igitur evangelici textûs : *Et tibi dabo claves*, etc., hanc jurisdictionem primatûs propriam includunt, quæ necessaria Petro erat, ut omnes non solùm ad communionis, sed præsertim ad fidei ejusdem unitatem cogeret. Hinc jure Beda in eadem Matthæi verba scripsit : « Ideò B. « Petrus, qui Christum verâ fide confessus, « vero est amore secutus, specialiter claves « regni cœlorum, et principatum judiciariæ « potestatis accepit, ut omnes per orbem cre-« dentes intelligant, quia quicumque AB UNI-« TATE FIDEI, VEL SOCIETATE ILLIUS quo-« libet modo semetipsos segregant, tales nec « vinculis peccatorum absolvi, nec januam « possint regni cœlestis ingredi. » Quidquid autem jure primatûs verum est de Petro, de successoribus pariter ejus dicendum est, qui eodem primatûs jure in unitatis bonum potiuntur.

§ 2. *Confirmatur eadem necessitas unitatis fidei ex illis Lucæ* 22, v. 32 : Simon, Simon, ecce satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.

Cùm *fratres*, quos confirmari Christus jussit, fuerint præsertim Apostoli, ille autem, cui mandavit, ut eos confirmaret, Petrus fuerit; hic locus confirmandi officium et curam tradens, per sese non Apostolis communis, sed Petri proprius agnoscitur. Id etiam planè demonstrat contextus. Sermo Christi primùm erat ad omnes, et de tentatione ac periculo omnium : *Ecce satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum.* Dein huic tentationi ac periculo omnium ut Christus prospiceret, non cum omnibus ampliùs loquitur, sed ad unum Petrum sermonem dirigens : *Ego autem*, inquit, *rogavi pro te*, etc. *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* : ex quâ repentinâ mutatione, seu directione sermonis, constat in periculo omnium etiam

(1) Hâc de causâ iidem Galli primatûs jurisdictionem cum unitatis necessitate jungentes, ita illam explicant cum Habert part. 2, de Hierarchiâ ecclesiasticâ c. 5, § 5, quæst. 2 : « Ut servetur Ecclesiæ unitas et primatus « summi Pontificis, satis est, quod Christus « Apostolos et eorum successores (episcopos) « instituerit cum subordinatione, illos ad Pe-« trum, istos ad summum pontificem Petri « successorem. » Et post pauca : « Potestas « clavium data est Ecclesiæ, hoc est pontifici « et episcopis, et his quidem cum subordina-« tione ad pontificem Petri successorem. »

Apostolorum Petro præcipuè id curæ dedisse, ut illos à dæmone cribrandos seu tentandos confirmaret. Negari quidem nequit, quin et alios Apostolos præceptum hujusmodi aliunde afficeret, cùm et ipsi tentatos à dæmone confirmare deberent : unde de cujuslibet etiam prælati officio id testimonium nonnunquàm accipitur. Sed aliud est quod propriè et per se vi verborum atque circumstantiarum cuipiam mandatur; aliud verò quod aliunde ob rationis similitudinem ad alios transfertur. Etsi confirmandi munus erga suos cujusque subditos et oves prælatos omnes adstringat, id tamen officium erga omnes oves et prælatos, imò et Apostolos ipsos, sicut non convenit nisi illi, qui omnibus et ovibus et prælatis, et Apostolis præfectus sit; ita non nisi Petro conveniebat, qui jure primatûs omnibus præerat; ac proinde ad hunc unum Christus ejusmodi sermonem convertit. Hinc etiam cùm hic locus prælationis officium Petro committat, et prælationis quidem in omnes Christi discipulos et in Apostolos, quod primatûs est proprium ; jam hunc textum ad primatum statuendum pertinere dubitari non potest : ac propterea hocce evangelicum testimonium ad primatûs jura statuenda Patres æquè et simul etiam afferunt et inculcant, ac illud antecedenti paragrapho memoratum de petrâ, supra quam Ecclesia ædificata est.

Unitatem verò fidei quatenùs hic quoque textus respiciat, ejus explicatio ostendet. Primò Christus cum omnibus loquens, omnium periculum ac tentationem exposuit, uti monuimus. Hoc autem periculum ac tentationem omnium fuisse circa fidem ex eo colligitur, quòd in ejus tentationis periculique remedium se pro fide Petri rogâsse Christus testatur : præter propositum enim fuisset rogare pro fide, nisi de fidei periculis ac tentationibus ageretur. Hinc etiam quod Petro præcipitur, ut in hisce tentationibus atque periculis à dæmone injectis fratres confirmet, id officii ad fidem item referri indicatur, Petroque præceptum fuisse intelligitur, ut fratres, si quæ tentatio aut dissensio circa fidem irrepat, confirmet in fide, ne aliorsùm distrahantur; quod fidei unitatem in fratribus ac in totâ Ecclesiâ tuendam Petro ut primati concreditam atque commissam declarat. Si verò unitas fidei à Petro vindicanda et custodienda ratione primatûs non sine coactivo jure commissa dici debet ex cap. 9, procul dubio vis cogendi ad hanc fidei unitatem Petro tributa dicenda est : adeò ut, quando ipse huic officio satisfacturus in insurgentibus dissensionibus circa fidem, quænam sit vera fides edocens, fratres confirmare studeat in fide; ipsi in eamdem fidem et unitatem fidei eodem Christi præcepto adigantur. Frustra enim præceptum fuisset Petro, ut ex officio primatûs fratres confirmaret in fide, nisi ipsi ad hanc unitatem fidei eodem præcepto obligarentur.

Nunc istud evangelicum testimonium cum præcedenti: *Tu es Petrus*, etc., conferre placet, ut quàm præclarè in unitatis scopum conspirent et congruant, palam fiat. In primo testimonio Christus Petro primatum promittens, fidem ipsius petram futuram receperat, in quâ totius Ecclesiæ fides et unitas fidei tutè consisteret; et ita tutè consisteret, ut portæ inferi adversùs ipsam petram et fidem non prævalerent, et sic non prævalerent adversùs Ecclesiam, quæ tali fundamento incumbit: si enim prævalere possent adversùs fundamentum, possent etiam prævalere adversùs Ecclesiam, quæ ei fundamento et adhæret et debet adhærere, ut superiori paragrapho probavimus. Cùm porrò tempus accederet, quo promissa ædificatio Ecclesiæ supra Petri fidem prædicatione Evangelii facienda erat, ut hanc ejus fidem tanto fundamento et unitati conservandæ destinatam tutissimè præparatam ostenderet; se orâsse ait, ne illa deficeret, et ita juxta antecedentem promissionem adversùs ipsam portæ inferi non prævalerent; ipsique Apostolo fidei unitatem ex primatûs officio expressiùs committens, præcepit, ut fratres confirmans in periculis ac tentationibus fidei, eos in ejusdem fidei unitate contineret. Quod quidem officium Petro propterea impositum fuit à Christo, quia Ecclesiæ et fidei petra erat futurus, ut Theophilactus observavit. Sic enim Christum cum Petro inducit loquentem : « Quia te habeo ut principem discipulorum, postquàm negato me fleveris, confirma cæteros : sic enim te decet, qui post me Ecclesiæ petra es et fundamentum. » Imò Bossuetius in primâ pastorali epistolâ de Promissis Christi factis Ecclesiæ, id officium non solùm Petro ut petræ, sed in unitatis etiam bonum fuisse commissum fatetur à Christo, cùm textu laudato Petri cathedram erexit, « in quâ solâ, ut utamur SS. Patrum formulis, unitas ab omnibus servata est; cui si adhæreamus firmiter, de Christi promissis tutie rimus... Ipsi enim id curæ datum, ut fratres confirmet, ac idcircò evadat petra, supra quam immortale ædificium erat erigendum. » Idipsum fusiùs explicat in Medi-

tationibus super Evangelium die 70, ubi duo memorata evangelica testimonia maximè cohærere demonstrat. Commemoratâ enim Christi oratione pro fide Petri, ne deficeret, necnon efficaciâ orationis Christi ex illis ejus verbis ad Patrem, Joan. 11, vers. 42: *Sciebam quòd semper me audis,* addit : « Quis dubitare potest, « quin illius orationis vi S. Petrus obtinuerit « fidem constantem, invincibilem, inconcus« sam et ita copiosam, ut sufficeret ad confir« mandos non tantùm fideles, sed etiam suos « fratres Apostolos et pastores gregis impe« diendo ne cribrentur à Satanâ, quæ verba « mirificè referuntur ad illa, quibus Christus « dixerat : *Tu es Petrus,* etc. Ego Simonis no« men mutavi in nomen Petri ob significandam « soliditatem quam tibi volo communicare, « non modò pro te, verùm etiam pro totâ meâ « Ecclesiâ, quia super hanc petram volo illam « ædificare. Volo in te collocare modo eminenti « et peculiari prædicationem fidei, quæ erit « ejus fundamentum : » *Et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam ;* « id est, illa firma « consistet adversùs omnes Satanæ conatus, « adeò ut concuti non possit : quod quid est « aliud, nisi id quod Christus repetit : » *Satan expetivit vos, ut cribraret sicut triticum. Ego autem, Petre, rogavi pro te : tua fides non deficiet, et tu confirma fratres tuos.*

Ita porrò fides Petri, quæ Ecclesiæ petra et fundamentum futura erat, oratione et promissis Christi stabilis effecta, cæteros pariter, qui ei adhærescerent et inniterentur, satis tutos effecit. Hinc Christus pro Petri fide orans, pro cæterorum omnium et pro Ecclesiæ ipsius fide, quæ in eâ petrâ ac fundamento subsistit, orâsse intelligitur; unde auctor Quæstionum ex novo Testamento quæst. 75, non aliâ de causâ affirmavit, Christum orantem pro Petro orâsse pro omnibus, nisi quia « manifestum est « in Petro omnes contineri : semper enim in « præposito populus aut corripitur aut lau« datur. » Et apertiùs S. Leo : « Commune « erat omnibus Apostolis periculum de tenta« tione formidinis, et divinæ protectionis auxi« lio pariter indigebant, quoniam diabolus « omnes exagitare, omnes cupiebat elidere ; « et tamen specialis à Domino Petri cura sus« cipitur, et pro fide Petri propriè supplicatur, « tanquàm aliorum status certior sit futurus, si « mens principis victa non fuerit. In Petro « ergo omnium fortitudo munitur, et divinæ « gratiæ ita ordinatur auxilium, ut firmitas, « quæ per Christum Petro tribuitur, per Pe« trum Apostolis conferatur. » Præclarè etiam Bossuetius in laudatis Meditationibus die 70 : « Quoniam (Christus) in cohibendâ suorum « Apostolorum ambitione ita erat locutus, ut « ab iis qui ejus verba non satis ponderâssent, « credi potuerit, nullum primatum fuisse re« lictum, quin et diminutum fuisse illum [illegible] « Petro tradiderat; hoc loco perinde affatur, ut « oppositum palam demonstret. *Satanas*, inquit, « *expetivit vos, ut cribraret omnes : ego autem,* « *Petre, rogavi pro te,* pro te in particulari, pro « te distinctè; non quòd alios neglexerit, sed, « ut Patres exponunt, quòd firmato capite « impedire voluit ne membra nutarent. Ait « igitur, *rogavi pro te,* non verò, rogavi pro « vobis. » Quapropter qui hunc locum evangelicum de oratione Christi pro Petro, à Petro ad cæteros Apostolos transferunt, ac si non specialiter pro Petri fide Christus oraverit, sed æquè pro fide cæterorum, perperàm transferunt; id contra litteralem sententiam est. Quid enim Christus de omnibus initio locutus, cùm de omnium periculo seu tentatione præmonuit, non se orâsse dixit pro omnibus, ne eorum fides deficeret, sed sermonem de omnibus inchoatum veluti abrumpens, et ad unum Petrum convertens, se pro ipso orâsse affirmavit, si non specialiter et propriè orâsset pro ejus fide? Sequentia multò magis repugnant interpretantibus hunc locum propriè de Christi oratione pro fide omnium. Si enim æquè pro cæterorum omnium fide specialiter orâsset Christus ac pro fide Petri, confirmata æquè fuisset ipsâ oratione omnium et singulorum fides, nihilque fuisset causæ, cur istorum fides speciali fidei Petri confirmanda committeretur. Nunquàm sanè futurum erat, ut in fide deficerent Apostoli, qui si non hâc speciali oratione Christi, certè Spiritûs sancti adventu confirmandi erant, ut ne Petri confirmatione indigerent. At cùm Christus hoc loco, in quo non de Apostolorum tantùm, sed de episcoporum omnium, qui Apostolis debebant succedere, et de omnium Christianorum confirmatione agitur, Petri primatum institueret, et in hoc primatu instituendo totius Ecclesiæ fidei et unitati vellet providere; docere ipsam Ecclesiam voluit, quid officii et juris bono unitatis eidem Petro ejusque fidei specialiter traderet. Et sicut bono unitatis Petri fidem se positurum spoponderat tanquam firmam petram, cui omnes in unitate ejusdem fidei adhærerent, ita affirmat hoc loco *specialem* hujus fidei *curam* se *suscepisse*, et pro eâ *propriè supplicâsse* [illegible]

verba repeto), ut in eâ omnes, qui illi adhærescerent, confirmatum iri pernoscerent.

Porrò cùm hic quoque textus evangelicus ad Petri primatum ex constitutis pertineat; vis ejus unitatem fidei exigens, in Petro desiisse dici nequit, ut nonnulli perperàm censuère, sed ad successores ejus Romanos pontifices vis omninò eadem transivit, in quos idem primatus cum eâdem vi præsertim in unitatis bonum indiminutè traducta est. Equidem nihil erat, quod sub Petro timeretur præsertim ab Apostolis, quos in fide confirmatos animadvertimus. At declaratum fuit hoc loco, quid à Petro et Petri successoribus præstandum esset Apostolorum successoribus cæterisque Christianis in periculis fidei, ut fidei unitas servaretur. Egregiè admodùm Bossuetius in laudatis Meditationibus die 72 : « Debebat « semper in Ecclesiâ adesse Petrus, qui suos « fratres confirmaret in fide. Id remedium erat « opportunum, ut sententiarum unitas serva« retur, quam Salvator omnium maximè ex« petebat; et hæc auctoritas tantò magis erat « necessaria sub Apostolorum successoribus, « quantò horum fides minùs erat firma, quàm « illa ipsorum Apostolorum : » hancque auctoritatem in Romanos pontifices Petri successores transfusam declarat. Hanc quidem Romanis antistitibus evangelicum hunc textum aptârunt antiqui, perinde ac si ipsis dictum fuerit à Christo, quod Petro dictum fuit (1): *Confirma fratres tuos;* et aptârunt etiam in dissensionibus et periculis fidei, de quibus eumdem textum præcipuè accipiendum ostendimus. Idem ergo officium confirmandi in fide, eademque vis cogendi ad unitatem fidei in pontificibus Romanis, cùm id officium exequuntur, agnoscenda est ex hoc quoque evangelico testimonio, quemadmodùm in Petro fuit; nec eam negare, aut in dubium revocare quispiam potest, quin hanc vim Petro ratione primatûs tributam cum primatu ipso in successores ejus transmissam neget, quod ex præstitutis principiis non licet.

(1) Ipsis etiam, cùm ex officio fidem declarant, ut fidei unitatem tueantur, iidem antiqui aptârunt illam quoque contextùs particulam : *Oravi pro te, ut non deficiat fides tua,* illa scilicet fides, quæ prædicatione fidei petra et fundamentum Ecclesiæ est, et quâ fratres confirmandi sunt ob tuendam fidei unitatem. Hâc de re vide quæ fusiùs disserentur cap. 15, § 5. Casus autem quorumdam pontificum, qui errore notantur, quatenùs nihil obsint, eodem capite fusè explicabitur.

§ 3. *Illud quoque Joannis cap. 21, vers. 15, Petro specialiter dictum :* Pasce agnos meos, pasce oves meas, *eamdem necessitatem unitatis fidei demonstrat.*

Ab hoc tertio evangelico testimonio me breviùs expediam. Christus Dominus de unitate Ecclesiæ disserens Joannis 10, pastoris et gregis parabolam his verbis clausit : *Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili; et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor.* Hæc verba ad unitatem Ecclesiæ significandam prolata Patres tradunt, inter quos satis sit audire S. Cyprianum epist. 76, ad Magnum : « Ad quam unitatem « redigens (Christus) Ecclesiam, denuò dicit : « Et erit unus grex et unus pastor. » Ovile, seu grex unus unam Ecclesiam indicat, pastor autem unus ipse quidem Christus intelligitur apud Ezechielem promissus c. 34, vers. 33 : *Suscitabo super eos pastorem unum,* et c. 37, vers. 24 : *Pastor erit unus omnium eorum.* Cùm autem Ecclesia una, et unitas ipsius visibilis esse debeat, exigatque unum visibilem pastorem, qui toti gregi præsit (1), omnesque in unitate contineat; Christus antequàm hinc abiret, huic visibili unitati gregis prospecturus, unum visibilem ejusmodi pastorem post se relinquere omnibusque præficere voluit.

Hunc autem unum summum et visibilem Ecclesiæ pastorem post Christi mortem Petrum fuisse, cui uni cùm primatus in totam Ecclesiam actu traderetur, peculiariter bono unitatis dictum à Christo fuit : *Pasce agnos meos, pasce oves meas*, Patrum traditio dubitare non sinit. S. Augustinus serm. 46, c. 13: « In ipso Petro unitatem commendavit. Multi « erant Apostoli, et uni dicitur: *Pasce oves « meas.* » Apertiùs S. Bernardus, lib. 2 de Consid. cap. 8 : « Et fortè præsentes cæteri « condiscipuli erant, cùm committens uni, « unitatem commendaret in uno grege et in « uno pastore. » Licet ergo in Ecclesiâ plures pastores sint, et hi quidem dati Ecclesiæ, ut suis quisque in diœcesibus suarum ovium unitatem contineant atque custodiant, unus tamen Petrus et successores ejus Romani ponti-

(1) Enimverò cùm grex esse unus nequeat, nisi unus pariter sit omnium ovium pastor, per quem omnes oves in unum gregem cogantur; ea duo Christus non sejunxit, sed veluti connexa simul posuit, *ovile unum et unus pastor,* quo satis declaravit, Ecclesiam suam non aliter futuram unam, nisi unus pastor in unitatis gratiam omnibus præpositus sit.

fices sunt ille summus pastor, quem ad totius Ecclesiæ unitatem vindicandam atque conservandam omnibus non tam ovibus, quàm pastoribus præcipuo jure prælatum SS. Patres testantur. Non solùm enim agnos Petro commissos animadvertunt, verùm etiam oves, quo nomine ab agnis distincto pastores significantur. Hinc S. Bruno Astensis Homiliâ in vigiliâ festi S. Petri ait: « Priùs agnos, deinde oves « ei commisit, quia non solùm pastorem, sed « pastorem pastorum eum constituit. Pascit « igitur Petrus agnos, pascit et oves; pascit « filios, pascit et matres; regit et subditos, et « prælatos. Omnium igitur pastor est, quia « præter agnos et oves in Ecclesiâ nihil est. » Quam sententiam excepit etiam Bossuetius in Meditationibus super Evangelium die 70, et in sermone habito ad Cleri Gallicani comitia an. 1681, ubi etiam observat, eos qui « pasto- « res sunt relatè ad populum, relatè ad Petrum « oves esse. » Hinc *pastor pastorum omnium* Romanus pontifex dicitur à S. Bernardo, *alii pastores particularium gregum*. Vide quoque S. Epiphanium hæres. 75, in Aerio, et *Reformatorium* in concilio Constantiensi c. 6.

Hæc autem prærogativa supra omnes agnos et pastores ipsos uni summo pastori Petro ac successoribus ejus tributa fuit à Christo in bonum unitatis, in quam cùm omne primatûs jus ipsis collatum vidimus, vis utique cogendæ unitatis negari eisdem nequit, quâ cum ipsis cohærere debet universus Christi grex. In quo profectò grege cùm inferiores quoque pastores tanquàm Petri oves ex Bossuetii locutione contineantur, ipsi pariter suis cum gregibus in unitate Petri summi pastoris ac successorum ipsius debent consistere, ut sint ejus ovilis, quod Christus sub eodem uno pastore *unum* instituit. Non aliâ de causâ quævis Ecclesia unum ovile est, nisi quia est *pastori suo grex adhærens*, ut ex Cypriano diximus cap. 11. Nec ex pluribus particularibus ecclesiis, seu ovilibus unum conflatur, nisi quia omnes greges et pastores omnes veluti oves et agni S. Petro summo pastori ejusque successoribus in unitate adhærescunt.

Ad id autem non sufficit sola charitatis et communionis unitas. Unitatem præsertim doctrinæ seu fidei omninò requiri vel ex eo patet, quòd summus ille *unus pastor* uni ovili præfectus eâ conditione fuit, ut unus omnes pasceret expresso Christi mandato: *Pasce agnos meos, pasce oves meas* (et jure, nam pastor à pascendo appellatur), pascant verò Dominicum gregem pastores Christi potissimùm doctrinâ fidei; unde Bernardus: *Evangelizare*, inquit, *pascere est*. Igitur in id præsertim summus pastor constitutus fuit S. Petrus, ac successores, ut omnes agni ovesque fidei doctrinâ ab iisdem pascantur: idque cùm ad unitatem ovilis, seu Ecclesiæ sit à Christo institutum, quæ sine unitate fidei una esse non posset, fidei profectò unitas in hoc uno summo pastore instituendo potissimùm spectata fuit, ac propterea ab eo unâ eâdemque doctrinâ fidei omnes etiam inferiores pastores pasci, et (quod idem est) omnes cum eo in fide debent convenire, ut sint ex illo grege quem Christus pascendum Petro commisit: et hâc ratione ex ejusdem Christi instituto fiat *unum ovile, et unus pastor*. Hinc peropportunè Facultas theologica Duacensis die 31 julii an. 1714, evangelicum testimonium: *Pasce oves meas*, etc., ad necessariam fidei unitatem referens, declaravit, « ne- « cesse esse, ut fideles cum Petro ejusque suc- « cessoribus Ecclesiam pascentibus, seu ex « cathedrâ docentibus perpetuò consentiant, « nisi ab ovili Christi ut oves putridè sejungi « velint. » Ovium nimirùm est pastoris sui vocem audire et sequi; qui autem audire et sequi nolunt, ad eum pastorem nequaquàm pertinent, ut ex Evangelio discimus, ac idcircò de ejus ovili non sunt.

Vides tandem quàm probè omnia præcipua evangelica testimonia de primatu Petri hanc fidei unitatem maximè exigant. Sicut enim ex primo: *Tu es Petrus*, etc., nemo potest esse in Christi Ecclesiâ, nisi fidei Petri adhærescat, supra quam tota Ecclesia ædificata est; ex altero autem: *Simon, Simon, ecce Satanas*, etc., nemo potest esse inter Christi discipulos, nisi confirmetur ejusdem Petri fide, cui omnes suos discipulos in tentationibus fidei confirmandos idem Christus tradidit, ita ex tertio testimonio: *Pasce oves meas*, etc., nemo in ovili Christi, quod Petro præsertim commissum est, censeri potest, nisi eâdem Petri fide ac doctrinâ pascatur. Aptet nunc quicumque velit aliis Apostolis, vel episcopis, evangelicos textus, quos S. Petro ac successoribus ejus hactenùs consideravimus: aptet, inquam, in illis facultatibus, quæ ad communia apostolatûs vel episcopatûs munia aut jura pertinent, nihil morabor. At in unitatis totius Ecclesiæ, et unitatis præsertim fidei cogendæ ac tuendæ vi, quæ ad specialem et personalem Petri ac successorum ejus primatum, et ad propriam hujusce primatûs prærogativam, jus et officium spectat, si quis

ea evangelica testimonia peræquè accommodet Apostolis vel episcopis reliquis, minimè ferendum erit à Catholicis, qui præcipui juris primatum hàc peculiari et propriâ vi, quæ totius Ecclesiæ ac præsertim fidei unitatem custodiat et vindicet, præditum fateri debent, ita ut hæc vis æquè ad alios quoslibet nequeat extendi, quin primatus ipse præcipui et personalis juris destruatur. Vide, quo demùm recident, si quæ contra hactenùs constituta opponentur. Favebitur hâc viâ procul dubio hæreticis atque schismaticis, qui si simul evincant, evangelica de Petro testimonia ad primatum ejus præcipui juris adstruendum nihil conferre, nihil erit reliquum quod aliunde ipsis invictè objiciatur: facilè enim eludent atque elident ipsa traditionis monumenta, quæ Petri primatum iisdem testimoniis innixum inculcant. Id ego hoc loco repeto, nam adversarii, quos probè Catholicos novi, intelligant velim, quanta de re hoc capite egerimus, cùm unitatis ac fidei centrum in Petri sede ratione primatûs situm ex iisdem evangelicis testimoniis colligimus, quantùmque intersit, ipsos quoque æquæ eorumdem interpretationi acquiescentes idipsum fateri. Sed age, jam transeamus ad traditionem Patrum, quæ cum genuini Scripturarum sensûs sit fidissima interpres, si eamdem unitatis cum Romanâ sede, seu Romanis pontificibus successoribus S. Petri necessitatem, non in charitate et communione tantùm, sed præsertim in fide palam prodiderit, nihil erit quod de interpretatione ac sensu evangelicorum testimoniorum hactenùs à nobis explicato quispiam addubitet.

CAPUT XIII.

PROPOSITIO XIII. — *Eadem necessitas unitatis communionis et præsertim fidei omnium Christianorum cum S. Petri sede, et successoribus ejus Romanis pontificibus, traditione Patrum luculenter statuitur.*

Sicuti sacræ Scripturæ textus, quos antecedenti capite consideravimus, S. Petrum primum Romanum pontificem catholicæ unitatis centrum statuunt, quocum omnes Christiani uniti esse debent non solùm communione, verùm etiam in fide; ita traditionis testimonia, quæ in ejusdem unitatis necessitatem hoc capite proponentur, ad Petri successores Romanos pontifices potissimùm pertinent. Quòd si non pauca pro ipsis Romanis antistitibus Romanam Petri sedem, cathedram, vel ecclesiam nominent, nihil refert. Cùm enim non aliâ de causâ Romana sedes, cathedra, vel ecclesia præ aliis omnibus hoc peculiari jure potiatur, nisi propter *potentiorem* ejus *principalitatem*, ut vetustissimus Gallicanus Pater S. Irenæus loquitur eo celebri testimonio, quod § 1 expendemus, id est, propter primatum, qui personalis est Romanorum pontificum successorum S. Petri, quemadmodùm capite tertio ostendi; quæcumque hâc in re ad primatum personalem pertinente de necessariâ unitate cum Romanâ sede, cathedra, vel ecclesia dicuntur, de Romanorum pontificum personâ accipienda sunt. Id autem hoc loco præmonendum est, ne quis fortè in quibusdam testimoniis ex traditione recitandis legens mentionem fieri Romanæ Apostolicæ sedis, cathedræ, vel ecclesiæ, solemni illâ nonnullorum adversariorum distinctione inter Romanam sedem, cathedram, seu ecclesiam, ac inter pontificem in eâ præsidentem abreptus, existimet traditionem explicandam de necessariâ unitate cum eâ sede, cathedrâ et ecclesiâ, ut ne cum ipso pontifice necessaria sit. Quæ distinctio hoc in negotio personalem primatûs prærogativam attingente quàm sit inanis et inepta, satis ex hâc monitione, seu potiùs ex constitutis laudato capite tertio detegetur. Plura verò si desideres, vide quæ contra ipsam distinctionem fusiùs disseruntur cap. 14, § 5. De utrâque porrò charitatis, seu communionis ac fidei unitate cum Romanâ sede, vel cum Romanis pontificibus necessariâ, plures traditionis textus suppetunt, sed plerique, ut patebit, de necessariâ fidei unitate loquuntur, uti ad hanc præcipuè evangelica testimonia referuntur: adeò hæc præsertim unitas peculiari et præcipuo primatûs jure spectatur.

Neque verò hâc in re quempiam illud præjudicium impediat, quo ex multorum præsertim adversariorum sensu creditur Romanus pontifex errâsse aliquando, et errare posse in fide. Vide, quæso, num traditionis testimonia, quæ allaturi sumus, in exigendâ omninò unitate fidei omnium Christianorum cum fide Romanæ sedis et Romanorum pontificum, sint clara et convincentia; et num animadversiones in eamdem rem inde deducendæ, sint prorsùs legitimæ et manifestæ; et siquidem hæc sint ejusmodi de quo uno hoc capite agimus, sequetur quidem statim, eos in fide nec errâsse, nec posse errare, quibuscum in unitate fidei adhærendum esse traditio adeò constans et aperta prodit: nec quòd nonnulli eos errâsse aliquando, ac posse errare censue-

rint, aut censeant, movebit illos, qui certæ traditioni omnes opiniones subjiciendas, nullam præferendam cognoscunt. Id quoque plures adversarios pupugit, qui propterea ne tantæ ac tam manifestæ traditioni contrairent, inter Romanam sedem, vel ecclesiam, ad quam traditionis testimonia et unitatis necessitatem referendam opinantur, ac inter Romanos pontifices distinguendum putârunt. At sicut hæc distinctio ad tuendam suam opinionem inducta, partim ex dictis, partim ex dicendis expungenda est, ita objectos errores quorumdam pontificum, ex quibus eadem opinio probabilis videri potuit, vel falsis præsumptionibus nixos esse, vel non pertinere ad eam fidem quam iidem pontifices ex primatûs officio proposuerint ac declarârint, ut fratres confirmarent in fide, unitatemque fidei in Ecclesiâ tuerentur (hæc illa est, quæ cùm exigit unitatem, tum verò ex Christi promissis ab errore debet esse immunis), satis patebit ex iis quæ in ultimo hujus operis capite pluribus disseremus.

Illud tandem præmittendum, ne quis fortè inter traditionis testimonia omittenda fuisse existimet pauca quædam ex antiquis pontificibus sumpta, ac si istis suæ sedis, suique primatûs prærogativas commemorantibus, in propriâ causâ credendum non sit. « Sed absit (pro me respondet Bossuetius) : pari « enim jure dixerint, ne episcopis quidem aut « presbyteris esse adhibendam fidem, cùm sa« cerdotii sui honorem prædicant. Quod con« tra est : nam quibus Deus singularis honoris « dignitatisque prærogativam contulit, iisdem « inspirat verum de suâ potestate sensum ; ut « eâ in Domino, cùm res poposcerit, liberè et « confidenter utantur, fiatque illud quod ait « Paulus (1 Corinth. 2, vers. 12) : *Accepimus spiritum qui à Deo est, ut sciamus, quæ ab eo donata sunt nobis.* « Quod quidem hic semel « dicere placuit, ut temerariam ac pessimam « responsionem confutarem ; profiteorque me « de sedis Apostolicæ majestate, Romanorum « pontificum doctrinæ et traditioni credituè rum. Quanquàm eorum sedem non ipsi ma« gis quàm reliqui ac tota Ecclesia, atque « Orientales haud minùs quàm Occidentales « prædicant : » quod sanè sequentia declarabunt.

§ 1. *Insignis locus S. Irenæi, quo unitatem fidei cum Romanæ ecclesiæ, seu Romanorum pontificum fide, ex primatûs jure cunctis Christianis necessariam expressè affirmat.*

Traditionem exordiar ab antiquissimo Patre, Martyre et Lugdunensi episcopo S. Irenæo, qui apostolicorum Patrum suppar et auditor fuit. Is in libris quos contra hæreses pro catholicâ fide scripsit, eximium de primatu Romanæ sedis testimonium ponens, hujus primatûs vim in necessitate unitatis fidei omnibus Christianis impositâ veluti præcipuam inculcat. Perspicuè nimirùm de fidei doctrinâ, quæ in ecclesiâ Romanâ jam inde ab Apostolis per summos pontifices sibi invicem succedentes traditur, sermonem faciens, affirmat inprimis hâc doctrinâ hæreticos atque hæreses detegi atque refutari. « Maximæ et antiquissimæ et « omnibus cognitæ à gloriosissimis duobus « Apostolis Petro et Paulo Romæ fundatæ et « constitutæ ecclesiæ eam quam habet ab « Apostolis traditionem et annuntiatam ho« minibus fidem per successionem epicoporum « venientem usque ad nos, indicantes con« fundimus omnes eos qui quoquomodò vel « per suî placentiam malam, vel vanam glo« riam, vel per cæcitatem et malam senten« tiam, præterquàm oportet, colligunt. » Dein verò rationem allaturus, cur ex hujus Apostolicæ ecclesiæ potiùs quàm ex aliarum traditione ac fide hæreticos et hæreses dignoscendas atque confundendas proposuerit, primatum ejusdem Romanæ ecclesiæ proprium affert, cujus præcipuum jus illud esse declarat, ut cum eâ omnes undique catholicæ ecclesiæ in eâdem utique fide convenire, seu concordare debeant. « Ad hanc enim ecclesiam, inquit, « propter potentiorem principalitatem necesse « est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos « qui sunt undique fideles : » ut scilicet ex hâc concordiâ, seu unitate fidei cum fide Romanâ discernatur, quænam ecclesiæ, vel quinam Christiani teneant veram fidem veramque Christi doctrinam : aliàs si qui discordent, eorum doctrina hæresi deputetur. *Principalitatis* nomen (ut optimè advertit Ducangius) pro principatu vel primatu acceptum liquet ex Tertulliano de Animâ c. 13 : « Ad hoc dispi« cere superest principalitas ubi est, id est qui « cui præest. » Hinc Remigius Antissiodorensis in Cantica : « Caput ergo Ecclesiæ princi« palitas mentis intelligitur. » Et in libello precum Marcellini et Faustini ad Valentinianum atque Theodosium : « Vestræ principali-

« tatis imperium. » Porrò *principalitas*, seu primatus Romanæ ecclesiæ, vel sedis, quam et S. Cyprianus *principalem* similiter vocat, *potentior* ab Irenæo dicitur, ut primatus non meri ordinis et honoris, sed præcipuæ jurisdictionis significetur. Cùm ergo eam vim unitatis in eamdem fidem cogendæ *propter potentiorem principalitatem* Romanæ ecclesiæ tribuat, præcipuum hujusce primatûs jus in unitate fidei ab omnibus undique fidelibus et ecclesiis exigendâ collocatum expressè docet. Notandum est autem, quòd vis hæc coactiva unitatis fidei cum fide Romanæ ecclesiæ non refertur in puram et genuinam ejusdem ecclesiæ traditionem, quæ æquè pura ac genuina in aliis Apostolicis sedibus per id tempus poterat inveniri, ex. gr., in Ephesinâ et Smyrnensi, quas subinde Irenæus laudat ; sed in *potentiorem* illius *principalitatem* refertur, quæ ejusdem ecclesiæ, seu Romanorum pontificum propria, satis per sese ad ejus fidei, quam iidem pontifices tradunt, unitatem omnes Christianos cogit.

Idipsum aliâ ratione ex toto Irenæi contextu exploratiùs explicare et confirmare libet. Invictum loco laudato et peremptorium contra omnes hæreses argumentum S. episcopus intorquet ex traditione *in toto mundo manifestatâ* ab Apostolis, seu ex omnium ecclesiarum, quas instituerunt Apostoli, traditione. Ut autem hæc omnium ecclesiarum Apostolicarum traditio elucescat, recolendos ait « eos qui ab « Apostolis instituti sunt episcopi in ecclesiis « et successores eorum usque ad nos ; » et videndum, quid docuerint ac doceant ii quibus « locum magisterii tradiderunt ; » et si quidem inveniatur ipsos « nihil tale docuisse, « neque cognovisse, quale ab his (hæreticis) « deliratur ; » hos statim confundi oportebit. Notandum obiter Irenæum non existimâsse provocandum ad populum, vel clerum ecclesiarum Apostolicarum, ut Apostolica traditio ac fides ex ipsis erueretur, sed ad episcopos, quibus docendi munus et auctoritas est. Porrò ut omnium ejusmodi ecclesiarum detegeretur traditio, num interrogandos credidit omnium vel plurium Apostolicarum sedium episcopos? Cùm id nimiùm difficile ac longum nimis fuisset, solius Romanæ ecclesiæ successionem Irenæus subtexuit; et ad ostendendam omnium aliarum sedium ac totius Ecclesiæ traditionem, quâ satis superque confunderentur quæcumque hæreses, unius Romanæ Ecclesiæ traditionem ac fidem à Romanis pontificibus propositam sufficere judicavit. « Sed quoniam, « ait, valdè longum est in hoc tali volumine « omnium Ecclesiarum enumerare successiones, « maximæ et antiquissimæ et omnibus cognitæ « à gloriosissimis duobus Apostolis Romæ fun- « datæ et constitutæ Ecclesiæ, » etc., ut supra. Cur autem satis esse crediderit Romanorum pontificum seriem ac traditionem proferri ad ostendendam omnium aliarum Ecclesiarum ac totius catholicæ Ecclesiæ traditionem, quâ hæretici detegantur et confundantur, ut ne opus sit aliarum Apostolicarum Ecclesiarum successiones traditionemque adjicere, his ante relatis verbis probat : « Ad hanc enim Eccle- « siam (Romanam) propter potentiorem princi- « palitatem necesse est omnem convenire Ec- « clesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles, « in quâ semper ab his qui sunt undique, con- « servata est ea quæ est ab Apostolis traditio. » « Cognitâ ergo traditione ac doctrinâ fidei Romanæ Ecclesiæ ab ejus pontificibus ediscendâ, omnium catholicarum Ecclesiarum ac universæ Ecclesiæ traditio innotescit, quia certum est omnes cum eâ vi primatûs ejus in negotio fidei convenire oportere, et ex necessariâ fidei unitate in eâ « semper conservatam fuisse ab « his qui sunt undique (id est, ab omnibus verè « fidelibus totius orbis Ecclesiis), eam quæ ab « Apostolis est traditionem. » Vides non solùm necessariam unitatem omnium fidelium cum Romanâ traditione ac fide, verùm etiam semper ab omnibus verè fidelibus ita fuisse custoditam, ut ob hanc unitatem conservata fuerit Apostolica traditio ab iis verè fidelibus, qui eidem fidei constanter adhæserunt ; eos autem, qui ab eâ defecêre, ad hæresim deflexisse, et hæreseos notâ confundi oportere. Hoc argumentum à successione ac traditione Romanâ ductum adeò evidens et efficax Irenæo visum, ut recensitâ pontificum Romanorum successione concluserit : « Hâc ordinatione et successione « ea quæ est ab Apostolis in Ecclesiâ traditio « et veritatis præcontatio (id est, prædicatio) « pervenit usque ad nos. Et est plenissima hæc « ostensio, unam et eamdem vivificatricem fidem « esse, quæ in Ecclesiâ ab Apostolis usque nunc « sit conservata et tradita in veritate. » Non esset autem evidens et *plenissima ostensio*, nisi veram et absolutam necessitatem conveniendi cum Romanâ fide omnibus Catholicis impositam et exactè custoditam credidisset. Vide hoc de argumento dissertationem tertiam clarissimi editoris Galli P. Massuet., art. 4, ex quo hæc pauca excerpo : « Unius Ecclesiæ Romanæ « traditionem per continuam episcoporum suc-

« cessionem in eâ conservatam consulere satis « habuit (Irenæus), ut hæreticos omnes con« funderet, ratus jure merito, eâ semel cogni« tâ illicò aliarum omnium Ecclesiarum tra« ditionem, sententiam atque doctrinam co« gnosci. Cùm enim Ecclesia Romana omnium « princeps, caput et prima sit, omnium maxima « et antiquissima, et maximè cognita, ab Apo« stolorum principe Petro ejusque socio Paulo « fundata, quæ cæteris omnibus pro suo jure « præsit et dominetur, et *cum quâ omnes* omninò « fideles *unius et ejusdem fidei et communionis « vinculis colligari necesse sit;* inde liquidò patet « aliam esse non posse aliarum Ecclesiarum tra« ditionem et fidem à fide et traditione Romanæ « Ecclesiæ. Prætermissis itaque totius orbis Ec« clesiarum episcoporum catalogis, illius unius « continuam successionem recensere, ac, quæ « per hunc veluti canalem manavit usque ad nos, « traditionem Apostolorum declarare satis est, « ut ex communi omnium Ecclesiarum, quæ « cum Romanâ consentire debent, sententiâ « et traditione devincantur omnes hæretici. » Obiter porrò hoc loco animadvertendum maximè videtur, Ecclesiæ Romanæ fidei non ideò tantam vim Irenæum attribuere, à quâ dissentientes hæresis notam incurrant, quia ad ipsam reliquæ Ecclesiæ conveniunt in fidei doctrinâ, seu earum assensus invenitur accedere, sed ideò Irenæus docet, omnes Ecclesias in negotio fidei concordare cum Romanâ, quia propter vim primatûs necesse est omnes ad eam seu cum eâ convenire in fide, quod propriam vel præcipuam primatûs vim maximè declarat. Hæc ad explicandam genuinam sancti doctoris sententiam fusiùs dicenda putavi.

Ne quid verò studio partium videatur ingestum, nonnullos scriptores adversariis minimè suspectos, qui eamdem satis obviam Irenæi sententiam in recitato textu deprehenderunt, subjicere juverit. Necessitatem quidem unitatis in fide cum Romanâ Ecclesia ex eodem textu palam deduci fateri debuit Nectarius Hierosolymorum patriarcha, quantùmvis schismaticus (si modò ejus sunt, quæ Photiana typographia Jasii ad Transistranam Daciam edidit), tametsi ad elevandam sanctissimi et antiquissimi Patris auctoritatem id dictum assentationi seu favori adscribat. « Non mirum, inquit, si is qui sedi « Romanæ suberat, conabatur sibi subjectos ad « perfectum ejus obsequium provocare, quia et « omnes ubique, qui essent fideles, ad unita« tem ipsius propter potentiorem, ut ait, prin« cipalitatem. » In Antirethico de principatu Papæ demonstrat. 4, apud Papadopolum Prænotion. Mystagog. respons. 6, § 2, n. 5, pag. 351. Et postquàm agnovit hoc testimonio Romanam sedem Alexandrinæ et Antiochenæ præferri, concludit ex S. Doctoris sententiâ : « Necesse igitur est, si orbis universus coeat « congregeturque, hanc primum locum habere; « cæteras verò huic adhærere, non necessitate « subjectionis, sed lege ordinis et unitatis. » Quòd subjectionis necessitatem contra primatum jurisdictionis vir schismaticus excludit, id ex suâ interpretatione ac pravo sensu est; quòd autem unitatis legem ac necessitatem agnoscit, Irenæi mentem vel invitus exprimit. Unitatem verò fidei necessariam hoc Irenæi loco affirmari pervidit et confessus est etiam Salmasius in eo libro quem contra pontificium primatum lucubravit (De primatu Papæ c. 5, pag. 65), unde S. scriptoris textum his verbis pressiùs exposuit : « Necesse est, dicit, om« nem Ecclesiam convenire ad Romanam id « est, ut Græcè locutus fuerat Irenæus, συμβαίνει « πρὸς τὴν τῶν Ρωμαίων Ἐκκλησίαν, quod signifi« cat, convenire et concordare in rebus fidei « et doctrinâ cum Romanâ Ecclesiâ. » Et post pauca ab interprete græcissante dictum ait, « ad hanc convenire Ecclesiam, pro, cum hâc « convenire Ecclesiâ. » Consentiunt et Gallicani. Hinc conventus Cleri Medoluni habitus anno 1579, unitatem fidei cum Romanâ fide præcipiens, rationem attulit Irenæi verbis : « Ad hanc enim (Ecclesiam Romanam) propter « suam principalitatem necessum est omnem « convenire Ecclesiam. » Adeò hunc S. doctorem de necessitate unitatis fidei locutum credidit. Similiter Petrus de Marcâ id significare ait S. Irenæum *juxta sinceriorem* illorum verborum *interpretationem*, « eam esse vim unita« tis, quæ principium et originem à Petri sede « trahit, ut cum eâ sentiendi (utique in fide, de « quâ ipsius sancti contextus loquitur) necessi« tatem cæteris imponat. » (L. 1 Concord. c. 2, n. 6.) Neque disjungendus locus Paschasii [illegible] in eamdem interpretationem Quesnelli, [illegible] Memoriali, proteremus cap. 11, ex [illegible] hâc ubi Irenæi auctoritatem ex eo præsertim [illegible] in re maximi faciendum monet, quòd etsi Occidentis episcopus fuerit, Orientalis tamen origine fuit, omniumque Orientis Ecclesiarum traditionem ad nos attulit, litterisque transmisit scripsitque (ut addit Petrus de Marcâ) quod omnes sentiebant. Notatu quoque dignum est testimonium Jacobi Nicolai Colbert archiepiscopi Rothomagensis in Instructione pastorali

ad parochos suæ diœcesis datâ die 5 julii anno 1699, quæ legitur in editione Synodorum Rothomagensium part. 2, pag. 200. Hæc ad verbum Latinè reddita profero : « S. Irenæus « æquè urget hæreticos argumento traditionis; « et ad cognoscendum quid Apostoli docuerint, « remittit ad doctrinam Apostolicarum Eccle- « siarum, ac præsertim ad illam Ecclesiæ Roma- « næ, ad quam affirmat omnes fideles debere in « unitate adhærere ob suam auctoritatem prin- « cipalem. » Hæc ex Gallis, necnon ex hæreticis et schismaticis ipsis proferre libuit, ne quis Irenæum in meum systema à me violenter distortum suspicetur, sed eos potiùs, quicumque aliam interpretationem afferendam putârint, aliorsùm omninò à sensu obvio distrahere ejus verba omnes intelligant. Mirum enimverò accidere debet, inveniri quempiam potuisse, qui verbum, *convenire,* accipiendum crediderit de eo concursu, quo è toto Romano imperio variis de causis Romam tanquàm ad imperii caput quamplurimi confluebant. Quid enim hoc ad rem de quâ Irenæus ibidem agit? Num ex Romanæ Ecclesiæ fide ac traditione hæreticos confundi (quod sibi probandum idem sanctus proposuerat) eo argumento convincitur, quia omnes ex universis Romanis provinciis in urbem concurrere necesse est? Ridiculum et impertinens id fuisset. At si de necessitate conveniendi in fide cum Romanâ Ecclesiâ illud verbum sumatur, ut et præmissa et sequentia contextûs verba ad fidem pertinent, argumentatio legitima est, optimèque omnia cohærent. Confer, si libet, laudatum Irenæi editorem P. Massuetum in præfatione art. 4, n. 32, ubi hanc distortam interpretationem pluribus explodit.

§ 2. *Tertulliani testimonium ductum ex necessitate conveniendi cum fide Ecclesiarum Apostolicarum, quæ necessitatem evincit conveniendi cum fide præsertim Romanæ et Apostolicæ Ecclesiæ.*

Apostolicas Ecclesias, quas scilicet ipsi Apostoli ædificârunt, radices et matrices esse Apostolicæ fidei, quæ in alias subinde ab aliis in ejusdem fidei fundamento constructas manavit, rectè probat Tertullianus in libro de Præscriptionibus cap 21. Hinc vera Apostolica fides ut discernatur, exquiri voluit, conspiret necne cum harum Ecclesiarum fide, ex quibus tantùm propagari potuit : « Constat proinde, inquit, « omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis « matricibus et originalibus fide conspiret, ve- « ritati deputandam, id sine dubio tenentem, « quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli à Chri- « sto, Christus à Deo suscepit : reliquam verò « omnem doctrinam de mendacio præjudican- « dam. » Et infra : « Communicamus cum « Ecclesiis Apostolicis, quòd nulla doctrina « diversa : hoc est testimonium veritatis. » Quòd si cum fide Ecclesiarum Apostolicarum conspirare omnium Catholicorum fides debet, ut Apostolica et vera esse probetur, convenire præsertim debet cum fide Romanæ Ecclesiæ, quæ inter Apostolicas prima est, et primatûs jure conveniendi necessitatem omnibus undique fidelibus, ac proinde ipsis etiam Apostolicis imposuit Ecclesiis, ut ex Irenæo audivimus. Romanæ quidem Ecclesiæ auctoritatem Africanis fuisse maximam idem Tertullianus eodem in opere disertè prodidit cap. 36, ubi Romam nominat, « unde nobis quoque auctoritas præ- « stò est. » Et in unitatem profectò fidei, de quâ totus ibidem ab eo instituitur sermo, hanc auctoritatem apud Africanos obtinuisse, satis ostendunt illa quibus laudata Romanæ Ecclesiæ doctrina fidei hæc subjicit : « Videamus « quid dixerit, quid docuerit, quid cum Afri- « canis Ecclesiis contesserârit : » quod postremum verbum tesseram illam catholicæ communionis indicat, quam unius et ejusdem fidei testimonium affirmaverat cap. 20. *Contesseratio* enim *hospitalitatis,* quæ hoc capite vigesimo memoratur, refertur ad tesseram, seu libellum fidei, quem ab hospitibus Romana Ecclesia exigebat, ut illos post unius et ejusdem fidei professionem in S. Petri communionem reciperet; quam consuetudinem colligere licet ex concilio octavo act. 4, in fine, ubi hæc habentur : « Mos est in Romanâ Ecclesiâ ab omni « homine hospite libellum fidei exigendi, et « ita permitti hunc in S. Petrum intrare. » Idem ergo apud Tertullianum est *videre quid* Romana Ecclesia *cum Africanis Ecclesiis contesserârit,* ac videre, num communionem ob fidei unitatem eisdem Ecclesiis concesserit, non aliter sperandam, nisi credatur, *quid* illa Ecclesia *dixerit, quidve docuerit;* unde totus hic Tertulliani textus refertur ad unitatem fidei atque doctrinæ.

Specialis sanè ejusdem Romanæ Ecclesiæ auctoritas in hâc unitate, seu *contesseratione fidei,* ab Africanis exigenda, repeti potest ex origine, quâ videlicet à Romanâ Ecclesiâ *Evangelium ad ipsam Africam venit,* ut Augustinus scribit epist. 43, n. 7, unde *auctoritatis* nomen pro origine, seu pro vi et auctoritate quam origi-

nis ratio vindicat, à Tertulliano loco laudato *de Præscriptionibus* sumptum P. Lupus existimat. At hæc originis ratio pro Africanis aliisque Occidentalibus Ecclesiis Romanæ sedis peculiaris, generalem primatûs vim, quæ eamdem fidei unitatem ab omnibus etiam Orientalibus et Apostolicis quoque Ecclesiis (vide supra c. 12) jam inde ab Apostolorum origine exigit, haudquaquàm excludit. Imò fortiorem esse in exigendâ fidei unitate primatûs vim, quæ uni Romanæ Ecclesiæ præ omnibus Apostolicis competit, quam vim originis, quæ aliis quoque Ecclesiis Apostolicis congruit in illas quæ ex ipsis propagatæ fuerunt, inde patet, quòd aliis Apostolicis Ecclesiis jus nullum exigendæ unitatis fidei potuit competere, nisi ipsæ unitatem fidei cum Romanâ Ecclesiâ custodirent, à quâ unitate cùm primùm desciverunt, nullum ipsis jus in unitatem exigendam reliquum fuit, uti sanè nullum nunc eædem obtinent, cùm jam omnes ab ejus unitate defecerint. Adeò solius Romanæ Ecclesiæ unitas in fide præ omnibus aliis Apostolicis et originariis Ecclesiis necessaria est, et non ob meram originis, sed ob fortiorem et personalem primatûs vim necessaria, uti hinc quidem propter potentiorem principalitatem cum unâ Romanâ Ecclesiâ necessariam S. Irenæus affirmavit. Vide dicenda inferiùs, ubi de Apostolicitatis titulo redibit sermo.

§ 3. *Loca S. Cypriani, quæ unitatem communionis et fidei cum S. Petri cathedrâ, seu summo pontifice necessariam adstruunt. Difficultas ex quæstione de baptismo ab eo habitâ cum S. Stephano papâ excutitur.*

Plura hic sanctissimus martyr unitatis ecclesiasticæ propugnator acerrimus suggeret. Is nimirùm Romanæ sedis, seu S. Petri primatum magnificè prædicans, illud ferè unum tanquàm præcipuum frequenter urget, quòd exinde unitas catholica originem ducit. « Petri cathe« dra atque Ecclesia principalis, inquit epist. « 55, unde unitas sacerdotalis exorta est. » Et epist. 70 : « Una est Ecclesia à Christo Do« mino super Petrum origine unitatis et ratione « fundata. » Et epist. 73 : « Petrus super quem « Dominus ædificavit Ecclesiam, et unde unita« tis originem instituit. » Et in libro de Unitate Ecclesiæ : « Unitatis originem ab uno Petro « (de quo contextus loquitur) incipientem suâ « auctoritate disposuit. » Si autem catholicæ unitatis origo ab uno Petro est, præcipuam ergo et personalem vim unitatis formandæ eidem Petro traditam à Christo S. martyr agnovit, non verò meram vim ejus unitatis repræsentandæ. Quòd si in eodem libro hæc vis tantùm unitatis repræsentandæ Petro videtur attributa, cùm scribitur : « Ut unitatem mani« festaret, vel, ut Ecclesia Christi una monstre« tur; » non ideò tamen hæc à vi præcipuâ Petri unitatis ipsius originem continentis atque formantis disjungitur. Sic enim integer textus habet etiam ex editione Oxoniensi et Baluzianâ, ubi nonnulla pro primatu Petri olim vulgata, ex nonnullorum codicum lectione expuncta fuerunt. « Quamvis Apostolis « post resurrectionem suam parem potestatem « tribuat,... tamen ut unitatem manifestaret, « unitatis ejusdem originem ab uno incipien« tem suâ auctoritate disposuit. Hoc erant uti« que et cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari « consortio præditi et honoris et potestatis; « sed exordium ab unitate proficiscitur, ut Ec« clesia Christi una monstretur. » Petri primatum hinc everti Felus et Simon Goulartius contendunt, eò quòd Apostoli S. Petro potestate pares dicantur. Sed non observârunt pares dici omnes, exceptâ vi non solùm repræsentandæ, sed exordiendæ præsertim, seu formandæ unitatis, quæ uni Petro asseritur. Hanc autem vim aliis in locis à S. martyre constanter et luculentiùs expressam, ex ipsius mente vim esse primatûs propriam atque præcipuam dubitare non licet, cùm præsertim loco laudato ex epist. 55, Petri cathedram Ecclesiam principalem affirmet, ex quâ unitas sacerdotalis exorta est : quæ verba unitatis ejus formandæ vim principalitatis ipsius cathedræ propriam atque præcipuam significant.

Quomodò autem Petrus, et eodem jure successores ejus Romani pontifices sint catholicæ unitatis origo, eamque præcipuâ vi forment in totâ Ecclesiâ atque conservent, intelligi potest ex ejusdem Epist. 69, ubi Ecclesiam unam definiens, ejusque unitatem describens ait : « Plebs sacerdoti coadunata, et pastori « suo grex adhærens. » Siculi verò in particularibus Ecclesiis quilibet sacerdos et pastor, id est, episcopus unitatis suæ cujusque particularis Ecclesiæ origo est, eamdemque unitatem eatenùs format atque conservat, quatenùs ipsi, qui radix et centrum est unitatis, tota ipsius Ecclesiæ plebs coadunari, et totus grex adhærere in unum debet, ut ex plebis et gregis unione cum suo sacerdote atque pastore Ecclesia una fiat, ita in universali Ecclesia unus summus sacerdos ac pastor S. Petrus,

et Romanus pontifex, qui Petro succedit, catholicæ unitatis origo est, unitatemque totius Ecclesiæ catholicæ format et continet, quatenùs ipsi ut radici ac centro ejusdem unitatis, coadunari atque adhærere debent omnes et fideles et episcopi, ut ex pluribus particularibus plebibus gregibusque ei supremo sacerdoti atque pastori adhærentibus, unus grex et Ecclesia una universalis coalescat. Ita quidem optimè efficitur, ut Ecclesia catholica, pluribus licet in locis dispersa, « sit utique connexa et « cohærentium sibi invicem sacerdotum glutino « copulata, » uti à S. Cypriano in eâdem epistolâ traditur. Id scilicet aliâ ratione non fit, nisi quia omnes particulares Ecclesiæ suo cujusque episcopo adhærentes, per ipsos episcopos tanquàm sacerdotum glutino omnes copulantur in Petro et successoribus ejus, tanquàm in centro et origine unitatis totius catholicæ Ecclesiæ. à quo cùm sacerdotalem quoque unitatem exoriri tradat Cyprianus epist. 55, omnium quoque sacerdotum seu episcoporum unitatem eo in centro formari, et per hoc centrum cohærere sibi invicem omnes, eidemque unà cum suis plebibus omnes adhærere, et ita totam connecti Ecclesiam, unitatemque catholicam compingi et contineri indicavit. Hinc porrò intelligitur, quid sit, et quatenùs primatui nihil præjudicet illud, quod idem S. martyr scripsit in memorato libro de Unitate Ecclesiæ, cùm episcopatum unum et indivisum affirmavit, cujus à singulis in solidum pars tenetur. Ita episcopatus unus est ex Cypriani sententiâ, quomodò Ecclesia est una : ac proinde pars episcopatûs in solidum tenetur ab unoquoque episcopo, quatenùs ab unoquoque regitur sua particularis Ecclesia, seu suus particularis grex, qui est (1) pars Ecclesiæ totius: summus autem pontifex S. Petri successor, etsi uti episcopus unum particularem Romanum gregem regit, qui item catholicæ Ecclesiæ pars est, cùm tamen ex primatu, quo toti Ecclesiæ præsidet, unitatis totius Ecclesiæ centrum et origo sit ex ipsâ Cypriani sententiâ; in eo particulari Romano episcopatu, cui ob Ecclesiæ bonum alligatus fuit, uti ex (2) Bossuetio notavimus c. 1, eam episcopatûs partem tenet, in quâ tanquàm centrum cæteros omnes episcopos cum suis cujusque gregibus secum coagmentans, ex universis istis partibus secum unitis unam Ecclesiam et episcopatum unum efficit atque constituit. Hâc de causâ idem S. doctor eodem in opere exempla aut similitudines subjicit multorum ramorum, qui unum robur, seu arborem in radice, cui adhærescunt, efformant; necnon multorum rivorum, quorum unitas servatur in origine : quibus exemplis indicare profectò voluit, ex multis episcopis episcopatum unum, et ex multis ipsorum gregibus atque Ecclesiis particularibus unam Ecclesiam similiter constitui, propterea quòd in Romano pontifice, quem unitatis (1) radicem atque originem fassus est, omnes episcopi cum suis Ecclesiis coalescunt atque conglutinantur.

Ex his autem principiis à Cypriano præstitutis apertè sequitur necessitas unitatis omnium Ecclesiarum et episcoporum cum Romano pontifice, ut Ecclesia una et episcopatus unus compingatur atque servetur. Sicut autem cum episcopo, qui centrum est unitatis suæ particularis Ecclesiæ, adeò necessaria est singulorum ejus gregis unitas ex ipsius sancti martyris sententiâ (epist. 69), ut si quis cum episcopo non sit, in Ecclesiâ non sit; ita, imò multò magis cum Romano pontifice, qui centrum est unitatis totius catholicæ Ecclesiæ, unitas omnium adeò est necessaria, ut (2) si

(1) *Portio gregis singulis pastoribus adscripta* dicitur à Cypriano epist. 55.

(2) Ita quoque unitatis catholicæ centrum fixum ac certum est, ut in bonum unitatis esse debuit.

(1) In epist. 45, *catholicæ Ecclesiæ radicem et matricem* idem Cyprianus nominat Romanam Ecclesiam.

(2) Hinc in libro de Unit. Eccles. legitur : « Qui cathedram Petri, supra quem fundata « est Ecclesia, deserit, in Ecclesiâ esse confi- « dit? » Quæ verba si glossema quispiam velit Cyprianico textui insertum, similem tamen sententiam (uti rectè monuit editor Benedictinus) ex aliis locis ejusdem operis eliciet, cùm illum, ex. gr., qui ab eâ unitate recedit, haberi vult tanquàm ramum arboris à radice separatum, qui nec ad radicem, nec ad arborem ampliùs pertinet; ubi arbor ex Cypriani mente Ecclesiam significat, radix autem, unde arboris et ramorum unitas proficiscitur, significat Romanum pontificem, ex quo unitas Ecclesiæ originem ducit. Id pariter sequitur ex Cypriani principiis, quibus Petri cathedræ unitatis Ecclesiæ catholicæ originem asserit. Qui enim hanc deserit, deserens originem unitatis Ecclesiæ catholicæ, nec unitatem Ecclesiæ se tenere, nec in Ecclesiâ se esse confidere potest. Verùm ea verba uti Cyprianica satis vindicantur ex Pelagii II epist. 2, ad episcopos Istriæ, et à nonnullis etiam codicibus antiquis, ex quibus ea præferuntur in editionibus Manutii atque Pamelii, retinenturque in aliis Gallicanis etiam Rigaltii, exceptâ Baluzianâ. Certè hunc locum veluti genuinum S. Cypriani laudavit Clerus Gallicanus coactus Parisiis anno 1682, in litteris ad archiepiscopos, episco-

quis cum Romano pontifice non sit, nec sit in Ecclesiâ. Dixi *multò magis*, quia multò magis necessaria est unitas cum summo pontifice centro universalis, quàm cum episcopo centro particularis Ecclesiæ. Cum hoc enim particulari centro eatenùs necessaria est unitas, quatenùs ab eo separatus, à catholicæ quoque seu universalis Ecclesiæ centro, cui ipse cum suo grege adhæret, ac proinde ab ipsâ catholicâ Ecclesiâ separatus est : adeò ut si unitas cum summo pontifice unitatis catholicæ centro consisteret, nihil obesset separatio ab episcopo; sicut è contra unitas cum suo episcopo nihil prodesset, sicubi separatio à papâ obtineret. Cyprianus quidem perinde necessariam habuit unitatem cum Romano pontifice, ac unitas cum catholicâ Ecclesiâ necessaria est, quippe quòd non aliam novit Ecclesiam catholicam, nisi quæ *super unum Petrum ædificata*, eidem adhæret. Hinc unitatem cum Romanâ sede veluti unitatem catholicæ Ecclesiæ exhibet epist. 45, ad Cornelium papam, ubi de eâdem unitate sollicitus, se curâsse ait, ut : « Te collegæ nostri, et communionem tuam, « id est, catholicæ Ecclesiæ unitatem pariter « et charitatem probarent firmiter ac tene- « rent. » Rursùm epist. 52 ad Antonianum, communionem cum eodem Cornelio ita explicat : « Hoc est cum catholicâ Ecclesiâ commu- « nicare. » Qui ergo cum Romano pontifice non communicat, nec communicat cum Ecclesiâ catholicâ, et unitatis Ecclesiæ catholicæ expers est, qui cum illo unitatem non tenet. Enimverò cùm unitatis catholicæ centrum et radix sit Romanus pontifex, qui eam unitatem format et continet, ut ex Cypriano collegimus, non alia propriè est catholicæ Ecclesiæ unitas, nisi unitas cum Romano pontifice, ita ut jure idem sit communicare et unitatem tenere cum hoc, atque Ecclesiæ catholicæ communionem et unitatem tenere : adeò altera sine alterâ stare non potest, nec minùs una quàm altera necessaria est.

Neque verò ex his solius communionis unitatem cùm Romano pontifice novit Cyprianus, non verò unitatem fidei. De hâc quidem secundâ unitate non ita expressa suppetunt ejusdem S. martyris testimonia, quia de hâc expressè agendi occasio ipsi defuit. At nonnulla indicia seu principia ab eodem inspersa rem ipsam patefaciunt. Inprimis illud observare juvat, episcopatum unum ab eo appellari epist. 52, ex episcoporum multorum concordiâ : quæ quomodò fiat, explicat in libro de Unitate Ecclesiæ, ubi inculcat unanimem consensionem in pascendo Christi grege; et locum Pauli ad Ephesios c. 4, allegans, in quo varia inter capita unitatis una fides recensetur, hanc unitatem ab episcopis tenendam et vindicandam monet, « ut episcopatum quoque ipsum « unum atque indivisum probent. » Hinc sanè Salmasius hunc Cypriani textum exponens in libro de primatu Papæ c. 5, pag. 79, apertè fatetur : « Ut episcopi sint concordes et unum « episcopatum omnes constituant, consensus « sanè omnium facit, et in unam fidem ac « doctrinam unanimis conspiratio. » Equidem episcopatus eâdem unitate unus est, quâ Ecclesia est una, nimirùm tum communionis tum fidei unitate : et quatenùs omnes episcopi in ejusdem communionis ac fidei unitate coalescunt, omnes quantùmvis per orbem dispersi unum episcopatum constituunt. Cùm verò hujus unitatis sacerdotalis, seu episcopalis centrum et origo ex Cypriani sententiâ sit Romanus episcopus; ad istam unitatem formandam et continendam opus profectò est, omnes episcopos in ejusdem communionis et fidei unitatem cum eodem centro et origine convenire, ne quis centrum hoc et originem unitatis deserens, ipsam deserat unitatem, et episcopatum dividat atque discindat.

Apertiùs aliquantò de unitate fidei suam mentem Cyprianus explicat epist. 55, ad Cornelium, ubi (1) unum in Ecclesiâ episcopum esse et agnosci oportere statuit, non minùs ut schismata quàm ut hæreses impediantur. « Neque enim, inquit, aliunde hæreses obortæ « sunt, aut nata sunt schismata, quàm inde, « quòd sacerdoti Dei non obtemperatur, nec « unus in Ecclesiâ ad tempus sacerdos, et ad « tempus judex vice Christi cogitatur, » quibus similia leguntur in epist. 69. Cùm quispiam nullo in dogmate errans ab hujus sacerdotis communione se subtraxit, schismata exorta sunt; cùm verò ab ejus fidei doctrinâ se subduxit, natæ sunt hæreses. Agnosci igitur debet in Ecclesiâ unus sacerdos, vel episcopus, cum quo omnes communicent, ut impediantur

pos, etc., scribens : « Fidenter cum B. Cypriano pronuntiamus, eum qui cathedram « Petri, super quem fundata est Ecclesia, « deserit, in Ecclesiâ non esse. »

(1) Id sumptum videtur ex epist. 46 Cornelii ad ipsum Cyprianum, ubi unum episcopum in catholicâ Ecclesiâ esse debere ex ipsorum Novatianorum unitatem catholicam expetentium confessione proditur.

schismata, et cui in fidei unitate omnes cohæreant, ut hæresibus aditus intercipiatur; sicque in illo atque per illum tota catholicæ Ecclesiæ unitas vindicetur. Hic autem unus sacerdos aut episcopus, non quivis particularium Ecclesiarum episcopus esse potest, qui in solum suum particularem gregem jus habeat, sed unus est summus sacerdos Romanus episcopus, cui tota Ecclesia ac totius Ecclesiæ unitas commissa est. Quòd si unum sacerdotem, vel episcopum unum pro ipso episcopatu, qui in omnibus episcopis unus est, Cyprianus sumpsit, ut nonnulli existimant, quemadmodùm et apud Agobardum (de Privil. et Jur. sacerd. c. 2), omnes quoque fideles esse dicuntur sub capite summo unus sacerdos, id propositum nostrum ex Cypriani sententiâ nihil infirmat. Cùm enim ex ipsius mente episcopatus non aliter unus sit, quàm in Romano pontifice et in Petri cathedrâ, unde unitatem sacerdotalem, id est, episcopatûs unitatem, exortam tradidit; communionis et fidei unitas ad impedienda schismata et hæreses non aliter per unum episcopatum vindicari et custodiri poterit, nisi omnes etiam episcopi cum Petri cathedrâ, seu cum Romano pontifice S. Petri successore non minùs communionis, quàm fidei unitate adhærescant. Id autem multò magis suadebitur, si animadvertamus hæreses quidem nunquàm natas fuisse in Ecclesiâ adhærendo huic centro unitatis et catholicæ fidei, at natas deserendo; licet idcircò quis se ab hujus sedis fide separaverit, ut adhæreret alicui etiam Apostolicarum sedium episcopo, qui fidei causâ Romanum pontificem deseruerat, ut ex ecclesiasticis Annalibus notum est. Itaque ex Cypriani principiis stat, cum Romano pontifice non minùs fidei, quàm communionis unitate adhærendum esse, ne in partem alteram catholica unitas discindatur.

Hìc opponet fortassè quispiam ea quæ idem Cyprianus contra Stephani pontificis decretum scripsit in disputatione de hæreticorum baptismo, in quâ cùm ipsius decreti sententiam errore notaverit, unitatem fidei cum eo tenendam non credidit. Hæc verò si intelligantur de errore definitionis pontificiæ in doctrinâ fidei, conciliari procul dubio nequeunt cum iis quæ ante exortam de baptismo quæstionem Cyprianus scripserat ad Cornelium Stephani prædecessorem epist. 55. ubi impugnans Fortunatum et Felicissimum, aliosque Africæ schismaticos, qui se cum mendaciorum suorum merce Romam transmiserant ad fallendum pontificem, eorum audaciam his verbis coarguit: « Navigare audent, et ad Petri cathedram « atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas « sacerdotalis orta est, à schismaticis et pro- « fanis litteras ferre; nec cogitare eos esse « Romanos, quorum fides Apostolo prædicante « laudata est, ad quos perfidia habere non pos- « sit accessum. » Si perfidia, seu error in fide ad Romanos pontifices (*ad Romanos pontifices* inquam; quæ enim prærogativæ Romanis tribuuntur et competunt, è ratione primatûs dimanant, qui summorum pontificum personalis est ex constitutis c. 3, idque multò magis valet, cùm agitur de materiâ fidei, cujus doctrina ab episcopo, qui docendi cathedram tenet, omninò pendet), non solùm non habuit, sed nec habere potest accessum; quis non videat, cum his haudquaquàm cohærere illa quibus Cyprianus Stephano unà cum Romanis eidem adhærentibus errorem in negotio fidei impegisse credatur? Ipse quidem Cyprianus in hâc causâ erravit, ut omnes fatentur, non verò Stephanus, quem ab omni erroris suspicione luculentissimè vindicârunt inter cæteros P. Constantius dissertatione in tomo 1 Epist. Roman. pontificum vulgatâ, et ejusdem Stephani epist. subjectâ pag. 227, necnon Jacobus Benignus Bossuetius in Gallico opere contra Dupinum tomo 2 operum posthumorum edit. Paris. anno 1753, p. 538, et ideò quidem erravit Cyprianus, quia Stephani decreto non adhæsit. Errore ergo impeditus, non tam contra Stephanum scripsit Carthaginensis episcopus, verùm etiam contra seipsum quodammodò, seu contra illa quæ ante ejusmodi dissidium ad Cornelium scripserat. Num verò credendum est iis quæ pro errore et ex erroris præjudicio scripsit contra decretum Stephani, an potiùs iis quæ nullo erroris præjudicio abreptus, in litteris ad Cornelium professus fuerat cum aliis itidem ab sese alibi scriptis cohærens, ex quibus non tam communionis quàm fidei unitas necessaria colligitur cum eâ cathedrâ principali unitatis centro atque radice, quæ omnes Ecclesias secum adhærentes in unitate continens, fidem Apostolico ore laudatam ita integram servat, ut ad eam perfidia et error fidei non habeat, nec habere possit accessum? Hâc in re Tertulliani exemplum mihi venit in mentem, qui postquàm Montanistarum hæresi fuit irretitus, Apostolicarum Ecclesiarum communionem ac traditionem, quam antea tantoperè prædicaverat, posthabuit. Num quis hinc contra Apostolicas traditiones argumen-

tum ducet, earumque vim summam et ineluctabilem ex Tertulliani libro de Præscriptionibus constituendam omittet? Cùm ille post tam insigne testimonium veluti tempestate delatus esset ad Montanistas, quibus utique nulla erat cum Apostolicis Ecclesiis communio, omnisque Apostolica adversabatur traditio; tanto præjudicio occupatus, quid ex principiis in libro Præscriptionum statutis flueret, videre non potuit. Simile quidpiam etiam de S. Cypriano dicendum videtur, cùm in quæstione de hæreticorum baptismo pro errore contra Stephani papæ decretum pugnavit. Quam comparationem non perinde accipi velim, ac si paris pertinaciæ et gravitatis fuerit Cypriani ac Tertulliani error, cùm mihi notum sit multis nominibus errorem Cypriani sanctissimi episcopi excusabilem, imò et venialem fuisse; sed eo tantùm sensu atque consilio eamdem comparationem proposui, ut quisque animadvertat, veram Cypriani mentem circa pontificiam auctoritatem, et unitatis necessitatem non ex iis locis deducendam, quæ idem Cyprianus æstu disputationis abreptus in defensionem erroris adversùs Stephanum scripsit, sed ex iis quæ ipse ab ejusmodi præjudiciis liber, pro Apostolicæ cathedræ prærogativâ et pro necessariâ non tam communionis quàm fidei unitate, cohærens cum aliorum Patrum traditione ante hanc controversiam statuerat.

Cæterùm veriorem S. Cypriani excusationem in memorato errore tuendo non ex eo tantùm sumendam existimo, quòd in re multis altercationum nebulis involutâ ac tum maximè controversâ, majorum suorum consuetudinem gravissimis non tam rationum quàm auctoritatum momentis nixam, synodis etiam provincialibus approbatam, nondùmque concilio plenario rejectam defenderit; verùm etiam quia neque ab ipso Stephano fuerat dogmatico judicio definita in iis ad Cyprianum litteris, in quibus nulla fuit propriè dicta definitio fidei, sed præceptum practicum, quo idem pontifex nihil ex catholicâ fide credendum proponens, in modo recipiendi eos qui ab hæresi ad unitatem Ecclesiæ venirent, consuetudinem Romanæ Ecclesiæ ita amplectendam præscribebat, ut ab illis qui diversam consuetudinem non solùm in Africanis, sed et in aliquot Asiæ populosissimis atque insignibus provinciis à majoribus receptam, synodicisque constitutis munitam sequerentur, Stephani decretum referri potuerit ad materiem non fidei, sed disciplinæ, vel opinionis nondùm definitæ, in quâ non perinde unitas cum Romanâ Ecclesiâ necessaria est, ut in dogmatibus ac definitionibus fidei est penitùs necessaria. Nullam verò propriè dictam definitionem fidei in Stephani litteris ad Cyprianum hâc in re fuisse expressam, sed merum præceptum, quod ad disciplinam et opinionem diutiùs etiam post Cypriani ac Stephani ætatem relatum fuit, patebit ex dicendis infra, ubi de hoc argumento aliâ congruentiori occasione agendum erit. Cyprianum procul dubiò suam consuetudinem atque sententiam etsi ad materiam fidei aliquot in locis videatur referre, non tamen ad proprium et certum dogma fidei definitione constitutum, sed ad opinionem quæ in ipsis disciplinæ controversiis locum habet, retulisse ex eo manifestum est, quòd nemini aliter sentienti præjudicari voluit, quominùs unusquisque quod putaverit sentiat, et quod senserit faciat. Neminem (ut in concilio tertio Carthaginensi ait) judicantes, et à jure communionis, si diversum senserit, amoventes (Epist. ad Magnum.) Stephanus quoque in hâc materiâ, quæ reipsâ pertinebat ad fidem, sed in magnam controversiam inter catholicos doctos sanctosque episcopos adductâ, nondùm fuerat peremptorio judicio definita, suum decretum ita temperavit, ut Romanam consuetudinem, quæ veram doctrinam continebat, præcepto et excommunicationis minis sequendam præscribens, veræ doctrinæ provideret; sed œconomiæ causa in tantâ tot provinciarum et episcoporum dissensione definitionem propriè dictam suspendens, neminemque repugnantem actu separans à communione et unitate Ecclesiæ, ipsum dogma ita reliquit indecisum, ut si qui adhuc repugnarent, peccare quidem possent inobedientiâ, scandalo, temeritate, si præsertim in acerbiora verba contra præcipientem excurrerent, at quoad res, seu dogma indefinitum maneret, deduci exinde non posset, nec possit, eos deseruisse fidei unitatem, hancque cum sede Apostolicâ seu cum fide à Romanis pontificibus propositâ ac definitâ necessariam non credidisse. S. Cyprianum quidem, qui in hoc dissidio tantam sollicitudinem prætulit, ne abrumperet unitatem communionis et pacis cum Romano pontifice et sede Apostolicâ, quam catholicæ unitatis centrum et originem fatebatur, à fidei unitate, ob quam unitas communionis est necessaria, voluisse desciscere, quasi hanc æquè saltem necessariam non crederet, affirmari poterit nemo, qui cum principiis ejus antea propositis cohærere velit.

§ 4. *Firmiliani, Paciani et Optati testimonia. Donatistarum aliorumque veterum schismaticorum hæreticorumque sententiæ expensæ.*

Cypriani testimoniis subjicio locum Firmiliani episcopi Cæsareæ Cappadociæ ex epistolâ 75 inter Cyprianicas. Neque pro confirmandâ necessitate unitatis cum Romano pontifice minimi habenda credantur verba illius, qui adversùs S. Stephanum papam acerbiùs scribens, unitatem et communionem ejus parvi fecisse videri potest. Accidere enim Firmiliano potuit, quod aliâ occasione de aliis observavit Bossuetius, ut ille scilicet principium optimum in rem præsentem viderit, at præoccupationibus causæque præjudiciis impeditus, consequentiam non viderit. En Firmiliani textum, col. 308, 2, edit. Ven. Cyprian. : « Atque ego in « hâc parte justè indignor ad hanc tam apertam « et manifestam Stephani stultitiam, quòd qui « sic de episcopatûs sui loco gloriatur, et se successionem Petri tenere contendit, super quem « fundamenta Ecclesiæ collocata sunt, multas « alias petras inducat, et Ecclesiarum multarum « nova ædificia constituat, dùm esse illic bapti- « sma suâ auctoritate defendit. Nam qui baptizantur, complent sine dubio Ecclesiæ nume- « rum. Qui autem baptisma eorum probat, de baptizatis et Ecclesiam illic esse confirmat : nec « intelligit obfuscari à se et quodammodò aboleri « christianæ petræ veritatem, qui sic prodit et « deserit unitatem. » Vidit ex his proculdubiò Firmilianus nonnisi unam esse posse petram, super quam unius Ecclesiæ fundamentum collocatum est, et in hâc unâ petrâ Ecclesiæ unitatem contineri. Hanc unam petram fundamentum Ecclesiæ se ex Petri successione esse Stephanus in suis litteris indicaverat. Non id Firmilianus reprehendit, aut negat : imò hinc argumentans alias petras non esse ponendas, istud veluti principium certissimum habuit ex eo ipso evangelico testimonio, quod de Petro ac successoribus ejus accipiendum etiam S. Cyprianus affirmavit. Id solum ille ex suâ opinione quasi contradictorium reprehendit in Stephano, quòd approbans baptisma ab hæreticis collatum, plures petras et plures Ecclesias pro hæresum multitudine inducere, et sic unitatem Ecclesiæ scindere crederetur. Erravit quidem ille, dùm id credidit. At in unâ petrâ agnoscendâ, quæ unitatem Ecclesiæ ab uno incipientem formaret et contineret, quæque à nullo deserenda esset, nisi unitatem Ecclesiæ simul desereret, nequaquàm erravit, sed id agnovit, quod omnes Catholici fatebantur : et si hanc petram novit Romanum pontificem successorem S. Petri, super quem fundamenta Ecclesiæ collocata sunt, ut et Cyprianus Stephano concinens aliis verbis scripserat; utique in hâc petrâ contineri novit unitatem Ecclesiæ, unitatemque cum eâdem petrâ, seu cum Romanis pontificibus omninò tenendam præsumere debuit, ut cum Cypriano penitùs conspiraret. Hoc principium ex Firmiliano deduxisse satis mihi nunc est : qui si in disputationis æstu in quædam verba excurrit, ex quibus non multùm timuisse videatur admittendâ ejus petræ communione et unitate, siquidem Stephanus communionem abrupisset ; quod tamen factum non fuit (vide infra); principium certum utique vidisset, consequentiam non vidisset ; neque enim vidisset eum qui separari se sineret ab hâc petrâ, aliam petram inducere ab illâ diversam, super quam unam Ecclesia à Christo collocata est, sicque abs se verè, non autem à Stephano, « obfuscari et aboleri christianæ petræ veritatem, qui sic proderet et desereret unitatem. » Confer quæ de Firmiliano adnotavimus cap. 11, versùs principium.

Paciani Barcinonensis et Optati Milevitani, qui coætanei fuerunt auctores, testimonia producam. Pacianus epist. 3 : « Ipso referente « Matthæo paulò superiùs ad Petrum locutus est « Dominus, ad unum ideò, ut unitatem forma- « ret ex uno, mox idipsum in commune præci- « piens. » Respicit potestatem ligandi atque solvendi, quæ priùs uni Petro data fuit à Christo, uti legitur apud Matthæum c. 16 ; dein verò post resurrectionem omnibus simul Apostolis communicata, uti apud Joannem c. 20. Vides autem rationem tradendæ ejus potestatis priùs uni Petro (utique causa primatûs, ad quem totus ille evangelicus contextus pertinet) referri ad unitatem Ecclesiæ, quæ non merè repræsentaretur in uno Petro, sed ex ipso uno formaretur. Unitas porrò omnium ex uno formari nequit, nisi omnes cum illo uno conveniant atque uniantur, quod vim in eo præcipuam exigit, quâ omnes ad unitatem secum custodiendam obligentur.

Similiter Optatus, qui lib. 7 in Parmenianum c. 3, « bono unitatis B. Petrum..... præferri « Apostolis omnibus meruisse » tradit lib. 2, c. 2. Episcopalem cathedram, quam unam in totâ Ecclesiâ esse pronuntiat, idcircò uni Petro collatam affirmat, ut « in eâ unâ cathedrâ unitas « ab omnibus servaretur ; » quæ in eamdem Paciani sententiam conspirant. Optati autem

verba hæc sunt : « Negare non potes, scire te « in urbe Româ Petro primò cathedram episco« palem esse collatam, in quâ sederit omnium « Apostolorum caput Petrus, unde et Cephas « appellatus est, in quâ unâ cathedrâ unitas ab « omnibus servaretur, ne cæteri Apostoli singu« las sibi quisque defenderent, ut jam schisma« ticus et peccator esset, qui contra singularem « cathedram, alteram collocaret. Ergo cathedram « unicam, quæ est prima de dotibus (Ecclesiæ), « sedit prior Petrus, cui successit Linus, Lino « successit Clemens, » etc., ubi Petri successorum catalogum texit ad Siricium usque, « qui « noster, inquit, est socius, cum quo nobiscum « totus orbis commercio formatarum in unâ « communionis societate concordat. » In hunc Optati textum nonnulla consideranda sunt. Cathedræ nomen auctoritatem episcopalem innuit; unde episcoporum tantùm cathedra propria est. Ita porrò cathedra una, unica, singularis in totâ Ecclesiâ dicitur ab Optato, uti episcopatum unum à Cypriano appellatum vidimus non minùs quàm (1) cathedram unam, ut ne alii episcopi ab episcopatu vel cathedrâ excludantur. Sicut enim unius episcopatûs partem singuli tenent propriam, ex quibus omnibus simul cohærentibus unus episcopatus coalescit, ita et cathedræ unius partem tenent singuli, ex quibus omnibus copulatis una cathedra efficitur. At sicut episcopatûs unitas formatur in Petro, quatenùs omnes Petro supremo episcopo in unitate communionis et fidei adhærescunt; ita quatenùs omnes Petri cathedræ utrâque unitate adhærent, cathedra in Petro pariter una efficitur; et hâc ratione in eâ unâ cathedrâ unitas servatur ab omnibus, ne cæteri Apostoli singulas (id est, separatas cathedras) sibi quisque defendant, atque constituant. Ne cæteri Apostoli, inquit, unde intelligimus ex Optati sententiâ etiam Apostolos in unâ Petri, nempe capitis sui, cathedrâ unitatem servare debuisse, idipsumque debere præstare totius orbis episcopos Apostolorum successores, quos quidem omnes hâc de causâ cum Romano Pontifice S. Petri successore formatarum societate communicare et concordare testatur.

Unitatem quidem communionis cum Petri cathedrâ necessariam ex ipso Optati textu omnes agnoscunt, cùm adversùs Donatistas agat, ut eos ab hujus cathedræ communione separatos aperti schismatis coarguat; unde ait : « Ut « jam schismaticus et peccator esset, qui contra « singularem cathedram alteram collocaret. » Hinc etiam mox se ac totum orbem cum eâ cathedrâ, seu cum Romano pontifice in unâ communionis societate concordem pro verâ Ecclesiâ habendum contendit; similiter c. 6 ait : « Cathedra, quam probavimus per Petrum, « nostra est, » id est, interpretante Albaspineo, « per communionem, quam habemus cum « summo pontifice. » Et c. 9, in eamdem sententiam : « Cathedra Petri, quæ nostra est. » Eamdem communionem custodiendam iterùm suadet lib. 7, c. 3, Apostolorum exemplo, qui « bono unitatis per charitatem noluerunt à « Petri (licet Christum negâsset) communione « recedere; » idque ex institutione ipsius Christi derivat, quem idcircò claves regni cœlorum supremam auctoritatem significantes soli Petro dedisse ait, ut unitatis negotium formaretur. Unitatem quidem servari ab omnibus in Petri cathedrâ per unitatem communionis ipse Dupinus exponit : « Cui adhærentes, inquiens, in « unâ communione perstarent. » Et dein loquens de Siricio : « Cum quo communionem habemus, « et per eum cum omnibus aliis episcopis, qui per « epistolas, ut appellant, formatas cum ipso « communicant. »

At si consideremus cathedræ nomine, quo episcopalis auctoritas innuitur, eam præsertim auctoritatem significari, quâ episcopi doctrinam fidei et morum ex cathedrâ, ut aiunt, id est, tanquàm Ecclesiæ magistri atque doctores proponunt et docent, ut ex Hieronymo explicabimus infra; unitatem potissimùm fidei atque doctrinæ cum Romanâ cathedrâ custodiendam agnosces, ut cathedræ, id est, doctrinæ et fidei unitas in illâ servetur, et hâc ratione intelligatur propriè dicta *cathedra una* in totâ Ecclesiâ catholicâ, quatenùs una est doctrina fidei, quæ ab omnibus catholicæ Ecclesiæ episcopis in unitate Romanæ fidei traditur. Enimverò notandum est, hanc cathedram quam Optatus *unam et singularem* in totâ Ecclesiâ affirmat, quamque omnes catholici episcopi tenere aliquo modo debent, ne extra singularem cathedram alteram collocent, ab eodem Optato dici cathedram Petri seu Romanam in quâ sedit prior Petrus, dein Linus, et cæteri Petri successores Romani pontifices. « Eo au« tem sensu, inquit Maimburgus, omnes episcopi « sedent super Petri cathedram, quo omnes an« tiquæ legis doctores super Moysis cathedram « sederunt, » de Prærogat. Rom. Eccl. c. 3. Optimè. At non aliter illi, variis licet in locis

(1) Ita Cyprianus epist. 40, cathedram unam super petram Domini voce fundatam affirmat.

dispersi, sederunt super cathedram Moysis, nisi quatenùs omnes camdem Moysis doctrinam tradidère : unde hanc doctrinæ unitatem respiciens Christus dixit : *Super cathedram Moysis sederunt Scribæ et Pharisæi. Quæcumque dixerint vobis, servate et facite* ; in quæ verba Hieronymus : Per *cathedram* doctrinam legis intelligit. Eodem igitur modo non aliter omnes catholici episcopi unam Petri cathedram tenent, et super illam sedent, nisi quatenùs è suis quique sedibus camdem doctrinam tradunt, quam Petrus et successores ejus è Romanâ Petri cathedrâ docent ; quod exponi potest verbis illustris Gallicani theologi Ludovici Habert Prolog. Theologiæ c. 8, § 8 : « Omnes « pastores fidem Romanæ Ecclesiæ docent. » Non ergo de materialibus cathedris hìc sermo est, quæ in singulis episcopalibus Ecclesiis diversæ et plures sunt, sed de doctrinâ fidei è cathedris singulorum traditâ, quæ cùm una et eadem esse in omnibus debeat, unam cathedram constituit ex pluribus ; cùmque una eademque esse debeat cum doctrinâ Petri ac successorum ejus, hæc una et singularis cathedra pro *Roma à Petri cathedrâ* jure accipitur. Unitas itaque cum Romanorum pontificum cathedrâ seu doctrinâ ex unitate cathedræ omnibus necessaria colligitur, ita ut hanc unitatem cathedræ scindat, non modò qui ab ejus communione, verùm etiam qui ab ejus fide atque doctrinâ desciscit. Ita verò qui eam cathedram deserit, nunc quidem schismaticus, nunc autem hæreticus est. Schismaticus erit tantùm, si nullo in dogmate dissentiens, communionem ejus deserat ; si verò deserat aliquo in capite ejus fidem, erit hæreticus, uti sanè tam schismatici quàm hæretici fuerunt Donatistæ, qui se ab eâ cathedrâ utroque ex capite separârunt, licet schismatici ferè appellentur, propterea quòd non fidei, sed disciplinæ causa illos ab initio sejunxit. Cæterùm Optatus ipse contra illos scribens etsi communionis unitatem expressiùs inculcat, memorans tamen communionis ejusmodi formam per formatarum commercium, quibus totus orbis cum Romanâ cathedrâ concordat, unitatem quoque fidei iisdem formatis declaratam, in quâ omnes (confer supra c. 11), ut in communionem reciperentur, cum illâ cathedrâ concordare oportebat, satis insinuat necessariam, ut quis catholicus habeatur : contra quam quidem singularem cathedram ille alteram collocat, seu erigit, qui doctrinam doctrinæ contrariam tradit.

Ipsorum Donatistarum factum, quod ab Optato proditum est, non obscuri testimonii loco esse potest. Cùm nimirùm ipsis, ut se ab Ecclesiâ separatos agnoscerent, opponeretur à Catholicis separatio à Romano pontifice, quocum vera Christi Ecclesia conjungitur, ad hanc objectionem elidendam, illud regerebant, se cum episcopo Romano partem, id est, communionem habere. « Sed et habere vos in urbe « Româ partem aliquam dicitis » (Optat. l. 2, c. 4). Intelligebant autem Donatistam pseudo-episcopum, quem Romam eo consilio submiserant, ut cum Romano pontifice communicare crederentur, unde Optatus episcoporum partis Donati, qui Romæ sedem habuêre, catalogum subjicit. In quæ Albaspineus notat (not. 42) : « Quòd scirent Donatistæ sine pontifi- « cis Romani communione Ecclesiam se habere, « et in eâ esse non posse, atque ab ejus com- « munione ut hæretici separati essent, ideò « episcopum ex suis Romam mittebant, ut « possent dicere, se Romæ habere episcopum, « et cum episcopo Romano se communio- « nem habere. Hoc patet ex hoc loco (Optati) « et ex collatione Carthaginis, in quâ volebant « pseudo-episcopum suum Romanum interes- « se. » Catholici quidem reposuerunt hos episcopos clam et aliunde subinductos et intrusos Romam, et in campestri vel montano loco occultè degentes, in Petri cathedrâ nunquàm sedisse. At nihil impedit, quin hic ipse Donatistarum nisus communionem cum Romano pontifice necessariam præferens, traditionis, quam nunc statuimus, satis idoneum testimonium suppeditet.

Frequens schismaticorum et hæreticorum veterum mos fuit, nunc Romanum pontificem secum communicantem secumque sentientem jactare, nunc ejus communionem approbationemque suorum dogmatum dolosè procurare, nunc creare aut Romam submittere aliquem, qui se tanquàm Romanum pontificem gereret, ut ipsi exinde viderentur Catholici, et catholica haberetur eorum doctrina. Id non aliunde duxit originem, nisi ex eo quòd constans et notum omnibus Catholicis esset, schismaticum vel hæreticum esse eum qui communionis ac fidei unitatem cum Romano pontifice nequaquàm præfert. Ita non pauca veterum schismaticorum et hæreticorum facta, quæ ex sacris annalibus in hanc rem proferre liceret, totidem traditionis testimonia sunt, ex quibus utriusque laudatæ unitatis necessitatem ipsis antiquis schismaticis et hæreticis cognitam fuisse deprehendimus. Ex schismaticis sufficiet

indicare Fortunati partem, quæ ut se catholicæ communionis esse probaret, Romam misit Felicissimum « ad Petri cathedram, et ad Ec-« clesiam principalem, unde unitas sacerdotalis « exorta est; » idemque cum S. Cornelio summo pontifice multis egit, ut eum in suam partem adduceret: si enim hanc cathedram suam esse probare potuisset, prævidebat se declinaturum schismatis notam, et ob communionem cum Ecclesiâ principali, ex quâ sacerdotalis unitas oritur, unitati omnium Ecclesiæ sacerdotum suam partem esse accensendam confidebat. Ex hæreticis verò, ut præteream Marcionitas et Montanistas, aliosque vetustiores, qui Romam profecti Romanis pontificibus fucum facere conati sunt, solos Arianos interim considerare satis esto: qui Liberium pluribus tentârunt; ista « secum impii cogitantes (teste Athanasio « Epist. ad Monach.): Si Liberium in nostram « sententiam traxerimus, omnes brevi superabi-« mus: » quia nimirùm Catholici omnes Romano pontifici ejusque fidei legitimè propositæ adhærendum nôssent. Alia ex posterioris ævi hæreticis hujus generis exempla vulgatissima sunt.

§ 5. *Testimonia Eusebii Vercellensis, Gregorii Nazianzeni, Satyri, Ambrosii et concilii Aquileiensis, cui idem S. Ambrosius præfuit. Quomodò jus communionis è Romanâ sede dimanet.*

Insigne de S. Eusebio Vercellensi episcopo testimonium eruitur ex epistolâ, quam Liberius Papa ad eumdem scripsit: « Me, frater charis-« sime, inquit, ad solatium vitæ præsentis eri-« git invicta fides tua, quâ secutus Evangeliorum « præcepta, nullo genere à consortio sedis Apo-« stolicæ discrepâsti. » Viden' consortium, id est, unitatem, sedis Apostolicæ custoditum à S. Eusebio, et consortium quidem præsertim in fide, de quâ tum maximè agebatur, idque non ex peculiari quâdam ipsius Eusebii in eamdem sedem observantiâ, sed ex Evangeliorum præceptis, ex illis scilicet evangelicis testimoniis, quæ dùm ejus sedis primatum statuunt, unitatem potissimùm fidei cum eâdem sede cuique catholico omninò tenendam præcipiunt, ut superiori capite vidimus.

Non minimùm in rem præsentem conferunt sequentes S. Gregorii Nazianzeni versus ex libro de Vitâ suâ, ubi sermonem faciens de utrâque Româ, veteri et novâ, hoc inter eas discrimen notat, quòd Roma vetus fidem servaverit illæsam, nova autem Roma, id est, Constantinopolis, non item. De fide verò Romæ veteris hæc habet:

Fides vetustæ recta erat jam antiquitùs,
Et recta perstat nunc item, nexu pio
Quodcumque labens sol videt devinciens,
Ut universi præsidem mundi decet,
Totam colit quæ Numinis concordiam.

In secundo versu pro vocibus, *nexu pio*, quas interpres metro serviens recepit, substituendum ex Græco, *salutari doctrinâ*. Quàm bellè! Vides Nazianzenum Romanæ fidei, cujus integritatem incorruptam laudat, tribuere *devincire Ecclesias salutari doctrinâ*; quod idem est ac in unitate fidei eas continere, et in eâdem Romanâ fide agnoscere vinculum et centrum unitatis catholicæ fidei, cum quo Ecclesiæ catholicæ colligantur. Quòd si hanc unitatem custoditam memorans, solas Occidentis Ecclesias indicat illis verbis: « Quodcumque labens sol « videt, » id ex eo factum est, quia post Arianam perfidiam pleræque Orientis Ecclesiæ variis hæresibus implicitæ, turpiter ab eâ unitate et à rectâ fide, quæ in Romanæ fidei centro servabatur, defecerant, ut in subsequentibus versibus deflet. Cæterùm hanc vim devinciendi et continendi Ecclesias in fidei unitate Romanæ sedi attribuit ob primatum, quo eam non soli Occidenti, sed omnibus totius orbis Ecclesiis præsidere affirmat eo versu:

Ut universi præsidem mundi decet.

Quod tandem S. doctor addit: « Totam co-« lit quæ Numinis concordiam, » concordiæ nomine intellexisse videtur trium personarum sanctissimæ Trinitatis concordiam, seu consubstantialitatem in unitate naturæ, quam Romana fides colens atque propugnans adversùs Arianam perfidiam, concordiam simul et unitatem fidei à Deo præscriptam ex primatûs officio colebat ac vindicabat.

Satyrus S. Ambrosii Mediolanensis episcopi frater, ut idem Ambrosius in sermone de ipsius obitu narrat, cùm in quemdam locum transmisisset, ubi de rectâ fide dubitatio inciderat, cupiens certâ notâ cognoscere, num episcopus ejus loci catholicus esset, necne, ipsum interrogandum existimavit, num cum Romanâ Ecclesiâ conveniret. « Advocavit ad se episcopum, « nec ullam veram putavit nisi veræ fidei gratiam, « percunctatusque ex eo est, utrùm cum episco-« pis catholicis, hoc est, cum Romanâ sede con-« veniret. » Ubi *conveniret*, ita dictum, uti apud

Irenæum in eâdem fide convenire, nisi fortè malis à Satyro acceptum pro, *communicare*, eâ tamen communione, quæ ejusdem fidei vinculum et argumentum est. In S. Cypriani epist. 52, ad Antonianum, ut monui supra communicare cum papâ explicatur, hoc est, cum catholicâ Ecclesiâ communicare : hìc autem conversâ propositione convenire, seu communicare cum episcopis catholicis exponitur, hoc est, cum Romanâ sede convenire. Quid ita? Quia nempe connexa sunt hæc duo, ita ut catholicus et catholicæ communionis sit, qui convenit et communicat cum Romanâ sede, et è contra qui cum hâc non convenit, aut non communicat, non sit catholicus, neque communionis catholicæ, sicque alterum ex altero inferre et cognoscere licet. Confer locum Hieronymi inferiùs afferendum paragrapho 6. Adeò communionis et fidei unitas cum Romanâ sede necessaria est, ut catholicus sit qui eam tenet, qui autem eâ caret, catholicus esse non possit.

Rationem hujusce rei opportunè suggerit ipse Satyri frater S. Ambrosius in psal. 50, n. 30, ubi ait : « Ipse est Petrus, cui dixit « Christus : *Tu es Petrus, et super hanc petram « ædificabo Ecclesiam meam.* Ubi ergo Petrus, « ibi Ecclesia. » Rationem ex ipsâ Christi institutione derivat, quâ Petrus, et in Petro successores ejus Romani pontifices, petra et fundamentum Ecclesiæ ab eodem Christo sunt constituti, cui totum Ecclesiæ ædificium adhæreat et incumbat necesse est, uti cap. 12, § 1, pluribus ostendimus. Hinc ergo jure S. Ambrosius, ejusque frater Satyrus non aliam noverunt catholicam Christi Ecclesiam, nisi eam quæ cum Romano episcopo unitatem servat, adeò ut quicumque alius cœtus hujus unitatis expers alibi sit, et non ibi, ubi Petrus et successores Petri, non sit Ecclesia catholica, quam Christus ei fundamento incumbentem et unitam instituit. Quòd si consideres ex ipsius Ambrosii sententiâ recitatâ c. 12, S. Petrum non fuisse fundamentum Ecclesiæ nisi per fidem, quam Ecclesiæ ædificandæ fundamentum posuit, palam sequitur præmissis ejus verbis hanc subesse sententiam : « Ubi ergo « fides Petri, ibi Ecclesia, » quod unitatem potissimùm fidei cum Petri fide cuique necessariam, ut sit in Ecclesiâ, manifestissimè præfert : cùmque hæc Petri prærogativa ad primatum pertinens, in successores ejus cum ipso primatu transierit, idem dicendum de fide successorum Petri. Idipsum quidem aliud ejusdem Ambrosii testimonium insinuat. Unitatem scilicet ejusdem fidei cum fide Romanâ adeò necessariam habuit, ut extra hanc neminem sperare posse salutem affirmaverit lib. 1 de Pœnit. c. 7 : « Non habent enim, inquit, Petri « hæreditatem, qui Petri fidem (aliàs minùs be- « nè, sedem) non habent, quam impiâ divisione « discerpunt. » Celebris quoque est illa multorum ore et approbatione circumlata et Ambrosio asserta sententia ex lib. 3 de Sacramentis c. 7 : « In omnibus cupio sequi Ecclesiam Ro- « manam. » Cùm enim hoc opus S. Ambrosio, vetustis quoque codicibus et auctoribus suffragantibus, fuerit adscriptum, hæc præclara sententia, quæ unitatis studium cum eâdem Ecclesiâ eximiè præ se fert, ejusdem S. doctoris nomine allegata invenitur. S. Petrus Damianus in Epistolâ ad Hildebrandum, recitans eum sermonem quem in concilio ad Mediolanenses habuit, cùm ipsos Romanæ Ecclesiæ, à quâ dissidebant, studeret subjicere; eosdem etiam atque etiam ad id impulit sanctissimi Ambrosii sui episcopi exemplo, qui « in omni- « bus sequi se magistram sanctam Romanam « profitetur Ecclesiam. » Arnulphus historicus Mediolanensis seculi XI, licet in Romanam sedem non benè affectus, hanc tamen cum eâ consensionem necessariam agnoscens, ob necessitatem quidem unitatis fidei statuendam hoc testimonium expressè producit, et explicat his verbis (lib. 3 Hist. Mediol. c. 15) : « Hæc « enim dicentes, non adversamur vobis, ô se- « niores Romani, cùm magister noster dicat Am- « brosius : Cupio in omnibus Romanam sequi Ec- « clesiam. Vobiscum enim credimus, vobiscum « cunctas hæreses abdicamus. » Quòd si libros de Sacramentis à S. Ambrosio abjudicandos existimes, fateri tamen necesse est, pervetustum esse illorum auctorem, qui Ambrosii vestigiis insistens, in rem præsentem veteris traditionis alius testis accedet.

Inter Ambrosii opera insertum legitur concilium Aquileiense, quod Ambrosium præcipuum moderatorem habuit. Hoc autem concilium propè ex omnibus provinciis Occidentalibus congestum, totius Occidentis testimonium exhibebit. Itaque in Epistolâ ad imperatores catholicæ communionis originem et fontem Romanam Ecclesiam profitetur (tomo 2 Ambr. clas. c. 2, ep. 2) : « Totius orbis Romani caput « Romanam Ecclesiam, atque illam sacrosanctam « Apostolorum fidem ne turbari sineret, obse- « cranda fuit clementia vestra; inde enim in « omnes venerandæ communionis jura dima-

«nant.» Quid, rogo, est quòd catholicæ communionis jura ex Romanâ in alias omnes dimanant Ecclesias? Id unum profectò, ni fallor, quòd nulla alia particularis Ecclesia id habet juris per sese, ut aliarum Ecclesiarum communionem exigat, nisi ipsa communicet cum Ecclesiâ Romanâ, quæ sola per se omnium Ecclesiarum communionem et unitatem omninò requirit, idemque communionis jus aliis Ecclesiis secum communicantibus impartitur. Hinc qui à Romanâ separati vel præcisi sunt, jus communionis nullum habent, et idcircò de eâ communione certior fieri voluit Satyrus, ut exinde cognosceret, num sibi cum episcopo ejus Ecclesiæ, ad quam venerat, communicandum esset : cujus generis exempla aliquot alia suppetunt ex aliis sanctis et doctis viris, ex quibus nonnulla in sequentibus forsitan referentur. Ratio etiam manifesta est. Jus enim catholicæ communionis soli competit Ecclesiæ catholicæ, id est, iis qui in Ecclesiæ catholicæ unitate et communione consistunt : ac propterea cum separatis seu abscisis ab Ecclesiâ catholicâ communicare non licet. Ecclesia verò catholica non est nisi illa quæ cum Romanâ sede communicat, eidemque tanquàm centro et fundamento adhærescit, ut vel ex ipso Ambrosio vidimus. Iis ergo solis, qui cum Romanâ sede communicantes eidemque adhærentes pertinent ad Ecclesiam catholicam, communionis catholicæ jus est. Adeò igitur communio cum sede et Ecclesiâ Romanâ est necessaria ex concilii Aquileiensis sententiâ, ut sine communione ejusmodi nullum cuipiam communionis jus sit. Sive magna ergo, sive exigua sit pars quæ à Romanâ communione separatur, perinde est : ac proinde in Græcorum schismate à totius ferè Orientis Ecclesiis jus omne communionis amissum dolemus, quod non antea recuperare poterunt, nisi priùs cum Romanâ sede reconciliati, in ejus communionem recipiantur.

§ 6. *Damasi papæ, Theodosii imperatoris, et Flaviani presbyteri Antiocheni et postea episcopi testimonia. Additur testimonium concinens ex Aureliano Augusto ab Eusebio et Rufino laudatum. Prudentii poetæ versus.*

S. Damasus papa in Epistolâ quam dedit Paulino Antiocheno, fidem, seu fidei confessionem ad eum misit, cui assentiri ac subscribere deberent, quicumque vellent «Ecclesiæ «copulari, id est, nobis per te voluerint sociari. «Unde, inquit, ne aut tibi scrupulus resideret, «et volentes forsitan Ecclesiæ copulari, tua «cautio probanda differret, fidem misimus non «tam tibi, qui ejusdem fidei communione socia«ris, quàm his qui in eâ subscribentes, tibi, id «est, nobis per te voluerint sociari.» Quibus palam affirmat, eum qui Ecclesiæ copulari velit, non aliter id posse obtinere, nisi eamdem quam misit, fidei confessionem profiteatur. Confessio fidei, quam ad ipsum Paulinum misit Damasus, subjicitur epistolæ apud P. Coustantium quintæ; ac in eâ præsertim damnatur Macedonianorum error, quo sancti Spiritûs divinitas impetebatur. De hâc controversiâ apud Orientales tunc ebulliente libet referre quæ Sozomenus narrat (lib. 6, c. 22) : «Cùm «hæc quæstio agitaretur, et contendendi studio «magis magisque in dies cresceret, episcopus «urbis Romæ scripsit ad Orientales Ecclesias, «ut Trinitatem consubstantialem, ac honore «gloriâque æqualem unà cum Occidentalibus «episcopis confiterentur.» Id respicere videtur laudatam (1) epistolam ad Paulinum, seu potiùs confessionem fidei eidem subnexam, quam postremam etiam Theodoretus recitat. Unitatem fidei, quam idem pontifex ab Orientalibus requisivit, si modò vellent *Ecclesiæ copulari*, à Catholicis omnibus, qui eam unitatem necessariam sciebant, eâdem epistolâ obtinuit, ut ex his verbis liquet, quæ statim post præcedentia Sozomenus subdit : «Quo facto utpote contro«versia judicio Romanæ Ecclesiæ terminata, «singuli quievêre, eaque quæstio finem accepisse «visa est.» Romanæ sedis judicium ac fides ideò

(1) Cùm Sozomenus post ejusmodi factum statim narret Liberii mortem (sic enim exorditur sequens caput 23 : «Per idem tempus «mortuo Liberio Damasus Romanæ sedis admi«nistrationem suscepit»); illud factum ad Liberium pertinere nonnulli arbitrantur. At S. Basilius, qui pro vindicandâ divinitate Spiritûs sancti libros contra Eunomium scripsit, libro 2, ante finem, hunc primum fuisse significat, qui hæresim divinitati Spiritûs sancti infensam in Oriente disseminaret. Scripsit autem eos libros S. doctor aliquot annis post Liberii mortem. Nondùm ergo ea quæstio Orientem turbaverat Liberii tempore, ita ut is ad eam sedandam litteras ad Orientales dedisse dicendus sit. Enimverò epistola ejusdem pontificis paulò ante mortem ad Orientales missa, in quâ omnes hæreses tunc fervescentes eliminare studet, nihil tangit de errore contra Spiritum sanctum, quia ipsi nondùm in notitiam venerat. Factum igitur, quod à Sozomeno refertur, non Liberio, sed Damaso tribuendum, quem sane ad Orientales eo de argumento scripsisse certum est ; ac proinde Sozomenum minus accurate illud retulisse ante indicatam Liberii mortem probabilius credimus.

controversiam apud Orientales fervescentem terminavit, quia omnes, qui nollent separari ab Ecclesiâ, cum Apostolicâ sede *in ejusdem fidei communione sociari* oportere, ipsis Orientalibus perspectum erat, ut ex ipso facto cum Damasi litteris concinente colligere licet. Extat alia ejusdem pontificis Epistola in Romanâ synodo scripta, cui adjecta sunt quædam decreta, in quibus idem dogma de divinitate Spiritûs sancti constituitur. Hæc primùm ad Illyricianos missa, deinde per Sabinum diaconum ejusdem exemplum Orientalibus inscriptum, allatum fuit in Orientem, ipsique subscripsêre in Antiochenâ synodo congregati Orientales episcopi 153, omnes *consonâ fide credentes, et omnes ita consentientes;* unde in quibusdam codicibus hæc appellatur synodus Romana et Antiochensis : eaque Romanæ fidei decreta Antiocheni Patres obsequentissimè susceperunt, atque subscriptione firmârunt, eademque cum propriis subscriptionibus Romam transmisêre, ut unitatem fidei ejusdem probantes, sese Catholicos exhiberent, sicque tolleretur de medio illa hæreseos suspicio, quâ ipsi apud Romanos aspersi fuerant. Vide hâc de re plura in tractatu de antiquis Collectionibus canonum part. 2, c. 9, quem tomo tertio novissimæ editionis operum S. Leonis præfiximus.

Valente Ariano principe vitâ functo, qui plures catholicos episcopos è suis sedibus pepulerat, Gratianus imperator Orientis imperio potitus legem tulit, « ut ædes sacræ iis traderentur, qui cum Damaso communicarent », inquit Theodoret. l. 5 Hist., c. 2. Imperator scilicet catholicus ab episcopis catholicæ fidei professoribus Ecclesias regi volens, ex communione cum Damaso Romano pontifice catholicæ fidei episcopos dignosci sciebat, quippe qui non aliam intelligeret esse catholicam fidem, nisi quæ cum fide Romanorum antistitum conveniret, neque cum hâc fide convenire nisi illos episcopos, qui cum iisdem summis pontificibus communicarent : quod non minùs communionis quàm fidei unitatem cum Romanæ sedis antistitibus cuique catholico necessariam præsumit. Hæc interpretatio ne in mei systematis gratiam distorta credatur, explicatior fiet ex iis quæ sub idem tempus in celeberrimâ Orientis Ecclesiâ contigerunt.

Sapor militum magister cum laudatâ lege ab eodem Gratiano missus in Orientem, ut eam exequendam curaret, Antiochiæ tres episcopos sacras ædes ab Euzoio Ariano ereptas sibi postulantes invenit, nimirùm Meletium, Paulinum atque Apollinarem, quem postremùm è Laodiceâ, cujus erat episcopus, Antiochiam profectum, suæ factionis præsulatum assumpsisse Theodoretus testatur. Qui loco Apollinaris Vitalem ejus discipulum substituendum putant ex Hieronymi Epistolâ ad Damasum, ubi non Apollinarem, sed Vitalem unà cum Meletio et Paulino nominat, ii non observârunt, Theodoretum loqui de trium factionum ducibus, quorum causâ institutum fuit Saporis judicium, cùm nondùm Vitalis ab Apollinari fuerat episcopus ordinatus; Hieronymum verò memorâsse Vitalem jam episcopum, cujus ordinationem post Saporis judicium Theodoretus refert. His igitur tribus competitoribus ante Saporem constitutis, cùm ex imperiali lege ædes sacræ illi essent adjudicandæ, qui communicaret cum Damaso, « Paulinus quidem « affirmare cœpit se Damaso communicare; idem « quoque asserebat Apollinaris hæresim suam « occultans. » At cùm sileret Meletius, presbyter ejus Flavianus episcopi sui causam acturus, ut duos illos competitores repelleret, Paulinum inprimis sic allocutus est : « Si Damasi com« munionem amplecteris, amice, doctrinæ nobis « manifestam similitudinem ostende. » Non ignorabat, nec ignorare poterat Flavianus Paulinum habuisse à Damaso communionis litteras, sed hanc communionem per litteras nihil eidem suffragari posse intelligens, nisi jungeretur cum unitate doctrinæ proposita diversa utriusque doctrina in quæstione de tribus hypostasibus, quas (1) Damasum *disertè prædicare*, Paulinum verò tollere affirmabat, his verbis concludens institit : « Ostende igitur

(1) Etsi à vocibus *trium hypostasum* Damasus et Occidentales abstinerent, metuentes ne nomen *hypostasis* Latinis inusitatum, et à nonnullis hæreticis loco *substantiæ* acceptum errori faveret ; cùm tamen Flavianus apud Theodoretum tam apertè affirmaverit, Damasum « unam eamdemque Trinitatis substantiam « confitentem, tres hypostases disertè prædica« re » ; expressam ejusdem pontificis de tribus personis in unâ substantiâ confitendis doctrinam, quam idem Damasus indiderat *Expositioni fidei* editæ in Romano concilio habito non seriùs initiis anni 378, et ante Valentis obitum per Dorotheum missæ in Orientem, annoque sequenti receptæ et subsignatæ in Antiochenâ synodo (vide Coustantium in monito ad Epist. 4 Damasi n. 4); hanc, inquam, doctrinam Damasi Flavianus de trium hypostasum prædicatione interpretatus videtur, maximè quia idem pontifex in eâdem expositione Sabellii simul et Marcelli placita respuens, iis verbis usus est (vide Epist. 4 Damasi n. 1 et 4), quæ dùm tres personas *in se.... semper manentes*, et Dei Filium *non in Patre remanentem, sed in æternum*

« consensionem doctrinæ, et Ecclesias suscipe « ut lex jubet. » Tum conversus ad Apollinarem, qui certo certiùs novam doctrinam ab ipso Damaso reprobatam invexerat, dixit : « Miror te, ô amice, tam impudenter resistere « veritati, cùm probè scias, Damasum asse- « rere perfectum hominem à Deo assumptum « esse, etc. Nunc saltem renuntia novitati, quam « excogitâsti, et Damasi doctrinam amplectere, « ac tum demùm sacras ædes obtine. » Præclarè admodùm et bellè. Non solùm enim hinc Flaviani Antiocheni tum presbyteri, posteà verò episcopi celeberrimi, qui S. Joannis Chrysostomi magister extitit, et in Sanctorum album relatus fuit, luculentissimum testimonium profertur; sed imperialis etiam legis superiùs laudatæ genuinus sensus eruitur. Nam etsi unam communionem Damasi lex, uti à Theodoreto memoratur, per se expressè requireret, Flaviani tamen interrogatio unitatem potissimùm fidei, sine quâ communio constare non poterat, cum Romano pontifice prærequisitam ostendit. Idque non ex unius Flaviani, sed ex ipsius imperatoris mente fuisse illud suadet, quòd cùm imperator hâc lege favere vellet Religioni catholicæ et unitati fidei in suo regno prospicere, communionem cum Damaso non aliâ de causâ quæsierat, nisi ut unitatem fidei catholicæ ab Arii hæresi jamdiù distractam per eam communionem ubique restitueret : quod aliter fieri non poterat, nisi eamdem cum Damaso fidem, quam communicatoriæ litteræ testabantur, ab omnibus qui Catholici essent, profitendam credidisset. Enimverò hoc idem unitatis fidei imperiale consilium confirmat alia imperatoris Theodosii lex Thessalonicæ data, Constantinopolique proposita, quâ omnes Christianos cum fide Romanæ Ecclesiæ convenire sancitum est. « Cunctos populos, quos « clementiæ nostræ regit temperamentum, in « tali volumus religione versari, quam divinum « Petrum Apostolum tradidisse Romanis religio « usque ad nunc insinuata declarat, quamque « pontificem Damasum sequi claret, et Petrum « Alexandrinæ urbis episcopum virum Apostolicæ sanctitatis. » Nonne hujus legis scopus in promovendâ unitate Romanæ fidei utpote omnibus Catholicis necessariâ manifestè dignoscitur? Quòd si non tam Damasi Romani pontificis, quàm Petri Alexandrini fides ingeritur; non tamen eâdem ratione. Damasus enim memoratur propter suæ sedis fidem à S. Petro Romanis traditam, quam eumdem sequi manifestum erat; Petrus autem Alexandrinus non ob fidem Alexandrinæ cathedræ profertur, sed quatenùs fidem Romanæ sequebatur Ecclesiæ, ac in eâdem fide communicabat cum Damaso, cujus quidem communio et unitas in doctrinâ fidei (ut interpretatio Flaviani indicavit) in Antiocheno dissidio ex Gratiani lege quæsita fuit, ut ne communio et fidei unitas cum Petro Alexandrino quæreretur.

Hoc argumentum ut elideret quidam anonymus (Traité de l'autorité du Pape, Haye 1720, tom. 1, pag. 189), suasurus nihil peculiare Romano pontifici eâ Gratiani lege communionem ejus requirente fuisse tributum, satis erat, inquit, imperatorem credidisse Damasum fuisse orthodoxum, ut ejus communionem præcipere posset. Hinc tres alias leges ingerit, in quibus de communione cum aliis episcopis decretum fuit, nullâ Romani pontificis mentione, qui prætermittendus non erat, si catholicæ communionis centrum habitus fuisset. Prima est lex Theodosii, in quâ undecim episcopi, cum quibus communicandum esset, sine Romano recensentur. Altera Arcadii, quâ eos ex Ecclesiis pelli jubet, qui Theophili, Arsacii et Porphyrii communionem recusarent. Tertia Theodosii Junioris, quâ eos similiter ab Ecclesiis exturbari vult, qui cum Joanne Antiocheno nequaquàm communicarent. At alia res est, si de communione cum Catholicis in particulari agatur, alia verò si de catholicâ communione universim discernendâ sermo sit. In primo casu communio cujusque catholici episcopi, prout specialis ratio, vel occasio incideret, sufficere poterat : et ita in tribus objectis legibus, cur eorum tantùm episcoporum mentio fieret, specialis extitit causa. Lex à Theodosio Majore post Constantinopolitanam synodum edita, et ab eodem subscripta, ad normam canonis secundi synodi ejusdem exacta fuit, in quo sicut pro Orientalium tantùm Ecclesiarum regimine de quinque Orientis provinciis statutum fuerat, ita ille eos tantùm harum provinciarum episcopos catholicos recensendos duxit, cum quibus communicandum esset ab iis qui Ecclesias ibidem recipere aut retinere vellent, ut vel ipse

SUBSISTENTEM pronuntiant, *hypostasim*, seu *subsistentiam* singularum propriam distinctamque declarant. Porrò Paulinus, qui in subscriptione synodicæ concilii Alexandrini anni 362, declaraverat posse dici hypostases tres in significatione trium personarum, hâc occasione *trinitatem hypostasum tollere* idcircò videri potuit Flaviano, quia fortassis cum ab ipso, uti et à Hieronymo Antiochiæ degente, exigeretur trium hypostasum nomen, Occidentalium morem et œconomiam sequens eo uti noluit.

Jacobus Gothofredus observat. Nihil hinc opus erat Romanum episcopum memorare, cujus tamen communionem nominatos ibidem Orientales episcopos sequi, ut alia anteriori ejusdem imperatoris lege cautum fuerat, exploratum erat. Porrò ut Joannis Antiocheni communio Theodosii Junioris lege præciperetur, ea peculiaris extitit ratio, quòd iis tantùm Nestorii fautoribus proposita, seu præscripta esset, qui cum eodem Joanne ad catholicam et Romanam communionem reverso communicare ampliùs nolebant. Miror verò aliam Arcadii imperatoris legem obtrudi, quæ in schismate contra S. Joannem Chrysostomum Romanâ communione fultum lata fuit adversùs illos qui huic sanctissimo viro à Constantinopolitanâ sede pulso ut adhærerent constanter, cum Arsacio ejusdem sedis invasore, cum Theophilo Alexandrino et Porphyrio Antiocheno, eidem sancto infensis, communicare renuebant. Hinc autem quænam specialis esset causa, ob quam horum trium episcoporum mentio facta fuerit, manifestum est. Cur verò Romanæ sedis communio, quam vel isti S. Joannis Chrysostomi hostes sibi retinendam duxerunt, hâc in causâ inculcaretur, nihil erat. At in Gratiani lege communionem cum Damaso idcircò fuisse præscriptam, ut ex eâ discerneretur, quinam Orientis episcopi catholici essent, fideique unitatem tenerent cum eodem Damaso, nonne ex dictis antea ac præsertim ex Antiocheno facto manifestum est? Hinc autem apertè sequitur Romanam sedem non minùs communionis quàm fidei catholicæ centrum agnitam, et à quovis catholico, utramque cùm eâ unitatem esse tenendam. Neque in lege Magni Theodosii, quæ incipit *Cunctos populos,* alius ejusdem principis scopus fuit, nisi unitas potissimùm fidei, ut ex Sozomeno colligere licet. Ille ad imperium Orientis evectus, baptismate percepto statim pietatis ac religionis præcipuam curam gerens, ut totum Orientem variis fidei dissensionibus discissum tutè componeret, unum certum exemplar proponendum agnovit, quod omnes tutè sequerentur. Istud autem extra Orientem quærens, non aliâ de causâ ex unâ Romanâ Ecclesiâ proponit, nisi quòd unius Romanæ Ecclesiæ fidem primatûs causâ totius catholicæ unitatis centrum sciebat, quocum convenire omnes Catholici debent, et ex quo in dissidiis circa fidem catholica fides dignoscenda est, ut Gothofredus quantùmvis heterodoxus notavit: « Sic enim etiam olim quoque « Irenæus Lugdunensis de ipsâmet sanctissimâ « in fide Ecclesiâ Romanâ, hujus, inquiebat, « exemplo pravam omnem disciplinam profli- « gamus. » Imperator licet catholicum haberet Alexandrinum episcopum, non tamen Alexandrinæ Ecclesiæ fidem tanquàm exemplar proposuit, sed Romanam, quam cùm idem Alexandrinus episcopus sequeretur, catholicus erat et habebatur. Cùm verò fides Romana alia non sit, nisi ea quam Romanos S. Petrus docuit et quam S. Petri successores ab eo acceptam docent et profitentur, Damasum tum viventem imperator nominavit eo consilio, ut ad ejus fidem et communionem cunctos populos speciali primatûs prærogativâ, in unitatis utique bonum, revocaret, quemadmodùm laudatus Gothofredus ab adversariis non contemnendus fateri debuit. Hanc enim inter cæteras Romanæ sedis prærogativas ex hâc lege eruendas quarto loco posuit, « summam inter episcopos ponti- « ficis Romani dignitatem et auctoritatem « semper fuisse, atque ideò (nota consequen- « tiam) ad ejus fidem et communionem potis- « simùm provocatum. » Quis post tanti viri, qui nemini suspectus esse potest, testimonium, Theodosianæ legis interpretationem à solâ veritate expressam aliorsùm distorquere aut in dubium revocare audeat?

Ne autem peculiari Magni Theodosii in Romanæ sedis fidem observantiæ id factum tribuatur, ethnici quoque imperatoris non absimilem sanctionem, seu sententiam hâc occasione considerare plurimùm juverit. In laudatâ Antiochenâ sede, Aureliano imperatore, duo de episcopatu certabant, hinc Paulus Samosatenus, qui ob hæresim in synodo depositus fuerat, hinc autem Domnus qui eidem Paulo fuerat subrogatus. Cùm ergo Paulus Domno episcopales ædes et Ecclesiam nollet cedere, catholici episcopi de constituendo ibidem orthodoxæ fidei antistite maximè solliciti, ad ipsum imperatorem, qui tum fortè post devictam Zenobiam Antiochiæ degebat, confugerunt. Is autem illi è duobus Antiochenam Ecclesiam attribui jussit, « cui Italici Christiani sacerdotes et Romanus pontifex scriberent. » Id rectissimè præceptum agnoscit Eusebius, seu, ut vertit Rufinus, *religiosè de hoc satis et sanctè,* id est, ad catholicæ religionis et justitiæ normam. At si pro Domno interpellatus fuit Aurelianus, ut Paulum è sacris ædibus pelleret, quid rem velut ancipitem moratur? Si septuaginta, et eò plures Antiochenæ synodi Patres rei ejusdem fuerunt æqui et legitimi judices, quid ex Italiâ ac ex Romano præsertim antistite

litteræ quæruntur, aut expectantur? Cur non potiùs, aut simul quæruntur, aut expectantur ab Alexandrino, ad quem eodem quo ad Romanum exemplo Antiochena synodus scripserat, ut Domni litteras susciperet, et ad eumdem rescriberet? Eadem videtur in hoc ratio ac illa quâ in posteriori ejusdem Antiochenæ sedis dissidio imperator Gratianus ei sacras ædes tradi voluit, qui cum Damaso communicaret. Favere nimirùm Aurelianus voluit catholicæ fidei, pro quâ à catholicis episcopis adversùs Paulum fuerat interpellatus, et favere in eo voluit, ut catholicæ Religionis episcopus Antiochenæ sedi præficeretur. In duorum autem episcoporum pugnâ, ne interpellantium favore erga Paulum ductus videretur, et rem satis cautè transigeret, aliud judicium Antiochenâ synodo superius requirendum persensit. Audierat fortè pro communicatoriis litteris, quæ fidem Domni probarent, Pauli autem errores repellerent, scriptum fuisse ab eâdem synodo ad Romanum et Alexandrinum episcopos; et Romani quidem potiorem rationem habitam sive ab Antiochenis ejusdem synodi Patribus, sive ex frequenti Christianorum, inter quos versabatur, sententiâ intellexisse videtur. Hinc non ab Alexandrino, sed à Romano tantùm episcopo, et ab Italicis antistitibus Romanæ ferè synodo interessentibus litteras expectandas præcepit, ut qui ex duobus competitoribus fidem Romanæ adhærentem tenere iisdem litteris probaretur, is haberetur catholicus, ac propterea dignus, qui Antiochenam Ecclesiam regeret. Hoc autem imperatoris ethnici judicium, quod rectissimum affirmat Eusebius, sanctum et religiosum Rufinus, tantò magis æstimandum est, quòd tritam ac certam divulgatamque etiam apud gentiles Antiochenorum Patrum aut Catholicorum, ex quibus id Aurelianus didicerat, sententian exhibet de necessariâ unitate communionis et fidei cum Romanâ sede, ut quis catholicus judicetur: id quod ex hoc facto deducendum intellexit etiam clarissimus Bossuetius, cùm ex praxi Christianorum illud rescriptum derivavit (Discours sur l'Hist. univers.), « quia imperator, inquit, Christianorum corpus in hâc (Romani episcopi) communione semper contineri viderat. » Et similiter Claudius Fleury (Tom. 2, Hist. lib. 8, c. 8): « Tam erat notorium etiam paganis veræ christianæ Religionis totam esse communionem cum Ecclesiâ Romanâ. »

Nunc ad Patres Ecclesiæ rediens, Prudentii antiqui poetæ catholici testimonium proferam, breve illud quidem, sed pro unitate fidei cum Romanâ cathedrâ satis expressum. In hymno enim S. Hippolyti martyris unitatem commendat non communionis tantùm, quam Novati schisma abruperat, sed etiam fidei, quam cum Romanâ Petri cathedrâ tenendam tradit.

Fugite, ô miseri, execranda Novati
Schismata, catholicis reddite vos populis.
Una fides vigeat, prisco quæ condita templo est,
Quam tenet cathedra Petri.

§ 7. *Hieronymi testimonia. Argumentum ductum ex necessariâ unitate cum Petri cathedrâ, quo cathedræ vocabulo fidem Romanæ sedis à S. Petro ejusque successoribus traditam significari ostenditur. Ecclesia catholica et fides catholicæ Ecclesiæ dicta est Romana ob unitatem præsertim fidei cum Romanâ catholico cuique necessariam.*

Sanctus et maximus doctor Hieronymus plura suppeditabit. Primatum S. Petro unitatis causâ delatum exploratè fatetur (lib. 1 in Jovin. n. 26.): « Propterea inter duodecim unus « eligitur, ut capite constituto schismatis tolla« tur occasio. » Constituto autem hoc capite non tolleretur nec auferri posset occasio schismatum, nisi eidem capiti vis ad unitatem obligans attributa credatur. Hanc sanè vim idem S. doctor satis indicavit, cùm in Dialogo contra Luciferianos n. 9, facultatem præcipuam et eminentem summo sacerdoti asserendam affirmavit, ne, si negetur, schismata exoriantur. « Ecclesiæ salus, inquit, in summi sacerdotis « dignitate pendet, cui si non exors quædam et « ab omnibus eminens tribuatur potestas, tot in « Ecclesiâ efficientur schismata, quot sacerdo« tes. » « Itaque ad vitandum schismata (ut ex « mente S. scriptoris rectè collegit Stephanus « Baluzius in not. ad Commonit. Vincent. c. « 19), necesse est, ut unitatem Ecclesiæ sequa« mur, id est, Romanam Ecclesiam, ubi est « origo et radix unitatis. »

Porrò unitatem non solius communionis, sed potissimùm fidei cum Romanorum pontificum fide custodiendam S. Hieronymus pluribus in locis inculcat. Mitto quod præscripsit Demetriadi (epist. 130, n. 16): « Illud te pio « charitatis affectu præmonendam puto, ut S. « Innocentii, qui Apostolicæ cathedræ succes« sor est, teneas fidem; nec peregrinam, qua« tenùs tibi prudens callidaque videaris, do« ctrinam recipias. » Luculentiora sunt quæ in controversiâ de tribus hypostasibus prodidit. Cùm trium hypostasum nomen ab Orientalibus

catholicis pro significandis tribus Trinitatis personis acciperetur, Occidentales verò ne cum hæreticis quibusdam sumeretur significatione substantiæ, vehementer timerent; malè apud hos idem nomen audiebat, eodemque metu Ægyptii cum episcopo Alexandrino tres hypostases dicere respuebant. Orientales interim Antiochenses, qui trium hypostasum appellatione utebantur, ne viderentur hæretici, Romanæ sedis communionem quærebant. « Campenses (id est, illi Antiocheni, qui Meletio addicti, ante ejus reditum in agris synaxes agebant), inquit ad Damasum Hieronymus (Ep. 15, n. 5), cum Tarsensibus hæreticis copulati, nihil aliud ambiunt, quàm ut auctoritatem communionis vestræ fulti, tres hypostases cum antiquo, id est, hæretico sensu prædicent. » Hæc quidem Hieronymi suspicio erat, eò quòd Ariano sensu tres hypostases pro tribus distinctis substantiis dictæ fuerant. At Campenses illi cùm ii essent qui Meletii catholici episcopi, et confessoris adversùs Arianam perfidiam præstantissimi partes sequebantur (quidquid Hieronymus metueret), à tam pravo et hæretico sensu erant alienissimi, uti et explicatio eidem Hieronymo ab ipsis significata patefacit. Hi ergo unà cum suo antistite Meletio Romanæ sedis communionem et unitatem necessariam videbant, ut se Catholicos probarent, omnemque hæreseos suspicionem depellerent. Interim Hieronymus Antiochiæ degens, cùm urgeretur tres hypostases dicere, in tres autem partes divisam cerneret Antiochenam Ecclesiam ob tres episcopos Meletium, Paulinum atque Vitalem, quorum singuli suæ cuique parti præsidentes, Damasi communionem præferebant, ad hunc dedit litteras, ut intelligeret, num una, an tres hypostases dicendæ essent, et quocum episcopo deberet communicare. Ita verò sese sollicitum in hoc exhibet, ut non minùs fidei quàm communionis unitatem cum Romano pontifice necessariam ostendat. Inprimis enim epist. 15, fidei negotium in hypostasum controversiâ agitari indicant illa quibus *cathedram Petri, et fidem Apostolico ore laudatam* (id est, Romanam laudatam à Paulo, sibi eâ in quæstione consulendam censuisse n. 1 fatetur. Tum verò num. 2, addens : « Ego nullum primum nisi Christum sequens, beatitudini tuæ, id est, cathedræ Petri communione consocior, » communionem utique intelligit, quæ unitatem ejusdem Romanæ fidei exigit atque præsumit, ejusdem, inquam, Romanæ fidei, cui firmissimè adhærebat, quamque *cathedræ* nomine ab eodem acceptam post pauca videbimus. Rationem porrò allaturus, cur huic *cathedræ*, seu Romanæ fidei, sibi adhærendum putaret, et hanc præ cæteris eâ in quæstione consulendam crediderit, illud subjicit, quod cum evangelico textu apud Matthæum, et cum nostrâ ejusdem textûs explicatione superiùs propositâ c. 12, § 1, maximè concinit, nimirùm : *Super illam petram ædificatam Ecclesiam scio,* id est, super illius cathedræ doctrinam fidei. Quàm bellè in nostram sententiam! Cùm enim super fidem Romanæ cathedræ Ecclesiam ædificatam sciret, in controversiâ fidei Romanam fidem Apostolico item ore laudatam requirendam judicavit, ut dignosceret fidem catholicæ Ecclesiæ, quæ Romanæ fidei tanquàm petræ et fundamento adhæresceit, ac ita perspiceret, quam fidem eâ in quæstione deberet profiteri, ne ab eâ recedens, ab Ecclesiâ ipsâ recederet. Id manifestiùs ostendunt subjectæ similitudines, quibus ejusdem unitatis necessitatem multò apertiùs ingerit inquiens : « Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in Noe arcâ non fuerit, peribit.... Non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. Quicumque tecum non colligit, spargit; hoc est, qui Christi non est, Antichristi est. » Tandem propositâ trium hypostaseon quæstione, solutionem petit à Damaso, necnon ut sibi significet, quocum ex illis tribus Antiochiæ debeat communicare. Similia urget epist. 16, ad eumdem pontificem, ex quâ hæc tantùm exscribo, quibus n. 2, in tres partes discissam memorans Antiochenam Ecclesiam, certum se ac tutum in eâ parte pollicetur, quæ Damaso ejusque fidei adhæresceret. « In tres partes, inquit, scissa Ecclesia ad se rapere me festinat, monachorum circa manentium antiqua in me surgit auctoritas. Ego interim clamito : Si quis cathedræ Petri jungitur, meus est. Meletius, Vitalis, Paulinus tibi hærere se dicunt... Obtestor beatitudinem tuam, ut mihi litteris tuis, apud quem in Syriâ debeam communicare, significes. » Etsi verò quæstio de vocibus trium hypostaseon, quæ cum laudatis monachis potissimùm à Hieronymo habebatur, modicum à nonnullis fiat, eò quòd re omnes Catholicos convenisse, solis autem verbis, vel suspicione discrepâsse existiment; quæ tamen ille in medium profert pro asserendâ communionis et fidei necessariâ unitate cum Romanâ sede, ne quis extra hanc unitatem existens, Ecclesiæ petram deseruisse, extra domum

agnum comedere, ac profanus esse, extra arcam naufragus fluctuare, inaniter spargere, et Antichristi esse convincatur, cùm et traditioni Patrum et Scripturæ sententiis conveniant, maximæ in rem nostram auctoritatis sunt, tantique doctoris testimonium lucuentissimum exhibent.

Antequàm alia ejusdem testimonia profero, nomen *cathedræ*, cui adhærendum omninò esse S. doctor (æquè ac alii Patres) tam expressè pronuntiavit, ex ipsius, nec non etiam aliorum Patrum interpretatione explicare libet quod ad statuendam necessitatem unitatis fidei maximè conferet. *Cathedræ* appellatio apud Ecclesiam ex Hebræis, ac præsertim ex evangelico textu Matthæi c. 23, sumpta est, ubi Moysis cathedra memoratur, ex quâ Scribæ et Pharisæi legem explicabant. Hic autem *cathedra Moysis* non materialem aliquam cathedram à Moyse quondam occupatam, sed doctrinam legis Mosaicæ, quam Scribæ quoque et Pharisæi docebant, palam significat, ut ipse observavit Hieronymus (lib. 3 in Matth.): « Per « cathedram doctrinam legis intelligit. » Quod idem et Athanasius confirmat in expositione psalmi primi ad illa : *Et cathedram pestilentiæ*, inquiens : « Per cathedram doctrinam significat, « ut ipse ait : *Super cathedram Moysis.* » Itaque simili sensu et apud Ecclesiam cathedra sive episcopalis, sive pontificia nihil aliud innuit nisi doctrinam legis et fidei christianæ, quam episcopi atque pontifices tradunt. Hinc idem Hieronymus epist. 15 ad Damasum papam, *cathedram Petri, et fidem Apostolico ore laudatam*, velut unum et idem accepit, et epist. 97, aliàs 78, ad Pammachium, *prædicationem cathedræ Marci* nominat paschalem epistolam Theophili Alexandrini, in quâ contra errores Origenis catholica fides explicabatur, et similiter *prædicationem cathedræ Petri* vocat Anastasii papæ litteras, quibus eam epistolam ab hoc pontifice confirmandam postulabat. « Prædicationem « cathedræ Marci Evangelistæ cathedra Petri « Apostoli suâ prædicatione confirmet. » Eodem quoque sensu Rufinus in Epistolâ ad Gaudentium episcopum interpretationi *Recognitionum* præfixâ *docendi cathedram* appellat, et successorem in cathedrâ Petri, doctrinæ ipsius successorem vocat. Similiter Augustinus *doctrinæ salutaris cathedram* nominat epist. 105, n. 16, et Bachiarius quarti seculi scriptor in Apologiâ, seu libello fidei edito primùm a Muratorio tomo 2 Anecdot., dein a Canonico Francisco Florio in Bachiarii opusculis, *cathedram Petri* interpretatur, hoc est, *sedem fidei.* Tandem, ut alia prætereram, cùm S. Fulgentius in libro de Trinitate ad Felicem Nolanum illam fidem memorat, « quæ usque nunc per successionum « seriem in cathedrâ Petri Apostoli Romæ, « vel Antiochiæ, in cathedrâ Marci Evangeli- « stæ in Alexandriâ, in cathedrâ Joannis Evan- « gelistæ Ephesi, in cathedrâ Jacobi Hieroso- « lymæ ab ipsarum episcopis prædicatur; » cathedræ utique nomen ad fidem, quam episcopi docent, evidentissimè refert. Igitur quod ait Hieronymus, *jungi cathedræ Petri*, propriè est, jungi doctrinæ fidei, quæ à Romanis pontificibus Petri successoribus traditur; et quotquot Patres unitatem cum hâc cathedrâ necessariam affirmârunt, unitatem cum fide ab ipsis traditâ docuerunt necessariam.

Sed ut ad alia Hieronymi testimonia progrediar, non se solùm, sed Alexandrinam etiam Ecclesiam de hâc unitate fidei cum Romanâ cathedrâ gloriatam prodit epist. 63, ad Theophilum n. 2. Cùm scilicet Hieronymo, qui à Joannis Hierosolymitani communione desciverat in Origenianâ causâ, objecti fuissent à Theophilo sacri canones, qui episcopo omnes adhærere jubent, nihil aliud respondit nisi se meminisse « Romanam fidem Apostolico ore « laudatam, cujus se esse participem Alexan- « drina gloriatur Ecclesia. » Quibus indicare volebat, se quamvis separatum fidei causâ ab episcopo Hierosolymitano, unitum tamen esse fidei Romanæ, cujus unitatem Alexandrina Ecclesia deprædicat, idque sufficere, ut se quis catholicum præstet. Catholicam quidem fidem à fide Romanæ Ecclesiæ non potuisse disjungi tam persuasum Hieronymo fuit, ut libro 1 in Rufinum n. 4, notam, quâ distinguatur catholica fides, hanc esse constituat, quærere, utrùm Romana sit, necne. « Fidem « suam quam vocat? Eane, quâ Romana pollet « Ecclesia, an illa, quæ in Origenis voluminibus « continetur? Si Romanam responderit, ergo « catholici sumus. » Hinc effluxit catholicam fidem peculiari notâ dici *Romanam*, et *Romanam* item appellari Ecclesiam catholicam, ob unitatem scilicet fidei, quam cum fide Romanæ sedis universa Ecclesia peculiariter custodit ac profitetur. Etsi enim cujuscumque catholicæ Ecclesiæ fides catholica est, præcipuâ tamen ratione catholica habita est fides Ecclesiæ Romanæ, propterea quòd omnium catholicarum Ecclesiarum fides cum Romanâ convenire debet, ut Irenæus docuit, ita ut sicut non alia est Ecclesia catholica, nisi quæ Romanæ tanquàm communi fundamento et

centro unitatis adhæret, ita non alia sit catholicæ Ecclesiæ fides, nisi quæ fidei ejusdem Apostolicæ sedis tanquàm petræ incumbit, et cum eâdem omninò concordat: unde Hieronymus ad hanc unitatis fidei necessitatem adstruendam jure scripsit: « Super hanc petram « ædificatam Ecclesiam scio. »

Non itaque novum hoc posterioris ætatis inventum est, ut Romana habeatur dicaturque catholica fides, neque ex schismate Græcorum (ut nonnulli perperàm existimârunt) id originem duxit; sed vetustiora multò principia agnoscit. Ex Cypriani epist. 52, communicare cum Cornelio papâ idem habitum vidimus supra, ac cum catholicâ Ecclesiâ communicare: hujusque rationem in unitatem fidei refert Stephanus Baluzius monens not. 6 « Ecclesiæ catholicæ vocabulo intelligi corpus « Ecclesiæ universalis, quæ tenet fidem Christi, « quæ tenet fidem Petri, » id est Romanam. Similia ex Satyro S. Ambrosii fratre observavimus nuper. Apud Augustinum lib. de Gratiâ Christi c. 43, ipse Pelagius S. Ambrosii fidem laudans, Romanam appellavit, ut ejus fidem Romanæ adhærentem catholicam significaret. Theodosius Junior in epistolâ ad Acacium aliosque episcopos et anachoretas, quæ in Ephesino concilio recitatur, Romanam religionem eodem sensu nominat. Hormisda epist. 10, ad Avitum Viennensem, Romanæ sedis Apostolicam, id est, catholicam (ut explicat) sententiam; et epist. 18, ad Ennodium et Peregrinum, qui cum sede Apostolicâ, hoc est, Ecclesiâ catholicâ non communicant; et apertiùs de fide loquens epist. 70 ad Possessorem, illud inquiri vult circa doctrinam de gratiâ et libero arbitrio, quod Romana, hoc est, catholica sequatur et asseveret Ecclesia. Eadem leguntur et approbantur à S. Fulgentio Ruspensi cæterisque episcopis Africæ exulibus in Sardiniâ, ut liquet ex epistolâ ad Joannem et Venerium, quam in appendice tomi decimi operum S. Augustini recusam invenies. S. Gregorius Papa II, in litteris ad episcopos et duces Germaniæ scribens se commisisse Bonifacio Moguntino, ut populos « ex Apostolicæ « hujus sedis doctrinâ informet, et in eâdem « catholicâ fide permanere instituat, » Romanam Apostolicæ sedis fidem seu doctrinam pro catholicâ fide accepit. Hæc omnia Græcorum schismate anteriora sunt testimonia. Ita porrò Romani dicti sunt Catholici, ut Ecclesia catholica Romana appellata est, nimirùm ob unitatem potissimùm fidei cum Romanâ, ut ipsi adversarii fateri coacti sunt. Romana enim dicitur catholica Christi Ecclesia non ob disciplinam, quæ varia esse potest in diversis locis, sed « maximè ab ipsâ fide, quæ una esse debet « cum Romanâ in omnibus et singulis Ecclesiis. » Ita Honoratus Tournely de Ecclesiâ, quæst. 2, art. 7. Hinc etiam Bossuetius in sermone habito ad Comitia Cleri Gallicani anno 1681, confessus est ingenuè: « Fides Ecclesiæ ca- « tholicæ, quæ semper est fides Ecclesiæ Roma- « næ. » Similia repetit tom. 3 Meditationum in Evangelium die 72, et in corollario ad Defensionem declarationis Cleri Gallicani § 8, indubiè pronuntiavit, « catholicam fidem ad « finem usque seculi non aliam quàm Romanam « futuram. » Ita ergo necesse est tenere Romanam fidem, ut necesse est tenere fidem catholicam, quæ non alia nisi Romana est. Specialis hæc prærogativa Romanæ sedis nulli alii particulari sedi convenit, quippe quòd nulla alia particularis sedes primatu donata est, cujus unius causâ omnes undique fideles, id est, totam Ecclesiam catholicam cum Romanæ Ecclesiæ fide convenire necesse est, ut ex S. Irenæo Bossuetius statuit, et cum eodem statuerunt pariter Gallicani episcopi in Comitiis Medolunensibus anni 1579, quorum verba inferiùs recitabimus.

§ 8. S. *Augustini testimonia expenduntur, illa præsertim, quæ in libris contra Donatistas scriptis inveniuntur. Argumentum sumptum ex notâ Ecclesiæ uti Apostolica dicitur, quatenùs necessariam adstruit unitatem fidei cum Romanâ Apostolicâ sede; aliaque aliorum Patrum in eamdem rem testimonia proferuntur.*

S. Hieronymo subjiciendus S. Augustinus, de cujus mente circa auctoritatem Apostolicæ sedis ob unitatem communionis et fidei continendam in totâ Ecclesiâ nemo ambiget, si ea perpenderit, quæ idem sanctus doctor adversus Donatistas schismaticos et adversùm Pelagianos hæreticos scripsit. Inprimis contra Donatistas catholicæ unitatis, seu communionis desertores libro tertio in Cresconium cap. 34, Romanum episcopum ejusdem communionis catholicæ centrum agnoscit, quocum qui non communicarent, catholici haberi non possent. Cùm enim Cresconius pro se allegâsset Orientalium societatem et auctoritatem, quos ex Sardicensi concilio ad Donatum suum Carthaginensem, uti ferebatur, episcopum scribentes, à cæterorum Occidentalium, quos traditores vocabat, communione sese separâsse

dictitabat; S. doctor, postquàm affirmavit, illud concilium non Catholicorum fuisse, sed hæreticorum, qui Arianam hæresim propugnabant, eos hæreticos vel hâc de causâ fuisse probavit, quòd Orientales catholici nunquàm ad quemquam magnæ licet sedis episcopum scripsissent Romano prætermisso. « Africanam « hæresim (Donatistarum) Orientalis hæresis « (pseudo-Sardicensium) sibi tentavit adjunge- « re, quod hinc maximè credibile est, quòd ad « Carthaginis episcopum Romano prætermis- « so nunquàm Orientalis catholica scriberet. » Fatetur ergo omnem Ecclesiam, quæ catholica sit, cum Romanâ ita communione debere conjungi, ut si quæ ejus communionem prætermittat, catholica nequaquàm esse convincatur. Hinc itaque communionis catholicæ centrum in Romano pontifice positum perspicuè novit Augustinus, imò et cum Augustino novit ipsa catholica Orientalis Ecclesia, cujus morem hoc loco Augustinus profert.

Rursùs cùm Donatistæ Cæcilianum catholicum Carthaginensem episcopum à suarum Ecclesiarum communione sejunxissent, et ob id illum dicerent separatum ab Ecclesiâ, Augustinus è contra ut eumdem in Ecclesiâ constitisse probaret, communionem ejus opposuit cum aliis totius orbis Ecclesiis, ac inprimis cum Romanâ, cujus unitatem cùm Cæcilianus teneret, nihil erat, quod ex Donatistarum separatione sibi metueret: « Non mediocris Car- « thago auctoritatis habebat episcopum, qui « posset non curare conspirantem multitudinem « inimicorum, cùm se videret et Romanæ Ec- « clesiæ, in quâ semper Apostolicæ cathedræ « viguit principatus, et cæteris terris, unde « Evangelium ad ipsam Africam venit, per com- « municatorias litteras esse conjunctum. » Ita epist. 43, n. 7.

Verumenimverò hanc cum Romanâ Ecclesiâ communionem, quam ex primatûs prærogativâ maximè commendavit, necessariam præ communione cum cæteris prorsùs significat in Psalmo contra partem Donati, ubi allaturus certum argumentum, quo illos ab Ecclesiâ separatos demonstret, unam profert Romanam sedem, à quâ palam erat eos esse præcisos. Postquàm enim ipsos declaravit à catholicâ verâ Ecclesiâ sejunctos, ad quam ut revertantur, si consulere sibi velint, hortatur inquiens:

Venite, fratres, si vultis, ut inseramini in vite.
Dolor est, cùm vos videmus præcisos ita jacere,

statim ad Romanæ sedis pontifices eosdem provocat his verbis:

Numerate sacerdotes vel ab ipsâ Petri sede,
Et in ordine illo Patrum quis cui successit videte.
Ipsa est petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ.

Simile quidpiam legitur in epist. 53, n. 2, quam Fortunatus, Alypius et Augustinus ad Generosum dederunt. Ut enim Donatistas ab Ecclesiâ separatos ostenderent (quidquid secùs quidam ex ipsis angelicam revelationem mentitus dictitâsset) Romanæ sedis pontifices in medium proferunt sic: « Si enim ordo epi- « scoporum sibi succedentium considerandus « est, quantò certiùs et verè salubriter ab ipso « Petro numeramus, cui totius Ecclesiæ figuram « gerenti Dominus ait: *Super hanc petram ædi- « ficabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non præ- « valebunt adversùs eam.* Petro enim successit « Linus, Lino Clemens. » Et sequuntur ad Anastasium usque, qui eo tempore Romanæ cathedræ præsidebat. Tum concludunt quasi Donatistas hoc argumento ab Ecclesiâ præcisos confirmaturi: « In hoc ordine successionis nul- « lus Donatista episcopus invenitur; sed ex trans- « verso ex Africâ ordinatum miserunt, qui pau- « cis præsidens Afris in urbe Româ Montensium, « vel Cutzupitarum vocabulum propagavit. » Mira profectò videri nonnullis poterit hæc argumentandi ratio. Quid enim ad separationem ab Ecclesiâ Donatistis probandam Romanorum pontificum series, seu catalogus confert? Id quidem haud facilè intelligetur in adversariorum sententiâ; in nostrâ autem fit omninò perspicuum. Considerandum scilicet est, Augustinum utrobique proponere evangelicum textum, quo Romana Petri sedes, seu Petrus et successores ejus, quos recenset, constituti fuerunt à Christo illa petra, cui totius Ecclesiæ ædificium incumbit, et fidei communionisque unitate adhærescit. Ut quis ad hoc Ecclesiæ ædificium pertineat, hanc unitatem teneat necesse est. Cùm ergo neque in horum pontificum serie ullus Donatista episcopus inveniatur, neque cum illis Petri successoribus Donatistæ communicarent, quippe qui cum Donatistâ episcopo ex Africâ Romam submisso, et à Romani antistitis unitate separato solummodò communicabant, satis ex hoc Donatistarum factionem à Romanæ sedis unitate præcisam, ab ipsâ quoque Ecclesiâ catholicâ præcisam Augustinus et Afri episcopi argumento certissimo se demonstrare crediderunt. Adeò certum et exploratum illis fuit, non esse in Ecclesiâ catholicâ eum qui hujus petræ non tene

ret unitatem. Quòd si prætereà animadvertas id in postremo textu tribui S. Petro ejusque successoribus, licet *totius Ecclesiæ figura* ipsis vindicetur, hanc *totius Ecclesiæ figuram* in Petro ac successoribus ejus ex Augustini mente jus cogendæ unitatis laudatis testimoniis assertum haudquaquàm excludere, sed potiùs præsumere manifestissimè intelliges.

Verùm hæc S. Augustini argumentatio ducta ex serie ac successione Romanorum pontificum mihi in mentem inducit animadversionem quamdam, quæ ad necessitatem unitatis fidei cum Romanâ sede statuendam maximè conferet. Fusiùs aliquantò exponenda erit, et ex aliis quoque Patribus testimonia afferenda. Patrum præsertim antiquorum, quando in hæreticos vel schismaticos disputabant, frequens mos fuit, ad continuam episcoporum successionem jam inde ab Apostolis ductam eos provocare. « Cedant ergo origines Ecclesiarum « suarum, inquiebat Tertullianus (de Præscript. « c. 25), evolvant ordinem episcoporum suorum « ita per successiones ab initio decurrentem, ut « primus ille episcopus aliquem ex Apostolis, vel « Apostolicis viris... habuerit auctorem et ante« cessorem. » Cùmque illi hanc successionem in suarum Ecclesiarum censu proferre non possent, apud ipsos veram Christi Ecclesiam nequaquàm reperiri antiqui illi Patres collegerunt. Usi sunt hoc argumento tanquàm certissimo præter Tertullianum S. Irenæus, l. 3 adversùs hæreticos c. 3; Optatus, lib. 2 in Parmenianum contra Donatistas, contra quos egit etiam Augustinus duobus locis recitatis, qui idem argumentum pariter objecit Manichæis quinquies vel sexies; auctor Quæstionum veteris et novi Testamenti quæst. 110; S. Ephrem apud Assemanum tomo 1 Bibliothecæ Orientalis pag. 129; S. Epiphanius ad Carpocratis hæresim 27, n. 6, et alii. At quid, amabo, ad veram Ecclesiam dignoscendam non interrupta ab Apostolis episcoporum successio? Inter veræ Ecclesiæ notas semper hæc fuit, ut *Apostolica* sit, ob fidem scilicet, quæ in verâ Ecclesiâ alia non est, nec esse debet, nisi quam Apostoli tradiderunt. Quam autem fidem tradiderint Apostoli, ubi Apostolicæ desint litteræ, non aliunde cognoscere et probare licet, nisi per episcoporum successionem, qui jam inde ab Apostolis eamdem semper doctrinam non interruptâ successione docuerint. Ne verò Ecclesiæ, quæ multò post Apostolorum ætatem institutæ, hanc successionem in suis episcopis nequeunt præferre, hâc Apostolicitatis veræque Ecclesiæ notâ careant; satis est, ipso Tertulliano explicante c. 20, ut, si nec ab Apostolis, nec ab Apostolicis viris originem ducant, fidei saltem traducem hauriant ab ipsis Ecclesiis Apostolicis, « ut Eccle« siæ fiant: nam per hoc, inquit, et ipsæ Aposto« licæ deputantur, ut soboles Apostolicarum « Ecclesiarum. Omne genus ad originem suam « censeatur necesse est. » At monet, acceptam semel ab iisdem Ecclesiis doctrinam perpetuò teneant oportet, ut « tot et tantæ Ecclesiæ illa « habeatur ab Apostolis prima ex quâ omnes. » Sic enim « omnes primæ et Apostolicæ, dùm unam « omnes probant unitatem. » Itaque ex tot ac tantorum Patrum sententiâ tam necesse est fidei unitatem tenere cum aliquâ Apostolicâ Ecclesiâ, quæ non interruptam successionem episcoporum exhibeat, quàm necesse est veram Ecclesiam et veram fidem esse et probari Apostolicam.

At dùm ejusmodi Apostolicarum sedium successiones pro verâ Ecclesiâ et verâ fide discernendâ inculcantur à Patribus, cæteris Apostolicis Ecclesiis vel indicatis tantùm vel prætermissis, unius Romanæ sedis pontifices distincto catalogo recensentur, et ad hos potissimùm hæretici, vel schismatici provocantur, ut ex Irenæi, Optati, Augustini et Epiphanii locis antea laudatis liquet: cùmque nemo (quod observaverim, aliarum Apostolicarum sedium successionem sine Romanâ commemoret, tum verò multi solius Romanæ successionis mentionem faciunt. Quid ita? Rationem profert S. Irenæus antiquissimus omnium, qui hujus Romanæ successionis distinctum catalogum attulit. Is nimirùm expositurus, cur è tam multis Ecclesiis Apostolicam successionem suo ævo exhibentibus, quibuscum fidem conspirare debere affirmaverat ut probetur Apostolica, unius Romanæ Ecclesiæ successionem doctrinamque hâc non interruptâ successione traditam in medium adduceret, hanc rationem subjicit § 1 superiùs fusè explicatam: « Ad hanc enim Ecclesiam « propter potentiorem principalitatem necesse « est omnem convenire Ecclesiam. » Optimè. Si enim cum Romanæ Ecclesiæ fide, de quâ contextus loquitur, necesse est omnem Ecclesiam, ac proinde (1) etiam Apostolicas, con-

(1) Hinc quidem P. Le Nourri in Appendice ad Bibliothecam veterum Patrum dissert. 6, in Irenæum c. 5, § 2, tomi 1, pag. 579, S. Doctoris textum fusè exponens, postquam Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ fidem cæterarum Apostolicarum fidei ab eodem præponi observavit;

venire, ut quis se certum præstet de Apostolicâ fide, satis est cognoscat ac teneat Romanæ Apostolicæ Ecclesiæ fidem, cum quâ ipsæ Apostolicæ Ecclesiæ debent convenire. Hæc autem necessitas conveniendi cum Romanâ fide ipsis quoque Apostolicis Ecclesiis imposita tanta est, ut cum iisdem convenire debeat nemo, nisi quatenùs cum Romanâ fide conveniant: à quâ unitate fidei Romanæ si fortè desciscant, non solùm cum ipsis convenire ampliùs necessarium non sit, sed necesse potiùs sit, non convenire, uti sanè conveniendum non erat, neque cum Alexandrinâ, neque cum Antiochenâ, Ephesinâ, aut aliis Ecclesiis originis Apostolicæ, cùm episcopos alicujus hæreseos auctores aut patronos habuêre.

Afferri et hìc potest Hieronymi ratio antea explicata quâ dubius de fide Antiochenorum episcoporum in quæstione de hypostasibus, Romanam fidem consuluit, propterea quòd, inquit, « super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. » Cui si qua Ecclesia non adhæreat in eâdem fide, quantùmvis Apostolicam originem habeat, ad veram Christi Ecclesiam ampliùs non pertinet. Adeò cum solâ Romanâ Ecclesiâ convenire necessarium est, ut cum aliis quantùmvis Apostolicis tamdiù conveniendum sit, quamdiù conveniunt cum Romanâ; cum hâc autem convenire semper necesse sit, etiamsi cæteræ ab ipsâ discordent. Id autem eò magis hoc tempore opus est, cùm jam cæteræ omnes Apostolicæ Ecclesiæ variis hæresibus distractæ, ab Apostolicâ fide defecerint. Si enim vera Christi Ecclesia Apostolica est ex fide Apostolicâ, fides autem, ut sit Apostolica, ex tot Patrum sententiis convenire debet cum aliquâ Ecclesiâ, quæ jam inde ab Apostolis non interruptam episcoporum successionem ac traditionem exhibeat; cùm modò nullæ jam sint Apostolicæ ejusmodi Ecclesiæ nisi Romana, cum hâc procul dubio conveniendum omninò est, ne Apostolicæ fidei nota per continuam episcoporum successionem ex laudatis Patribus probanda, Ecclesiæ nunc deesse dicatur. Hæc quidem præsumunt Romanam Ecclesiam Apostolicæ fidei eo Patrum argumento demonstrandæ hoc tempore necessariam, in traditâ à Petro doctrinâ nec defecisse, nec defuturam unquàm, sicut aliæ Apostolicæ defecerunt.

Præclarum in hanc rem subnectam testimonium Bahanis Patricii relatum in generali Concilio VIII, act. 8, tomo 10, Concil. Ven edit. col. 612, ubi indicatis quinque Patriarchalibus sedibus, in quibus Deum posuisse suam Ecclesiam affirmat, et statuisse « in Evangeliis suis, « ut nunquàm (illæ) aliquando penitùs decidant, eò quòd capita Ecclesiæ sint, » hanc rationem et explicationem subjicit: « Etenim « illud quod dicitur: *Et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*, hoc denuntiat, quando « duo ceciderint, currunt ad tria; cùm tria « ceciderint, currunt ad quatuor; cùm verò quatuor fortè ceciderint, unum quod permanet « in omnium capite Christo Deo nostro, revocat iterùm reliquum corpus Ecclesiæ. » Certum est hoc textu præsumi, necesse quidem esse omnes Catholicos concordare debere in fide cum sedibus Apostolicis atque Patriarchalibus, quarum fides ex promissis Christi non est defectura: id tamen non ita ut semper conveniendum sit etiam cum iis, si quæ ex ipsis à fide defecerint; sed ita ut, si quibusdam deficientibus (quod fieri potest) una tantùm rectam fidem custodiat (quod saltem ex Christi promissis necessarium est), Catholici debeant cum eâ convenire in fide, et hâc ratione conservare unius et ejusdem Apostolicæ fidei unitatem. Cùm igitur aliis Apostolicis et Patriarchalibus sedibus jamdiù à fide dilapsis una Romana totius catholicæ Ecclesiæ caput ex omnibus Apostolicis et patriarchalibus illa sit, contra quam portæ inferi non prævaluerint, ex vi verborum Bahanis sequitur, ad hanc totum Ecclesiæ corpus esse revocandum in ejusdem fidei unitatem. Quod peculiare Romanæ sedis privilegium præ cæteris Apostolicis in promissionem Christi Petro factam, expressè retulit S. Anselmus episcopus Lucensis in libro contra Guibertum pseudo-pontificem scripto: « Uno vel duobus (è tribus præcipuis patriar« chis) à fide corruentibus, inquit, Romanus « in ejusdem fidei fundamento licet pulsatus, « licet concussus, tamen stetit immobilis: *Cæ« lum enim et terra transibunt, verba autem ejus « non transibunt, qui dixit: Tu es Petrus, et « super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, « et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* » In hoc fundamento, quod Christus suæ Ecclesiæ posuit, et in hoc unitatis catholicæ centro stetit semper stabilisque catholicæ Ecclesiæ fides; et ob hanc unitatem in Romanâ potissimùm traditione ac fide semper conservata est illibata totius Ecclesiæ fides et Apostolica traditio, ut ex Irenæo accepimus. Non ita conservata in

« Imò verò, addit, et has matrices et Apostolicas Ecclesias ad Romanam in causis fidei « jubet convenire. »

aliis Apostolicis et patriarchalibus sedibus, quæ jam defecerunt à fide : unde Christi promissio non ita alias uti Romanam respicit; et eatenùs eadem promissio ad catholicam Ecclesiam refertur, quatenùs hæc semper in unitate fidei Romanæ, seu in hoc fundamento ac centro stetit ac stabit.

Id quoque in eo argumento urgendo præsumpserunt inter cæteros sancti Irenæus et Augustinus, quorum postremus idcircò monuit successionem Romanorum pontificum, ad quam provocavit Donatistas, esse illam petram, quam non vincunt superbæ inferorum portæ, Psal. in partem Donati. Primus verò non solùm in eâ successione conservatam semper traditionem affirmavit, verùm etiam in eâ ab his qui sunt undique fidelibus, id est, à totâ Christi Ecclesiâ, conservatam apertè prodidit, quippe quòd non aliâ ratione Ecclesia in Apostolicâ fide se tutam præstitit, nisi quatenùs in unitate fidei Apostolicæ Romanæ constitit : « In quâ semper ab « his, qui sunt undique, conservata est ea quæ « est ab Apostolis traditio. » Irenæus, lib. 3 de Hæres. c. 3. De hoc argumento plura dicenda erunt cap. 15, ubi de indefectibilitate Romanæ fidei ex proposito agetur. Hinc tandem etsi Apostolica universim dicatur Ecclesia ob fidem ab Apostolis ad nos usque productam per non interruptam episcoporum successionem in iis sedibus quæ Apostolos habent auctores, non tamen peræquè de aliis Apostolicis sedibus ac de Romanâ censendum est, specialisque de hâc ratio habenda, ita ut ad Apostolicitatem fidei tutò præstandam, unitas fidei cum hâc sit penitùs necessaria, ut hactenùs dicta demonstrâsse videntur. Quò fortè respiciens Claudius Fleury in disputatione quam præfixit sex priorum seculorum Historiæ, scripsit num. 12, Ecclesiam « Apostolicam agnosci per succes« sionem episcoporum præcipuè earum sedium « quas Apostoli immediatè instituerunt, nec« non per unionem cum cathedrâ S. Petri, « quæ est centrum unitatis catholicæ. »

Sed ut ad Augustinum redeam, is unitatem cum Romanæ sedis pontificibus tanti fecit, ut non tam schismatis reprehenderit Donatistas, qui ab eâ desciverant, verùm etiam se eâ successione in Ecclesiâ teneri affirmaverit in libro contra Epistolam Fundamenti c. 4 : « Te« net me (in Ecclesiâ) ab ipsâ sede Petri, cui « pascendas oves suas post resurrectionem Do« minus commendavit, usque ad præsentem « episcopatum successio sacerdotum; » eò nimirùm quòd hæc Romanorum antistitum successio, cui universum gregem, seu totam Ecclesiam Dominus in Petro commisit, tantæ penès ipsum auctoritatis esset, ut eidem tanquàm firmissimæ petræ (quam alibi nominat, ut vidimus) omninò adhærendum ratus, vel ex hoc retineretur in Ecclesiâ, quæ pariter illi petræ ex Christi institutione adhæerescit. Hanc autem auctoritatem in doctrinâ præsertim fidei ab Augustino agnitam fuisse ostendit Psalmus contra partem Donati, ubi memoratâ eâdem Romanorum pontificum successione petræ vocabulo donatâ, *quam non vincunt superbæ inferorum portæ*, subdit statim : « Talis si quis « ad me veniat plenus catholicæ fidei, quales « illos sanctos viros (id est, Romanæ Ecclesiæ « sacerdotes) omnes solemus audire. » Quæ sanè non tam Augustinum, quàm omnes Catholicos ei fidei, quæ Romanorum pontificum esset, promptè adhærentes significant.

§ 9. *Alia ejusdem Augustini testimonia ex scriptis contra Pelagianos pro unitate fidei cum Romanâ. Validissimum argumentum ductum ex antiquissimo more referendi causas fidei ad Romanam sedem. Innocentii I, trium conciliorum Africæ et aliorum Patrum auctoritates. Loca Augustini ex libris de Baptismo objecta explicantur, ubi inter alia disquiritur num in quæstione de baptismo extra Ecclesiam percepto Stephanus ediderit propriè dictam definitionem fidei.*

Nunc ex Augustini scriptis contra Pelagianos editis pro unitate fidei exploratiora educentur. Celebres sunt hâc in re tres ad Innocentium I epistolæ, duæ conciliorum Carthaginensis atque Milevitani, tertia quinque episcoporum Africæ, quæ omnes ab Augustino scriptæ, et inter ejusdem epistolas editæ non tam ipsius, quàm totius Africanæ Ecclesiæ testimonium exhibent. Refertur in his de Pelagii Cœlestiique erroribus ad Romanam sedem, ut hujus hâc super re exquiratur sententia. Antiquus hic referendi mos est, cùm præsertim fidei quæstiones inciderent, et à primis quoque seculis accuratè observatus : cujus quidem initia ad ipsa Apostolorum tempora Theodoretus refert in Epistolâ ad S. Leonem, ejusque primum exemplum profert ex Apostolo Paulo ; qui tametsi esset *præco veritatis et tuba Spiritûs sancti*, in primâ tamen illâ de legalibus controversiâ, ut exemplum posteris relinqueret, « ad magnum Petrum se con« [illegible] iis qui Antiochiæ de legali conver-

« satione ambigebant, explicationem ab ipso « referret. » Si antiquissima monumenta superessent, plura id genus exempla è quatuor primis seculis produci possent. At pleraque devoravit tempus edax, unde nihil quoque reliquum est ex iis multis quæ Hieronymus sub Damaso relata et responsa commemorat epist. 91, ad Ageruchiam n. 1 : « Cùm in chartis « ecclesiasticis juvarem Damasum Romanæ ur- « bis episcopum, et Orientis Occidentisque sy- « nodicis consultationibus responderem, » etc. Quæ tamen conservata nobis fuêre satis innuunt omnium ejusmodi relationum scopum atque consilium : quod in rem nostram maximè congruens ex tribus laudatis Africanorum antistitum relationibus cognoscimus. Duæ scilicet referendi causæ ibidem allegantur : prima, ut ex responsionibus sedis Apostolicæ cognoscatur, quænam sit in propositâ controversiâ Romanæ Ecclesiæ fides ; altera, ut ejusdem sedis auctoritate compescatur error, et errantes ad catholicam mentem revocentur. Utrumque autem ad unitatem fidei cum Romanæ sedis fide necessariam pertinet.

Primam referendi causam præclarè exprimit epistola 177, à quinque episcopis Aurelio, Alypio, Augustino, Evodio et Possidio scripta post duo Carthaginense et Milevitanum concilia, ubi, num. 19, post petitam veniam prolixioris sermonis additur : « Non enim rivulum « nostrum tam largo fonti augendo refundimus ; « sed in hâc non tamen parvâ tentatione tem- « poris... utrùm etiam noster licet exiguus, « eodem quo etiam tuus abundans emanet ca- « pite fluentorum, hoc à te probari volumus, « tuisque rescriptis de communi participatione « unius gratiæ consolari. » Quâ illi allegoriâ cùm rectæ fidei fontem esse indicant Romanam fidem, tùm verò fidei doctrinam suâ relatione propositam rectam esse non posse innuunt, nisi ex eodem fonte in ejusdem fidei unitatem derivet ; ac idcircò quidem se ad Romanam sedem in causâ Pelagianâ retulisse significant, non ut rectam fidem doceant eamdem Romanam sedem, sed ut intelligant, num sua fides cum fide ipsius sedis una et eadem sit, ac ex eodem fonte dimanet (*rivorum enim unitas servatur in origine,* ut loquitur S. Cyprianus de Unitate Ecclesiæ, ex quo fortassis hanc allegoriam Afri sumpserunt) ; quod unitatis fidei necessitatem manifestè præsumit. Hæc autem cùm scripserunt Africani, non per meram externam cæremoniam, seu officium, ut captarent pontificis gratiam, scripserunt, eo scilicet animo, ut pontifici assentirentur, si in ipsorum sententiam responderet, secùs verò repugnarent. Hæreticorum et Pelagianorum proprium hocce consilium fuit, cùm suam sententiam Romanæ sedis judicio submisêre : quod vitium cùm Africani antistites in Pelagianis condemnârint, ut ex multis Augustini locis notum est, ab eo ipsi, sicut et Catholici omnes, alienissimi fuisse dicendi sunt. Simplici ergo et sincerâ mente ea scripsêre, ut si quid in datis epistolis à Romanæ sedis fide, quam pontifex respondendo significaret, dissonum reperiretur, id tanquàm aquam cisternæ dissipatæ, alienam à nativo fonte, unde pura aqua dimanat, reprobarent atque corrigerent ; quo sanè consilio Augustinus ad Bonifacium Papam misit libros quatuor contra duas Pelagianorum epistolas, ut hæc ejus verba declarant : « Hæc ergo, quæ istis, ut dixi, duabus « epistolis illorum istâ disputatione respon- « deo, ad tuam potissimùm dirigere Sanctita- « tem non tam discenda, quàm examinanda, « et, ubi forsitan aliquid displicuerit, emen- « danda constitui ; » lib. 1, n. 3.

Hanc eamdem mentem, quæ fidei unitatem cum Romanâ sede tanquàm totius catholicæ doctrinæ originali fonte necessariam præfert, gessisse omnes Catholicos in relationibus de controversiis fidei Innocentius I testatur rescribens ad Patres concilii Milevitani, quibus proinde gratulatur, quòd « super anxiis rebus « quæ sit tenenda (nota hanc vocem, *tenen- « da*) sententia ab eâdem sede quæsierint, « antiquæ regulæ formam secuti, quam toto « semper orbe mecum, inquit, nôstis esse « servatam ; id nimirùm scientes, necnon « actione firmantes, quòd per omnes provin- « cias de apostolico fonte petentibus responsa « semper emanent. » Ubi vides Innocentium eidem Afrorum allegoriæ insistere. Et similiter in aliâ responsione ad concilium Carthaginense, eamdem allegoriam repetens, « anti- « quæ traditionis exempla, necnon instituta « Patrum » in eo apertè commemorat, ut « inde (ex Apostolicâ sede) sumerent cæteræ « Ecclesiæ (velut de natali suo fonte aquæ « cunctæ procederent, et per diversas totius « mundi regiones, puri latices capitis incor- « rupti manarent) quid præciperent, quos « abluerent, quos veluti cœno inemundabili « sordidatos mundis digna corporibus unda « vitaret. » Hæc ex Africanorum locutione ac sensu ab Innocentio sumpta, nemo per excessum dicta criminetur. Quod si quis suspicare-

tur, eum statim revinceret Augustinus, cujus judicio *ad omnia ille rescripsit, eodem modo, quo fas erat atque oportebat Apostolicæ sedis antistitem.* Quo rursùm testimonio unitatis in fide necessitas, quæ ab eodem pontifice in iisdem litteris enucleatiùs exprimitur, ab Africanis approbata confirmatur. Neque enim ea tantùm, quæ de Pelagianâ causâ, sed illa etiam quæ ex ipsorum allegoriâ atque sententiâ de suæ sedis prærogativâ in unitatem fidei Innocentius respondit, approbâsse dicendi sunt. Quæ sanè ab eisdem comprobata vel ex eo convinci potest, ut P. Constantius optimè observavit, quod eorum posteri scripserunt in exordio Epistolæ quæ à tribus Africæ conciliis ad Theodorum Papam missa, postmodùm in Lateranensi concilio sub S. Martino I, act. 2, recitata fuit. Ibi enim eâdem allegoriâ, iisdemque Innocentii sententiis ac ferè etiam verbis utentes : « Magnum, inquiunt, et indeficientem omnibus Christianis fluenta redundantem apud Apostolicam sedem consistere fontem, nullus ambigere potest, de quo rivuli prodeunt affluenter, universim largissimè irrigantes orbem Christianorum, cui etiam in honorem beatissimi Petri Patrum decreta peculiarem omnem decrevère reverentiam in requirendis Dei rebus, quæ omninò et sollicitè debent, maximè verò justèque ab ipso præsulum examinari vertice apostolico, cujus vetusta sollicitudo est tam mala damnare, quàm probare laudanda. Antiquis enim regulis sancitum est, ut quidquid quamvis in remotis, vel in longinquo positis ageretur provinciis, non priùs tractandum, vel accipiendum sit, nisi ad notitiam almæ sedis vestræ fuisset deductum, ut hujus auctoritate justa quæ fuisset pronuntiatio, firmaretur; indeque sumerent cæteræ Ecclesiæ velut de natali suo fonte prædicationis exordium, et per diversas totius mundi regiones puritatis incorruptæ maneant fidei sacramenta salutis. »

Huic formulæ, quæ fidei unitatem ingerit sub allegoriâ *fontis* à quo fidei veritas in totum orbem manare debet, affinis est alia in aliis relationibus, quâ Romana sedes, tanquàm *caput* cui cætera membra debent adhærere, exhibetur. Legatur inter cæteras relatio synodi Sardicensis anni 347 ad Julium Papam. Cùm enim ad eamdem sedem tanquàm ad caput relationes mittebantur, non tam capitis requirebatur officium, cujus est cæterorum membrorum regimini, sanitati, unitatique prospicere, quàm eorumdem membrorum declarabatur obligatio, quorum est (1) caput sequi, eidemque adhærere. Hùc spectat illud Aviti Viennensis epist. 36 : « Scitis synodalium legum esse, ut in rebus, quæ ad Ecclesiæ statum pertinent, si quid dubitationis fuerit exortum, ad Romanæ Ecclesiæ maximum sacerdotem quasi ad caput nostrum membra sequentia (quod unitatem indicat) recurramus. » Et Justinianus, qui in causâ fidei ad Joannem II, retulerat, quia caput est omnium sanctarum Ecclesiarum, se unitatis in hoc rationem habuisse disertè affirmavit in litteris ad Epiphanium regiæ urbis episcopum, quem propterea monet de promulgato eâ super re edicto : « Servato statu unitatis omnium Ecclesiarum cum ipso sanctissimo Papâ veteris Romæ, ad quem, inquit, similia hisce præscripsimus. Non enim patimur, quidquam eorum, quæ ad ecclesiasticum spectant statum, non etiam ad ejusdem referantur Beatitudinem, cùm ea sit caput omnium sanctissimorum Dei sacerdotum. » Confer Gregorii II epistolam ad S. Bonifacium episcopum Moguntinum insertam in hujus Vitâ scriptâ ab Othone Fuldensi, quam Henricus Canisius edidit. Verissimum scilicet est, quòd in hanc rem Antonius de Rosellis unus ex adversariis prodidit in tractatu *de Potestate imperatoris et Papæ*: « Dicendum est quòd potestas majorum causarum sit in Petro et Apostolicâ sede tanquàm in capite, ita quòd in ipsâ habeatur respectus ad fidem Petri et illius beatissimæ sedis tanquàm ad solem, unde lumen fidei et splendor unitatis in totam causetur Ecclesiam : » ubi *unitatem*, et *fidei* quidem *unitatem* ex eo capite derivatam in totam Ecclesiam, relationibus fidei ad Romanam sedem causam dedisse fatetur. At de primâ referendi causâ nimis fortassè multa.

(1) Chalcedonensis concilii Patres in relatione ad S. Leonem, quem sibi *sicut membris caput præfuisse* testantur, postquàm ex officio capitis eumdem commendarunt, quòd *corpus Ecclesiæ unire festinâsset,* hæc de suo ac membrorum officio prodidère : *Nos capiti in bonis adjecimus consonantiam.* Quibus similia leguntur de Ephesinis Patribus, quos, dùm Cœlestini judicio contra Nestorianam hæresim acclamârunt, *sancta membra sancto capiti se adjunxisse* Philippus Apostolicæ sedis legatus pronuntiavit. Vid. act. 2 concilii Ephes. In hunc quidem finem capiti membra Ecclesiæ Christo instituente subjecta fuisse S. Hieronymus testatur in libro contra Jovinianum, *ut capite constituto schismatis tolleretur occasio*; et, ut addit S. Leo epist. 14 aliàs 12, ad Anastasium Thessalonicensem, c. 10, *nihil usquàm à suo capite dissideret.*

Breviùs me expediam ab alterâ, quæ Romanæ sedis auctoritatem respicit. Hanc causam Afri Carthagine congregati in litteris ad Innocentium I exposuerunt his verbis : « Hoc itaque « gestum, Domine frater, sanctæ charitati tuæ « intimandum duximus, ut statutis nostræ me- « diocritatis etiam Apostolicæ sedis adhibeatur « auctoritas pro tuendâ salute multorum, et « quorumdam perversitate etiam corrigendâ. » Et in eamdem sententiam Milevitani concilii Patres : « Arbitramur..... auctoritate sanctita- « tis tuæ de sanctarum Scripturarum auctori- « tate deprompta (quod auctoritatem prima- « tûs divini juris et in Scripturis probati res- « picit) faciliùs eos, qui tam perversa et per- « niciosa sentiunt, esse cessuros. » Hìc auctoritatem primatûs propriam in Pelagianos, ut ad sanam doctrinam revocentur, interpellatam vides. Quomodò verò auctoritas hæc in id consilium interpellata fuisset, si non præcipuam cogendi vim eidem ratione primatûs competere Africani credidissent? Hæc potior causa, cur Romanæ sedi tam sollicitè ex universis provinciis referretur. Nonnulla quidem exempla litterarum supersunt, quibus ab aliis Ecclesiis consilium petitum fuit, ut Lugdunensis atque Viennensis Ecclesiæ ab Ecclesiis Asiæ ac Phrygiæ consultæ fuerunt, quid de Cataphrygis sentirent, teste Eusebio lib. 5 Hist. c. 2 et 3. Consulti etiam metropolitani ab episcopis provinciæ; imò et episcopi, qui insigniores famâ erant ab aliis extra provinciam quandoque consulti leguntur. At illi, tametsi famâ celebres, auctoritate tamen intra suæ diœceseos fines circumscriptâ uti poterant, nec nisi rogati, quod perraró accidit, de alienis causis cognoscebant, ut ne tamen eorum responsa quemquam per se cogerent. Una Apostolica sedes ratione primatûs omnibus Ecclesiis prælata, auctoritatem in omnes exerere et ad unitatem omnes cogere poterat. Hinc si in causis gravioribus ad alios episcopos ex liberâ voluntate quandoque relatum fuit; ad Romanam sedem ut referretur, necessitas et debitum semper agnitum : unde S. Cyrillus se in culpâ futurum affirmavit, si de Nestorii dogmatibus ad Cœlestinum non referre, additque se *scribere planè necessitate adactum*. Cui consonans Ephesina synodus se ad eumdem idcircò referre ait, *quoniam oportebat omnia ad scientiam tuæ Sanctitatis referri*. Et Innocentius I, in litteris ad concilium Milevitanum, hujus necessitatis causam eo revocans num. 2, *quòd per totum mundum possit Ecclesiis omnibus in commune prodesse*, auctoritatem illam indicat, quâ unâ omnes totius orbis Ecclesiæ ad unitatem fidei cogerentur. « Nempe, ut postrema verba innuunt « (observat P. Constantius), oportuit unam « aliquam et singularem Ecclesiam à Deo « constitutam esse, quæ præesset aliis, cujus « ope atque auctoritate per orbem terrarum « omnem innotescerent, quæ in provinciis « peculiaribus delegantur hæreticorum flagitia, « errores, doli, quæque his malis adhibenda « sint remedia, ut (nota scopum unitatis fidei) « UNA EADEMQUE omnium perstaret incorrupta « FIDES neque communionis aut pacis vincula « solverentur. » Vis ergo coactiva unitatis fidei hisce in relationibus Romanæ sedis auctoritati attributa fuit, sine quâ cur tantoperè ad illam auctoritatis causâ ex universo orbe referrentur controversiæ circa fidem, nihil fuisset.

Hâc quidem de re ne quidquam dubitemus, ipsi Gallicani postremæ quoque ætatis episcopi luculentissimum testimonium præbent, cùm anno 1653, scribentes ad Innocentium X, in causâ Jansenianâ, veterem referendi morem summæ Romanæ sedis *auctoritati*, apud antiquam Ecclesiam *perspectæ* tribuunt, *cui Christiani omnes ex officio ipsius quoque mentis obsequium præstare tenentur;* quibus sanè ad vim planè coactivam declarandam pressius dici nihil potuit. Hâc sanè eâdem mente et persuasione Augustinum cum cæteris Africanis episcopis de Pelagiano dogmate retulisse ad Innocentium I, quòd certò crederent dogmaticum hujus responsum ex auctoritate apostolicâ omnes Catholicos cogere, manifestum fit ex illis ipsiusmet Augustini verbis, quibus post acceptum dogmaticum Innocentii responsum in publicâ concione edixit : *Inde rescripta venerunt, causa finita est; utinam aliquando finiatur error!* quæ verba ab universâ Ecclesiâ ita fuerunt suscepta, ut in solemnem quamdam veluti formulam identidem repetitam transierint. Rescripto Innocentii *causa finita* dici non poterat, nisi omninò cogeret et obligaret. Quod apertissimè confirmant etiam illa ejusdem Doctoris lib. 2 contra duas Epistolas Pelagianorum c. 3, quibus eodem rescripto *totam dubitationem sublatam* testatus est; et ita sublatam credidit, ut quam hæresim duobus Africæ conciliis damnatam ante ipsum rescriptum (1) *non evidenter exclusam de Ecclesiâ* consensus

(1) Epistola 178, in quâ leguntur hæc verba : *Non evidenter exclusa de Ecclesia*, fuit scripta post duo Africana concilia, et ante rescriptum Innocentii.

fuerat, propterea quòd illa concilia omnem Ecclesiam non cogerent; eamdem post laudatum rescriptum, quod universalem cogebat Ecclesiam, ubique amputatam, et hæreticos ubique habitos, qui eidem rescripto non acquiescerent, in posterioribus libris passim tradiderit; tanta cogendæ unitatis vis ei auctoritati delata fuit.

Non me latent adversariorum cavillationes, quibus perspicuum et peremptorium Augustini testimonium *causa finita est*, extorquere et eludere studentes, contendunt, ad finiendam causam tunc apostolicum judicium posse sufficere, cùm agitur de errore per se manifesto, qui paucos patronos habeat, aut cujus damnationi Ecclesiæ dispersæ consensus accesserit. Eæ autem cavillationes si quid valerent, quis non videat, nullo unquàm casu rescripta Romanæ sedis vim habitura, cùm exploratum sit, quàm facilè contumaces ac refractarii hæc et his similia effugia afferre queant, quàm difficile sit definire, num error sit manifestus, an obscurus, num pauci et exiguæ auctoritatis sint, qui pro illo dimicant, et quantùm hoc quoque tempore disputetur circa Ecclesiæ consensum, et circa conditiones in eo requisitas, etc. Ne autem in his, de quibus alibi fortassis erit fusiùs dicendum, distrahamur hoc loco, hæc profectò et alia similia, quæ proferri possent effugia, ne cogitavit quidem Augustinus, qui sicut in relatione Pelagianæ causæ ad Romanam sedem nihil aliud intendit nisi ejusdem sedis auctoritatem, ita eamdem solam auctoritatem respexit, cùm eam causam (1) finitam pronuntiavit rescripto ejusdem sedis, quæ satis per sese propter primatum ad unitatem fidei omnes Catholicos cogit. Hinc quidem libro 2 ad Bonifacium, cap. 3, nihil subindicans ejusmodi cavillationum, Innocentii rescripto totam omninò dubitationem sublatam declarans, ipsi per se et absolutè cogendi vim asseruit. Si enim liberum aut licitum putâsset negari illi assensum, quomodò ab eodem totam dubitationem sublatam dixisset? Certè non dixit totam sublatam, eò quòd post illas litteras dubitaverit nemo; nam Pelagiani et in his aliquot etiam episcopi, nedùm post rescriptum Innocentii, verùm et post Zozimi Tractoriam per totum orbem missam ac Patrum subscriptionibus roboratam, suam sententiam adhuc tueri et propugnare conati sunt; sed ex eo sublatam dixit, et totam quidem sublatam non facto tamen, sed jure, eò quòd nemo catholicus postea dubitaverit, nec potuerit dubitare, qui vellet esse Catholicus, et unitatem fidei cum Romanâ sede perspicuâ traditione necessariam, sartam tectam servare. Hinc igitur palam fit, Augustinum existimâsse pontificia rescripta circa fidem ligare, et ad assentiendum atque unitatem omnes Catholicos cogere. Judicium in Pelagianâ causâ ante Innocentianum rescriptum tulerant duo Africana concilia, Milevitanum et Carthaginense; sed quia hæc concilia particularia jus non habebant coactivum in omnes, ipsorum auctoritate causa finita nec dicta fuit ab Augustino, nec dici poterat. Finitam verò affirmavit rescripto et auctoritate Apostolicæ sedis, cui jus cogendi omnes competere ratione primatûs ex constanti traditione non ignorabat. Stet igitur de vi Romanæ sedis ad fidei unitatem cogente, Augustinum et Africanos certos fuisse, cùm Pelagianam causam ad Romanam sedem retulerunt, et cùm Augustinus omnium mentem explicans, Apostolico Innocentii rescripto eam causam finitam, totamque dubitationem sublatam pronuntiavit.

Video hìc fortassis aliquem Augustini testimoniis hactenùs propositis oppositurum illa ejusdem doctoris loca ex libris de Baptismo, ubi in causâ de hæreticorum baptismate, in quâ Stephanus Papa contra Cypriani sententiam decretum ediderat, Augustinus scripsit, se quoque iturum fuisse in Cypriani sententiam (Lib. 3 de Bap., c. 4), nec ausurum contrarium asserere, nisi Ecclesiæ toto orbe diffusæ plenariique concilii auctoritate teneretur (l. 2 de Bap., c. 4). Decretum ergo Stephani per se ad unitatem cogere nequaquàm credidit, quoad Ecclesiæ conciliique plenarii judicium non accederet. Si hoc sensu objecta Augustini loca strictè intelligantur, S. doctor sibimetipsi contradixisse dicendus esset, cùm in causâ Donatistarum tanti fecerit auctoritatem Romanæ sedis, ut hâc solâ eos satis perstringen-

(1) Id affirmavit serm. 131, habito eodem anno 417, quo Innocentii litteræ datæ fuerunt; quæ quidem cùm ad solos Africanos, non autem ad omnes totius Ecclesiæ episcopos fuerint transmissæ, aliarum Ecclesiarum consensum, de quo Augustinus nihil indicavit, ita afferre, ut ratione ejus causam finitam dixerit, chimericum est. Adeò verò uni hujus rescripti auctoritati institit, ut licet deinceps scripserit libros ad Bonifacium post Tractoriam Zozimi ad omnes episcopos missam, cui cùm omnes Catholici subscripserint, evidens in hoc erat totius Ecclesiæ, seu omnium episcoporum consensus; totam nihilominùs dubitationem anterioribus Innocentii litteris, quæ eo consensu non erant præditæ, sublatam affirmavit l. 2, c. 3.

dos censuerit, tum in Psalmo contra partem Donati, tum in Epistolâ ad Generosum, ut præcedenti paragrapho animadvertimus; in causâ autem Pelagianâ decretum Innocentii I per sese ita cogere crediderit, ut eo solo causam finitam affirmaverit. Imò non solùm contra se pugnare videri potest, si ea loca nudè sumantur, verùm etiam contra catholicam doctrinam. Cur enim iturus fuisset in Cypriani sententiam hâc ratione probans (lib. 3 de Bapt., c. 4): « Non quia fieri non potuit, ut « in obscurissimâ quæstione veriùs pluribus « unus paucive sentirent; sed quia non facilè « pro uno vel paucis adversùs innumerabiles « ejusdem religionis et unitatis viros, et ma« gno ingenio et uberi doctrinâ præditos, nisi « pertractatis pro viribus atque perspectis « rebus ferenda sententia est? » Docere videtur his verbis, evenire posse, ut in rebus fidei ac religionis pauci veritatem teneant potiùs quàm innumeri, ut in illâ de baptismo controversiâ innumeri erant, qui Stephani sententiæ adhærentes contra Cyprianum sentiebant: quod certè promissionibus à Christo factis Ecclesiæ sive per orbem dispersæ, sive in generali concilio congregatæ omninò repugnat. Hæc itaque verba non à nobis solùm, sed ab ipsis etiam adversariis explicanda sunt, ne non tam pontificiæ, quàm Ecclesiæ et conciliorum generalium auctoritati noceant. Quid igitur? Hìc duplex solutio præstò est, cedo primam. Cùm Ecclesiæ catholicæ et conciliorum auctoritate certis Christi promissis constitutâ non fuissent convicti Donatistæ, quos Augustinus impugnandos susceperat, objectis verbis naturali et humano more cum ipsis agendum credidit. Quam in rem recitata verba attentè consideranti manifestum fiet, ibidem Augustinum vim argumenti non deducere ex auctoritate Ecclesiæ per se, quatenùs divinis promissis innititur, sed ex manifestatione veritatis atque evidentiâ morali, « quia non facilè pro uno vel paucis adversùs « innumerabiles.... nisi pertractatis pro viri« bus atque perspectis rebus ferenda sententia « est. » Eodemque humano ratiocinandi modo scripserat lib. 2 de Baptismo c. 4: « Neque « nos ipsi tale aliquid (contra Cypriani sen« tentiam) auderemus asserere, nisi universæ « Ecclesiæ concordissimâ auctoritate firmati, « cui et ipse sine dubio cederet, si jam illo « tempore quæstionis hujus veritas eliquata « et declarata, per plenarium concilium soli« daretur: » ubi futurum Cypriani assensum non repetit ex Ecclesiæ auctoritate ac promissis Christi per se, sed ex eo repetit, quia moraliter rem æstimando fieri nequit, ut erret Ecclesia, tum cùm post diutinas disputationes in variis regionibus, veritas tandem ita eliquata eluxit, ut ad plenariam synodum perducta, omnium episcoporum consensu agnita et confirmata fuerit: unde ibidem subdit: « Quomodò enim potuit ista res tantis alter« cationum nebulis involuta ad plenarii con« cilii luculentam illustrationem confirmatio« nemque perduci, nisi primò diutiùs per orbis « terrarum regiones multis hinc atque hinc « disputationibus et collationibus episcoporum « pertractata constaret? » Augustini scopus in iisdem locis hic fuit, ut Cypriani auctoritatem Donatistis eriperet, ostenderetque quàm illi perperam ejus nomine abuterentur, cùm mutatæ jam essent ejus temporis circumstantiæ: nam Cypriani ævo res erat magnis difficultatibus ac tenebris involuta; at postea ad ejusmodi manifestationem plenario etiam concilio cognitam jam erat perducta, cui cessisset ipse Cyprianus, si illo tempore quæstionis hujus veritas eliquata et declarata fuisset. Hanc autem humanam ratiocinandi viam, quâ Donatistæ (si humano more uti vellent) debebant convinci, Augustinus eorum infirmitati sese quodammodò accommodans inire voluit, ut renitentem eorum mentem faciliùs expugnaret. Humano autem more acturus, ut moralem evidentiam demonstraret, non ita ingerere debebat decretum Stephani, ut plenariæ synodi decretum ingessit. Humano enim et morali modo rem perpendentibus, præscindendo ab auctoritate sacrâ et promissis divinis quibus pontificia fulcitur auctoritas (vide quæ hàc de re disserentur pluribus cap. 15), cum ex unâ parte absurdum planè videbitur, unius hominis præcepto et auctoritati in re multis adhuc altercationum nebulis involutâ universum orbem debere cedere; tum verò ex parte aliâ perabsurdum planè judicabitur, totius orbis episcoporum post diutinas concertationes eliquatâ jam veritate in unam sententiam conspirantium multitudini refragari. Hoc itaque more humano Augustinus disserens ex solâ evidentiâ morali, nihil mirum, si in illa verba excurrit, quibus se iturum fuisse ait in Cypriani sententiam, nisi eâ in quæstione discussis et solutis difficultatibus universali concilio unum aliquid eliquatum sincerumque placuisset (lib. 1 de Bapt., c. 18). Mirandum citiùs erit illud, si quis Augustini mentem

circa auctoritatem pontificiam ex his locis elicere velit, in quibus non auctoritate sacrâ per se, sed evidentiâ morali adversarios convincere nisus est; et non ex illis locis potiùs, in quibus contra Donatistas et Pelagianos propriam et Africanorum de eâdem Romanorum pontificum auctoritate sententiam expressit.

Nunc alteram solutionem proferam, quæ forsitan judicabitur (ut mihi quidem videtur) probabilior et verior. Certum est Augustinum, cùm ea quæ objecta fuerunt verba, scripsit, ut S. Cypriani auctoritatem Donatistis eriperet, considerâsse hunc sanctissimum martyrem in iis circumstantiis, in quibus res de quâ tum agebatur, nondùm erat ita disputando eliquata, ut quid circa eam esset sentiendum, post multas discussiones in provinciis, in plenario tandem concilio contra Cypriani sententiam decisum fuisset. Porrò Cypriani ætate nullam definitionem propriè dictam fidei in eo negotio emanâsse certum existimo. Neque enim decretum seu litteræ Stephani, quibus rebaptizantibus obstitit, dogmaticæ definitionis formam ac vim præferebant, quam si ille edidisset, cùm Cypriano et cæteris contrariam et abs se proscriptam doctrinam propugnantibus non egisset solis excommunicationis minis, sed actu eos abcidisset à communione et unitate catholicâ, ut in edendis propriè dictis definitionibus dogmaticis fieri consuevit. Hâc de re non cum solis Africanis Stephano quæstio fuit, sed antè aliquanto etiam cum Asianis, ut ex Firmiliani epistolâ liquet. Asianos autem in decreto quod eorum causâ scripsit, non abscidit à communione, sed minatus solummodò est, sese ob eamdem illam causam ab illorum communione DISCESSURUM, quemadmodùm discimus ex Dionysii Alexandrini litteris ad Xystum, ubi etiam sese interposuisse indicat, ne eos à communione suâ segregraret (apud Euseb. Hist. l. 7, c. 5). Rationem addit idem Dionysius in aliis litteris ad Philemonem Romanum presbyterum, quia hæc praxis baptizandi eos qui ex hæresi ad Ecclesiam veniunt, cùm, apud populosissimas Ecclesias jamdiù ante recepta, Iconii et Synnadæ conciliis probata fuisset, « quamplurimis placuit, quorum, inquit subvertens sententias in jurgia « et contentiones conjicere nolim. » Hæc circa Asianos scripta sub Xysto S. Stephani successore, nihil præter minas à Stephano cum iisdem gestum præferunt. Idem etiam actum cum Afris, in quos solas minas Stephanum pariter intendisse, non autem actu ipsos excommunicâsse luculenter probavit P. Constantius dissert. post epist. Stephani § 7, satisque explicavit, quæ vulgò opponuntur, concordante etiam Benedictino scriptore, § 50 Vitæ S. Cypriani præmissæ editioni Baluzii. Enimverò cùm Dionysius Alexandrinus eodem modo de Afris ac de Asianis scripserit ad Philemonem Xysti presbyterum, Stephani minas ulteriùs non processisse, sed potiùs eodem agente Dionysio omne dissidium, quo sub Stephano cœperat, planè sedatum sub eodem Xysto (quem idcircò fortassis bonum et pacificum sacerdotem in Cypriani Vitâ Pontius nominat) conjicere licet. Communionem quidem inter Cyprianum et Stephanum actu non fuisse sublatam manifestè deducitur ex Augustino, qui de ambobus sermonem faciens, eos in unitate et communione perstitisse multis in locis pronuntiat, ac ita perstitisse affirmat lib. 5 de Baptismo num. 36, « ut in tali disceptatione nul« lum inter eos malum schismatis oriretur, » id est, nulla discissio unitatis ex parte Cypriani, neque ullâ ex parte Stephani communionis abruptio; cùmque multi cum Stephano, aliqui cum Cypriano sentirent, utrosque tamen cum eis in unitate constitisse scripsit in libro de Unico baptismo, c. 14. Verba quidem litterarum Stephani, quæ supersunt, et decreti formam exhibent: « Si quis ergo à quâcumque « hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi « quod traditum est, ut manus illi imponatur « in pœnitentiam. » non dogma aliquod ex fide catholicâ credendum, nec fidei definitionem propriè dictam exprimunt, sed consuetudinem in Romanâ Ecclesiâ receptam ac traditam, ut hæretici ad Ecclesiam venientes solâ manûs impositione recipiantur, declarant, et ne quidquam hâc in re innovetur, præscribunt: quæ autem in materiis ejusmodi practicis, in quibus aliæ præsertim magnæ Ecclesiæ, insignesque episcopi aliâ consuetudine utentes dissentiant, ita præscribuntur, ut nihil ex fide credendum statuatur expressè, nec unitas atque communio actu abrumpatur, dissentientibus ab unitate catholicâ nequaquàm præcisis, non sunt propriè dictæ definitiones fidei, si præsertim versentur in materiâ quæ ad disciplinam referri queat. Consuetudo, quâ hæretici ad Ecclesiam venientes baptizabantur, obtinebat non solùm apud Africanos jam inde ab Agrippini episcopi tempore, verùm etiam apud præstantissimas Orientales Ecclesias Cappadociæ, Ciliciæ, finitimarumque provinciarum Asiæ; eaque conci-

lio Africano sub Agrippino, ac duabus aliis synodis Iconii et Synnadæ fulciebatur. Consuetudines autem ejusmodi diversæ, quæ salvâ unitate apud Catholicos utrinque vigent, ita rem obscuram faciunt, ut quamvis versentur in materiâ sacramentorum, incertum videri possit num ad fidem, an verò ad disciplinam diversam pertineant. Licet enim Stephanus suæ Ecclesiæ consuetudinem Apostolicam, uti verè erat, affirmaret, non omnes tamen consuetudines, quæ apostolicam originem habent, ad jus divinum et dogma catholicum spectant, siquidem quædam etiam in sacramentorum administratione meræ sunt disciplinæ, uti disciplinæ quidem diversæ tribuitur forma ministrandi baptismatis apud Græcos et apud Latinos diversa, ac similiter forma ministrandi sacramenti pœnitentiæ per deprecationem, vel absolutionem. Aliquæ verò consuetudines, quæ reipsà per se includunt aliquod dogma juris divini, ita cursu temporis intermitti et involvi difficultatibus potuerunt, ut contrariis hinc inde magnorum sanctorumque episcoporum sententiis agitatæ, nisi definitio accedat Ecclesiæ, opinionum limites non excedant.

Etsi enim quoad characterem sacramenti eadem sit sacrorum ordinum ac baptismatis ratio, ob nonnullas tamen auctoritates, quibus rejectæ fuerunt tanquàm irritæ ordinationes sacræ, nedùm ab hæreticis aut schismaticis, verùm etiam ab excommunicatis, degradatis et simoniacis peractæ, adhuc post decisam circa baptismum quæstionem, ita quoque ad ordinationes sacras veritas confusa et involuta tenebris fuit, ut multi diutiùs easdem irritas opinati sint, et non nemo etiam materiem ejusmodi ecclesiasticæ dispositioni subjiciens, ad disciplinæ speciem retulerit. Vide Morinum de sacris Ordinationibus, exercitat. 5.

Ad disciplinam quidem totum hoc de modo recipiendi baptizatos ab hæreticis dissidium retulisse videtur Firmilianus, dùm in litteris ad S. Cyprianum hanc quæstionem comparat cum quæstione de die paschatis, aliisque diversis consuetudinibus, quæ profectò sunt disciplinæ, cùm quis « circa celebrandos dies « paschæ, et circa multa alia divinæ rei sacra« menta, videat esse apud illos (Romanos) ali« quas diversitates, nec observari illic omnia « æqualiter, quæ Hierosolymis observantur, « secundùm quod in cæteris quoque plurimis « provinciis multa pro locorum et nominum « diversitate variantur (Epist. 75 inter Cy« prian. col. 303). » S. Basilius quoque eamdem rem disciplinæ adscripsit, cùm pro varietate locorum et œconomiæ causâ diversam in recipiendis hæreticis consuetudinem obtinere posse prodidit in Epistolis canonicis, primâ et secundâ ad Amphilochium. In primâ enim epistolâ, can. 1 de Catharorum receptione loquens, ejusdemque Amphilochii sententiam approbans : « Rectè admonuisti, inquit, unius« cujusque regionis morem sequi oportere, « quòd ii qui tunc de illis statuerunt, in varias « de ipsorum baptismate sententias abierint. » Et aliquantò post : « Si hoc generali œconomiæ « impedimento erit, rursùs consuetudine uten« dum est, et sequi oportet Patres, qui quæ « ad nos pertinent dispensaverunt. » Et post recensitam Firmiliani et Cypriani sententiam, quæ Novatianorum, seu Catharorum baptismum rejiciebat, etsi eam per se non censuit improbandam, addit tamen, quasi res disciplinæ fuisset : « Sed quoniam nonnullis Asia« ticis visum est propter multorum œcono« miam et dispensationem eorum baptisma « suscipi, suscipiatur. » In secundâ verò epistolâ canonicâ ad eumdem Amphilochium can. 47, Stephani Papæ rebaptizationem interdicentis decretum, non dogmaticæ constitutioni, sed œconomiæ tribuens, quæ apud suos effectum non erat consecuta. « Si apud vos, ait, « prohibita est rebaptizatio, sicut et apud « Romanos, œconomiæ alicujus gratiâ, nostra « tamen ratio vim obtineat. » Dùm porrò subdidit, optare se, ut coiret plurium episcoporum concilium, qui rem accuratiùs discutientes canonem conderent (1) omnemque dubita-

(1) Mirantur non pauci hæc Basilium de rebaptizatione scripsisse post Nicænam quoque synodum, à quà ejusmodi quæstionem terminatam fuisse plerique arbitrantur; sed crediderim illud accidisse Basilio, quod occasione alius Nicæni canonis contigit S. Augustino, quem vivente Valerio episcopum ordinatum contra interdictum Nicænum, quod tum ignorabat, non solùm tradit Possidius, sed ipse etiam Augustinus testatur epist. 213, n. 4. Noti quidem erant Africanis Nicæni canones, quos ex antiquissimâ versione Cæcilianus in Africam detulerat. Hos Augustinum nunquàm ante ordinationem legisse incredibile est. At interdictum memoratum nullo Nicæno canone expressum legitur, sed solùm canone octavo, ubi de Catharis statuitur, ut ipsorum episcopis ad unitatem venientibus, si iis in locis sint, ubi episcopi catholici inveniuntur, presbyterii honor, aut nudum episcopi nomen concedatur, hæc ratio additur, *ne in unâ civitate duo episcopi probentur existere* : quæ quidem ratio interdicti generalis speciem involvit; at cùm expressum interdictum non sit, Augustini considerationem fugit, cùm olim ante ordinatio-

tionem abigerent, rem adhuc sub opinione versari indicavit, quoad definitio non prodiret. Hâc de causâ alios atque alios episcopos in conciliis diversarum provinciarum hâc de re nondùm definitâ et obscurâ, salvâ pace utrinque disputâsse, ac diversis opinionibus fluctuâsse affirmavit Augustinus, lib. 1 de Bapt., « adeò « ut diù in suis quibusque regionibus diversa « statuta nutaverint, donec plenario totius or- « bis concilio, quod saluberrimè sentiebatur, « etiam remotis dubitationibus, saluberrimè fir- « maretur. » Disputando quidem factum est, ut ea Romanæ Ecclesiæ consuetudo in recipiendis hæreticis legitimâ formâ baptizatis solâ impositione manuum sine novo baptismate, quam ab Apostolis deduxit Stephanus, detegeretur fuisse non solùm Romana, sed etiam cæterarum omnium Ecclesiarum tum Occidentalium, tum Orientalium, quæ in ipsâ Africâ et in Asiâ quoque vigebat ante synodos Agrippini, Iconii et Synnadæ, ex quibus rebaptizandorum hæreticorum consuetudo originem et auctoritatem cœperat, ac proinde agnitum fuit, illam fuisse consuetudinem totius Ecclesiæ ab Apostolis omnibus traditam, quæ ad baptismi substantiam ex Christi institutione referenda est. Hinc canones qui hâc de re jam eliquatâ in plenario concilio, ac deinceps in aliis synodis editi sunt, dogma et definitionem fidei constituunt, à quo neminem catholicum desciscere licet. Cypriani autem ætate cùm id non esset adeò exploratum, nec à Stephano ulla prodiisset propriè dicta dogmatica definitio (quam in materiis practicis, ubi magnarum Ecclesiarum ac provinciarum consuetudines sunt diversæ, et magnos utrinque sanctosque episcopos habent patronos, Apostolica prudentia (1) differre

nem Nicænos canones legit. Id autem tunc tantùm probabiliter detexit, cùm incidit in Rufini historiam, quæ eosdem canones abbreviatos repræsentans, distinctum interdictum præfert canone decimo : « Ne in unâ civitate duo episcopi sint. » Non aliter similiter in quæstione de hæreticorum baptismo nullus Nicænus canon expressum et generale decretum exhibet, sed ex canonibus duobus 8 et 19 legitimâ deductione colligitur : quippe can. 8, Catharos ad Ecclesiam venientes impositione manuum recipi, canone verò 19, Paulinianistas omninò baptizari jubet. Discrimen si quis attentè inquirat, in eo situm deprehendet (ut notavit Innocentius I, in epistolâ ad Macedones n. 10), quia Cathari, seu Novatiani in nomine Patris, et Filii et Spiritùs sancti baptizabant, Paulinianistæ verò non item. Hanc discriminis rationem quicumque observavit, quæstionem de baptismo Nicænis canonibus definitam deprehendit. Cùm verò hæc discriminis ratio ex ipsorum canonum verbis non incurrat in oculos, nihil mirum, si non omnes, qui legerunt ipsos canones, eamdem quæstionem ipsis canonibus definitam cognovère : nihilque pariter mirandum, si ob ejusdem animadversionis defectum S. Basilius ad eam quæstionem definiendam aliquod concilium desiderans, et à Nicænis Patribus definitam non animadvertens, causam varietatis eâ in materiâ diversæ disciplinæ et œconomiæ vindicavit. Eadem animadversio pariter fugit S. Cyrillum Hierosolymitanum episcopum, cùm adhuc post Nicænum concilium scripsit in prologo ad suas Catecheses : « Soli hæretici rebaptizantur, siquidem priùs illud non erat ba- « ptisma. »

(1) Notum est inter alia, synodum Tridentinam, cui propositum erat novatorum errores configere, maximè cavisse, ne, ubi incidebant gravium theologorum hinc inde opiniones, definitivam in iisdem sententiam ferret. In quæstione autem, num matrimonium adulterii causâ dissolvatur, veræ doctrinæ prospiciens sess. 24, can. 7, anathema quidem dixit in eos qui dicerent Ecclesiam errare, cùm docet ejusmodi vinculum eâ de causâ non posse dissolvi; at instantibus oratoribus reipublicæ Venetæ ob Græcos regnorum ejusdem dominii, abstinuit ab anathemate iis infligendo, qui ob adulterium conjugis ad alias nuptias transirent, ne hoc anathemate nimiùm offenderet eosdem Græcos, qui licet aliâ consuetudine uterentur, præsulibus tamen Romanæ sedi adhærentibus suberant, eorumque conversionem difficiliorem redderet, ut Cardinalis Pallavicinus lib. 22 Hist. Conc. Trid. c. 4, pluribus explicat. Porrò in quæstione de hæreticorum baptismo, Cypriani tempore nondùm definitâ, in quâ Asiani Cappadociæ et Ciliciæ finitimarumque provinciarum unà cum Africanis majorum suorum traditionem et consuetudinem à sanctis doctisque episcopis receptam, conciliorumque provincialium Orientis et Africæ approbatam conjunctis studiis propugnabant; quid mirum, si instante S. Dionysio Alexandrino, et coadjuvantibus duobus præstantissimis Romanæ Ecclesiæ presbyteris Philemone atque Dionysio, ad quos idem Dionysius Alexandrinus litteras dederat (apud Euseb. Hist. l. 7, c. 5), Stephano Papæ excommunicationem inferre volenti persuasum tandem fuit non expedire à præcepto et minis ad actualem excommunicationem procedere, cùm ex unâ parte timeri posset, ne acerbiores concertationes atque scissuræ fierent, quod laudatus Dionysius Alexandrinus monuerat; ex aliâ verò parte Asianorum et Africanorum consuetudo in re nondùm definitâ nullum animabus periculum afferret, cùm baptizantes vel in simplici dubio de valore baptismi ante collati tutiorem partem sequantur. Consultius itaque visum est in solo præcepto et minis sistere, definitionemque in aliud opportunius tempus remittere, quoad materies discussa et eliquata in variis conciliis, plenariæ tandem synodi sententiâ terminaretur. Cùm semper dogmaticis definitionibus congrua discussio et à conciliis et à summis pontificibus præmittatur, scitè monuit cum cardinali Perronio eminentissimus Ursius (t. 2 de Rom. Pont. Auctoritate part. 2, c. 19, pag. 356) fieri aliquando posse,

solet); sed præcepto tantùm solisque excommunicationis minis, ut sanæ veræque doctrinæ satis provideret, laudatus pontifex usus fuisset; hujus decretum, quo Romanam consuetudinem ab Africanâ diversam observandam urgebat, eam quæstionem dogmaticam, num ipsa consuetudo ad fidem, an ad disciplinam (1) pertineret, indecisam reliquit. His autem in circumstantiis cùm salvâ fide et unitate ob veritatem detegendam rationum momentis agendum esset, momenta rationum, quæ pro Cypriani sententiâ allata fuerant, ita fortiora visa sunt Augustino, ut scripserit se cessurum fuisse in eamdem sententiam, nec ausurum quidquam contra illam asserere, si vixisset eo tempore quo res nondùm eliquata, nec in concilio plenario definita fuisset. Quòd si hujus quæstionis definitionem non Stephano Papæ, sed plenario concilio adscripsit, non eâ de causâ factum est, quia summis pontificibus definiendi auctoritatem deesse crederet, quâ Pelagianam causam omninò finitam fuisse confessus est, sed quia non ita in causâ de hæreticorum baptismo, uti in Pelagii causâ definierat Apostolica sedes, sed concilium plenarium; vel etiam quia (ut hoc quoque cum priori responsione concinens addam) humano more disserenti contra Donatistas ecclesiasticam auctoritatem nihili facientes, non ita efficax apud eos esse poterat unius pontificis decretum, uti decretum concilii plenarii, in quo post multam multis in provinciis discussionem manifestatâ jam veritate, tot Patrum sententiæ in unam conspirârunt, cùm præsertim ex his constiterit, consuetudinem, quæ Romæ vigebat, fuisse universalem totius Ecclesiæ catholicæ, ac proinde traditionis divinæ; quod ex solo decreto Stephani solam ingerente consuetudinem Romanam, quæ disciplinæ potuit adscribi, inferri evidenter et convinci non poterat. Hæc ob disjiciendam objectionem ex Augustini auctoritate ductam, quæ juncta cum facto S. Cypriani inter omnes præcipua et fortior, multisque etiam usibus aptata ab adversariis pluribus in locis urgetur, fusiùs dicenda fuêre, ac ex his illud detectum arbitror, eamdem objectionem duplici falsâ hypothesi innixam esse. Ut enim argumentum ex ipsâ contra nos intortum vim habeat, duo ab adversariis præsumantur necesse est: primò Augustinum credidisse decretum Stephani fuisse propriè dictam definitionem fidei, dein existimâsse eam definitionem in causâ tot difficultatibus involutâ non potuisse obligare ad assensum, nisi concilii plenarii confirmatio accederet. Cùm porrò ex dictis hactenùs Stephani decretum non fuerit propriè dicta definitio, utraque hypothesis cadit. Difficultates autem, quibus eadem quæstio Cypriani ætate erat involuta, potuerunt quidem efficere, et probabiliter etiam fuerunt in causâ, cur S. Stephanus non definierit; sed nec fuerunt, nec possunt credi rationes, ob quas definitio propriè dicta, si à Stephano, vel ab aliquo ejus successore eâ in re edita fuisset, vim obligandi peremptoriam non haberet ex Augustini mente, antequàm plenarii concilii judicio probaretur, cùm idem S. doctor causam Pelagianam non minoribus involutam (1) difficultatibus solâ Innocentii I definitione finitam, nec ad eam finiendam opus fuisse generali concilio disertissimè pronuntiaverit. Cùm itaque hæc potissima ex Augustino objectio falsis hypothesibus fulta, adversariis

quæstionem aliquam tot esse altercationum ac difficultatum nebulis involutam, ut ad eam dogmatico certoque judicio finiendam « sibi ipse pontifex opus esse judicet, non « modò domesticæ et sibi jugiter adhærentis, « verùm etiam plenioris, imò et generalis sy- « nodi consultatione. » Quo casu definitionem ad plenioris aut generalis synodi tempus remitti opus est, Deo utique sic inspirante, qui ob rationes nobis inscrutabiles ipsas magni momenti quæstiones non semper statim, nec uno semper modo definiendas disponit. Neque dubitare licet, quin eodem Deo pariter disponente et inspirante factum fuerit, ut de collato ab hæreticis baptismate contra Asianorum atque Cypriani sententiam, non statim à Stephano prodiret expressa dogmatica definitio: « Pontifex, scilicet, noluit rem ipsam de fide « facere sine generali concilio, » ut Bellarminus notavit lib. 4 de Rom. Pont. c. 7. Certè ut hâc in re veritas aperiretur, multa hinc et inde in variis provinciis fuerunt disputata, ex quibus multæ veritates atque multa principia ad catholicam aliorum quoque dogmatum veritatem cognoscendam constituendamque, et ad varios errores refellendos patuerunt, ut vel ex iis quæ contra Donatistas scripsit S. Augustinus, manifestum est. Lege hujus sancti doctoris textum in Psal. 54 supra recitatum c. 12, ubi occasione quæstionum in Ecclesiâ excitatarum, istam memorans de baptismo, multa obscura à catholicis tractatoribus in lucem deducta, et loca Scripturarum copiosè et enucleatè explicata testatur.

(1) Addi potest, *vel ad opinionem*; rationes enim et opiniones diversæ etiam in materiis diversæ disciplinæ locum habent: et in hâc quidem controversiâ de baptismo extra Ecclesiam collato statutis diversis ab Augustino memoratis lib. 1 de Bapt. n. 9, causam dederunt.

(1) Hinc in confutandis Pelagianis pluribus operibus laborandum fuit Augustino, quàm in Donatistas.

nihil prodesse queat, integrum relinquitur argumentum, quo ex aliis S. doctoris testimoniis ipsius sententiam de vi cogente ad fidei unitatem apostolicis definitionibus ab eo tributâ explicavimus.

Ut autem de relationibus ad Romanam sedem, de quibus hoc in paragrapho fusiùs egi, paucis concludam, illud ex disputatis hactenùs palam factum esse arbitror, Africanorum relationibus circa Pelagii hæresim spectatam fuisse fidei unitatem, eumdemque scopum præter Innocentium I, qui illorum probavit consilia, prospexisse etiam cæteros omnes, quotquot in causis fidei sedem Apostolicam consuluerunt. Eòdem pariter collimat illa S. Hieronymi ratio, quâ in quæstione de hypostasibus Romanam fidem se consulere scripsit ad Damasum, quia « super illam petram ædi« ficatam Ecclesiam scio. » In quam sententiam Bonifacius I, in Litteris ad Rufum Thessalonicensem, in principio, Apostolicam sedem consultam prodit, quippe « quam constat di« gnatione petræ spiritalis elatam, » ejus scilicet fidei petræ, cui totam Ecclesiam ex institutione Christi inniti et incumbere necesse est, ut explicavimus pluribus, c. 12, § 1.

§ 10. *Pelagii Cœlestiique textus. Argumentum ductum ex antiquo more subjiciendi opera præsertim dogmatica Romanæ sedis judicio.*

Mirum cuipiam videbitur, me ob statuendam necessitatem unitatis fidei cum fide Romanorum pontificum, allegare ea testimonia hæreticorum ante condemnationem producta, quibus iidem post condemnationem et facto et scriptis contradixerunt. At ne hoc testimoniorum genus imbecille credatur, illud animadvertendum est, quòd ea quæ ipsi ante condemnationem et antequàm de Ecclesiâ pellerentur, confessi sunt, ex traditione et communi Catholicorum sensu fuerunt expressa, dùm catholicam illi mentem gererent, Catholicosque se exhibere et probare Catholicis vellent. Itaque ejusmodi ipsorum testimonia Catholicorum sensum et praxim præferentia maximi facienda sunt, quibus sanè non contradixère, nisi postquàm à Romanâ sede condemnati, mentem et veritatem catholicam exuerunt atque deseruêre. Neque enim existimandum est Luthero, ex. gr., magis deferendum, cùm post condemnationem Romani pontificis primatum sibi infensum negavit, quàm cùm illum ante condemnationem ex communi catholico sensu professus est. Id quidem nec adversarios ipsos judicare suadent illa cujusdam anonymi nobis in hâc causâ contrarii (Traité de l'autorité du Pape. Haye 1720, lib. 1, c. 3) : « Methodus « priorum Reformatorum est argumentum « magni ponderis adversùs ipsos. Disputatio« nis initio confessi sunt Papam esse supre« mum Christi vicarium ; nec ejus auctorita« tem in dubium revocare cœperunt, nisi cùm « contra ipsos definivit, perinde ac si judex « desinat esse judex, cùm adversùs aliquam « partem sententiam pronuntiat, vel ac si ve« ritas, cùm incommoda esse incipit, veritas « ampliùs non sit. » Quæ peræquè in rem nostram faciunt, ut testimonia pro unitate fidei ab hæreticis ipsis initio producta maximi habenda credantur, nec ex iis quæ post derelictam Ecclesiæ unitatem edidêre, infirmentur.

Itaque Cœlestius atque Pelagius, qui Romanam fidem tenentes pro Catholicis habebantur, ut cæteris quoque, quibus idem persuasum erat, se probarent Catholicos, eamdem fidem se tenere et sequi professi sunt. Hinc Cœlestius, quanquàm objectos sibi à Paulino errores damnare noluit, « tamen beati Papæ Innocen« tii litteris non est ausus obsistere : imò se « omnia quæ sedes illa damnaret, damnatu« rum promisit, » ut Augustinus testatur, l. 2 de Peccato orig., c 7. Id quoque apparet ex libello fidei, quem Romæ Zozimo obtulit, apostolicoque judicio ita subjecit, « ut si fortè ut « hominibus, inquit, quispiam ignorantiæ er« ror obrepsit, vestrâ sententiâ corrigatur. » Imò cùm à Zozimo interrogationibus urgeretur, eas responsiones adhibuit, « quibus se « B. Papæ Innocentii litteris consentire pro« fessus est. » Pelagius quoque in libello fidei, quem cum litteris Romam ad S. Innocentium misit, ita fidem suam ejus sententiæ subdidit, ut in Romanæ sedis fide *S. Petri fidem* agnoscens, *Catholicum*, qui fidem ab eâ sede probatam teneret ; qui verò ab eâ dissentiret, *non Catholicum* seu hæreticum se existimare prodiderit. « Hæc est fides, inquit, pater bea« tissime, quam in Ecclesiâ catholicâ didici« mus..... in quâ si minùs peritè, aut parùm « cautè aliquid fortè positum est, emendari « cupimus à te, qui Petri fidem et sedem te« nes. Sin autem hæc nostra confessio Apos« tolatûs tui judicio comprobatur, quicumque « me maculare (aliàs culpare) voluerit, se im« peritum, vel malevolum, vel etiam non Ca« tholicum, non me hæreticum comprobabit. » Felix, si in hâc sententiâ perstitisset, in quâ

quidem perstitêre, quotquot Catholici suam professionem Romano pontifici subjicientes, à catholicâ Ecclesiâ noluerunt rebellare. Non igitur officiosa verba, et multò minùs adulatorium quiddam haberi hoc debet, nec postremis tantùm hisce temporibus invectum, ut opera præsertim ad fidem pertinentia, Romanæ sedis judicio potissimùm subjiciantur. Catholicorum id semper proprium fuit, et eodem quidem consilio, quo in negotiis fidei ad eamdem sedem fuisse relatum explicavimus § 9, et nimirùm præparatione animi, ut ejusdem sedis judicium fidemque sequerentur, eò quòd fidei unitatem cum ipsâ sede necessariam scirent. Privati siquidem scriptores non minorem animi dispositionem gerere et exhibere debent in suis scriptis subjiciendis Romanæ sedis judicio, quam prætulerunt concilia Africana, quæ eâ mente ad Innocentium I remiserunt suam de Pelagiano dogmate sententiam, ut si apostolico judicio conformem detegerent, ex hàc consonantiâ catholicam doctrinam cognoscerent in suâ : secùs autem, ad apostolicam normam sese revocarent emendarentque, si quid esset dissonum, ut se facturum in suo fidei libello protestatus est Pelagius, dùm catholicum sensum et animum prætulit : uti et Pelagii item verbis, sed sinceriori et firmo consilio protestata est Universitas Parisiensis Collegii Navarrici perorante Petro de Aliaco coram Clemente VII, qui à Gallicanis legitimus pontifex habebatur : « Hæc est, inquiebat, fides, beatissime pater, quam in catholicâ Ecclesiâ didicimus ; in quâ si minùs perite ac parùm caute fortè aliquid positum est, *emendari* petimus à te, qui Petri fidem et sedem tenes ; » quæ ex professione Pelagii sumpta sunt. Notanda etiam ratio, quæ statim subjicitur : « Non ignoramus enim, sed firmissimè tenemus, et nullatenùs dubitamus, quòd sancta sedes Apostolica est illa cathedra Petri, supra quam fundata Ecclesia.... De quâ sede in personâ Petri Apostoli in eâ sedentis dictum est : *Petre, rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Hæc est igitur, ad quam determinatio fidei et approbatio veritatis catholicæ, et hæreticæ impietatis detestatio maxime pertinet. » Non solùm præmissa ratio, sed et multò magis conclusio obsequentem et consentientem animum, ac unitatis apostolicis fidei decretis præstandæ debitum satis apertè significant.

§ 11. *Testimonia S. Cyrilli episcopi Alexandrini, synodi Ephesinæ œcumenicæ, Cœlestini I, auctoris Capitulorum de Gratiâ, et Xysti III.*

S. Cyrillus episcopus Alexandrinus, etsi Nestorii Constantinopolitani errorem ac pertinaciam exploratam haberet, noluit tamen sese ab ejus communione separare, antequàm Cœlestini Romani pontificis sententiam audiret. « Digneris igitur, inquit in epistolâ ad eumdem pontificem, nobis declarare, quid tibi videatur, et utrùm aliquando cum illo communicare oporteat, an liberè denuntiare, neminem cum eo qui talia sentit ac docet, communicare. » Ac propterea opus esse affirmat, ut suam sententiam aliis quoque episcopis significet bono unitatis, ut omnes uno animo in unâ sententiâ persistant. En clarè à tanto viro Apostolicæ sedis expetitum judicium, ex quo non solùm communionis regulam sumeret, verùm etiam Catholici omnes ad fidei unitatem cogerentur. Cùm porrò Cœlestini epistolas suscepisset, eas ad quos erant missæ direxit, adjectis ad Joannem Antiochenum litteris suis, quibus eum hortatur ut ejusdem pontificis sententiæ in Romanâ Occidentali synodo prolatæ acquiescat, ut « necessarium est iis qui à totius Occidentis communione excidere noluerint. » Quod idem est ac dicere : Ita necesse est tenere Romani pontificis et episcoporum ei adhærentium fidem, uti eorum communionem unitatemque tenere Catholicis omnibus necessarium est ; unde ipse de se concludit : « Nos enim sequemur quæ illi judicaverunt. Veremur nempe, ne à tantorum communione excidamus. » Licet verò omnium Occidentalium, qui Cœlestino adhærebant, communio nominetur, Cœlestini tamen, qui catholicæ communionis centrum erat, potior est habita ratio, cujus quidem unius nomen præferebat epistola, quam Cyrillus ad Joannem Antiochenum direxit : ac propterea in antiquâ versione unius Cœlestini mentio fit his verbis : « Nos enim sequimur quæ ab eo (Cœlestino) sunt judicata, formidantes ne tantorum communione labefactemur. » Ex quibus mirificè confirmatur, quod capite 12, § 2, fusè probavimus, communionis Romanæ necessitatem ab adversariis non posse adstrui, quin necessaria simul statuatur unitas fidei Romanæ, sine quâ communio cum Romanâ sede haberi non potest, ut S. Cyrillus hoc loco palam insinuat.

Notanda in rem præsentem vel maximè sunt ipsius Ephesinæ synodi verba in sententiâ depositionis Nestorii, quam se ferre Patres professi sunt : « COACTI (Græcè ἀναγκαίως κατεψιχθέντες, *necessariò impulsi*) per sacros canones et epistolam sanctissimi Patris nostri... « Cœlestini, Romanæ Ecclesiæ episcopi. » Ubi adjectivum, *coacti*, vim coactivam declarat. Canonum vis referri nequit ad errorem dogmaticum Nestorii, de quo nulli anteriores canones decreverant, sed ad depositionem ejus tantùm cùm canonibus cautum fuerit, ut servato judiciorum ordine pertinaces in hæresi deponantur. Vis autem cogendi Cœlestini litteris attributa non modò ipsius depositionem respiciebat, sed hæresim etiam, quam idem pontifex ita damnaverat, ut nisi ille infra decem dies resipisceret, deponeretur. Si enim Cœlestini litteræ synodum cogebant ad depositionem Nestorii, cogebant etiam ad damnandum ejus errorem in fide, cujus causâ ipsius depositio præscripta fuerat. Num fortè cogi poterant Ephesini Patres ad deponendum Nestorium, quin ad errorem depositionis causam proscribendum, et ad fidei unitatem cum Romano pontifice custodiendam cogerentur? Unitas sanè in fide magis est necessaria, quàm in depositionis sententiâ, quæ cùm ad disciplinam pertineat, aliquibus nonnunquàm de causis differri poterat, uti profectò post præscriptos decem Nestorio dies aliquandiù dilata fuit.

Atqui, inquient adversarii, hæc Nestorii causa solius Cœlestini litteris finita non fuit, sed generalis synodi Ephesinæ decreto : novumque de eâ causâ examen in eodem concilio institutum assentiente ipso Romano pontifice, liberam assentiendi, vel dissentiendi facultatem fuisse præ se tulit. Hæc si ita essent, malè igitur Ephesini Patres se coactos dixissent ad ferendam sententiam, à quâ liberum fuisset recedere. Quis id auserit affirmare? Quòd si post Cœlestini litteras à Cyrillo executioni mandatas ad generalem synodum causa delata est, idque ipso assentiente pontifice, qui suos legatos ad eam synodum direxit : nihil tamen liberum quoad Apostolica decreta idem pontifex esse voluit : unde hos se « direxisse ait, « ut iis quæ aguntur, intersint, et quæ à nobis « antea statuta sunt, exequantur; » jussitque eos, si res ab aliquibus in disceptationem vocaretur, « de eorum sententiis judicare, non « subire certamen. » Concilio quidem assensum præbuit, ac in eo novum causæ examen fuit institutum ante legatorum adventum, actione primâ.... Hoc autem concilium ad finiendam causam absolutè et per se non fuisse necessarium, sicuti neque necessarium fuit in causâ Pelagianorum, ipsi adversarii fateri coguntur. Audiatur Bossuetius (Defens. decl. Cleri Gallic. part. 3, l. 7, c. 10) : « Planè confitemur Cœlestini sententiam, ita ut Cyril- « lus speraverat, valituram fuisse ad novam « hæresim comprimendam, nisi graves suborti « motus, resque ea visa esset, quæ ad uni- « versalem synodum deferretur. Nestorius « regiæ civitatis episcopus eâ auctoritate pol- « lebat, eâ specie pietatis hominum animis « illuserat, eò sibi conciliaverat episcopos, « eâ denique gratiâ apud Theodosium Junio- « rem imperatorem et proceres erat, ut facilè « omnia commoveret. » Ubi tam graves excitati sunt motus, quibus omnia perturbentur, generalium synodorum convocatio utilis, et quandoque etiam necessaria judicata est post Romani pontificis sententiam, ut decepti ab hæreticis, aut præjudiciis atque difficultatum nebulis impediti, tot Patrum doctrinis et sermonibus instructi atque convicti, ad catholicum sensum et unitatem adducantur, ut ne tamen liberum ac licitum crederetur Apostolicæ definitioni, quam semper œcumenicæ synodi ratam habuerunt, nunquàm repudiârunt, contradicere ac repugnare. Novum examen in hujusmodi synodis eo tantùm fine institutum, ut disjectis difficultatibus confirmatoque catholico ac definito dogmate, veritas clariùs elucescat, dubitantesque vel etiam repugnantes convincantur, nihil præjudicat auctoritati præcedentis definitionis, neque vim coactivam juris eidem denegat, sed potiùs illam præsumit, cùm renitentes ad debitum assensum hâc faciliori viâ nitatur manuducere. Illud solum examen præjudicio esset auctoritati definientis, quo liberum et licitum fieret assentiri vel dissentire. Quis autem probare queat, id liberum ac licitum fuisse habitum ab Ephesinis Patribus circa dogmaticas Cœlestini litteras, quibus se ad ferendum judicium coactos protestati sunt? Esto quòd primâ actione actum fuerit de merito causæ, non tamen aliud, neque aliter actum, nisi ut error manifestiùs pateret, et definitum dogma apertiùs confirmaretur. Esto quòd Nestorius evolutis decem diebus ipsius resipiscentiæ à Cœlestino præstitutis, nondùm ab episcopali sede dejectus habitus fuerit à Patribus, sed solùm post sententiam synodi; id indulgentiæ causâ toleratum, ut

resipiscentiæ ejus tempus concederetur longius, quo si abuteretur, pertinacia fieret manifestior, et potentium patrocinia expulsionem non impediret. Quòd si proposito hinc Nicæni concilii Symbolo, et hinc Cyrilli epistolâ, quam Cœlestinus plenissimè probaverat, idem Cyrillus petiit à synodi Patribus, « ut exponerent, rectène et inculpatè sanctoque illi « (Nicæno) concilio convenienter scripserim, « inquit, an secùs, » non id petiit quasi dubius de expositâ à se fide et de confirmatione factâ à Cœlestino (jam enim antea professus fuerat: « Persuasum habeo, nihil me ab or« thodoxâ fide aut Symbolo Nicæno discessis« se); » sed idcircò petiit, quia ad convincendos adversarios expediebat ita rogare, ut non ex præjudicio aliquo, sed ex intimâ rei ac veritatis cognitione judicium ferretur. Ita quoque illi theologi, qui canonicum aliquem librum ab heterodoxis è sacrorum albo expunctum ad examen vocant, ut decretum Tridentinum, quo sacris libris accensetur, vindicent, præscindunt à Tridentini auctoritate, aliisque documentis utuntur, ut ne tamen idcircò decreto Tridentino coactivam vim per se deesse arbitrentur. Nihil itaque novum examen post pontificia decreta ad generales synodos delatum, eorumdem decretorum ac definitionum auctoritati detrahit: quod exploratiùs patebit ex iis quæ circa hæresim Eutychetis à Leone I damnatam, et in Chalcedonensi generali concilio novo examini subjectam afferentur infra, § 13.

Unitatem communionis cum Apostolicâ sede tanti fecit Cœlestinus papa, ut iis qui eâ fruerentur, nihil metuendum esse affirmaverit, si à Nestorii Constantinopolitani communione se viderent præcisos, « scientes ab eo excommu« nicatos, vel dejectos in Apostolicæ sedis « permanere communione, » ut ex ejusdem pontificis litteris Liberatus disertè prodidit. Vide ipsius pontificis epist. 11, n. 3; epist. 12, n. 2, et epist. 14, n. 7, editionis P. Coustantii. Confer etiam quæ in similem S. Augustini sententiam contra Donatistas editam observavimus supra.

Auctor Capitulorum de Gratiâ Dei, quæ subjiciuntur Cœlestini epistolæ ad Venerium cæterosque Gallicanos episcopos, quicumque ille sit, sive idem Cœlestinus Papa, sive S. Leo Magnus, sive (quod probabilius credimus) S. Prosper, ita sententias seu auctoritates Romanæ sedis credendas proponit, « ut prorsùs, inquit, non opinemur catholicum, quod « apparuerit præfixis sententiis esse contra« rium. » Tantam ergo necessitatem unitatis cum decretis fidei Romanæ sedis idem auctor agnovit, ut quidquid cum ejus definitionibus non conveniret, catholicum haudquaquàm habendum crediderit.

Joannes Antiochenus Nestorio primùm favens, à catholicâ communione segregatus fuerat. Cùm verò Nestorio postmodùm derelicto in communionem catholicam fuisset receptus, Xystus III litteras ad ipsum dedit, in quibus unitatem fidei cum Romano pontifice (nobiscum sentire) non modò utilem, sed necessariam etiam eâ efficaci ratione adstruit, quòd fides quam Petri successores Romani pontifices sequuntur et docent, eadem sit ac fides quam S. Petrus de Christi ore acceptam Romanæ Ecclesiæ tradidit; à quâ profectò nemo catholicus separari potest. « Expertus es, inquit, « negotii præsentis eventu, quid sit sentire « nobiscum. B. Petrus Apostolus in successo« ribus suis, quod accepit, hoc tradidit. Quis « ab ejus velit se separare doctrinâ, quem « ipse inter Apostolos primùm magister edo« cuit? Non hunc auditus per alterum, non « sermo lectus instruxit: doctus est cum « aliis ore doctoris. Non Scripturæ, non scrip« torum passus est quæstionem. Absolutam et « simplicem fidem, et quæ controversiam non « haberet, accepit. » In quæ verba observat egregiè P. Coustantius: « Ubi obiter notanda « vis argumenti, quo Xystus ab sedis Aposto« licæ doctrinâ discedendum non esse probat: « quia nimirùm hæc ipsissima est doctrina, « quam non ex incertâ hominum relatione, « aut ex libris obscuris et ambiguè scriptis, « sed ex primario veritatis fonte, hoc est, ex « ipso Christi ore, accepit Petrus, et exinde » Ecclesiæ suæ servandam impertiit. Unde « sequitur absolutam, simplicem, et contro« versiæ expertem esse Apostolicæ sedis fi« dem. » Commentarium viri minimè suspecti satis esto.

§ 12. *Testimonia S. Leonis Magni.*

S. Leo Magnus, qui S. Petri primatum ex evangelico illo textu identidem inculcat: *Tu es Petrus, et super hanc petram*, etc., unitatem fidei cum fide Petri ex eodem textu ita necessariam elicit, ut eum ad ipsam unitatem in Ecclesiâ continendam *petram* constitutum, et in Ecclesiæ fundamento positum, Apostolisque cæteris prælatum agnoscat. Christum scilicet, qui petra est, cui tota adhærere debet Eccle-

sia, cùm hinc migraturus esset ad Patrem, eamdem petræ vim communicâsse Petro tradit, ut eâdem, quâ ipse, vi Ecclesiæ unitatem contineret. Proponam inprimis insignem illum textum epistolæ 10 ad episcopos provinciæ Viennensis, ubi postquàm de prædicatione Apostolorum, quâ in ædificationem Ecclesiæ fundamenta toto orbe jacta fuerunt, pauca attigit, hæc de Petro addit: « Hujus muneris « (id est, prædicationis Evangelii) sacramen- « tum ita Dominus ad omnium Apostolorum « officium pertinere voluit, ut in beatissimo « Petro Apostolorum omnium summo princi- « paliter collocârit, et ab ipso quasi quodam « capite dona sua velit in corpus omne ma- « nare, ut exortem se mysterii intelligeret « esse divini, qui ausus fuisset à Petri solidi- « tate recedere. Hunc enim in consortium in- « dividuæ unitatis assumptum, id quod ipse « erat, voluit nominari dicendo: *Tu es Petrus,* « *et super hanc petram ædificabo Ecclesiam* « *meam:* ut æterni templi ædificatio mirabili « munere gratiæ Dei in Petri soliditate con- « sisteret. » Hæc quàm bellè primatum et vim exigendæ unitatis fidei cum Romanâ tanquàm potiorem ejusdem primatûs prærogativam declarent, aliquantò fusiùs explicandum, aliisque Leonis textibus, qui apertiorem et constantem ejus mentem patefacient, confirmandum est.

Verba, quibus Petrus Apostolorum omnium summus dicitur, primatum ejus supra omnes Apostolos indicant. Hujus autem primatûs vim præcipuam ad fidei unitatem à Petro et successoribus ejus Romanis pontificibus conservandam potissimùm referri totus contextus manifestum facit. Munus, de quo ibidem agitur, est prædicatio fidei in universo mundo, quam Christus Apostolis commisit, sicut scriptum est: *In omnem terram exivit sonus eorum,* etc. Hoc autem munus ita principaliter delatum Petro dicitur, ut exors sit mysterii divini, quicumque ausus fuerit à Petri soliditate recedere. Quid porrò Petri soliditas ex S. pontificis mente, nisi soliditas prædicatæ ab eo fidei, ut declaravit sermone 62, c. 2, cùm Petrum in professione fidei omnibus Apostolis Deo revelante idcircò prævisse docuit, ut ad regimen totius Ecclesiæ præparatus, primùm disceret quod doceret, et pro soliditate fidei, quam erat prædicaturus, audivit: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* En soliditatem petræ, supra quam ædificanda erat Ecclesia, et adversùs quam non prævalebunt inferorum portæ, ei fidei tribuit, quam Petrus erat prædicaturus, et quam prædicando ædificaturus erat Ecclesiam. Ob hanc verò fidem ipse quoque Petrus petra à Christo appellatus, catholicæ fidei petra à Leone dicitur, epist. 119 ad Maximum Antiochenum c. 2, quia in fide ab eo prædicatâ universæ Ecclesiæ fides firma manet tanquàm in fundamentali solidâ petrâ, cui omnes Christiani qui pertinere velint ad Christi Ecclesiam, debent inniti et adhærere firmiter, ne si quis ab hoc fundamento, seu à soliditate Petri recedat, recedens à Christi Ecclesiâ super ipsum fundamentum ædificatâ, divini mysterii exors et expers sit: quod necessitatem unitatis cum Petri fide manifestissimè statuit. Idipsum confirmat ratio, quam S. pontifex subjicit: « Hunc enim in consortium individuæ unita- « tis assumptum, id quod ipse erat, voluit no- « minari dicendo: *Tu es Petrus, et super hanc* « *petram ædificabo Ecclesiam meam,* ut æterni « templi ædificatio mirabili munere gratiæ « Dei in Petri soliditate consisteret; hâc Ec- « clesiam suam firmitate corroborans, ut illam « nec humana temeritas posset appetere, nec « portæ contra illam inferi prævalerent. » Nonne hìc exploratum est, individuæ unitatis consortium illud significare, quod sicut Christus ob unitatem Ecclesiæ petra est et fundamentum, cui tota Ecclesia debet adhærere, ita ejusdem unitatis bono in hujus prærogativæ consortium Petrus assumptus fuit à Christo, cùm hinc migraturus ipsum sui loco constituit Ecclesiæ petram, et petram ita solidam, ut contra ipsam portæ inferi non prævalerent? Unde similiter ait serm. 4, c. 2: « Cùm ego « sim inviolabilis petra, ego lapis angularis, « qui facio utraque unum (en bonum unita- « tis); ego fundamentum, præter quod nemo « potest aliud ponere; tamen tu quoque petra « es, quia meâ virtute solidaris, ut quæ mihi « sunt propria, sint tibi mecum participatione « communia. *Et super hanc petram ædificabo* « *Ecclesiam meam, et portæ inferi non præva-* « *lebunt adversùs eam.* Super hanc, inquit, « fortitudinem æternum exstruam templum, « et Ecclesiæ meæ cœlo inferenda sublimitas « in hujus fidei firmitate consurget. » Quæ cum recitatis epistolæ decimæ verbis mirificè concinentia palam faciunt, S. Petrum petram Ecclesiæ constitutum ob prædicationem fidei, eâ fidei soliditate ac firmitate donatum fuisse à Christo, ut in eâ Ecclesiâ corroborata consisteret, quod non nisi per unitatem fidei cum fide

Petri fieri potest : ac propterea laudato serm. 4, c. 3, postquàm S. pontifex scripsit : « Specialis à Domino Petri cura suscipitur, et pro « fide Petri propriè supplicatur, tanquàm « aliorum status certior sit futurus, si mens « principis victa non fuerit ; » his verbis conclu-dit : « In Petro ergo omnium fortitudo munitur, « et divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, ut « firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, « per Petrum Apostolis conferatur, » quæ pariter unitatem fidei cum Petri fide efflagitant.

Eadem porrò ratio, quâ S. Petrus post Christum relictus fuit visibilis Ecclesiæ petra ad formandam et custodiendam visibilem ejusdem Ecclesiæ et fidei unitatem, exigebat quoque, ut post Petrum alius atque alius succederet, qui eamdem unitatem custodiret. Id autem Romanis pontificibus S. Petri successoribus competere notavit S. Leo serm. 5, al. 4, c. 4 : « Soliditas enim illa, quam de petrâ Christo « etiam ipse (Petrus) petra factus accepit, in « suos quoque se transfudit hæredes. » Ob hanc quidem soliditatem in Petri successores transfusam ipsum Petrum Romanæ sedi adhuc præesse, et præfuturum semper, semperque in ipsis successoribus vivere pronuntiavit. Id verò in Ecclesiæ et fidei unitatem factum indicant illa sermonis tertii c. 2 : « Soliditas enim « illa fidei, quæ in Apostolorum principe est « laudata, perpetua est. » Quatenùs scilicet perpetua est et esse debet Ecclesiæ unitas, quæ super ejusdem fidei petram constructa, non desinere cum Petro, sed perseverare usque ad finem mundi atque consistere in ejus successoribus debet : unde sequitur : « Et si« cut permanet quod in Christo Petrus credi« dit, ita permanet quod in Petro Christus « instituit. » Petrus nimirùm ob suam solidissimam fidem *petra* Ecclesiæ constitutus à Christo ob formandam continendamque in Ecclesiâ fidei unitatem, eâdem ratione in successoribus ita permanet, ut cum ipsorum quoque fide, quam idem Petrus in Romanâ Ecclesiâ æquè solidam deposuit, et ad successores transmisit, totius Ecclesiæ fides unita permaneat, perinde ac si in successoribus ipse Petrus viveret, fidemque doceret, ut Leo pluribus in locis tradidit. Quam in rem serm. 3, c. 3, soliditatem petræ semper perseverantem Petro tribuens, ait : « Manet ergo dispositio veritatis, et « B. Petrus in acceptatâ fortitudine petræ per« severans, suscepta Ecclesiæ gubernacula non « reliquit. » Quoties igitur Romani pontifices fidem docent, S. Petrus in ipsis docere, et ut locuti sunt Patres Chalcedonenses), per os ipsorum loqui credendus est ; ac proinde recedet procul dubio à soliditate et fide S. Petri, quisquis à doctrinâ fidei Romanorum pontificum, quæ eâdem soliditate fidei Petri in successores ejus transivit, recedere voluerit. Hæc profectò necessitatem indicant conveniendi cum istorum fide, æquè ac cum fide S. Petri : hocque sensu prædicatio fidei omnibus licet Apostolis commissa, S. Petro principaliter credita fuit, quia soli Petro ita fuit credita, ut eadem soliditas fidei ad successores ejus transiens omnibus Catholicis conveniendi necessitatem imponat : quod nullis aliarum etiam Apostolicarum sedium episcopis concessum est.

§ 13. *De gestis circa dogmaticam Leonis Epistolam ad Flavianum præsertim in concilio Chalcedonensi. Quale examen ejusdem Epistolæ in eo institutum, et quæ concessa libertas examinis, pontificiæ auctoritatis nihil præjudicans. Testimonium Anatolii episcopi Constantinopolitani.*

Hanc quidem unitatem fidei cum dogmaticis Romanorum pontificum decretis necessariam ostendunt evidentiùs gesta circa celebrem Leonis Epistolam ad Flavianum, quæ hæresim Eutychis confixit. Cùm Eutyches post Constantinopolitanum judicium, quo damnatus fuerat, turbas commovisset, S. Flavianus episcopus CP. ad S. Leonem scribens, jam præmonuerat hanc « causam egere solummodò vestro solatio « atque defensione, quâ debeatis consensu pro« prio ad tranquillitatem et pacem (id est, ad « unitatem) cuncta perducere. Sic enim hæ« resis quæ surrexit, et turbæ quæ propter « eam factæ sunt, facillimè destruentur, Deo « cooperante, per vestras sacratissimas litte« ras. » Additque hâc ratione « remotum iri « concilium, quod fieri divulgatur, quatenùs « nequaquàm ubique sanctissimæ turbentur « Ecclesiæ. » Qui tantùm Apostolicæ sedis auctoritati tribuit, ut solam ejus sententiam requiri ac sufficere affirmaverit ad errorem destruendum, et conciliandam pacem fideique unitatem, eâdemque auctoritate remotum iri concilium, quod cogendum ferebatur, uti ampliùs non necessarium, imò ex quo majores turbas excitandas metueret ; vim utique coactivam in apostolicâ sententiâ inesse indicavit, quâ Eutychis causa ita terminaretur, uti Pelagianam *finitam* Augustinus tradidit. Cùm verò Eutyche omnia commovente, et agente in primis Chrysaphio magno ejusdem patrono, non

expectato Apostolicæ sedis judicio, Theodosius imperator indixisset synodum Ephesi, ut judicium in eâ ferretur de Constantinopolitano S. Flaviani concilio, quod Eutychem condemnaverat; S. pontifex, qui mox dogmaticam ad eumdem Flavianum epistolam exaravit, etsi in litteris ad imperatorem affirmet, rationabiliùs ab indicendâ synodo fuisse abstinendum; tamen ne ipsius voluntati videretur obsistere, ejusdem concilii indictioni assentiens, ut pleniori judicio omnis possit error aboleri, in litteris ad synodi Patres legatos se direxisse ait, « qui vice meâ sancto conventui vestræ « fraternitatis intersint, et communi vobiscum « sententiâ, quæ Domino sint placitura, con« stituant, hoc est, ut primitùs pestifero er« rore damnato, etiam de ipsius qui impruden« denter erravit, restitutione tractetur. » Et conditiones statim subjicit, ex quibus liquet, totam quæstionem, de quâ in concilio agendum præstituit, non respexisse dogma in suâ ad Flavianum epistolâ definitum, quod sartum tectum servari jussit, sed Eutychis restitutionem ita spectâsse, ut restituendum concedat, si perversum errorem exploratè et apertè condemnet. Similia leguntur in aliis epistolis à vigesimâ octavâ ad trigesimam quartam. Cùm porrò synodus indicta Ephesi ob illatam Patribus vim suppressamque dogmaticam Leonis epistolam evasisset in latrocinium, ita omnia contra jus et fas perturbata fuerunt, ut in tot malorum remedium judicatum fuerit necessarium aliud liberum generale concilium; necessarium, inquam, non necessitate juris, sed facti, quod jus habenti nihil præjudicat, ut pluribus explicavimus et constituimus in observationibus ad dissertationem octavam Quesnelli, quam unà cum ipsâ Quesnellianâ dissertatione legere licebit tomo secundo Operum S. Leonis. Etsi verò post Theodosii imperatoris mortem, qui Eutychi et pseudosynodo Ephesinæ impensè patrocinabatur, evecto ad imperium Marciano, quo catholicam fidem protegente multi lapsi ad satisfactionis remedia quotidiè accedebant, dogmaticæque Leonis epistolæ episcopi in toto Oriente subscripserant, idem pontifex generale concilium non ampliùs ita necessarium videret, ut sub Theodosio visum fuerat, cùm tamen Marcianus studio componendæ citiùs pacis generalem synodum indixisset Chalcedone, S. Leo eâ tantùm de causâ assensum præbuit, « ne « devoto obviare videretur arbitrio, et ut quæ« cumque in querelam perturbationemque « venerunt, ad *unitatem* pacis et fidei compressâ « omni dissensione, revocarentur; » non verò quòd dubium putaret dogma in suâ epistolâ definitum, aut liberum crederet de dogmate ibidem definito quempiam ambigere. Jam enim ipsum imperatorem monuerat, « ne cujusquam « procaci imprudentique versutiâ quasi de in« certo quid sentiendum sit sineret inquiri, « nec cujusmodi sit fides tenenda, esse tra« ctandum, sed quorum precibus, et qualiter « annuendum. » Et similiter in aliis litteris eumdem principem rogavit, ne pateretur fidem quasi dubiam in synodo retractari: quod in aliis item epistolis inculcat et repetit. Vide epist. 93, c. 2, et ep. 94.

Neque Chalcedonensis concilii Patres aliquid tale tentârunt. Exactâ enim in primâ actione causâ, circa personam Dioscori, et circa gesta latrocinii Ephesini, cùm in secundâ actione agendum esset de fidei dogmate, petitâ à judicibus formulâ quâ omnis circa fidem dirimeretur contentio, statim acclamatum fuit, sufficere formam, quam S. Leo in suis ad Flavianum litteris proposuerat. « Emerserunt quæ ad « Eutychem pertinebant, et super his forma « data est à sanctissimo archiepiscopo Romanæ « urbis, et sequimur eam, et epistolæ omnes « subscripsimus. Ita omnes dicimus: sufficiunt « quæ exposita sunt: aliam expositionem non « licet fieri. » Cùm autem subinde lecta fuisset Leonis epistola, concilii Patres statim eam nullo instituto examine perinde susceperunt, ac si à S. Petro Apostolo edita fuisset. « Ana« thema ei qui non ita credit. Petrus per « Leonem ita locutus est. » Nihil pro apostolicarum definitionum auctoritate illustrius hoc generalis concilii testimonio, quod S. Petrum in suis successoribus definientem et loquentem agnoscit, ita ut ab eo discordare, aut de definitis addubitare non liceat; unde et actione 4, Patres iterùm clamaverunt: « Qui « non consentit epistolæ sanctissimi episcopi « Leonis, hæreticus est. » En consensus et unitatis necessitas.

Tractatus quidem et examen aliquod ejusdem epistolæ institutum fuit sub finem secundæ actionis, dubitantibus Illyricianis et Palæstinis, non quòd licitum crederetur de eâ dubitare, sed ut qui dubitabant docerentur. Novum examen hoc consilio factum etiam circa sacras Scripturas et circa definitiones generalium conciliorum, nihil supremæ istorum auctoritati præjudicat, ut monuimus § 11. Cùm de docendis et convincendis dubitantibus aut repugnantibus agitur, non eâ auctoritate quæ in

controversiam cadit, utendum est, sed ex aliis momentis et auctoritatibus apud ipsos minimè dubiis doctrinæ ejusdem consonantia est declaranda, et difficultates, si quæ impediant, sunt disjiciendæ. Ita et S. Leo ad compescendos priores tumultus sub Theodosio excitatos, auctoritates Patrum collectas, quæ in editione conciliorum epistolæ ad Flavianum subjici solent, ad eumdem imperatorem transmisit, ut ex ipsarum collatione ejusdem doctrinæ concordiam quisque perspiceret : unde in epistolâ ad ipsum principem post indicatas ejusmodi auctoritates Patrum : « Non aspernetur, « inquit, meam epistolam recensere, quam « pietati Patrum per omnia concordare repe- « riet. » Idipsum fieri solet, cùm de proprio judicio, et de ratione reddendâ agitur, ne cæco modo, ac ex præoccupatione, sed ex intimo sensu ac persuasione judicium latum appareat, tametsi versetur circa rem quæ summæ sit auctoritatis ac certissimæ fidei. Ita certæ fidei erat apud Patres Chalcedonenses doctrina Leoninæ ad Flavianum epistolæ, quam ante omne examen secundâ actione susceperant veluti ab ipso S. Petro prolatam, cuique jam ante synodum omnes subscripserant. At cùm proprium judicium declarandum fuit ad omnem ambiguitatem auferendam ex omnium sanctorum Patrum concordiâ et consensu, ita ut et qui videbantur non eadem cum omnibus sapere, per veritatis agnitionem ad concordiam revocarentur; sub finem secundæ actionis collatione factâ ejusdem epistolæ cum Nicæno et Constantinopolitano Symbolo, et cum Cyrilli epistolâ in Ephesino concilio approbatâ, consonantiam et concordiam contestati fuerunt Patres ; et dein actione quartâ eorumdem Patrum suffragium ita fuit expressum à multis, ut consensus ideò adhibitus dicatur, quia ea epistola cum dictis documentis concors inventa est. Nihil efficacius ad convincendos renitentes. Et hâc quidem ratione Illyriciani et Palæstini, qui dubitaverant, edocti, omnique difficultate per anteriorem tractatum sublatâ, Leonis definitionem suscipientes, ad assensum et unitatem fidei perducti fuerunt; sicque pleniori tractatu examen utile expertum fuit, ut Leo ipse notavit in litteris ad Theodoretum ep. 120, al. 93, cap. 1 : « Gloriamur in Domino cum Prophetâ « canentes : Adjutorium nostrum in nomine « Domini, qui fecit cœlum et terram : qui « nullum nos in nostris fratribus detrimentum « sustinere permisit ; sed quæ nostro priùs « ministerio definierat (in epistolâ ad Flavia- « num), universæ fraternitatis irretractabili « firmavit assensu, ut verè à se prodiisse « ostenderet, quod priùs à primâ omnium « sede formatum, totius christiani orbis judi- « cium recepisset : ut in hoc quoque capiti « membra concordent..... Nam ne aliarum « sedium ad eam quam cæteris omnium Do- « minus statuit præsidere, consensus assenta- « tio videretur, aut alia quælibet subrepere « posset adversa suspicio, inventi priùs sunt, « qui de judiciis nostris ambigerent. Et dùm « nonnulli à dissensionis incitati auctore ad « contradictionum bella prosiliunt, ad majus « bonum, malo ejus, auctore totius bonitatis « dispensante, perventum est... Ipsa quoque « veritas et clariùs renitescit et fortiùs retine- « tur, dùm quæ fides priùs docuerat (in lau- « datâ epistolâ), hæc postea examinatio con- « firmârit. Multùm denique sacerdotalis officii « meritum splendescit, ubi sic summorum ser- « vatur auctoritas, ut in nullo inferiorum « putetur imminuta libertas; et ad majorem « Dei gloriam proficit finis examinis, quando « ad hoc se accipit exerendi fiducia, ut vinca- « tur adversitas. »

Nonnulli ex hoc textu ingerunt illa : « Quæ « (Deus) nostro priùs ministerio definierat, « universæ fraternitatis irretractabili firmavit « assensu; » ac si ante assensum et confirmationem fraternitatis universæ seu synodi œcumenicæ decretum dogmaticum sedis Apostolicæ per sese retractari, et ad calculos seu examen liberum revocari queat. Addunt in confirmationem sequentia : « Sic summorum « servatur auctoritas, ut in nullo inferiorum « putetur imminuta libertas. » Ex quibus colligunt Leonem existimâsse episcopis in Chalcedonensi concilio licitum ac liberum fuisse suam definitionem in epistolâ ad Flavianum expositam ita retractare examinique subjicere, ut, si videretur, possent ab eâ dissentire, et sententiam eidem contrariam dicere. At falluntur manifestissimè. Leonem enim satis firmam per sese et irretractabilem agnovisse suam definitionem ex eo liquet, quòd nullam in concilio de fide ab se definitâ moveri voluit quæstionem, quasi dubia et incerta esset doctrina quam in laudatâ epistolâ definierat. Vide quæ attulimus sub initium hujus paragraphi. — *Irretractabilem* solùm appellavit *assensum* Patrum concilii, cùm ea confirmâssent quæ Apostolica sedes priùs definierat; quia tota vis irretractabilis decretorum concilii generalis potissimùm circa fidem, ab unitate

pendet cum apostolicâ Romanæ sedis fide : ac proinde dùm Patres Chalcedonenses, et dein Marcianus imperator, concilii confirmationem à pontifice postulàrunt, ne dubium haberetur quod in concilio fuerat definitum, concilii etiam generalis judicia, ut irretractabilia sint, primæ sedis confirmatione fidei unitatem probante indigere præsumpserunt.

Porrò ad libertatem examinis quod pertinet, S. Leo indicare voluit tantùm eam libertatem à Patribus Chalcedonensibus utiliter adhibitam, ut illis episcopis, qui de Leonis definitione ambigebant, per tractatum et discussionem satisfacerent, eosdemque catholicum sensum quem minùs intelligebant, edocerent et confirmarent in fide. Ita fit ut « ipsa veritas et « clariùs innotescat, et fortiùs retineatur, dùm « quæ fides priùs docuit (per summum ponti- « ficem), hæc postea examinatio confirmârit, et « ad majorem Dei gloriam proficiat finis exami- « nis, quando ad hoc se accipit exerendi fidu- « cia, ut vincatur adversitas, » eorum scilicet qui definitis obsistebant. Cùm verò hunc finem tantùm hujusmodi *libertas* et *examen* spectent, ut quæ definivit summus pontifex, episcopi confirment in concilio, et oppugnantes edoceant et ab errore deducant, facilè intelligitur quatenùs « sic summorum servetur auctoritas, « ut in nullo inferiorum putetur imminuta li- « bertas. » Qui hæc de libertate examinis cum potestate dissentiendi interpretantur, præcedentia, quæso, attentè considerent. Ad Leonis definitionem referuntur profectò illa, « quæ « fides priùs docuerat, » necnon et illa, « quæ « (Deus) nostro priùs ministerio definierat. » Num ab iis quæ fides docuit, quæ Deus definivit, per quodcumque examen dissentire cuipiam licet? Quid quòd Chalcedonensis concilii tempore agebatur non solùm de definitione primæ et Apostolicæ sedis, verùm etiam de definitione episcoporum subscriptionibus ab universâ Ecclesiâ receptâ, uti traditur Leonis epistolâ 88, c. 1 et 3, ac epist. 91. Quis etiam in liberiori systemate definitioni ejusmodi contrarium sentire, et contrariam sententiam ferre licitum opinetur? Adversarii quidem Galli, cùm dogmaticas apostolicas definitiones Ecclesiæ etiam dispersæ tacito quoque assensu receptas certissimæ auctoritatis et irreformabiles esse fateantur, à quibus citra fidei læsionem nemo recedere, ac de ipsis nemo licitè ambigere queat, liberum de Leonis epistolâ examen in Chalcedonensi cum facultate dissentiendi admittere nequeunt, siquidem ante ipsum concilium non modò tacitus, sed et expressus Ecclesiæ consensus episcoporum subscriptionibus firmatus accesserat. Inanis ergo et inefficax detegitur illorum labor, qui pluribus paginis ex Chalcedonensis concilii gestis eam libertatem non solùm examinis, sed etiam dissensûs Patribus concessam probare nituntur, quam in datâ hypothesi ipsi quoque adversarii debent excludere. Tota libertas examinis à Leone tributa concilii Patribus, cùm id unum respiceret, ut decepti ad unitatem pacis et fidei compressâ omni dissensione revocarentur, assensum requirebat, non permittebat dissentire. Nonne etiam post œcumenicam Chalcedonensem synodum ad compescendas, seu retundendas injustas Eutychianorum de ejusdem synodi definitione querelas novum examen Leone imperatore postulante institutum fuit? Promoto siquidem ab Eutychianis ad Alexandrinam sedem Timotheo Æluro, et occiso S. Proterio, maximoque tumultu inter Eutychianos et Catholicos Ægyptios excitato, utrique cum libellis supplicibus ad laudatum Leonem imperatorem confugerunt. Hic autem utrosque libellos cum suis litteris ad omnes Metropolitanos direxit, petens ut concilium cogerent, ibique « de prædicto « Timotheo, inquit, et de Chalcedonensi con- « cilio quid in commune sapitis, sine quolibet « humano terrore, et absque gratiâ cujuscum- « que vel odio cum omni celeritate meam fa- « cite cognoscere pietatem. » Hæc in litteris ad Anatolium, quibus similes erant cæteræ ad alios Metropolitanos, ut ex Codice encyclio cognoscere licet. Mox habita à singulis Metropolitanis concilia, et litteræ editæ, quæ in eodem Codice continentur. Ex his novum examen quod imperator postulabat institutum apparet; sed post definitionem non solùm summi pontificis, verùm etiam œcumenicæ synodi Chalcedonensis non alia proculdubiò tributa fuit, nec tribui potuit episcopis novi examinis potestas, nisi ut quæ concilium priùs definierat, hæc novo examine comprobarentur : ac proinde ejusdem synodi auctoritas nihil exinde detrimenti cepit.

Neque nova est hæc concessi examinis ratio, quâ novum examen sine libertate dissentiendi concessum irreformabili auctoritati nihil præjudicet. Tertullianus enim etsi in libro de Præscriptionibus apostolicarum sedium traditionem, quam præscriptionem vocat, irreformabilis et infallibilis auctoritatis ad revincendos hæreticorum errores efficacissimam esse con-

tendat, nullo tamen hujus auctoritatis præjudicio fieri posse censuit, ut iidem errores certæ traditioni repugnantes novo examini subjicerentur. « Salvâ, inquit (lib. contra Praxeam c. 2), istâ præscriptione (id est, auctoritate traditionis sedium apostolicarum), ubique tamen propter instructionem et munitionem quorumdam, dandus est etiam retractantibus locus, vel ne videatur unaquæque perversitas non examinata, vel præjudicata damnari. » Ex Tertulliani ergo mente potest aliquid esse irreformabilis auctoritatis; et nihilominùs ob instructionem docilium, aut emendationem confusionemve refractariorum examini iterùm subjici, ut ne cum libertate examinis libertas dissentiendi concessa dicenda sit. Non alia igitur libertas in recitato Leonis textu circa suæ dogmaticæ epistolæ examen intelligenda est; nimiùmque ejus verbis abuteretur, qui ex eâ libertate examinis ab eo concessi tantùm in remedium et suasionem dissidentium, licitum fuisse colligeret dubitare aliterque sentire. Adeò quidem hæc examinis libertas in eum finem asserta, unitatis necessitatem non destruit, ut assensum unitatemque necessariam potiùs adstruat atque præsumat; dùm hoc examen eo consilio concessum affirmatur, ut dubitantes aliterve sentientes ad unitatem pacis et fidei (catholicis utique necessariam) revocentur: nam, ut in epist. 101, ad Leonem, c. 3, confessus est Anatolius Constantinopolitanus, apud quem novellum illud examen, ad convincendos ambigentes Leonis verba et mentem minùs assecutos, jubente concilio, habitum fuit: « Opus erat ut in rectæ fidei vestræ sensum omnium conveniret intelligentia; » ubi cùm *rectæ vestræ fidei* nomine dogmaticam Leonis epistolam intelligit, tum verò cum eâ conveniendi necessitatem *omnibus* impositam agnoscit.

Ex hoc novo examine Eutychianæ causæ in tractatu, qui apud Anatolium Chalcedonensis concilii jussu cum dubitantibus habitus est, ut hi adducerentur ad debitum ac necessarium assensum, quis rectè ratiocinans legitimè inferri posse existimet libertatem dissensûs? Adversarii, qui ita videntur ratiocinari, libertatem examinis confundunt cum libertate consensûs vel dissensûs, ac si una sine alterâ stare non possit. Multis de causis liberum est novum examen, imò quandoque etiam est necessarium, uti cùm agitur de ferendo proprio judicio expressâque approbatione atque sententiâ, quæ ob aliquam rationem utilis aut necessaria credatur, quæ sanè absque cognitione et examine causæ rectè ferri non potest. Hinc illa concilii 5, act. 6, quibus asseritur, generales synodos earum epistolarum, quæ ab ipsis approbatæ fuerunt, « comprobationem non simpliciter, nec sine inquisitione fecisse, nisi per omnia cognovissent consonare eas expositioni ac doctrinæ sanctorum Patrum, ad quam collatio facta est. » Non tamen idcircò ubi novum examen, inquisitio et collatio nova utilis aut necessaria instituitur, semper adest consensûs vel dissensûs libertas. Si enim de re Ecclesiæ auctoritate nondùm definitâ sermo sit, assentire vel dissentire liberum erit: secùs verò, si agatur de re definitâ ab eâ ecclesiasticâ potestate, quæ definiendo vim habeat coactivam ad unitatem et assensum. Cùm itaque ex institutione et naturâ pontificii primatûs eâ vi præditas esse definitiones dogmaticas summorum pontificum præstituta principia, in quibus adversarii conveniunt, planè convincant, in his libertas dissensûs admitti nequit, ubi etiam novum examen sit liberum, si præsertim non aliâ ratione concessum dici possit, nisi ut adducat dubitantes ad necessarium assensum et unitatem, quemadmodùm in examine Leoninæ epistolæ accidit. Ob hunc eumdem finem in novo examine contradicendi facultas repugnantibus quandoque data à Catholicis, ut ne tamen id per se liberum aut licitum crederetur. Id patet ex sexto concilio œcumenico, in quo de impiâ Monothelitarum doctrinâ agendum erat cum Orientalibus, qui post definitionem S. Martini in frequentissimâ Romanâ synodo editam tantæ auctoritati non acquiescentes, schisma confecerant. Ut isti ad unitatem revocarentur, ab imperatore Constantino in litteris ad Donum, quæ concilii gestis præmittuntur, propositum fuit, ut partes dissentientes convenirent in synodo, ubi antiquiorum synodorum, veterumque Patrum, de quibus nemo ambigebat, doctrina conferretur cum sententiâ in quæstionem adductâ; et ne ex præjudicio pontificiæ auctoritatis disputari quispiam suspicaretur, nullâ de Martino I ejusque synodo mentione factâ, disputandi plenissima libertas dissentientibus concessa fuit. In hanc quidem rem antiquiorum synodorum et Patrum producti collatique codices cum (1) dogmaticis Agathonis litteris; et hâc methodo probatâ

(1) In illis litteris act. 4 synodi descriptis, quæ non solùm Agathonis, sed et episcoporum Occidentalium nomine exaratæ fuerunt, cavetur, ut de [illegible] non

catholicâ veritate, contradicentes ferè omnes convicti, et ad unitatem adducti, paucis exceptis, qui in pravo sensu pertinaces in eâdem sextâ generali synodo condemnati, vel etiam depositi, inter hæreticos recensiti fuère.

In hisce circumstantiis quis ejusmodi examen cum libertate quâdam dissentiendi aut contradicendi hæreticis vel schismaticis bono unitatis concessum, in argumentum trahere potest contrarium auctoritati apostolicæ, ac si de apostolicâ definitione licuerit ambigere, antequàm concilium post examen et cognitionem concordiæ ejusdem definitionis cum veterum conciliorum ac Patrum doctrinâ sententiam ferret? Nonne hæc ratio si quid valeret, libertas quoque concessa dicenda esset dissentiendi vel à definitionibus synodi generalis, si ad persuadendos contumaces novum examen novumque judicium instituatur, uti factum fuit à Leone imperatore, cùm post Chalcedonensis definitionem totius orbis episcopos ad illud examen excitavit, de quo proximè diximus. Id nihil officere agnitum quoque à clarissimo Bossuetio patet ex iis quæ animadvertit in novum examen causæ Donatistarum habitum in celebri Collatione Carthaginensi anno 411. Cùm enim Africani, duce potissimùm Augustino, Donatistas toties victos et toties ab Ecclesiâ damnatos non solùm adduxerunt ad ineundum novum causæ examen novamque discussionem coram Marcellino, sed præterea ipsis proposuerunt hanc conditionem (Aug. ep. 128, n. 2), « ut si nobis ii cum quibus agimus, demonstrare « potuerint.... subitò Ecclesiam Christi nescio « quorum, quos illi accusant, peccatorum periisse contagio, et in solâ remansisse parte « Donati; si hoc, ut dictum est, demonstrare « potuerint, nullos apud eos honores episco- « palis muneris requiremus, sed eorum seque- « mur pro solâ æternâ salute consilium, qui- « bus tanti gratiam beneficii pro cognitâ veri- « tate debebimus. » Numquid ex hoc novo examine atque propositione rem veluti dubiam, liberique dissensûs eos credidisse Bossuetius putavit? « An cunctabundi (inquit lib. 5 De- « fensionis Declar. c. 27), an dubii, an catho- « licæ Ecclesiæ ejusque auctoritatis incerti, « eam tot tantisque documentis non modò « certam, sed etiam perspicuam demonstra- « bant? Absit. » Id tantùm indulgentiæ et œconomicæ charitative dispensationis causâ gestum atque propositum cum Augustino fatetur: « Ut, « si fieri potest, corda hominum vel infirma, vel « dura, pia charitas aut sanet aut edomet, » id est, ob restituendam necessariam pacem et unitatem. Simili quâdam œconomiâ atque consilio antiquioribus Donatistis post judicium Romanum sub Melchiade, imperator Constantinus dedit aliud Arelatense judicium, aliorum scilicet episcoporum, « non quia, inquit Au- « gustinus epist. 43, num. 20, jam necesse erat, « sed eorum perversitatibus cedens, et omni- « modò cupiens tantam impudentiam cohi- « bere. » Desinant ergo adversarii novum examen atque judicium in generalibus conciliis post apostolicas definitiones ob eosdem fines institutum opponere, agnoscantque ipsum nihil præjudicare apostolicæ definitioni, sicut nec præjudicium creavit definitioni generalis concilii Chalcedonensis examen, quod post Chalcedonense judicium Leone imperatore agente institutum diximus.

« tanquàm de incertis contenderent, sed ut « certa atque immutabilia compendiosâ defini- « tione proferrent. »

§ 14. *Testimonium S. Petri Chrysologi. Argumentum ductum ex obedientiâ quam Romano pontifici deberi etiam adversarii fatentur.*

Non leve necessariæ unitatis fidei cum fide Romanæ sedis testimonium est illud S. Petri Chrysologi in epistolâ ad Eutychem, quæ inter Leoninas nostræ editionis est Epist. 25. Ibi eam integram dedimus, luculenterque in præmissâ admonitione eam partem genuinam probavimus, in quâ sequentia verba proposito nostro maximè congruentia leguntur. Scripserat ad ipsum Eutyches de exortâ controversiâ, ob quam ad Romanum quoque pontificem litteras se dedisse significâsse videtur. Respondens autem ipsi S. Ravennas archiepiscopus, cùm se à dicendâ sententiâ quibusdam nominibus subducit, tum verò respiciens pontificium judicium, quod etsi ad eum missum præsumebat, nondùm tamen scriptum in laudatâ admonitione ostendimus : « In omnibus, « ait, hortamur te, frater honorabilis, ut his « quæ à beatissimo Papâ Romanæ civitatis scri- « pta sunt, obedienter attendas; quoniam B. « Petrus, qui in propriâ sede et vivit et præ- « sidet, præstat quærentibus fidei veritatem. » Notanda inprimis hæc ratio, propter quam S. episcopus Eutychem ad obedientiam pontificio fidei decreto præstandam hortatur : « Quoniam B. Petrus, qui in propriâ sede et « vivit et præsidet, præstat quærentibus fidei « veritatem. » Cùm hæc ille ante pontificium

decretum ad Eutychem scripserit, non sunt peculiaria ejusdem decreti, quo ea controversia à S. Leone definita fuit, sed generale exprimunt certumque principium omnibus pontificiis definitionibus commune, nimirùm S. Petrum præcipuo modo ita in Romanis præsulibus suis successoribus vivere, ut in causis fidei *præstet quærentibus fidei veritatem.* Id ex traditione majorum acceperat S. antistes, ut ex traditione acceperat etiam S. Leo Magnus, qui eamdem rem alicubi inculcat, ac præsertim sermone nostræ editionis tertio, aliàs secundo, cap. 3. Imò ante S. Leonem ex traditione quoque sumpserat, et in Ephesino concilio veluti rem vulgatissimam et omnibus seculis traditam atque omninò certam affirmaverat Philippus presbyter apostolicæ sedis legatus : « Nulli dubium, inquiens conc. « Ephes. act. 3, imò seculis omnibus notum « est, quòd sanctus beatissimusque Petrus « Apostolorum princeps et caput, fideique co- « lumna, et Ecclesiæ catholicæ fundamentum, « à Domino nostro Jesu Christo salvatore hu- « mani generis et redemptore, claves regni « cœlestis accepit, solvendique et ligandi pec- « cata potestas ipsi data est, qui ad hoc usque « tempus et semper in suis successoribus vi- « vit, et judicium exercet. » Hinc etiam Xystus III, post synodum Ephesinam in litteris ad Joannem Antiochenum doctrinam fidei à Petri successoribus traditam perinde suscipiendam indicavit, ac si tradita esset à S. Petro Apostolo, qui « in suis successoribus quod « accepit, hoc tradidit. » Vide integrum textum supra, § 11, in fine. Eâdem traditione instructi Ceretius, Salonius et Veranus episcopi Gallicani in Epist. 68 ad S. Leonem, loquentes de dogmaticâ definitione ejusdem contra errorem Eutychis scripsêre : « Meritò illic princi- « patum sedis Apostolicæ constitutum, unde « adhuc Apostolici spiritûs oracula proferun- « tur. » Ubi, oracula Apostolici spiritûs, S. Petrum in suâ sede ac successoribus fidei veritatem adhuc docentem indicant. Ex hâc eâdem traditione Chalcedonensis concilii Patres, qui S. Leonem catholicum dogma definientem vocis B. Petri omnibus constitutum interpretem confessi sunt, post lectam dogmaticam ejus epistolam ad Flavianum, acclamârunt his verbis act. 2 : « Petrus per Leonem ita locu- « tus est ; » quæ in quamdam solemnem veluti formulam à pluribus subinde usurpatam transierunt : unde Bossuetius in sermone habito ad comitia Cleri Gallicani anno 1681, iisdemque comitiis jubentibus edito fateri non dubitavit, « non posse dici Petri ministerium « cum ipso extinctum..... Petrus loquetur « semper in suâ cathedrâ, ut confirmârunt « Patres sexcenti in concilio Chalcedonensi. » Hinc et in sextâ œcumenicâ synodo act. 8, Domitius episcopus Agathonis Papæ litteras contra Monothelitarum errorem editas, tanquàm ex Spiritu sancto dictatas per os sancti ac beatissimi principis Apostolorum Petri, et digito ter beatissimi Papæ Agathonis scriptas affirmavit. Quibus concinentes ejusdem synodi Patres in sermone prosphonetico de iisdem litteris dixerunt : « Charta et atramentum « videbatur, et per Agathonem Petrus loque- « batur. »

Si autem S. Petrus in suis successoribus vivens, cùm hi aliquod dogma definiunt, per os ipsorum sancto Spiritu dirigente loquitur semperque (1) loquetur, et præstat præstabitque quærentibus fidei veritatem; quidquid illi circa fidem definiendo decernunt, perinde accipiendum est, ac si à S. Petro Spiritu sancto afflante decretum fuerit : et idcircò jure S. Petrus Chrysologus Eutychi suasit, ut decreto dogmatico, quod à S. Leone pontifice editum putabat, obedientiam exhiberet, obedientiam utique non oris tantùm, sed potissi-

(1) Indicata ratio obediendi dogmaticis Romanorum pontificum definitionibus, quia in ipsis S. Petrus loquitur semperque loquetur, *præstans quærentibus fidei veritatem,* ipsarum definitionum infallibilitatem adstruit atque præsumit, quam quidem illis in definiendis fidei controversiis jure primatûs, ex toto nostro systemate, necnon ex Christi promissis ac traditione Patrum asserendam, expressè probaturi et vindicaturi sumus cap. 15. In definiendis fidei controversiis, inquam, non verò in opinionibus, etiamsi in materiâ fidei versentur, non in sententiis, aut præceptis particularibus aliisque similibus, in quibus à propriè dictâ definitione fidei distinguendis, ex memoratis principiis summi pontifices non ita infallibiles sunt, ut in definitionibus fidei, quod in memorato capite fusiùs explicabitur : ac proinde intelligitur, cur obedientia Romanis pontificibus debita simplex et absoluta, nullaque conditione restricta esse debeat generatim quoad definitiones dogmaticas, quibus infallibilitas convenit, non verò quoad opiniones, judicia aut præcepta particularia et similia, in quibus illi eâdem prærogativâ generatim non gaudent. Canones quidam, aut alii textus, qui obedientiam ipsis deberi pronuntiant eâ conditione, aut exceptione adjectâ, nisi mandent aliquid contrarium legi Dei, aut Evangelio, vel fidei, de particularibus præceptis loquuntur, non de definitionibus fidei, ut ex toto ipsorum contextu cuivis manifestum fiet.

mùm mentis et cordis, qualis præstanda est veritati fidei, quam ipse S. Petrus doceret, quod fidei assensum et unitatem requirit; unde in sextâ synodo laudatus Domitius episcopus, postquàm dogmaticas litteras Agathonis memoravit tanquàm dictatas per os S. Petri, subjecit statim : « Ita credo, ita sentio. » Hinc porrò colligitur, obedientiam quæ à cunctis Christianis Romano pontifici debetur, deberi præcipuè in definitionibus fidei. Etsi enim obedientia aliis quoque episcopis et præpositis ab eorum subditis debet impendi, cùm tamen ea ratio quam S. Petrus Chrysologus indicavit in controversiis fidei, non sit aliis episcopis aut præpositis communis (neque enim de aliis dici potest, S. Petrum in ipsis vivere, et præstare quærentibus fidei veritatem), sed propria sit Romanorum pontificum successorum S. Petri, hinc obedientia istis debita in decretis fidei, peculiarem obsequendi obligationem inducit : unde cum iisdem pontificibus in quibus vivit et loquitur S. Petrus, necessaria est unitas fidei; cum aliis autem episcopis eatenùs est necessaria, quatenùs cum fide Romanorum pontificum concordent, à quâ si discedant, nullum unitatis et communionis jus habent, ut Nestorio, Dioscoro aliisque Romanam fidem deserentibus evenit.

Hujus quidem obedientiæ debitum, de quo ex Petri Chrysologi testimonio incidit mentio, accuratiùs explicandum arbitror præsertim ex Gallorum testimoniis quæ adversariis suspecta esse non possunt. Hoc debitum, quod ex necessitate unitatis fidei cum Romanâ sede profluit, doctrinæ innititur S. Irenæi vetustissimi episcopi Gallicani, de quâ multis egimus § 1. Ex hoc eodem fonte nihil apud Gallicanos frequentius, quàm obedientiam Romanæ sedi debitam profiteri : unde in ipsâ quoque Declaratione conventûs Gallicani anni 1682, Romanis pontificibus debita ab omnibus Christianis obedientia expressè statuitur. Hoc obedientiæ debitum juris divini esse docuit Gilbertus episcopus Tornacensis, qui unus è præcipuis ejusdem conventûs moderatoribus fuit. « Ipsis (summis pontificibus), inquit, « obedire jure divino sese teneri Galli prædi« cant super tecta. » Ac proinde idem obedientiæ debitum è divini juris primatu originem ducit, qui cùm ob unitatem Ecclesiæ formandam custodiendamque fuerit à Christo institutus, ita ob eamdem unitatem illis deberi obedientiam Bossuetius apertè constituit in celebri Expositione doctrinæ Christianæ, ubi tanquàm certum dogma, in Defensione quoque Declarationis cleri Gallicani repetitum, posuit, « tuendæ ac formandæ unitatis primatum S. « Petri à Christo institutum, sedemque Apo« stolicam hujus unitatis centrum ac radicem « esse ; ac propterea (nota hanc consequen« tiam) Petri successoribus deberi obedien« tiam eam quam concilia et Patres semper « agnoverunt. » Sicut autem unitas à summis pontificibus tuenda jure primatûs, ipsis Gallis confitentibus est potissimùm unitas fidei, ob quam quidem in totâ Ecclesiâ continendam propter potentiorem principalitatem omnes undique fideles cum fide Romanæ sedis atque summorum pontificum convenire necesse est, quemadmodùm laudatus S. Irenæus tradidit, ita obedientia ob potentioris primatûs prærogativam illis debita, eamdem præcipuè fidei unitatem prospiciens, necessitatem includit et infert parendi et adhærendi decretis fidei, quæ ob rectæ fidei unitatem custodiendam à Romanis antistitibus eduntur. Inanis et inepta hìc est illa nonnullorum restrictio seu limitatio, quâ obedientiam illis debitam et jurejurando etiam firmatam affirmant, « sed secun« dùm canones et jure servato. » Nulli enim canones, nullum jus restringit, aut certis conditionibus coercere potest obedientiam jure divino debitam definitionibus fidei ab Apostolicâ sede editis, in quibus S. Petrus loquitur et præstat quærentibus fidei veritatem. Imò omnes canones, concilia omnia definitiones ejus sedis *obedienter* (ut Chrysologi voce utar) tanquàm Petri ore prolatas susceperunt semper, ut vel ex Ephesino et Chalcedonensi conciliis ante memoratis liquet. In causis et definitionibus fidei omnes totius orbis christiani iis quæ è Romanâ cathedrâ prodeunt, nullâ exceptione, limitatione nullâ obligantur, quia omnes undique fideles cum Romanâ fide iisdem definitionibus propositâ convenire necesse est (conveniendi necessitas idem est ac necessitas obediendi), ut ex D. Irenæo audivimus.

Hæc obedientia ut vera et sincera sit, et non simulata, non solùm externa esse debet, verùm etiam interna, quæ cordis assensum mentisque obsequium efflagitat. Id quidem episcopi Galli professi sunt apertissimè in litteris ad Innocentium X, datis anno 1653, die 19 julii, ubi affirmârunt, dogmatica sedis Apostolicæ judicia « divinâ æquè ac summâ per « universam Ecclesiam auctoritate niti, cui « Christiani omnes ex officio *ipsius quoque*

« *mentis obsequium* præstare tenentur. » Idem confirmârunt luculentiùs occasione celebris *Casûs*, ut vocant, *conscientiæ*, quo pontificiis decretis obedientiæ nomine debitum asserebatur externum quidem obsequium, non verò assensus internus. Contra hanc propositionem insurrexerunt statim plures Gallicani doctissimi præsules, inter quos Bossuetius et cardinalis de Noailles. Re ad Apostolicam sedem delatâ, die 14 julii anni 1705, edita fuit constitutio, *Vineam Domini Sabaoth*, quâ declaratum est, obedientiæ, quæ constitutionibus Romanæ sedis debetur, non satisfieri *obsequioso*, ut auctores Casûs vocabant, *silentio*, nec licere professionem ore vel scripto edere, si discordet à sensu et obsequio cordis, in quo sita est vera orthodoxi hominis obedientia. Hæc constitutio ab universâ Gallicanâ Ecclesiâ mox suscepta, et in omnibus diœcesibus publicata, nihil dubii relinquit, quin eadem Ecclesia idem cordis quoque obsequium pontificiis constitutionibus ex obedientiâ debitum agnoscat. Insigne hâc in re, quod præcesserat, Francisci de Salignac Fenelonii archiepiscopi et ducis Cameracensis exemplum in frequentissimis Gallicani cleri comitiis maximè approbatum, hoc argumentum concludet. Hic piissimus æquè ac doctissimus præsul librum ediderat inscriptum : *Explications des maximes des Saints*. Excerptæ ex ipso propositiones tres et viginti, ac Decreto Innocentii XII, die 12 martii anno 1699, condemnatæ. Etsi ille ante condemnationem in ipsis vindicandis ab adversariorum censuris pluribus editis apologeticis libellis laborâsset, ut primùm tamen apostolicum Breve accepit, statim mandato diei 9 aprilis anni ejusdem primus omnium constitutionem promulgans, eique simpliciter, absolutè, et absque ullâ umbrâ restrictionis adhærens, cordis obsequium ex obedientiâ debitum declaravit ; publicèque librum suum et propositiones ab Apostolicâ sede proscriptas expressè damnans ac interdicens, eamdem obedientiam ovibus sibi commissis commendavit his verbis : « Vos igitur toto animo ad « sinceram obedientiam absolutamque docili« tatem adhortamur, ne sensim contabescat « simplicitas obedientiæ Sanctæ sedi debitæ, « cujus exemplum per Dei gratiam ad extre« mum usque spiritum vobis præbere volu« mus. » Hoc tam eximium obedientiæ non tam theoreticæ, quàm practicæ testimonium admirati Gallicani præsules in comitiis anni sequentis 1700, non solùm laudârunt, sed rationes etiam ejusmodi obedientiæ summo pontifici exhibendæ subdiderunt. In actis enim, uti appellant, verbalibus eorumdem comitiorum, post descriptum illud Fenelonii mandatum, quo suam apostolico Brevi obedientiam contra ea quæ antea senserat, typis dederat, et vindiciis propugnaverat, publicè declaravit, hæc subjiciuntur : « Ecclesiæ inimicos stupore « perculit mutatio tam subita tamque exem« plaris. Fidem ei habere nullam maximè exo« ptâssent. Verùm Ecclesia, quæ novit gra« tiam obedientiæ annexam, agnovit in hoc « archipræsulis obsequio effectum naturalem « christianæ humilitatis et subordinationis « ecclesiasticæ. Nempe unus est primus epi« scopus, unus existit Petrus ad totum gregem « regendum à Christo præpositus, una est « mater cæterarum Ecclesia ad illas omnes do« cendas constituta. » Quicumque has sinceræ obedientiæ apostolicis decretis ex christianâ humilitate et subordinatione ecclesiasticâ exhibendæ rationes à frequentissimo Gallicani cleri conventu propositas seriò consideret ; non externum tantùm, sed internum præcipuè assensum ipsis deberi eodem clero docente et confirmante intelliget. Sed interruptam traditionis seriem prosequamur.

§ 15. *De synodicis episcoporum Galliæ et Italiæ ad S. Leonem pontificem contra Eutychis hæresim. De Theodoreto episcopo Cyrensi, et Maximo Antiocheno. Testimonium vetustissimi Sacramentorum libri Ecclesiæ Romanæ.*

In memoratâ Eutychis causâ Galli episcopi, receptâ S. Leonis dogmaticâ epistolâ ad Flavianum, ut ad retundendos hæreticorum conatus sese cum Romano pontifice unirent, sic de eâ ad eumdem Leonem scripserunt (epist. 99 inter Leonin.) : « Multi itaque in eâ gaudentes « pariter et exultantes recognoverunt fidei « suæ sensum ; et ita se semper ex traditione « paternâ tenuisse, ut vester apostolatus ex« posuit, jure lætantur. Nonnulli sollicitiores « facti, beatitudinis vestræ admonitione per« ceptâ, modis omnibus se gratulantur instru« ctos, datamque sibi occasionem gaudent, « quâ liberè et fiducialiter, suffragante etiam « Apostolicæ sedis auctoritate, eloquantur, et « asserat unusquisque quod credit. » Vides Gallos gaudere, eò quòd suam fidem eamdem, seu concordem cum fide Romani pontificis recognoverint ? ideircò autem gaudent, quia ex hâc concordiâ seu unitate suæ fidei cum Romanâ eam veram esse certò perspiciunt, ac

proinde addunt posse unumquemque liberè et fiducialiter eloqui et asserere quod credit; ac si antequàm ea concordia constaret, de veritate ejus, quod credit, dubium posset incidere. Quare subjiciunt: « Doctrinæ post Deum vestræ debet fidelis, ut constanter teneat, « quod credebat. » Constanter, inquiunt, quia ob consonantiam cum apostolicis litteris quod quisque credebat certæ catholicæ fidei esse dignoscitur.

Id ut clarè intelligatur, notandum quidem est universalis Ecclesiæ traditionem ex omnium catholicarum ecclesiarum in unam eamdemque doctrinam conspirantium traditione coalescere. Num verò ad dignoscendum, utrùm aliqua traditio catholica sit, cum omnium ecclesiarum traditione conferenda erit? Minimè gentium. Id enim longum nimis ac ferè impossibile. Sufficere autem consulere traditionem Romanam ex eo probavit S. Irenæus, quia, cùm ob primatum ejus potentiorem omnes undique fideles et omnes ecclesiæ debeant cum eâ convenire in fide, ut patet ex dictis § 1, cognoscere Romanam traditionem ac fidem idem erit atque cognoscere traditionem ac fidem aliarum omnium totius catholici orbis ecclesiarum, ac proinde traditionem fidemque catholicam. Hinc igitur signum et nota veræ traditionis catholicæ est consonantia et unitas cum Romanâ. Quare S. Hieronymus lib. 1 in Rufinum: « Fidem suam quam vocat, « inquit, eamne, quâ Romanâ pollet Ecclesia?» Et mox ex concordiâ cum Romanâ intulit: « Si Romanam respondebit, ergo catholici « sumus. » Hoc nimirùm discrimen intercedit inter traditionem aliarum ecclesiarum et Romanam, quòd illarum traditio, ut catholica sit, cum Romanâ debet convenire; et si qua non conveniat, debet ad Romanam revocari, cum quâ omnes catholicæ ecclesiæ non solùm conveniunt, sed etiam conveniant necesse est; ac idcircò aliarum singularum ecclesiarum traditio per sese non probatur catholica nisi in unitate cum Romanâ: Romana autem per sese catholica satis probatur, quia cùm omnes catholicæ ecclesiæ cum ipsâ conveniant, traditio, quæ probatur Romana, simul catholica omnium aliarum et catholicæ ecclesiæ traditio probatur. Hoc sensu quicumque episcopi Romanæ sedis doctrinam aliquâ dogmaticâ summorum pontificum epistolâ definitam conferre possunt cum suæ cujusque ecclesiæ traditione atque doctrinâ, ut si hanc cum illâ concordem deprehenderint, catholicam esse agnoscentes lætentur. Hâc sanè methodo usi Gallicani antistites S. Irenæi præcessoris sui principio necessariæ unitatis imbuti, suarum ecclesiarum traditionem cum Leoninâ seu Romanâ consentientem nacti, gaudium suum declarârunt, et Leonis doctrinam, quam per os ejus Deum docuisse crediderunt, non judicârunt veram, quia concordabat cum suâ, sed suam veram constanterque tenendam deprehenderunt, quia cum Romanâ Leonis fide concordare inventa est.

Hâc eâdem ratione eamdem S. Leonis epistolam cum suæ ecclesiæ et S. Ambrosii traditione contulisse dicendi sunt episcopi provinciæ Mediolanensis, quin exinde aliquid præjudicii illatum judicetur Romanæ doctrinæ, quâcum debere convenire omnem doctrinam, quæ catholica sit, eadem Mediolanensis traditio docuerat. Quòd si illi præter S. Ambrosii traditionem collatis etiam cum Leoninâ epistolâ aliis antiquorum Patrum sententiis, Eutychianum errorem se damnâsse affirmârunt, eò « quia omnia (ejus epistolæ) majorum « fidei nobis antiquitùs traditæ totâ puritate « conveniunt, » id se fecisse addiderunt, « auc- « toritatis vestræ (Leoni Papæ respondent) « præcedente sententiâ, et litterarum vestra- « rum formam secutos: » quæ auctoritatis et unitatis rationem satis indigitant. Neque doctrinæ concordiam cum doctrinâ antiquorum laudare, neque concordiam ipsam tanquàm rationem proferre quidquam officit. Nihil enim Ecclesiæ dogmatibus præjudicii creat, qui veritatem satis per se certam, aut aliunde probatam aliis atque aliis monumentis confirmat, si præsertim id faciat, uti et Galli et Mediolanenses fecerunt, ut ex concordiâ traditionis suarum ecclesiarum et antiquorum Patrum cum Romanâ, omnes uniti cum capite hæreticæ pravitati fortiori nisu resistant.

Quid dicemus de Theodoreto Cyrensi episcopo? Depositus in pseudosynodo Ephesinâ hæresis nomine, ad S. Leonem confugit, ut apud ipsum de suâ fide, num apostolicis vestigiis insisteret, judicium ferretur. Hinc in epistolâ ad eumdem pontificem: « Oro, et « obtestor sanctitatem tuam, inquit, ut mihi « rectum ac justum tribunal vestrum invo- « canti opem ferat, jubeatque ad vos venire, « et doctrinam meam apostolicis vestigiis in- « hærentem ostendere. » Rationem hujus appellationis explicat in epistolâ 106, ad Renatum Romanæ ecclesiæ presbyterum: « Habet « enim sanctissima illa sedes (Romana) eccle-

« siarum quæ in toto sunt orbe, principatum « multis nominibus, atque ante hæc omnia, « quòd ab hæreticâ labe immunis mansit, nec « ullus fidei contraria sentiens in eâ sedit, sed « apostolicam gratiam integram conservavit. » Hæc ratio cùm Romanæ sedis primatum respicit, tum verò ejusdem sedis incorruptam fidem potissimùm laudat, cui si suam ille doctrinam inhærentem ostenderet, se ab omni hæresis et erroris suspicione purgaret. Ipsum quidem cùm post probatam ejusdem fidei unitatem in suam communionem S. Leo Pontifex recepisset, hâc apostolicâ communione, quæ non conceditur sine unitate fidei, eumdem Deus « ab omni hæreseos maculâ mundum « secundùm Apostolicæ sedis judicium de« monstravit, » et per Leonem in suum episcopatum restituit : unde uti episcopus catholicus in Chalcedonensi concilio statim primâ actione susceptus fuit inter Patres : « Ingrediatur et reverendissimus episcopus « Theodoretus, ut sit particeps synodi, quia « et restituit ei episcopatum sanctissimus ar« chiepiscopus Leo. » Quòd si iterùm de ipso actum est octavâ actione, id ad revincendos ejus adversarios actum, apostolicumque de ipso judicium synodalis sententiæ ratio et regula extitit. Vide, si libet, plura in nostris Observationibus ad dissertationem decimam Quesnelli tom. 2 nostræ Venetæ editionis operum S. Leonis col. 1257 et seqq. Non absimili ratione in eâdem synodo Chalcedonensi sine ullo examine, sine protestatione ullâ receptus quoque fuit Maximus Antiochenus; quia silicet S. Leo eum, tametsi à Dioscoro ordinatum contra canones, post rectæ fidei probationem in suam communionem recipiens, episcopatum ejus approbaverat, ut liquet ex testimoniis insertis act. 10. Confer nostras Observationes in dissertationem nonam Quesnelli eodem secundo tomo impressam. Hinc autem Apostolicæ sedis communio et unitas fidei cum eâdem in orientalibus quoque episcopis etiam patriarchalium sedium necessaria, sufficiens judicata est ab œcumenico Patrum sexcentorum et ferè Græcorum concilio, ut qui eâ gauderent, haberentur Catholici, et inter Catholicos ejusdem concilii Patres absque ullâ aliâ discussione reciperentur.

Ab his non disjungam testimonium vetustissimi Sacramentarii Romanæ Ecclesiæ, quod è manuscripto pervetusto Capituli Veronensis editum à P. Josepho Blanchinio, et dein à Muratorio recusum, novissimè à nobis insertum fuit, et multis illustratum tomo 2 editionis S. Leonis, propterea quòd Leoni Magno in antea vulgatis adscriptum, non pauca continet, quæ eumdem pontificem habent auctorem. Hæc certè cum Leone concinentia in scopum unitatis fidei leguntur in præfatione Missæ XIV. diei natalis Apostolorum Petri et Pauli : « Qui « (Deus) secundùm promissionis tuæ inviola« bile constitutum Apostolicæ confessioni su« pernâ dignatione largiris, ut in veritatis tuæ « fundamine solidatæ nulla mortiferæ falsita« tis jura prævaleant.... ipsaque sit sacri « corporis ubique vera compago, quæ te dis« pensante devota subsequitur quidquid sedes « illa censuerit, quam tenere voluisti totius « Ecclesiæ principatum. » Notanda præsertim verba : *Te dispensante*, id est, instituente, *devota subsequitur quidquid sedes illa censuerit* : quæ repetita etiam in præfatione Missæ XIX, non ad unam Petri confessionem, sed ad omnem Romanæ sedis doctrinam atque definitionem fidei procul dubio extenduntur. Similis sententia inseritur etiam in præfatione Missæ XX, in quâ eadem unitatis fidei necessitas his verbis innuitur : « Qui ut hanc sedem regimen « Ecclesiæ totius efficeres, et quod hæc præ« dicâsset, ostenderes ubique servandum. » Romanæ fidei eruditio, quæ à SS. Apostolorum Petri et Pauli prædicatione manavit, sicut per eos ab ipsâ veritate (id est, à Christo) suscepta, posterisque (Romanis pontificibus in Romanâ cathedrâ succedentibus) « mandata est; « ita iisdem suffragantibus intemerata perdu« rat : » uti traditur in præfatione Missæ nonæ. Tum in præfatione Missæ decimæ eidem Romanæ ipsorum Apostolorum eruditioni, seu doctrinæ fidei in totum orbem diffusæ ea unitatis vis et prærogativa jure apostolici principatûs commemorato tribuitur, ut quòd ex Apostolicâ Romanæ sedis traditione ad posteros transmissa, et in iisdem conservata manavit, « Christianæ devotionis sequeretur « universitas, salubrique compendio et hi qui « ab illorum tramite deviâssent, haberentur « externi, et tantummodò filii veritatis existe« rent, qui à principali (id est, Romanâ) nul« lenùs traditione discederent. »

§ 16. *Testimonia S. Gelasii Papæ, ex libello fidei à S. Hormisdâ ad Orientales misso, et à totâ Ecclesiâ recepto, ex Justiniano imperatore, Avito Viennensi, Epiphanio Constantinopolitano, Stephano Larissæ, Mennâ Constantinopolitano, et Profuturo Bracarensi.*

S. Gelasii Epistolæ ad Orientales plenæ sunt

sententiis, quibus de necessitate communionis cum Romanâ sede agitur. In epistolâ verò 14, recitatis tribus illis evangelicis testimoniis, queis S. Petri primatum potissimùm inniti diximus cap. 5, hujus primatûs instituendi scopum fuisse unitatem Ecclesiæ hæc verba declarant, quæ statim subjecit : « Quare igitur « ad Petrum tam frequens Domini sermo di- « rigitur? Numquid nam reliqui sancti et « beati Apostoli non erant simili virtute suc- « cincti? Quis hoc audeat affirmare? Sed ut « capite constituto schismatis tolleretur oc- « casio, et una monstraretur compago cor- « poris Christi, quæ ad unum caput glorio- « sissimâ dilectionis societate concurreret, et « una esset Ecclesia, cui fideliter crederetur; » id est, Ecclesia Romana in Petri fide fundata, cui esse credendum adhærendumque innuunt etiam illa, quibus post nonnulla affirmat, S. Petrum « præstitisse sedi, quam ipse benedi- « xit, ut à portis inferi nunquàm pro Domini « promissione vincatur, omniumque sit fluc- « tuantium tutissimus portus, in quo qui re- « quieverit, beatâ et æternâ statione gaudebit; « qui verò contempserit, ipse videbit, qualia « genera excusationum in die obtendat judi- « cii. » Et in decreto ejusdem pontificis de libris recipiendis, vel non recipiendis, eos tantùm approbans orthodoxorum Patrum libros, « qui in nullo à sanctæ Romanæ Ecclesiæ « consortio deviârunt, nec ab ejus fide, vel « prædicatione sejuncti sunt, » communionis et fidei unitatem cum Romanâ Ecclesiâ orthodoxo necessariam patefacit.

Utriusque hujus unitatis necessitas maximè confirmatur ex iis quæ occasione schismatis Acaciani sub Felice III, Gelasio et sequentibus pontificibus contigerunt. Acacius Constantinopolitanus episcopus, qui primùm ab Eutychianis abhorruit eorumque communionem devitavit, cùm sensim in communionem et favorem illorum, qui cum eis communicabant, diffluxisset, suspicionemque non levem injecisset Romanis, post nonnulla experimenta et monita, quæ incassum cesserunt, anathemate præcisus fuit ab Ecclesiâ, magnoque patrocinio fultus, plures totius Orientis secum in idem schisma pertraxit, qui Romanâ item communione privati fuerunt. Hujus communionis necessitatem quidam agnoscentes, se statim separârunt à communione Acacii, nec ullâ ratione, ullo aliorum Orientalium exemplo, vi ullâ adduci potuerunt, ut cum Acacio aut Acacianis communicantes, Romanæ sedis communionem desererent, quemadmodùm de Dardaniæ episcopis legitur. Alii etsi primò cum Acacianis communicâssent, moniti subinde, suæ animæ periculum metuentes, ab ipsorum communione recesserunt, et in communionem Romanam rediêre, ut Epirotis accidit. Post Acacii verò mortem ferè omnes hanc communionem, quam Catholicis necessariam sciebant, summis precibus enixè petiêre, eamque concessissent Romani præsules, nisi obstitisset nomen Acacii in sacris diptychis adhuc retentum, de quo plura in superioribus. Cùm tandem sub Hormisdâ, Justino imperante, illius nomen è diptychis fuisset expunctum, tunc communio S. sedis Orientalibus data fuit eâ conditione, ut certæ formulæ, seu professioni subscriberent, quâ de utrâque communionis et fidei unitate caveretur. Initium hujus professionis est : « Prima salus est rectæ fidei re- « gulam custodire, et à Patrum traditione nul- « latenùs deviare; quia non potest Domini « nostri Jesu Christi prætermitti sententia « dicentis : *Tu es Petrus, et super hanc petram* « *ædificabo Ecclesiam meam.* Hæc, quæ dicta « sunt, rerum probantur effectibus, quia in « sede Apostolicâ inviolabilis semper catholica « custoditur Religio. De hâc igitur fide non « cadere cupientes, et Patrum sequentes in « omnibus constituta, anathematizamus omnes « hæreses, » etc. Et post nonnulla : « Qua- « propter sequentes in omnibus sedem Apo- « stolicam, et prædicamus omnia quæ ab ipsâ « decreta sunt, et propterea spero in unâ com- « munione vobiscum, quam Apostolica sedes « prædicat, me futurum, in quâ est integra « Religionis et perfecta soliditas : promittentes « in sequenti tempore sequestratos à commu- « nione Ecclesiæ catholicæ, id est, in omnibus « non consentientes sedi Apostolicæ, eorum « nomina inter sacra non recitanda esse my- « teria... Huic verò professioni subscripsi meâ « manu, et direxi per scripta tibi Hormisdæ « sancto et beatissimo fratri et papæ magnæ « Romæ : » quibus unitas communionis ab unitate fidei nequaquàm disjuncta, et catholicæ professioni indita dignoscitur. In hæc autem præclara est Bossuetii adnotatio. « Atque « hæc professio, ait, ab Hormisdâ pontifice di- « ctata, ob omnibus episcopis Orientalibus eo- « rumque antesignanis Constantinopolitanis « Patriarchis est recepta. Quâ de re Occiden- « tales episcopi, præsertim Gallicani, multùm « collætantur, ut certum sit hanc formulam « à totâ Ecclesiâ catholicâ comprobatam.

« Eamdem fidem Justinianus imperator ad S. « Agapetum Papam iteratis vicibus mittit. » In secundâ vero subscriptione sic legitur : « Quapropter, sicut præfati sumus, sequentes in omnibus sedem Apostolicam, quæ ab eâ statuta « sunt, prædicamus, ac promittimus inconcussè « servari, et compellere, ut juxta tenorem libelli « istius omnes faciant episcopi, ut sanctissimi « quidem Patriarchæ ad vestram faciant Sanctitatem, metropolitani verò Patriarchis, et « alii ut suis faciant metropolitanis, quatenùs « per omnia sancta catholica Ecclesia nostra « suam habeat firmitatem, » universali scilicet, ut sæpè diximus, consensione constantem. Post quæ idem Bossuetius sic concludit : « Omnes ergo Ecclesiæ subsignatâ formulâ profitebantur Romanam fidem sedis Apostolicæ, « et Ecclesiæ Romanæ fidem integrâ et perfectâ soliditate constare, ac ne unquàm deficiat, certâ Domini pollicitatione firmatam. « Nempe hanc fidem ab episcopis ad metropolitanos, ab his ad Patriarchas, à Patriarchis « ad Papam mitti oportebat, ut omnium confessionem unus exciperet, ac pro confessione « fidei communionem omnibus unitatemque « rependeret. Hanc professionem eodem initio, « eâdem conclusione, additis subinde hæresibus atque hæreticis, qui suis temporibus Ecclesiam conturbâssent, per secula secula frequentatam scimus. Hanc uti sancto Hormisdæ Papæ, sanctoque Agapeto ac Nicolao I, « omnes episcopi fecerant; ita iisdem verbis « Adriano II Papæ Nicolai successori factam « in concilio VIII œcumenico legimus. Hæc « ergo ubique diffusa, omnibus seculis propagata, ab œcumenico concilio consecrata, « quis respuat Christianus ? » Tanti viri testimonium eo in opere exhibitum, quo Declarationem Cleri Gallicani defendendam sumpsit, adversariorum nemo repudiare, ut arbitror, auserit. Si autem nullus Christianus hanc professionem unitatis fidei et communionis cum Romanâ sede ab universâ Ecclesiâ confirmatam potest respuere, nonne utriusque unitatis necessitas manifestissimè sequitur (1).

La iianJ sniudatsu tm f-eusumperator aliis quoque testimoniis unitatem fidei cum eâdem sede ejusdemque sedis auctoritatem in totâ Ecclesiâ constitutam commendat, ac præsertim in epistolâ ad Hormisdam : « Unitas, inquit, sanctarum ecclesiarum per doctrinam et auctoritatem apostolatûs vestri provenit : » hujusque unitatis se sollicitum semper fuisse testatur in aliâ epistolâ ad Joannem II : « Semper nobis fuit magnum studium, unitatem « vestræ Apostolicæ sedis et statum sanctarum « Dei Ecclesiarum custodire ... Itaque omnes « sacerdotes universi Orientalis tractûs et subjicere et unire sedi vestræ Sanctitatis properavimus. » 2° Avitus episcopus Viennensis in epistolâ ad Hormisdam Papam scribens : « Jam securus non dicam de Viennensi, sed de « totius Galliæ devotione, polliceor omnes ve-

(1) Appendam hâc in re aliud omninò concinens commentarium, quod eidem formulæ seu professioni subjecit alius Gallicanus doctissimus episcopus Franciscus Fenelonius metropolita Cameracensis in pastorali instructione diei 29 junii anni 1714. Post recitata laudatæ professionis verba hæc ille, quæ sic ex Gallico sermone Latinè reddimus : « Utinam actum tam solemnem, quo episcopi « schismatici ad unitatem redibant, nemo accipiat tanquàm vaga et ampullosa inanis obsequii verba, quæ nihil præcisum ac serium significent. Agitur hìc de promissione Filii Dei S. Petro factâ, quæ quotidiè ipsis rerum probatur effectibus. Quinam verò sunt ejusmodi effectus ? id est quia in sede Apostolicâ inviolabilis semper catholica custoditur Religio. Id est quia hæc Ecclesia, ut audiemus ex Bossuetio episcopo Meldensi, semper est virgo, semper Petrus loquetur in suâ cathedrâ, et Romana fides semper est fides Ecclesiæ. Id est quando in ejus communione quis manet, integram et perfectam soliditatem christianæ Religionis tenet. Id est nihil differre inter eos, qui privantur communione Ecclesiæ catholicæ, et eos, qui sententiis non consentiunt omninò cum eâdem sede. Imò quicumque contradicit Romanæ fidei, quæ est centrum traditionis communis, contradicit traditioni totius Ecclesiæ : è contra quicumque unitur doctrinæ hujus ecclesiæ semper virginis, suam fidem nulli discrimini exponit. Hæc promissio quamtùmvis generalis et absoluta, nihil temerarium, nihil exorbitans continet relatè ad episcopos ipsos, qui ad ejus subscriptionem cogebantur, ut in communionem reciperentur. Cavete igitur, fratres dilectissimi, ne illis præbeatis aures, qui auserint dicere, hoc formularium Papæ Hormisdæ factum ut afferretur remedium schismati Acacii, non fuisse nisi temporarium sedis Romanæ conatum. Hæc tam explicata fidei professio ob unitatem renovata fuit sub Adriano II, post annos trecentos et amplius, ob finiendum Photii schisma, et universim fuit approbata in octavo generali concilio.... Quisque episcopus in eâ spondet se non separaturum unquàm à fide et doctrinâ, sed secuturum præsertim in omnibus decisionibus ejusdem sedis pontificum.... Hâc conditione episcopi ad unitatem rediêre. Hoc pretio illi inter Catholicos recensiti; sine hac subscriptione nemo sperare poterat « locum in octava œcumenica synodo. » Omnia tam communionis, tum fidei unitatem cum Romanâ sede et in eâ præsidentibus Romanis antistitibus necessariam declarant.

« stram super statu fidei captare sententiam, » illustre testimonium præbet ejus obsequii, quo Gallicana Ecclesia Apostolicæ sedis judicia in materiâ fidei suscipiens, unitatem ejusmodi sedulò custodiebat. 3° Epiphanius Constantinopolitanus ad eumdem pontificem de suâ electione litteras tradens, adhæsionem dogmatibus à sede Apostolicâ potissimùm traditis sic declarat : « Est mihi oratio (al. ratio) magnoperè uniri me vobis, et divina amplecti « dogmata, quæ ex beatis et sanctis discipulis « et Apostolis Dei, præcipuè summi Petri « Apostolorum sedi sanctæ vestræ sunt tradita, « et nihil eis pretiosus existimare. » 4° Stephanus Larissæ episcopus in libello, quem obtulit Bonifacio II pontifici et Romanæ synodo anno 531 : « Auctoritas, inquit, sedis Apostolicæ, quæ à Deo salvatore nostro summo « Apostolorum data est, sanctarum Ecclesiarum privilegiis antecellit, in cujus confes- « sione (id est, fide) omnes requiescunt eccle- « siæ. » Quid autem est, omnes ecclesias in sedis Apostolicæ confessione, seu fide requiescere, nisi omnes cum ejus fide cohærentes tutè conquiescere? quippe quòd « in hujus « petræ fide, id est, Apostolorum principis « firmitate Orientalis (uti et Occidentalis) ec- « clesiæ fundamenta solidantur, » quemadmodùm ad Joannem Constantinopolitanum scripserat S. Hormisda. 5° Mennas episcopus Constantinopolitanus in synodo Constantinopoli habitâ anno 536, actionem quartam his verbis claudit : « Nos enim, sicut scit vestra charitas, « Apostolicam sedem sequimur, et obedimus, « et ipsius communicatores, communicatores « habemus, et condemnatos ab ipsâ et nos con- « demnamus. » 6° Profuturus episcopus Bracarensis quanti fecerit fidei unitatem cum sede Apostolicâ, explicavit in litteris ad Vigilium Papam, ex quibus hæc de ipso idem pontifex retulit in responsione apud Labbeum epistolâ ejusdem pontificis secundâ : « Regulam catholi- « cæ fidei iisdem studes tenere vestigiis, quibus « eam in Apostolicâ fide cognoscis esse funda- « tam. » Hanc eamdem unitatem fidei idem pontifex laudans in Mennâ Constantinopolitano episcopo scripsit : « Quid est charitati tuæ di- « gnius, quod conveniat, nisi à Romanorum « præsulum non deviare doctrinâ? »

§ 17. *Testimonia ex summis pontificibus Gregorio I et II, ex venerabili Bedâ, ex auctore operis Carolini, Adriano I, Alcuino, S. Nicephoro Constantinopolitano, Theodoro Studitâ, Nicolao I, et Hincmaro Remensi. Ex his antiquis traditionis argumentum concluditur, subjectâ animadversione, quâ uno ictu plures objectiones ex antiquis perperàm ingestæ diluuntur.*

Quid dicam de Magno Gregorio, qui profectò reprehendi in eo nequit, quasi suæ sedis privilegia nimiùm extulerit? Is epist. 38, lib. 4, Indict. 12, ad Theodelindam reginam : « Di- « gnum est, inquit, ut de Ecclesiâ B. Petri « Apostolorum principis nullum ulteriùs scru- « pulum habeatis, sed in verâ fide persistite, « et vitam vestram in petrâ Ecclesiæ, hoc est, « in confessione B. Petri Apostolorum princi- « pis solidate, ne tot vestræ lacrymæ tantaque « bona opera pereant, si à fide verâ invenian- « tur aliena. » His verbis non obscurè innuit, Romanæ Ecclesiæ fidem, de quâ in Theodelindæ animum aliquod dubium fortassis inciderat, solidam esse Ecclesiæ petram, ac in eâ tanquàm in confessione ac fide ipsius S. Petri omnes Catholicos debere consistere et solidari. Hæc de fidei unitate. Porrò de unitate communionis notanda sunt illa verba expressa in promissione cujusdam episcopi hæresim suam anathematizantis, quæ in Appendice Epistolarum ejusdem pontificis legitur. « Pronâ et « spontaneâ voluntate ad unitatem sedis Apos- « tolicæ divinâ gratiâ duce reversus sum; et, « ne non purâ mente, seu simulatè reversus « existimer, sub mei ordinis casu spondeo, et « anathematis obligatione..... semper me in « unitate sanctæ Ecclesiæ catholicæ, et com- « munione Romani pontificis per omnia per- « mansurum, » etc. Quibus unitas cum Ecclesiâ catholicâ, et communio cum Romano pontifice ita copulantur, ut altera sine alterâ stare non possit.

Gregorius II unitatem fidei cum Romanâ sede ita credidit necessariam, ut scripserit ad episcopos ducesque Germaniæ, se ad ipsos mittere S. Bonifacium, qui populos non ex aliâ quàm « ex Apostolicæ sedis hujus doctrinâ « informet, et in eâdem catholicâ fide perma- « nere instituat. » Et in litteris ad eumdem Bonifacium idipsum inculcans, ait : « Itaque « non desinas, frater reverendissime, docere « eos sanctam catholicam et Apostolicam Ro- « manæ Ecclesiæ traditionem. » Porrò in Vitâ ipsius S. Bonifacii scriptâ ab Othlone Ful-

densi describitur juramentum. quod laudato Gregorio II, summo pontifici idem Bonifacius præstitit, cùm episcopus electus fuit. « Promitto ego Bonifacius Dei gratiâ episcopus « tibi, B. Petre, Apostolorum princeps, vicarioque tuo B. Gregorio Papæ et successoribus ejus per Patrem, et Filium, et Spiritum « Sanctum, Trinitatem inseparabilem, et hoc « sacratissimum corpus tuum, me omnem « fidem et unitatem sanctæ fidei catholicæ « exhibere, et in unitate ejusdem fidei Deo « operante persistere : » ubi verbis, *unitatem sanctæ fidei* catholicæ, cohærens præmisso mandato, seu instructioni Gregorii, intelligit unitatem fidei; quam *ex sanctâ catholicâ et Apostolicâ Romanæ Ecclesiæ traditione* didicerat. Eamdem potissimùm fidei unitatem respiciunt et illa ejusdem S. Bonifacii in epist. 105 ad Cudbertum archiepiscopum, loquentis de statutis synodi abs se habitæ sub Pipino et Carlomanno; « Decrevimus autem in nostro « synodali conventu, et confessi sumus fidem « catholicam, et unitatem et subjectionem « Romanæ Ecclesiæ fine tenùs vitæ nostræ « velle servare S. Petro, et vicario ejus velle « subjici. » Vide tom. 8 Concil. Ven. edit. col. 281.

In sextâ œcumenic synodo act. 4, debito cum honore lectæ et susceptæ fuerunt, atque actis insertæ Agathonis Papæ litteræ ad Imperatores Constantinum, Heraclium ac Tiberium, in quibus Romanæ Apostolicæ Ecclesiæ auctoritatem à S. Petro manantem, « semper, in- « quit, omnis catholica Christi Ecclesia et « universales synodi fideliter amplectentes, in « cunctis secutæ sunt, omnesque venerabiles « Patres Apostolicam ejus doctrinam amplexi, « per quam et probatissima Ecclesiæ Christi « lumina claruerunt, et sancti quidem docto- « res orthodoxi venerati atque secuti sunt. » Audin' omnem catholicam Ecclesiam *in cunctis semper secutam*, omnesque Patres atque doctores veneratos et amplexos Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ auctoritatem atque doctrinam?

Venerabilis Beda inter homilias de Tempore, explicans illa cap. 16 Matthæi: *Et tibi dabo claves regni cœlorum*, ait: « Ideò B. Petrus, « qui Christum verâ fide confessus, vero est « amore secutus, specialiter claves regni cœlo- « rum, et principatum judiciariæ potestatis « accepit (nota principatûs, seu primatûs « Petro traditi scopum), ut omnes per orbem « credentes intelligant, quia quicumque AB « UNITATE FIDEI, VEL SOCIETATIS ILLIUS quolibet « modo semetipsos segregant, tales nec vin- « culis peccatorum absolvi, nec januam pos- « sint regni cœlestis ingredi. » Ita cùm fidei, tùm societatis, seu communionis catholicæ centrum, quocum omnibus Catholicis adhærendum sit ratione primatûs, in S. Petro ac Petri sede collocat

Auctor Operis Carolini lib. 1, c. 6, ex Gallicanæ et Germanicæ Ecclesiæ sensu scribens: « Hæc ergo (sedes Apostolica), inquit, sanc- « tæ fidei spiritualibus munita armis, et à « fonte lucis, et origine bonitatis salutaribus « satiata fluentis, et horrendis atrocibusque « hæresum obstitit monstris, et mellifluæ præ- « dicationis pocula catholicis per orbem mi- « nistrat ecclesiis. Nam beatissimus Hierony- « mus vir divinis legibus et multarum lingua- « rum peritiâ eruditus, dùm Bethlehemiticis « moraretur in arvis, et à B. Papâ Damaso « Romæ posito de difficilibus consuleretur « quæstionibus, eum pro causis fidei vice versâ « consuluisse dignoscitur, et sive tacendarum, « sive dicendarum hypostaseon, vel quibus in « Orientalibus partibus communicare debeat, « humillimis apicibus, ut apices accipiat, de- « precatur.... Unde datur intelligi, sanctos et « eruditos viros per diversas mundi partes « prædicationis et scientiæ lampade coru- « scantes, non solùm à S. Romanâ Ecclesiâ « non recessisse, sed etiam tempore necessi- « tatis ob fidei corroborationem ab eâ adjuto- « rium imploràsse. Quod regulariter, ut præ- « fati sumus, et exemplis docuimus, omnes « catholicæ debent observare Ecclesiæ, ut ab « eâ post Christum ad muniendam fidem adju- « torium petant, quæ non habet maculam « neque rugam, et portentosa hæresum ca- « pita calcat, et fidelium mentes in fide cor- « roborat, à cujus sanctâ et venerandâ com- « munione, multis recedentibus, nostræ ta- « men partis nunquàm recessit Ecclesia, sed « eâ Apostolicâ eruditione instruente, et eo « à quo est omne donum optimum et omne « datum perfectum, tribuente semper suscepit « reverenda chrismata. » Nonne hæc fidei communionisque unitatem cum sede Apostolicâ tenendam significant? Hoc autem testimonium tantò pluris faciendum est, quantò Ecclesiarum Galliæ et Germaniæ sensum declarat eo quoque tempore, quo ob decretum synodi VII, contra Iconomachos, inter ipsarum partium episcopos et Romanum pontificem intercedebat non levis dissensio. Hâc autem in dissensione, quæ in aliquot annos progressa est, vide ne existimes

eos reipsâ descivisse ab eâ unitate fidei, quam cum sede Apostolicâ tenendam tam manifestis verbis professi sunt. Etsi enim illorum sententiam circa cultum imaginum multis ac diversis circumstantiis implexam, ad unum quiddam certum revocare et explicare difficile sit, in his tamen ambagibus certum affirmari posse arbitror, ipsam dissensionem quoad substantiam non tetigisse negotium fidei, sed merum articulum disciplinæ. Scitè nimirùm monuit Mabillonius cum Petavio, imagines sacras, de quibus erat quæstio, ex eorum « per « se genere, esse, quæ ἀδιάφορα nominantur, « hoc est, quæ ad salutem omninò necessaria « non sunt, nec ad substantiam ipsam Reli« gionis attinent, sed in potestate sunt Eccle« siæ, ut eas vel adhibeat, vel ableget, prout « satiùs esse decreverit : » quod refertur ad materiem disciplinæ. Dissensio autem Gallorum Germanorumque non tangebat negotium fidei : damnabant enim et ipsi Iconomachos, qui sacras imagines evertendas et ubique abolendas curaverant, easdemque ad docendos rudes, ad memoriam sanctorum, piosque affectus excitandos, et alios salutares effectus promovendos utiles, atque in ecclesiis aliisque dignis in locis collocari ac retineri posse existimabant. Solùm dissentiebant circa earum cultum externum, tametsi relativum, quem cum Patribus synodi VII, approbabat Romanus pontifex. Hunc autem illos non idcircò noluisse approbare et in suas ecclesias inducere, quòd honorarium cultum externum etiamsi relativum per sese, id est, omni vitiosâ circumstantiâ expertem, illicitum crederent, ex eo manifestum fit, quia Romanos aliosque hoc cultu relativo ac moderato utentes idololatras non haberent, nec ullo simili convicio aut censurâ notare, neque se ab eis quasi ab idololatris separare voluerint. Hinc ergo in substantiâ fidei cum Romanis pontificibus et cum synodi VII Patribus erant concordes. Ipsum verò cultum, quem per se licitum agnoscebant, eâ de causâ noluerunt practicè approbare, seu recipere, quia apud suos non erat in usu, et metuebant, ne si induceretur, cultus relativus ex abusibus et superstitionibus, quæ sicut apud aliquos Græcos irrepserant, apud indoctam plebem facilè possunt irrepere; cultus, inquam, relativus in absolutum commutaretur, ac in superstitiosum deflecteret, cùm præsertim quædam etiam voces, et quidam ritus honorarii cultûs ex disciplinâ apud suos obtinente soli Deo tributi, si imaginibus concederentur, apud eosdem ad latreuticum cultum referendi crederentur. Cùm itaque laudati episcopi ob cavenda hæc superstitionum et abusuum pericula obstiterint cultui cæteroquin ex catholicâ Religione minimè necessario, quem per se licitum agnoscebant; quis non videat eorum dissensionem, non ad fidei, sed ad disciplinæ negotium referri oportere? « Et sanè per« spectam probatamque fuisse Romanis ponti« ficibus Gallorum Religionem in imagines « sacras (verba sunt laudati proximè supra « Mabillonii), satis apparet tum ex respon« sis Adriani I, qui eos nusquàm erroris « notat, tum ex aliis pontificibus, qui nullum « hâc de re negotium Ecclesiæ Gallicanæ fa« cesserunt. » Ipsos scilicet in fide quoad substantiam concordes noluerunt vexare ob dissidium disciplinæ, in quo œconomicâ dispensatione, suasionibus et explicationibus agendum crediderunt, quoad illos sensim ad externum illum et moderatum cultum recipiendum adducerent : uti prosperè tandem obtinuêre.
1° Adrianus I, in epistolâ ad Tarasium Constantinopolitanum episcopum lectâ et approbatâ in septimâ generali synodo act. 2, cùm de rebus fidei esset sermo, præmisso S. Petri elogio, *Tu es Petrus*, etc., cujus vis et ratio ad successores Romanos pontifices cum primatu transivit : « Nostræ, inquit, Beatæ et Apostolicæ sedi, « quæ est omnium ecclesiarum Dei caput, « velim beata vestra sanctitas ex sincerâ mente, « et toto corde agglutinetur, utpote quæ reverà « sit rectè sentiens, et pietatis incorrupta « conservatrix. » Et in epistolâ ad episcopos Galliciæ et Hispaniarum de fide S Petri loquens, quæ non solùm in Petro fuit, sed adhuc in suâ sede et in successoribus ejus custoditur, illum, qui ab eâ discordat, non esse in Ecclesiâ apertè pronuntiavit : « Qui se à B. Petri fidei « communione dissociant, relictâ (heu miseri!) « inviolabilis petræ inconcussâ firmitate, su« per lubrica et arenosa ruralia perfidiæ do« mum fabricare festinant. » 2° Alcuinus epist. 70 : « Ne schismaticus inveniatur, et non ca« tholicus, sequatur probatissimam S. Romanæ « ecclesiæ auctoritatem; ut unde catholicæ « fidei initia accepimus, inde exemplaria salu« tis nostræ semper habeamus; ne membra à « capite separentur suo, ne claviger regni cœ« lestis abjiciat, quos à suis devi[â]sse intelligit « doctrinis. » Et in epistolâ ad Leonem, postquàm dixit commendatas Petro oves fuisse à Christo, et cupere se inter eas numerari, hæc addit : « Verè dignum esse fateor, omnem

« illius gregis multitudinem suo pastori, licet « in diversis terrarum pascuis immorantem, « unâ charitatis fide subjectum esse. » 3° Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus in synodicâ ad Leonem III Papam fidei unitatem his verbis profitetur : « Vestra fraternitas.... « opportunis sermonibus, et ipsis quoque verbis nos confirmet informetque, quò vestris « legibus, vestrâque suffulti doctrinâ, in hâc « fide stabiles, simplices, et ab omni defectu « immunes persistamus; et universum denique « rationabilem nostrum gregem summi pastoris « nomine et unctione insignitum, intraque « ecclesiasticæ caulæ septa constitutum, ma- « nifestâ divinæ illius et Apostolicæ spiritualis « doctrinæ fistulæ ebuccinatione, vocibusque « divinitùs inspiratis IN UNUM congregemus. » Multi nimirùm ob Iconomachorum hæresim Constantinopoli à Romanâ catholicâ fide et communione recesserant. Nicephorus verò patriarcha catholicum sensum nutriens, in Romanâ doctrinâ persistendum, et ad ejusdem fidei unitatem suum gregem revocandum censuit. 4° Theodorus Studita lib. 2, epist. 63, ad Neucratium, Iconomachos separatos tradit à Christi corpore, quod est Ecclesia, qui sese à fide Romanæ sedis separaverunt. « Testor nunc « coram Deo et hominibus, seipsos avulserunt « à corpore Christi, et supremo verticali throno « (Romanâ sede), in quo Christus claves po- « suit fidei, adversùs quem non prævaluerunt « hactenùs, neque prævalebunt usque ad con- « summationem portæ inferi, ora videlicet « hæreticorum, sicut pollicitus est ille qui non « mentitur. » 5° Nicolaus I, in litteris ad Venilonem archiepiscopum Senonensem ipsi et suffraganeis ejus eamdem unitatem commendans scripsit : « Vos, fratres charissimi, qui « sancto utique Spiritu revelante Apostolicæ « sedis auctoritatem sensu capere, et ad splen- « dorem luminis ejus incedere laudabiliter in- « choâstis, cum illâ usque in finem sapere, « cum illâ semper ambulare studete, ab illâ « deviare nefas judicate, ab ejus discrepare « sensu ne ad modicum quoque momentum « consentiatis. Quos illa recipit, et vos recipite « quoque; et quos illa respuit, abigere ipsi, « sicut ipsa, mementote. Non enim illa respuit « nisi membra, quæ sibi non cohærent; nec à « se recidit, nisi quos in scandalum multis po- « sitos comprehendit. Non, inquam, recidit « vel eruit à se nisi membrum quod sanis « membris in offensionem et perniciem nosci- « tur extitisse. » 6° Hincmarus Remensis in præfatione opusculi de Divortio Lotharii et Teutbergæ : « De omnibus dubiis, ait, vel ob- « scuris, quæ ad rectæ fidei tenorem, vel « pietatis dogmata pertinent, S. Romana Ec- « clesia ut omnium ecclesiarum mater et ma- « gistra, nutrix ac doctrix est consulenda, et « ejus salubria monita sunt tenenda. » Et in libro de Prædestinatione cap. 4 : « Sequimur « autem, quæ catholica et Apostolica nos do- « cet S. Romana Ecclesia. » Et c. 24 : « Piis, « devotis atque Catholicis hoc debet suffice- « re, quod omnium Ecclesiarum mater sancta, « catholica, atque Apostolica docet Romana « Ecclesia.

Multa alia similia aliorum testimonia subjicere possem, quæ hoc vel sequentibus seculis eamdem tum communionis tum fidei potissimùm unitatem cum Romanâ sede summisque pontificibus pari ratione commendant, ac utriusque necessitatem declarant. Sed antiquiora, quæ hactenùs protuli, apud adversarios antiquitatis maximè studiosos sufficere arbitror, ut traditio quam hoc capite exponendam proposui, satis superque probata ab ipsis quoque judicetur : cùm præsertim certum sit, subsequentibus ac posterioribus seculis catholicos doctores de Romanæ sedis auctoritate ita scripsisse, ut in dogmaticis præsertim propriè dictis definitionibus eam plures amplioribus quàm olim verbis atque nominibus commendârint, explicârintque luculentiùs; nec quisquam quoad unitatis cogendæ prærogativam, quam omnes ex principiis communibus antiquorumque doctrinis habebant exploratam, quæstionem moverit (1). Ita porrò traditio non minùs quàm Scriptura sacra comprobat rationem ac vim propriam pontificii primatûs, quem ad unitatem non communionis tantùm, sed potissimùm fidei in universâ Ecclesiâ continendam et conservandam ab ipso Christo institutum, et vi aptâ ad hunc finem obtinendum, id est, vi cogente præditum, ex principiis quibus adversarii quoque calculos addiderunt, demonstrâsse videmur. Quid pluribus opus est, ut hoc systema ad certa principia ab ipsis adversariis concessa revocatum, ac exinde le-

(1) Quanquàm si quidam etiam movissent in eo quæstionem, Bossuetii sententia lib. 4 *Defensionis Declar. Cler Gallic* c. 16, part. 2, pag. 218, hic maximè locum haberet : « Theo- « logi graves, postquàm exploratam habent « Patrum sententiam, non multùm commoveri « solent novellis scholasticorum opinionibus, » quæ si novæ sunt, et antiquitati contrariæ, sunt repudiandæ.

gitimè deductum evolutumque, ac tum Scripturâ, tum traditione comprobatum, omninò certum ac demonstratum dicatur? Quòd si quædam pauca veterum facta, aut etiam testimonia systemati perinde demonstrato videantur difficultatem afferre, quicumque ejusmodi systematum naturam et vim intelligit, nihil movebitur. Veritatum enim theologicarum systemata, quæ ex multis testimoniis in unam sententiam conspirantibus demonstrationem accipiunt, ut demonstrata dicantur, haud opus est ut omnia omninò, sed sufficit, si plura, vel pleraque testimonia satis aperta et concinentia idipsum constituant. Quæ autem pauca videantur obesse, ea rectus ejusmodi systematum æstimator, vel congruè explicanda esse, et cum ipso systemate aliisque testimoniis conciliandа cognoscet (uti sanè (1) præstiti in re præsenti quoad aliqua præcipua objecta nonnullorum Patrum facta, aut textus); vel si non ita facilè explicari et conciliari posse credantur, non tanti facienda perspiciet, ut ipsum systema demonstratum, deserendum, aut in dubitationem adducendum existimet. Hæc in eorum præsertim gratiam monenda fuêre, qui levioribus aliquot objectis moventur, quibus si voluissem singillatim respondere, traditionis seriem identidem importunè abrumpere coactus fuissem, et morosiùs immorari in minimis, quæ ex difficilioribus suo loco solutis, ac præcipuè ex ipso systemate benè percepto facilem solutionem accipiunt.

Mirum verò maximè esset, si ad infirmandam vim traditionis hoc capite propositæ quempiam moverent adhuc ea antiquorum testimonia à Bossuetio diligentiùs collecta et ingesta, quibus decreta fidei sedis Apostolicæ nunc conciliorum generalium, nunc episcoporum Ecclesiæ catholicæ auctoritate firmata, roborata, irretractabilia, aut alio æquivalenti titulo donata præferuntur. Ex his quidem omnibus suffragiis pontificiæ auctoritati additis vim coactivam exsurgere nemo negârit, et vim quidem majorem quàm ex pontificiâ auctoritate tantùm; hocque sensu dictum illud obtinuit: *Orbis major est Urbe.* At num inferri etiam potest (quod episcopi Meldensis commentarium ingerit), pontificiam auctoritatem per se non cogere, quia cum conciliorum generalium, vel episcoporum totius Ecclesiæ auctoritate conjungitur, et ex hâc unitate invictum robur elicitur? Num ubi duo vel plures vi coactivâ et ineluctabili per se præditi, ad aliquid firmiter statuendum afferuntur, alter alteri præjudicium creat? Nonne cum sacræ Scripturæ auctoritate traditio jungi solet à theologis, et cum Scripturâ ac traditione jungitur etiam synodorum præsertim generalium auctoritas? Num hinc deduci potest nec solam Scripturam sacram, nec traditionem solam, nec solam synodorum generalium auctoritatem ad vim coactivam sufficere? Minimè gentium, cùm singularum vis omninò coactiva aliunde probetur, et explorata sit. Solam verò pontificiam auctoritatem per se pariter cogere ad fidei unitatem ratione primatûs, propter quem omnes undique fideles cum Romanâ fide tanquàm cum centro unitatis convenire necesse est, ex institutione Christi, ex evangelicis textibus, ac traditione ipsâ, conciliorum quoque generalium suffragiis munitâ, uno verbo ex toto systemate jam demonstrato palam factum arbitror; idque ita ut ipsius apostolicæ auctoritatis coactiva vis è ratione propriâ instituendi primatûs proficiscens, à conciliorum generalium, aut episcoporum et

(1) Ita ex. gr., me conciliâsse seu explicâsse arbitror objectionem, quæ omnium maxima ac difficillima videtur, ex facto et verbis S. Cypriani circa decretum S. Stephani Papæ de hæreticorum baptismate, nec non ex illis S. Augustini de facto et verbis ejusdem Cypriani, ut videre licet ex cap. 13, § 3 et 9. Si quæ tamen adhuc difficultas apud aliquem supersit; contemnenda et nihili habenda erit, cùm locus unus vel alter objectus, nequeat infringere, aut elidere vim systematis, quod tot aliis testimoniis cum Scripturâ concinentibus probatum fuit; cùmque præterea per omnes constet Cyprianum eâ in sententiâ errâsse, et ideò quidem errâsse, quia unitatem cum Stephani sententiâ non tenuit. Nonne in aliis fidei doctrinis complurium Patrum traditione probatis nihil officit, si qui pauci textus alicujus etiam celebris et antiqui Patris contrarium videantur ingerere? Nonne complexus testimoniorum, quæ ex Patribus sequentibus sanctum et antiquissimum episcopum Irenæum Romanæ fidei unitatem omninò necessariam propter primatum tam expressè affirmantem recitavimus, quæque cum institutione et fine instituendi primatûs, et cum evangelicis de Petro primo primate testimoniis conspirant, demonstrationem satis aptam exhibuit, quâ nullam majorem in aliis non paucis dogmatibus quispiam requireret, aut inveniret? Objecta ex præsumptis quorumdam pontificum erroribus in materiâ fidei, qui (ut in præfatione monuimus) ad caput ultimum hujus dissertationis, ubi de illorum infallibilitate agetur, pertinent, ibidem § 6 et seqq. ita disjicientur, ut nihil exinde difficultatis contra systema hactenùs constitutum superesse queat; vel, si quid videatur superesse, nequeat in dubium adducere eam primatûs vim atque rationem, quæ tot exploratis documentis planè demonstrata videtur.

Ecclesiæ consensu non pendeat : quam conditionem consensûs Ecclesiæ ab adversariis requisitam refellemus pluribus capite sequenti § 5, ad finem. Neque tamen superflua fuit horum suffragiorum additio, quæ ad fortius argumentum utilis, ad infirmiores docendos, et ad pertinacium contumaciam revincendam necessaria quandoque habita est, ut plenius statuetur infra laudato capite, cùm præsertim definitione apostolicâ per sese explicetur, quæ sit fides centri catholicæ unitatis, cum quo tota cohæret Ecclesia ; conciliorum verò generalium, seu episcoporum totius orbis suffragiis fides totius catholicæ cum unitatis centro cohærentis declaretur Ecclesiæ, quæ declaratio ad faciliorem unitatis aliàs per se apostolicis definitionibus debitæ conciliationem quantùm valeat, nemo non videt. Quot objecta à Bossuetio testimonia hoc uno ictu cadunt, seu potiùs in ejus consilium et scopum convincuntur inania (1), integramque relinquunt vim argumenti ex traditione hoc capite expositi, quod ex iisdem objectis nihil detrimenti capit! Ejusdem verò argumenti vim multò forsitan evidentior fiet, si ipsorum adversariorum, qui inter Catholicos sequiori ævo pontificiam auctoritatem certis limitibus restringere, et quasdam prærogativas ejus in controversiam studuerunt vocare, in adstruendâ vi cogendæ utriusque unitatis consensum demonstravero, ex quo palam fiet, ipsos etsi in quibusdam aliis capitibus repugnantes, in hoc tamen satis apertis debuisse testimoniis convenire, ne ab antiquorum traditione ipsis quoque exploratâ recederent.

CAPUT XIV.

Adversariorum catholicorum testimonia, quibus utriusque unitatis cum Romanâ sede necessitatem professi sunt.

Cùm non omnes pontificiæ auctoritatis adversarios etiam hæreticos et schismaticos, sed Catholicos tantùm hoc in opere confutandos susceperim, horum testimonia tantummodò producenda erunt, quibus communionis fideique unitatem cum Romanâ sede ejusque pontificibus necessariam, ut ex antiquorum traditione acceperant, satis apertè affirmârunt. Neque verò hos omnes et singulos (quod nimis esset longum) producere oportet : sufficit enim præstantiores atque præcipuos allegare, qui cùm in hâc thesi non particularem et controversam, sed omninò certam omnibusque Catholicis communem, atque ex antiquorum traditione, necnon ex evangelicis de Petri primatu testimoniis elicitam protulerint sententiam; cæterorum pariter omnium, qui catholici fuerunt, mentem aperuisse judicabuntur, adeò ut soli hæretici atque schismatici sentire aliter queant. Hic quidem adversariorum consensus quoad utriusque unitatis necessitatem si idoneis eorumdem testimoniis statuetur, invictum contra ipsos argumentum suppeditabit ad ea revincenda, quibus alibi pontificiam auctoritatem præsertim in fidei definitionibus limitant, atque ex parte etiam oppugnant : quod potissimùm ego respiciens in præfatione monui, illos principia de primatu Romanorum pontificum omninò certa vidisse, consecutiones non vidisse. At de hoc in sequenti capite agendum erit. Nunc ipsa consentientia illorum testimonia promamus, nec dissimulabimus sub finem hujus capitis celebrem quamdam distinctionem inter Apostolicam sedem et sedentem, aliaque duo ipsorum effugia notare atque refellere, quibus consensum, quem non potuerunt identidem non declarare, aliorsùm distrahere ac distorquere frustra nisi sunt.

§ 1. *Communis adversariorum formula, quâ centrum unitatis in Romanâ sede positum agnoscunt, explicata præsertim ex comitiis Gallicanis anni* 1682.

Unitatis cogendæ vim ac centrum in Romanâ sede positum omnes Gallos etiam adversarios confiteri res vulgatissima est, totque ipsorum asserta testimoniis, ut omnia colligere satietatem pareret. Hanc autem receptissimam appellationem *unitatis centrum*, quæ ad primatum Romanæ sedis ab iisdem Gallicanis adversariis refertur, celeberrimus Gallicani Cleri conventus anni 1682, in eâ Declaratione de ecclesiasticâ potestate, quâ die 19 martii famosi articuli constituti fuerunt, satis comprobaturus atque explicaturus, declaravit Romanam sedem illam esse, *in quâ unitas servatur Ecclesiæ :* quæ sententia ex SS. Patribus, præsertim Cypriano, Paciano, ac Optato similia scribentibus, sumpta

(1) Inania quidem non essent, si quæ ille attulisset antiquorum testimonia, quibus palam traderetur, apostolicas definitiones non cogere, antequàm conciliorum, aut episcoporum totius Ecclesiæ approbatio et confirmatio accederet. At cùm ne unum quidem ejusmodi testimonium afferre nec invenire potuerit, quis non videat, in propositum ipsius ea tantùm, quæ pontificiis definitionibus, conciliis, episcopis simul conspirantibus, invictum robur tribuunt, nihil suffragari?

fuit: unde in epistolâ encyclicâ ejusdem conventûs ad omnes archiepiscopos et episcopos regni, hæc in rem præsentem ex S. Cypriano præfatur: « Fidenter cum B. Cypriano pronuntiamus, charissimi collegæ, Christum, ut « unitatem manifestaret, unam cathedram constituisse, et unitatis originem ab uno incipientem suâ auctoritate disposuisse, eumque, « qui cathedram Petri, super quam fundata « est Ecclesia, deserit, in Ecclesiâ non esse; « qui verò unitatem non tenet, nec fidem habere: » quæ profectò verba ita centrum unitatis Ecclesiæ cum vi ad unitatem cogente positum præferunt in Romanâ cathedrâ, ut hanc cathedram ejusque unitatem quicumque deserat, in catholicâ Ecclesiâ, quæ eidem centro adhæret, esse non possit. Hæc *centri unitatis* notio et explicatio ex adversariorum frequentissimo conventu deducta, et eâ quidem occasione edita, de cæterorum adversariorum mente non sinit ambigere. Ipse Dupinus, etsi inter adversarios pontificiis prærogativis minùs æquus fuerit, ut alibi vidimus, hoc tamen in dubium revocare minimè potuit. Quin in præfatione ad Optatum § 2, inter cætera fidei dogmata ab eodem Patre asserta istud adstruit: « Romanam Ecclesiam cæterarum matrem et « UNITATIS CENTRUM propter Petrum, qui caput « Apostolorum fuit, Optatus agnoscit; » centrum scilicet ejusmodi, in quo *unitas* (ut idem ait Optatus) *ab omnibus servetur.* Hinc veluti in formulam solemnem transiit apud Gallos præsertim etiam adversarios *centrum catholicæ unitatis* appellare Romanam sedem, Romanumque pontificem S. Petri successorem, et ita appellare, cùm primatum ejus profiteri volunt adversùs hæreticos atque schismaticos; quemadmodùm sanè adversùs eosdem primatum pontificium peculiaris juris asserturus idem conventus Gallicanus, vim præcipuam ob unitatem Ecclesiæ continendam et conservandam eidem centro non obscurè asseruit: unde et rex ipse Galliarum Declarationem ejusdem Gallicani conventûs confirmans die 23 martii anni laudati, adversùs novatores pontificium primatum oppugnantes constitutam ab eodem conventu agnoscit « potestatem « legitimam visibilis Ecclesiæ capitis, et centri « unitatis ecclesiasticæ. » Legitima potestas centri unitatis ecclesiasticæ sine vi cogente ad unitatem cum eodem centro intelligi nequit.

Solùm dubitari potest, num qui hæc fatentur tanquàm dogma fidei certum, de centro unitatis fidei intelligant, an verò de centro unitatis communionis tantùm. De centro quidem communionis nihil cum ipsis controversiæ est, cùm Nicolius superiùs laudatus cap. 11 ex omnium etiam Gallorum doctrinâ ac fide certum tradiderit: « Nobis præterea adhærendum « est per communionem expressam atque præ« cipuam cum capite Ecclesiæ summo ponti« fice. » Quibus concinens Claudius Fleury inter veræ Ecclesiæ notas recenset « Romanam, « ut demonstretur, inquit, signum veræ Eccle« siæ esse communionem cum sanctâ sede Ro« manâ. » Hinc etiam memoratus Dupinus, licet plura Romanæ sedi decerpere non dubitaverit, communionis tamen unitatem cum ipsâ, quam unitatis centrum asseruerat, tenendam extra omnis dubitationis aleam posuit notatione 26 et 37, in Optati librum secundum. Imò dissertatione 5, de antiquâ Ecclesiæ disciplinâ cap. 2, recitato S. Hieronymi textu, qui unitatem cum Romano pontifice necessariam apertissimè efflagitat, in eo laborat, ut ab unitate fidei, quæ ibidem propriùs intelligitur, illud testimonium abstrahat, et ad solam communionis unitatem deflectat, inquiens: « Ni« hil id facit ad fidem, et judicium Romani « episcopi, sed tantùm ad communionem. » Quam profectò Romanæ sedis communionem adeò necessariam Clerus Gallicanus in laudatâ Declaratione expressit, ut eamdem illam habeat cum communione Christi; unde hæreticos, qui simplices animas ab Ecclesiæ matris « (id est, Romanæ) communione dissociant, à « Christi communione dissociare » affirmavit. Infinitum propemodùm esset, si quæ pro hâc unitate ab adversariis catholicis apertâ concordique sententiâ afferuntur, agglomerare vellem. Sed præter quàm quòd nonnulla alia in sequentibus ipsorum testimoniis occurrent, in thesi haudquaquàm controversâ plura congerere opus non est.

Quidquid porrò Dupinus ex Hieronymiani loci occasione contra necessitatem unitatis fidei contenderit, id aliis plerisque et præstantioribus adversariis, quos deinceps proferemus, persuaderi neutiquàm potuit. In memoratâ Gallicani Cleri Declaratione nonnulla hujus necessariæ unitatis indicia inspersa fuêre. Primò enim Romanæ sedis primatum ab hæreticorum dicteriis vindicans, eam appellat « sedem Apostolicam, in quâ fides prædicatur, « et unitas servatur Ecclesiæ: » quæ postrema verba unitatis centrum in eâ constitutum indicantia, cùm *fidei prædicationi* subjiciantur,

unitatem fidei, quæ fidei prædicatione servatur, quæque est præcipua Ecclesiæ unitas, spectare videntur, ita ut unitas fidei in eâdem sede, et cum eâdem sede servanda potissimùm sit. Numquid enim unitas communionis tantùm et non unitas fidei tenenda est cum eâ sede, quæ *fidem prædicat Ecclesiæ* (sic nimirùm hunc locum interpretatur Dupinus, Traité de la Puissance ecclés., *où l'on enseigne la vraie foi de l'Eglise, et qui conserve son unité*), eam videlicet fidem, quæ non minùs Apostolicæ sedis, quàm totius Ecclesiæ fides est; quatenùs non alia est fides Ecclesiæ, quàm quæ in Romanâ sede prædicatur et traditur, ut cap. 13, supra, fusiùs ostendi? Ei sanè, qui *fidem prædicat,* fidei unitas subtrahi non potest, quin ipsi fidei, quæ prædicatur, et fides Ecclesiæ esse conceditur, unitas subducatur, quod profectò non licet. Gallicanum certè Clerum, dùm ea verba scripsit, aliquid tale sensisse (ne dubitemus) satis indicat Bossuetius in Oratione iisdem in comitiis habitâ, et encyclicis ipsius Cleri litteris approbatâ, ubi unitatem quidem commendans, Ecclesiæ catholicæ fidem eamdem esse affirmat ac fidem Romanæ Ecclesiæ, quæ scilicet in Romanâ sede à S. Petro, ut ait, successoribus ejus loquente prædicatur. Verba ejus dabimus § 4.

Addam aliam observationem non contemnendam in ea ejusdem conventûs Gallicani verba, quibus *potestatem, quâ pax Ecclesiæ continetur,* Apostolicæ sedi tribuendam fatetur adversùs hæreticos, qui eam potestatem destruere molientes, « simplices animas ab Ecclesiæ matris « Christique adeò communione dissociant. » Quæ etsi primo aspectu insinuent, potestatem primatûs propriam, *quâ pax,* seu unitas, *Ecclesiæ continetur,* infirmari vel negari non posse, quin ipsa Ecclesiæ pax seu unitas, *communionis* deinceps nomine appellata, quæ per eam non continetur ampliùs, discindatur; cùm tamen hæc inculcentur adversùs hæreticos, qui unitatem fidei propriè impetunt, de eâ *communione, unitate ac pace,* quæ fidem respicit, accipienda pariter sunt. Neque enim aliâ de causâ communionis unitatem cum summo pontifice dissociârunt hæretici, nisi quia unitatem fidei, ad quam eâ potestate adigebantur, renuebant: quæ si ab ipsis exacta non fuisset, communionem cum eo tenere non recusâssent: unde initio scissuræ communicare se cum eo velle dicebant, dùm in fidei dissidiis aliter sentire liceret: neque istud propositum abjecère, nisi cùm viderunt alterum sine altero se obtinere non posse. Sed apertiora adversariorum testimonia proferantur.

§ 2. *Testimonia Gersonis, Cardinalis Cusani, Joannis de Parisiis, Alphonsi Tostati, et Petri de Marca.*

Cùm præcipuæ potestatis primatum Petro ac successoribus ejus à Christo delatum fuisse ob unitatem conservandam adversarii fatentur, tùm verò *ob conservationem unitatis fidei* potissimùm delatum Joannes Gerson adversariorum coryphæus disertè prodidit in opere de Potestate ecclesiasticâ, consid. 9, ubi memoratâ « Christi ordinatione primariâ, quâ voluit Ec« clesiam suam regi principaliter sub uno, et « ab uno monarchâ, sicut est una fides, unum « baptisma, et una Ecclesia unitate capitis « tam primarii, quàm vicarii, » hanc rationem addidit: « Quoniam iste est optimus prin« cipatus præsertim in spiritualibus AD CONSER« VATIONEM UNITATIS FIDEI, ad quam obligantur « omnes. » Potestatem ergo hujus principatûs, seu primatûs, unitati fidei conservandæ institutam et collatam agnovit, quâ omnes ad eam unitatem obligantur. Quibus concinens in tractatu de Statibus Ecclesiæ, tit. de Statu Prælatorum, consid. 13, ait: « Status episcopalis « habet rationabiliter monarcham supremum, « scilicet Papam, ratione unitatis fidei. »

Neque omittendum est testimonium Cardinalis Cusani inter adversarios celebris, qui cùm Basileensis synodi, cui maximè faverat, infelicem exitum deprehendisset, in epistolâ secundâ de usu calicis ad Bohemos, quam deinceps scripsit, non solùm unitatem in genere cum Romanâ sede necessariam statuit ex S. Cypriano, cujus ex sententiâ: « Erit, inquit, ne« cessariò catholica Ecclesia illa, quæ primæ « sedi adhæret; » verùm etiam unitatem in fide cum eâdem sede adeò necessariam censuit, ut, cùm observârit alias sedes, quæ ab eâ sese diviserunt, in errores fidei fuisse prolapsas, nec rediisse ad veram fidem nisi eas quæ ad unitatem fidei ejus reversæ sunt, tutum ab erroribus refugium *in unione* (utique fidei) *cum principe in Ecclesiâ* positum pronuntiaverit.

Joannes de Parisiis in tractatu de Potestate regiâ et papali c. 3, postquàm affirmavit, unum in totâ Ecclesiâ post Christum debere semper præsidere ob unitatem, rationem refert in fidem quæ quæstionibus et controversiis obnoxia hoc capite eget, ut ipsius fidei unitas vi hujusce capitis præcipua contineatur. « Nam post corporalem, inquit, subtractio-

« nem præsentiæ corporalis Christi, contigit « interdùm circa ea quæ sunt fidei, quæstio- « nem moveri, in quibus propter diversitatem « opinionum, vel sententiarum discinderetur « Ecclesia, quæ ad suî unitatem requirit fidei « unitatem, nisi per unius sententiam Eccle- « siæ, et fidei unitas servaretur. Hic autem « unus principatum hujusmodi habens est Pe- « trus successor Christi,... qui Ecclesiæ suæ « noluit deficere in necessariis ad salutem. » *Principatui* ergo *hujusmodi*, quo *unitas* Ecclesiæ ac fidei *servaretur*, vim profectò coactivam, sine quâ unitas servari non posset, ex ipsâ Christi institutione vendicat, ne idem Christus *Ecclesiæ suæ defuisse* dicendus sit *in necessariis ad salutem:* quod rationem pro vi coactivâ adstruendâ à nobis propositam cap. 9, mirificè confirmat.

Subjiciam Alphonsum Tostatum, qui etsi in Defensorio adversariorum partibus patrocinatus, nihilo tamen minùs in caput 16 Matthæi propositâ quæstione, cur Christo interroganti omnes Apostolos circa fidem, unus Petrus responderit, cùm antea eidem Christo interroganti, quid homines de se dicerent, omnes respondissent, hanc solutionem quinto loco ponit, quæ unitatem fidei cum Romanâ sede tenendam expressè ingerit. «Quintò, quia « cùm Petrus futurus esset pastor, et populus « debet tenere talem fidem, qualem pastor « confitetur, et Petrus futurus erat universalis « pastor, voluit Christus, quod confessio fidei « esset per Petrum solum, ut insinuaretur, « quòd talis fides tenenda est, quam prædicat « Romana sedes, quæ est caput et mater ec- « clesiarum, cui Petrus præfuit. »

Petrum de Marca apud adversarios celebrem, etsi non æquè in omnibus cum iisdem sentientem, præterire non possum, quippe qui in utriusque unitatis bonum eximia testimonia suppeditat, quæ cum ipsorum adversariorum sententiis conveniunt, nostroque systemati maximè congruunt. In Concordiæ opere ab adversariis commendato lib. 2, cap. 2, postquàm num. 2, asseruit necessitatem communionis cum Romanâ sede, adeò ut « nulli licuerit, « nec ipsis etiam Apostolis episcopatum tenere « alienum à communione et consortio unitatis, « quæ viget in cathedrâ Petri, » et num. 5, affirmavit, « eum, qui alienus sit ab Ecclesiæ « Romanæ communione, à corpore totius Ec- « clesiæ avulsum in peregrinitatem quamdam « redigi, » mox num. 6, cum communionis unitate fidei quoque unitatem jungendam præscribens ait: « Commune hoc officium com- « munionis cum Ecclesiâ Romanâ, cui impen- « dendo cum cæteris provinciis Gallia adstrin- « gitur, cognoverat ante omnes vetustissimus « ille Lugdunensium antistes Irenæus, qui « unus scripsit QUOD OMNES SENTIEBANT. *Ad « Romanam Ecclesiam,* inquit, *propter potentio- « rem principalitatem necesse est omnem conve- « nire Ecclesiam;* quasi diceret, juxta since- « riorem illorum verborum interpretationem, « eam esse vim unitatis, quæ principatum et « originem à Petri sede trahit, ut cum eâ sen- « tiendi (utique in fide, de quâ expressè ibi- « dem Irenæus loquitur) necessitatem cæteris « imponat. » Propagatam in sequentes ætates apud Gallos hujus veritatis apertam professionem ex Avito confirmat. Alia plura ejusdem Petri de Marca testimonia suppetunt ex dissertatione de Discrimine clericorum et laicorum, quibus primatum S. Petro præ cæteris Apostolis concessum ad conservandam Ecclesiæ unitatem, eumque vi coactivâ præditum declarat. Sententiarum ejus summam indicabo. Clavium potestatem S. Petro supra alios Apostolos à Christo traditam affirmat *pro tuendâ unitate in universalis Ecclesiæ regimine,* et ita quidem traditam, ut non solùm ad hanc unitatem servandam possit omnes cogere, verùm etiam nullam in aliis fore pronuntiet clavium potestatem, nisi in unitate cum Petro. Cùm æquales fuisse ait omnes Apostolos potestate ipsis traditâ in universum mundum, monet constanter excipiendam esse potestatem, seu jus cogendi totam Ecclesiam ad unitatem cum Petro, jus ita proprium istius ratione primatûs, ut vel ipsi Apostoli in construendis prædicatione fidei totius orbis ecclesiis, has omnes subjicere deberent unitati, et petræ primariæ adjungere, id est, ei fidei quam S. Petrus in Romanâ principali sede posuit; ne alioquin schismaticæ essent, ut docuit Optatus. Alia atque alia similia præteriens, selecta hæc ejus verba adducam. Sic nimirùm ait in laudato opere de Discrimine clericorum cap. 3, n. 2: « Christus Dominus no- « ster Apostolis omnibus et singulis in solidum « Ecclesiam suam fundandam, docendam et « regendam commisit, eâ tamen lege adjectâ, « ut Petrus inter eos primatum gereret, et « caput esset collegii illius Apostolici, eo fine « scilicet, ut præter communem cum aliis « curam, unitatis conservandæ in exercendo « regimine sollicitudo præcipua et specialiter « illi competeret. » Vim autem coactivam de-

clarat post pauca, ubi claves Ecclesiæ cum potestate ligandi atque solvendi ideò primùm promissas soli Petro affirmat (licet aliis postea eadem potestas tradita fuerit), « ut scirent omnes pontificii, potestatem semper « cum Petri Ecclesiæ capitis communione et « unitate retinendam, ad quod ipse præcipuè « cum potestate ligandi contumaces huic unitati cogere posset. » Et num. 3, considerans mandatum ter repetitum pascendi Ecclesiam: « Quibus verbis, ait, promissa Petro capitis « potestas pro tuendâ unitate in universalis « Ecclesiæ regimine, illi præ cæteris indulta « est. Aliquid enim specialiter datum necesse « est intelligi per sententiam Domini ter repetitam, post acceptam communiter eamdem « cum aliis potestatem. Cæteri quippe Apostoli « sic unâ potestate instructi sunt in solidum, « ut ejus inter se divisionem faciendam..... « non ignorarent... Petrus quoque partem sibi « excolendam assumpsit, quemadmodùm et « Paulus, et reliqui Apostoli præstitère. Sed « Petrus præter specialem sibique assignatam « partem, universum gregem à Christo pascendum, et IN UNITATE regendum accepit. » Et num. 4: « Quare dicendum est ex Christi « instituto regiminis ecclesiastici formam hanc, « ut diversis pastoribus committatur, quorum « unus sit caput collegii ad tuendam unitatem. » Et num 11: « Ex superiùs dictis patet, collatam collegio Apostolorum « auctoritatem eâ lege ut Petrus præesset « Ecclesiæ unitati, eamque custodiret. » Quam prærogativam ad successores ejus Romanos pontifices traductam cum potestate præcipuâ in custodiam unitatis, verbis sequentibus pronuntiat scribens de Romano episcopo: « Quare poterit ille ex officio « et vi potestatis sibi collatæ unitatem tueri, erudiendo ignaros et contumaces ligando, sive censuris percellendo, cujuscumque sint conditionis, sive episcopi et « clerici, sive laici, » etc. Et num, 13: « In « executione paris illius potestatis tenebantur « Apostoli fundare ecclesias in unitate, cujus « caput cùm esset Petrus, illius communioni « eas subjicere tenebantur. » Et num. 21, ex Optati doctrinâ hæc tria colligit, « quæ non « à Catholicis solùm, sed neque à Parmeniano « Donatistâ negari posse contendebat: à Christo unam solùm cathedram constitutam in « Ecclesiâ, eamque Petro collatam in urbe « Româ, qui hâc ratione factus est caput Apo« stolorum: porrò unitatem ab omnibus Apo« stolis servandam in illâ unâ cathedrâ, ne si « ab ejus unitate recedentes in ecclesiis ædificandis aliam cathedram constituerent, schismatici et peccatores haberentur. Nullum « erat periculum, ne scissâ unitate Ecclesiæ « proprias sibi ecclesias defenderent sejunctas « à communione Petri. Sed regiminis semel constituti forma exposcebat, ut sciremus, Apostolos quoque ipsos huic regulæ à Christo « præscriptæ subditos fuisse. Pares quidem in « cæteris erant Petro, sed in retinendâ unitate « eum respicere debebant ut totius collegii « caput, et rectorem unitatis. » Et similiter num. 23, ex Optati, et Hieronymi doctrinâ affirmat, « ad Apostolos quoque pertinuisse, ut « unitatem cum Petro, qui origo illius et caput « institutus erat à Christo, sibi necessariò retinendam esse scirent. » Ac tandem num. 24, Petro præ cæteris Apostolis tributum ait, « quòd esset caput unitatis, adeòque tenerentur Apostoli particulares ecclesias subjicere « huic unitati, ut docuit Optatus, cujus specialis custodia in universâ Ecclesiâ erat penès Petrum. Uno verbo res ista comprehendi potest: Pares Apostoli inter se « et in apostolatu: sed ratione habitâ ad « unitatem ecclesiarum servandam, Petrus « EXIMIO JURE ET PRÆCIPUO erat caput unitatis, adeòque sub illo respectu erat caput « Apostolorum, *caput scilicet* cum eximio jure « et præcipuo ad unitatem ecclesiarum servandam, » quod vim utique coactivam ad unitatem in Ecclesiâ tuendam requirit. A testimonio Petri de Marca non disjungam testimonium ejus laudatoris Stephani Baluzii in notis ad Salvianum et Vincentium Lirinensem editionis Venetæ 1728, pag. 457: « Itaque ad vitandum « schisma necesse est, ut unitatem Ecclesiæ « sequamur, id est, Romanam Ecclesiam, ubi « est origo et radix unitatis. »

§ 3. *Testimonia ex comitiis Cleri Gallicani annorum* 1579, 1650, 1653 *et* 1665.

Clerus Gallicanus, qui Fevreto teste magnam omni ævo dignitatem consecutus « ob « indissolubilem cum sanctâ Romanâ sede unitatem, à quâ nunquàm desciverat (Eccle« sia enim Romana erat veluti spiritus, seu « mens principalis, quæ cunctos ejus sensus « ac facultates regebat; centrum cum quo « coibant omnes lineæ ejus circumferentiæ... « denique primum mobile, cujus omnes motus « sequebantur); » hic, inquam, Clerus Gallicanus S. Irenæi vetustissimi sui doctoris et epi-

scopi sententiam amplexus, unitatem potissimùm fidei cum eâdem sede custodire antiquius habuit. Afferam verba comitiorum Medolunensium anni 1579: « Operam dabunt ii quibus cura « demandata est, episcopi scilicet et eorum « vicarii, ut in omnibus tam diœcesanis quàm « provincialibus, omnes et singuli tum clerici, « tum laici amplectantur, et apertâ professione « eam fidem pronuntient, quam sancta Roma« na Ecclesia, magistra, columna et firmamen« tum veritatis profitetur et colit. » Ratio verò subjicitur ex ejus primatu S. Irenæi verbis expressa : « Ad hanc propter suam potentio« rem principalitatem necesse est omnem con« venire Ecclesiam. » Cum quibus concinentes Gallicani episcopi concilii provincialis Aquensis anni 1585, tit. de Professione fidei, eam vocârunt « catholicam fidem, quam sancta « Romana Ecclesia colit et docet; et addide« runt, universos, qui aliter quàm catholica « Apostolica et Romana credit et prædicat Ec« clesia, credere et pertinaciter asseverare ausi « fuerint, veluti hæreticos et pertinaces, atque à « communione fidelium separatos declaramus. »

Seculo pariter decimo septimo idem Clerus Gallicanus in comitiis anni 1650, etsi litteris ad Innocentium X, diei 8 kalendas novembris Gallicanas libertates tueretur, unitatem tamen fidei Romanæ sedi debitam confessus est tum initio, tum etiam in fine. Initio his verbis: « A cunctis retrò seculis regni hujusmodi Gal« liarum Christianissimi episcopos primariæ « sedi Apostolicæ tum amicitiâ ut fratres, tum « obedientiâ ut filios, tum verò ut semper or« thodoxos fidei communione conjunctos fuis« se, et vestra non ignorat Beatitudo, et nos « fatemur universi. » In quibus Gallicani episcopi à cunctis seculis Romanæ sedi *conjuncti* dicuntur *communione fidei,* et conjuncti quidem *ut orthodoxi*, quod communionem ejusmodi omnibus orthodoxis ipsique orthodoxiæ necessariam significat. In fine autem sic : « Is « omnium nostrûm sensus est, is animus sin« gulorum, Romanæ scilicet matrici Ecclesiæ « et originali per doctrinæ consanguinitatem « jungi (hæc unitatem fidei indicant), per « disciplinæ tesseram et fœdus sociari, vobis« cum seminare, vestris quoque cum messibus « nostros in episcopi magni animorum horreis « manipulos colligere. »

Neque minùs illustre est ejusdem Cleri documentum anni 1653. Editâ ab eodem Innocentio X, die 9 junii celebri Constitutione in errores Jansenii, quos Gallicani episcopi ad Apostolicam sedem detulerant, vix in Galliis ab apostolico nuntio exhibita fuit die 3 julii, Cleri comitia statim coacta, quæ die 15 ejusdem mensis gratulatorias litteras ad laudatum pontificem dederunt, his verbis unitatem fidei suæ declarantes : « Quo in negotio illud ob« servatione dignum accidit, ut quemadmo« dùm ad episcoporum Africæ relationem In« nocentius I Pelagianam hæresim damnavit « olim, sic ad Gallicanorum episcoporum con« sultationem hæresim ex adverso Pelagianæ « oppositam Innocentius X auctoritate suâ « proscripserit. Enimverò vetustæ illius æta« tis Ecclesia catholica, solâ Petri communio« ne et auctoritate fulta, quæ in decretali « Epistolâ Innocentii ad Africanos datâ eluce« bat, quamque dein Zozimi altera ad univer« sos orbis episcopos epistola subsecuta est, « Pelagianæ hæresis damnationi absque cun« ctatione subscripsit. Perspectum enim habe« bat non solùm ex Christi Domini pollicitatio« ne Petro factâ, sed etiam ex actis priorum « pontificum, et ex anathematismis adversùs « Apollinarium et Macedonium nondùm ab ullâ « synodo œcumenicâ damnatos à Damaso paulò « ante jactis, judicia pro sarciendâ regulâ fidei « (id est, pro vindicandâ fidei unitate) à « summis pontificibus lata super episcoporum « consultatione, sive suam in actis relationis « sententiam ponant, sive omittant, prout illis « collibuerit (ut hâc quidem in causâ omise« runt) divinâ æquè ac summâ per universam « Ecclesiam auctoritate niti, cui Christiani « omnes ex officio, ipsius quoque mentis obse« quium (id est, unitatem fidei) præstare te« nentur. » Et addunt se in eodem sensu ac fide contineri. Hoc testimonium, quod tam exploratè declarat necessitatem unitatis fidei omninò præstandæ dogmaticis Romanæ sedis decretis vix editis, hoc est, antequàm ipsa nedùm à generali concilio, sed nec Ecclesiæ saltem dispersæ consensu vel tacito approbata noscerentur; hoc, inquam, testimonium in meâ causâ luculentissimum, ac ex priscorum seculorum sensibus expressum, et ab iisdem Gallis commendatum, atque ipso facto impletum displicuit nonnullis, qui illud suis principiis adversum sensêre; ac propterea eam epistolam veluti subreptam et incautè scriptam, nec à Gallicanâ Ecclesiâ probatam traduxêre. At ne hæc dicteria inanissima cuipiam fucum faciant, satis erit monere eamdem epistolam jussu comitiorum anni 1655, rursùs descriptam et actis insertam, necnon iterùm in

actis Gallicani conventûs anni 1675, ac in postremis Cleri Memoriis recusam legi. Itaque non tam unius, quàm omnium istorum Cleri comitiorum cognitione probatâ, insigne pro necessariâ fidei unitate Gallicanæ Ecclesiæ testimonium exhibet.

Audiantur etiam comitia anni 1660, quæ, dùm in litteris ad Alexandrum VII, Apostolicam sedem *Montis* nomine appellant, in eo omnes Catholicos debere pasci, doctrinâ utique fidei, de quâ tum agebatur, satis insinuant. « In hoc Monte, inquiunt, nos ipsi pascimur, « ut ait D. Augustinus ad populum suum, pas« cimus vos, pascimur vobiscum; et quia in « eo Dominus docet, statuimus ibi secundùm « verba Tertulliani finem quærendi, stationem « credendi, » etc. Tum ad pontificem: « Tu « ille es, in quo et per quem episcopatus est « unus. Tu jure vocaris suprema sacerdotii « pars, unitatis ecclesiasticæ origo... Fac igi« tur ut idem omnes dicamus, et ne qua inter « nos divisio fiat. Fiat pax in virtute tuâ. » Vim ergo unitatis continendæ eidem attribuunt.

Eximium quoque est testimonium ejusdem Gallicani Cleri in conventu anni 1663, quod in encyclicis diei 2 octobris ad omnes regni archiepiscopos et episcopos legitur: « Obse« quium, quod sancto Patri exhibere consue« vimus, episcoporum Galliæ veluti hæreditas « est. Hoc est punctum solidum gloriæ nostræ, « quod et nostram fidem invincibilem reddit, « et nostram auctoritatem infallibilem, cùm « utramque inseparabiliter junctam tenemus « cum centro Religionis, nos colligantes cum « Petri sede per fidem et disciplinam in uni« tate spiritûs Ecclesiæ. Portæ inferi præva« lere non possent adversùs vim quæ om« nibus tenebrarum potestatibus terribilis « est. »

In infinitum ferè protrahendus esset hic paragraphus, si aliorum subsequentium comitiorum Galliæ, aliorumque Gallorum episcoporum testimonia vellem proferre, quibus in celebrioribus controversiis fidei deinde excitatis Romanorum pontificum decretis omninò adhærendum quàm pluribus editis instructionibus edictisque propugnârunt. Hæc quidem cùm ad primatûs pontificii prærogativam, quam universi Galliarum episcopi certam de fide agnoscunt, referuntur; tum verò primatui ipsi vim coactivam unitatis fidei adeò concordi sententiâ attribuunt, ut hâc super re de Gallicanæ Ecclesiæ mente tot documentis declaratâ dubitare non liceat. Hæc animadversio necessaria visa est ob ea quæ adversarii cum Bossuetio identidem ingerunt, nimirùm testimonia ejusmodi sive veterum, sive recentiorum episcoporum Galliæ, quæ aliis in libris pro Romanæ sedis auctoritate editis collecta leguntur, ad primatum quidem, quem Galli ultrò profitentur, non verò ad pontificiam infallibilitatem de quâ eorum librorum auctores disputant, revocari. Num et quâ ratione ea testimonia infallibilitatem Romanorum pontificum adstruant, alibi expendendum erit. Nunc sufficit, si ex ipsis Gallis episcopis evidens sit, ea ad primatum ita pertinere, ut ratio primatûs vim unitatis coactivam, de quâ in præsentiarum agimus, iisdem explicantibus involvat.

§ 4. *Testimonia Jacobi Benigni Bossuetii episcopi Meldensis.*

Distinctum paragraphum reservavi Jacobo Benigno Bossuetio Episcopo Meldensi, qui maximæ apud Gallos præsertim adversarios auctoritatis habetur. Hujus ergo unius testimonia, quæ in rem nostram non obscura subjiciam, satis erunt pro testimoniis cæterorum omnium, quæ afferri ex adversariis possunt, cùm ipse contrariæ nobis sententiæ vindex et patrocinator præcipuus suscipiatur ab omnibus uti caput et princeps, qui omnium sententiam enucleatiùs expresserit et propugnaverit. Incipiam ab eximiâ ipsisque Gallis probatissimâ *Expositione doctrinæ catholicæ*, ubi sepositis quæstionibus inter Catholicos controversis, sola certa Ecclesiæ dogmata proposuit. Circa pontificium autem primatum hoc apud Catholicos certum statuit c. 21, nimirùm, « Dei « Filium cùm suam Ecclesiam unam esse, et « supra unitatem firmiter ædificatam vellet, « tuendæ ac firmandæ unitati S. Petri prima« tum instituisse, sedemque Apostolicam hujus « unitatis centrum ac radicem esse » (Ita hunc locum Gallicè scriptum ipsemet Bossuetius interpretatur Latinè tomo 1 Defensionis Declar. Cleri Gallic. lib. 3, c. 12, primæ editionis pag. 85, in Appendice autem novissimæ editionis legitur, pag. 106, tom. 2, necnon in dissertatione præviâ § 93, tom. 1, pag. 81); « ac propterea Petri successoribus « deberi obedientiam eam, quam concilia et « Patres semper agnoverint. » Et post pauca reprehendit hæreticos tanquàm unitatis catholicæ eversores, eò quòd evertere student « auc« toritatem episcopatûs, qui in ecclesiis parti« cularibus unitatem custodit, et primatum

« sedis S. Petri, quæ est commune totius uni« tatis catholicæ centrum. » Id igitur in primatu Romanæ sedis præcipuum agnoscit, quòd in unitatem totius Ecclesiæ tuendam atque firmandam institutus, ejusdem continendæ in totà Ecclesià sit centrum. Vim ergo in hujusmodi unitatem tuendam primatui competere dogma catholicum esse, quod à solis heterodoxis in dubium vocari possit, exploratè fatetur (1). Si porrò *totius unitatis catholicæ centrum* ex catholico dogmate in primatu est collocandum, non solius communionis, sed fidei etiam, quæ potior est Ecclesiæ unitas, centrum agnosci debet, vi ac potestate idoneâ ad utramque unitatem tuendam et continendam præditum, cui proinde cohærere omnes Catholici debent in ejusdem communionis ac fidei unitate. Quòd si ob hanc unitatem Petro ac successoribus ejus debetur *obedientia, quam concilia et Patres semper agnoverint*, obedientia ejusmodi non solùm in rebus quæ communionis, sed in iis etiam, quæ fidei unitatem sartam tectam servandam prospiciunt, Petro ac successoribus debita, ex primatûs vi præcipuâ dimanat, sine quâ totius unitatis catholicæ centrum frustra constitutus fuisset à Christo, cùm sine hujusmodi vi totam catholicam unitatem tueri et custodire non posset.

Id autem adeò ex catholicâ fide certum habuit, ut in ipso sermone, quem recitavit in comitiis Cleri Gallicani, ubi de coercendâ celebribus articulis pontificiâ auctoritate actum fuit, hoc ferè unum non tam ex Gallicanæ Ecclesiæ doctrinâ, quàm ex omnium Patrum traditione collegerit, fusèque exposuerit, primatum S. Petro ac Romanis pontificibus in unitatem Ecclesiæ fuisse traditum, ac si hæc una, vel præcipua primatûs vis atque prærogativa sit; unde et ad hanc vim unitatis statuendam retulit, quæcumque de Romanâ sede à Patribus illustriora primatûs testimonia celebrantur. Longum nimis esset recitare singula. Ea tantùm indicabo, quæ fidei unitatem ac centrum in Romanâ cathedrâ ratione primatûs positum adstruunt. Postquàm *unitatis* mysterium Ecclesiæ regimini necessarium, ac in eâdem semper custodiendum exposuit, inter duodecim Apostolos unum bono unitatis à Christo præpositum ait, quem appellavit Petrum, propterea quòd *super hanc petram suum ædificium erigere meditabatur.* Initio quidem in ejusmodi ædificationem Christus omnes Apostolos simul allocutus legitur : *Ite, prædicate, misi vos.* At cùm eidem constructioni supremam manum voluit imponere, in unitatis mysterium non omnibus simul, sed uni Petro verba fecit. Tum ad unitatem fidei propiùs accedens Bossuetius, affirmat Christum, « ut « Petrum huic officio et honori præpararet, « cùm sciret fidem erga se esse fundamentum « Ecclesiæ, inspirâsse Petro fidem dignam, « quæ huic mirabili ædificio fundamentum « poneret, *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Ob « hanc gloriosam professionem fidei dignus « fuit eâ inviolabili promissione, quâ Ecclesiæ « fundamentum constitutus fuit. Jesu Christi « verba, quæ ex nihilo efficiunt quidquid libet, « hanc vim mortali homini impertivit. Neque « dicitur, aut cogitatur hoc S. Petri ministe« rium cum ipso desiisse. Quod perpetuæ ædi« ficationis esse debet fundamentum, finem « habere non potest. Petrus semper in suis « successoribus vivet, semper in suâ cathedrâ « loquetur. Id Patres dicunt, id sexcenti et tri« ginta episcopi in Chalcedonensi synodo con« firmant. » Et post multa iterùm de fide Romanæ Ecclesiæ loquens ait : « Petrus est « adhuc in successoribus fundamentum fide« lium, » eò quòd nimirùm petra sit, cui tota Ecclesia omnesque fideles fidei unitate incumbunt : unde sub ejusdem sermonis finem hanc fidei unitatem expressiùs memorans, hæc maximè notanda verba ad Romanam Ecclesiam convertit. « Sancta Romana Ecclesia, ecclesia« rum omnium fidelium mater, Ecclesia à Deo « electa, ut filios suos in eâdem fide atque cha« ritate unires, nos semper tuam unitatem te« nebimus. » Ob hanc unitatem fidei, quam omnes Ecclesiæ catholicæ similiter tenent, « fidem Ecclesiæ Romanæ esse semper fidem « Ecclesiæ catholicæ » profitetur, ad quam sanè Romanæ Ecclesiæ fidem « propter prin« cipalitatem omnes undique fideles convenire « debere, et in quâ omnes ecclesias traditionem « conservâsse » ex Irenæo commemorans ; hoc tanti doctoris testimonium pro oraculo certissimo omnibus seculis habitum pronuntiat : *S. Irénée a prononcé cet oracle révéré en tous les siècles.* Oraculum ergo omnibus seculis receptum judicavit, *omnes undique fideles* cum Romanæ Ecclesiæ traditione ac fide *propter*

(1) Hinc etiam in Catechismo pro diebus festis ad festum sanctorum Petri et Pauli, propositâ interrogatione : « In quonam con« sistat primatus Ecclesiæ Romanæ; » secunda responsio est : « In hoc, quòd omnes ecclesiæ « debent cum ipsâ servare unitatem. » Vide tom. 10, novissimæ editionis operum pag. 218

principalitatem ejus potentiorem convenire oportere.

Idipsum apertiùs explicavit, libro 10, al. 15 Defensionis Declarat. Cleri Gallic. c. 1, quod ipsius testimonium, cùm fusiùs interpretetur locum Matthæi c. 16, in eamdem planè sententiam à nobis propositam cap. 12, § 1, totum hìc exscribendum est : « Ne quid tam necessariæ disputationi desit, placet exponere luculentiùs illud immotum, quod in fide Petri omnis ab origine novit antiquitas. Id duplici modo à Patribus intellectum : primùm ut Ecclesia catholica in Petri fide immota consistat, tum ut immotum aliquid et invictum in Ecclesiam quoque peculiarem Romanam ac sedem Apostolicam, Petri fide, prædicatione, sanguine, auctoritate, ac successione translatum fuerit. Et quidem immotum illud, quod à Petri fide in universam Ecclesiam diffundatur, sancti Patres ducunt ab illâ egregiâ S. Petri confessione : *Tu es Christus*, et deinde subsecutâ Christi sententiâ : *Tu es Petrus*. Petrus enim Apostolus jam primus Apostolorum à Christo constitutus, jam à Christo *Petrus* dictus, atque his causis omnium primus ab Evangelistis appellatus, quod ipse textus Evangelii prodit legentibus, cùm Christus quæreret, *Quem me esse dicitis?* omnium nomine confessionem hanc edidit, quâ fidei christianæ summa continetur : *Tu es Christus Filius Dei vivi*. Quæ cùm Petrus dixisset, statim audivit à Christo : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Quibus verbis Christus, qui suam maximè UNAM volebat Ecclesiam, creavit magistratum amplissimâ præ cæteris potestate ac majestate præditum, qui omnes moveret ad UNITATEM, MAXIME IN FIDE. Atque his duo quidem confirmavit : alterum, haud immeritò Petrum omnium nomine respondisse, qui omnium princeps ab ipso magistro Christo constitutus esset; alterum, quoties successores Petri communem ecclesiarum fidem ex communi traditione pro officio promerent, eorum decretum, prædicationem, fidem fore Ecclesiæ fundamentum. Hinc Christus pollicetur hâc Petri confitentis fide Ecclesiam æternùm constituram. *Super hanc petram*, inquit, *ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*, nempe Ecclesiam eâ fide nixam. Quo loco S. Leo : *Super hanc*, inquit, *fortitudinem æternum extruam templum, et Ecclesiæ meæ cœlo inferenda sublimitas, in hujus fidei firmitate consurget*. Hæc idem pontifex passim inculcat; hæc omnes uno ore Romani pontifices; hæc denique Patres omnes, ut in re clarâ et confessâ plures locos congerere supervacaneum sit. Omninò fixum illud est et immotum, cùm Ecclesia catholica ædificio comparetur, eam, quam Petrus confessus est fidem, æterni ædificii æternum fundamentum esse. » Hactenùs ille. Fatetur ergo, ac ex omnium non tam pontificum, quàm Patrum certissimâ traditione fatetur, laudato « evangelico textu Christum in Petro creâsse magistratum amplissimâ præ cæteris potestate ac majestate præditum; » quæ verba indicant primatum non tam peculiaris majestatis, seu honoris, quàm potestatis, seu juris præcipui præ cæteris et personalis. Sequentia porrò, « qui omnes moveret ad unitatem, maximè in fide, » finem innuunt à Christo intentum in eâ primatûs institutione ob unitatem potissimùm fidei. Potestas amplissima in hunc finem tradita sine vi coactivâ esse non potest. Quod porrò subdit, *Ecclesiam eâ fide nixam*, unitatem utique fidei totius Ecclesiæ cum Petri fide ex institutione Christi ad laudatum finem obtinendum necessariam significat. Neque verò hoc jus solius fidei à Petro prædicatæ proprium, sed successoribus quoque ejus, in quos idem primatus eâdem cum potestate, et in idem unitatis bonum traductum fuit, agnoscit commune, dùm ait : « Quoties successores Petri communem Ecclesiarum fidem ex communi traditione pro officio promerent, eorum decretum, prædicationem, fidem, fore Ecclesiæ fundamentum; » cui scilicet Ecclesia ex eâdem institutione Christi debet inniti tanquàm ipsius Petri fidei. Nonne hæc unitatis debitum ingerunt decretis fidei, quæ Romani pontifices edunt *pro officio*, seu in finem primatûs, ob tuendam fidei unitatem? Quid autem censendum de verbis, quæ conditionem quamdam insinuant, « quoties communem ecclesiarum fidem ex communi traditione promerent, » inferiùs hoc ipso capite expendetur § 5, col. 1156 et seq. Neque hìc omittendi duo alii ejusdem libri textus de Romanæ Ecclesiæ traditione ac fide : unus ex cap. 5, pag. 191 tom. 2 novissimæ editionis, ubi fatetur « Romanæ Ecclesiæ fidem non distingui à Romanorum pontificum fide, quam scilicet non aliter quàm à Petro primo atque à Petri successoribus Romani didicerint : » alter ex cap. 14, pag. 206, ubi eamdem Romanæ Ecclesiæ fidem, seu traditionem ex S. Irenæo eam esse affirmat, « in quâ omnes unitatem servare debeant. » Quid clarius?

Idem scriptor in primâ pastorali epistolâ de Promissis Jesu Christi factis Ecclesiæ agens adversùs hæreticos, qui Ecclesiam visibilem in fide posse deficere autumant, ac proinde indefectibilitatem ejusdem Ecclesiæ in fidei doctrinâ ex Christi pollicitationibus demonstraturus, cùm num. 32, « unitatis signum exploratissimum statuit in communione cum « cathedrâ S. Petri, *in quâ solâ*, ut sanctorum « Patrum formulis utar, unitas ab omnibus « servata est, » unitatem utique fidei, de quâ potissimùm erat cum hæreticis controversia, in ejus cathedræ communione ac unitate servatam insinuat; et ob hanc communionem et unitatem veram fidem ex promissis Christi tutam præstans, addit : « Si ergo firmè adhærebimus huic cathedræ, tuti erimus ex Jesu « Christi promissis. » Rationem verò hujusce rei allaturus, evangelicum textum allegat, ex quo Petrus prædicatione fidei constitutus fuit et evasit firmissima Ecclesiæ *petra*, cui omnes innitantur, et in quâ confirmentur omnes. « Tum cùm Apostolis, inquit, Christus dixit : « *Ego vobiscum sum* (hoc promissum jam exposuerat), erat cum aliis sanè etiam Petrus; « sed non ita ut aut amitteret præstantissimam prærogativam primi ministri (primus « Petrus), aut mysticum Petri nomen, quod « paulò ante de Christo acceperat, ut ministerii ejus firmitatem et præstantiam cognosceremus. Ad ipsum spectabat, ut primus « aliorum etiam fratrum nomine fidem annuntiaret, et confirmaret cæteros, et sic evaderet *petra*, supra quam immortalis ædificatio « erat construenda. » Id ob Ecclesiæ bonum non debuisse cum Petro desinere, sed perseverâsse in ejus successoribus docet; ac proinde « in pontificibus, ait, subsistit primatus, ac « totius Ecclesiæ fundamentum. » Huic ergo petræ fidei, quam Petrus ex Christi institutione posuit fundamentum Ecclesiæ, quæque, cum ex primatûs officio ab ejus successoribus traditur, eodem Bossuetio in anterioribus locis explicante est pariter fundamentum Ecclesiæ, omnes debere adhærere adeò certum præsumpsit, ut non aliter nos, nisi eidem *adhæreamus firmiter*, de verâ fide *ex promissis Christi tutos* affirmet. Conferri possunt quæ in alterâ pastorali epistolâ ejusdem argumenti in eamdem rem similiter affert num. 84 et 85.

Addam et testimonium non obscurum ex opere inscripto : *Réfutation du Catéchisme du sieur Paul Ferri*, ubi ex sanctis Hieronymo, Optato et Cypriano unitatis centrum in Romanâ cathedrâ collocat. Responsurus enim ministro heterodoxo, qui Romanam sedem Antichristo destinatam dixerat, Hieronymi testimonium inprimis considerans in Epistolâ ad Marcellam, in quâ S. doctor Romanam Ecclesiam à civitate distinguens, cùm illam laudibus extollit, tùm verò istius tumultûs et pericula deflet, quorum causâ ex eâ discedere et Bethlehem sese recipere coactus fuit; hæc subjicit : « Quare quantumlibet aversaretur ab « eâ civitate, è Palæstinæ tamen confinio scribere non omisit ejus episcopo et Ecclesiæ : « Ego nullum primum nisi Christum sequens, « Beatitudini tuæ, id est, cathedræ Petri, communione consocior. Super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc « domum agnum comederit, profanus est. Si quis « in Noe arcâ non fuerit, peribit regnante diluvio... Quicumque tecum non colligit, spargit; « hoc est, qui Christi non est, Antichristi est. « Quibus ex verbis tantùm abfuit à credendo « Ecclesiam Romanam quasi sedem Antichristi, ut potiùs crediderit Antichristum eum, « qui cum illâ non cohæret. Enimverò si consideremus Romanam Ecclesiam juxta antiquorum doctorum principia, absit ut credamus cum ministris ipsam esse Babylonem, à « quâ recedendum sit; nos cum Patribus « sanctis dicemus ipsam esse centrum, in quo « uniendi sumus. Id perspicimus in egregio « testimonio S. Optati, qui vivebat seculo « quarto. Hic magnus episcopus scribens contra Parmenianum Donatistam, Ecclesiæ unitatem explicat ex unitate cathedræ principalis, cui aliæ omnes unitæ esse debent : « Negare non potes, scire te in urbe Româ Petro primo cathedram episcopalem esse collatam, in quâ sederit omnium Apostolorum caput Petrus, unde et Cephas appellatus est, in « quâ unâ cathedrâ unitas ab omnibus servaretur, ne cæteri Apostoli singulas sibi quisque « defenderent, ut jam schismaticus et peccator esset, qui contra singularem cathedram « alteram collocaret. Hic sanctus vir negare « non vult, omnibus aliis Apostolis suam cathedram fuisse tributam; erant enim omnes « doctores mundi. At ipsi non habebant, inquit, cathedram; id est, ista cathedra unica « et principalis, *in quâ unâ unitas ab omnibus* « *servaretur*, non pertinebat nisi ad S. Petrum. « Et ne quis suspicetur, ipsam debuisse deficere cum eodem Apostolo, recenset successores ejus, qui in eâ post ipsum sederunt. « Ergo cathedra unica est : sedit prior Pe-

trus, successit Linus, et omnes nominat ad Siricium usque, et nos facilè possumus hanc seriem proferre usque ad Innocentium X, gloriosæ memoriæ, et ad eum, quem S. Spiritus eidem successorem dabit : quibus recensitis nostris adversariis dicemus cum S. Optato : Vestræ cathedræ vos origi-nem reddite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vindicare. Nonne schismatici et peccatores vos estis, qui insurgitis contra cathedram unicam, et contra Petri *cathedram et Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est*, ut ait S. Cyprianus antiquior Optato? Quid respondere potestis duabus auctoritatibus tam præcisis? At si verum est, Ecclesiam Romanam esse locum concordiæ et pacis, in quâ UNIRI debent filii Dei, undenam nostri adversarii docent ipsam esse illam Babel confusionis, à quâ recedendum est? » Vis traditionis laudatorum Patrum tam certa et efficax Bossuetio visa est ad unitatis centrum in Romanâ sede et Ecclesiâ statuendum, ut heterodoxis ipsis revincendis sufficiat.

Præclarum tandem in nostrum systema est integrum caput Meditationum in Evangelium diei 72, cui hic titulus : Fides S. Petri est fides Romanæ Ecclesiæ, in quâ centrum catholicæ unitatis situm est : ubi fides Romanæ Ecclesiæ catholicæ unitatis (utique fidei) centrum adstruitur. Id ex ipso capite manifestius fiet. « Hæc verba (Christi ad Petrum) : *Confirma fratres tuos*, non sunt merum præceptum Petri personæ factum, sed officium declarant, quod ipse Christus exigit, ac in Ecclesiâ perpetuum instituit; exemplar, quod Christus discipulis circa se adunatis proposuit, futurum est perennis regula Ecclesiæ christianæ. Ex eo tempore, quo Simon Apostolici collegii caput constitutus fuit, appellatus est Petrus, factusque à Jesu Christo suæ Ecclesiæ fundamentum per eam fidem, quam omnium nomine annuntiare debebat. Ex eo tempore in personâ S. Petri facta est ædificatio, seu designatio primatûs in Ecclesiâ, dum Apostolis ait (Matth. 28, 2) : *Ego vobiscum ero usque ad consummationem seculi* : ubi formam inter ipsos constitutam in successores transituram significavit. Perpetua successio S. Petro perinde ac cæteris Apostolis designata fuit, atque decreta. Semper in Ecclesiâ Petrus debuit existere, qui fratres confirmaret in fide. Hoc erat medium opportunius, ut sententiarum (id est, fidei) stabiliret unitatem, quam Salvator præ omnibus peroptabat; et hæc auctoritas (confirmandi scilicet et cogendi ad fidei unitatem, auctoritas enim sine vi cogente non intelligitur) eò magis necessaria erat Apostolorum successoribus, quò minùs horum fides erat confirmata, quàm fides Apostolorum. » Viden' S. Petri fidem ratione primatûs fundamentum Ecclesiæ iterùm affirmari, idque cum præcipuâ auctoritate in successores ejus transîsse, ut fidei unitatem contineant atque confirment? Hinc fatetur post pauca, S. Petrum Romam profectum « ibidem fixisse principalem Christianorum sedem, in quâ fides confirmaretur. » Et paulò post Christum alloquens : « Quare, ait, Domine, ita disposuisti negotium, ut S. Petri successores, quibus Papæ, id est, Patris nomen per antonomasiam tribuitur, suos fratres confirmârint in fide, et sedes S. Petri unitatis sedes fuerit, in quâ omnes episcopi, omnes fideles, pastores omnes, omnesque oves in unum coiverunt... In ipsâ semper vera fides confirmata est : » additque nonnulla, quibus Christum pro hujus sedis fide, ne deficeret, orâsse profitetur : quâ de re ultimo capite ex proposito agemus. Quòd si conditiones quasdam interserit, quas ad calculos revocabimus paragrapho sequenti, nunc in rem præsentem sufficit, testimoniis ejus probâsse, ipsum cum principiis hactenùs constitutis penitùs convenire. Ipsum enim palam profitentem audivimus, *tuendæ ac firmandæ totius Ecclesiæ unitati S. Petri primatum* fuisse *institutum*, eumque *amplissimâ præ cæteris potestate præditum*, ad unitatis finem efficaciter consequendum : hunc primatum ex fide potissimùm S. Petri pendere, ac respicere potissimùm fidei unitatem, ac propterea ejus fidem fuisse petram et fundamentum Ecclesiæ, cui omnes Catholici debent unitate fidei adhærere : hunc primatum non desiisse in Petro, sed ad successores ejus Romanos pontifices transîsse, quos eâdem unitatis tuendæ prærogativâ ac potestate præditos ita agnovit, ut et ipsi ob fidem præsertim, quam cùm è Petri cathedrâ docent, S. Petrus in ipsis loquitur et docet semperque loquetur, sint fundamentum Ecclesiæ et centrum totius catholicæ unitatis, ex quo omnes fideles debent cum Romanâ fide convenire, uti Irenæi textus ab ipso laudatus declarat. Quid plura, ut principiorum, quæ præstituimus, approbatio, tantique viri consensus demonstretur?

§ 5. *Refellitur distinctio inter sedem, cathedram, vel Ecclesiam Romanam et Romanos pontifices ab adversariis ingesta, eaque inepta ostenditur in præsenti argumento, ubi de vi coactivâ primatûs propriâ et personali eorumdem pontificum agitur. Refelluntur quoque duo alia adversariorum effugia, seu conditiones duæ, quas illi in pontificiis decretis dogmaticis requirunt, ut cogant omnes ad fidei unitatem, nimirùm, si ejusmodi decreta ex cathedræ Romanæ doctrinâ, ac traditione communi Ecclesiæ catholicæ edita sint, vel si ipsis accedat Ecclesiæ tacitus saltem consensus.*

Post tam solemnia et expressa episcoporum Gallicanorum, et præsertim Bossuetii testimonia, quibus necessitas asseritur unitatis potissimùm fidei cum Romanâ, quid opus est alia multa, quæ præstò mihi sunt, adversariorum theologorum et canonistarum recentioris quoque ævi testimonia in medium proferre, ut in eâdem re communis istorum etiam consensus probetur? Jam enim omnes concordes cum laudatorum episcoporum doctrinâ, unitatem fidei omnium Christianorum cum Romanæ sedis, cathedræ atque Ecclesiæ fide necessariam fatentur. Ne verò quidpiam dissimulem, quod istorum consensum posset infirmare, et minùs cautis non levem difficultatem ingerere, animadvertendum est, ipsos apertissimis traditionis testimoniis coactos fateri quidem, Christianos omnes debere convenire cum Romanæ sedis, cathedræ, seu Ecclesiæ fide; at simul ingerentes distinctionem celebrem inter Romanam sedem, cathedram, seu Ecclesiam, ac inter pontifices Romanos, qui eam sedem atque cathedram occupant, eique præsunt Ecclesiæ, contendere, necessitatem, quam ex traditione negare non possunt, adhærendi fidei Romanæ sedis, cathedræ, seu Ecclesiæ, non probare parem seu absolutam necessitatem conveniendi cum fide Romanorum pontificum, de quâ tantùm quæstionem movent; hocque sensu se subtrahunt à testimoniis traditionis, quæ ferè de Romanæ sedis, seu cathedræ, vel Ecclesiæ fide loquuntur. Absolutam necessitatem inquiunt, quia conditionatam admittunt; necesse enim esse fatentur convenire cum fide pontificum definitionibus constitutâ, si vel constet eos definisse ex communi Ecclesiæ Apostolicæ fide, aut traditione, vel si definitis accedat tacitus saltem Ecclesiæ consensus, ex quo eos ex communi fide ac traditione definisse cognoscamus. Ita et distinctio inter sedem atque sedentem, et duæ ejusmodi conditiones, quæ nostro systemati opponi queunt, disjiciendæ supersunt; et siquidem ex præstitutis concessisque principiis aptè disjiciantur inanissimæque probentur, nihil supererit, quominùs demonstratum sit, necessitatem conveniendi cum fide Romanæ sedis, cathedræ et Ecclesiæ, ex traditione ab ipsis adversariis assertam, idem esse ac necessitatem conveniendi cum Romanorum pontificum fide, quam vi primatûs definiunt; eademque necessitas nulli conditioni alligata vim absolutam parere cognoscetur.

Ut autem incipiam à distinctione apud adversarios pervulgatâ inter Romanam sedem atque sedentem; cùm ei auctoritatem concilient è duobus S. Leonis testimoniis, horum testimoniorum vis atque sententia inprimis explicanda est. Si attentè legantur illæ duæ S. pontificis epistolæ, ex quibus objecta testimonia sumpta fuerunt, palam fiet S. doctorem inter merita præsidentium et sedium jura ita voluisse distinguere, ut quæcumque sint merita sive bona sive mala præsidentis, nihil augeri vel minui debeant sedium jura, quæ olim constituta et à Nicænis Patribus confirmata, immota debent consistere. Primum testimonium: « Aliud sunt sedes, aliud præsidentes, » quod eam distinctionem expressiùs exhibet, sumptum est ex epist. 106, aliàs 80, c. 5, ad Anatolium Constantinopolitanum, qui contra Nicænorum canonum constituta secundæ sedis locum et jus quod Alexandrinæ sedi competebat, sibi in Chalcedonensi deferendum curaverat, illud tempus opportunum captans, quo, ut idem Leo ait c. 2: « Secundi honoris privilegium sedes Alexandrina perdiderat, » ob nequitiam scilicet ejus episcopi Dioscori, qui in eodem concilio depositus fuerat. Id autem nihil præjudicii creare posse eidem sedi S. Leo indicaturus cap. 5, postquàm in eo institit, ne convellantur jura primatum, ne privilegiis à Nicæno constitutis Metropolitani fraudentur antistites, subdit: « Nihil Alexandrinæ sedi ejus, quam per S. Marcum Evangelistam B. Petri discipulum meruit, pereat dignitatis; nec Dioscoro impietatis suæ pervicaciâ corruente (ob memoratam ipsius depositionem) splendor tantæ Ecclesiæ tenebris obfuscetur alienis. » Post quæ verba hanc rationem mox subjiciens: « Aliud enim sunt sedes, aliud præsidentes, » nonne manifestè respicit demerita et impietatem Dioscori, quæ cùm pertineant ad vitium præsidentis, juri

ipsius sedis Nicænis canonibus munito præjudicare non possunt? Idipsum clariùs elicitur ex epist. 119, aliàs 92, ad Maximum Antiochenum cap. 3, ubi legitur hæc alia sententia : « Etsi « enim diversa nonnunquàm sunt merita præ« sulum, jura tamen permanent sedium; hoc « est, ut optimè explicat P. Coustantius (præ« fat. ad epist. Rom. Pont. n. 11), jura illa « cùm sint ipsis sedibus, non sedentium me« ritis concessa, pro sedentium diversitate non « mutantur. » Viden' totam distinctionem collocari inter merita præsulum et jura sedium? Neque enim ex meritis præsulum metienda sunt sedium jura, nec pro demeritis illorum aliquid juris ipsis sedibus potest auferri aut deperire. Totus Leonis scopus fuit sartos tectos custodire canones Nicænos, qui sua cuique sedi jura custodienda præfinierant; neque sinebant, ut ob Dioscori demerita ac depositionem secundæ sedis jus adimeretur Alexandrinæ, et ad Constantinopolitanam sedem atque episcopum transferretur. Distinguere igitur inter sedes et præsidentes idem est ex Leonis mente ac distinguere inter jura sedium ac merita, vel demerita præsidum. Quid autem in hâc distinctione subest, ex quo sedis nomine aliquid à præsidentis personâ distinctum excogitandum sit? Nonne ipsa jura sedium, quæ sedis vocabulo indicantur, præsidentis personæ ita sunt alligata, ut nulli alii competant ex ipso jure canonum nisi præsidenti, qui sedem pro tempore obtinet, licet nec ex ejus meritis originem habeant, nec ex ejus demeritis detrimentum patiantur, quamdiù ipsam sedem legitimè teneat?

Id porrò si verum est de cujuslibet sedis præside, multò magis de Romano ratione primatûs, cùm primatûs jura non ex canonum, sed Christi institutione, personalia sint, uti primatus ipse est personalis. Vide cap. 3. Potissimùm primatûs pontificii jus situm est, ut vidimus, in vi, seu potestate cogente ad conservationem præsertim unitatis fidei in totâ Ecclesiâ. Cùm verò hæc coactiva vis ad unitatem fidei propria primatûs ex ipsorum adversariorum consensu tribuenda sit fidei sedis, cathedræ et Ecclesiæ Romanæ, cum quâ necesse est omnes undique fideles convenire; his diversis vocibus, *sedis, cathedræ, vel Ecclesiæ Romanæ fides,* quæ eâ vi primatûs propriâ gaudet, alia non est nisi pontificum Romanorum fides, quam ex primatus officio ad custodiendam fidei unitatem docent, prædicant, sive definiunt. Cùm de munere et jure primatûs agitur, aliquid quærere extra personam pontificum est ipsum primatum quærere extra eos quorum personæ divino jure est alligatus. Hæc quidem ratio mihi demonstrationis loco est, omnibusque esse debet, qui primatum cum prærogativis ejus propriis esse personalem inficiari non possunt. Traditio sanè Patrum si consulatur, cùm hi necessitatem inculcârunt conveniendi cum Romanæ cathedræ, sedis, vel Ecclesiæ fide jure primatûs, non aliam(1) nisi Romanorum pontificum personam, nec aliam fidem, nisi quam ipsi è Petri cathedrâ prædicant, intellexerunt. Ita S. Hieronymus Romanam fidem consulturus, Damasum consuluit; et de unitate fidei eumdem alloquens illis verbis : « Ego beatitudini tuæ, id est, cathedræ « Petri communione consocior, » Damasum ipsum, cujus responsum è Petri cathedrâ petebat, pro eâdem cathedrâ palam accepit. Ita et Augustinus modò Innocentium Papam, modò Apostolicam sedem contra Pelagianos pronuntiâsse promiscuè scribens, eumdem pontificem pro sede Apostolicâ sumpsit, judiciumque ipsius pontificis Apostolicæ sedis episcopale judicium vocavit, eò quòd unum et idem sit hujus sedis, et summi pontificis in eâ præsidentis judicium. Quo sensu S. Prosper scripsit: « Sacrosancta B. Petri sedes per universum « orbem Papæ Zozimi sic ore loquitur. » Quin etiam Pelagius ipse cùm ex communi Ecclesiæ locutione Innocentium Papam Petri fidem et sedem tenere professus est, summum pontificem in tradendâ fidei doctrinâ à sede Petri nequaquàm distinguendum agnovit: et similiter alii quamplures, qui allegari in rem præsentem possent. Unde Apostolicam sedem pro

(1) Si quis fortè hanc distinctionem inter Romanam sedem et Romanum pontificem vindicandam existimet ex Justiniani epistolâ ad Patres synodi V, in quâ idem imperator, licet è diptychis expungi jubeat ipsum pontificem, quasi Nestorianâ hæresi infectum, adhuc tamen unitatem se servare protestatur cum sede Apostolicâ; animadvertat, quæso, ipsam epistolam supposititiam planè esse, sicut et cætera documenta actis quintæ synodi ex unico Juliano codice inserta, et à Baluzio edita, uti probavimus in defensione dissertationis Norisianæ de synodo V. Quæ ipsius epistolæ falsitas præter ibi scripta vel ex eo confirmari potest, quòd in eâdem allegentur duæ Vigilii epistolæ, altera ad imperatorem, altera ad Theodoram ejus conjugem, quæ item falsæ eodem capite demonstrantur; cùmque Monothelitarum errori faveant, à quopiam Monothelitâ, vel Monothelitarum præceptore creduntur confictæ in patrocinium erroris; quem ejus distinctionis auctorem adversarii, ut arbitror, ingerere verebuntur.

Romano episcopo sumptam vel in indice ad Romanorum pontificum epistolas notandum credidit P. Coustantius. Quod et de Romanæ Ecclesiæ appellatione, cùm de prærogativâ personali primatûs agitur, peræquè valet. Ac propterea S. Petrus Damianus ad Alexandrum II non dubitavit scribere : « Vos Apo-« stolica sedes, vos Romana estis Ecclesia; » idipsumque etiam adversarii confessi sunt apud Andream episcopum Megarensem in opere inscripto, Gubernaculum conciliorum, lucubrato concilii Basileensis tempore, ubi cap. 2, ex vulgato illorum dicto traditur : « Ipse Papa « solet Romana Ecclesia vocari. » Licet enim Ecclesiæ nomen latè non tam episcopum, quàm clerum et plebem episcopo adunatam significet, ex celebri S. Cypriani doctrinâ, latiùs verò extendatur ad totam Ecclesiam catholicam Romano episcopo adhærentem, quæ idcircò Romana dicitur, ut alibi animadvertimus, centrum tamen unitatis, quæ ab uno ducit exordium, in uno tantùm episcopo est; et sicut in particularibus Ecclesiis suus cujusque episcopus est centrum, cui et clerus et populus debet adhærescere; ita in universali seu catholicâ Ecclesiâ, centrum catholicæ unitatis est episcopus Romanus, et centrum quidem utriusque unitatis, communionis scilicet, et potissimùm fidei, ex quo omnes Catholicos cum Romano episcopo communicare, et cum ejus fide convenire necesse est. Quòd si id propter potentiorem principalitatem Romanæ Ecclesiæ fidei tribuit S. Irenæus, Romanæ Ecclesiæ nomen accepit pro Romanis antistitibus, quibus solis eam principalitatem seu primatum competere noverat; unde mox indicaturus quibus id competat, subtexuit seriem Romanorum pontificum, ad quos tantùm S. Petrus primatum transmisit non minùs quàm et docendi cathedram, quâcum unitas omninò tenenda tantoperè prædicatur. Ex tam exploratis et rationum et auctoritatum momentis quis non inanissimam, et constitutis concessisque principiis contrariam illam distinctionem agnoscat, quâ plures adversarii Romanam sedem, cathedram, seu Ecclesiam in negotio fidei, et in prærogativâ cogendi ad fidei unitatem propriâ primatûs à Romano pontifice distinguendam contendunt?

Bossuetius quidem accuratiùs rem introspiciens, maximè repugnantem hanc distinctionem pervidit, ac proinde lib. 10, aliàs 15, Defensionis Declarat. Cleri Gallicani cap. 5, recitato S. Leonis textu, cui ea distinctio inter sedem et præsidentem perperàm superstructa fuit : « Neque « propterea dicimus, inquit, ipsam sedem ali-« quid exercere posse potestatis, aut jurisdictio-« nis aliter quàm per ipsum præsidentem; » quibus sedis jurisdictionem ac potestatem à jurisdictione ac potestate ipsius præsidentis, qui solus eam potest exercere, haud distinguendam concedit. Tum verò de distinctione Ecclesiæ Romanæ in doctrinâ fidei à Romano pontifice addit: « Neque verò distinguimus à Romanorum pon-« tificum fide Romanæ Ecclesiæ fidem, quam « scilicet non aliter quàm à Petro primo atque « Petri successoribus Romani didicerint. » Qui ergo Romanæ Ecclesiæ fidem non distinguit ab eâ quam Romani pontifices tradunt, si cum primâ necessariam fatetur unitatem, uti fatetur Bossuetius, cum fide quoque à summis pontificibus traditâ necessariam negare non potest. Ne verò hâc ratione sententiam quam propugnant adversarii, prorsùs evertat, vide quomodò se subducat. Unitatem cum doctrinâ fidei Romanorum pontificum obedientiæ nomine præstandam non negat. At eam cautionem, seu conditionem adhibendam ait, « quous-« que pateat quid concilia, quid canones, quid « ipsi Romani pontifices, quid denique Scri-« ptura et Scripturæ interpres traditio poscat. » Quod his aliis verbis alibi expressit : « Quoties « successores Petri communem Ecclesiarum « fidem ex communi traditione pro officio pro-« merent. » Hæc conditio apposita ab ipso fuit ex præjudicio fallibilitatis, ut vocant, Romanorum pontificum in decretis fidei : quod præjudicium num concordet cum principiis hactenùs constitutis atque concessis, et num aliquo certo errore definitionum pontificiarum in negotio fidei nitatur, discutiendum erit capite sequenti. Nunc ut insistamus in vi coactivâ unitatis fidei propriâ primatûs, de quâ in præsentiarum agitur, si ea conditio apposita fuisset ab eo qui centrum unitatis catholicæ ad continendam potissimùm fidei unitatem cum Petri cathedrâ ratione primatûs positum minimè agnovit, mitiùs ferendum videretur. At cùm de ejusmodi centro, et de necessitate unitatis fidei cum eodem tam multa atque expressa multis in locis prædicaverit, horum pugna cum conditione memoratâ ut evidens fiat, velim primò Bossuetius in memoriam revocet, quæ contra sectarios pontificiam auctoritatem paulò absimili conditione circumscribentes inseruit libro quinto Variationum n. 24 : Melanchtonis locum recitaverat, quo Romani antistitis primatum in Ecclesiâ necessarium professus fuerat ad con-

servandam in nationibus unitatem doctrinæ. At cùm ille hanc potestatem unitatis fidei coactivam eâ ratione restrinxisset, quatenùs Papa sanam doctrinam non opprimeret : « Si liceret, subjicit Bossuetius, dicere eam à pontificibus opprimi, et hoc prætextu negare iisdem debitam obedientiam, recidimus statim in pericula quæ evitare studemus, et auctoritas ecclesiastica ludibrio est omnibus, qui sese eidem opponere velint, » quibus verbis clarissimus auctor eam fidei unitatem, cui conservandæ pontificiam auctoritatem necessariam Melanchton affirmaverat, schismatibus patere, facilèque discissum iri judicavit, si ea libertas et conditio permittatur. Absolutam itaque eam potestatem esse oportere censuit, ut vis in unitatem fidei tuendam apta et efficax sit. Vis et auctoritas, quæ in unitatem non merè repræsentandam, sed custodiendam, instituta à Deo fuit, sitque per sese apta et efficax, ut vel adversarii debere esse fatentur ; nulli conditioni hominum judicio aut arbitrio subjectæ alligari debuit; facilè enim eluderetur, neque hæreticis succenseri invictè posset, si dogmaticis pontificum decretis eorum errores condemnantibus, in quibus traditionem desertam opinentur, acquiescere nolint. Itaque ne unitati fidei malè provisum à Christo dicamus in Romanâ cathedrâ, absolutam vim, quæ nulli conditioni subsit, Romanis pontificibus ex primatu competere debemus agnoscere, siquidem in eâ cathedrâ, seu in fide, quam illi ex officio proponunt jure primatûs, unitatis centrum à Christo positum fateamur, ut Bossuetius et adversarii Galli fatentur.

Patres quidem cùm docuerunt adhærendum Romanæ fidei ratione primatûs, qui in tuitionem unitatis potissimùm fidei institutus fuit, nullius conditionis meminerunt, et Apostolicam traditionem in Romanâ doctrinâ custoditam semper præsumentes veluti omninò certum, eidem adhærendum affirmârunt absolutè sine conditione ullâ, ut patet inter cæteros ex S. Irenæo, qui necessitatem absolutam conveniendi cum fide Romanæ Ecclesiæ apertissimis verbis professus, propter potentiorem ejus principalitatem, num Apostolica traditio in eâ servata esset, non vocavit in dubium, sed certum id omninò præsumens statim subdidit : « In quâ semper conservata est ea, quæ ab Apostolis est traditio. » Idipsum quoque præsumpserunt etiam generalia concilia, aliique subsequentium temporum Patres, dùm loquentes de dogmaticis Romanorum pontificum definitionibus dixerunt (vide supra c. 13, § 14), per os eorum locutum fuisse S. Petrum, qui in ipsis suis successoribus vivit, et præstat quærentibus fidei veritatem; et ita semper præstitit, ut Romana fides ejus sedis semper incorrupta permanserit, ut constabit ex antiquorum testimoniis recitandis cap. 15, § 4. Hæc enim non potuissent affirmare, nisi dogmaticas illorum definitiones ex traditione S. Petri deductas, et in ipsis ejusdem Petri traditionem ac fidei doctrinam conservatam credidissent. Confer adnotata cap. 12, col. 1000. Cùm porrò aliorum Apostolorum et aliarum catholicarum Ecclesiarum traditio diversa non sit, neque fuerit, neque futura sit à traditione et fide S. Petri, cum quâ tanquàm cum communi centro unitatis omnes catholicæ Ecclesiæ conveniunt, et conveniant oportet, Romani utique pontifices, dùm definitiones dogmaticas edunt ex S. Petri in ipsis loquentis traditione ac fide, communem simul omnium catholicarum Ecclesiarum fidem ex communi traditione pronuntiant; inanisque cognoscitur Bossuetii conditio, « quoties successores Petri communem Ecclesiarum fidem ex communi traditione pro officio promerent, » ac si aliquando aliter posset contingere. Idem Bossuetius lib. 10, aliàs 15, Defensionis cap. 14, expendens S. Irenæi testimonium toties à nobis laudatum, affirmavit, eumdem S. doctorem « meritò universali (omnium scilicet catholicarum Ecclesiarum) traditione propositâ, partem ejus necessariam Ecclesiæ Romanæ traditionem commendâsse, cùm profectò CERTUM ESSET NON POTUISSE FIERI, UT A RELIQUIS ECCLESIIS DISCREPARET (Romana traditio), IN QUA OMNES UNITATEM SERVARE DEBEANT. » Si à catholicarum Ecclesiarum traditione discrepare non potest Romana traditio, in quâ omnes debent servare unitatem, Romani autem pontifices, quoties aliquid definiunt circa fidem, id proferunt ex S. Petri in ipsis loquentis fide ac traditione Romanâ ; in dubium revocari profectò nequit, quin illi quoties definiunt ex officio aliquod fidei dogma, communem Ecclesiarum fidem ex communi traditione promant.

Neque verò ex eodem Bossuetio reponas S. Petri fidem et traditionem Romanam, cum quâ omnes Ecclesiæ debent servare unitatem, non id esse, « quod unus fortè pontifex, sed quod ipsa pontificum successio et series, et Ecclesiæ Romanæ Ecclesiarum matris perpetua et constans et firma professio pro certo fidei dogmate tenuerit, docuerit, præ-

dicat. » (Lib. 1 Defens. c. 16.) Id enim in conditionem recidit paulò dissimilem præcedenti, nimirùm adhærendum fidei, quam Romanus pontifex definiendo proponit; si ex fide ac traditione totius seriei suorum prædecessorum eum docere fidem constet. Hæc autem conditio cùm æquè ac præcedens iisdem periculis atque incommodis sit obnoxia, iisdem responsionibus evertitur, ut conferenti patebit. Num vis coactiva et efficax ad conservandam in totâ Ecclesiâ fidei unitatem primatui pontificio à Christo tributa, toti seriei summorum pontificum, non verò cuilibet pontifici concessa fuit? Nonne sicut primatus cuilibet competit, ita et cuilibet asserenda est ea vis primatûs propria? Nonne bonum unitatis æquè sub quolibet pontifice, ac sub totâ pontificum successione eamdem vim coactivam requirit, ne si liceat sub hoc vel illo pontifice à fide ex primatûs officio et ob unitatem conservandam propositâ dissentire memoratæ conditionis prætextu, fidei unitas discindatur, et hæresibus atque schismatibus aditus pateat, ob quæ impedienda bono unitatis primatus institutus, et cuilibet pontifici attributus fuit? Hæc porrò conditio quæ ex nonnullorum errorum pontificibus attributorum præjudicio originem ducit, multò manifestiùs disjicietur capite sequenti, ubi de infallibilitate eorumdem pontificum in definitionibus fidei erit disputatio. Quæ verò ex constitutis principiis hactenùs reposuimus, interim sufficere credimus.

Nunc expendenda et expungenda restat alia ab adversariis ingesta conditio, quæ si quid valeret, omnis vis coactiva ad unitatem fidei cum Romanorum pontificum fide à nobis propugnata, et unitati tuendæ ex primatûs fine necessaria in irritum caderet. In quæstionibus scilicet fidei definiendis primas quidem partes iisdem pontificibus adversarii tribuunt ratione primatûs. At cùm ipsorum definitiones irretractabiles solummodò velint, si accedat Ecclesiæ consensus, vim coactivam, quam illis ex primatu asseruimus, iisdem per sese denegant, ita ut putent eas non cogere ad unitatem, nisi postquàm Ecclesiæ consensus accesserit (Declar. Cleri Gal. an. 1682, n. 4). Hanc autem in rem illi jam non exigunt consensum Ecclesiæ in generali concilio coactæ, cùm remedium ejusmodi hoc præsertim tempore difficillimum ac ferè impossibile sit. Sufficere verò existimant consensum Ecclesiæ dispersæ non solùm expressum, sed etiam tacitum, quem satis prodire credunt, si definitioni à Romano pontifice editæ nemo, vel pauci repugnent: qui enim non resistunt, consentire judicantur. Id autem eâ de causâ communi jam ipsorum adversariorum sententiâ concedendum censuerunt, propterea quòd observârint, apostolicis judiciis ad exscindendos non paucos, non solùm antiquos, sed posteriores etiam errores coactivam vim fuisse attributam, etiamsi nulla generalia concilia eos profligâssent; et in plerisque nullus quoque episcoporum totius orbis, saltem plurium, expressus intervenisset consensus, qui catholicæ Ecclesiæ consensus dici posset; solus enim expressus consensus antistitum unius, vel alterius provinciæ, seu regionis, Ecclesiæ catholicæ consensus appellari nequit. Ubi igitur neque generalis synodi, neque episcoporum per orbem dispersorum expressus adfuit consensus, coactivam vim, quam illi pontificio decreto per sese non concedunt, tacito saltem Ecclesiæ, seu episcoporum consensui tribuendam contendunt.

Huic verò excogitatæ adversariorum adinventioni conditionique consensûs saltem taciti Ecclesiæ manifestè opponuntur principia, quæ adversariis concinentibus præstituimus, ac præsertim Scripturæ sacræ testimonia atque traditio Patrum. Enimverò nonne ex præmissis principiis, quæ ipsi adversarii concesserunt, pontificius primatus uniendæ Ecclesiæ institutus à Christo, ne inanis hæc institutio cederet, vim eidem fini obtinendo congruentem et efficacem ipsi primati ab eodem Christo traditam exigit, quâ ad unitatem cogere possit universam Ecclesiam? Si autem in definitionibus fidei, quæ ad ipsius fidei unitatem custodiendam à Romanis pontificibus eduntur, vis ipsarum coactiva penderet ab Ecclesiæ consensu, ita ut ante exploratum detectumque ejusmodi consensum, illæ non cogerent ad unitatem, agnito autem consensu cogerent, vis et jus cogendi ad unitatem non esset prærogativa personalis et propria primatûs, sed potiùs Ecclesiæ, cujus consensus eam cogendi vim laudatis definitionibus tribueret. Adde hâc in sententiâ remedium conservandæ unitatis, quod à Christo commissum fuit ipsi primati, inutile plerùmque futurum, cùm ad cognoscendum ejusmodi consensum non solùm requiratur aliquod non breve tempus, et non exigua, nec facilis indago, verùm etiam ob injectas plerùmque difficultates ab iis qui definitioni adversentur, necnon ob conditiones ejusdem consensûs, de quibus adversarii invicem disputant, dubitari facilè possit, num

sufficiens consensus totius orbis episcoporum præstò sit: et ita lata pateret ferè refractariis via impediendæ ejus unitatis, cui Christus prospicere voluit. Falsum est itaque eam vim cogendi ad unitatem, quam Christus Petro ac successoribus ejus attribuit ratione primatûs, conditioni consensûs Ecclesiæ fuisse alligatam.

Sed quàm hæc conditio contraria quoque sit testimoniis sacræ Scripturæ ac traditionis Patrum, quæ jam exposuimus, facilè intelligere licet. Cùm Romani pontifices in controversiis fidei dogmaticas definitiones promulgant, quibus ex primatûs institutione ac officio unitati fidei in totâ Ecclesiâ custodiendæ prospiciant (vid. c. 13, § 14), illas S. Petrus, qui in ipsis vivit, per os eorum pronuntiat, et loquitur fidei veritatem, ac judicia ejusmodi habita semper fuerunt in Ecclesiâ veluti judicia ipsius S. Petri, seu illa S. Petri fides, quam Christus posuit petram et fundamentum Ecclesiæ. Non est autem hæc Petri, seu successorum ejus fides, fundamentum Ecclesiæ, ex ipsius Ecclesiæ consensu, sed per sese ex institutione Christi, quæ profectò exigit, ut illi absolutè omnes adhæreant, et consensum præstent bono unitatis, quæ in hâc fidei petrâ tanquàm in centro formatur et continetur. Quid quòd Christus, cùm Petri fidei commisit, ut in periculis et dissensionibus circa fidem confirmaret fratres, commisit, ut eos ad assensum cogeret, et in unitate contineret, non verò cogendi vim ex eorum consensu derivavit: alias non commisisset, ut ipse confirmaret fratres, sed ut ipsi, si ei præstarent assensum, sese confirmarent. Idem itaque confirmandi mandatum, quod ex primatûs officio Romanos quoque Petri successores similiter afficit, à fratrum et Ecclesiæ consensu cogendi vim expectare dici non potest.

Quid dicam de traditione Patrum? S. Irenæus, qui cogendi vim Romanæ fidei tam disertè attribuit, ut scripserit omnes undique fideles cum eâ convenire oportere; hanc conveniendi necessitatem atque vim coactivam ad unitatem ejusdem fidei non deduxit ex consensu Ecclesiæ, vel episcoporum: quod cùm idem fuisset, ac dicere: « Necesse est omnes « undique Ecclesias convenire in fide cum « Romanâ, quando earum accedat consen- « sus; » ridiculum planè, illusorium, ac tanto doctore fuisset indignum; sed eam necessitatem deduxit ex prærogativâ primatûs, quæ quidem cùm ab aliarum Ecclesiarum consensu non pendet, tum verò ad compingendam continendamque unitatem instituta, non ex earumdem Ecclesiarum consensu, sed per sese vim cogendi habeat necesse est. Ea igitur coactiva vis, quâ omnes undique fideles convenire debent cum Romanâ fide propter ejus sedis primatum, ex Irenæi mente illi utique competit, qui ejusdem sedis primatu fruitur. Mirum maximè, si Gallicani auctores cum hoc vetustissimo doctissimoque episcopo communem sui ævi doctrinam exponente concordare renuerent. Neque dissimiliter alii Patres, cùm primatûs prærogativam afferrent, ob quam fidei unitas cum Romanâ sede traditur necessaria, nullam mentionem faciunt consensûs Ecclesiæ; neque ejus unitatis debitum ingerunt, quia Ecclesiæ accessit consensus, sed vel quia « super hanc petram ædificatam Ec- « clesiam scio, » ut S. Hieronymus scripsit; vel quia « illa est petra, quam non vincunt « superbæ inferorum portæ, » ut S. Augustinus; vel quia est « fides illa Apostolico ore « laudata, ad quam perfidia habere nequit ac- « cessum, » ut S. Cyprianus; vel quia S. Petrus per os successorum loquitur, ut Patres Chalcedonenses; vel quia Petrus in suis successoribus vivens, ut aiebat S. Petrus Chrysologus, præstat quærentibus fidei veritatem; ac propterea omnium Catholicorum obedientiam et assensum exigit per sese, antequàm aliarum Ecclesiarum aut episcoporum catholicæ Ecclesiæ innotescat consensus, quo nomine sinceram obedientiam definitioni S. Leonis ab Eutyche præstandam exegit laudatus S. Petrus Chrysologus, ut cap. 13, § 14, ostendimus.

Cæterùm catholica Christi Ecclesia adhæsit semper, semperque adhærebit cathedræ S. Petri, seu doctrinæ fidei, quam Petrus et successores ejus proponunt ac docent; neque alia erit aut esse poterit vera Christi Ecclesia, nisi quæ huic cathedræ unitatis catholicæ centro adhærescit et adhærebit: ob quam quidem fidei unitatem, sicuti semper in Romanâ fide ac traditione conservatam fuisse Apostolicam traditionem ac fidem docuit S. Irenæus, ita et semper in eâ esse conservandam nihil est dubitandum. Vide notata paulò superiùs. Igitur proposita ab iisdem Petri successoribus doctrina fidei, Ecclesiæ assensus, sicut semper, adfuit, ut Nicolaus I notavit, ita et aderit semper, semperque erit præsumendus, nihilque morosius expectandum vel requirendum, ut se quis hoc prætextu ab assensu et obsequio atque ab unitate debita eximat. Ecclesiæ consensum expressum ipsi adversarii non requi-

runt, uti paulò ante observavimus, sed tacitum sufficere existimant, quem adesse aiunt, si post editam pontificiam definitionem nulli, vel pauci refragentur. Ipsis autem definitionum decretis per se ante omnem Ecclesiæ consensum obedientiam et obsequium deberi non inficiantur, et obsequium quidem non solùm externum, sed etiam internum, quod idem est ac mentis assensus. Vide quæ in hanc rem ex Gallicanis attulimus cap. 13, § 14; et hoc ipso cap. 14, § 3.

Notanda hoc loco Bossuetii explicatio lib. 10 Defensionis, aliàs 15, c. 17, ne cuipiam fucum faciat. Recitato eo textu epistolæ trium et triginta episcoporum Galliæ ad Innocentium X, quo affirmàrunt, « non solùm ex « Christi Domini pollicitatione Petro factâ, « sed etiam ex actis priorum pontificum, et « anathematismis adversùs Apollinarium et « Macedonium, nondùm ab ullâ œcumenicâ « synodo damnatos, à Damaso paulò antea « jactis, judicia pro sanciendâ regulâ fidei, à « summis pontificibus latâ, super episcopo- « rum consultatione (sive suam in actis rela- « tionis sententiam ponant, sive omittant, « prout illis collibuerit) divinâ æquè ac summâ « auctoritate niti : cui Christiani omnes ex « officio, ipsius quoque mentis obsequium « præstare teneantur ; » hanc explicationem subjicit : « Quo loco id volebant, non esse « semper necessariam synodi œcumenicæ sen- « tentiam, ut Christiani ad fidei officium te- « nerentur ; sed omninò sufficere, consulenti- « bus episcopis, Romani pontificis auctorita- « tem ; siquidem (nota conditionem) decre- « tum ejus reciperetur, ut ipsi fecerant, atque « à se factum esse gestis indiderant ad rei « memoriam. » Hæc autem conditio, quam Bossuetius ex mero sui systematis præjudicio ingerit, ab ipso episcoporum Gallorum contextu expungitur. Ratio enim, cur omnes Christiani Apostolicis definitionibus præstare teneantur mentis obsequium, eò ab ipsis refertur, quia « divinâ æquè ac summâ per uni- « versam Ecclesiam auctoritate nituntur. » Num summa æquè ac divina isthæc auctoritas ex eâ conditione à Bossuetio ingesta pendet, « siquidem decreta recipiantur, » an potiùs « ex Christi Domini nostri pollicitatione Petro « factâ, » cujus mentionem iidem episcopi antecedentibus verbis fecerunt ? Nonne pollicitationes Christi, de quibus agemus capite sequenti, absolutæ sunt nullique episcoporum recipientium conditioni alligatæ ? Esto illi apostolici judicii receptionem abs se factam gestis indiderint, et receptionem quidem non nudi tantùm obsequii, sed etiam judicii, non tamen sibi arrogàrunt libertatem dissentiendi à judicio divinâ æquè ac summâ auctoritate, et Christi pollicitatione nixo, cui sicut omnes Christianos obsequium mentis debere præstare in epistolâ ad Innocentium professi sunt, ita episcopos ex ipsâ hierarchicâ subordinatione debere unitatem, in litteris ad episcopos regni ab eodem Bossuetio recitatis expressè declaràrunt, dùm scripsêre : « Episcopos congre- « gatos, ut deliberarent, quid in hoc negotio « facto opus esset, uno spiritu, uno corde, « uno ore consensisse ad recipiendum illius « judicium, cui PER UNITATEM Christiani episco- « patûs hierarchicâ subordinatione colligati « essent, ut meritò crediderint, propositionum « condemnationem unà cum eo à se quoque « esse prolatam ac pronuntiatam. » Hæc hierarchica subordinatio episcoporum erga summum pontificem obedientiam ab ipsis debitam atque juratam respicit, quæ in decretis, seu definitionibus fidei mentis obsequium ab illis æquè ac ab omnibus Christianis ita requirit, ut si judices velint agere, in unitate cum summo pontifice judicent, quemadmodùm antiquiores Galliæ episcopi sub S. Leone et omnes alii catholici antistites in ipsis generalibus conciliis fecerunt, nemini unquàm datâ dissentiendi libertate, ut alibi vidimus.

Itaque ipsi auctores Galli hunc assensum debent præsumere in Ecclesiâ et in Ecclesiæ filiis. Quinam enim nisi refractarii et inobedientes filii debitam obedientiam et obsequium mentis denegare dogmaticis Apostolicæ sedis definitionibus possunt ? Quòd si qui episcopi in recipiendis decretis fidei ejusdem sedis, uti velint libertate examinis atque judicandi de materiâ definitâ (nam de ipso superioris judicio inferiores non posse judicare vel adversarii fatentur), semper adhuc in episcopis catholicis assensus ex obedientiâ debitus erit præsumendus ; ea enim examinis et judicandi libertas cùm ipsos quoque episcopos non eximit à debito obedientiæ, quam sanctè juràrunt, tùm eos non liberat ab eo cordis obsequio et assensu, quem ex obedientiâ omnes debere iidem Galli professi sunt. Adde quòd ea sola libertas examinis atque judicii post editas apostolicas definitiones catholicis antistitibus Ecclesiæ filiis concessa est, quâ usi sunt Patres Chalcedonenses post promulgatam dogmaticam S. Leonis epistolam contr[...]

res Eutychis, quâ scilicet non licuit de definitis ambigere, sed post receptam ipsam epistolam ac definitionem actione primâ, licuit examen instituere actione tertiâ, ut suum judicium cum pontificio unientes, dissentientes docerent, et ad unitatem faciliùs adducerent. Vide quæ adnotavimus fusiùs cap. 13, § 13. Cùm episcopi in suis sedibus residentes hoc examen instituunt, suarum Ecclesiarum traditionem, ac fidem potissimùm expendunt, et cum definitione apostolicâ conferunt; et si quidem eam cum hâc concordare inveniant, suam lætitiam declarare suo calculo solent, eò quòd hâc ex concordiâ certi fiant, se et suas Ecclesias veram fidem tenuisse atque tenere. Hâc ratione olim episcopi Galli examen fecerunt, transmissâ ad se S. Leonis epistolâ, ut constat ex dictis supra cap. 13, § 15, ubi, recitatis eorumdem episcoporum verbis, animadvertimus, ipsos factâ collatione fidei, quam S. Leo suis in litteris definierat, cum traditione suarum Ecclesiarum, hanc idcircò cognovisse certam et catholicam fidem, quia cum Romanâ definitione concordabat; non verò è contra collegisse, Leonis definitionem esse veram, quia cum suarum ecclesiarum traditione convenire inventa est; et multò minùs indicâsse hanc consensionem illam esse, quæ judiciis pontificiis firmum et ineluctabile robur conciliet, uti Bossuetius ex sui systematis præoccupatione intulit lib. 9, aliàs 14, c. 1. Confer aliud recentiorum Gallicanorum testimonium editum in comitiis anni 1663, recitatum supra, hoc eodem capite § 3, quo ex unitate et concordiâ suæ fidei cum fide sedis Apostolicæ eamdem suam fidem invincibilem infallibilemque deducunt, non autem è contra. Eàdem pariter ratione ac iisdem ferè formulis usi sunt posteriores Gallicani episcopi, cùm receperunt dogmaticas constitutiones posteriorum pontificum. Quòd si quo casu deprehenderent suarum Ecclesiarum doctrinam à Romanâ definitione discrepare, hoc ipso monerentur, eam à veritate abhorrere, quia Romana fides est lydius lapis, ad quem ex S. Irenæi regulâ exigenda est cujusque Ecclesiæ traditio, ut discernatur, quæ vera sit fides, vel quæ errori deputanda : et ita illi semper et se et suas Ecclesias ad unitatem cum Romanâ fide, quæ catholicæ unitatis est centrum, deberent revocare, ne ab eâ fidei petrâ desciscerent, cum quâ omnes undique fideles convenire necesse est ratione primatùs, uti cum eodem S. Irenæo toties monuimus. Eadem igitur consensûs præsumptio est in iis catholicis episcopis, qui cum aliquo examine pontificia fidei decreta recipiunt (pauciores semper erunt), non minùs quàm in illis qui plurimi numero ea recipiunt ex obedientiâ : ex quibus omnibus elicitur Ecclesiæ consensus. Inanis ergo illa tergiversatio atque conditio cognoscitur, quâ quis ad vim coactivam dogmaticarum constitutionum sedis Apostolicæ adstruendam expectandum affirmet Ecclesiæ consensum, qui semper præsumendus est.

Quid porrò censendum sit de iis antiquorum testimoniis à Bossuetio congestis, quibus cum decretis dogmaticis Romanorum pontificum jungitur vel generalis synodi, vel totius orbis episcoporum auctoritas, et ex utrisque simul coactivum prorsùs atque irreformabile seu irretractabile ejusmodi judicium declaratur, et quatenùs ex his nihil præjudicii creetur auctoritati omninò coactivæ per sese eorumdem decretorum, intelliges ex dictis in fine cap. præced. At enim, inquies fortassis, si coactiva vis per sese inest definitionibus apostolicis, cur post editas ejusmodi definitiones congregatæ fuerunt aliquando synodi œcumenicæ? Cur in aliquot testimoniis Patrum earumdem synodorum addita auctoritas, aut episcoporum totius orbis consensus? Id expedire creditum est adversùs refractarios, aut dubitantes, ut tot Patrum concursu veritatem faciliùs edocerentur, et revocarentur ad sanum sensum atque obedientiam debitam; vel, si in errore adhuc persisterent, contumaciâ eorum palam innotescente, tanquàm hæretici ab omnibus haberentur. Hoc remedium obedientibus Ecclesiæ filiis necessarium non fuit. S. Augustinus exortâ Pelagianâ hæresi sufficere credidit solam apostolicam Innocentii pontificis sententiam, quâ *causam finitam* pro concione affirmavit; et affirmavit, cùm nondùm haberi poterat tacitus saltem universalis Ecclesiæ consensus. Crescente verò Pelagianorum tumultu, Zozimus etsi nihil minùs tribueret apostolicis Innocentii litteris, quàm Augustinus, ad illorum tamen nisus fortiùs toto orbe retundendos, episcoporum subscriptiones Tractoria edita obtinuit : et ita catholici Patres utramque Apostolicæ sedis omniumque episcoporum cum eâ conspirantium auctoritatem eidem hæresi opposuère, ut ne tamen de vi coactivâ litterarum Innocentii quidquam ambigerent. In causâ Eutychis dogmatica S. Leonis epistola cogendi vim apud Catholicos habuit : eam solam sufficere credidit S. Flavianus, ut ne opus esset convocatione generalis

synodi commovere universas Ecclesias. Renitentibus nihilominùs Eutychianis, Leoninæ epistolæ additæ fuerunt subscriptiones episcoporum tum Orientis, tum Occidentis, quæ expressum declarabant istorum episcoporum consensum. Cùm tamen id quoque apud refractarios non fuisset satis, convocata synodus Chalcedonensis, in quâ ex ipsorum adversariorum sententiâ dubitari à Catholicis non poterat de dogmate, quod et apostolicis litteris, et expresso tot episcoporum consensu fuerat firmatum. Sicut ergo cùm sancti Patres contra Eutychianos opposuerunt ejusdem concilii auctoritatem, non propterea inferendum est ipsos vim coactivam non cognovisse in expresso illo episcoporum subscribentium consensu; ita nec quidquam efficaciæ ademisse dicendi sunt Leonis decreto, cùm utramque et Leonis et synodi auctoritatem iisdem hæreticis opposuêre. Hoc quidem decretum per sese coactivum et irreformabile ratus S. pontifex, in examen et quæstionem adduci noluit in laudatâ synodo : sicut neque de apostolicâ definitione contra errores Nestorii S. Cœlestinus dubitationem moveri permisit in generali concilio Ephesino, ut cap. 13, suo loco observavimus.

Generalium igitur conciliorum convocatio ob refractarios quandoque necessaria, vi coactivæ apostolicarum definitionum nihil præjudicat, quibus sanè per sese tanta vis tribuenda est cum S. Irenæo, ut cum Apostolicâ Romanâ fide iisdem litteris propositâ omnes Christianos necesse sit convenire ; idque unum, ut ex eodem vetustissimo Patre audivimus, per sese ad hæreses discernendas ac revincendas sufficiat. Ne verò tantam vim tribuentes definitionibus apostolicis quidquam videamur detrahere synodorum generalium auctoritati, recolendum maximè est discrimen, quod alibi indicavimus, inter definitiones Romanorum antistitum, ac inter definitiones generalis synodi, aut expressum episcoporum totius orbis consensum. Illæ per se fidem ac traditionem proponunt centri ejus Ecclesiæ, quæ jure primatûs omnibus undique fidelibus conveniendi, seu unitatis et consensûs necessitatem imponit. Istæ autem proferunt fidem ac traditionem omnium Ecclesiarum totius catholicæ Ecclesiæ, quæ conveniens, ut necesse est, cum fide à traditione Romanâ, demonstrat evidentiùs fidem à Romanâ sede propositam, ac definitam esse simul fidem totius Ecclesiæ catholicæ, adeò ut nemo ab illâ desciscere queat, quin simul desciscat à totius Ecclesiæ catholicæ fide : quod si maximè est utile ad persuadendum, non tamen absolutè necessarium est, cùm per se sufficere debeat Romanæ cathedræ fides, quæ jure primatûs unitatem requirit.

Neque hìc quispiam existimet, in definitionibus pontificiis ad fidei unitatem vi coactivâ exigendam certum saltem esse debere Romanæ synodi, aut Romani cleri consensum. Ratio enim, ob quam cogendi vim S. Irenæus cum cæteris Romanæ fidei tribuit, in potentiori ipsius sedis principalitate fundata, illum tantùm respicit, in quo primatus residet. Hic autem primatus personæ unius Petri ac successorum ejus alligatus à Christo, ut capite constituto schismatis tollatur occasio, et fidei potissimùm unitas ab eo vindicetur, vim coactivam primatûs propriam ipsi uni ita adjudicat, ut ad eam exerendam in totâ Ecclesiâ nullius consortium aut consensum efflagitet. Hâc de causâ definitiones dogmaticæ, quæ ex veteri consuetudine in Romanâ synodo condi solebant, cùm ederentur in publicum, non ejusdem synodi, sed solius summi pontificis nomine inscribebantur; quia scilicet earum tota vis coactiva in universam Ecclesiam, non ex Romanæ particularis synodi auctoritate atque consensu, sed ex solius pontificis personali primatu atque jurisdictione originem ducit. Sed ut concludamus tandem hocce caput, rejectis jam omnibus adversariorum effugiis, nihil debet impedire quominùs unitas præsertim fidei, quam ipsa Gallicana Ecclesia cum Romanâ fide constanter tenendam fatetur, fidei à Romanis pontificibus propositæ ac definitæ ratione primatûs, ex adversariorum quoque catholicorum doctrinis et confessione exhibenda sit.

CAPUT XV.

Corollarium quo constituitur quid ex præstitutis principiis sequatur in eâ quæstione, num dogmaticæ Romanorum pontificum definitiones fidei infallibiles sint et haberi debeant. Adversariorum incohærentia notata. Antiquorum sensus ac testimonia Christi promissis innixa. Unum negandæ infallibilitatis fundamentum, quo adversarii fortiùs impediantur, è præsumptis quorumdam pontificum erroribus ductum, excutitur atque disjicitur.

§ 1. *Synopsis principiorum quæ præmisimus, et consequens proximum ex ipsis legitimè deductum quoad infallibilitatem Romanorum pontificum in definiendis controversiis fidei.* **Quàm**

incohærenter adversarii, concessis laudatis principiis, pontificiarum definitionum infallibilitatem, quæ ex iisdem legitimè sequitur, inficientur.

Hactenùs principia proposuimus, in quibus nobiscum, seu potiùs cum Ecclesiæ catholicæ sententiâ, cum Scripturæ ac traditionis sensu adversarii catholici vel omnes, vel ferè omnes et sapientiores conveniunt. Primò enim (c. 1) convenit, S. Petri primatum in Romanos pontifices ejusdem S. Petri successores transisse, eumque esse primatum (c. 2) non meri ordinis, sed præcipuæ jurisdictionis, ex quo præcipua ipsis jura primatûs propria, seu aliqua præcipua jurisdictio tribuenda est. Convenit pariter hunc jurisdictionis primatum (c. 3) soli S. Petro, Romanisque pontificibus ejus successoribus ita fuisse alligatum, ut jurisdictio propria primatûs iisdem tantùm competat, et personalis ipsorum sit, nec alii cuipiam communis. Convenit etiam hanc jurisdictionem primatûs propriam et personalem (c. 4) non humanæ, sed divinæ institutionis esse, quæ (c. 5) celebribus evangelicis testimoniis de S. Petro innititur; in quibus idem primatus, seu ratio et jurisdictio propria primatûs et institutionis divinæ (c. 6) ita contineri dicenda est, ut eadem testimonia, licet aliis quoque Apostolis, vel etiam episcopis Apostolorum successoribus aliquâ ratione aptari possint et convenire, non tamen in ratione et jurisdictione propriâ primatûs, qui cùm sit personalis, propria ejus ratio et jurisdictio soli Petro et successoribus ejus competit.

Quænam porrò sit hæc jurisdictio propria et personalis primatûs S. Petri et successorum ejus Romanorum antistitum in laudatis evangelicis testimoniis contenta (c. 7), ex fine instituendi primatûs, seu jurisdictionis præcipuæ et propriæ solius primatis, colligenda est traditione interprete ac duce. Ex traditione autem ipsi adversarii fatentur (c. 8), finem primatûs instituendi fuisse unitatem catholicæ Ecclesiæ, ob quam formandam et custodiendam primatus uni tantùm concedendus, soli Petro ejusque successoribus ab ipso Christo traditus fuit. Jus ergo, seu jurisdictio propria et personalis primatûs spectare debet hanc totius Ecclesiæ unitatem, cujus quidem centrum Romanus pontifex seu Romana cathedra ab iisdem adversariis agnoscitur. Jus itaque proprium primatûs (c. 9) huic unitati formandæ et conservandæ idoneum in Petro ejusque successoribus agnosci pariter debet, nimirùm jus quod ad unitatem Ecclesiæ necessariam omnes Catholicos cogat. Porrò (c. 10) duplex unitas, scilicet unius fidei et communionis unius adeò catholicæ Ecclesiæ necessaria est, ut inter omnes etiam adversarios conveniat, eum esse extra Ecclesiam, qui vel per hæresim deserit fidei unitatem, vel à communione Ecclesiæ separatur per schisma. Ut ergo Romanus pontifex utramque hanc unitatem catholicæ Ecclesiæ necessariam ex primatûs institutione conservet in universâ Ecclesiâ; idoneum jus ipsi asserendum est primatûs causâ, quo cogere possit omnes ad utramque fidei et communionis unitatem, seu ad tenendam secum communionem et eamdem fidem. Hoc qu dem jus, in quo præcipua ac personalis primatûs ratio et jurisdictio sita est, ne quid ex ingenio aut assentatione videremur comminisci, pluribus constituimus non solùm (c. 11 et 12) ex obviâ evangelicorum testimoniorum sententiâ, sed potissimùm (c. 13) ex traditione constantissimâ Patrum, quam decem et septem paragraphis enucleatiùs digessimus. Quin cùm hanc traditionem à majoribus acceptam adversarii catholici et docti manifestissimam noverint, idipsum aliquot testimoniis fateri coacti sunt, quorum insigniora capite decimo quarto collegimus, detectis subinde in eodem capite ac refutatis inanissimis quibusdam effugiis quæ non solùm carent traditionis subsidio, verùm etiam ex traditione repelluntur. Hæc sunt principia quæ in præcedentibus capitibus atque paragraphis constituimus.

Quid autem ex his sequatur in eam sententiam de inerrantiâ et infallibilitate summorum pontificum in definitionibus fidei, quam adversarii maximo conatu impetunt et impugnant, quisque omni præjudicio vacuus facilè intelliget. Si enim Romani pontificis jus præcipuum, proprium et personale ratione primatûs est jus cogendi omnes Catholicos totamque catholicam Ecclesiam ad eamdem secum unitatem, præsertim in fide; si hoc jus Petro tributum ob continendam et conservandam fidei unitatem ratione primatûs, non debuit in Petro desinere, sed ad successores ejus transivit; si ob hujusmodi finem S. Petri fides à Christo posita fuit tanquàm petra et fundamentum Ecclesiæ, cui tota Ecclesia incumberet et adhæreret unitate ejusdem fidei; si ob eumdem finem Christus voluit, ut in periculis et controversiis fidei, quibus dæmon cribrare niteretur Christianos, Petrus suâ fide confirmaret fratres, seu contineret in ejusdem suæ fidei unitate; si ob eumdem finem et officium, quod etiam post Apostolorum mortem Ecclesiæ in

perpetuum duraturæ necessarium futurum erat, Petri fides ac doctrina fidei non debebat desinere in Petro, sed transire ad ejus successores, in quibus ipse semper vivens ac per eorum os semper loquens et docens veram fidem, hujus unitatem contineret; si hàc de causà Romanorum pontificum fides habenda est uti fides Petri, et veluti ore ipsius Petri tradita, cui obedientia et obsequium etiam cordis præstandum est; si hinc orta est illa prærogativa Romanæ fidei particularis, quam omnes profiteri necesse est ut se catholicos probent, et à quà qui absunt, minimè catholici habiti et habendi sunt; Romanæ autem fidei nomine intelligitur doctrina non solùm à Petro, verùm etiam à successoribus ejus tradita ac definita, quæ ratione primatûs ad ipsos traducti eodem jure cogit omnes ad unitatem, ac cogebat fides Petri; et idcircò quod S. Irenæus dixit necesse esse omnes undique fideles convenire cum Romanà fide, idem est ac dicere necesse esse omnes convenire cum fide, quam Romani pontifices ex officio tradunt atque definiunt: si hæc, inquam, et alia ejusdem generis, quæ ex præmissis fluunt, vera sunt, et consequenter verum est dogmaticas eorumdem pontificum definitiones cogere totam Ecclesiam ad assentiendum eisdem, et ad ejusdem fidei unitatem omninò præstandam; quis non videat ejusmodi definitiones debere esse infallibiles? Bossuetius (lib. 15 Variat. n. 3) sermonem faciens de doctrinà Ecclesiæ catholicæ, hoc principium certissimum quarto loco ponit, « non licere discedere ab ejus Ecclesiæ « doctrinà idem esse aliis verbis ac dicere eam « doctrinam esse infallibilem. » Similiter igitur fateri necessarium esse convenire et non deserere unitatem cum definitionibus, seu doctrinà fidei Romanorum pontificum, idem est, ac fateri hanc esse infallibilem. Enimverò si qua ejusmodi definitio potest esse erronea, Ecclesia, quæ ad unitatem ejusdem fidei ratione primatûs cogitur, cogeretur ad assentiendum errori, quod ex promissis Christi Ecclesiæ factis est impossibile. Vel ergo negandum est primatûs jus præcipuum non respicere unitatem Ecclesiæ cum fide Petri et successorum ejus, quod ex Scripturà ac traditione ipsi adversarii concedere ac fateri compulsi sunt: vel si hoc extra dubium est, definitionum, quæ in unitatis bonum à Romanis pontificibus prodeuntes vi coactivà præditæ sunt, inerrantia in dubium revocari non potest. Videant ergo adversarii, num cum laudatis principiis, quæ ipsi quoque confitentur, cohæreant, quando concessis principiis inerrantiæ seu infallibilitatis consequentiam cæteroquin legitimam ac necessariam impugnant.

Neque verò hanc incohærentiam se declinare existiment, eò quòd fateantur necesse quidem esse omnes Christianos convenire cum fide Romanæ sedis seu Ecclesiæ, quam erroris expertem et infallibilem agnoscunt (vide Launoium part. 5, epist. 2, ad Antonium Varill.; Nicolii instructionem in articulum 10 Symboli c. 10; Dupinum, de antiq. Eccles. Disciplinà c. 2, etc.); non verò convenire etiam cum fide, quam definiunt summi pontifices, quibus tantummodò infallibilitatem denegant. Hæc enim distinctio inter Romanam sedem aut Ecclesiam et Romanos pontifices, cùm de doctrinà fidei et de jure cogendi ad fidei unitatem agitur, ex principiis jam constitutis ita refellitur, ut qui eam obtrudunt, cum iisdem principiis per ipsos quoque concessis haud concordantes, in idem incohærentiæ vitium recidant, quod vitare contendunt. Enimverò cur, rogo, necessarium esse fatentur, omnes Christianos convenire, seu unitatem servare cum Romanæ sedis et Ecclesiæ fide, hancque prærogativam soli Romanæ et nulli alii particulari Ecclesiæ vel sedi attribuunt? Utique *propter potentiorem principalitatem* respondebunt cum S. Irenæo, id est, propter primatum ejus unius proprium, qui quidem ob unitatem potissimùm fidei conservandam institutus, vi cogendi præditus ipsam necessitatem conveniendi in fide omnibus verè Christianis imponit. Quæ autem vis ac prærogativa Romanæ sedi, aut Ecclesiæ propter primatum concedenda est, Romanis pontificibus competit, in quibus tantùm est tota ratio primatûs, ita ut neminem in eo consortem, aut coadjutorem requirat, ut pluribus explicavimus et constituimus capite præcedenti § 5. Fides ergo Romanæ sedis vel Ecclesiæ, quæ eam conveniendi necessitatem affert ratione primatûs, alia non est nisi fides à Romanis pontificibus tradita, et in unitatis bonum, cùm opus est, ex ejusdem primatûs officio ac jure definita. Qui igitur apertissimis traditionis testimoniis convicti, necessarium fatentur convenire cum Romanæ sedis, seu Ecclesiæ fide, necessarium quoque fateri debent cum doctrinà fidei à Romanis pontificibus propositâ seu definitâ convenire; ac propterea infallibilem agnoscant oportet eam quam iidem proponunt definiuntque doctrinam fidei, quæ eadem est ac Ro-

manæ sedis et Ecclesiæ doctrina ac fides, cum quâ totam Ecclesiam convenire necesse est. Si quis adversariorum in hoc adhuc repugnet, quomodò cum concessis principiis concordet, non video.

§ 2. *Antiquorum traditio Christi promissionibus innixa, eamdem infallibilitatem atque inerrantiam satis declarat. Patrum testimonia deducta ex illâ Christi promissione :* Portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.

Quid refert, si apud antiquos, quos adversarii jure laudant, hæc quæstio ex proposito discussa non legitur, num Romani pontifices in definiendis controversiis fidei sint infallibiles? Idcircò enim id apud ipsos non legitur, quia nemo id in dubium et quæstionem adduxit. Certam verò apud antiquos viguisse sententiam, pontificias ejusmodi definitiones per sese errori non fuisse obnoxias ex certis Christi promissis, duo præsertim probationum genera ex antiquis petita prorsùs evincunt. Vulgatissima est illa promissio Christi, quâ postquàm affirmavit se ædificaturum Ecclesiam supra S. Petri confessionem seu fidem, quam *petræ* nomine designavit, spopondit : *Et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* Ipsum *petræ* vocabulum firmitatem soliditatemque indeficientem ejusdem fidei indicat; ex quo plures Patres eamdem soliditatem, quæ in Petri fide fuit, ad successores ejus transisse affirmàrunt. Hinc S. Leo : « Soliditas illius « fidei, inquit, quæ in Apostolorum principe « est laudata, perpetua est ; et sicut permanet « quod in Christo Petrus credidit, ita perma- « net quod in Petro Christus instituit. » Et recitato evangelico textu : *Super hanc petram,* etc., concludit : « Manet ergo dispositio veri- « tatis, et B. Petrus in acceptâ fortitudine « petræ perseverans, suscepta Ecclesiæ gu- « bernacula non reliquit. » Et alibi : « Soliditas enim illa, quam de petrâ Christo etiam « ipse (Petrus) petra factus accepit, in suos « quoque se transfudit hæredes. » Tanta autem, ac tam indeficiens soliditas Romanæ fidei, quæ à S. Petro in successores ejus Romanos pontifices transfusa est, debetur illi promissioni Christi : *Et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* Hæc quidem verba propriè referri ad eam petram supra quam Christus Ecclesiam ædificandam constituit, ex obvio contextûs sensu manifestum est. *Petræ* autem nomine significatam S. Petri confessionem ac fidem, quam prædicans fundamentum jecit Ecclesiæ, ex Patrum traditione probavimus cap. 12, § 1. Cùm itaque Christus super hanc Petri fidem, cujus depositum in Romanâ sede reliquit, et ad successores transmisit, suam Ecclesiam ædificari vellet, ut hoc ædificium in hujus fidei fundamento firmum consisteret, *petræ* soliditatem eidem fidei attributum iri promisit, contra quam portæ inferi non prævalebunt : cùmque hoc ædificium perpetuò esset duraturum, eidem fidei perpetua soliditas attribuenda erat, contra quam inferorum portæ non prævalerent, non solùm quoad S. Petrus viveret, verùm etiam sub successoribus ejus, ne sub his nutante eo fidei fundamento, et contra hoc prævalentibus portis inferni, contra ipsum ædificium Ecclesiæ eidem fundamento innixum prævalerent. Ita illa Christi verba : *Et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam,* dùm fundamenti stabilitati prospiciunt, ipsi quoque prospiciunt Ecclesiæ ; ac propterea ad utrumque commodè referri queunt, uti sanè à Patribus nunc ad petram, seu ad fidem Petri et successorum referuntur, nunc ad ipsam Ecclesiam, ne duæ istæ interpretationes invicem pugnare credantur, aut una alteram judicetur destruere; unde Origenes utrâque explicatione propositâ, utramque veram asseruit : « Nec enim, inquit, « adversùs petram, supra quam Christus Ec- « clesiam ædificat, nec adversùs Ecclesiam « portæ inferi prævalebunt. »

Profero jam selectiora Patrum testimonia, quibus illa promissio Christi refertur ad Petrum, seu ad Petri fidem, quæ in ejus successoribus æquè stabilis eodem privilegio fruitur.

S. Hilarius Petri fidem laudans lib. 6 de Trinit., c. 37 : « Hæc fides, ait, Ecclesiæ fun- « damentum est. Per hanc fidem infirmæ ad- « versùs eam sunt portæ inferorum. » Quibus illa : *Et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam,* ideò ad Ecclesiam pertinere innuit, quia non prævalebunt adversùs fidem Petri ; necesse enim omninò est, ne portæ inferi prævaleant contra eam fidem, per quam fiet, ne adversùs Ecclesiam prævaleant. Cùm nimirùm Ecclesia super Petri fidem ædificata, ipsi tanquàm fundamento ex Christi institutione debeat adhærere et incumbere, tuta non esset ab inferi portis, nisi hoc fundamentum ab iisdem nihil metueret.

S. Ambrosius de Incarnat. c. 5, n. 34, cùm Petri fidem agnoscat fundamentum Ecclesiæ, ipsam contra omnes hæreses debere prævalere

affirmat hâc ratione : « Non enim de carne « Petri, sed de fide dictum est, quia portæ « mortis ei non prævalebunt. »

S. Augustinus in Psalmo contra partem Donati, Romanorum pontificum serie laudatâ scribens : « Ipsa est petra quam non vincunt « superbæ inferorum portæ, » non ad unum Petrum, sed ad successores etiam ipsius in Romanâ sede eam Christi promissionem pertinere ostendit. Id quidem affirmavit probaturus nullum Donatistam in illo ordine fuisse; quod rectè consequitur, quia cùm Romani pontifices successores S. Petri, non minùs quàm Petrus, sint illa petra, contra quam inferorum portæ non prævalebunt, fieri non potuit, ut inter illos quispiam Donatistarum schisma et errores propugnans irreperet.

S. Cyrillus Alexandrinus lib. 4 de Trinit. exponens locum Matthæi c. 16 : *Tu es Petrus, et super hanc petram*, etc., ait : « Petram, opi- « nor, nihil aliud quàm inconcussam et fir- « missimam discipuli fidem vocavit, in quâ « Ecclesia ita fundata et firmata esset, ut non « laberetur et esset inexpugnabilis inferorum « portis. »

S. Leo epist. IV ad episcopos Gallicanos provinciæ Viennensis cap. 1 : « Hunc (S. Pe- « trum), inquit, in consortium individuæ « unitatis assumptum, id quod ipse (Christus) « erat, voluit nominari dicendo : *Tu es Petrus, « et super hanc petram ædificabo Ecclesiam*, « ut æterni templi ædificatio mirabili munere « gratiæ Dei in Petri soliditate consisteret, « hâc Ecclesiam suam firmitate corroborans, « ut illam nec humana temeritas posset appe- « tere, nec portæ contra illam inferi prævale- « rent ; » ubi soliditatem Ecclesiæ, contra quam portæ inferi non prævalebunt, ex Petri firmitate deducit. Quod item confirmans serm. 52, c. 1, Petri fide commemoratâ : « Tantùm, ait, in hâc fidei sublimitate com- « placuit, ut.... sacram inviolabilis petræ ac- « ciperet firmitatem, supra quam fundata « Ecclesia, portis inferi et mortis legibus « prævaleret. » Et serm. 83, c. 2, Christi verba : *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*, sic exposuit : « Super hanc, « inquit Christus, fortitudinem æternum ex- « struam templum, et Ecclesiæ meæ cœlo in- « serenda sublimitas in hujus fidei firmitate « consurget. Hanc confessionem inferi portæ « non tenebunt. »

Cum his concinit vetustissimum Sacramentarium Romanum, quod S. Leoni primo attributum est. In primâ enim oratione missæ 17 diei festi sanctorum Petri et Pauli hæc leguntur. « Deus, qui Ecclesiam tuam in apostolicâ « soliditate fundatam ab inferorum eruis ter- « rore portarum. » Et similiter in præfatione missæ 20 festi ejusdem : « Tui enim muneris « tuæque virtutis est, ut Ecclesia tua in apos- « tolicâ soliditate fundata, infernarum non « vincatur terrore portarum. »

Simplicius Papa epist. 4 ad Zenonem Augustum, eamdem Christi promissionem, non ad solius Petri, sed etiam ad successorum ejus Romanorum pontificum fidem extendi testatur. « Perstat enim, inquit, in successoribus suis « hæc et eadem apostolicæ norma doctrinæ.. « cui Dominus.... se usque ad finem seculi « minimè defuturum, cui portas inferi nun- « quàm prævalituras esse promisit. »

S. Gelasius in Commonitorio ad Faustum : « Cogitantes Christi vocem non esse super- « fluam, quæ confessioni B. Petri Apostoli « inferni portas nunquàm prævalituras asse- « ruit. » Idem habet in epist. 1 ad Euphemium. Ne autem id solius Petri confessioni, seu fidei concessum credatur, legi poterit epistola 14 ipsius ad Acacium, in quâ S. Petrum, qui Romæ requiescit, Romanæ sedi, id est, successoribus suis in eâdem sede, istud præstitisse affirmat, ut à portis inferi nunquàm pro Domini promissione vincatur.

In Romano Diurno, quem P. Garnerius edidit, profertur vetus formula litterarum Romani cleri ad exarchum de morte pontificis, in quâ de Romanâ Ecclesiâ scribunt, se confugisse ad Christum, ut ipse dignetur dare illi rectorem, « à quo fundata est, qui etiam est « pollicitus non ei prævalere portas inferi. »

Concordat inter Græcos Patres S. Theodorus Studita lib. 2, epist. 63, ad Neucratium, ubi mentionem faciens Apostolicæ sedis, in quâ Christus claves posuit fidei, hæc addit : « Adversùs quam (fidem in eâ depositam) non « prævaluerunt hactenùs, nec prævalebunt « usque ad consummationem portæ inferi, « ora scilicet hæreticorum, sicut pollicitus « est illi qui non mentitur. » Hinc nihil mirum debet accidere, si idem sanctus ex hâc Romanâ fide Christi promissis firmatâ in gravissimis dissensionibus inter Catholicos derivandam scripserit certitudinem fidei. Eodem nimirum libro 2, epist. 129, ad Leonem Sacellarium, scribens de quæstione circa cultum sacrarum imaginum, quæ Græcos diviserat, si

ad partes conciliandas generalis synodus convocari non posset : « Mittenda est, inquit, ad « Romanum ex utrâque parte legatio, et inde « fidei accipienda est certitudo. » Ea scilicet pars certa erit se tenere veram fidem, quæ suam fidem cum Romanâ consentientem, aut à Romanâ sede approbatam inveniet.

Ne prolixior sim, omitto testimonia Leonis IX, ex epist. 9 ad Michaelem Cerularium, cap. 7, Innocentii III, S. Anselmi Lucensis, Menologii Armeni, S. Brunonis Astensis, cardinalis Bessarionis et aliorum qui eadem Christi verba : *Et portæ inferi,* etc., ad S. Petrum, vel ad ejus fidem, aut ad Romanam sedem referunt. Quæ hactenùs ex antiquis retulimus, sufficere debent.

Ex hâc primâ Christi promissione quatenùs infallibilitas Romanorum pontificum definitionibus asserenda sit, quis non intelligat? Si enim Ecclesiæ infallibilitatem ipsi quoque adversarii ex eo colligunt, quia Christus promisit fore, ne contra eam inferi portæ prævaleant, nonne exinde pariter deducenda est infallibilitas fidei à Romanâ sede propositæ, cùm eadem Christi promissio ex Patrum traditione et contextu ipso evangelico referenda sit ad eam fidei petram, cui tota Ecclesia superstructa est? Præclarè in hanc sententiam S. Franciscus Salesius in opere manuscripto contra hæreticos Gallicâ linguâ exarato, quod in bibliothecâ Chigianâ custoditum inscribitur : *De l'autorité et primauté de S. Pierre et des souverains pontifes ses successeurs.* Recitato enim textu : *Tu es Petrus,* etc., verbis illis, *et portæ inferi,* etc. quæ ad petram refert, commentarium subjicit quod sic à nobis translatum est : « His verbis Dominus noster hujus fundamenti « perpetuitatem et immobilitatem ostendit. « Petra supra quam constructum est ædifi« cium, primaria est : cæteræ supra ipsam « consistunt. Fieri quidem potest, ut dimo« veantur, et corruant alii lapides absque « ædificii ruinâ : at qui fundamentum sub« movet, ædificium subvertit. Si ergo portæ « inferi nihil possunt contra Ecclesiam, nihil « possunt contra ejus fundamentum et caput, « quod ipsæ non possent submovere et ever« tere, quin totum subverterent ædificium. »

§ 3. *De alterâ Christi promissione Petro factâ :* Oravi pro te, ut non deficiat fides tua, *etc., quid Patres tradiderint, unde adstruenda est Romanorum pontificum inerrantia.*

Alterum promissum Christi exhibetur illis ejus verbis, quibus postquàm de communi omnium discipulorum tentatione et periculo monuit Luc. 22, v. 32 : *Ecce satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum*, remedium subjecit ex fide Petri, pro quâ se orâsse ait, ne deficeret, ut fide suâ alios confirmans, omnes diaboli molitiones irritæ fierent : *Ego autem oravi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* De hoc textu in vim cogendæ et conservandæ unitatis omnium Christi fidelium non solùm cum fide Petri, verùm etiam cum fide successorum ejus, vide quæ disseruimus cap. 12, § 2. Nunc ad infallibilitatem et inerrantiam quod attinet, ut aliquid dicam, certum est, hunc textum, qui in conservationem unitatis fidei idoneum remedium præscribit eorum scandalorum, quæ ad discindendam eam unitatem diabolus excitaturus esset in Ecclesiâ, non minùs ad Petrum esse referendum, quàm ad successores ejus, quibus sanè vi hujus mandati onus incumbere confirmandi fratres in fide, Patrum traditio et adversarii quoque fatentur, ipso testante Bossuetio : « Hoc ergo ex officio Petrus habet, « hoc Petri successores in Petro acceperunt, « ut fratres confirmare jubeantur. » Si autem ea pars textûs recitati, quâ Christus jussit Petrum confirmare fratres in fide, ad Romanos quoque pontifices Petri successores ob vindicandam custodiendamque in totâ Ecclesiâ fidei unitatem ratione primatûs pertinet, ad ipsos etiam referenda est pars alia : *Ego autem oravi pro te, ut non deficiat fides tua ;* quæ in gratiam laudati præcepti de confirmandis fratribus præmissa fuit, cùm præsertim hujus remedii major sub Petri successoribus, quàm sub Petro, necessitas futura esset, ut vel Bossuetius, quem loco supra adducto laudavimus, confessus est.

Aliis quidem episcopis idem confirmandi officium commissum, si quando suis in Ecclesiis aliquod scandalum contra fidei unitatem excitaretur; nec tamen idcircò pro cujusque episcopi fide ita orâsse Christus dicendus est, ne deficiat, ut pro fide Petri oravit; nec exinde cuique episcopo infallibilitas asseri potest. Magnum siquidem est inter alios episcopos et Romanos pontifices discrimen. Cùm illi singularibus præsint Ecclesiis, si in fide deficerent, in errorem non traherent totam Ecclesiam, ac propterea infallibilitatis promissio totam Ecclesiam respiciens, ipsis necessaria non fuit. At Romani pontifices cùm non minùs quàm Petrus, ex primatu universæ præsint

Ecclesiæ, et in periculis fidei unitatem ejusdem fidei debeant in eâ tueri et continere confirmandorum fratrum officio; quod dùm ex jurisdictione sibi competente et in finem primatûs necessariâ exercent, non sine vi coactivâ unitatis exercent : si deficerent in fide, in errorem traherent totam Ecclesiam, quæ jure primatûs ipsorum fidei debet adhærere ; ac idcircò ne et ipsi deficerent in fide, oratio Christi interposita dicenda est. Evangelicus quidem textus specialem rationem pro fide Petri à Christo habitam præfert. Etsi enim is ad omnes Apostolos loqueretur, et de tentatione omnibus communi ageret : *Satan expetivit, ut cribraret vos;* huic tamen omnium periculo prospecturus, pro Petri fide, ne deficeret, se orâsse subjiciens, hanc promissionem ad solius Petri personam speciali primatûs ratione referendam significavit, ut monuit S. Leo serm. 4, aliàs 3, c. 3, ubi recitato testimonio evangelico : *Ego oravi pro te*, etc., hanc observationem explicationemque subtexuit : « Commune erat omnibus Apostolis periculum de tentatione formidinis, et divinæ protectionis auxilio pariter indigebant, quoniam diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere : et tamen specialis à Domino Petri cura suscipitur, et pro fide Petri propriè supplicatur, tanquàm aliorum status certior sit futurus, si mens PRINCIPIS victa non fuerit. » Quæ ratio ex primatu S. Petri ducta, ut vox, *principis*, indicat, cùm aliis Petri successoribus sit communis, ad ipsos quoque eumdem orationis Christi effectum transisse non est dubitandum ; adeò ut cùm Christus propriè supplicavit pro Petri fide, pro fide quoque successorum ejus, in quibus vivit et loquitur S. Petrus, propriè supplicârit, tanquàm aliorum totius orbis fidelium et episcoporum statûs certior sit futurus, si mens *principis* successoris S. Petri victa non fuerit : quod aliis episcopis aliorum Apostolorum successoribus singillatim non competit.

Bossuetius in *Meditationibus* super Evangelium die 70, sic Christi verba explicat : « Satan expetivit, ut cribraret vos : ego autem, Petre, oravi pro te, pro te speciatim, pro te distinctè, non quòd alios neglexerit, sed, ut explicant sancti Patres, quia firmato capite impedire volebat, ne membra nutarent. » Quem in finem paulò post declarat, « S. Petrum ob orationem Christi recepisse fidem constantem, invincibilem, inconcussam et ita abundantem, ut ipsa apta fuerit ad confirmandum non solùm alios fideles, sed etiam fratres suos Apostolos et pastores gregis. » Hæc autem ad primatum pertinere, qui ad successores transivit, et exinde Romanam fidem invincibilem efficere, adstruit in Meditatione diei 72.

Hinc sicut jure non minùs præceptum confirmandi fratres, quàm Christi orationem pro Petri fide, id est, totum evangelicum textum de Petro, Romanis pontificibus ejus successoribus aptârunt Gelasius, Pelagius II, Vitalianus et Adrianus I pontifices; ita pariter ex eâdem oratione et promissione Christi pro indefectibilitate et inerrantiâ fidei Petri, inerrantiam et indefectibilitatem Romanæ sedis, seu Romanorum pontificum in doctrinâ fidei collegerunt S. Agatho in epistolâ ad imperatorem Constantinum, quæ in sextâ synodo œcumenicâ à Patribus suscepta et approbata fuit, S. Leo IX, in epist. ad Petrum Antiochenum, Arnulphus Historiæ Mediolanensis lib. 5, c. 7, Paschalis II, in concilio Lateranensi apud Urspergensem; et Innocentius III, in litteris ad patriarcham Constantinopolitanum, apud Bosquetum in Gestis ejusdem pontificis. Concordant sancti Ecclesiæ Patres, qui cùm confirmandi præceptum Petro impositum ad Romanos etiam pontifices ejus successores extenderunt, orationem quoque Christi pro fide Petri, ne deficiat, ut fratres tutè confirmaret, ad illorum pariter fidem, dùm confirmandi officio et præcepto satisfaciunt, referri præsumpserunt, uti ex vetustiorum utique Patrum traditione expressè inter cæteros declaravit S. Bernardus epist. 190, al. opusc. XI, ad Innocentium II : « Oportet, ait, ad vestrum referre apostolatum pericula quæque et scandela emergentia in regno Dei, et præcipuè quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potissimùm resarciri damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum. Hæc quidem hujus prærogativa sedis. Cui enim alteri aliquando dictum est : *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua?* Ergo quod sequitur, à Petri successore exigitur : *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* » Vides confirmandi officium in Petri personâ Romanis pontificibus impositum, non disjungi à Christi promissione, ob quam certum præmiserat, in Romanâ sede *non posse fidem sentire defectum?* Quod utrumque paucis complexus venerabilis Guigo Majoris Cartusiæ prior in litteris ad eumdem pontificem, tomo 3 Operum S. Bernardi insertis, sedis Apostolicæ

fidem atque constantiam, *ipso, qui eam dedit prædicente, et prædicendo roborante* (Christi promissionem Petro factam respicit) *non solùm non defecturam, sed et alios confirmaturam* scripsit. Et S. Anselmus episcopus Lucensis in opusculo adversùs Guibertum: « Cùm pro « fide Petri, ne deficiat, à Christo oratum sit, « unius Romani patriarchæ fides, in quâ fra- « tres suos confirmet, nunquàm deficiet. »

Hanc traditionem Patrum exceperunt scholastici, inter quos satis erit audire testimonium Angelici doctoris S. Thomæ Aquinatis, qui in cap. 6 Matthæi Christi orationem S. Petri Ecclesiæ aptans: « Sola Petri Ecclesia, inquit, « inviolata permansit; unde Lucæ 22: *Ego « rogavi pro te,* etc. » Et 2 - 2, quæst. 1, a. 10, id summo pontifici necessarium fuisse insinuans, ut ad fidei unitatem omnes tutè cogeret, ait: « Dominus, Lucæ 22, Petro dixit, « quem summum pontificem constituit: *Ego « pro te rogavi*, etc. Et hujus ratio est quia « UNA FIDES debet esse totius Ecclesiæ secun- « dùm illud 1 Cor. 1: *Idipsum dicatis omnes, « et non sint in vobis schismata;* quod servari « non posset, nisi quæstio fidei exorta determi- « netur per eum, qui toti Ecclesiæ præest, ut « sic ejus sententia à totâ Ecclesiâ firmiter « teneatur. » Concinit vetustior auctor Gallicanus Jacobus Cardinalis de Vitriaco in Historiâ Orientali cap 75, inquiens: « Cùm super « hanc petram, pro quâ Dominus rogavit, ut « non deficeret fides ejus, post Christum ædi- « ficata sit et fundata Christi Ecclesia, » etc. Neque dissentiunt episcopi Galli, qui anno 1653, loquentes de vetustissimo more referendi causas majores, præsertim fidei, ad sedem Apostolicam, dùm scripserunt ad Innocentium X: « Quem (morem) fides Petri nun- « quàm deficiens, perpetuò retineri pro jure « suo postulat. » Verbis, *nunquàm deficiens,* orationem et promissionem Christi Petro factam, ad successores quoque ejus propagatam respexère. Quod clariùs explicârunt triginta ex iisdem episcopis, cùm paulò post in litteris ad eumdem pontificem affirmârunt, summorum Apostolicæ sedis antistitum decreta circa fidem *divinâ æquè ac summâ per universam Ecclesiam auctoritate niti*, idque deduxerunt *ex Christi Domini nostri pollicitatione Petro factâ*, ex illis scilicet verbis: *Oravi pro te,* etc., quam utique sententiam ex antiquorum traditione susceperant. Antiqui igitur cùm Romanorum pontificum, seu Romanæ Ecclesiæ fidem illam habuerint, *contra quam portæ inferi non prævalebunt*, et pro quâ Christus oravit, *ne deficeret,* nonne eam ex memoratis Christi promissis esse infallibilem credidisse satis apertè declarâsse dicendi sunt? Id expressè collegit S. Franciscus Salesius, cùm in manuscripto opere, quod in bibliothecâ Chigianâ Romæ inveni, cap. 10, consideratis periculis fidei, quæ cùm identidem incidant, remedio semper prompto et infallibili indigent, scriptum reliquit: « Ec- « clesia semper eget confirmatore infallibili, « ad quem confugere liceat, et fundamento, « quod portæ inferi et præcipuè error nequeat « subvertere, et pastore qui suos filios ad erro- « rem ducere nequaquam possit. Successores « ergo S. Petri his omnibus privilegiis potiun- « tur, quæ non personæ (ita scilicet ut cum « personâ intereant) sed dignitatis et muneris « publici (ad successores traducti) privilegia « sunt. » In his verbis cùm voces, *confirmatoris,* et *fundamenti,* ad ea duo evangelica loca Romanis pontificibus aptata referuntur, quæ duas infallibilitatis promissiones continent; tum verò infallibilitatem eorumdem in definitionibus fidei ex iisdem promissis Christi agnitam manifestissimè adstruunt; unde etiam in sermonibus de quibusdam controversiis part. 3, serm. 10, idem sanctus summum pontificem *Christi vicarium et interpretem infallibilem* vocat.

§ 4. *Traditio Patrum de indefectibilitate et integritate constanti fidei in Romanâ cathedrâ.*

Hinc quidem Apostolicam fidem nunquàm defecisse in cathedrâ atque Ecclesiâ Romanâ, intemeratamque semper fuisse custoditam perpetua Patrum traditio docuit. S. Irenæus, postquàm affirmavit necesse esse, omnes undique fideles convenire cum Romanæ Ecclesiæ fide, addidit: « In quâ semper ab iis qui sunt « undique conservata est ea quæ ab Apostolis « est traditio. »

S. Cyprianus epist. 55, cùm pontifici et clero Romano nihil se metuere affirmavit à Novatianorum fraudibus, qui ausi fuerant « navigare ad Petri cathedram et Ecclesiam « principalem, unde unitas sacerdotalis orta « est, » hanc veluti rationem adjecit, « eos « esse Romanos, quorum fides Apostolo præ- « dicante laudata est, ad quos perfidia habere « non possit accessum. « Non dixit tantùm, non habet accessum, sed, *habere non possit.* Censuit itaque Romanam fidem non solùm non defecisse unquàm, sed nec posse deficere. Confer, quæ in hunc textum animadvertimus

cap. 13, ubi etiam objectum resistentiæ ejusdem sancti contra decretum Stephani de non rebaptizandis venientibus ab hæresi, vel schismate, disjecimus.

S. Hieronymus lib. 2 in Rufinum num. 12, Romanam fidem, quam laudavit S. Paulus, nec decipi, nec mutari posse pronuntiavit. « Scito « Romanam fidem apostolicâ voce laudatam « istiusmodi præstigias non recipere. Etiamsi « angelus aliter annuntiet, quàm semel præ« dicatum est, Pauli auctoritate munitam non « POSSE mutari. » In epistolâ ad Damasum scribens: « Apud vos solos incorrupta Patrum « servatur hæreditas, » fidem à Petro et successoribus traditam in Romanâ sede tantùm *incorruptè* custoditam significat.

Bachiarius in Apologiâ de fide, quam Muratorius vulgavit, eamdem Romanæ cathedræ indefectibilitatem in fide testatur. « Si pro « culpâ unius totius provinciæ anathemanda « generatio est, damnetur et illa beatissima « discipula, hoc est, Roma, de quâ nunc non « una, sed duæ, vel tres, aut eò ampliùs hæ« reses pullulârunt; et tamen nullam earum « cathedram Petri, hoc est, sedem fidei aut « tenere potuit aut movere. »

Theodoretus epist. 116 ad Renatum Romanæ Ecclesiæ presbyterum intemeratam et incorruptam Romanæ sedis fidem ex primatu eliciens, scripsit: « Habet sanctissima illa sedes « Ecclesiarum, quæ in toto sunt orbe, princi« patum multis nominibus: atque ante hæc om« nia quòd ab hæreticâ labe immunis mansit, « nec ullus fidei contraria sentiens in eâ sedit, « sed apostolicam gratiam integram conser« vavit. »

Id persuasum fuisse antiquæ Romanæ Ecclesiæ liquet ex vetustissimo sacramentario Leonis nomine in priori editione inscripto, ubi hæc præfatio legitur in Missâ 9 diei Natalis SS. Petri et Pauli: « Tui est operis tuæque « virtutis, ut beatorum Apostolorum Petri et « Pauli gloriosa confessio nec capiatur un« quàm falsis, nec perturbetur adversis; sed « cœlestis eruditio sicut per eos ab ipsâ veri« tate suscepta, posterisque mandata est, « ita iisdem suffragantibus intemerata per« duret. »

S. quoque Gelasius in epist. 8 ad imperatorem Anastasium inquiens: « Hoc est quod « sedes Apostolica maximè cavet, ut quia « mundo radix est (id est, centrum unitatis « fidei) Apostoli gloriosa confessio, nullâ rimâ « pravitatis, nullâ prorsùs contagione macu« letur. Nam si (quod Deus avertat, quod fieri « non posse confidimus) tale aliquid proveni« ret: unde cuiquam resistere auderemus er« rori? vel unde correctionem errantibus po« sceremus? » Nonne verbis, *quod fieri non posse confidimus*, indefectibilitatem in fide certissimam prætulit? Hunc Gelasii textum Bossuetius lib. 10, al. 15, Defensionis, c. 9, part. 2, eludere nititur affirmans verbum, *confidimus*, designare quidem pium votum, piam fiduciam, ne aliquid tale contingat, non verò certitudinem. Cùm S. Paulus scripsit 1 Cor. c. 7: *Puto autem quòd et ego Spiritum Dei habeam;* num ex verbo, *puto*, opinionem tantùm et fiduciam, non autem certitudinem divini Spiritûs in Paulo loquentis scribentisque quispiam colliget? Gelasium verò eâ de re veram certitudinem gessisse quis dubitet, cùm indefectibilitatem Romanæ sedis et pontificum Romanorum in fide duabus Christi promissionibus innixam tradiderit aliis in epistolis, quas ante memoravimus. Cavendum itaque, ne aliæ similes, vel etiam moderatiores aliorum pontificum de eo privilegio loquentium formulæ, quæ à modestiâ proficiscuntur, in argumentum incertitudinis transferantur.

Neque hæc constans traditio excidit sub Hormisdâ pontifice, quippe qui eam professionem ab Orientalibus subscribendam direxit, in quâ id apertè asseritur et ad Christi promissa refertur. « Prima salus est rectæ fidei regulam « custodire, et à Patrum traditione non de« viare. Quia non potest Domini nostri Jesu « Christi prætermitti sententia dicentis: *Tu « es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ec« clesiam meam.* Hæc quæ dicta sunt, rerum « probantur effectibus, quia in sede Aposto« licâ inviolabilis semper catholica servatur « religio. » Hæc autem ipsa professio à cunctis Orientis episcopis subsignata, et à Justiniano etiam imperatore ad Agapetum missa, necnon totidem verbis expressa et recepta legitur in concilio generali VIII, « ut certum sit (utar « Bossuetii verbis) hanc formulam in totâ Ec« clesiâ catholicâ comprobatam, omnesque « Ecclesias subsignatâ formulâ professas.... « sedis Apostolicæ et Ecclesiæ Romanæ fidem « integrâ et perfectâ soliditate constare, ac ne « unquàm deficiat, CERTA Domini POLLICITA« TIONE firmatam. Illam igitur propositionem: « *In sede Apostolicâ inviolabilis semper catholica « servatur religio,* insertam formulæ fidei ubi« que diffusæ, omnibus seculis propagatæ, ab « œcumenico concilio consecratæ quis respuat

« Christianus? » Sunt pariter laudati Bossuetii verba. Confer, quæ in hanc celebrem fidei professionem diximus cap. 13, § 16.

Sexta quoque generalis synodus Agathonis litteras recepit tanquàm à Spiritu sancto dictatas, et S. Petri manu scriptas, in quibus de sede Apostolicâ traditur: « Nunquàm à viâ « veritatis in quâlibet erroris parte deflexa est, « et à tramite Apostolicæ traditionis nunquàm « errâsse probabitur, nec hæreticis pravitati« bus depravata succubuit; sed ut ab exordio « fidei christianæ percepit ab auctoribus suis « Apostolorum Christi principibus, illibata « fine tenùs permanet, idque secundùm ipsius « Domini Salvatoris divinam pollicitationem, « qui fidem Petri non defuturam promisit. » Eo nimirùm textu: *Oravi pro te*, etc., quem totidem verbis recitavit. Hæc autem verba, *concilii Patres audisse et suscepisse*, Bossuetius fatetur.

Post tam illustria et antiqua testimonia, quæ vetustam traditionem abundè comprobant, alia atque alia permulta subsequentium seculorum, quæ eamdem traditionem ad nos usque perductam ostendunt, addere superfluum existimo. Hæc verò omnia, ex quibus exploratum fit antiquos tradidisse catholicam fidem semper intemeratam fuisse custoditam in sede S. Petri et in Ecclesiâ Romanâ, hancque prærogativam retulisse in duo illa Christi promissa: *Et portæ inferi non prævalebunt*, etc.: *Ego autem oravi pro te*, etc.; nonne satis superque demonstrant, eos credidisse Romanos pontifices in tradendis fidei dogmatibus esse infallibiles?

§ 5. *Effugia episcopi Meldensis, quibus memoratas Christi promissiones antiquorumque traditionem aliorsùm distrahere et interpretari studuit, rejiciuntur.*

Cùm hisce promissis Christi antiquorumque testimoniis, quæ ad inerrantiam et infallibilitatem asserendam efficacissima vidimus, premeretur contrariæ nobis sententiæ vindex præcipuus Jacobus Benignus Bossuetius episcopus Meldensis, ut ab iisdem sese expediret, aliquot interpretationes attulit, quibus aliqua testimonia soli S. Petro convenire affirmavit, quædam Ecclesiæ catholicæ, quædam Ecclesiæ seu cathedræ Romanæ, non autem solis Romanis pontificibus successoribus S. Petri: et si quidem nonnulla de istis loqui negare non potuit, ea non de singulis seorsim sumptis, sed de ipsorum serie ac successione ita esse accipienda ingessit, ut in eâ serie semper fides à Petro tradita fuerit custodita et custodienda semper sit usque ad consummationem seculi, semperque ab eâ confirmandi sint fratres in fide; et hâc ratione verum esse contra ipsam non prævaluisse unquàm inferi portas, nec posse prævalere, efficacemque fuisse orationem Christi pro fide S. Petri, ne vel in successoribus ejus deficiat: ut ne tamen hinc sequatur, neminem ipsorum seorsim posse aliquando errare in doctrinâ fidei; hoc enim casu, quo quispiam illorum mutaret, aut deficeret in fide, vel mox correctus per sese resipisceret, vel error ejus corrigeretur à concilio, aut ab Ecclesiâ, aut à successore ipsius, sicque in serie pontificum fides S. Petri nunquàm deficiens immota stabit et conservabitur usque in finem. Vide præsertim Bossuetii librum 10, al. 15, Defensionis, c. 5.

Hæ verò interpretationes, seu potiùs effugia, quàm vana et inutilia sint ad rem de quâ agimus, facillimè detegetur, ni præjudicia justum rectumque judicium impediant. Promissiones illas divinas Petro factas de indefectibilitate fidei, quas antea explicavimus, ipsius Petri fidem præcipuè respicere nemo negaverit. Id tantùm dico, eas non ad unius Petri, sed ad successorum quoque ejus fidem referri. Cùm enim illa testimonia evangelica, quæ laudatas Christi promissiones continent, ex traditione ab adversariis quoque approbatâ ad constituendum Petri primatum pertineant, id autem quo primatus S. Petri constitutus fuit, non soli Petro, sed etiam successoribus ejus Romanis pontificibus ejusdem primatûs hæredibus competat, ut iidem adversarii fatentur, necessariò sequitur, ea testimonia atque promissiones Christi ipsis testimoniis contentas, quo sensu conveniunt fidei S. Petri, fidei etiam successorum ejus pariter convenire; et sicut fidei S. Petri conveniunt ratione primatûs ob formandam et conservandam in totâ Ecclesiâ unitatem potissimùm fidei, eâdem ratione de fide Romanorum pontificum, quam ob vindicandam fidei unitatem eodem primatûs jure atque officio definiunt, esse accipiendas.

Qui porrò ea testimonia accommodant fidei Ecclesiæ catholicæ, si modò non excludant fidem à Petro et successoribus ejus catholicæ Ecclesiæ propositam, quæ ipsius Ecclesiæ fidem ex institutione Christi et jure primatûs continet in catholicâ unitate, nemo reprehenderit. Ita enim promissiones Christi ad Petri et successorum ejus fidem pertinentes, ad ipsius Ecclesiæ catholicæ fidem bonumque revocan-

tur, quatenùs Ecclesiæ catholicæ fides adhærens fidei Petri et successorum ejus, ex hâc adhæsione atque unitate perinde firma et indefectibilis futura sit, ut ex laudatis Christi promissis firma et indefectibilis erit Petri et successorum ejus fides. Si autem negent convenire ei fidei quæ est petra et fundamentum Ecclesiæ, certumque catholicæ unitatis et fidei centrum, repugnent necesse est Christi institutioni atque rationi primatûs, qui ob unitatem potissimùm fidei firmandam et custodiendam institutus, omnium fidelium unitatem cum Petri ac successorum ejus fide necessariò requirit, ut ex Scripturâ ac traditione probavimus.

Bossuetius, in primâ pastorali epistolâ de Christi promissis factis Ecclesiæ scripsit n. 32 : « Si ergo firmiter adhærebimus huic cathedræ (de Romanâ cathedrâ S. Petri loquitur, id est, de eâ doctrinâ fidei, quæ è cathedrâ S. Petri traditur), tuti erimus de Jesu Christi promissis. » Si adhærentes cathedræ Romanæ, unde eduntur definitiones et decreta fidei, *tutos* affirmat ex promissis Christi; promissiones utique Christi laudatas Romanæ cathedræ, seu fidei ex eâ cathedrâ editæ factas agnovit : cùmque distinctio inter fidem cathedræ et fidem Romanorum pontificum ei cathedræ insidentium ex ipso Bossuetio repudianda sit, ut ex ejus verbis mox recitandis audiemus, laudatæ promissiones, si referantur ad Romanæ cathedræ fidem, fidei Romanorum pontificum ex ipsâ cathedrâ propositæ competere dicendæ erunt.

Cùm porrò hujus primatûs ratio et vis S. Petri et successorum ejus sit personalis, nec ad hujusmodi jus personale exerendum alius cujusquam consortium atque subsidium efflagitet, ut ante observavimus, quidquid ejusmodi primatûs causâ ob unitatem fidei vindicandum, Romanæ sedis, seu Ecclesiæ fidei tribuendum negari non potest, ipsorum Romanorum pontificum personæ ac fidei adscribendum est, nec perinde ei sedi, cathedræ, vel Ecclesiæ potest attribui, ac si aliquid à personâ et fide pontificum distinctum intelligendum sit (vide supra). Bossuetius itaque cùm lib. 10, al. 15, c. 5, expressè fateatur, se « non distinguere à « Romanorum pontificum fide Romanæ Ecclesiæ fidem; » dùm traditione coactus Romanæ Ecclesiæ fidei inerrantiam et indefectibilitatem asserit, eamdem Romanorum pontificum fidei debet asserere : cùm præsertim Romanæ Ecclesiæ fidem eam esse affirmet, « quam scilicet non aliter quàm à Petro primo « atque à Petri successoribus Romani didicerint. »

Restat ultimum Bossuetii effugium, quo indefectibilitatem in fide sedis Apostolicæ et Romanæ Ecclesiæ à traditione assertam, non singulis Romanis pontificibus, sed ipsorum seriei ac successioni adscribendam putavit. Vir in antiquorum lectione apprimè versatus vidit, ex certâ constantique omnium seculorum traditione Christi promissis innixâ, quam § 4 explicavimus, fateri oportere nunquàm defecturam Romanæ Ecclesiæ fidem, ac proinde in fide ejusdem Ecclesiæ aliquid *immotam* et firmum esse admittendum, quod nunquàm deficiet. Id satis perspicitur ex ipso titulo capitis sexti libri decimi, al. 15 Defensionis, ubi hæc leguntur : « Traditio Patrum de fide et « Ecclesiâ Romanâ, deque sede Apostolicâ « nunquàm defectura; » et apertiùs in textu ejusdem capitis his verbis : « Sancti Patres « ab ipsâ Christianitatis origine dùm quærunt « illud IMMOTUM in fide, quod Ecclesiæ princi- « pali, Romanæ scilicet, inesse necesse sit : » quibus fidem omninò *immotam*, et consequenter indefectibilem Romanæ Ecclesiæ sanctorum Patrum traditione ab ipsâ Christianitatis origine tributam, et necessariò tribuendam fatetur. Cùm porrò hæc peculiaris prærogativa non alio nomine à Patribus Romanæ fidei fuerit attributa, nisi ratione primatûs, qui ipsorum pontificum personalis est, idem vir clar. necessarium quoque intellexit, hoc *immotum* et indefectibile ex traditione admittendum in Romanâ fide, non esse à fide ipsorum pontificum distinguendum, ut in textu quinti capitis sub finem præcedentis numeri recitato expressè declaravit. Ne autem hoc *immotum* et indefectibile Romanæ fidei à fide quam Romani tradunt pontifices, haudquaquàm separandum, assereret cuique pontifici fidem docenti ac definienti, quod infallibilitatem omnium et singulorum in nostram sententiam adstrueret; illud non singulis seorsim sumptis, sed toti seriei ac successioni adjudicandum putavit. Ita conciliari posse censuit traditionem Patrum cum suâ et adversariorum nostrorum sententiâ, si vi traditionis veram fidem in eâ serie ac successione immotam et nunquàm defecturam credamus, quæ licet vacillare et deficere possit, et de facto nutaverit in nonnullis, mox tamen revictura, et vel ab ipso qui erravit, vel saltem à successoribus vindicanda, in eâ serie ac successione nequaquàm deficiet. Hoc sensu

laudato cap. 5, scripsit : « Accipiendi ergo « Romani pontifices tanquàm una persona « Petri, in quâ NUNQUAM fides Petri DEFICIAT. « Atque ut in aliquibus vacillet aut concidat, « non tamen DEFICIT in totum, quæ statim re« victura sit... Nec porrò aliter ad consumma« tionem usque seculi in totâ pontificum suc« cessione eventurum esse CERTA FIDE credi« mus. » In totâ pontificum successione, inquit, non in singulis pontificibus : et similiter in Corollario § 8, de solâ successione affirmavit : « Neque successionem ejus (S. Petri) unquàm à fide abrumpendam ; » idque inter ea refert, quæ certâ traditione constare professus fuerat. Hæc fusiùs proponenda, ne quid tanto scriptori perperàm affictum putetur.

Num verò de unâ eâdemque Romanâ fide à fide Romanorum pontificum non distinguendâ absque contradictione manifestâ affirmari potuerint hæc duo, nimirùm eam fidem in serie ac successione immotam nunquàm defecturam, nunquàmque à verâ fide abrumpendam certâ traditione constare ; et nihilominùs eamdem in aliquibus ejus successionis præsulibus potuisse deficere et defecisse, etsi *non in totum*, nec diutiùs, sed defecerit *mox revictura*, et saltem, ut ibidem ait, *à successoribus statim vindicanda* : num, inquam, hæc duo absque evidenti contradictione potuerint affirmari, nemo, ut arbitror, rectè ratiocinans intelliget. Cùm enim series, seu successio Romanorum pontificum non tam omnes, quàm singulos, qui post S. Petrum Romanam cathedram obtinuerunt, et obtenturi sunt, complectatur ; ut Romana fides à S. Petro Romanis tradita in hâc serie *immota, et nunquàm defectura, nunquàmque abrumpenda sit*, opus est, ne quispiam ejus successionis in fide deficiat. Si quis enim inter eos deficeret in fide, non tacendo tantùm, cùm fidem loqui ac definire deberet (id siquidem esset deesse officio docendi, non autem errare in fide), sed docendo ac definiendo aliquid contrarium fidei ; hic error in illâ serie licet unius aut alterius pontificis, sufficeret, ne Romana fides in eâ serie atque successione dici posset intemerata et immota, nunquam defecisse, nunquàm contra eam prævaluisse inferi portas: quæ tamen omnia de eâdem fide ex Christi promissis traditio docuit. Cùm S. Augustinus Donatistis seriem Romanorum pontificum opposuisset tanquàm illam indefectibilem et inconcussam petram, « quam non vincunt superbæ in« ferorum portæ ; » scribens : « In hoc ordine « successionis nullus Donatista episcopus in« venitur, » satis profectò futurum existimavit ad eam seriem vitiandam, si vel unus ejus successionis pontifex in Donatistarum errorem incidisset. Hæc de adversarii cæteroquin præstantissimi incohærentiâ et contradictione satis : quam quicumque vitandam existimabit, primùm illud, quod de Romanæ sedis immotâ et indefectibili fide ex traditione certum posuit, recipiendum agnoscet ; quod porrò de eâdem fide in nonnullis ejusdem seriei pontificibus nutante ac deficiente ex suo præjudicio, nec cum traditione cohærens subjecit, rejiciendum.

Alia verò non desunt ad hoc effugium refellendum opportuna. Si nimirùm aliquis in eâ successione errare posset docendo fidem, nullius pontificis certa esset definitio, antequàm (ut adversarii vellent) Ecclesiæ consensus accederet ; sicque nullius pontificis definitiones per se cogerent ad assensum, nec in primatu remedium idoneum fuisset à Christo institutum ad sopienda scandala contra fidem, et ad conservandam in Ecclesiâ fidei unitatem : quod ex constitutis concessisque principiis neque ab adversariis potest admitti. Certè primatus singulis Petri successoribus eâdem ratione competit, quâ in Petro Christi institutione fuit constitutus. Singulorum itaque doctrina fidei, quam ad continendam fidei unitatem ex officio primatûs Ecclesiæ proponunt, est illa *petra*, cui tanquàm fundamento tota Ecclesia debet adhærere et incumbere bono unitatis, ut ex traditione probavimus. Nonne semper, ut monuit S. Franciscus Salesius, hoc confirmandi officio Ecclesia indiget, cùm semper satan eam unitatem discindere et fratres cribrare nitatur ? Si autem Ecclesia semper indiget hoc officio, quicumque sit legitimus Petri successor, qui huic officio satisfacturus, ut unitatem fidei vindicet fratresque confirmet, aliquod dogma declaret atque definiat, ejus doctrina accipienda erit uti doctrina S. Petri, pro quâ Christus oravit, ne deficeret : unde non solùm concilia et Patres S. Petrum in successoribus loqui professi sunt, dùm fidem docent, sed ipse quoque Bossuetius in celebri sermone ad comitia Cleri Gallicani an. 1681, et in Meditationibus super Evangelium die 72, fateri debuit certissimum, ex Christi mandato Petro intimatum, semper ipsum Petrum in suis successoribus loqui, et locuturum semper, qui fratres confirmet in fide. Vide ejus verba capite præcedenti, § 4, passim. Quòd si definitiones successorum Petri habendæ sunt uti doctrina edita à S. Petro, habendæ profectò sunt uti ea doctrina

ac fides, pro quâ Christus oravit. Neque verò si quis inter hos S. Petri successores in hâc doctrinâ proponendâ aliquando erraret, nihil præjudicii rediret in eam successionem, etiamsi vel ipse subinde se corrigeret, vel corrigeretur ab aliis. Semper enim verum esset petram, et fundamentum Ecclesiæ in eo pontifice aliquando defecisse, eamque seriem ac successionem aliquando fuisse contaminatam; ipsaque Ecclesia ei adhærens (uti ex institutione Christi ac jure primatûs deberet), in fide deficeret; vel renuens illi adhærere, Christi institutionem desereret et ineptam declararet.

Neque dicas : Hâc ratione dicendum videtur, non solùm Romanos pontifices esse indefectibiles in fide, verùm etiam esse impeccabiles. Fundamentum enim Ecclesiæ à Christo positum non est nisi fides à S. Petro prædicata, et ad successores ejus transmissa, et ab iisdem, quando opus est, definitionibus dogmaticis asserta et vindicata; unde sufficit, si in ejusmodi definitionibus ac doctrinâ fidei nequaquàm deficiant. Si in aliis materiis practicè labantur, facta ejusmodi non sunt petra seu fundamentum Ecclesiæ, sed sola doctrina, quæ etiam in criminoso pontifice indefectibilis, ad custodiendam fidei unitatem sufficit. Idem est, si quidam pontifices, non doctrinâ falsâ, sed omissione rectæ doctrinæ, cùm definienda erat, labantur et peccent : omissiones enim hujus generis non sunt petra Ecclesiæ, sed definitiones; satisque est, si non peccent id definiendo quod falsum est, qui possunt peccare tacendo, cùm loqui ac definire necesse esset. Hinc etiam detegenda est alia Bossuetii æquivocatio, cùm libro 1 Defensionis in Appendicem novissimæ editionis rejecto cap. 3, pag. 88, suasurus Romanam fidem, quæ nunquàm defectura est, non esse intelligendam fidem singulorum pontificum scripsit : « Neque « verò Romana fides in solo aliquo pontifice « est; alioquin intereunte pontifice Romana « interiret fides. At etiam vacante sede viget « vigeretque profectò, etiamsi pontifex plus- « quàm mortuus quocumque tandem modo à « fide deficeret. » Cùm Romanam fidem ex promissis Christi nunquàm defecturam, eodem Bossuetio docente, diximus non distinguendam à fide quam docent Romani pontifices, Romanæ fidei nomine accipiendas diximus non physicas, ut ita dicam, ipsorum personas, sed fidei definitiones ab ipsis editas in unitatis bonum jure primatûs; quæ cùm non intereant morte pontificum, his obeuntibus et sede vacante non deficit Romana fides in ipsis definitionibus vigens, nec defectura unquàm, quocumque alio personali errore quisquam illorum laberetur, dummodò in definiendo nemo illorum deficiat.

§ 6. *Potissimum adversariorum objectum ex præsumptis Romanorum pontificum erroribus circa fidem expungitur, eò quòd ea quæ obtruduntur facta, non sint errores definitionum fidei. Præmittitur explicatio, quænam sint propriè dictæ definitiones fidei, seu, ut aiunt, ex cathedrâ editæ, quibus ex Christi promissis et Patrum traditione inerrantia et infallibilitas tribuenda est.*

At enim, inquiunt, certum est aliquot pontifices in doctrinâ fidei defecisse. Hic postremus est adversariorum recessus atque conatus : et maxima quidem ex factis, seu erroribus hujusmodi oppositio ab ipsis obtruditur, in quâ pluribus destinentur. Ad hanc sanè objectionem tanquàm invictam confugit episcopus Meldensis, cùm sacræ Scripturæ Patrumque testimoniis adstrictus, allatas interpretationes suas, seu potiùs, effugia, per sese minùs sufficientia deprehendens, scripsit inter cætera lib. 10, al. 15, Defensionis Declarat. cap. 5, quòd si ea, quæ ad explicandas Scripturæ et Patrum auctoritates pontificiam inerrantiam adstruentes produxit, nostræ sententiæ defensoribus non sufficiunt, « ii, ut sese in minuta atque oppidò « absurda et falsa conjiciant, non ratiociniis, « sed jam experimentis vidimus : » id est, iis factis erroribusque quorumdam pontificum, quos identidem et ibidem, et aliis ejusdem libri capitibus ingessit, aliis autem in libris studuit fusiùs demonstrare. Hæc scilicet errorum facta, ita certa et evidentia credidit, ut testimonia, quæ ex Christi promissis ac traditione inerrantiam et infallibilitatem fidei Romanæ sedis et Romanorum pontificum generatim pronuntiant, aliquam interpretationem requirant. Nolebam in hanc vastissimam sylvam ingredi, quæ multis facti quæstionibus implicata et involuta, longam molestamque disputationem postularet. At cogitavi posse sufficere, si potiora, et quæ evidentiora creduntur, facta ex proposito discutiantur : quibus si perspicuè satisfactum erit, de cæteris imbecillioribus, quid sit sentiendum, paucioribus expedietur, cùm præsertim quædam hâc in re notiones ac principia sint præmittenda ex quibus quisque per sese de quamplurimis aliis, qui opponuntur, vel opponi possunt, erro-

ribus facilè judicium ferat, ut ne in singulis rejiciendis tempus superfluè et inaniter conteramus.

Antequàm igitur ad objectos errores accedo, ne qua confusio lectores impediat, explicandum est quænam sit illa Romanæ sedis, seu Romanorum pontificum fides, quæ omnes undique fideles cogit ad unitatem, quæque ob hanc vim coactivam ex promissis Christi esse debet ab errore immunis. Id autem non obscurè intelligetur, si perpendatur, quænam in institutione primatûs fuerit ea S. Petri fides, contra quam ne inferi portæ prævalerent, Christus promisit, et pro quâ idem oravit, ne deficeret, utrumque, ut vidimus ob formandam conservandamque in Ecclesiâ fidei unitatem, cujus gratiâ Petri et successorum ejus primatus fuit institutus. S. Petri fides, contra quam ne prævalerent inferorum portæ, Christus promisit, fuit illa quâ inter diversas opiniones, seu potiùs errores hominum de Christo, aliis dicentibus ipsum esse Eliam, aliis Jeremiam, etc., S. Petrus veram sententiam Deo revelante edoctus, dixit : *Tu es Christus Filius Dei vivi :* quam quidem fidem continentem omnem doctrinam à Christo traditam, idem Petrus in ædificandâ Ecclesiâ, præsertim Romanâ, erat prædicaturus, cuique tanquàm petræ inconcussæ et fundamento totius ædificii, bono unitatis tota catholica Ecclesia debebat immobiliter adhærere et incumbere. Cùm autem in dubiis circa fidem quæstionibus à diabolo subinde excitandis, ut eam fidei unitatem discinderet, Christus præcepisset Petro, ut fratres confirmaret in fide, et ita unitatem fidei in Ecclesiâ custodiret, oravit, ne in his confirmandis et vindicandâ fidei unitate deficeret ejus fides, quæ in Ecclesiâ præsertim Romanâ debebat esse tanquàm petra stabilis, in quâ à cunctis fidelibus fidei unitas servaretur. Cùm porrò diabolus non solùm Apostolorum ætate, verùm etiam postea connisurus esset, ut fidei dissensiones inter Christianos commoveret, eamdemque fidei unitatem dirimeret, quæ semper conservanda erat in Ecclesiâ Christi ; idem officium confirmandi fratres tuendæque unitatis, quod Petro commissum fuit, ad Romanos antistites ejus successores transisse omnes fatentur ; ac propterea cùm eadem vis cogens ad conservandam fidei unitatem in iisdem agnoscenda sit ratione primatûs ; pro ipsorum quoque fide à Petro traditâ et ad eosdem transmissâ, quâ in memoratis dissensionibus à diabolo excitandis fratres confirmarent, Christus orâsse dicendus est. Ea igitur fides, seu doctrina fidei, quæ in controversiis fidei ab ipsis pontificibus ita proponitur, ut fratres et fideles omnes confirment in fide, et unitatem ejusdem fidei exigant atque conservent in Ecclesiâ catholicâ, illa est (1), cui inerrantiæ privilegium ex promissis Christi est vindicandum. Solas itaque fidei definitiones id respicit à summis pontificibus Ecclesiæ propositas contra insurgentes dissensiones et errores in materiâ fidei ; non autem (2) opinio-

(1) Bossuetius quidem lib. 10 Defensionis, al. 15, c. 1, tom. 2, pag. 186 novæ editionis, explicans evangelicam Christi promissionem : « Super hanc petram ædificabo Ecclesiam « meam, et portæ inferi non prævalebunt ad- « versùs eam, » *petræ* nomine habendam non solam illam Petri confessionem : *Tu es Christus Filius Dei vivi,* sed quamcumque etiam successorum ejus dogmaticam, quam ex officio proponunt, doctrinam fidei exertè fatetur. « Quo- « ties successores Petri communem Ecclesia- « rum fidem ex communi traditione pro officio « proponunt ; eorum decretum, prædicatio- « nem, fidem fore Ecclesiæ fundamentum : » cui nimirùm fundamento tanquàm petræ immobili tota Ecclesia debet adhærere, et de quo non minùs quàm de Ecclesiâ ipsâ verificari debet promissio : *Et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* Quod ait « communem Ec- « clesiarum fidem, et ex communi traditione, » verificatur, etiamsi pontifices definiant potissimùm ex traditione, quam in Ecclesiâ Romanâ S. Petrus deposuit : hæc enim est simul omnium catholicarum Ecclesiarum fides atque traditio, ut probavimus cap. 14, § 5 ; Romanos autem pontifices in suis decretis dogmaticis semper traditionem à S. Petro per successionem prædecessorum ad se usque perductam secutos, complura ipsorum testimonia confirmant, quorum aliqua recitat P. Coustantius in præfatione ad Epistolas Romanorum pontificum. Neque aliter eos posse circa fidem decernere, indicare videntur illa S. Augustini lib. 1 in Julian. c. 2, quibus scripsit Innocentium in Pelagianorum causâ non solùm haud aliter respondisse, sed « nec potuisse respon- « dere conciliis Africæ : Quid enim, inquit, « POTUIT ille vir sanctus Africanis respondere « conciliis, nisi quod antiquitùs Apostolica « sedes et Romana cum cæteris tenet perseve- « ranter Ecclesia? » Hinc in ipsis decretis fidei semper Petrus loquitur, cùm exprimant doctrinam à Petro traditam ; eademque decreta sunt ea Petri fides, petra et fundamentum Ecclesiæ, quam, eodem Augustino testante in Psal. contra partem Donati, « non vincunt superbæ inferorum portæ. »

(2) P. Angelus de Nuce Abbas Cassinensis in Excursu historico ad Chronicon Cassinense tom. 4 Rerum Italic. pag. 482, scitè monuit, distinguenda quæ pontifices tradunt ex opinione ab iis quæ de fide credenda constituunt. « Non enim, inquit, quæcumque pontifex quan- « quam in conciliari oratione loquitur, dogma « fidei constituunt, aut fidei regulam intelle- « ctibus præscribunt, sed tunc tantùm, cùm ex « cathedrâ loquitur, et sufficienter declarat,

nes, quibus etsi aliquid statuant, nihil tamen decernunt credendum ex catholicâ fide, nihilque damnant tanquàm alienum ab eâdem (de quo plura dicentur inferiùs § 10, in principio); non simplicia præcepta, quæ ad fidei definitionem referri non possint; non judicia (1) de personis tantùm; non decreta disciplinæ, quæ ad fidem non pertinent; non tandem omissiones definitionum fidei, quæ si omittantur, cùm definiendum esset, culpa omissionis non esset error definitionis dogmaticæ, nec error in fide.

Præterea fidei definitiones debent esse actus planè liberi et voluntarii : si quæ enim verba fidei contraria exteriori vi extorquerentur ab invito, etsi culpam involverent, manifesta tamen exterior vis satis patefaceret, ea verba non exprimere veram sententiam et fidem ejus qui sic exteriùs adigitur ad id dicendum quod ipse interiùs non credit, nec diceret, si non cogeretur. Hinc actus metu extorti tanquàm non omninò liberi ex ipso civili jure nulli judicantur. Cùm ergo Romani pontifices nullâ vi exteriori cogente ob vindicandam catholicæ fidei unitatem quibusdam dissensionibus impetitam aliquod dogma circa fidem credendum proponunt atque constituunt, vel errorem aliquem fidei contrarium iis formulis damnant, quibus non opinionem privatam, sed catholicam doctrinam se exponere, errоremve ei doctrinæ contrarium proscribere ita significent, ut quicumque aliter sentiant, à catholicâ, vel Romanâ fide abesse, et ab Ecclesiæ Romanæ communione et unitate separatos declarent, anathemate percellant, aut hæreseos, vel aliis æquivalentibus censuris propositiones quas damnant, inurant; hæc erit illa propriè dicta definitio fidei, quâ cùm ex Christi mandato confirmandi sint fratres in fide, ex ejusdem Christi promissis error ipsi nequit inesse. Hujus generis sunt omnia exempla definitionum antiquarum Innocentii I contra Pelagianos, Cælestini I contra Nestorium, Leonis I contra Eutychem, Agathonis I contra Monothelitas, etc., atque similiter aliæ definitiones Apostolicæ etiam recentiores, quæ omnes infallibiles habendæ sunt, et jure habentur. Hæ autem sunt illæ definitiones, quas editas dicunt *ex cathedrâ*. Cathedræ enim Romanæ vocabulum, etsi latiùs sumptum, omnem auctoritatem Apostolicam è cathedræ primatu manantem complectitur; propriùs tamen et primariò fidei doctrinam circa speculativa aut practica dogmata significare ostendimus cap. 13, § 7; non omnia igitur, quæ eduntur auctoritate Apostolicâ, vel etiam iis formulis, quæ è clavium potestate, vel primatûs jure proveniunt, etiamsi nihil statuant credendum vel damnandum ex catholicâ fide, ad definitiones fidei *è cathedrâ* editas referri queunt.

Scio quosdam adversarios, qui observantiam suam erga Romanam cathedram præferentes, ipsius definitiones erroris expertes fatentur, eas tantùm è cathedrâ editas et infallibiles dicere, quas summi pontifices edunt in unitate fidei totius Ecclesiæ catholicæ; eas verò nec è cathedrâ editas, nec infallibiles judicare, nisi postquàm constiterit fidem ejusdem Ecclesiæ cum ipsis concordare. Id ex eo ipsorum præjudicio dimanat, quo ipsi vim coactivam ad unitatem et infallibilitatem exinde consequentem pontificiarum definitionum alligant conditioni expressi vel saltem taciti consensûs Ecclesiæ, quod præjudicium fusè rejecimus capite præcedenti § 5, circa med. Cùm Christus S. Petri ac Romanæ cathedræ, seu Romanorum pontificum fidem ratione primatûs et ob unitatis bonum constituit petram et fundamentum fidei totius catholicæ Ecclesiæ, in quo omnium fides consisteret atque confirmaretur; non constituit ex conditione consensûs quasi liberi, sed potiùs eo fine constituit, ut ob illud unitatis bonum consensus omnium fidelium semper accederet, et hâc debitâ unitate omnes confirmarentur in fide. A quâ Christi institutione cùm Ecclesia nunquàm recedet, semper fides catholicæ Ecclesiæ erit in unitate cum fide Romanorum pontificum; et semper fides ab his definita ratione primatûs, erit fides in unitate fidei Ecclesiæ catholicæ, ut ne unquàm sit ambigendum, num illi, cùm ex officio primatûs ob vindicandam continendamque unitatem fidei aliquod dogma definiunt, in unitate fidei Ecclesiæ definierint, necne. Infallibilitas, quæ fidei cathedræ Romanæ tanquàm petræ inconcussæ asserenda est, ex promissis Christi antea memoratis traditione explicante deducitur, quæ ad Ecclesiam eatenùs pertinent, quatenùs Ecclesiæ fides eidem Romanæ fidei superstructa et inhærens, inhæret fidei, contra

« se id velle definire : » et mox nonnulla exempla subjicit. Vide quæ inferiùs addemus § 10.

(1) De judiciis circa personas agens Innocentius III, in cap. A nobis, de sent. excomm. ait : « Judicium Dei veritate, quæ non fallit, nec « falitur, semper innititur : judicium autem « Ecclesiæ nonnunquam opinionem sequitur, « quam et fallere sæpè contigit, et falli. »

quam portæ inferi non prævalebunt, et pro quâ oravit Christus, ne confirmandis fratribus et unitati continendæ destinata aliquando deficeret. Semper itaque fides in eumdem finem à Petri successoribus definita, habenda erit *ex cathedrâ*, et erroris periculo expers.

Meldensis episcopus in Corollario defensionis § 8, t. 2, expendens formulam Definitionum, quæ vocantur *ex cathedrâ*, non diffitetur posse concedi summos pontifices, dùm fidem docent ex cathedrâ, esse infallibiles. At cùm non semper doceant ex cathedrâ, inter conditiones et signa definitionis è cathedrâ editæ, Ecclesiæ consensum requirit, additque, « decorum magnificumque pontifici id esse, cùm hâc ratione « pari ferè loco atque concilia generalia habea- « tur. Certum est apud Catholicos concilia « generalia infallibilia esse. At cùm dubitari « possit, conciliumne aliquod generale sit, id « ex Ecclesiæ consensione repetatur. Ita cer- « tum firmumque, si velint, habeatur pontifi- « cem pro cathedrâ docentem esse infallibilem. « At cùm dubitari possit an pro cathedrâ dixe- « rit, adhibitis omnibus conditionibus, ultima « nota et tessera sit pontificis ex cathedrâ do- « centis, cùm Ecclesiæ catholicæ consensus « accesserit. » Quàm multùm in rem nostram hæc paritas seu comparatio impar et exorbitans est! Si quo casu dubitetur, num aliquis sit verus et legitimus pontifex, uti dubitaretur num aliquod concilium esset generale, æqualis utrobique paritas esset, et utrobique decisionem ex Ecclesiæ consensione repetendam non repugnarem. At si sermo sit de definitione fidei, sicuti conciliorum certò generalium definitiones ex ipsis verbis et notis definitionem exprimentibus satis dignoscuntur, ita etiam definitiones pontificum Romanorum ex cathedrâ editæ satis ex eo discernuntur, si iis verbis sint propositæ, quibus ex officio et jure primatûs fidei unitatem in Ecclesiâ custodiendam, et ab omnibus Catholicis præstandam declarent.

Nemo hìc mihi eam quæstionem curiosam magis quàm necessariam ingerat, num aliæ quædam conditiones à nonnullis recensitæ prærequirantur, ut definitio edita dicatur *ex cathedrâ*, nimirùm oratio, examen Scripturarum et traditionis consultatio, etc. Cùm enim ex indicatis Christi promissis et traditione ipsâ de indefectibilitate fidei Petri ac successorum ejus, cum quâ necesse est. totam convenire Ecclesiam ratione primatùs ob custodiendam fidei unitatem; cùm, inquam, ex his, necnon ex principiis adversariorum quoque assensu præstitutis certum habere debeat, non errare pontifices, cùm definiunt fidei causas; si liqueat eos proponere aliquid tanquàm dogma credendum ex fide, quibuscumque utantur verbis aut formulis, sufficit, ut conditiones ad id ritè et rectè præstandum requisitas non defuisse credamus. Deus siquidem sapienter suaviterque disponens omnia, dùm finem prospicit, media etiam prospicit ad finem necessaria. Si ergo ex constitutis hactenùs promissa est summis pontificibus inerrantia et infallibilitas, quando ex primatûs officio aliquam fidei controversiam definiunt ob fidei unitatem servandam, promissum etiam fuisse intelligitur, ne ipsis, cùm definiunt, quidquam desit, quod ad definitionem edendam necessarium fuerit. Eadem sanè quæstio moveri posset, quoad definitiones editas in generali concilio. Si autem hæreticis semel hæc licentia permittatur, ut in quæstionem vocent, num Ecclesiæ judices eam diligentiam curamque quæ opus erat adhibuerint, quis non videat, omnia mox non tam pontificum quàm ipsorum œcumenicorum conciliorum judicia labefactatum iri? Sicuti ergo cùm eduntur definitiones concilii generalis, de conditionibus necessariis nemo catholicus dubitat quominùs veritatem contineant, ita et de summorum pontificum definitionibus judicandum. Quæ humanæ rationi et industriæ innituntur, etiamsi nihil omissum sit diligentiæ, errori subesse queunt; non verò, quæ incumbunt promissis divinis, Deo satis prospiciente ne quid erroris obrepat, et ne quid omittatur vel desit, quod ad veritatem cognoscendam ac definiendam requiratur. Hinc etiam metus eorum retunditur, qui dicunt rem plenam periculi infallibilitatem in definiendis controversiis fidei unius pontificis personæ attribuere, quæ pro aliquo præjudicio vel affectu posset aliquando opinionem minùs veram, quam in animum induxerit, veluti certum dogma definire. Hi profectò, qui id timent, consideratâ unius pontificis personâ, definitiones dogmaticas metiuntur humano more, nec cogitant dogmata fidei esse rem divinam, et infallibilitatem Romanorum pontificum divinis promissis Petro factis ac traditione confirmante ad successores ejus unà cum primatu traductis inniti, divinamque providentiam variis et occultis modis posse efficere, et (ne divinæ promissiones sint irritæ) certò effecturam ut si qui pontifices pro aliquâ præoccupatione aut affectu vellent aliquid falsum definire, vel mutent consilium, contrariumque

definiant, vel à definiendo impediantur omninò, vel contineantur inter eorum decretorum limites, quæ definitiones non sunt.

§ 7. *Quatenùs præsumpti et objecti errores pontificum non pertineant ad definitiones fidei. Duo vel tria molestiora, quæ præcipuè tanquàm evidentiora opponuntur errorum facta, expressè solvenda. Primum de lapsu S. Petri explosum.*

His præmissis, objectos errores pontificum disjicere non difficile fuerit. Plures ex illis errores facti præferunt, vel judicia circa personas tantùm, ex quibus, etsi non pauci congruâ explicatione ab erroris notâ vindicari queant, cùm tamen ad definitiones fidei propriè dictas nequaquàm spectent, in præsenti controversiâ nec commemoratione indigent, nec responsione. Soli errores, qui circa fidem opponuntur, in rem de quâ agimus, considerandi sunt; etsiquidem illi qui majori conatu quasi omnium evidentissimi ab adversariis ingeruntur, inepti prorsùs et inanes demonstrari queant, haud opus erit in cæteris levioribus et infirmioribus, qui faciliùs dijudicari poterunt, diutiùs distineri. Episcopus Meldensis, in Defensione Declarationis cleri Gallic., qui in ejusmodi erroribus colligendis et inculcandis exactiùs laboravit, scribens Meditationes in Evangelium, die 72, fateri debuit, facta errorum potiora, quæ in totâ serie ac successione summorum pontificum molestiam et negotium facessere queunt, esse tantùm duo vel tria. Postquàm enim Christi promissionibus ex Evangelio perpensis et expositis in eam sententiam, quâ illæ ad successores quoque S. Petri in unitatis bonum extendendæ sunt, Romanæque cathedræ inerrantiam insinuant; postquàm, inquam, affirmavit, S. Petri fidem in Romanâ cathedrâ et Ecclesiâ depositam « semper inviolabiliter conservatam fuisse, et fuisse « semper fundamentum Ecclesiæ catholicæ, nec unquàm fuisse corruptam, » mox, ne cum his pugnare credantur præsumpti, seu objecti quorumdam pontificum errores, hæc verba subjecit : « Quid refert, si in « totâ hâc præclarâ successione (1) duo « aut tria loca molesta forsitan inveniantur? Fides S. Petri non defecit, etiamsi « eclypsim aliquam passa sit iteratâ negatione... Idem est de Petro, si in suis successoribus consideretur. Omnes ejus successores « sunt unus Petrus. Quicumque defectus in « aliquo ipsorum deprehendi credatur, satis « est evangelicam veritatem perstitisse omninò, nec ullum dogma erroneum fixisse radicem, aut obtinuisse in successione et cathedrâ S. Petri; adeò ut Romana fides, id « est, illa fides quam Petrus prædicavit et « Romæ constituit, suoque sanguine obsignavit, nunquàm perierit, nec peritura unquàm « sit. » His respicit ea quæ in Defensione Declar. lib. 10, aliàs 15, fusiùs explicat, ubi ne repugnet Scripturæ ac traditioni indeficientiam tribuentibus fidei, quam S. Petrus in Romanâ Ecclesiâ depositam ad successores transmisit, hanc in istorum serie incorruptam contendit, quia etsi quidam ipsorum in fide, ut putat, aliquando defecerint, citiùs tamen emendato errore integra fides in eâ serie perstitit : quam interpretationem Christi promissis ab eodem Bossuetio concessis repugnantem superiùs probavimus. Eodem porrò in libro explicat quinam sint illi duo lapsus successorum molesti, lapsus scilicet Liberii atque Honorii, quos ut magis exploratos atque præcipuos causâ exempli expressè nominat tribus in capitibus 2, 5 et 9, aliis aliorum pontificum indicatis tantùm confusè generalibus verbis. Unum textum hìc referam ex cap. 5, in quo ille, ne his erroribus objectis quidquam afferre videatur promissis Christi contrarium, exemplum præmittit ex lapsu S. Petri, cui promissio Christi facta fuit. « Accipiendi ergo, inquit, « Romani pontifices tanquàm una persona « Petri, in quâ nunquàm fides penitùs deficiat. « Atque ut in aliquibus vacillet aut concidat, « non tamen deficit in totum, quæ statim revictura sit. Nam et Petrus negavit et incredulus fuit, postquàm audivit illud : *Rogavi « pro te, ut non deficiat fides tua;* sed statim « exsurgit, confirmaturus fratres, atque omnium nomine communem prædicaturus « fidem, sicut in Actis legimus. Sit ergo in « Leone, sit in Agathone, sit in aliis egregiis « pontificibus Petrus fratres confirmans; sit « etiam in Liberio, sit in Honorio Petrus ad « doctrinam fidei, (quorum alterum ad Liberium, alterum ad Honorium referri videbimus) hi particulares lapsus in sancti Petri « cathedrâ nullam (ut vocavit) impressionem « facere potuerunt. »

(1) Unum tantùm, aut duo facta molesta idem clarissimus auctor notavit in sermone habito in comitiis cleri Gallicani anno 1681. « Contra morem omnium prædecessorum « unum aut duos summos pontifices aut per « vim, aut per subreptionem non defendisse « constanter, aut non satis apertè explicasse

« horam nutans et negans, sed statim respi« ciente Domino convalescens, seque ipso « validior, ut firmitudini, Domino providente, « etiam lapsus ipse serviat, neque supersit « ullum errati vestigium. » Et hàc ratione eos errores nihil obesse Romanæ sedis fidei paulò ante affirmaverat : « Stat enim Romana « fides ab eorum antecessoribus stabilita, ab « eorum successoribus vindicanda, ut factum « in Liberio, Honorio aliisque vidimus, nullo « Romanæ fidei, aut Romani primatûs detri« mento. » Quantùm hi, si verè essent errores in definitionibus fidei in bonum unitatis jure primatûs editis, promissis Christi opponerentur, et quantùm adversarentur institutioni et fini primatûs, fusè ostensum est hoc eodem capite. Nunc videndum, num quod de Liberio et Honorio veluti magis exploratum urgetur, ad definitiones fidei propriè dictas pertineat, paucis tamen præmissis de lapsu S. Petri, quem præsenti quæstioni incongruum facile est demonstrare.

Hìc de definitionibus fidei agimus, quæ eduntur à pontificibus, ut confirmentur fratres in fide. Num S. Petrus, cùm in atrio principis sacerdotum Christum negavit, Ecclesiam docebat ex officio? Num quidquam credendum decernens fidei dogma edidit, quo fratres suos confirmaret? Præterea fidei definitiones, ut vidimus, liberæ omninò ac planè voluntariæ esse debent, non metu extortæ. Num metus Petro incussus negationis causa non fuit? Quid porrò quòd promissiones Christi, ex quibus inerrantia fidei S. Petri et successorum ejus ratione primatûs colligitur, referuntur ad tempus et officium ejusdem primatûs, quo, cùm negavit Christum, nondùm fruebatur? Primatum scilicet Petro ante Christi mortem promissum quidem, non verò actu traditum satis innuunt verba quibus prima promissio expressa fuit : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam, et tibi dabo claves*, etc., ubi omnia futuri temporis sunt, uti S. Hieronymus animadvertit libro 3 in Matthæum, c. 16, n. 23. Similiter paulò ante passionem prædicens futuros diaboli conatus, ut dissensiones inter fideles spargeret in negotio fidei, prospecturus unitati ejusdem fidei, oravit pro eâ Petri fide, quâ post negationem conversus, fratres confirmaret, quod post conversionem ex primatûs officio præstandum, futurum quoque tempus respicit, quo primatum obtinuisset. Vide Theophilactum et Euthymium in ipsum textum evangelicum Lucæ 22, necnon S. Ambrosium in psalmum 43, n. 40. Ipsum tandem primatum Petro actu collatum, cùm Christus post resurrectionem hinc abiturus, eum vicarium suum relinquens, totius Ecclesiæ, ovium et agnorum omnium pastorem constituit iis verbis : *Pasce agnos meos, pasce oves meas*, Patres et interpretes observârunt. Ineptus ergo in re præsenti est ille S. Petri lapsus, qui non solùm non fuit definitio fidei, verùm etiam primatûs tempus antecessit; ad quod cùm Christi promissa Petro facta et ad successores ejus transmissa pertineant, inerrantia doctrinæ fidei pariter referenda est. Certè S. Hieronymus loco laudato considerans primum Christi testimonium de primatu, qui in futuro promissus, non in præsenti datus Petro fuit : *Tu es Petrus*, etc. : « Omnia de futuro, inquit, quæ « si statim dedisset ei, nunquàm in eo pravæ « opinionis error invenisset locum, » quibus in eum qui primatum actu consecutus, effectum pariter divinæ promissionis primatui alligatæ debuit obtinere, errorem non posse cadere in negotio fidei satis significavit.

§ 8. *Lapsus item Liberii non fuit lapsus definitionis fidei.*

Seposito itaque S. Petri lapsu, qui tot nominibus in præsenti quæstione obtrudi non poterat, videamus num lapsus Liberio et Honorio attributi aptiùs ingerantur. Si certum non esset ex Scripturâ ac traditione necessariam esse omnium fidelium unitatem cum fide quam Romani pontifices Petri successores ex officio primatûs docent, et docent quidem in dissensionibus fidei, ut ex Christi mandato ejusdem unitatis bono veram doctrinam declarantes, confirment fratres in fide, dubitari posset, num quidam errores aliquibus pontificibus impacti, essent veri errores fidei, aut definitionum fidei, ob quos unitas his adhiberi nec possit, nec debeat. At cùm illa unitatis necessitas ex propositionibus ante constitutis sit omninò certa, manifestè sequitur, doctrinam fidei, quam Romani pontifices jure primatûs definientes tradunt, non posse errori deputari, ac proinde errores ipsis adscriptos non esse in fide, vel ei fidei doctrinæ non esse accensendos, quæ ad fidei definitiones jure et officio primatûs in bonum unitatis editas referenda sit, sed ad alia capita pertinere, in quibus sicut non debetur cum ipsis pontificibus unitas, quemadmodùm debetur in doctrinâ fidei, nec locum habent Christi promissiones, quæ fidem respi-

ciunt, ita errorem aliquem posse eisdem aliquando subesse non est impossibile. Hinc post probatam, seu potiùs demonstratam necessitatem ejus unitatis, ut objecti errores vim haberent idoneam, adversarii certis documentis demonstrare deberent, eos esse certos errores definitionum fidei, de quibus tantummodò inpræsentiarum est sermo. Contra certam unitatis necessitatem, quæ certam inerrantiam omninò efflagitat, probabiles tantùm conjectationes, quæ certos definitionum errores non demonstrent, haudquaquàm sufficiunt. Semper enim prævalere apud Catholicos debet illa unitatis necessitas, cui et Scriptura et traditio apertissimis testimoniis suffragantur, et ex quâ Romanæ cathedræ infallibilitas Christi promissis ac Patrum traditione innixa ita consequitur, ut per sese errores fidei non omninò certos ac demonstratos à pontificiis definitionibus prorsùs excludat.

Ut autem omninò certus ac rei præsenti congruens evinceretur lapsus Liberii, tria ab adversariis probanda essent penitùs certa : 1° certum esse ejus lapsum, 2° certum item esse ipsum fuisse lapsum in definitione fidei, 3° si idem lapsus aliquid præferre credatur, quod ad fidei definitionem revocari queat, certum præterea esse nihil intercessisse, quod à verâ et legitimâ definitione ipsum extrahat atque repellat. Num hæc tria omninò certa ab adversariis probantur? Lapsum quidem ejus satis certum probari existimant testimoniis Athanasii, Hilarii, Hieronymi atque Sozomeni. At alii eruditi homines hunc lapsum, uti vulgò narratur, non ita certum putant, ut de eo gravissimis quidem momentis jure dubitari non possit. Ea narratio, quâ Bossuetius in eo Defensionis exemplo, quod primâ editione prodiit, Liberium post exilium redeuntem à maximâ cleri et populi parte fuisse rejectum, eoque die, quo ille Romam ingressus est, maximam in clerum persecutionem exarsisse prodidit; hæc, inquam, narratio sumpta fuerat ex spuriis Actis S. Eusebii presbyteri, quæ cùm subinde ipsi Bossuetio in suspicionem venissent, integrum illud caput, quo hæc gesta descripserat, in plerisque manuscriptis Defensionis exemplis ab ipso auctore deletum fuit, quippe qui intellexit, ea acta illa esse quæ aut nullius, aut infirmæ admodùm auctoritatis apud doctos habentur, uti traditur in novâ Defensionis editione anni 1745, ubi idcircò idem caput è loco in quo primum erat, submotum, in appendicem rejectum fuit. Eâdem verò ratione delenda erant in ejusdem libri capite 33, et alibi etiam quandoque inspersa, quæ iisdem actis innituntur. Liberii quidem reditum à cunctis Romanis summo gaudio et plausibus decoratum tradiderunt Marcellinus et Faustinus in precibus ad imperatorem : cui Liberio cum gaudio populus Romanus exivit, adeò ut ejus ingressus veluti victoris triumphus videretur, ut Hieronymus scripsit in Chronico : « Romam quasi victor intravit. » Ex hoc tam festivo ac triumphali Liberii ingressu, quo clerus populusque Romanus ipsum excepit, Felice pseudo-pontifice expulso, nonne gravissimum exoritur argumentum dubitandi, num ea quæ de ejus lapsu narrantur, commentitia sint? Romani enim Nicænæ fidei ejusque defensori S. Athanasio maximè addicti, et ab Arianâ hæresi summoperè aversi, eâ potissimùm de causâ Liberio et restitutioni ejus impensè faverunt, quia pro fide Nicænâ Athanasiique innocentiâ strenuè pugnaverat; sicuti è contra Felici in Liberii locum intruso fuêre infensi, quia cum hæreticis communicare non erubuit. Quomodò igitur hic clerus et populus potuissent tam festivè Liberium excipere, si is relictâ pristinâ constantiâ Nicæno symbolo Sirmiense prætulisset, et ab Athanasii defensione et communione transisset ad communionem hæreticorum Orientalium, ac præsertim Valentis et Ursacii, Epitecti atque Auxentii, quorum nomina cunctis Occidentalibus erant detestabilia? Si vera esset Liberii epistola è Bereâ ad Romanum presbyterium missa, quâ suæ prævaricationis notitiam, seu potiùs infamiam declarabat, nonne stomachum, indignationem et horrorem ejus lectio commovisset in Romani catholici cleri animo, ut ne credibile sit post tam insignem ejus lapsum, quo magna ignominia Romanæ sedi creabatur, Romanos potuisse eum qui tam turpiter victus fuerat, tanquàm victorem et gloriosum athletam recipere? Nonne hoc gravissimum argumentum est, ne hæc epistola et similiter aliæ eodem pertinentes, quæ inter Fragmenta S. Hilarii insertæ sunt, genuinæ credantur, et non potiùs habeantur supposititiæ; sicuti certò supposititia est illa, quæ Liberii item nomine inscripta ad Orientis episcopos apud Hilarium fragmento quarto legitur? Et siquidem hanc Hilarius in Fragmentis incautè retulit, quidni æquè incautè potuit recipere, et cæteras ejusdem generis Liberio attributas, tametsi ab Arianis aut Semiarianis similiter confictas et editas, ut Liberium sibi faventem præferrent? Neque mirum debet

accidere, si in eâ istorum præpotentiâ atque violentiâ epistolæ Liberio afflictæ, et toto in Oriente disseminatæ apud Hilarium atque Athanasium longiùs constitutos atque ab Arianis vexatos, nihilque doli suspicantes fidem invenerint, et ex his lapsum ejus tum ipsi, tum alii atque alii posteriores crediderint. Illud potiùs mirum post tantorum ejus ævi testimonia (quæ tamen alias exceptiones patiuntur) non omnes lapsui ejus fidem adhibuisse. Theodoretus enim, qui in suâ Arianorum historiâ Athanasii operibus usus est, cùm Liberii restituendi causam refert in matronarum Romanarum officia, non autem in præsumptum ipsius lapsum, tum verò eumdem pontificem cum laude semper nominans, nunc vocat celeberrimum Liberium, nunc gloriosum veritatis athletam; et ne credatur aliquâ minùs dignâ actione rediisse in suam sedem, ipso in reditu mirabilem testatur: « Post has christianæ plebis acclamationes (Liberium ab imperatore postulantis in Circo) reversus est admirandus ille Liberius. » Quæ laus redeunti lapsûs turpissimi causâ nequaquàm convenit. Sulpicius Severus, qui ex Hilarii Fragmentis multùm decerpsit in texendâ Arianorum historiâ, ne verbum quidem innuit de Liberii lapsu, ejusque restitutionem seditioni ac turbis Romanorum attribuit, de quibus non solùm in Fragmentis Hilarii nullum indicium est, verùm si genuinæ essent habendæ epistolæ, quæ in illis inscribuntur Liberio, hæc ratio omninò esset rejicienda, cùm ex iisdem epistolis colligatur, Constantium in ejus restitutionem fuisse difficilem, eamque tandem concessisse petitionibus Valentis, Ursacii atque Germinii, Vincentii Capuani et Fortunatiani Aquileiensis aliorumque Orientalium. Socrates etiam, qui Liberii restitutionem seditioni populari adscribit, lapsum ejus non solùm non memorat, sed videtur potiùs impugnare, cùm imperatorem seditione Romanorum permotum restitutioni assensum præbuisse scribit licet invitum; libenter enim perfidus eum restituisset, si constantiam ejus frangens obtinuisset, ut is tam turpi lapsu libertatem sibi compararet. Certum saltem non fuisse ineunte quoque seculo quinto lapsum ejusdem, exploratum fit ex Rufino, qui libro 2 Hist. Eccl. scripto circa annum 402, c. 27, ait: « Liberius urbis Romanæ episcopus Constantio vivente regressus est. Sed utrùm quòd acquieverit voluntati suæ ad subscribendum, an ad populi Romani gratiam, compertum non habeo. » Ni certiora et Rufino ignota documenta adversarii proferant, quibus idem lapsus certus probetur, nihil conficient. Vide hâc de re plura in Historiâ Eccles. cardinalis Ursii lib. 14, n. 72 et seqq.

Quòd si lapsus ejusdem pontificis certus præsumatur, numquid lapsus dici potest definitionis fidei? Duo capita in hoc lapsu notantur, 1° quòd S. Anathasii defensionem deserens, eum à suâ communione separatum declaraverit, et è contra in communionem receperit Arianorum principes, ac se cum iisdem pacem tenere professus sit; 2° quòd subscripserit formulæ Sirmiensi, quam Arianam perfidiam Hilarius appellavit. Primum ad rem meri facti pertinet; facti enim crimen est deserere innocentem Athanasium, cujus defensio constanter vindicanda erat, et ad hæreticorum communionem transire; in neutro autem invenitur erronea fidei definitio. Potuit enim utrumque fieri ab eo qui humanâ aliquâ ratione ex infirmitate ad utrumque agendum ducatur, quin hæreticum dogma crederet, defenderet, vel doceret. Athanasio ab Arianis imputabantur crimina quæ falsa erant, nec pertinebant ad doctrinam fidei, eorumdemque criminum nomine ab illis depositus fuerat. Liberius in præsumptis epistolis se meliùs edoctum prætulit, cùm ipsum deseruit et ad inimicorum ejus partem transivit. Hæc causa aliena per se à dogmate fidei, defectum quidem constantiæ in Liberio probat, non verò errorem in fide, multò minùs definitionis errorem. Ex hoc quidem facto magnum scandalum oriebatur in ipsam fidem; at error fidei per se, et definitionis error hoc scandali crimen dici non potest. Quoad subscriptionem verò formulæ Sirmiensis, jam convenit ferè inter omnes eruditos etiam adversarios, illam fuisse primam formulam Sirmii editam contra Photinum, quam in libro de Synodis ipse S. Hilarius uti catholicam excusat: ideò autem in Fragmentis vocat perfidiam, quia ex ejus sententiâ quidquid præter fidem unam (Nicænam) est, perfidia est, ut ait in libro contra Constantium n. 24. Quidquid sanè exprimebatur in hâc formulâ, verum erat si catholico sensu acciperetur. Illud tantùm Liberio vitio datur, subscripsisse ei fidei quâ Christus consubstantialis ejusdemque cum Patre substantiæ taceretur, » quod in erroris patrocinium ab hæreticis transferri poterat. Tacere autem quod catholicum et à Catholicis profitendum est, crimen est omissionis, et subscriptio quæ ex omissione ejusmodi trahebatur in confirmationem

erroris, est peccatum scandali, definitio autem propriè dicta erroris nequit appellari. Liberius itaque subscribens formulæ quæ tacebat quod erat confitendum, non esset excusandus; sed formulæ id tacenti subscribere, fuisset omittere debitam confessionem, non autem falsa definire : quod tamen illi Bossuetius perperàm imputat.

Multò autem minùs dici potest errâsse in definitione fidei, qui ad eam subscriptionem et lapsum non liber omninò, sed per metum externum notoriumque deductus fuit. Neque enim definitio fidei est, aut dici potest illa quæ non libera planèque voluntaria, sed per vim manifestam metu extorta est. Ubi de solemnibus pontificum et conciliorum dogmaticis decretis agitur, eorum vis et auctoritas è sensu ac sententiâ Spiritu sancto inspirante edita proficiscitur. « Visum est Spiritui sancto « et nobis. » Ac propterea ubi constet decretum vi ac metu externo fuisse expressum, et non ex intimâ decernentis sententiâ, idem decretum potiori ac prorsùs necessariâ et essentiali conditione caret. Aperta in re præsenti et efficax omninò est S. Athanasii ratio atque judicium in Historiâ Arianorum ad Monachos num. 42, quod et à P. Coustantio laudatur : « Porrò Liberius, inquit S. doctor, extorris « factus, post biennium denique fractus « est, minisque mortis perterritus subscri- « psit. Verùm eâ ipsâ re comprobatur cùm « violentia eorum, tùm Liberii in hæresim « illam odium ejusque pro Athanasio suffra- « gium, quamdiù scilicet liberè arbitrioque suo « agere licuit. Nam quæ tormentorum vi præ- « ter priorem sententiam eliciuntur, ea non « reformidantium, sed vexantium sunt placi- « ta. » Ne pluribus in re et ratione manifestâ immorer, addam confessionem celeberrimi Bossuetii, quæ in secundâ Instructione de promissis Christi factis Ecclesiæ contra hæreticos agens, non absimiliter Liberii lapsum ab iisdem quoque ingestum ita excusandum putavit, ut Christi promissis nihil præjudicet, cùm « certum sit ipso facto, ait num. 105, eum non- « nisi manifestæ violentiæ cessisse, et mox « ex semetipso ad officium rediisse. » Cùm autem minister heterodoxus opposuisset, violentiam ipsi injectam fuisse levem, et exaggerâsset tanquàm veram causam recuperandi episcopatùs cupidinem, reponit Bossuetius : « At « tacenda non erat crudelis imperatoris sævi- « tia, cujus minæ non exilium tantùm, sed « tormenta etiam atque mortem secum trahe- « bant. Scitur nimirùm testimonio constanti « S. Athanasii omniumque ejus ætatis aucto- « rum, Constantium sparsisse multum sangui- « nem, eisque qui repugnabant ejus voluntati « circa Arianismum, ipsius iram fuisse me- « tuendam. Ego id non dico, ut Liberium ex- « cusem, sed ut sciatur, omnem actum qui vi « extorquetur, ex quolibet jure nullum esse. » Manifestam autem interfuisse violentiam, ex quâ quisque dignoscere poterat, num actibus ejusmodi quolibet jure nullis, utpote non omninò liberis et voluntariis quidquam deferendum esset, etiamsi aliquid præferrent definitionis erroneæ circa fidem (quod tamen non est), idem Bossuetius confirmat num. 110 : « Violentia enim manifestatur, cùm quis non « mutatur nisi per vim, et quando ad pristi- « num redit sensum, statim ac in libertatem « restituitur, » ut in Liberio evenit, qui non solùm ante exilium, sed statim etiam post restitutionem contra Arianismum strenuè dimicavit. Cur ergo hic auctor Liberii lapsum toties opposuit, qui cùm tot ex capitibus nutet, certè autem non fuerit in definitione erronei dogmatis circa fidem, nec in definitione liberâ, ad præsentem thesim non pertinet, quâ infallibilitas Romanis episcopis asseritur tantummodò in liberis et propriè dictis fidei definitionibus, ad quæ solùm referuntur promissiones Christi.

§ 9. *Lapsus qui Honorio tribuitur, quantùm absit à definitione fidei.*

Videndum nunc de lapsu Honorii. Tota ejus culpa, quæcumque fuisse credatur, in omissione definitionis ex officio edendæ collocari ad summum potest, non verò in erroneâ definitione. Excitatis enim iis turbis circa duas Christi operationes et voluntates, quæ omnes Orientales dividebant Ecclesias, et nisi citiùs sopirentur definitione catholici dogmatis de duabus operationibus et voluntatibus in Christo haud pugnantibus invicem, perniciosus error circa fidem latè irrepsisset et obtinuisset; re à tribus patriarchis ad Apostolicam sedem delatâ, summi pontificis erat ob unitatem fidei custodiendam et ad confirmandos fratres in re minimè obscurâ definitionem è Petri cathedrâ edere. Id autem Honorius haudquaquàm præstitit, non quòd aliquid catholico dogmati contrarium sentiret (duplicem enim voluntatem et operationem indicavit sufficienter, cùm in S. Leonis sententiam rescripsit, ut mox videbimus); sed quòd œconomiæ causâ expedire judicavit definitionem suspendere, ne definiendo majores turbæ excitarentur,

et major scissura fieret. Deceptus fuit hâc spe : et interim error ex hâc omissione latiùs propagatus, profundiores radices egit. At cùm hæc omissio non fuerit fidei definitio, non erravit definiendo, sed tacendo et omittendo quod definiendum fuerat.

Sed eia, expendamus ipsum lapsum qui Honorio tribuitur ex epistolis, quas de unâ vel duabus Christi operationibus ac voluntatibus ad Sergium CP. episcopum scripsit. In his autem nec Monothelitarum errorem docuisse, nec definitionem fidei edidisse demonstrandum aggredior. Quoad dogma catholicum rectè quidem sensisse eumdem pontificem evidens fit ex iis ipsarum litterarum verbis, quibus operationes et voluntates utriusque naturæ humanæ et divinæ proprias satis distinxit. In sextâ œcumenicâ synodo act. 2, recitatur tanquàm peremptorium contra Monothelitarum hæresim illud S. Leonis testimonium ex celebri dogmaticâ ad Flavianum epistolâ nostræ editionis 28 : « Agit enim utraque forma cum « alterius communione quod proprium est, « Verbo quidem operante quod Verbi est, « carne autem exequente quod carnis est. » In quæ notârunt Apostolicæ sedis legati : « Ecce, benignissime Domine, MANIFESTE duas « naturales operationes inconfusè et indivisè « in Domino nostro Jesu Christo præsens san- « ctissimus prædicat Pater. » Si ea Leonis verba *manifestè* adstruunt duas operationes et voluntates in Christo, nonne æquè manifestè, et fortè etiam manifestiùs eas adstruunt hæc apertiora Honorii verba in secundâ ad Sergium epistolâ : « Quantùm ad dogma eccle- « siasticum pertinet, utrasque naturas in uno « Christo unitate naturali copulatas cum alte- « rius communione operantes atque operatri- « ces confiteri debemus, et divinam quidem « quæ Dei sunt operantem, et humanam quæ « carnis sunt exequentem, non divisè nec « confusè aut inconvertibiliter Dei naturam « in hominem, et nec humanam in Deum « conversam edocentes. » Et post pauca affirmat, « duas naturas, id est, divinitatis et carnis « assumptæ in unâ personâ Unigeniti Dei Pa- « tris inconfusè, indivisè et inconvertibiliter « PROPRIA operari. » Quid in recitato et laudato S. Leonis testimonio legitur, quod non in Honorii verbis satis apertè inveniatur expressum? Si primus ait : « Agit utraque for- « ma cum alterius communione, » secundus peræquè scripsit : « Utraque natura cum alte- « rius communione operatur. » Si primus ad distinctionem operationum addidit : « Verbum « operari quod Verbi est, carnem exequi quod « carnis est, » Honorius ex catholico dogmate confitendum tradidit, « divinam naturam, quæ « Dei sunt, operari, et humanam, quæ carnis « sunt, exequi, » et utramque naturam propria operari. Quid, rogo, est dicere, divinam naturam operari quæ Dei sunt, nisi fateri operationem divinam? Quid est pronuntiare, naturam humanam exequi quæ carnis sunt, nisi humanam operationem profiteri? Quid est affirmare, duas naturas divinitatis et carnis inconfusè et indivisè operantes propria, nisi operationes uniuscujusque naturæ proprias, ac proinde duas operationes agnoscere? Testimonium Leonino tam simile, et aliquatenùs manifestius, nonne catholicam Honorii sententiam in tuto ponit? unde ipse Bossuetius fateri compulsus est, ea Honorii verba orthodoxa esse MAXIMÈ videri. Quòd si in primâ epistolâ ad Sergium unam voluntatem memorat; ne cum duarum operationum distinctione in aliis ad eumdem litteris tam clarè expressâ, secumque pugnare credatur, non divinitatis et humanitatis unam voluntatem intelligere potuit, sed unam tantùm humanitatis voluntatem intellexit, ut duas humanas voluntates invicem repugnantes excluderet, quas nonnullos admittere Sergius suis in litteris significaverat. Id satis apertè colligitur ex ipso epistolarum contextu, in quibus solam voluntatem carnis spiritui ac divinæ repugnantem, et ex Adami vitio in nos traductam, fuisse negat in Christo, hâc ratione inter cæteras subjectâ, « quia profectò à divinitate assumpta est no- « stra natura, non culpa, illa profectò quæ « antè peccatum creata est, non quæ post « prævaricationem vitiata; » et recitatis aliquot Scripturæ testimoniis, quæ carnis voluntatem vitiatam atque rationi repugnantem innuunt, hanc tantùm se in Christo negare ostendens concludit : « Non est itaque assum- « pta, sicut præfati sumus, à Salvatore vitiata « natura, quæ repugnet legi mentis, » etc. Ita non violenter, sed propriè locum qui unam voluntatem memorat, explicârunt Joannes IV, in Apologiâ ad imperatorem Constantinum, et S. Maximus martyr in Dialogo cum Pyrrho, qui postremus testimonium etiam attulit ejus secretarii, qui eamdem epistolam « ex personâ « Honorii scripsit et vivit adhuc. Cùm enim, « inquit idem secretarius, scripsisset Sergius « esse, qui dicerent in Christo duas contrarias « voluntates, rescripsimus Christum non ha-

« buisse duas contrarias voluntates, carnis, in« quam, et spiritûs, sed unam tantùm, quæ naturaliter humanitatem ejus signabat. » Neque moveant illa quibus Honorius affirmavit, « Dominum « Jesum Christum unum operatorem divinæ at« que humanæ naturæ. » Hæc enim referuntur ad personam Verbi, quæ una erat in Christo ; unde non absimilia leguntur in aliis Patribus, ac præsertim in synodicâ S. Sophronii Hierosolymitani episcopi, quâ Monotheliticum errorem fusè rejecit. Nihil ergo dubium superesse potest de catholicâ Honorii sententiâ.

Illa tantùm notari posse videntur, quibus Honorius in iisdem epistolis unius aut duarum operationum, seu voluntatum voces novitatis, seu novæ adinventionis accusans, utramque à prædicatione fidei ex æquo sustulit : cùm tamen duarum operationum et voluntatum professionem catholica fides doceat. Hanc autem vocum unius aut duarum voluntatum ac operationum reticentiam, seu etiam inhibitionem Honorii non fuisse definitionem fidei, sed prudentem, uti videbatur, dispensationis œconomiam, in quâ errare possunt summi pontifices, ut ne tamen errâsse dicantur in doctrinâ, seu definitione fidei, ex Sergii Constantinopolitani ad Honorium litteris, quæ hujus rescriptis causam dederunt, exploratum fiet. Exponit siquidem in ipsis litteris Sergius quæstionem coram Heraclio imperatore à Severianis seu Acephalis excitatam, num una an duæ operationes et voluntates dicendæ essent in Christo, in quâ quæstione idem Sergius ab eodem imperatore interrogatus pro unâ operatione et voluntate responderat, Heraclio huic responso eò libentiùs assentiente, quòd speraret fore, ut faciliùs hâc viâ Severiani ad unitatem Ecclesiæ adducerentur. Narrat porrò Cyrum antea episcopum Lazorum, mox ad Alexandrinam sedem promotum, eidem unitati procurandæ feliciter insudâsse, constitutisque septem capitulis, quorum unum erat de unâ voluntate et operatione in Christo, obtinuisse, ut omnes populi per Ægyptum, Libyam finitimasque provincias variis hæresibus impliciti, præsertim Eutychianâ, abdicatis erroribus ad catholicam fidem reverterentur. Huic conciliationi unum Sophronium tunc monachum Alexandriæ restitisse affirmat, qui cùm apud Cyrum nihil profecisset, mox Constantinopolim veniens secum egit, ut memoratum capitulum tollendum curaret. Id durum nimis sibi visum addit, metuenti ne scinderetur iterùm unio cum Severianis aliisque hæreticis eo capitulo inducta. Subjungit postea, Sophronium quamvis rogatum nulla prorsùs afferre potuisse testimonia Patrum pro geminâ in Christo voluntate et operatione. « Ille autem hoc facere penitùs « non valuit. » E contra verò pro unâ operatione ac voluntate non pauca collecta præfert in opusculo quod olim Mennas Vigilio Papæ in regiâ urbe degenti obtulisse dicebatur. Huic porrò verborum, ut vocat, conflictui, qui in præjudicium compositæ unitatis vergebat, ut finem imponeret, se scripsisse ait ad Cyrum Alexandrinum, ut bono pacis de unâ vel geminâ operatione ac voluntate silentium præciperet, eo præsertim nomine, quòd unius voluntatis et operationis vocabulum duarum naturarum dogma videri potest impetere, duarum verò voluntatum et operationum mentio contrarias ac repugnantes voluntates in Christo videtur adstruere. Huic expositioni et conciliationi pacis Sophronium ipsum acquievisse significat, ac tandem Apostolicum hâc in re responsum efflagitat. Cùm apud Honorium ne levis quidem suspicio esset de Sergii fide, memoratis verò litteris pacem initam nuntiantibus, solius catholicæ fidei et unitatis conservandæ studium ita præferretur, ut Sergius à solâ vocum quæstione, quæ scandalum pareret, et utrinque periculo videbatur exposita, abstinendum contenderet ; nihil mirum, si Honorius rescribens, de initâ pace gratulatus, utriusque vocis silentium se posse, vel etiam debere præcipere existimavit, dùm satis videbatur consultum catholico dogmati, si in Christo profiteretur duas naturas, divinam et humanam indivisè, inconfusè et inconvertibiliter junctas, declararetque Jesum Christum operantem propria utriusque naturæ, adeò ut rem ipsam confiteri noscatur, tametsi novas voces ob vitanda scandala velit reticeri. Iis in initiis nova hæresis nascens parùm nota Orientalibus, in Occidente erat omninò ignota. Certum erroris systema nondùm prodierat ex ejus auctoribus, qui unius æquè ac duarum operationum ac voluntatum silentium requirebant : neque tunc eò res progressa erat, ut non sine scandalo duarum operationum ac voluntatum voces possent omitti, ut postea accidit. Hinc ex interdicto earumdem vocum usu Honorius erroris, seu hæresis reus in iisdem initiis traductus non fuit, nec ullo modo damnatus : imò et à Joanne IV et à Maximo Martyre vindicatus invenitur luculentissimis apologiis. Cùm porrò sensim hâc Honorii dispensatione seu œconomiâ Monothelitæ abutentes, suo

errori patrocinium exinde deduxissent, detectum fuit eum à Sergio inani spe et mendaciis fuisse deceptum, et contra pravam illorum interpretationem atque sententiam necessariam esse expressam confessionem duplicis voluntatis, non tamen repugnantis in Christo, ac operationis item duplicis : et tunc Honorius ejusque epistolæ ad Sergium malè audiri cœperunt; eâdemque de causâ idem pontifex unà cum Sergio, Cyro aliisque Monothelitis fuit in sextâ generali synodo condemnatus, non tamen ob hæresim, sed quia eâ œconomicâ improvidâ dispensatione, et nonnullis minùs cautis locutionibus, quas illi in suum pravum dogma obtrudebant, eidem hæresi favorem impendisse visus est. Ita Leo II, qui post sextam synodum Agathoni successit, scribens ad imperatorem pro confirmatione laudatæ synodi, cùm anathematizavit alios, quos appellavit novi erroris inventores, tùm verò Honorium addidit, quippe « qui, ait, hanc apostolicam Ecclesiam « non apostolicæ traditionis doctrinâ illustra« vit, sed profanâ traditione immaculatam « maculari permisit; » et in epist. 2, ad episcopos Hispaniæ, « qui flammam hæretici do« gmatis, non, ut decuit apostolicam auctori« tatem, incipientem extinxit, sed negligendo « confovit. » Similiter in professione Romanorum pontificum in Diurnum insertâ post cæteros ejusdem erroris auctores anathema fertur in Honorium, « qui pravis eorum erro« ribus favorem impendit. » Lapsus ejusmodi in Honorio notatus, est error negligentiæ et omissiònis, eò quòd ad præcavenda scandala catholicam doctrinam non definierit, ut oportebat; quòd officio sibi commisso confirmandorum fratrum defuerit; quòd hæresi nascenti sese non objecerit, nimiùmque credulus Sergiique litteris circumventus silentium indixerit, et locutiones quasdam minùs cautas usurpaverit, quæ in patrocinium hæresis traductæ fuerunt. Error hic Honorii fuit error subreptionis et facti, seu œconomicæ dispensationis, quæ ad disciplinam refertur; non fuit error dogmaticæ definitionis quæ ad fidem è cathedrà editam pertineat. Expendantur singula Honorii verba, et cùm dogma duarum operationum et voluntatum quoad substantiam satis propositum, tùm verò silentium solius œconomiæ causâ, non tamen definiendo, sed hortando (hortantes vos, inquit,) invenietur præscriptum, ad quod revocantur nonnullæ minùs cautæ locutiones meram vocum quæstionem ac novitatem suggillantes, quæ ad definitionem dogmaticam trahi nullâ ratione queunt, cùm præsertim idem pontifex scribens : « Non nos « oportet, unam vel duas operationes DE« FINIENTES prædicare, » fidei definitionem se non edidisse declaret. Quis ipso pontifice definitionem abs se editam negante, fidei definitionem, erroremque definitionis fidei in ejus litteris contineri audeat affirmare?

Cùm Honorius in secundis ad Sergium litteris insertis synodo VI, act. 13, scripserit : « Unius autem operationis vel duarum esse « vel fuisse mediatorem Dei et hominum « Dominum Jesum Christum, sentire et pro« mere satis ineptum est, » non tam voces catholicas duarum operationum *promere*, quàm rem ipsam et sensum ad dogma pertinentem *sentire* tanquàm *ineptum proscripsisse* Bossuetio visus est lib. 7, al. 12, Defensionis, cap. 23. Hæc verò objectio duplici ex capite nutat. Primò fulcitur verbo *sentire*, quod tamen inductum à Latino interprete ex Græcâ earum litterarum versione, num legeretur in originali Latino ipsius Honorii, quod desideratur, nemo probaverit. Deinde ei verbo affigitur sensus, qui nec possibilis est, nec cum Honorii litterarum contextu cohæret. Eâ enim in explicatione, quæ non meras *unius, vel duarum operationum* voces, sed ipsarum etiam sensum proscriberet; nec unam, nec duas operationes in Christo *sentire* opus esset, quod est planè impossibile. Porrò ex toto ambarum Honorii litterarum contextu liquet, hunc pontificem, etsi unius, vel geminæ operationis voces supprimendas contenderit, duas tamen operationes in Christo reipsà quoad substantiam et sensum, aliis licet verbis, apertissimè fuisse confessum, ut notavimus supra. Aliâ itaque interpretatione intelligendum est verbum, quod in versione Latinâ ex versione Græcâ redditum est, *sentire*, ita scilicet ut non referatur ad proscribendum geminæ operationis sensum, quem idem Honorius tam expressè approbavit, sed ad supprimendum tantùm earum vocum usum, quem quidem unum pacis conciliandæ nomine Sergius sustollendum petierat, et de quo uno tollendo Honorius ab eo deceptus, sese sollicitum toto contextu exhibet. Si primigenium ipsarum litterarum Latinum exemplum præstò esset, nihil dubito, quin verbum præferret, quod merum earum vocum usum in præsumptis circumstantiis paci et unitati, uti ferebatur, infensum, *satis ineptum* traduceret : quam

quidem in sententiam idem pontifex se scripsisse ait, tùm ad Cyrum, qui pro unâ, tùm ad Sophronium, qui pro geminâ operatione pugnabat, se, inquam, scripsisse ait ibidem post pauca, « ne novæ vocis, id est, unius vel geminæ operationis VOCABULO insistere et immorari videantur. » En quid *ineptum* credidit, his *in vocabulis insistere et immorari.*

Nonnulli nec levibus quidem argumentis contendunt, Honorium in iisdem litteris privatam gessisse personam, non publicam; ac proinde eas vel hoc nomine non posse haberi tanquàm Apostolicæ cathedræ definitionem atque doctrinam, ut videre est inter alios apud Thomassinum dissert. 20, in synodum VI œcumenicam. Quòd si id non arrideat iis qui in litteris de re gravissimâ et ad fidem pertinente exaratis, duobus patriarchis Apostolicam sedem consulentibus, Honorium silentium præscribentem praximque dirigentem privatam personam gessisse haudquaquàm intelligunt, non idcircò definitionem fidei in iisdem litteris contineri evincere queunt. Sicut enim non omnia in quibus summi pontifices Apostolicam auctoritatem interponunt, sunt definitiones dogmaticæ, quibus immunitas ab errore tribuenda sit, uti sanè fidei definitiones ab omni errore immunes haudquaquàm habentur judicia circa personas, statuta disciplinæ, et alia ejusmodi à negotio fidei aliena, quæ ex Apostolicâ auctoritate subinde proferuntur, ita fidei definitiones dici nequeunt epistolæ Honorii ad Sergium, quæ etsi circa negotium fidei versantur, et publicam personam creduntur præferre, nihil tamen credendum decernunt, nihil damnant uti contrarium fidei, uti definitio propriè dicta exigeret (confer dicenda in § sequenti); sed œconomiæ causâ unius et geminæ voluntatis atque operationis silentium ob impedienda scandala præscribentes, definitionem dogmaticam expressis quæ indicavimus verbis excludunt. Si autem in illis nulla fuit propriè dicta definitio fidei, extra præsens propositum evagantur qui ipsas maximo nisu opponunt, ac si error quem in illis inesse putant, pertineat ad definitionem fidei, de quâ unâ nunc agimus.

Hic autem animadvertere libet, quàm facilè ex dictis hactenùs intelligatur, quomodò hic Honorii lapsus, qui non dogmaticæ definitionis lapsus fuit, sed omissionis, subreptionis, improvidæ credulitatis et œconomiæ quæ in bonum cessura credebatur, et solâ Monothelitarum malitiâ in scandalum conversa est; quomodò, inquam, hic Honorii lapsus nihil præjudicet ei promissioni Christi: *Oravi pro te*, etc., ex quâ in Petri personâ indefectibilitatem fidei successorum ejus traditione testante deduximus. Distingue in eo textu promissionem Christi, ne deficiat Petri fides ad successores ejus transmissa, à præcepto ejusdem successoribus æquè imposito: *Confirma fratres tuos*, et vide quid inter promissionem et præceptum intersit. Illa promissio: *Ne Petri fides deficiat*, ut monuit etiam Bossuetius, semper implenda est, quia Christi promissiones infallibilem effectum habent. Præceptum verò confirmandi fratres, non semper implendum, quia hujus præcepti semper implendi nulla fuit Christi promissio. Cùm promissum illud, *ne deficiat Petri fides*, factum fuerit à Christo bono unitatis fidei, ut excitatis à Satanâ controversiis ob scindendam hanc unitatem, fratres editâ doctrinâ fidei confirmarentur ab eo qui vindicandæ eidem unitati toti Ecclesiæ præpositus fuit, semper implebitur; neque defectura erit unquàm Petri fides, etiam in successoribus ejus, quandocumque in iisdem Satanæ moliminibus fidei unitatem vindicaturi, ex præcepto Christi ac præcipuo primatûs officio dogmaticam definitionem edent, ut fratres confirment contineantque in veræ fidei unitate. Num verò huic præcepto et officio de quo nulla promissio suppetit, illi sint semper satisfacturi necne, æquè certum non est; ac propterea si qui huic muneri desint, etiam cùm opus esset confirmare, sive quòd negligant, sive quòd existiment non expedire, ut in Honorio accidit, deerunt quidem officio, non tamen dici poterunt defecisse in fide, seu in definitione fidei, quod unum ne eveniat, promissum fuit. Honorii itaque lapsus, quem non fuisse lapsum definitionis fidei luculenter, ut arbitror, constituimus, promissionem Christi, quæ ad solam fidei definitionem extenditur, intactam relinquit.

§ 10. *De lapsibus qui aliis pontificibus tribuuntur, et de nonnullis antiquorum testimoniis, quæ errores pontificum indicant; quædam attinguntur, ex quibus pateat nullos pertinere ad definitiones fidei.*

Si porrò duo illa vel tria objecta, quæ velut potiora et magis explorata ex S. Petri, ex Liberii et Honorii lapsibus obtruduntur, in rem præsentem nihil probant, quid censendum de cæteris, quæ ex aliis pontificibus ducta, minoris momenti et imbecilliora sunt multò, evidentioribusque responsionibus apud

alios inerrantiæ pontificiæ eruditos doctosque vindices uberrimè diluta inveniuntur? Ne morosiùs percurramus singula, et ne deseramus planè omnia, animadversionem proferam, ex quâ quisque exploratiùs cognoscet, quatenùs aliis atque aliis objectis responderi queat. Illud apud non paucos præjudicium obtinet, quo omnia pontificum dicta, vel scripta tanquàm fidei definitiones existimant; nec cogitant, se hâc ratione ipsis pontificibus, dùm favere nimiùm volunt, obesse plurimùm, adversariisque pontificiæ inerrantiæ plurium objectorum occasionem præbere. Præjudicium ejusmodi si deponatur, cùm obvia erit quamplurium objectorum solutio; tum facilior adversariorum catholicorum conciliatio. Ex quo summi pontifices ad Petri sedem promoti sunt, sicut non idcircò exuerunt humanam naturam, ita neque humanam agendi et opinandi rationem deposuerunt. Quàm multa agunt ex prudentiæ regulis, quæ ex varietate circumstantiarum judicium mutandum præscribunt, quæque illud sectari jubent, quod (ut scholæ loquuntur) in pluribus accidit, licet in paucioribus possit deficere? Quàm multa decernunt ex opinione, quæ omnibus expensis longè probabilior et certior judicatur, unde est illa juris canonici regula in sexto: « Inspicimus in obscuris, quod est verisimilius? » Ad hæc ferè revocantur pleraque rescripta pontificum non tam circa personas et judicia particularia, quàm in responsis ad dubia eisdem proposita circa practicos casus, ut ne ullum definitionis dogmaticæ judicium præ se ferant. « Respondent enim sæpè pontifices, inquit Melchior Canus, ad privatas hujus, aut illius episcopi quæstiones suam opinionem de rebus propositis explicando, non sententiam ferendo, quâ fideles obligatos esse velint ad credendum. » Et similiter cardinalis Bellarminus notavit « multa esse in epistolis decretalibus, quæ non faciunt rem aliquam esse de fide, sed solùm opiniones pontificum eâ in re nobis declarant. » His apostolicis rescriptis summa quidem observantia debetur pro summâ rescribentium dignitate atque auctoritate; et si quæ fortè videantur aliquid difficultatis pati, explicanda, concilianda et vindicanda sunt, si salvâ veritate fieri possit; at cùm in ejusmodi responsis ad prudentiam et opinandi regulas pertinentibus nullum fidei dogma (in quo continetur (1) et morum naturalis ac divini juris doctrina) definitum dici queat; objectæ, sicubi opponantur, difficultates non sunt necessariò solvendæ ab illis qui pontificiam inerrantiam solis fidei definitionibus promissam vindicandam sumpserunt. Quid quòd multæ etiam sententiæ, quæ in pontificum sive epistolis, sive concionibus, sive aliis quibuslibet eorum operibus inspersæ, etiamsi veritatem aut (1) aliquod dogma contineant, et verissimæ sint, non tamen fidei definitiones dici queunt; sicuti similes sententiæ in aliis Patribus inventæ, opinionis vel dogmatis, uti materies fert, testimonia sunt, definitiones autem fidei non item. Fidei enim definitiones propriè dictæ, quibus per se debetur unitas fidei, illa tantùm, ut antea explicavimus, Apostolica decreta sunt habenda, in quibus ob excitatas controversias vel dogma aliquod de fide credendum decernitur, vel error alicui dogmati contrarius damnatur, ut ex primatûs officio unitas fidei servetur, fratresque confirmentur in fide: quibus tamen ipsis si qua obiter inserantur, vel ut objectioni respondeatur, vel explicandi gratiâ præter præcipuam propositionem, ea non pertinere ad definitionem fidei Melchior Canus animadvertit.

Hisce observationibus, si penitùs intelligantur, quàm inania detegentur plura objecta ex aliquot rescriptis aliisque pontificum documentis, quæ ex prudentiæ regulis vel ex opinione scripta, ad fidei definitiones non sunt revocanda? Ita ex. gr., perperàm opponitur factum Vigilii, qui in Constituto diei 14 maii anni 553, defendit tria capitula, et postea damnavit, cùm certum sit ex S. Gregorio Magno, in eâ quæstione de quibusdam solummodò personis fuisse ventilatum, et nihil aliud quàm de personis fuisse disceptatum, uti affirmavit Pelagius II, ac proinde quæstionem fuisse extra fidem, ut Pelagius I scripsit ad Childebertum regem Francorum. Egit autem in hâc de personis controversiâ Vigilius ex prudentiæ regulis, quæ pro temporis et circumstantiarum ratione consilium esse sumendum tradunt. Tunc enim tria capitula fortiter defendenda, seu non

(1) Hinc clerus Gallicanus Censuram et Declarationem scriptam in conventu anni 1700, his verbis exorditur: « Religionem christianam fide et moribus constare; dogmatum autem tum fidei tum morum eumdem esse fontem, et benè vivendi regulam ad ipsum fidei caput pertinere Ecclesia catholica semper intellexit. »

(1) Sententiæ ejusmodi aliquod dogma exprimentes ex pontificum operibus sumptæ, ad probandam quidem Romanæ Ecclesiæ traditionem, non verò ad probandam propriè dictam definitionem fidei referendæ sunt.

damnanda credidit, cùm censuit ea non posse damnari absque injuriâ et periculo concilii Chalcedonensis. Cùm verò post multam discussionem exploratum ipsi fuit, Nestorianos iisdem capitulis perperàm abuti cum evidenti periculo, ne damnatus eorum error vehementiùs repullularet, eadem actutùm damnavit inflicto in eos anathemate, qui secùs opinarentur, quod anathema in Constituto pro ipsorum defensione non tulerat. Vide hâc de œconomiâ peculiarem dissertationem Petri de Marca de decreto Vigilii, et cardinalem Ursium in Hist. eccles. lib. 41, n. 84, ubi is etiam ostendit, post hoc postremum peremptoriumque Vigilii decretum quintam synodum inter œcumenicas haberi cœpisse, quæ priùs Apostolicæ confirmationis defectu eâ auctoritate caruerat.

Cùm Joannes XXII aliqua dixit pro eâ sententiâ quâ animabus justis visio beatifica differenda tradebatur post extremi judicii diem; id dixit opinando, vel potiùs, ut declarârunt theologi Parisienses, referendo, et (si malis) favendo sententiæ nondùm finali judicio proscriptæ, non verò definiendo. Imò in diplomatibus canonizationis SS. Thomæ Aquinatis, Ludovici Tolosani episcopi et Thomæ Herfordiensis antistitis ab eâdem sententiâ decedens, sanctorum animas in cœlum receptas ac beatâ visione donatas professus est. Vide de hoc plura apud Odoricum Raynaldum ad annos 1333 et 1334. Ad opinionem quoque referenda sunt alia multa cùm in sermonibus, tùm in rescriptis asserta, quando non expressè definiunt, nec docent aliquid credendum vel damnandum ex fide. Nonne Clemens V, in ipso Viennensi concilio agens de quodam effectu baptismi inter auctores diversis opinionibus controverso, alteram opinionem tanquàm probabiliorem amplectens, à definitione abstinuit? Hinc scitè profectò Melchior Canus, postquàm de decretalibus scripsit: « Quarum nonnullas constat à posterioribus meliori consilio refutatas, » hanc rationem subjecit: « Quoniam non ex firmo decreto, sed ex pontificum opinione prodierunt. » Cùm Gregorius XI, in testamento declaravit: « Volumus, dicimus et protestamur ex nostrâ certâ scientiâ, quòd si in consistorio, aut in concilio, vel in sermonibus, vel in collationibus publicis, vel privatis, vel lapsu linguæ, aut aliàs ex aliquâ turbatione, vel etiam lætitiâ inordinatâ, aut præsentiâ magnatum ad eorum forsitan complacentiam, seu ex aliquâ distemperantiâ vel inadvertentiâ aut superfluitate, aliqua dixerimus erronea contra fidem catholicam, quam coram Deo et hominibus, ut tenemur præ cæteris, profitemur, colimus et colere cupimus, seu forsitan adhærendo opinionibus contrariis fidei catholicæ scienter (quod non credimus), vel etiam ignoranter aut dando favorem aliquibus contra catholicam religionem obloquentibus; illa expressè et specialiter revocamus, detestamur et haberi volumus pro non dictis; » cùm hæc, inquam, declaravit, nonne manifestum fecit, se loqui de dictis ex opinione vel subreptione vel infirmitate aliquâ humanâ, quibus error subesse potest, quæque proinde cùm non sint habenda definitiones fidei, si quem errorem involverent, jure revocavit? Uti fecit etiam Joannes XXII, qui propterea omnia ejusdem generis judicio Ecclesiæ ac suorum successorum subjecit. Hæc profectò testimonia perperàm obtruderentur ad statuendum, eos credidisse errori obnoxias definitiones fidei, cùm solùm probent, non omnia quæ à pontificibus aguntur, dicuntur vel scribuntur, ad fidei decreta debere aut posse referri. Hinc superfluum agnoscitur, alia multa objecta ex responsis, scriptis aut dictis pontificum expendere, quæ aliquibus ex memoratis exceptionibus ad fidei definitiones non pertinent. Ubi quidem agebatur de definitionibus dogmaticis, eas semper à Romanis pontificibus irretractabiles atque infallibiles habitas invenimus, ut patet ex dictis, ex. gr., de definitione Cœlestini contra Nestorium, Leonis I contra Eutychem, etc., nec unus pontifex Romanus afferri poterit, qui aliquam ejusmodi definitionem revocaverit, aut novo judicio ecclesiastico veluti dubiam submiserit, ut in aliis rescriptis, aut documentis pontificiis, quæ à definitionum naturâ absunt, reperire licebit.

Sed quid pluribus opus est distineri in re quam idem Bossuetius satis confessus est? Libro enim tertio Defensionis, al. 7, cap. 1, quædam testimonia decretorum sibi molesta rejecturus in eâ materiâ de quâ nobiscum non est quæstio, nonne ea decreta pontificia ad fidei definitiones non pertinere contendit, allatisque theologorum infallibilitatis pontificiæ defensorum auctoritatibus, ad fidei definitionem duo requiri statuit: « Alterum ut res sit ad fidei et morum essentialia pertinens, idque per se, et proximè, non accidentariò et remotè; alterum ut expressum sit id de fide credendum. » Cùm Romani pontifices ad Petri cathedram evecti, non idcircò opinandi facultatem amiserint, sæpè autem ex opinione

ac prudentiæ regulis respondeant, ut nuper monuimus, et omnes etiam pontificiæ auctoritatis defensores fatentur; non omnia eorum responsa atque decreta definitiones fidei haberi debent, nisi in eo quod respondent decernuntve, satis exprimatur aliquid credendum aut reprobandum ex catholicâ fide. Id præsertim locum habet in quæstionibus et (1) casibus practicis, qui variis hinc inde difficultatibus sunt impliciti, et à certis divini ac naturalis juris principiis remoti, in quibus nisi de dogmate expressè agatur et statuatur, ex opinione responderi solet: ac propterea jure Bossuetius eam defensorum pontificiæ infallibilitatis regulam laudavit, quâ ad fidei definitionem discernendam requirunt, ut res, de quâ pontifices decernunt, non solùm ad fidei et morum essentialia pertineat, idque per se et proximè, non accidentariò et remotè, verùm etiam ut expressum sit id de fide credendum. Quid ergo tam multa ex aliquot pontificiis responsis, seu decretis congessit objecitque, quibus satisfit hâc unâ interrogatione: « Num quod ibidem respondetur aut decerni« tur, expressum sit id de fide credendum? » Quod valet vel maximè in objectis Honorii litteris, in quibus error, qui ipsis perperàm appingitur, nullibi de fide credendus traditur.

Tria ab adversariis præstanda sunt, ut erratum probent in definitione fidei. Primò decretum quod opponunt certum esse debet, non suppositilium aut dubium; quo nomine nihil certi probant quædam responsa Stephani II, seu potiùs III, quæ non solùm à P. Harduino (Dissert. de Baptismo in vino), verùm etiam ab uno ex ipsis adversariis P. Natali Alexandro non satis certa, vel etiam supposititia judicantur. (Theol. dogm. moral. lib. 1 de materiâ Baptismi regul. 2, ubi responsum de Baptismo in vino corruptum et facili correctione emendandum ostendit). Secundò error, qui objicitur debet esse error non facti, sed fidei, et hic quidem ita evidens, ut verba nequeant æquâ interpretatione explicari: nimis enim iniquum esset in pravum et erroneum sensum accipienda contendere, quæ sine errore explicari queunt: quo ex capite nihil obest error Zozimi, qui à Cœlestio per subreptionem deceptus, mero errore facti laboravit; nihilque pariter obsunt aliquæ decretales, quarum verba æquum sensum ab errore fidei remotum commodè ferunt, uti sanè laudatus Natalis Alexander (Hist. eccl. sec. VII, art. 3) explicat Gregorii II responsum ad S. Bonifacium de infirmitate et impotentiâ antecedente matrimonium, at post matrimonium detectâ, quæ matrimonium ante contractum irritum reddiderat. Ubi verò fidei error inveniretur in certo pontificio documento, et ita apertus, ut nullâ ratione posset congruè explicari, restaret adhuc tertium, num ex documenti verbis pateat hujusmodi erratum proponi et decerni tanquàm credendum ex fide, ut in definitione fidei erratum fuisse probetur. Quo vel maximè nomine idem Bossuetius loco laudato à definitionibus dogmaticis aliena quoque cum Bellarmino agnoscit decreta in Formosum, necnon cum Odorico Raynaldo celebrem decretalem Exiit à Nicolao III editam, quam tamen multo cum nisu alibi fusiùs obtrudit. In præviâ autem dissertatione, quæ posteriùs ab eodem Bossuetio scripta, novissimæ editioni Defensionis præfixa fuit, § 46, ubi Nicolai ejusdem decretum ex decretis Joannis XXII erroris notavit, objectum ejusmodi valdè ambiguum saltem declaravit scribens: « Cæterùm neque hìc sollicitè quærimus, « quâ de re præcisè ageretur, et an reverà « Nicolaus pro cathedræ auctoritate ista de« creverit, nec magis curamus hìc, rectène an « secùs ipse ac Joannes egerint, et an summâ « consentiant, verbis litigent. » Quæ sanè non solùm defensores pontificiæ auctoritatis fusè agitârunt, sed inter celebriores adversarios agitavit etiam Paulus Natalis Alexander diss. 11, in secula XIII et XIV, art. 1, ubi Nicolai decretum decretis Joannis XXII, quoad substantiam non contra ire constituit. Certè verò in decretali *Exiit* Nicolai mentem non fuisse proferre definitionem fidei latè demonstravit cardinalis Ursius tom. 2 de Romani pontificis auctoritate, lib. 3, cap. 42. In his et similibus decretis (quod antea monui) potissimùm cavendum, ne idem esse credatur, aliquid pertinere ad materiam fidei, et decreta quæ a pontificibus eduntur, ut respondeant interpellantibus Apostolicam sententiam et aucto-

(1) In his quidem practicis casibus à principiis juris naturalis ac divini valdè remotis, cùm nec habeatur nec haberi soleat omnimoda certitudo, nec certitudo fidei ad licitè agendum sit necessaria, sufficiat autem illa certitudo moralis, quæ ex opinione moraliter certâ proveniens in rebus moralibus sufficit; responsa summorum pontificum vel probabiliora morali certitudine prædita contineri solent, vel, ubi hæc certitudo desit, ad tutiora remittunt, ut ex aliquot decretalibus liquet; nec fidei dogma constituere credenda sunt, nisi cùm aliquid ex fide credendum vel damnandum satis declarant.

ritatem, si quo hujus auctoritatis charactere muniatur, semper esse definitionem fidei. In re enim, quæ referri queat ad jus naturale, vel divinum, respondere possunt quod ex opinione probabilius judicant vel tutius, nisi exprimant aliquid credendum aut damnandum ex catholicâ fide; idque possunt, etiamsi ad compescendas acriores contentiones sub excommunicationis pœnâ vetent constitutis glossas addere, et aliter interpretari, ut Nicolaus vetuit. Potest enim excommunicatio ferri ob præsumptionem et inobedientiam, quæ pacem turbet et scandala foveat; tametsi circa articulum nondùm definitum ex catholicâ fide nullum læsæ fidei periculum sit. Hoc uno principio quàm multæ pontificum constitutiones aliquem characterem auctoritatis apostolicæ præferentes, à propriæ dictæ definitionis fidei catalogo excluduntur, ex quibus objectæ difficultates, si quo casu maximè probarent, non probarent errores in definitione fidei.

Ex hactenùs dictis inepta ad propositum detegentur etiam pauca quædam objecta ex nonnullis antiquis Patribus, qui dùm aliquorum pontificum sententias, aut epistolas vellicant, dogmaticas definitiones non respiciunt, sed facta et scripta in causis à definitione fidei alienissimis, uti, ex. gr., duo illa quæ Bossuetius ingerit testimonia S. Basilii, pertinent ad causam inter Paulinum et Meletium de episcopatu Antiocheno contendentes, in quâ tota quæstio erat personalis et facti. Nam ex Basilii epist. 314, ad Terentium Comitem, et epist. 239, ad Eusebium Samosatenum, testimonia Bossuetius profert, in quibus rerum Orientalium, seu gestorum et sensuum ignorantia tanquàm dissidii causa notatur. Nec mirum si Basilius, qui cum Orientalibus Meletio favebat, acriùs aliquantò contra Romanos scripserit, qui cum Occidentalibus et Alexandrino Paulino patrocinabatur. Nec minùs inepta est objectio ex testibus quorumdam mediæ ætatis scriptorum, in quibus obedientiam pontificibus debitam eâ conditione coercent, nisi quid præciperent contrarium Evangelio aut divinis mandatis vel contra fidem. Primò enim ad errorem probandum non sufficiunt propositiones vagæ et conditionatæ, siculi illa verba Apostoli Pauli ad Galatas c. 1, v. 8: *Licet nos, aut angelus de cœlo evangelizet vobis, præterquàm quod evangelizavimus vobis*, etc., quæ hypotheticæ propositioni æquivalent, non probant, ipsum Paulum aut bonos angelos de cœlo quidpiam tale apostolicæ doctrinæ contrarium evangelizâsse aut posse evangelizare. Dein illi textus agunt de præceptis particularibus, in quibus sicut Papæ non ita certò sunt infallibiles, ut in definitionibus dogmaticis; ita si quid forsitan præciperent contra fidem aut Evangelium, errârent quidem, nec per devia sequendi essent, ut dixit Auxilius; sed error definitionis fidei dici non posset.

Pauca nunc cursim indicanda de iis quæ quosdam movent, dùm ea pontificia decreta, quæ aliquot propositiones *in globo* variis censuris respectivè damnant, erroris accusant, si inter propositiones ejusmodi aliquæ veræ et à piis sanctisque viris usurpatæ videantur. Id autem quàm sit inane, facilè quivis agnoscet, si animadvertat peculiarem horum decretorum et harum condemnationum naturam. Cùm enim censuræ plures sunt, et propositiones item plures damnantur *in globo* et respectivè, nulla censura cuivis propositioni singillatim afficta, ut justitia et veritas proscriptionis constet, haud necesse est omnes censuras et notas singulis propositionibus convenire, sed sufficit si aliqua saltem censura huic, vel illi conveniat, ut ex duabus Clementis XI constitutionibus colligere licet. Clemens XI in Brevi diei 20 novembris 1716, ait: « Censuris variis, quas respectivè, ut aiunt, hoc est, singuli (articuli) earum SALTEM ALIQUAM merebantur, inustos usitato more proscripsimus. » Et in Constitutione *Pastoralis officii* clariùs explicans scribit: « Constitutionem promulgavimus, in quâ plures noxios articulos ex eodem libro excerptos censuris variis, quas respectivè, ut aiunt, hoc est, singuli earum SALTEM ALIQUAM merebantur, notatos promiscuè pro hujusce sanctæ sedis more proscripsimus. »

Porrò inter censuras diversas, non omnes falsitatem aut hæresim notare solent, sed temeritatem, piarum aurium offensionem, æquivocationem, scandalum vel captiosum sensum, etc., quæ notæ cadere possunt etiam in propositiones aliquo sensu veras per se, sed quæ ob temeritatem, offensionem piarum aurium, scandalum, ac præsertim ob æquivocationem ac falsum sensum, in quem trahi possunt ac tractæ fuerunt à quibusdam, jure ab Ecclesiâ damnantur, ut ne idcircò verus sensus, quem sanâ interpretatione habere queunt, et in quo à viris piis sanctisque fuerint acceptæ, damnatus credatur. Hâc in re, quæ laudata pontificia proscriptionum decreta ab

errore satis superque vindicat; si quis plura desideret, adeat Melchiorem Canum de Locis Theolog. lib. 12, c. 10. Confer etiam Cardinalis Norisii dissertationem secundam apologeticam monachorum Scythiæ cap. 1, ubi quasdam propositiones, imò et verba æquivoca in diverso sensu Ecclesiam modò approbâsse, modò reprobâsse ostendit, ut ne infallibilitati ejus præjudicium creetur. Horum monachorum propositionem de uno ex Trinitate, etc., ab Hormisdâ Papâ haudquaquàm damnatam, et quid in ipsis reprehensum, idem Norisius fusè explicat dissert. primâ.

Quid morer in respondendo objectis S. Columbani verbis ex epistolâ ad Bonifacium IV, ubi scripsit: « Multi dubitant de fidei « vestræ puritate; » rogatque, « ut caligo « suspicionis tollatur de cathedrâ S. Petri; » et addit: « Jam vestra culpa est, si vos de- « viâstis de verâ fiduciâ, et primam fidem « irritam fecistis. Meritò vestri juniores (id « est, inferiores) vobis resistunt, et meritò « vobiscum non communicant. » Ita sanctus vir, novus homo ex Hiberniâ vel Scotiâ in Italiam vix adductus, ignarus rerum gestarum circa quæstionem de tribus capitulis, deceptusque à schismaticis istarum partium; ita, inquam, læsæ fidei à Romanæ sedis pontificibus, qui eadem capitula jam inde à Vigilio damnaverant, dubium et suspicionem inspersit, ex schismaticorum utique sensu, à quibus ipsorum capitulorum condemnatione, impetita venditabatur Chalcedonensis concilii fides. Quid autem nobis obesse possunt verba ex schismaticorum sensu à S. viro per subreptionem scripta in causâ cujus definitio jam ab annis circiter sexaginta à generali concilio V edita et approbata atque confirmata non solùm à Vigilio, sed à pluribus etiam continuatæ successionis Romanis antistitibus, necnon à totâ Ecclesiâ catholicâ eisdem consentiente recepta, ex ipsis adversariorum principiis in dubium revocari non poterat? Quâ cohærentiâ objectum hoc ab illis ingeritur? Erravit profectò S. Columbanus criminationes schismaticorum incautè suscipiens, cùm præsertim indicârit dubium de pontificum fide in quæstione quæ propriè non versabatur circa fidei materiam, sed circa personas, ut notavimus sub initium hujus paragraphi. Qui porrò ingerunt verba ejus per subreptionem ex schismaticorum erroneo sensu improvidè suscepta, velim potiùs animadverterent illa ex suo sensu ab eodem Columbano in eamdem epistolam inserta: « Ego enim credo semper columnam « Ecclesiæ (id est, fidem) firmam esse in Ro- « mâ; » sicut et ista: « Nos enim (id est, « Scoti et Hiberni nationales sui) devincti su- « mus cathedræ S. Petri; » quæ communem suæ nationis, imò traditionis catholicæ sententiam, debitamque cum Romanâ cathedrâ unitatem, fideique ejusdem cathedræ firmitatem declarant.

Ad hoc idem trium capitulorum negotium pertinet non absimilis objectio Bossuetii ex epistolis Pelagii I, de cujus fide cùm dubitâssent nonnulli ob eorumdem trium capitulorum condemnationem, uti S. Columbanus dubitationem ingessit de fide Bonifacii IV, rationem suæ fidei reddidit idem Pelagius, nunquàm allegato privilegio infallibilitatis. Huic autem objecto facilis responsio est. Qui enim de fide alicujus dubitant, de ipsius infallibilitate saltem dubitent oportet. Ad ejus verò fidem purgandam nihil apud dubitantes prodesset infallibilitatis privilegium proferre, quod iisdem certum non est. Rationes propriæ fidei, quæ in dubium vocatur, ab eo sunt afferendæ, omisso infallibilitatis argumento, quod in ejusmodi circumstantiis esset inefficax et ineptum. Dubium porrò in re præsenti versabatur, non circa aliquam definitionem fidei à Pelagio I editam (quod tamen propositum nostrum exigeret), sed circa decreta pontificia, quæ in quæstione de quibusdam solummodò personis, et, notante eodem Pelagio I, extra fidem posita, tria capitula condemnaverant, perinde ac si dubium esset, num hæc capitula condemnantes, fidem à S. Leone et à Chalcedonensi concilio definitam tenerent. Id ut revinceretur, professio fidei, quæ cum S. Leonis et Chalcedonensis synodi definitione conveniret, necessaria fuit; nec infallibilitatis privilegium solas propriè dictas definitiones respiciens fuisset opportunum. Neque reponas, apud eos saltem ex antiquis, qui de ipsis propriè dictis definitionibus pontificum aliquando dubitârunt, istorum infallibilitatem certam non fuisse. Numquid enim quia nonnulli antiqui dubitârunt de quibusdam dogmatibus definitis in generali concilio, hæ definitiones reipsà non erant infallibiles? Erant utique, quia eorumdem generalium conciliorum infallibilitas, apud illos licet incerta, ex certis principiis certa est. Num verò Romanorum quoque pontificum infallibilitas in propriè dictis definitionibus fidei sit pariter certa, ex principiis hâc in dissertatione constitutis lector judicet; et si quidem ex iisdem principiis totoque systemate probe demonstrata ac per

se certa judicetur, dubitationes nonnullorum etiam veterum nihil præjudicii afferre potuerunt. Et sicut qui dubitârunt, vel etiam olim contradixerant definitionibus conciliorum generalium, errâsse probantur; ita etiam errasse dicendi sunt, qui dubitârunt, vel sese opposuerunt propriè dictis definitionibus pontificiis (ut illis accidit qui in Chalcedonensi difficultates moverunt contra dogmaticam S. Leonis epistolam; unde corrigendi fuère, et ad debitam unitatem adducendi): nec errantium quantùmvis antiquorum auctoritas adversariis pontificiam infallibilitatem negantibus prodesse potest.

§ 11. *Conclusio.*

Interim ut concludamus, cùm nulla pontificum facta, nulli qui objiciuntur ipsorum errores, qui soli contra pontificiam inerrantiam efficaces videri poterant, sint errores definitionum fidei, stare igitur debet eorumdem pontificum infallibilitas in definiendis controversiis fidei, quam tum ex promissis Christi, tum ex Patrum traditione asserendam vidimus Apostolicæ cathedræ Romanisque antistitibus, cùm ex primatûs officio aliquid decernunt ob vindicandam fidei unitatem, et ob confirmandos fratres in fide: nihilque excusationis superest errorum prætextu, quominùs definitionibus ejusmodi, cùm è S. Petri cathedrâ eduntur, ea fidei unitas adhibeatur, quam jure primatûs eisdem præstandam toto hoc opere demonstravimus.

Nolim hic quempiam adversariorum offensionis et querelarum occasionem capere ex verbo, *demonstravimus*, aliisque similibus, quæ pontificiæ infallibilitatis thesim omninò certam ac evidenter demonstratam præferunt. Is autem, quicumque sit, animadvertat, quæso, me hujus demonstrationis naturam ex duobus deduxisse; primò ex principiis de vi ac ratione primatûs, quæ ab ipsis adversariis concessa, demonstrationi gignendæ aptissima sunt: dein ex promissis Christi, quæ Petri fidei facta, fidei quoque successorum ejus æquâ ratione conveniunt. Quoad primum nonne ipsis adversariis concedentibus, primatus, qui est prærogativa personalis solius Petri et successorum ejus, jurisdictionem personalem iisdem attribuit primariò directam ad vindicandam et perpetuò conservandam in Ecclesiâ fidei unitatem? Nonne hæc jurisdictio ut ad eum finem ex Christi institutione consequendum apta sit, ut esse debet, vim coactivam involvit, sine quâ unitas fidei vindicari et custodiri non posset? Hæc vis coactiva, ratione primatûs competens, quæ non uni Petro, sed et successoribus ejus eodem primatu præditis tribuenda est, nonne affert necessitatem, seu obligationem conveniendi cum ipsis in fide? Hanc necessitatem nonne apertè declaravit S. Irenæus, et similiter aliorum quoque Patrum traditio, quorum textus si non omnes singillatim ipsam necessitatem exprimunt, uti S. Irenæus aliique expresserunt, ita tamen inculcant atque commendant unitatem ejusdem fidei Romanæ, ut æquivalenter necessitatem declarent, cùm præsertim ex claris expressisque testimoniis minùs clara in eamdem sententiam interpretanda sint, ut omnia cum principiis præstitutis atque concessis vim coactivam exigentibus probè concordent? Nonne hæc vis coactiva ratione primatûs fidei Romanæ sedis, cathedræ atque Ecclesiæ attributa, cùm ita sit personalis Romanorum pontificum, uti personalis est ipse primatus, de eâ fide Romanæ sedis, cathedræ et Ecclesiæ intelligenda est, quam ipsi Romani pontifices ex primatûs fine et officio docent ob continendam vindicandamque fidei unitatem, uti idem Bossuetius interpretari coactus fuit? Vide supra hoc ipso capite, § 5. Mirum, si quis hanc coactivam vim, eam conveniendi necessitatem afferens, quæ ex primatu fluit, propter potentiorem, ut ait Irenæus, principalitatem, quispiam abjudicet iis in quibus tantum est vis ac ratio personalis primatûs, ut attribuat aliis qui primatu carent! Ex hâc tandem necessitate conveniendi cum fide, quam summi pontifices jure primatûs docent atque definiunt, nonne eorum infallibilitas in fidei definitionibus necessariò sequitur? Vide supra, hujusce capitis versùs initium. Hæc ex principiis expositi systematis de vi ac ratione primatûs. Promissa verò Christi quæ explicavimus, facta S. Petro et successoribus ejus aptatâ traditione Patrum, qui idcircò Romanam fidem immotam et indefectibilem adstruunt, nonne multò evidentiùs hanc infallibilitatis prærogativam pontificiis definitionibus vindicant? Quid ad theologicam demonstrationem constituendam desiderari ampliùs potest?

Quòd si adhuc adversarii antiquitatem laudantes, quæstionem de infallibilitate pontificum, quæ apud antiquos ex proposito agitata non legitur, nolunt discutere, prætereant per me licet, dùm in praxi eos imitentur. Quoties enim aliqua definitio dogmatica è Romanâ sedè

emanavit, illam statim semper ab Ecclesiâ et ab Ecclesiæ filiis obsequentissimè susceptam legimus; neque potuisse quemquam de eâ ambigere, aut ipsam quasi dubiam examini subjicere, nisi fortè ad monendos et convincendos dubitantes, ut ad unitatem ejusdem fidei Catholicis omnibus necessariam revocarentur, antiquorum exemplis fusiùs propositis vidimus. Hæc itaque illustria et notissima antiquorum exempla imitantes nostri catholici doctique adversarii, qui eamdem fidei unitatem cum Romanæ sedis fide penitùs necessariam coguntur fateri, iis quæ edentur pontificiis decretis circa fidei doctrinam promptè obsequentes, dicant cum Patribus Chalcedonensibus : « Anathema ei qui non ita credit. Petrus « per nostrum summum pontificem locutus « est. » Dicant cum S. Petro Chrysologo : « His quæ à beatissimo Papâ Romanæ civitatis « scripta sunt, obedienter attendas, quoniam « B. Petrus, qui in propriâ sede et vivit et « præsidet, præstat quærentibus fidei verita« tem. » Quòd si quidam ex pertinaciâ tumultus excitent, dicant cum Augustino : « Inde « rescripta venerunt; causa finita est : utinam « error aliquando finiatur! » Et rationem, si velint, sumant ex illâ ejusdem Augustini sententiâ, quâ de ejusdem sedis indefectibili doctrinâ haud ambigendum ostendens, dixit : « Ipsa est petra quam non vincunt superbæ « inferorum portæ; » vel ex illis concinentibus S. Hieronymi : « Super hanc petram ædifica« tam Ecclesiam scio. » Ex quo repeti poterunt etiam illa de quovis pontifice, quæ de Innocentio I idem Hieronymus Demetriadi præscripsit : « Ut S. Innocentii, qui Apostoli« cæ cathedræ successor est, teneas fidem, nec « peregrinam, quamvis tibi prudens callida« que videatur, doctrinam recipias. » Quicumque aliis utatur verbis atque sententiis, quæ de doctrinâ fidei apostolicorum Romanæ sedis pontificum dubitantem aut renitentem præferant, nullo catholicorum veterum sanctorum Patrum legitimo exemplo purgabitur; et siquidem debitam obedientiam pertinaciter recuset, unitatem fidei deseret non solum Romanæ, quâcum omnes undique fideles convenire necesse est, ut ex S. Irenæi vetustissimo Gallicanæ Ecclesiæ episcopo audivimus, verùm etiam totius Ecclesiæ catholicæ, quæ cum Romanâ semper adhæsit, et adhærebit semper in fide.

Caveant autem omnes quàm maximè, ne cum quibusdam protestentur, se toto corde adhærere Romanæ cathedræ tanquàm centro catholicæ unitatis, communionemque non solùm velle, sed etiam tenere cum sede Apostolicâ, Romanoque pontifice successore S. Petri, dùm definitionem dogmaticam ab isto editam rejiciunt, vel ab eâ appellationem interponunt. Frustra enim communionis unitatem jactant, quæ nequit subsistere sine unitate doctrinæ, seu fidei; unde valet hìc illud Flaviani ad Paulinum : « Si Damasi communionem amplecte« ris, ò amice, doctrinæ nobis manifestam « similitudinem (id est, unitatem) ostende. » De hâc protestatione notanda sunt, quæ Honoratus Tournely scripsit in relatione actorum sacræ Facultatis Parisiensis erutâ ex actis ejusdem Facultatis, et Parisiis impressâ anno 1730 : « Verbis quidem in speciem catholicis « protestantur illi se Apostolicæ sedi tanquàm « unitatis centro adhærere, sed mera verba « sunt (pace eorum dictum sit) illusione ad « fucum populis faciendum plena. » Separatio, seu præcisio à communione sedis Apostolicæ summoperè timenda est, præsertim ab eo qui fidei unitatem tenere velit; unde scribebat S. Cyrillus Alexandrinus ad Joannem Antiochenum : « Nos enim sequemur quæ illi (Occiden« tales scilicet, et præcipuè Romanus pontifex) « judicaverunt; veremur nempe, ne à tanto« rum communione excidamus. » Cuique vero catholico servanda sunt illa Hieronymi ad Damasum : « Ego nullum primum nisi Chri« stum sequens, beatitudini tuæ, id est, ca« thedræ Petri, communione consocior. Qui« cumque extra hanc domum agnum comede« rit, profanus est. Si quis in arcâ Noe non « fuerit, peribit... Quicumque tecum non col« ligit, spargit, hoc est, qui Christi non est, « Antichristi est. » Hæc antiquorum doctrina, hæc antiquorum exempla sunt. Hæc sequantur qui antiquos laudant et se sequi gloriantur; nec ad inania quædam commenta antiquis prorsùs ignota confugiant, quæ qui sectantur et ingerunt, ut practice se subtrahant ab obedientiâ dogmaticis præcipuè definitionibus sedis Apostolicæ debitâ, eam unitatem fidei convincuntur deserere, quam ex primatûs præcipuo jure cuique Christiano necessariam me plane demonstrâsse crediderim.

Appendix.

DE INFALLIBILITATE PONTIFICIA IN DEFINITIONIBUS DOGMATICIS,

Quâ breviùs explicatur atque statuitur, quænam et qualis auctoritas summis pontificibus tribuenda sit, quando ex fine et officio primatûs ob conservandam in totâ Ecclesiâ fidei unitatem definiunt controversias dogmaticas.

Hæc additio maximè utilis, vel etiam necessaria quodammodò judicabitur, ut breviùs proponantur præcipua capita atque principia, quæ circa auctoritatem infallibilitatemque pontificiam in definiendis fidei quæstionibus fusiùs supra protuli *de Vi et Ratione primatûs;* sicque istud sit veluti compendium, quo totum systema ibidem propositum, ac totius systematis vis faciliùs percipi ac retineri possit. Juxta propositam mihi methodum, totam ratiocinationem contexam ex principiis, in quibus Febronius et cæteri adversarii catholici mecum conveniunt.

Jam apud istos ex Patrum traditione et catholicæ Ecclesiæ doctrinâ certum est, pontificum Romanorum primatum à Christo fuisse institutum ob custodiendam in totâ Ecclesiâ unitatem. Cùm porrò unitas Ecclesiæ potior, quæ maximè conservanda est, sit unitas fidei, certum pariter esse debet, ipsum primatum fuisse institutum ob conservandam potissimùm in totâ Ecclesiâ unitatem fidei. Dissensiones circa fidem, quæ dùm in partes dividunt, præjudicant unitati, compescendæ sunt, ut unitas custodiatur et conservetur in Ecclesiâ. Hæ autem ut compescantur, et provideatur unitati fidei, definitionibus dogmaticis legitimâ auctoritate editis efficiendum est. Non aliud medium concilia, non aliud summi pontifices aut episcopi præstò habent. Hanc auctoritatem Romanis pontificibus competere non negant adversarii, imò præcipuas partes iisdem tribuendas jure primatûs ultrò fatentur. Quænam verò et qualis auctoritas ipsis tradita fuerit à Christo in decidendis controversiis fidei, cùm primatum instituit ob custodiendam et vindicandam in totâ Ecclesiâ unitatem *maximè in fide,* nunc explicandum et constituendum est.

§ 1. PRIMA PROPOSITIO. — *Pontificia auctoritas, instituta ob finem conservandæ unitatis maximè in fide, esse debet per se sufficiens ad hunc finem obtinendum.*

Nemo id negare potest aut in dubium revocare. Communis enim et apud omnes certa doctrina est, Deum, cùm aliquem eligit ad dignitatem vel officium aliquod in aliquem finem, præstare etiam eidem media, quæ ad ipsum finem consequendum per se sint apta et sufficientia. Qui nimirùm seriò vult finem, nisi impotens aut improvidus sit (quorum neutrum convenire potest Deo), vult simul media sufficientia ad finem. Non discordat Febronius: imò id necessariò sequitur ex illo ejusdem principio, quod omninò indubitatum ponit cap. 2, § 4: « Cùm genuinum fundamentum « primatûs in bono unitatis invenerimus, hinc « pro principio statuemus, omnia illa et sola « esse primogenea et essentialia jura primatûs, « sine quibus unitas non potest servari. » Sine auctoritate verò per se sufficienti ad unitatem obtinendam ipsa unitas servari non potest. Auctoritas igitur per se sufficiens ad custodiendam unitatem fidei, ob quam præcipuè primatus fuit institutus, primogeneo et essentiali primatûs juri nequit denegari. Vide hâc de re librum de Vi primatûs c. 9, in quo aliquot adversariorum testimonia attuli, et præsertim illud Nicolii in nonum articulum Symboli c. 2: « Oportet igitur hocce caput (id est, Papam) « auctoritate frui quæ ipsi necessaria est, ut « unitatem conservet; » hujusque auctoritatis vim non solùm sufficientem utcumque esse debere existimat, sed talem, quæ per se satis sit « ad unitatem efficaciter conservandam : » subjicit enim, « juris esse divini et ex institu- « tione Christi, ut (Papa) omni potestate et

« prærogativis ad unitatem EFFICACITER conser« vandam necessariis præditus sit. » Concinit etiam recentior anonymus auctor Dissertationis Isagogicæ Italicâ linguâ editæ, scribens cap. 2 : « E' indubitato, che l'essenza del « primato consiste in una preeminenza fornita « di tanta potestà, quanta bisognar può per « la conservazione dell' unità. » Tota ergo difficultas sita est in explicando et constituendo, quænam sit illa Romanorum pontificum auctoritas *per se sufficiens* ad conservandam in totâ Ecclesiâ unitatem præsertim in fide; de quâ tantùm hìc disputandum est, cùm in hoc tantùm sit et esse possit cum adversariis catholicis quæstio.

§ 2. SECUNDA PROPOSITIO. — *Ut auctoritas summorum pontificum sit per se sufficiens ad conservandam in totâ Ecclesiâ unitatem fidei, debet esse non meri ordinis et honoris prærogativa, sed jurisdictionem aliquam peculiarem sibi competentem requirit, quæ per se exigat et obliget ad fidei unitatem.*

Meri ordinis et honoris prærogativâ ii tantùm contenti esse queunt, qui cum sectariis merum ordinis et honoris, non autem peculiaris jurisdictionis primatum agnoscunt. Qui autem cum catholicâ Ecclesiâ, adversariis quoque assentientibus, fatentur, veræ jurisdictionis primatum à Christo fuisse institutum, hi jurisdictionem eidem primatui adnexam debent concedere, eamque aptam ac per se sufficientem in finem conservandæ unitatis, quæ sine jurisdictione seu vi coactivâ servari non potest. Febronius etsi vim *directorii* summis pontificibus competentem ferè solam inculcet et efferat, vidit tamen *aliquid amplius*, id est, aliquod jus coactivum requiri in finem et conservationem unitatis, quod ad jurisdictionem referendum sit, ne merum primatum ordinis et honoris videretur adstruere. Jurisdictio sine vi coactivâ, quæ scilicet obliget, ex eodem Febronio intelligi nequit. S. Irenæus jurisdictionem primatûs aptissimè expressit duobus verbis, *potentiorem principalitatem*, ubi *principalitas* primatum, *potentior* verò jurisdictionem præstantiorem præcipuamque significat. Vim autem coactivam ad fidei unitatem expressit manifestiùs, cùm necessitatem conveniendi cum Romanâ fide jure primatûs impositam tradidit, de quo inferiùs plura.

§ 3. TERTIA PROPOSITIO. — *Auctoritas, quæ in definiendis fidei controversiis sit per se sufficiens ad exigendam et conservandam fidei unitatem, ita per se sola debet obligare atque sufficere, ut alius auctoritatis præsidio non egeat; ac propterea pontificia auctoritas, quæ per se sufficiens est ac dici debet ad conservandam et exigendam fidei unitatem, ad hunc finem obtinendum nequit egere consensu Ecclesiæ.*

Hæc propositio, quæ evertit conditionem consensûs Ecclesiæ, quam adversarii requirunt, ut definitiones pontificiæ absolutè obligent ad unitatem, maximi momenti est, et idcircò exactiùs probanda. Auctoritatem, quæ alieno præsidio indiget, ut unitatem exigat, atque suâ vi consequatur, ad hunc finem obtinendum per se non sufficere certissimum est. Hinc si ex præcedenti propositione auctoritas Apostolica in definiendis fidei quæstionibus per se sufficiens dicenda est ad custodiendam unitatem fidei, ob quam à Christo instituta, et idoneâ ac sufficienti vi prædita fuit, consensu Ecclesiæ non debet indigere. Dicere cum adversariis auctoritatem primatûs per se sufficientem, si Ecclesiæ accedat assensus, idem est ac negare eam per se aptam ac sufficientem in finem propter quem talis auctoritas à Christo instituta ab ipsis adversariis conceditur. Vel ergo negandum est primatum institutum fuisse ob conservandam in Ecclesiâ unitatem potissimùm fidei : vel, si hoc negare vetat Patrum traditio et Ecclesiæ doctrina, quam et adversarii amplectuntur, fatendum profectò est eumdem primatum fuisse instructum auctoritate (1) per se sufficienti et idoneâ ad exigendam et conservandam fidei unitatem, ut ne egeat præsidio, seu accessione consensûs Ecclesiæ.

Hæc quidem conditio ab adversariis requisita novum inventum est, quod ignoravit antiquitas. S. Flavianus episcopus Constantinopolitanus ita per se sufficientem habuit definitionem S. Leonis, quam petebat contra errores Eu-

(1) Quantùm vel olim habita sit *per se sufficiens* Apostolica auctoritas, declarârunt, antiquisque exemplis confirmârunt Eutherius Thyanensis episcopus, et Helladius Tharsensis in epist. ad Xystum III (apud Constant, epist. 4, n. 2, col. 1246 : « Olim siquidem sæpiùs jam « ex Alexandriâ hujusmodi hæreticis zizaniis « insurgentibus suffecit vestra Apostolica se« des per universum tempus illud ad mendacium convincendum impietatemque repri« mendam, » etc.

[illegible] ut non crederet opus esse concilii generalis præsidio. Idem censuit etiam S. Leo, cùm convocationi generalis concilii sese opposuit. Quòd si huic congregando postea assensit, non idcircò assensit, quasi putaret vim per se sufficientem ad obligandum deesse suæ definitioni, de quâ in concilio quæstionem ac dubium moveri noluit, sed ne obviaret Marciani imperatoris consilio, qui medium hoc utile ac penè necessarium putabat ad conciliandam unitatem et pacem. Summi pontifices cùm suam potestatem ad unitatis finem institutam scirent, omnia media sibi tentanda duxerunt, nullum negligendum, ut dubitantes vel repugnantes ad unitatem adducendos curarent; neque ob id suam auctoritatem per se insufficientem censuerunt ad obligandum, neque obligandi vim pendere existimârunt à cujusquam consensu. Væ auctoritati superiorum, etiam principum, si vim obligandi non haberent eorum præcepta aut leges, nisi subditorum consensus accederet! Vis obligandi ab ipsâ potestate à Deo institutâ proficiscitur, ac proinde à Deo, qui cùm ipsam instituit, vim eidem indidit obligandi: unde eos, qui potestati resistunt, Dei ordinationi resistere Paulus docuit.

Pontificiam potestatem, quam Christus instituit, cùm Petro claves Ecclesiæ, et potestatem ligandi atque solvendi tradidit, adeò per se sufficientem ad obligandum crediderunt semper antiqui pontifices, ut consensum definitionibus Apostolicis debitum subscriptionibus præstandum exegerint vi ipsius auctoritatis per se, etiamsi nondùm adesset ille consensus, qui ad vim omninò coactivam ab adversariis requiritur. Exempla definitionum Innocentii, Zozimi, Cœlestini, Leonis aliorumque subsequentium pontificum, qui ad subscriptiones coegerunt, notissima sunt. Cogere enim ad subscriptiones, est cogere ad consensum: hæc verò coactio ante Ecclesiæ consensum fuisset injusta, si Apostolica auctoritas, ut legitimam vim obligandi haberet, indigeret præsidio seu conditione consensùs.

Hanc quidem conditionem non minùs evidenter respuit S. Irenæus eo testimonio, quo necessitatem conveniendi, seu consentiendi cum Romanæ Ecclesiæ fide omnibus undique fidelibus omnibusque Ecclesiis impositam, non in consensum aliarum Ecclesiarum retulit, sed in *potentiorem principalitatem*, id est, in potentiorem auctoritatem propriam primatùs, quæ ipsam consensùs necessitatem seu obligationem affert. Vide ipsa ejus verba et explicationem in libro de Vi primat. c. 13, § 1. Primatus, qui vi suâ hanc obligationem imponit, vi suâ exigit ipsum consensum: neque hæc vis exigendi consensùs deduci potest ab ipso consensu quem cùm exigit producit, ne hic consensus suî ipsius causa simul sit et effectus. Adeò verò hanc primatùs auctoritatem vim habere per se sufficientem credidit Irenæus, nulloque aliarum Ecclesiarum consensu indigere, quo ad unitatem obligaret omnes, ut aliarum consensum inquirere et cognoscere necessarium non duxerit (cùm omnium fidem ac traditionem inquirere atque cognoscere nimis esset longum et ferè impossibile), sed satis esse crediderit unam Romanæ Ecclesiæ fidem cognoscere, quæ cùm sola per se tantâ vi prædita sit propter *potentiorem principalitatem*, id est ratione primatûs, ut omnibus Ecclesiis necessitatem unitatis et consensûs imponat, hâc unâ fide cognitâ, aliarum omnium consentiens traditio et fides simul cognoscitur. Non ergo vim cogendi omnes ad unitatem Irenæus deduxit ex istarum consensu, quem nec inquirere nec cognoscere opus esse putavit; sed hunc consensum ex vi coactivâ Romanæ fidei atque primatûs deducens, vim per se sufficientem ad obligandum omnes ipsi Romanæ fidei et primatui attribuit. Hinc frustra hunc Irenæi locum nobis extorquere nituntur, qui dicunt eumdem loqui de Romanâ Ecclesiâ, seu de Romanæ Ecclesiæ traditione ac fide, non de fide Romanorum pontificum, nec de definitionibus istorum in materiâ fidei. Quidquid enim auctoritatis in unitatis bonum Romanæ Ecclesiæ vel fidei tribuitur propter *potentiorem principalitatem*, seu propter primatum, qui in bonum unitatis fuit institutus à Christo, pertinet ad Romanos pontifices, in quibus tantùm residet primatûs vis et auctoritas; et idcircò Romanæ Ecclesiæ fides, cum quâ ex Irenæi doctrinâ omnes convenire et concordare necesse est propter primatum, alia non potest intelligi, nisi fides quam pontifices jure primatûs in unitatis bonum definiunt, ut fidei unitatem in totâ Ecclesiâ custodiant.

Neque verò ob adstruendam ex ipso S. Irenæo conditionem consensûs ingeras illa, quæ idem Sanctus post assertam necessitatem unitatis cum Romanâ Ecclesiâ statim subjicit: « In « quâ semper ab his, qui sunt undique, con« servata est ea, quæ est ab Apostolis, tradi« tio; » perinde ac si his verbis significetur Romanam fidem ideò exigere unitatem ab omnibus, quia omnes *undique* confluentes Romam,

omnium Ecclesiarum consensum ad eam attulerunt. Quis autem hanc interpretationem ab obvio verborum sensu et à contextu alienam poterit approbare? Verba quæ unicè tradunt fidem Apostolicam conservatam ab omnibus undique fidelibus in Romanæ Apostolicæ Ecclesiæ fide, omnium quidem Ecclesiarum consensionem et unitatem cum fide Romanâ certam præsumunt, at non idcircò causam et obligationem consentiendi, seu vim coactivam ad hanc consensionem et unitatem in ipsum omnium consensum referunt. De hâc necessitate seu vi coactivâ iisdem verbis non agit Irenæus, sed præcedentibus, quibus eam vim atque necessitatem, uti notavimus, non consensui, sed primatûs auctoritati asseruit, propter *potentiorem principalitatem*. Cùm porrò ob potentiorem vim primatûs « necesse sit omnem Ecclesiam, hoc est, omnes qui sunt undique « fideles convenire, » seu unitatem tenere cum Romanæ Ecclesiæ traditione ac fide, quæ ab Apostolis Petro et Paulo originem ducit, certum efficitur eos omnes qui hanc debitam unitatem custodiunt, custodire eam quæ est ab Apostolis fidem; et è contra eos qui hanc unitatem deserunt aut deseruerunt hæretici, à verâ apostolicâ fide defecisse convincuntur. Ita porrò in unitate Romanæ fidei ab omnibus qui sunt undique fidelibus custoditâ, est vera fides apostolica, ut ipsæ Ecclesiæ apostolicæ, quæ fidem acceperunt ab Apostolis, conservârint veram fidem, quamdiù Romanæ fidei adhæserunt; ex quo autem hanc unitatem deseruerunt, à verâ apostolicâ fide defecerint.

Obtrudat nunc quispiam et ingerat alium ejusdem Irenæi locum, ubi alias quoque Ecclesias apostolicas laudans, harum traditionem consulendam significat. Id sanè tunc poterat jure fieri, cùm illæ tenebant necessariam cum Romanâ fide unitatem. Nunc verò postquàm ab hâc unitate desciverunt, et sola Romana veram apostolicam fidem unà cum cæteris catholicis Ecclesiis tenet semperque tenebit immotam et integram, quis catholicus ad eas consulendas hæreticos provocet? Hinc certè Irenæus etsi suo ævo laudârit aliarum apostolicarum Ecclesiarum traditionem, non tamen de illis, sed de solâ Romanâ affirmavit necesse esse cum fide ipsius unitatem tenere, et affirmavit quidem propter potentiorem primatum, qui soli Romanæ Ecclesiæ, seu solis ejus pontificibus competit. In refellendâ conditione consensûs Ecclesiæ, quam multis rejeci ubi de Vi primatûs, c. 14 § 5, et in celebri Irenæi [illegible]

monio quod eodem in libro fusè exposui, iterùm hìc diutiùs aliquando immorandum fuit, ne fortè aliquod subterfugium subinde detectum, si non dilueretur, quempiam impediret: sicque certa remanet tertia propositio, quæ apostolicam auctoritatem ita per se sufficientem esse debere statuit ad unitatis finem exigendum, ut alius cujusquam auctoritatis præsidio aut conditione consensûs non egeat.

§ 4. Quarta propositio. — *Auctoritas, quæ sit per se sufficiens ad exigendam et conservandam fidei unitatem in totâ Ecclesiâ, eâ vi prædita esse debet, quâ ad unitatem obliget non aliquos tantùm, sed omnes Christianos, non tam distributivè quàm collectivè sumptos, ex quibus sumptis collectivè constat ipsa catholica Ecclesia.*

Si quos enim non posset ad fidei unitatem vi idoneâ obligare, non esset auctoritas per se sufficiens ad custodiendam in totâ Ecclesiâ unitatem fidei, quæ non ex aliquorum tantùm, sed ex omnium Christianorum fide coalescit. Ut autem in totâ Ecclesiâ una sit omnium Christianorum fides, et hæc fidei unitas conservetur ab omnibus, definitiones fidei, quas ob conservandam in totâ Ecclesiâ hanc fidei unitatem edunt pontifices jure primatûs, eâ vi præditæ esse debent et ita obligare omnes, ut in totâ collectione Ecclesiæ nullus sit, qui post definitionem licitè possit dissentire à dogmate definito, uti ante definitionem poterat. Id est, quod dici solet obligare omnes non distributivè tantùm, sed collectivè; nec aliter ipsæ definitiones conciliorum generalium, quæ sanè totam collectionem adstringunt, obligant omnes collectivè. Hanc pontificiam auctoritatem in omnes collectivè ex proposito constitui in opere de Potest. eccles., cap. 4, § 3. Specialem verò difficultatem nonnulli adversarii cum Febronio movere solent quoad episcopos, qui cùm jure divino sint judices præsertim in materiâ fidei, judicis naturam non pati existimant, ut ad assentiendum definitionibus pontificiis obligentur, ita ut ab ipsis dissentire non possint. Hanc verò difficultatem penitùs sublatam reor ex iis quæ disserui ubi de Potest. Eccl. cap. 2, inferiùs. Cùm Christus ob conservandam in Ecclesiâ fidei unitatem Petro in mandatis dedit, ut in fidei dissensionibus à dæmone excitandis confirmaret, hoc est, in verâ fide, seu in unitate ejusdem fidei contineret fratres, fratrum profectò nomine Apostolos et Apostolorum successores episcopos

indicâsse, et in id exequendum ex fine et officio primatûs auctoritatem per se sufficientem, sine quâ unitas non potuisset conservari, Petro ejusque successoribus traditam ab eo fuisse dubitare non licet. Necessitas conveniendi cum Romanæ Ecclesiæ fide, quam vi potentioris primatûs omnibus undique fidelibus impositam affirmavit S. Irenæus laudatus paragrapho præcedenti, episcopos non excipit. Imò hos potissimùm obligari fatendum est. Cùm enim ipsi sint præcipua Ecclesiæ membra, at subordinata supremo capiti in idem unitatis bonum, ut in custodiam unitatis potissimùm fidei cooperentur, atque cum ipso in unum conspirent, cavere vel maximè debent, ne à debitâ cum eo unitate unquàm declinantes, scissuras foveant præsertim in fide. Subscriptiones definitionum fidei, quas ab episcopis præcipuè exigere antiquissimus mos fuit, jus in hoc pontificium obligandi ipsos episcopos apertè testantur.

§ 5. Quinta propositio. — *Auctoritas, quæ in conservationem unitatis fidei definitiones dogmaticas edit, his definitionibus dogmaticis, ut in conservandam fidei unitatem sufficiant, obligare debet omnes, non ad meram exteriorem observantiam, sed ad assensum et obsequium mentis : quod cùm fidei necessarium sit, sine eo fidei unitas servari non posset.*

Hoc mentis obsequium, quod ipsæ definitiones apostolicæ exigunt, ut apostolica auctoritas sit per se sufficiens ad conservandam unitatem fidei, omninò necessarium comprobat debitum obedientiæ, quam eidem auctoritati definienti aliquod dogma deferendam interno mentis obsequio seu assensu vel adversarii Galli fatentur. Vide supra de Vi primat. c. 23, ubi inter alia attulimus trium et triginta episcoporum Galliæ testimonium in litteris ad Innocentium X, scriptis anno 1653, die 15 julii ; eamdemque obedientiam deferendam ex subordinatione hierarchicâ ipsi episcopi testati sunt in aliis ejusdem temporis litteris ad episcopos regni, de quibus vide c. 2 de Potest. Eccl. Idipsum quoque confirmârunt Gallicani occasione celebris casûs, ut vocabant, conscientiæ, qui cùm externum, non autem internum obsequium definitionibus Romanorum pontificum exhibendum præferret, iisdem Gallicanis postulantibus pontificiâ auctoritate damnatus est ; et damnatio ab illis non solùm recepta, sed laudata etiam fuit, ut explicavi loc. cit. de Vi primat. Nemo ab hoc debito mentis obsequio subtrahendos putet episcopos, qui hierarchicâ subordinatione eidem obedientiæ præstandæ, quam jurejurando spoponderunt, non minùs quàm laici, sed multò magis obligantur.

Qui ex doctrinâ synodi Constantiensis ipsas particulares Ecclesias (1) ac synodos particulares apostolicæ auctoritati subjectas agnoscunt, dubitare nequeunt quin omnes saltem particulares (quantùmvis episcopi) definitionibus apostolicis obligentur. Ii tantùm, qui cum Febronio et Gersone existimant eas definitiones obligare (2), « saltem ad non dogma-

(1) Si nemini particulari liceat dogmatizare contra definitiones apostolicas, quamdiù Ecclesia non reclamat, adeò ut (quod dicit Febronius) *provisoriè* illis obsequendum sit, quomodò fieri possit ut aliquando reclamet Ecclesia, quis congruè explicet? Nunquàm profectò id eveniet, nisi quidam in particulari ante contradictionem Ecclesiæ incipiant sese opponere, et contra editam definitionem aliquid declarare contra superioris sententiam, quod particularibus saltem illicitum esse adversarii negare non possunt. Nec verò ex illicitâ aliquorum particularium contradictione expectari potest juridica contradictio Ecclesiæ, quæ semper adhæsit et adhæsura est centro unitatis fidei, quocum omnes undique fideles, ipsamque Ecclesiam convenire necesse est propter potentiorem principalitatem. Ii soli sese opponere audebunt, qui nec potestatem primatûs potentiorem ac per se sufficientem agnoscunt, nec se quamvis particulares eidem potestati subjectos, nec debitæ unitati atque obedientiæ mentis quoque obsequium exigenti obnoxios arbitrantur.

(2) Hæc thesis, quâ cum Gersone asserit Febronius definitionibus judiciisque dogmaticis summorum pontificum esse obsequendum provisoriè, saltem non dogmatizando contrarium, quamdiù non reclamat Ecclesia, à nemine conciliari poterit cum illis ejusdem Febronii verbis cap. 2, § 8, t. 1 : « Si ex insperato ponti« fex extra concilium ita ediceret, ut in ejus « eloquio Ecclesiæ suam traditionem non re« cognoscerent, his competit jus contradicen« di. » De particularibus Ecclesiis seu episcopis Febronium hìc loqui indicant sequentia, quibus justam hoc casu Ecclesiarum particularium contradictionem appellat. Voces autem præmissæ, *ex insperato ediceret,* definitionem vix editam innuunt, antequàm posset innotescere dissensus, seu contradictio catholicæ Ecclesiæ. Si particularibus saltem Ecclesiis non licet dogmatizare contrarium, antequàm reclamet Ecclesia, quomodò licere eisdem potest contradicere, si ante detectam contradictionem Ecclesiæ suam traditionem in definitione vix editâ non recognoscant? In eo qui falsam sententiam propugnat, quàm facile est contradictionem aliquam invenire! Neque Febronium juvat conditio, si in pontificiâ definitione particulares illæ Ecclesiæ suam traditionem non recognoscerent. Nonne ex S. Irenæo didicimus certam regulam veræ fidei discernendæ ab er-

« tizandum contrarium, quamdiù Ecclesia non « reclamat, » contenti esse videntur obsequio illo externo, quod contradictionem exteriorem impediat. At in exteriori hujusmodi obsequio, cui non respondeat obsequium et assensus mentis, nonne simulationis et mendacii vitium includitur? Quænam esset isthæc obedientia atque subordinatio hierarchica, quæ simulando et mentiendo obsequeretur? Certè unitas fidei, quâ ex Apostolo *captivatur omnis intellectus in obsequium Christi* (2 Cor. 10, 5), præter externum obsequium, assensum interiorem efflagitat, ut omnes in materiâ fidei *idipsum invicem sentiamus et idipsum dicamus omnes* (Rom. cap. 12, v. 16, et 1 Cor. 1, v. 10). Huic ergo unitati in totâ Ecclesiâ servandæ si vis per se sufficiens apostolicæ auctoritati attributa dicenda est, negari non potest definitiones apostolicas obligare ad assensum etiam internum, sine quo unitas fidei servari non posset.

§ 6. Propositio sexta. — *Pontificia auctoritas, quæ ab omnibus Christianis etiam episcopis exigit obsequium et assensum internum proprium fidei erga definitiones à summis pontificibus editas, omnem dubitationem debet excludere, ita ut dubitare non liceat, num illi, cùm fidei controversias definiunt, in ipsâ definitione errent.*

Assensus internus proprius fidei, quo captivandus est intellectus in fidei obsequium, cum dubitatione conjungi nequit, ac propterea simplex dubium circa aliquod dogma sufficit ad violandam fidem. Auctoritas autem, quæ omnem dubitationem debet excludere, omnimodam certitudinem afferat necesse est: aliàs esset insufficiens per se ad conservandam in Ecclesiâ fidei unitatem. Porrò definitiones apostolicas circa fidem per se omne dubium excludere, et omnimodam certitudinem parere ex antiquis exemplis et Patrum testimoniis liquet. Sic S. Augustinus definitione apostolicâ contra Pelagianos causam finitam totamque dubitationem sublatam prodidit. Vide cap. 13 de Vi primat. § 9. Similiter S. Cœlestinus et S. Leo, cùm definitiones ediderunt, unus contra errorem Nestorii, alter contra illum Eutychis, eas ita certum assensum exigere crediderunt, ut noluerint in ipsis generalibus conciliis Ephesino atque Chalcedonensi de apostolicis judiciis quæstionem moveri et judicari. Idem est de aliis aliorum pontificum definitionibus dogmaticis, quas si quandoque novo examini in œcumenicis synodis aliquatenùs subjici passi sunt, non eâ de causâ id permisêre, quasi licere crederent de iisdem ambigere, sed ut novâ discussione dubitantes aut repugnantes convicti, ad unitatem adducerentur; aut eorum pervicacia atque perversitas evidentiùs patefieret, ne ignaris aut minùs cautis fucum facerent. Unitatis bonum, ob quod vindicandum pontificia auctoritas fuit instituta, Romani præsules ita præstare censuerunt, ut (quod § 3 monuimus) media omnia sibi tentanda duxerint, ex quibus unitas sperari posset, etiamsi aliquod fortè suæ auctoritatis dispendium, seu offensio aliqua exinde timenda videretur apud eos qui fortassis ex novæ hujus discussionis indulgentiâ apostolicas definitiones non omninò certas deducerent. Has autem ita certas per sese habuerunt episcopi Gallicani, ut suam fidem in Eutychis causâ certam omninò et catholicam agnoverint, ex quo ipsam cum fide à Leone definitâ concordem deprehenderunt, non autem è contra fidem à Leone definitam certam habuerint ex eo quòd cum suarum Ecclesiarum fide conveniret. Vide supra, loco citato (1). Id ex principio antiquissimi Gallicani episcopi S. Irenæi didicerunt, qui veritatem ab errore discernendam docuit ex concordiâ cum Romanâ fide, ita ut certa regula dignoscendæ veræ fidei sit Romanæ Ecclesiæ fides. Cùm enim ex ejusdem Irenæi doctrinâ necesse omninò sit omnes undique fideles et Ecclesias omnes concordare cum Romanâ fide, aliarum utique omnium catholicarum Ecclesiarum fides eadem esse debet ac fides Romana: quod idem est ac dicere Romanam fidem eamdem esse ac fidem omnium catholicarum Ecclesiarum, id est, ipsius Ecclesiæ catholicæ, fidem autem catholicæ Ecclesiæ cùm veram fidem esse certissimum sit, certissimum quoque erit veram fidem esse Roma-

rore esse Romanæ sedis traditionem, cum quâ ob primatûs vim potentiorem omnes undique fideles, et Ecclesias omnes convenire necesse est, et in quâ semper ab his qui sunt undique conservata est ea quæ est ab Apostolis traditio? Nonne ex hàc regulâ ad eamdem traditionem Romanam exigenda est particularium Ecclesiarum traditio, ita ut si qua cum eâ non concordet, tanquàm error repudianda sit? Quis defendere justè potest contradictionem iis definitionibus, quibus debetur unitas et obedientia fidei?

(1) Hinc Romanæ fidei nimiùm non tribuit Gerson in sermone, quem habuit coram Alexandro V, cùm ab eâ certitudinem fidei petendam pronuntiavit: « A quâ fidei certitudo petenda est. »

nam, cum quâ omnium aliarum catholicarum fides debet concordare; ac propterea ad veram catholicam fidem certò dignoscendam non sit opus inquirere, quænam sit aliarum Ecclesiarum fides, sed Romanæ fidei inquisitio et cognitio sufficiat.

Traditionis testimonia fusè descripta in c. 13, de Vi primat., dùm probant necessitatem unitatis fidei cum Romanâ fide, quam in controversiis definiunt summi pontifices, probant simul certum assensum fidei definitionibus apostolicis præstandum, et omnis dubitationis expertem.

§ 7. Propositio septima. — *Auctoritas pontificia, cujus definitiones dogmaticæ in conservationem unitatis fidei editæ obligant totam Ecclesiam ad assensum fidei ipsis definitionibus præstandum, omni dubitatione exclusâ, in definiendo infallibilis dicenda est, ut ipsa Ecclesia ex promissis Christi est infallibilis.*

In hâc propositione infallibilitatem definitionum, quas edunt summi pontifices, ex infallibilitate totius Ecclesiæ, quam omnes Catholici ex certis promissis ipsi Ecclesiæ factis indubiè fatentur, deducimus. Si enim ex constitutis hactenùs vis et ratio primatûs, instituti ob conservandam unitatem potissimùm fidei in totâ Ecclesiâ, vim per se sufficientem requirit ad exigendam hanc unitatem et fidei assensum à totâ Ecclesiâ præstandum definitionibus apostolicis; tota verò Ecclesia ex Christi promissis infallibilis in errorem fidei nequeat deduci; infallibilis profectò dicenda erit in his definitionibus apostolica auctoritas, ne si in istas posset fidei error irrepere, Ecclesia catholica, quæ ad assensum obligatur, in errorem inducatur. Hæc prærogativa peculiaris auctoritatis pontificiæ per se, quippe quæ per se obligat totam Ecclesiam, non est communis aliis episcopis, aut conciliis particularibus, quæ non obligant nisi suos subditos atque Ecclesias particulares. Hæ nimirùm Ecclesiæ cùm non ita sint infallibiles, ut universalis Ecclesia infallibilis est, illorum auctoritatem infallibilitatis privilegio gaudere opus non est: ac proinde errare possunt episcopi et concilia particularia, uti sanè multi subinde errârunt apostolicarum etiam Ecclesiarum episcopi cum suis particularibus Ecclesiis: imò jam hoc tempore omnes aut ferè omnes à verâ fide aberrâsse dolemus, et ab Ecclesiâ catholicâ defecisse. Si autem quæras cur defecerint et aberraverint, invenies hanc veram causam fuisse, quia cum Romanâ Ecclesiâ catholicæ fidei centro non custodierunt fidei unitatem, quam cuique servandam ex prærogativâ primatûs non solùm Irenæus, sed universalis etiam traditio docuit.

Hinc patet distinctio inter definitiones editas à Romano pontifice et illas ab aliis particularibus episcopis aut synodis, et cur ex pontificii primatûs auctoritate, non verò ex auctoritate episcoporum aut synodorum particularium, definitionum infallibilitas consequatur; quia videlicet Romani pontificis auctoritas obligat ad unitatem et assensum universam Ecclesiam, auctoritas verò aliorum episcoporum aut synodorum particularium per se non obligat omnes, nec totam Ecclesiam, sed suos subditos et suas Ecclesias particulares, quæ non sunt infallibiles, uti est infallibilis Ecclesia catholica.

Fateor antiquos, cùm vim obligandi tribuerunt episcopis etiam particularibus, haud existimâsse necessarium affirmare ipsos, ut ad unitatem suos subditos obligarent, esse infallibiles, sed credidisse sufficere in id eorum potestatem à Deo institutam, cui inferiores debent obedientiam, et in materiis fidei legitimum etiam mentis obsequium præstare ex illis Evangelii: *Qui vos audit, me audit*, etc., ut cum Petro Aurelio Febronius notavit. Cùm verò particulares episcopi per se non obligent ad unitatem totam Ecclesiam, neque idcircò ita infallibiles dicendi sint, ut tota Ecclesia est infallibilis, sed eorum auctoritas non extendatur per se extra suos subditos et Ecclesias particulares, sicut non repugnat hos et has errare circa fidem, ita in his infallibilitas certa non est nisi eâ conditione, si concordent cum fide Ecclesiæ catholicæ, seu cum Romanâ, quâcum totam Ecclesiam catholicam convenire necesse est, adeò ut ex concordiâ cum hâc discernendum sit, quænam Ecclesiæ particulares teneant veram fidem, et è contra eæ cognoscantur à verâ fide descivisse, quæ cum Romanâ non conveniunt. Hinc unitas cum Romanâ fide absolutè necessaria est, ac proinde infallibilitatis prærogativa absoluta illi est tribuenda, et vis coactiva ad fidei unitatem pariter absoluta; sicuti absoluta est item infallibilitas et vis coactiva ipsius Ecclesiæ catholicæ, quæ Romanæ fidei adhæreat oportet, ut ex Irenæo accepimus.

Aliâ quidem ratione hanc infallibilitatem

fidei à Romanis pontificibus definitæ ex eo deducere libet, quia Romana fides ab illis definita eadem est ac fides totius Ecclesiæ catholicæ. Duo in hanc rem concinentia S. Irenæi et S. Augustini testimonia expendenda sunt. Cùm S. Irenæus loco sæpiùs laudato docuit, necesse esse omnes qui sunt undique fideles, omnesque proinde Ecclesias convenire cum Romanæ Ecclesiæ fide, procul dubio significavit omnium catholicarum Ecclesiarum fidem eamdem esse cum Romanâ, ideòque hanc præcipuè commendavit, inquit Bossuetius lib. 10, al. 15, Defens. c. 14, « cùm pro« fectò certum esset non potuisse fieri, ut à « reliquis Ecclesiis discreparet (Romana tra« ditio) in quâ omnes unitatem servare de« beant. » Quod de fide ac traditione Romanâ scripsit S. Irenæus, S. Augustinus expressè prodidit de fide quam Romani pontifices definiunt. Etenim libro 1 in Julianum, cap. 2, loquens de definitione Innocentii ad Africanos missâ contra hæresim Pelagianam, ait : « Quid « enim potuit ille vir sanctus Africanis res« pondere conciliis, nisi quod antiquitùs Apo« stolica sedes et Romana cum cæteris tenet « perseveranter Ecclesia ? » Quàm bellè concinit Augustinus cum Irenæo! Ex textu Irenæi omnium catholicarum Ecclesiarum fides convenire debet cum Romanâ; et ex Augustino Romana fides ab Innocentio definita, non potuit non convenire cum fide cæterarum Ecclesiarum, quam Romana CUM CÆTERIS *tenet perseveranter Ecclesia.* Romana ergo fides, quam pontifices definiunt, eadem est ac fides aliarum catholicarum Ecclesiarum, ac proinde est eadem ac fides totius Ecclesiæ catholicæ. Infallibilis igitur sit oportet, uti Ecclesiæ catholicæ fides infallibilis est.

§ 8. PROPOSITIO OCTAVA. — *Eadem pontificum infallibilitas evincitur vel maximè ex promissis Christi factis S. Petro, ac ex traditione Patrum.*

Romanorum pontificum infallibilitas in definitionibus fidei ex Ecclesiæ catholicæ infallibilitate ac ex promissis Christi factis Ecclesiæ hactenùs deducta, innititur etiam duabus illis ejusdem Christi promissionibus S. Petro factis: *Et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*; et : *Oravi pro te, ut non deficiat fides tua.* Non inficiantur adversarii hæc evangelica testimonia pertinere ad primatum, quem horum verborum contextu Christus instituit in Petro, ac proinde jure à Catholicis ea afferri ad probandum ipsum primatum. Hæ itaque promissiones Christi ad primatum referendæ sunt, ac proinde non ad unum S. Petrum sunt restringendæ, sed peræquè spectant ad omnes Romanos pontifices, qui eodem primatu fruuntur. Enimverò cùm ejusmodi promissiones factæ fuerint Petro in bonum unitatis fidei ab eodem custodiendæ in Ecclesiâ catholicâ jure primatûs, procul dubio pertinent etiam ad ejus successores, qui ex officio et fine primatûs unitatem fidei in totâ Ecclesiâ debent custodire. Neque enim dubitare licet, quin Christus, qui primatum instituit ob conservandam in totâ Ecclesiâ unitatem maximè in fide, promissiones in eumdem finem Petro factas ad omnes ipsius successores extenderit : cùm præsertim auctoritas omninò tuta in Petri successoribus eò magis esset necessaria quàm in aliis episcopis successoribus Apostolorum, quò minùs horum fides erat confirmata, quam fides Apostolorum, ut Bossuetius notavit. Hinc sanè eas promissiones Petro factas successoribus ejus aptavit traditio quam explicavi ubi de Vi primatûs c. 15, § 2 et 3. Imò etiam Gallicani episcopi eas ab ipso Christo præsumpserunt, et indicârunt aptatas, cùm in litteris ad Innocentium X scriptis die 10 julii anno 1653, affirmârunt, judicia sedis Apostolicæ in negotio fidei à pontificibus Romanis edita, non solùm summâ et divinâ auctoritate, sed etiam CHRISTI POLLICITATIONE NIXA, ita ut his de causis ipsum mentis obsequium requirant; quarum litterarum videre est textum in supradictæ dissertationis capite 14. Idipsum comprobat ea Patrum traditio, quæ, Bossuetio cum cæteris adversariis assentiente, Romanam fidem à S. Petro in Apostolicâ sede depositam immotam et indefectibilem esse et semper futuram pronuntiat; idque Christi promissis attribuendum agnoscens in libro de Promissis Christi factis Ecclesiæ, ubi agit adversùs hæreticos qui Ecclesiam visibilem in fide posse deficere autumant, indefectibilitatem fidei ejusdem Ecclesiæ, quæ cum Romanâ fide unitatem custodit, ex promissis Christi deducens scripsit : « Si ergo firmè adhærebimus huic cathedræ « (id est, doctrinæ ex hâc cathedrâ editæ) tuti « erimus ex Jesu Christi promissis. » Apertiùs verò libro 12, al. 15, Defensionis, c. 7, ex veteri formulâ fidei, quam omnes Ecclesiæ subsignârunt, et tota Ecclesia approbavit, minime dubium esse pronuntiat, « sedis Apo« stolicæ et Ecclesiæ Romanæ fidem integrâ « et perfectâ soliditate constare, ac NE UNQUAM

« DEFICIAT, CERTA DOMINI POLLICITATIONE FIRMATAM. » Fidei, quæ certâ Domini pollicitatione firmata est, ne unquàm deficiat, nonne certa infallibilitas est asserenda? Neque reponas, his testimoniis sermonem esse de fide sedis, seu Ecclesiæ Romanæ, non de pontificum fide, seu definitione ab ipsis editâ. Quidquid enim ad sedem, cathedram, Ecclesiamque Romanam pertinet vi et ratione primatûs, Romanis pontificibus (ut sæpè diximus) tribuendum est: vi autem ac rationi primatûs tribuitur quidquid pertinet ad custodiendam unitatem maximè in fide. Quis igitur pontificiam infallibilitatem tam certis promissis ac traditione ipsiusque Bossuetii non obscurâ confessione probatam repudiet?

Scio eumdem Bossuetium lib. 10 Defensionis, c. 15, non modicùm niti, ut traditionem Patrum, qui promissiones Christi Petro factas summis pontificibus aptant, eâ interpretatione distorqueat, quâ eæ formulæ apud ipsos Patres non certam fidem, aut omnimodam certitudinem alibi significant, sed piam fiduciam tantùm, et meram præsumptionem, quâ scilicet piè creditur nunquàm futurum, ut judicia ipsorum etiam circa fidei controversias à veritate deficiant, ut ne exinde infallibilitas propriè dicta deduci queat. Duo in id affert, 1° non absimiles ferè formulas à quibusdam antiquis applicari particularibus episcopis, quos tamen nemo infallibiles somniavit; 2° quandoque etiam legi de summis pontificibus in aliis materiis, in quibus eos posse errare omnes nobiscum fatentur. Qui verò his moventur, non advertunt magnum, quod interest, discrimen inter alios atque episcopos Romanos pontifices, et inter definitiones propriè dictas, quæ ab istis eduntur in negotio fidei, ac inter opiniones seu alia documenta ab iisdem scripta in aliis materiis

Qui primâ animadversione moventur, considerent dicta § 7, ubi explicavi discrimen et rationem discriminis inter Papam et alios episcopos, dùm ferunt sententiam in materiâ fidei; et intelligent cur Papæ, non verò aliis particularibus episcopis judicantibus aliquod fidei dogma, infallibilitas tribuenda sit jure primatûs et ex promissionibus Christi, quas et Gallicanos apostolicis de fide judiciis asseruisse, et Bossuetium quoque eisdem satis aptâsse hoc paragrapho indicavimus: quæ non piam fiduciam, aut probabilem tantùm præsumptionem, sed certam fidem et fidei certum assensum requirunt. Qui autem alterâ animadversione impediuntur, si considerent Christi promissiones ac traditionem Patrum respicere solas definitiones fidei editas ex fine et officio primatûs, quæ unitatem exigunt fidei, non verò opiniones, aliave documenta pontificia à definitione fidei diversa, quibus non ita debetur unitas uti definitionibus fidei; omnis difficultas protinùs evanescet.

§ 9. *Effugium Bossuetii, distinguentis inter seriem et personas pontificum, quàm inane et repugnans.*

Scio movere errores quibusdam pontificibus attributos, quibus Bossuetium adeò permotum fuisse vidimus, ut ne secum et cum traditione ac promissis Christi à se quoque agnitis videretur repugnare, distinctionem planè novam invexerit, quâ Romanorum pontificum fidem immotam et indefectibilem dicendam esse affirmavit in eorum serie ac successione, non verò in singulis pontificibus, cùm quosdam ex ipsis in fide defecisse ex aliquot gestis negari non posse arbitretur. Hæc verò distinctio, quæ ex ipsâ novitate suspecta esse debet, eo solùm consilio potissimùm invecta, ut Patrum traditionem, quæ Romanæ fidei indefectibilitatem apertissimè testatur, cum præsumptis quorumdam pontificum erroribus aliquatenùs conciliaret, penitùs rejicienda cognoscitur, quùm ipsi traditioni opponatur manifestissimè. Ex traditione enim concedendum creditur, Romanam fidem immotam et indefectibilem esse. Cùm porrò eodem Bossuetio auctore concedatur, Romanam fidem non esse distinguendam à fide quam summi pontifices docent, istorum fidem in docendo esse immotam et indefectibilem est pariter concedendum. Quomodò autem eadem fides immota et indefectibilis concipi potest in serie pontificum, si aliquis ipsorum Ecclesiam docens deficere posset, et pro fidei dogmate errorem doceret ac definiret? Nonne quicumque inter illos deficeret, ad ipsam seriem pertineret? Nonne Christus ob conservandam unitatem fidei instituens auctoritatem primatûs, hâc auctoritate, quæ in aliquibus deficeret, minùs congruè eidem unitati providisset? Neque dicas hoc casu Romanam fidem immotam adhuc et indefectibilem fore, unitatique satis provisum, quia pontifex qui erravit, vel per se errorem corriget, vel à successoribus error corrigetur, sicque indefectibilis semper erit vera fides in ipsâ serie, si non physicè, certè moraliter; quæ moralis indefectibilitas ad traditionem Patrum, et promissiones Chri-

sti explicandas sufficit. Hæc verò alia distinctio cùm opponatur fini primatûs, quem declaravit traditio, commentitia et rejicienda cognoscitur. Quomodò enim primatûs auctoritas, quæ in aliquo pontifice fidem docente deficeret, et errorem fidei contrarium proponens, unitatem non posset exigere, ad fidei unitatem servandam esset per se idonea atque sufficiens? Hæc certè pontificia auctoritas, quæ ex Christi institutione esse deberet potestas in conservationem unitatis, nonne esset medium in ipsius destructionem et scandalum? Si hâc in circumstantiâ remedium expectandum esset à correctione, quam vel idem pontifex, vel aliquis ejus successor, aut alius quicumque postea faceret, nonne antequàm hæc correctio fieret, vera fides in serie pontificum defecisset, et auctoritas, quæ per se habet vim obligandi, ad errorem deberet interim obligare?

§ 10. *Errores pontificum, qui ab adversariis opponuntur, ut in rem præsentem probarent aliquid, duo probanda essent: 1° errorem, qui opponitur, ita esse certum errorem fidei ut nullâ possit aptâ interpretatione purgari; 2° esse præterea errorem definitionis dogmaticæ. Unus ejusmodi error congruè probatus ad evertendam propositam thesim sufficeret. Nullus verò adversariis prodest, cùm ex omnibus qui objiciuntur erroribus nullus sit error fidei certus, vel non sit error definitionis dogmaticæ.*

Systema de infallibilitate pontificiâ in definiendis controversiis fidei, ex vi et ratione primatûs deductum et promissis Christi ac traditioni innixum, de quo, ubi de Vi et ratione primatûs, et hâc in appendice egimus, nonne demonstratum dici potuit? Quid demonstrationem ex certissimis principiis legitimè constitutam posset infringere? Soli errores id possent: iique soli adversarios moverunt. Omnes siquidem conditiones et distinctiones, quibus vel principia ipsis opposita restringere, vel consequentiam ex principiis deductam studuerunt enervare, ad errores revocantur. Ideò enim debitum unitatis et obedientiæ definitionibus apostolicis alligârunt conditioni consensûs Ecclesiæ, quia Ecclesia errare non potest; pontifices autem in fide posse errare ex præsumptis erroribus certissimum judicant. Hæc quoque errorum certa præsumptio causam dedit distinctionibus inter sedem Apostolicam et præsidentem, inter infallibilitatem seriei seu successionis ac illam singulorum pontificum. Ut autem præsumpti errores vim demonstrationis constitutæ eliderent, et contra ipsam evincerent aliquid, duo essent præstanda:

1° Errores, qui opponendi credantur, deberent probari errores fidei ita certi, ut nullâ congruâ interpretatione possent explicari atque defendi. Si quâ enim congruâ ratione explicari et intelligi queat, quod errori tribuitur, cur pro certo errore traducatur, cùm ex certâ regulâ in dubio pro superiore semper sit præsumendum, nec in deteriorem partem sit accipiendum, quod in saniorem sensum explicari possit? Id autem tantò magis dicendum, ubi de thesi agitur, quæ ex certis principiis, necnon ex Christi promissis ac traditione Patrum demonstrata videtur, siquidem contra demonstrationem nulla objectio per se insolubilis potest inveniri, adeò ut si præstò non occurrat vera solutio, non idcircò reipsà deesse dicenda sit, nec de eo quod demonstratum est, sit dubitandum.

2° Quòd si certus esset et evidens error in materiâ fidei, nihil tamen nostræ thesi ac demonstrationi obesset, si nequeat simul probari esse errorem in definitione fidei. Cùm enim auctoritas Romanis pontificibus tributa sit ad custodiendam in dissidiis unitatem fidei, unitas verò fidei in dissidiis seu controversiis circa fidem ab Ecclesiæ præpositis non aliâ ratione vindicetur nisi expressè definiendo, quid vel credendum vel damnandum sit ex catholico dogmate; idque ita expressè atque præcisè, ut obligatio assentiendi, unitatisque præstandæ ex ipsis verborum formulis innotescat; quidquid extra hujusmodi definitionum terminos est, nec satis exprimit debitum unitatis, sicut non refertur ad finem primatûs, ita nec ex eâ auctoritate primatûs editum dici potest, cui infallibilitatis prærogativa tribuenda sit. Qui hanc restrictionem infallibilitatis ad solas definitiones fidei veluti novam atque violentam malè audiunt, velim considerent duo. Primò animadvertant in utroque evangelico textu, qui duplicem Christi promissionem ante memoratam continet, sermonem esse de varietate opinionum in materiâ fidei, quæ unitatem discinderet; et in utroque item promissiones Christi respicere fidem Petri, cui tanquàm fundamento et centro unitatis omnes adhæreant, et quæ omnes ex præcipuo fine primatûs in ejusdem fidei unitate confirmet, quod definitionibus efficitur. Adeò solas hujusmodi definitiones promissiones Christi respiciunt, et in his solis infallibilitas pontificum requirenda. Secundò cogitent communem esse theologorum doctrinam, in ipsis generalium con-

ciliorum actis solas definitiones fidei vim infallibilem habere, et ad assensum cogere, nec obesse, si vel ratio definiendi, vel alia quædam actis obiter inserta difficultatem facessant, aut à veritate abesse videantur. Vide quæ in hanc rem Bossuetius cum Cano monuit lib. 5 Defensionis c. 1, et quæ eodem libro addit c. 24, ubi de quâdam Bonifacii VIII constitutione sermonem faciens, distinguenda esse ait, quæ pontifex exponit in exordio, ab iis quæ definit : « Hæc enim non ejusdem virtutis esse et sæpè « diximus, et OMNES confitentur. » Confer conditiones, quas ad propriè dictam definitionem fidei idem Bossuetius requirit, et ego quoque cum ipso requisivi cap. 13 de Vi primatûs ut error probetur in definitione fidei. Confer potissimùm ibidem notata, ubi quamplurima pontificia documenta à definitionibus segreganda ostendi. Ex his autem principiis contra infallibilitatem nihil probare potest error qui vel certus omninò non sit in negotio fidei, vel ad propriè dictam definitionem nequaquàm pertineat. Si non sufficit error, qui alterutrâ ex parte deficiat, multò minùs sufficiet error, qui deficiat ex utrâque.

Eia nunc percurre singulos qui opponuntur errores; et invenies ne unum quidem reperiri, qui non ex uno vel utroque etiam ex capite claudicet. Ne repetam quæ dixi c. 13 de Vi primatûs § 7 et seqq., ubi præcipua errorum objecta expendi, hìc tantùm pauca adjiciam de lapsu qui Honorio oppositus, etsi potissimam et efficaciorem objectionem continere videtur, non unâ tantùm, sed utrâque ex parte laborat. Nimis profectò iniquum censorem ille se præferret, qui voces, *unius voluntatis,* in litteris ad Sergium ab Honorio usurpatas contenderet, ut monothelitico sensu excluderet à Christo voluntatem humanam; cùm ex contextu manifestum sit ipsum eam solam voluntatem humanam expunxisse, quæ ex originali culpâ ac vitio divinæ voluntati repugnat : aut ex aliâ parte vellet definitionem ab eodem propositam pro asserendâ monothelitico sensu voluntate unâ et operatione unâ ; cùm constet eum qui nec unius nec duplicis operationis aut voluntatis voces adhiberi volebat, nihil quoad hoc definisse, sed harum vocum usum spectâsse, quas non ideò *ineptas* et supprimendas censuit, perinde ac nec unam nec duas operationes ac voluntates in Christo extitisse crederet, qui duas naturas cum proprietatibus cujusque propriis confessus est; sed quia in illis circumstantiis, quæ spem afferebant pacis conciliandæ, minùs aptus videbatur earumdem vocum usus, qui unitati impedimento esset, nec dogmati, quoad substantiam aliis verbis satis explicato, necessarius putaretur. Hæc interpretatio, litterarum Honorii contextui congruens, ita monotheliticum errorem saltem quoad substantiam abstergit, ut nonnisi iniquiori explicatione certus error prætendi possit. Cùm autem quoad voces, tum unius, tum duarum operationum ac voluntatum appellationem Honorius removerit ; palam fit eum nihil de hâc ipsâ verborum quæstione (1) definire voluisse ; ex quo error quicumque aliquot æquivocis verbis inesse cuipiam videatur, non definitionis error sit, sed omissionis, vel etiam subreptionis et facti, seu œconomicæ dispensationis, quæ ad fidem non pertinent, ut pluribus explicavi loco laudato c. 13. Neque insistas verbis Honorii in epistolâ ad Sergium, quibus dùm affirmavit : « Hæc nobiscum vestra fra« ternitas prædicet, sicut et nos ea vobiscum « unanimiter prædicamus, » eamdem sibi et Monothelitis sententiam videtur asserere. Ex contextu enim liquet unanimitatem his verbis indicatam referri tantummodò ad suppressionem vocum : « unius aut geminæ voluntatis « ac operationis, » quam Sergius petierat, necnon ad earumdem rationum vel momentorum usum, quæ ad ipsam suppressionem inducendam conferrent. Erravit quidem Honorius, dùm suppressionem præscripsit earum vocum, de quibus erat quæstio. At cùm ex ipsâ suppressione cognoscatur eum nihil utrinque definisse, imò à definiendo œconomiæ causâ censuisse abstinendum, quis errorem, quicumque ei adscribendus credatur, errori definitionis potiùs quàm omissionis adjudicare potest ? In quæstionibus quandoque excitatis circa voces aliquas aut sententias, quæ nunc in bonum, nunc in pravum sensum accipi queunt, error ex pravâ interpretantium mente dependet. Cùm itaque ex earum vocum suppressione, aliisve Honorii vocibus minùs cautè usurpatis, ne quoad ipsam quæstionem non malo consilio quidquam definiret, Monothelitæ suo errori patrocinium quæsierint, totus error contrarius catholico dogmati pravè interpretantium error fuit, non autem Honorii, neque definitionis, à quâ apertissimè et consultò abstinuit. Quid dicendum de ejus condemnatione factâ in concilio VI œcumenico, explicabimus satis

(1) Hinc in secundâ ad Sergium epistolâ bis protestatur : « Non debemus definire, non « oportet definire. »

in sequenti opere de Potest. Eccl. c. 5. Sed de Honorio nimis multa.

Similia de aliis pontificibus, quibus errores opponuntur, afferri possent, et vel ab aliis infallibilitatis pontificiæ vindicibus, vel etiam à me loco indicato allata fuerunt. Quicumque, ex. gr., absque præjudicio expenderit Nicolai III decretalem *Exiit*, quâ S. Francisci regulam explicat, eamque contulerit decretalibus Joan. XXIII *Cùm inter nonnullos*, et *Quia quorumdam*, tit. *de Verborum significatione*, inveniet illum non accepisse voces, *simplicis facti usum*, pro usu rei alienæ, invito domino, qui sanè usus fuisset injustus et illicitus, neque hunc usum tam injustum tribuisse Christo vel Apostolis, aut Franciscanis apostolicam perfectissimam paupertatem professis, quod apertam hæresim contineret, ut Joannes XXIII definivit, sed è contra illis vocibus accepisse licitum et moderatum rerum usum eisdem Franciscanis concessum *durante*, ut idem Nicolaus declarat, *concedentis licentiâ*, quæ significatio nihil injustum, vel illicitum, nihilque hæreticum præfert. Ita inter Joan. XXIII et Nicolaum III quoad substantiam nihil dissidii, etsi quædam verba separatim considerata aliquo modo dissidere videantur ; nihilque superest, ex quo Nicolaus in hæresis suspicionem à Joanne adductus credatur. Hæc addenda fuère, ut paucis et clariùs expungantur quæ cum aliis adversariis ingessit Bossuetius in dissert. prævià § 46, et in lib. 9 Defensionis c. 41 et seqq., tametsi in eàdem dissertatione dubium notaverit, an duo illi pontifices eâ in quæstione « summâ consentiant, verbis « litigent. »

Contra quæ si quis contentiosus insistat, nullo certo errore circa fidem probato, nullâ productâ definitione certâ, in quâ certus error insit, incassùm laborabit. Quòd si adhuc non acquiescat ex quàmplurium errorum præsumptione, indicet, quæso, unum suo judicio evidentem, qui sit ita certus, ut nullâ possit interpretatione congruè purgari, sitque error certæ definitionis dogmaticæ ; et nihil dubito quin aptæ probationes vel alterutrâ, vel utrâque etiam in parte deficient. Si autem ne uno saltem in errore id ex æquo præstare se posse deprehendat, infallibilitati pontificiæ neu resistat diutiùs, nec sententiam nostram quâ illam vindicare studui, veluti exilem aut desperatam traducat. Non ignoro quosdam, contrariæ opinionis præjudiciis occupatos, de memoratis conditionibus et restrictionibus, quæ errores qui objici solent à quæstione præsenti alienos declarant, fuisse conquestos, eò quòd hâc methodo paucæ, imò nullæ sint veræ et propriè dictæ definitiones, quæ aliquæ certum fidei errorem contineant, unde absoluta illis infallibilitas tribui non possit. Non abnuo. Imò ita his solis definitionibus infallibilitatem asserendam affirmo, ut, si velint (1), in cæteris, quæ non sunt propriè dictæ definitiones fidei, nec omninò exigunt unitatem et assensum fidei præstandum ex fine et officio primatûs, pontifices errare posse non negem, uti neque alii pontificiæ infallibilitatis propugnatores inficiantur : et si quidem hâc ratione cum adversariis conveniamus, nulla in hoc erit ampliùs nobiscum quæstio. Satis nimirùm mihi cæterisque ejusdem infallibilitatis propugnatoribus est, si hoc privilegium iis decretis apostolicis asseratur, ad quæ promissiones Christi et finis ac officium primatûs refertur ; promissiones autem Christi et primatûs officium ac finis ea solùm pontificia decreta respiciunt, quibus in contro-

(1) In pontificiis decretis, quæ veræ certæque definitiones fidei sunt, non minùs quàm in veris certisque definitionibus conciliorum generalium, quibus infallibilitatem omnes catholici adversarii asserunt, nullus fidei error invenietur. Quæ verò pontificia decreta, ab iisdem opposita, aliquod erroris dubium inspergunt, non ad certas et propriè dictas definitiones pertinent, sed ferè ad opiniones, quæ contineri solent in pontificiis rescriptis atque responsis, præsertim circa casus practicos, in quibus Romanos pontifices consulere antiquus mos fuit. Cùm enim illi ad Petri sedem provecti nec humanam conditionem deposuerint, nec facultatem opinandi, in casibus autem practicis, in quibus tuta sententia quæritur, ad licitè ac tutè agendum non sit necessaria certitudo fidei, nec metaphysica, imò nec physica, sed moralis sufficiat, Romani pontifices in rescriptis hujusmodi respondere consueverunt, quod opinando ex prudentiæ regulis pro circumstantiarum varietate moraliter certum, seu probabilius crediderunt vel tutius ; idque fecerunt pariter in aliquot speculativis quæstionibus circa materiam fidei, in quibus certum dogma declarare et constituere ob vindicandam fidei unitatem necessarium non judicabant. Hinc illæ solæ definitiones fidei sunt, in quibus doctrinam fidei se declarare et decernere certis vocum aut formularum characteribus significant, ut ex officio ac fine primatûs fidei unitatem custodiant et vindicent. Cum id in rarissimis casibus præstiterint, nil mirum, si veræ et certæ definitiones pontificiæ quibus absoluta infallibilitas competit, rarissimæ sint ; cùmque in rescriptis ac decretis, quæ objici solent, omne dubium non circa definitiones, sed circa opiniones versari præmissa verarum definitionum notio patefaciat ; hæc (etiamsi errorem aliquem continerent) extra propositum opponi manifestum est

versiis et dissidiis circa fidem pontifices fidei unitatem vindicare et custodire student, quod solis definitionibus propriè dictis assensum fidei exigentibus fit, cùm ob dirimenda dissidia quid credendum aut condemnandum est, expressè declarant atque decernunt. Adversarii, qui vellent definitionis nomen indicatis conditionibus haudquaquàm restringi, idcircò vellent, ut error aliquis in fide faciliùs inveniretur, quo infallibilitas Romanorum præsulum manifestè revinceretur. Sed non excurrendum extra præmissos verarum definitionum limites; nec ad probandum contra propositam thesim idonei erunt errores qui certi non sint in materiâ fidei, nec sint definitionum errores. Si autem nulli ejusmodi errores opponi queunt, nihil superest, ex quo pontificia infallibilitas in definiendis controversiis fidei in dubium revocetur.

Si ita est (inquiet fortassè quispiam), eritne infallibilitas pontificum in definitionibus omninò certa; et credendumne assensu fidei, quidquid pontifices circa fidem definiunt? Non dico credendum ex catholicâ fide, Papam in decidendis controversiis fidei esse infallibilem: fidei quippe dogma non est, quod inter Catholicos controvertitur, et ab Ecclesiâ nondùm est expressè definitum: unde hæretici non habentur adversarii cæteroquin catholici, qui sententiam infallibilitati pontificiæ contrariam propugnant. Dico tamen obediendum esse Papæ, cùm ex fine et officio primatûs definit aliquid credendum vel damnandum ex catholicâ fide, et obediendum quidem his apostolicis judiciis etiam assensu fidei et obsequio interno, ut vel Gallicani episcopi confessi sunt; et ita præstandam ipsis eam fidei unitatem quam cum centro catholicæ unitatis necessariam traditio docet. Infallibilitatem Papæ in ejusmodi definitionibus atque judiciis hinc sequi atque deduci legitimâ et evidenti ratiocinatione demonstratam existimo. Si verò hujus corollarii atque demonstrationis evidentiam, quam ipsis etiam Christi promissis et oratione confirmavimus, adversarii præjudiciis impediti non percipiunt, non multùm fortassis refert ad praxim, dùm fidei unitatem, quæ propter potentiorem principalitatem, ut Irenæus loquitur, est penitùs necessaria, et obedientiam cum assensu cordis dogmaticis Apostolicæ sedis judiciis debitam præstent. Illud porrò seriò animadvertant, non peccari tantùm quando quis contra propositiones certâ fide propositas aut definitas agit aut sentit, sed etiam quando sese opponit propositionibus, quæ ex certis theologicis principiis legitimè deductæ et evidenter sunt demonstratæ. Quæ culpa in re præsenti eò magis evidens agnoscetur, si adversarii iis principiis, quæ non inanibus ratiociniis, sed certissimis auctoritatibus ac documentis nixa, ab ipsis adversariis concedenda fuêre, sese opponant, idque non methodicâ ipsorum principiorum discussione, ad quam provocavimus, sed aliquot tantùm præsumptis erroribus, ad quos totam revocârunt quæstionem, qui tamen non sunt certi errores fidei, nec ad fidei definitiones pertinent, de quibus solis est disputatio. Illud tandem oppositores, si qui erunt, moneo, etiam atque etiam videant, quâ se possint æquâ ratione ab omni culpâ purgare coram Deo, dùm infallibilitatem pontificiam eo nomine impugnaturi, quia dogma catholicum non est, non paucos hoc tempore erga pontificiam auctoritatem non benè animatos excitabunt ad eam contemnendam atque carpendam in ipsis definitionibus fidei, sicque à debitâ fidei unitate atque obedientiâ plurimos retrahent. Si de solius disciplinæ materiis, in quibus unitas cum Romanâ sede omnibus Ecclesiis jure divino necessaria non est, tota esset concertatio (salvâ tamen semper apostolicâ potestate, et debitâ moderatione adhibitâ), non esset magnoperè laborandum. At certamen in materiâ fidei, in quâ unitas cum Romanâ fide catholicæ unitatis centro est maximè necessaria, certamen, inquam, eorum qui huic unitati impedimentum afferunt, quis excusare et defendere potest? Nonne id est apertissimè sese opponere institutioni et consilio Christi Domini, qui pontificio primatu unitati potissimùm fidei prospicere voluit, ut omnes cum eâ potestate conspirantes, eidem unitati custodiendæ cooperentur, nulli autem resistentes et oppugnantes, in ipsâ fidei unitate scissuras et dissensiones pariant aut foveant?

§ 11. *Num sententia quæ infallibilitatem pontificiis definitionibus in materiâ fidei tribuit, antiquis fuerit ignota.*

Ab hâc appendice calamum nequeo subducere, nisi priùs à sententiâ,quæ infallibilitatem Romanis pontificibus in fidei definitionibus asserit, novitatis notam abstergam, ejusque antiquitatem aliquâ non obscurâ ratione constituam. Ut autem hujus sententiæ probetur antiquitas, haud opus est eam expressè infallibilitatis vocabulo inveniri apud antiquos, sed sufficit, si æquivalentibus verbis atque senten-

tiis satis declarata vetustis testimoniis monstretur, nihilque solidum ex antiquis scriptoribus contra opponi queat. Antiquitatem sanè ejus sententiæ nonne æquivalentibus verbis atque sententiis satis declarant antiqui illi Patres, qui Romanam fidem immotam, indefectibilem, perpetuò conservatam, petramque solidissimam testantur, contra quam non prævalebunt unquàm portæ inferi, et pro quâ Christus rogavit *ne deficeret;* necnon ii qui has Christi promissiones aptârunt fidei quam pontifices Romani Petri successores docent atque definiunt, ut unitatem ejusdem fidei ex fine et officio primatûs custodiant, et ita aptârunt, ut affirmârint S. Petrum in ipsis fidem definientibus loqui et docere fidei veritatem? Adversarii, qui tot antiquorum testimonia à me allata ubi de Vi et ratione primatûs eludere nisi sunt eo nomine, quòd loquantur de fide sedis seu Ecclesiæ Romanæ, non de ipsis definitionibus pontificiis, perinde ac si prærogativæ competentes sedi aut Ecclesiæ Romanæ ratione primatûs, non sint alligatæ personæ ipsorum pontificum, vel fides sedis aut Ecclesiæ Romanæ alia sit à pontificum fide, ipso Bossuetio hanc distinctionem reprobante, rejiciendi sunt : sicuti non minùs ineptam ac repugnantem ostendi aliam ejusdem Bossuetii distinctionem, quâ fidem seriei ac successionis summorum pontificum infallibilem et indefectibilem agnoscendam concedens, distinguendam credidit à fide singulorum pontificum, quorum aliquos in fide errâsse ac defecisse existimat. Hæ nimirùm distinctiones aliaque ejusdem generis effugia ab adversariis excogitata, ut antiquæ traditionis testimonia de indefectibilitate fidei Romanæ cum suâ sententiâ, aliquâ ratione conciliarent, cùm per sese sint inania et imbecillima, nulloque idoneo antiquo teste fulciantur, ipsam nostræ sententiæ antiquitatem non destruunt, sed potiùs confirmant.

Sola facta errorum probarent aliquid contra infallibilitatem, tot licet antiquis Patrum sententiis ac testimoniis fultam, si vel unus saltem esset error certus in aliquâ certâ definitione fidei : cujusmodi nullum ab adversariis oppositum hactenùs vidimus. Testimonia verò antiqua, quæ contra nos valerent non modicùm, nulla pariter sunt, cùm nulli antiqui errores definitionum accusaverint atque impetiverint pertinaciter, nisi hæretici, cùm se damnatos viderunt, quorum auctoritatem allegare omnes Catholicos pudebit. Imò si qui etiam ex Catholicis aliquâ particulari opinione, antequàm definiretur, occupati, certæ definitioni subinde editæ restitisse invenirentur, minùs apti testes essent, sicut nec idonei judices habentur, qui præjudicio antecedenti occupantur.

Cùm itaque neque facta errorum, neque idonei testes antiqui ullum certum definitionis errorem evincant, nullaque proinde fuerit unquàm quæstio, quâ fides ab Apostolicâ sede definita, et pontificia infallibilitas traditione ac promissis Christi munita vocaretur in dubium, nonne hæc sententia ab antiquitate tuta, novitatis notâ perstringi nequit? sed hoc nomine potiùs rejicienda adversariorum sententia, quæ antiquæ traditioni et Christi promissis opposita, veterum suffragiis caret, et posterioribus temporibus inducta probari potest.

§ 12. *Quàm sera contrariæ sententiæ initia, et quatenùs inter Catholicos recipi atque in scholas induci et propagari cœperit, veteri sententiâ ac traditione non omninò exclusâ.*

Cùm infallibilitas pontificia quam propugnavi, solas propriè dictas fidei definitiones à summis pontificibus editas respiciat, ex iis tantùm qui in aliquâ propriè dictâ definitione eosdem pontifices errâsse aut errori obnoxios prætulerunt, contrariæ nobis sententiæ origo deduci potest. Ab iis porrò qui vel olim alicui definitioni pontificiæ sese opposuêre, quando suos errores ab aliquo pontifice damnatos viderunt, originem ducere opus non est, cùm apud Catholicos nullius auctoritatis fuerint, nec eorum sententia infallibilitati dogmaticarum definitionum contraria inter Catholicos fuerit recepta aut propugnata. De illis tantùm videndum, qui inter Catholicos recensiti, eam sententiam ita in scholas catholicas invexerunt, ut sensim aliquot peculiaris famæ theologos non tam partiarios, quàm vindices et propugnatores obtinuerit. Dimissis autem Okamo aliisque Fraticellis schismaticis, qui à Joanne XXII condemnati, plures errores summis pontificibus ipsique potissimùm Joanni objicere ausi, contrariæ nobis sententiæ auctores à nonnullis traduntur, dubitari non posse videtur, quin eadem sententia inter catholicos theologos irrepserit, ac invalescere cœperit eodem ferè tempore, occasione eâdem, iisdemque auctoribus, quibus sub Pisanam synodum et Constantiensem inducta fuit opinio de conciliorum generalium auctoritate supra ipsum Romanum pontificem. Petrus enim de Alliaco, et Joannes Gerson, aliique earumdem partium, qui ob in[illegible] [illegible] et per-

niciosissimo schismati efficax remedium, contendentes de papatu subjiciendos crediderunt in casu schismatis auctoritati concilii œcumenici, eosdem quoque huic auctoritati subjici putârunt in casu hæresis, quæ à schismate pertinaci vix separari potest, ac propterea eos in errorem fidei posse cadere præsumpserunt : quâ in hypothesi summos pontifices errantes circa fidem à generali saltem synodo posse judicari, et, si pertinaces invenirentur, posse etiam deponi existimârunt. Quo verò sensu hæc conciliorum generalium auctoritas in casu hæresis possit in ipsum summum pontificem à fide devium exeri, explicabimus in dissertatione de Potest. Eccles., ubi etiam ostendemus eos non posse circa fidem errare, cùm aliquid circa fidem definiunt : quidquid sit, num errare possint opinando, seu extra materiem ac terminos definitionum fidei.

Cùm porrò præsens quæstio non in eo versetur, utrùm Papa opinando, aut extra terminos definitionis, sed utrùm definiendo errare queat aut erraverit aliquando, idque ex Christi promissis ac traditione probàrimus impossibile, non omninò esse certum affirmare me posse reor, Petrum de Alliaco, ac Joannem Gersonem, qui inter theologos magni nominis primi infallibilitatem pontificiam expressè impetiverunt, judicâsse Romanos pontifices errori obnoxios etiam, cùm propriè dictas definitiones ex primatùs fine atque officio promulgant. Certè Petrus de Alliaco, Gersonis magister, antiquorum traditionem de indefectibilitate Romanæ fidei, Christi pollicitationibus fultam, suo quoque ævo obtinentem deserere non ausus, in legatione, quam adversùs Montesonum Universitatis Parisiensis nomine Avenione gessit ad Clementem VII, eamdem traditionem secutus, Christique promissis innixus affirmavit : « De quâ sede (Romanâ) in personâ Pe« tri in eâ sedentis dictum est : *Petre, rogavi « pro te, ut non deficiat fides tua.* » Et similiter in tractatu quem in eàdem legatione ad Papam et cardinales edidit, eàdem Christi promissione laudatâ, approbat quod in cap. *Hæc est fides*, de Romanæ sedis fide traditur : « Ipsa semper « immaculata permansit, et in futuro perma« nebit ; » infertque statim : « Ex quibus om« nibus satis patet, quòd ejus nunquàm defi« cit fides, uti Christus promiserat. » Non absimiliter Joannes Gerson in sermone coram Alexandro V, die Ascensionis Domini habito, rationem redditurus, cur Græca Ecclesia erroribus fidei vitiata fuerit, non autem Latina, Romanæ fidei indefectibilitatem exinde deducit, quia « Latinitas ipsa purior et immaculata « sedem habet Petri, pro cujus fide ne deficc« ret, specialiter oravit ille qui in omnibus « exauditus est pro suâ reverentiâ. »

Quomodò hæc conciliari queant cum sententiâ quâ hi auctores aliis in operibus Romanos pontifices in fide posse errare propugnant, explicari solet distinctione solemni inter fidem sedis seu cathedræ Romanæ, et fidem pontificum. Quâ distinctione inter sedem et præsidentem ex S. Leone sumptâ adversarii nimiùm abutuntur, cùm definitionum pontificiarum errores, quos possibiles præsumunt, non sedi Apostolicæ, sed ipsis pontificibus attribuunt. S. Leo eam distinctionem inter sedem et præsidentem perinde accepit, ut distinguendum indicârit inter legitima jura sedium, et inter vitia seu demerita præsidum, quæ legitimis sedium juribus nihil præjudicant. Vide c. 14 de Vi primatûs. Id generatim convenit omnibus Ecclesiæ præsidibus in iis actibus in quibus proprio vitio vel defectu aliquo potestate abuterentur aut errârent. Ab hoc numero non sunt excipiendi summi pontifices quoad eos actus in quibus sive ex obreptione, sive ex subreptione, sive opinionum præjudicio, aut vitio aliquo in apostolicæ auctoritatis usu errarent, uti multis in capitibus eos posse errare negari non potest. Cùm verò errare nequeant in propriè dictis, quas explicavimus, definitionibus fidei, de quibus vis et ratio primatûs, necnon promissiones Christi atque traditio cavent; in his ea distinctio quâ definitionum errores præsumuntur, tametsi ne unum probare licuerit, locum non habet, nec habere potest, ac propterea in rem de quâ nunc agimus, est prorsùs inepta.

Hanc conciliationem afferunt vel illi acerbiores pontificiæ infallibilitatis impugnatores Launoius atque Dupinus, cùm explicaturi quorumdam Patrum testimonia, quibus oratio Christi pro fide Petri nunquàm defecturâ ingeritur, hæc accipienda affirmant de sede Petri, non de successoribus ejus, quos in fide posse deficere et aliquando defecisse non dubitant. Ita omnes ex traditione Patrum atque oratione Christi immotam et infallibilem præsumunt Romanæ sedis, non autem pontificum fidem. Eamdem conciliationem ingerit etiam Bossuetius, dùm loquitur de textu Petri cardinalis de Alliaco, qui memoratâ distinctione inter sedem et sedentem utens, huic conciliationi primus aditum aperuit : unde in cjus

verba Bossuetius notavit : « Cùm ergo ex « Petro Alliacensi aliud sit sedes, aliud sedens, « non mirum est aliud convenire sedi, quod « sedenti non conveniat, nempe ut sedes de- « ficere non possit, cùm sedens sit deviabilis « etiam in judicio de fide. » Mirum autem vel maximè esset debet, eumdem Bossuetium hanc conciliationem ducere ex eâ distinctione inter fidem sedis Apostolicæ seu Romanæ, fidemque in eâ sedentium Romanorum pontificum, quam idem apertè destruit lib. 10 Defensionis c. 5, illis verbis : « Neque verò distinguimus à « Romanorum pontificum fide Romanæ Ec- « clesiæ fidem, quam scilicet non aliter quàm « à Petro primo atque à Petri successoribus « Romani didicerint, » traditam scilicet ex sede Petri, quam à personâ pontificum haud distinguendam ibidem præmiserat scribens : « Neque propterea dicimus ipsam sedem ali- « quid exercere posse potestatis aut jurisdic- « tionis aliter quàm per ipsum præsidentem. » Hâc itaque conciliatione repudiatâ, sicut et illa est repudianda, quam idem Bossuetius induxit, allatâ aliâ distinctione inter fidem seriei et successionis pontificum ac fidem singulorum, perinde ac si illa immota et indefectibilis sit, et dici possit, etiamsi aliqui separatim aliquando deficiant (quod non minùs ineptum atque repugnans ostendimus) : ut constet certa traditio de immotâ et indefectibili Romanæ sedis seu Ecclesiæ fide, quam hi ipsi adversarii præsumunt certissimam, et constent certæ Christi promissiones, quibus eadem traditio innititur; constent, inquam, componanturque aliquo modo cum illorum sententiâ quâ pontifices definiendo fidei dogmata errare posse et aliquando errâsse arbitrantur, aliâ aptiori, si fieri potest, nec repugnante conciliatione utendum est.

Non alia autem præstò esse videtur nisi distinctio inter definitiones, quas pontifices edunt, ut fidei unitati ex officio primatûs custodiendæ prospiciant, et inter cætera documenta, quæ vel ad fidem non pertinent, vel nihil certi dogmatis in conservationem unitatis constituunt. Hanc distinctionem ex primatùs naturâ ac fine, necnon ex circumstantiis ipsarum promissionum Christi crutam nemo jure rejiciet; et hoc quidem sensu quicumque eos theologos explicandos, contrariasque eorum, uti videntur, sententias conciliandas putet, inveniet quomodò ipsi veterum traditionem reipsà non deseruerint, sed continuârint, ita ut contentio tota et contradictio in verborum tantùm significatione et interpretatione diversâ posita sit. Quòd si hæc conciliatio abhorrere prorsùs credatur ab eorumdem auctorum sensu, qui infallibilitatem pontificiam in ipsis propriè dictis definitionibus reipsà videantur impetere; id ipsorum inadvertentiæ tribuendum, qui pro aptâ et congruâ distinctione atque conciliatione certis principiis repugnantem attulerunt.

Id autem quodcumque sit, eorumdem sententiæ nihilùm proderit. Semper enim hæc contrariæ nobis sententiæ origo inductam ab ipsis novitatem antiquorum traditioni oppositam, et promissis Christi contrariam satis reprobabit, et circumstantiæ difficillimi schismatis, quæ ejusmodi novitati occasionem seu causam dederunt, quibusque vetus traditio deserenda visa est, excusare quidem eos aliquatenùs poterunt, non autem novitatem in tuto ponere. Neque invictam auctoritatem ipsis præstare credendum est concilium Constantiense, uti à nonnullis perperàm præsumitur. Nam etsi sessionibus quartâ et quintâ statuatur decretis generalium conciliorum circa fidem ipsos pontifices obligari (quæ propositio per se verissima est, ut explicavi c. 8); non tamen hinc sequitur eosdem in definiendis fidei dogmatibus posse errare; neque hâc in re quidquam ibidem aut alibi uspiàm decretum invenietur, quod œcumenicæ synodi aut dogmaticæ definitionis vim habeat, uti colligere est ex dicendis in opere de Potestate Eccles. c. 7 et 8. Hinc quidem statim etiam post eam quoque synodum licuit semper veterem traditionem atque sententiam sequi, quam plerique amplexi fuerunt etiam in Galliâ, adeò ut inter ipsos Gallos omnes ferè scriptores sive theologi sive canonistæ pontificum infallibilitatem defenderint usque ad annum 1682, Claudio Florio teste dissert. in Historiam Ecclesiasticam : « In Galliâ « vix reperietur regularis, cui certa non sit « Romanorum pontificum infallibilitas. Non « regulares tantùm, sed presbyterorum etiam « (secularium) qui privilegiis carent et episco- « pis subsunt, cœtus, in hanc sententiam tan- « quàm pietati magis conformem inclinant. » Ita multò magis in aliis universæ Ecclesiæ regionibus potestati apostolicæ magis addictis, veteri traditione retentâ, omnes fermè in infallibilitate Romanæ fidei defendendâ perstiterunt. Post declarationem verò cleri Gallicani anni 1682, nihil mirum si non pauci ex Gallis contrariam sententiam cœperunt fortiùs ingerere et vindicare, cùm auctoritas ejusmodi conventuum (licet certam fidei doctrinam non

condidissent) apud eosdem Gallos prævaleret et quodammodò cogeret. Cùm autem postea ejusdem Declarationis Defensio olim à Bossuetio luculentissimè scripta, et subinde auctior edita duobus magnis voluminibus prodierit, et toto orbe fuerit vulgata; summa tanti viri auctoritas, et multò magis modus tractandi hanc materiem, effecit ut eadem sententia extra ipsam Galliam faciliùs persuaderetur non paucis qui antea nostram veterumque sententiam propugnabant. Licet magnus Bossuetius de Ecclesiâ catholicâ ac de fidei dogmatibus, pro quibus contra novatorum errores invictè dimicavit, benè meritus, auctoritate plurimùm valeat, non tamen in hâc causâ tanti est, ut ejus gratiâ antiquorum sententia de Romanæ fidei firmitate atque infallibilitate in definiendis catholicis dogmatibus, quæ promissis Christi, antiquorum traditione ac principiis nostri systematis adversariorum consensu demonstratis legitimèque deductis fulcitur, deserenda sit.

Qui Bossuetio ipsi plurimùm deferunt, ponant tria illa principia, quæ de Romanâ fide idem auctor certissima statuit. 1° Certum esse S. Petrum semper in successoribus vivere, atque in ipsis loqui et locuturum semper eam fidem quam Christus bono unitatis fidei in Petro ac successoribus ejus ratione primatûs totius Ecclesiæ fundamentum instituit. 2° Certum quoque esse eamdem fidem in cathedrâ Petri depositam, et ad eosdem successores transmissam, esse petram illam firmam, stabilem et immotam, supra quam Christi pollicitationibus et oratione munitam atque firmatam ita Ecclesia ædificata est, ut contra ipsam portæ inferi prævalere non possint, nec unquàm sit defectura. 3° Certum tandem esse hanc fidem perinde firmatam et indefectibilem non esse distinguendam à fide quam è Petri sede successores ejus Romani pontifices docent et ex fine primatûs definiunt, ut in dissensionibus et controversiis fidei fratres in unitate fidei contineant atque confirment. Hæc tria si certissima ipsius Bossuetii auctoritate concedenda sint, nonne definitionum apostolicarum infallibilitas, quæ exinde necessariò sequitur, certissima pariter dicenda erit? Nonne sperandum est fore ut illi qui eidem Bossuetio maximè deferentes, ejus potissimùm auctoritate ab antiquorum sententiâ ac traditione recesserunt, mero præjudicio ac studio partium se permotos agnoscentes, in veterem sententiam cum primatûs ratione ac promissis Christi cohærentem, sibi redeundum intelligant?

Concludam hanc appendicem testimonio Romani Sacramentarii omnium antiquissimi, quod S. Leoni attributum tomo secundo operum ejusdem pontificis recudimus. In præfatione Missæ 14, die natali SS. Petri et Pauli hæc leguntur: « Qui secundùm promissionis tuæ « inviolabile constitutum apostolicæ confes« sioni supernâ dispensatione largiris, ut in « veritatis tuæ fundamine solidata, nulla mor« tiferæ falsitatis jura prævaleant; et quanta« libet existat errantium multitudo, illi sint « redemptionis tuæ filii, et illis Ecclesia tota « numeretur, qui ab electorum tuorum PRIN« CIPALI traditione non dissonant; ipsaque sit « sacri corporis ubique vera compago, quæ te « dispensante devota obsequitur, quidquid « sedes illa censuerit quam tenere voluisti « totius Ecclesiæ PRINCIPATUM. » Hæc quæ S. Leonis stylum exhibent, cùm vetustissimum Romanæ Ecclesiæ sensum, ac *principalem* seu principalis sedis *traditionem* præferunt, tùm infallibilitatis pontificiæ fundamenta quæ præmisimus satis indigitant. Verba: « Qui secun« dùm promissionis tuæ inviolabile constitu« tum, » infallibilitatis fundamentum Christi promissioni innixum declarant. Hujus promissionis effectum et efficaciam indicant sequentia, quibus apostolica confessio, seu fides ex promissione inviolabili in Romanâ Ecclesiâ ac principali ejusdem Ecclesiæ traditione ita solidata dicitur, ut nulla falsitatis jura prævaleant nec contra ipsam, nec contra illos qui ab eâdem fide ac principali traditione non dissonant: quæ verba unitatem cum fide ac traditione Ecclesiæ principalis necessariam adstruunt. Ut autem inter errantium ac dissidentium multitudinem discernatur, quænam sit sacri corporis ubique vera compago, hoc est, vera Ecclesia Christi ubique diffusa, contra quam in fidei dissidiis falsitas non prævalebit, ea esse subjicitur, « quæ, te dispensante, de« vota obsequitur, quidquid sedes illa censue« rit quam tenere voluisti totius Ecclesiæ « principatum. » Nonne hæc unitatem fidei cum obsequio mentis debitam significant decretis dogmaticis, quæ è sede Apostolicâ summi pontifices edunt, ac debitam quidem ratione principatûs seu primatûs, quem ob unitatem potissimùm fidei in totâ Ecclesiâ conservandâ ipsorum personæ adnexum, idoneâ auctoritate præditum, et promissis ac oratione Christi munitum vidimus? Quàm bellè hoc unum Romanæ veteris traditionis testimonium totam Appendicem confirmat!

Proœmium.

In præfatione tractatûs præcedentis inscripti : De Vi ac ratione primatûs Romanorum pontificum, et de ipsorum infallibilitate in definiendis controversiis fidei, liber singularis, ubi utrumque explicavi atque constitui ex principiis concessis ab iis ipsis adversariis catholicis, contra quos tantùm agendum suscepi ; memini me promisisse aliàs, si vacabit, disputaturum de eorumdem pontificum potestate collatâ cum potestate concilii œcumenici : quod ad eam quæstionem refertur tantoperè inter catholicos theologos agitatam, num Romano pontifici ratione primatûs jus et potestas sit supra ipsa concilia generalia, an generali concilio jus et potestas sit supra summum pontificem. Nunc promissum libens solvam. Adversarii catholici, quibuscum tantummodò non minùs in hoc quàm in præcedenti tractatu est disputatio, dùm contendunt concilia potestatem habere in summos pontifices, non conciliis particularibus, sed generalibus tantùm hanc prærogativam vindicandam existimant. Ultrò enim fatentur, alia quævis concilia, quæ non sint œcumenica, jurisdictionem non habere in summum Hierarcham, quem cuique personæ, seu concilio particulari, etiam amplioris regionis, et ex pluribus provinciis coacto, quod universalem Ecclesiam non repræsentat, nec totius Ecclesiæ jurisdictionem continet, jure universalis primatûs superiorem agnoscunt; nullius siquidem inferior in superiorem suum jus habet aut habere potest.

Neque aliter sentire queunt qui in hâc materiâ Constantiensis synodi Patres duces suos præferunt atque sequuntur. Hi enim cùm ex unâ parte solis conciliis generalibus, quæ universam Ecclesiam repræsentant, jus in summos pontifices asserunt celebribus ejusdem synodi decretis actionum 4 et 5, tum ex parte alterâ act. 8 propositionem 41 Joannis Wicleffi : « Non « est de necessitate salutis credere Romanam Ec- « clesiam esse supremam inter alias Ecclesias, » censurâ *erroris* notârunt, « pro quanto negaret « primatum summi pontificis super alias Eccle- « sias particulares. » Primatum, qui ex catholicâ doctrinâ tribuendus est Romanæ Ecclesiæ eique præsidenti Romano pontifici, non esse meri ordinis et honoris, sed præcipuæ jurisdictionis, propriæ et personalis solius Petri et successorum ejus, tractatu præcedenti, catholicis quoque adversariis concedentibus, probatum fuit. De primatu ergo jurisdictionis accipienda sunt Constantiensium Patrum verba in memoratâ censurâ, ita ut erroris notam affixerint Wicleffianæ propositioni 41, quatenùs negaret summis pontificibus primatum jurisdictionis, seu jurisdictionem propriam super alias Ecclesias particulares. Hinc in eamdem Constantiensium censuram Bossuetius animadvertit : « En ut Ecclesias particu- « lares.... Pontifici submiserint ; » additque exinde Gallicanos cum Gersone illa sumpsisse : « Dandam esse supremam et plenam pontifici « potestatem, sed in comparatione ad fideles « singulos, et ad particulares Ecclesias : » quod idem est ac profiteri Ecclesias particulares, seu particularium Ecclesiarum concilia, quæ non ita repræsentant universam Ecclesiam, uti repræsentatur à conciliis œcumenicis, subjici supremæ et plenæ potestati pontificum, nullumque in eos jus ac potestatem habere. Hâc de causâ lib. 10 Defensionis, al. 15, c. 20, expressè docuit : « Sit ergo profectò « NOBIS ETIAM AUCTORIBUS Romani pontificis « sacrosancta majestas. Nulla eam synodus « particularis judicare audeat. » Hoc pariter sensu malos quoque pontifices « non sub- « esse particulari concilio » affirmavit lib. 11, cap. 4, illudque vulgatissimum axioma : « Prima sedes non judicatur à quoquam, » ne suæ et adversariorum nostrorum sententiæ obsit, ita interpretatur, ut valeat de Romanâ et particularibus synodis tantùm, non autem de generali, cui soli memorata Constantiensia decreta, cæterique adversarii catholici potestatem in summos pontifices tribuunt (1).

Hâc verò in re, de quâ una nunc superest

(1) Hâc de causâ idem Bossuetius lib. 10 Defensionis c. 12, affirmare non dubitavit : « Sedes Apostolica, tametsi subjecta est uni- « versali Ecclesiæ eamque repræsentanti conci- « lio generali, tamen suprema est respectu « singularum Ecclesiarum, quemadmodùm « tradit, non modò schola Parisiensis, verùm « etiam ipsum Constantiense concilium, ut « sæpè diximus. »

quæstio (num scilicet concilium œcumenicum potestatem habeat supra Romanos pontifices) antequàm decidatur, præmittenda sunt nonnulla de ecclesiasticæ jurisdictionis origine, ac de distinctione juris inter episcopos ac summum pontificem; sine quibus Romani antistitis et generalium conciliorum jus probè discerni ac definiri non posset; quod quidem modò præstabimus.

DE POTESTATE ECCLESIASTICA

SUMMORUM PONTIFICUM ET CONCILIORUM GENERALIUM.

CAPUT PRIMUM.

DE JURISDICTIONIS ECCLESIASTICÆ ORIGINE, ET DE DISCRIMINE JURIS INTER S. PETRUM ET CÆTEROS APOSTOLOS EORUMQUE SUCCESSORES, QUI IN VARIOS EPISCOPORUM GRADUS DISTINGUUNTUR.

§ 1. *Jurisdictio ecclesiastica Petro et Apostolis immediatè collata fuit à Christo, nec Ecclesiæ immediatè tradita dici potest, perinde ac si Petrus et Apostoli illam acceperint ab Ecclesiâ quoad merum ministerium.*

Jurisdictio ecclesiastica à Christo ducit originem, qui eamdem S. Petro et Apostolis immediatè tradidit, quando ipsis unà cum clavibus regni cœlorum dedit potestatem ligandi atque solvendi, quæ potestas idem est ac jurisdictio; ac propterea hæc in origine est juris divini. Hæc quidem potestas, seu jurisdictio, S. Petro et Apostolis immediatè tradita fuit in ædificationem et bonum Ecclesiæ; at tradita antequàm Christus in cœlum ascenderet, et (1) antequàm ab iisdem Apostolis ipsa ædificaretur Ecclesia: ac proinde dici non potest immediate collata eidem Ecclesiæ, quæ nondùm ab illis erat ædificata, nec ita immediatè tradita Ecclesiæ dici potest, ut illam Petrus et Apostoli acceperint ab Ecclesiâ, quos ab ipso Christo eam accepisse evangelica verba testantur. Id autem multò minùs dici potest, si Ecclesiæ nomine tota Christi fidelium societas intelligatur, comprehensis etiam laicis atque mulieribus, quos omni spirituali ecclesiasticâ jurisdictione carere omnibus Catholicis certissimum est.

Hocce commentum ab hæreticis inductum, et à refractariis deinde susceptum, ut pontificum et episcoporum auctoritatem sibi infensam eluderent, plures theologi etiam ex adversariis disertissimè confutàrunt. Hinc etiam Richerianum systema, quo ecclesiastica jurisdictio primariò et propriè et essentialiter Ecclesiæ data et convenire traditur, Romano autem pontifici atque aliis episcopis ministerialiter competere, et quoad executionem tantùm; hoc, inquam, systema ab Edmundo Richerio propositum in libro de ecclesiasticâ Potestate, ut primùm in Galliis prodiit, statim in duobus provincialibus conciliis Senonensi et Aquensi reprobatum fuit, et à doctis Gallicanis scriptoribus, manifestis Scripturæ et traditionis documentis confutatum. Vide inter alios P. Dionysium Petavium lib. 3 de Hierarchiâ eccles. c. 14 et seqq. Quòd si S. Augustinus aliique nonnulli Patres alicubi affirmant, claves regni cœlorum, id est, jurisdictionem ecclesiasticam, à Christo datas fuisse Ecclesiæ in S. Petro, qui Ecclesiæ figuram gerebat; non eâ mente affirmàrunt, ac si claves seu jurisdictionem ipsi immediatè Christus non dederit, nec promiserit (quod repugnat verbis: *Tibi dabo claves*); sed duplici ratione affirmàrunt, tum quia Petro (1) unitatis et Ecclesiæ typum gerenti datæ fuerunt in bonum

(1) Ita sanè S. Cyprianus scribens in Epist. 73: « Ecclesia una est, et super unum qui et « claves ejus accepit, Domini voce fundata, » Petrum claves Ecclesiæ, seu jurisdictionem ecclesiasticam à Christo accepisse indicat, antequàm idem Christus super ipsum ædificaret Ecclesiam. Petro quidem, non autem Ecclesiæ claves à Christo traditas, ipsa Christi verba palam significant, cùm post verba: Ecclesiam meam, non dixerit EI, sed TIBI dabo claves regni cœlorum.

(1) Unitatis et Ecclesiæ figuram ac typum in Petro non esse disjungendam à jure coactivo ad unitatem, probavi in præcedenti tractatu de Vi et ratione primatûs, ibidemque præterea ostendi Christum ipsi non merum officium repræsentandæ unitatis tribuisse, sed vim præcipuam ad eam formandam continendamque in Ecclesiâ, quæ vis primatui non meri honoris et ordinis, sed veræ jurisdictionis necessaria est.

et ædificationem Ecclesiæ (neque enim illas Petrus accepit suî causâ, et propter se, at Ecclesiæ gratiâ, ut Christianis omnibus in commune prodesset); tum etiam quia voluerunt intelligi veram jurisdictionem ecclesiasticam non inveniri nisi in Ecclesiâ, et in unitate cum Petro, quem Christus catholicæ unitatis et Ecclesiæ caput centrumque constituit : quâ de re post pauca redibit sermo. Alia ratio satis congrua ex Petavio subjicietur paragrapho sequenti.

Neque verò moveant illa Christi verba apud Matthæum c. 18, v. 15, quibus Petro dixit : *Dic Ecclesiæ*. Hæc quàm malè à nonnullis afferantur ad confirmandum systema de clavibus immediatè datis universæ societati Ecclesiæ, non verò Petro et Apostolis nisi tanquàm ministris Ecclesiæ, ex toto contextu et ex perpetuâ Ecclesiæ praxi manifestum est. Agitur ibidem de correctione fratris, qui Petrum offendisset. Hunc privatim primò fraterno amore corrigendum Christus docuit. Quòd si inutiliter cedat, jussit adhiberi unum testem vel duos; et siquidem hi quoque nihil proficiant, *dic Ecclesiæ,* inquit; addensque statim : *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus*, excommunicationem apertè significavit, quâ ille præcisus ab Ecclesiæ corpore habendus sit velut ethnicus et publicanus. Ecclesiæ igitur nomine, cui denuntiandi sint criminosi, ut, si non acquiescant ejus judicio, excommunicandi sint, quinam intelligendi nisi illi qui jus clavium et ligandi solvendique potestatem acceperunt à Christo? Hos autem non fuisse totam societatem Ecclesiæ, laicis quoque feminisque comprehensis, sed Petrum et Apostolos, patet ex iis quæ mox ipse Christus subdidit : *Amen dico vobis : Quæcumque alligaveritis super terram,* etc. *Vobis*, inquit, non omnibus Ecclesiæ membris. Jure ergo S. Joannes Chrysostomus in Matth. c. 18, illa, *dic Ecclesiæ,* explicavit de præpositis Ecclesiæ (1), quibus tantùm ea clavium potestas data fuit. Ipsa praxis, quæ in Ecclesiâ universâ perpetuò fuit custodita, idipsum confirmat. Inobedientes enim et contumaces Ecclesiæ præpositis delati fuerunt, nec aliis quàm Petro et Apostolis eorumque successoribus, quibus non nudum ministerium tantùm, sed jus ipsum clavium à Christo traditum catholica Ecclesia perpetuò credidit. Hinc maneat certum hoc principium, Ecclesiæ nomine, cùm de potestate clavium et jurisdictionis ecclesiasticæ agitur, intelligi præpositos Ecclesiæ; ea item omnia, quæ jurisdictionem eamdem involvunt, cùm dicuntur proficisci atque pendere à consensu et approbatione Ecclesiæ, ex eorumdem successorum Petri et Apostolorum consensu vel approbatione vim habere : quæ animadversio non exiguum abusum vocis *Ecclesiæ* apud nonnullos adversarios non infrequentem deteget. Quare cùm S. Petrus et Apostoli eorumque successores appellati inveniuntur Ecclesiæ ministri, non idcircò hic titulus iisdem tributus intelligi potest, quasi ab Ecclesiâ acceperint potestatem clavium, quam illos non ab Ecclesiâ, sed à Christo immediatè accepisse vidimus (unde frequentiùs vocantur ministri Christi), sed quia potestas ejusmodi ipsis immediatè tradita à Christo fuit, ut in Ecclesiæ bonum eâ potestate uterentur, ipsique Ecclesiæ sacra ministrarent.

§ 2. *Eadem jurisdictio Petro et Apostolis immediatè tradita in bonum Ecclesiæ non debebat cum Petro et Apostolis extingui, sed in Petri et Apostolorum successores debebat transire, ac in istis æquè immediatè residere et permanere usque ad consummationem seculi, sicut usque ad seculi consummationem debet permanere Ecclesia, ob cujus regimen à Christo fuit instituta.*

Cùm porrò regimen Ecclesiæ, cujus causâ hæc jurisdictio S. Petro et Apostolis tradita fuit, ex Christi institutione ita futurum esset perpetuum, ut perpetua futura erat Ecclesia, jurisdictio Petro et Apostolis collata ob regendam Ecclesiam, non debebat cum illis extingui, sed ad eorum successores debebat transire. Hâc de causâ optimè Petavius, lib. 3 de Hier. ecclesiâ, c. 16, n. 8, hanc maximè congruam rationem addidit : « Cur interdùm à Patribus « antiquis non tam Petro quàm toti Ecclesiæ « communicata dicatur ecclesiastica jurisdi- « ctio : ut hoc pacto demonstrent non sic affixam « et addictam uni illi fuisse, et quasi circum- « scriptam unius personâ, ut eo sublato, etiam « illa periret, nec ampliùs in Ecclesiâ maneret. « Ergo eatenùs Ecclesiæ traditam fuisse intel- « ligunt, quòd perpetuò habet illa successores « potestatis ac dignitatis istius. Quemadmodùm « qui dicit Francorum populo regiam potesta-

(1) Hâc de causâ si S. Augustinus serm. 195, num. 2, scripsit, claves « non homo unus, « sed unitas accepit Ecclesiæ, » se explicans serm. 24 de Sanctis, al. 147, n. 2, « unitatem « omnium pastorum » in Petro significatam prodidit, propterea quòd corpori pastorum clavium jurisdictio à Christo data fuit.

« tem concessam fuisse, nihil significat aliud « nisi esse ibi semper aliquem qui regnet, et « potestatem illam non exequatur modò, sed « in se hærentem ac residentem circumferat. » Hoc quidem sensu Christus perpetuam durationem significaturus, Petro et Apostolis dixit (Matth 28. 20) : *Ecce ego vobiscum sum* (utique in successoribus) *usque ad consummationem seculi*. Eâdem itaque potestas seu jurisdictio ecclesiastica, ex Christi institutione in Petri et Apostolorum successores propagata, ad Romanos pontifices qui succedunt S. Petro, et ad alios, quos Apostoli constituerunt episcopos, quique Apostolorum successores existunt, pervenit, atque idcircò eodem divino jure his competit; ac in iisdem, qui constituunt corpus primorum pastorum, immediatè residet, ut in Petro et Apostolis residebat. Hinc autem liquet quàm iners et inane sit illud quorumdam adversariorum argumentum, qui ut probent claves immediatè non fuisse collatas Petro et Apostolis, hâc ex sententiâ sequi dictitant, ipsas claves cum eorum morte defecisse in Ecclesiâ : neque enim defecisse dicendæ sunt, quæ post illorum mortem Christo instituente in eorum successores debebant transire, et in successoribus ipsis semper manere, *usque ad consummationem seculi* (1).

§ 3. *Jurisdictio propria S. Petri ratione primatûs ipsius singularis ac personalis ea fuit, ut cæteris omnibus etiam Apostolis potestate cæteroquin æqualibus præesset non mera ordinis et honoris, sed peculiaris in ipsos juris prærogativa bono unitatis, jusque ipsi esset in omnes non distributivè solùm, sed etiam collectivè sumptos ad custodiam unitatis. Idem omninò jus competit similiter Romanis pontificibus successoribus S. Petri, ad quos idem primatus ob idem unitatis bonum jure successionis pervenit.*

Discrimen potestatis inter Petrum et Apostolos, necnon inter Romanos pontifices S. Petri successores et alios episcopos successores Apostolorum, notandum maximè est. S. Petrum et Apostolos omnes potestate pares fuisse, excepto tantùm jure proprio ac personali primatûs, qui fuit non meri honoris et ordinis, sed præcipuæ jurisdictionis primatûs, exploratum fecimus ex iis quæ, annuentibus quoque adversariis catholicis probavimus tractatu de Vi ac ratione primatûs c.2 et 3. Ex hoc autem præcipuæ jurisdictionis primatu, quem uni Petro inter Apostolos Christus tribuit, jus aliquod peculiare ipsi debuit competere, quod aliis commune non fuerit : aliàs primatûs ipsius inane nomen fuisset meri honoris, non juris. Hoc porrò jus primatûs proprium ex fine instituendi ipsius primatûs est colligendum : qui cùm ob formandam et perpetuò custodiendam in totâ Ecclesiâ unitatem fuerit institutus à Christo, jus ad hanc totius Ecclesiæ unitatem compingendam atque tuendam præcipuum S. Petro collatum fuisse dicendum est, quo omnes Christiani ad unitatem cogantur. Hoc jure S. Petrus præstabat omnibus etiam Apostolis ratione primatûs, adeò ut licet hi aliis Apostolicis facultatibus Petro essent æquales, in jure tamen cogendi ad unitatem subessent Petro, quippe qui debebant unitatem cum ipso tanquàm unitatis catholicæ centro servare necessariam Ecclesiæ, nimirùm non solùm unitatem communionis, sed etiam, imò potissimùm, fidei unitatem quæ potior est Ecclesiæ unitas; et in eamdem unitatem Ecclesias, quas ædificabant, et episcopos, quos præficiebant Ecclesiis, debebant informare, ut ostendi in memorato tractatu, cap. 12. Ita et ab Apostolis, et ab episcopis, et à cunctis fidelibus eadem unitas cum Petro tenenda erat, ac in eamdem unitatem ab omnibus exigendam jus erat Petro peculiare ratione primatûs.

Hinc porrò jus primatûs proprium istud fuit jus in omnes episcopos et fideles omnes, non distributivè tantùm sumptos, sed etiam collectivè ; neque enim obtineri potuisset finis à Christo sibi propositus in instituendo primatu, unitas scilicet totius Ecclesiæ, nisi omnes et episcopi et fideles, qui sunt Ecclesiæ membra, ad eam cogerentur. Ex his principiis de jure primatûs S. Petri clarè deprehenditur, quodnam jus peculiare Romanis pontificibus S. Petri successoribus competat ratione primatûs, qui in ipsos tantùm eâdem cum jurisdictione transivit : est enim jus in omnes totius Ecclesiæ episcopos et fideles omnes idem omninò ac fuit in Petro, inanisque cognoscitur illa quorumdam adversariorum distinctio, quâ idem pontificium jus in totam Ecclesiam ex primatu proveniens insti-

(1) Ipse primatus, licet singulari personæ S. Petri tributus à Christo, cum ejus morte non desiit, quia debebat ad successores ejus transire; vis autem primatûs in unitatem fidei, quæ Ecclesiæ est maximè necessaria, sede etiam vacante, viget in pontificiis definitionibus decretisque dogmaticis, quæ pontificibus mortuis vim suam non amittunt.

tutione divinâ, in omnes quidem episcopos et Christianos distributivè, non autem collectivè sumptos accipiendam comminiscuntur; de quâ re plura dicenda erunt cap. 4, § 3.

Ex hoc proprio primatûs jure in universam Ecclesiam, quod bono unitatis S. Petro et successoribus ejus jure divino tribuendum est, dimanant cæteræ prærogativæ jurisdictionis pontificiæ in totam Ecclesiam, quas hìc recensere non vacat, nec opus est. Ideò enim iis prærogativis et facultatibus Romani pontifices uti possunt in universâ Ecclesiâ, quia ex primatu universæ Ecclesiæ Christo instituente præpositi sunt. Id autem verum est agnoscendum non tam ex jure divino, quod divinæ institutioni primatûs annexum est, quàm ex naturali ordinis jure, quo si (1) Paulo docente inferiores quicumque subesse, et subordinati esse debent præpositis suis, multò magis summo omnium præposito atque pastori subordinati esse debent omnes inferiores Ecclesiæ pastores etiam episcopi: sublatâ enim subordinatione inferiorum pastorum ad summum pastorem superiorem suum, et omnimodâ æqualitate juris inter ipsos constitutâ, quis non videat facilem patere aditum ad dissensiones et schismata, ex quibus regimen et unitas Ecclesiæ detrimentum capiant? Quâ verò moderatione hâc summâ potestate uti oporteat, cùm potestas à Deo sit in ædificationem, non in destructionem, ad aliam disputationem pertinet, de quâ hìc mihi agendum non est, alibique dicentur plura. In rem enim præsentem de primario tantùm et radicali, ut vocant, primatûs jure statuisse sufficiat.

§ 4. *In episcopos Apostolorum successores non idem omninò jus Apostolorum transivit. Jus quod illis in initiis competebat Apostolis in universam Ecclesiam, extraordinarium fuit, quod in episcopos eorum successores non transiit: in solo autem S. Petro fuit ordinarium ratione primatûs, et idcircò competit Romanis pontificibus ejusdem primatûs hæredibus jure ordinario. Nulli episcopo nisi successoribus S. Petri competit jurisdictio in alios episcopos Apostolorum successores institutione divinâ, sed jure tantùm ecclesiastico quibusdam insigniorum sedium episcopis tributa fuit, ita ta-*

(1) Cùm ait Paulus ad Hebr. c. 13, v. 17: *Obedite præpositis vestris, et subjacete eis,* verbo *subjacete* subordinationem, quæ naturali lege ordinis æquè ac divinâ præscribitur, indicat; verbo autem *obedite,* non meri honoris externi, sed actualis jurisdictionis subordinationem cum debito obedientiæ conjunctam declarat. Cùm duo episcopi in unâ civitate facultatibus omninò pares esse non possint sine subordinatione unius ad alterum, ne ex omnimodâ æqualitate oriantur dissidia et scissuræ contra bonum unitatis Ecclesiæ necessarium; Nicænum Concilium c. 8, de Catharis statuit, ut ipsorum episcopis ad catholicam Ecclesiam accedentibus, si sint iis in locis, ubi inveniuntur episcopi catholici, presbyterii honor, aut merum episcopi nomen absque episcopali jure tribuatur, « ne in unâ civitate duo episcopi « probentur existere, » quorum neuter alteri sit subordinatus. Hanc subordinationem unitati conservandæ penitùs necessariam, suo cuique episcopo ab omnibus inferiorum clericorum gradibus præstandam S. Ignatius Martyr aliique Patres maximè commendârunt. Huic quoque subordinationi erga S. Petrum Apostolorum principem, et ex primatu jurisdictionis superiorem suum ipsi Apostoli fuerunt obnoxii et obligati, non quòd in apostolicarum facultatum usu, et in Ecclesiarum regimine iidem afflati S. Spiritu, qui charitatis et unitatis Spiritus est, possent à Petro desciscere, sed in episcoporum, qui sibi succederent, nec eodem sancto Spiritu futuri erant confirmati, institutionem et exemplum: ac propterea Gallicani episcopi ad Apostolicam sedem detulerunt, jureque damnatam agnovêre propositionem de bicipiti Ecclesiæ capite Petro et Paulo eo sensu proscriptam « et explicatam, ut ponat omni« modam æqualitatem inter S. Petrum et « Paulum SINE SUBORDINATIONE et subjectione « S. Pauli ad S. Petrum in potestate supremâ « et regimine universalis Ecclesiæ. » Enimverò si nemo dubitare potest quin S. Petrus Apostolorum omnium, ac ipsìus S. Pauli princeps fuerit veræ et propriæ jurisdictionis primatu, neque poterit ambigere quin S. Paulus superiori et supremæ potestati S. Petri fuerit subordinatus in regimine universalis Ecclesiæ. Vide quæ hâc de re notavi tractatu de Vi et ratione primatûs c. 3. Hanc eamdem S. Pauli subordinationem ad S. Petrum ex primatu debitam, quam adversarii nequeunt inficiari, nisi contra Constantiensis doctrinam primatûs jurisdictionem negent etiam in Apostolos et Apostolorum successores distributivè sumptos ex adnotatis in proœmio hujus operis; hanc, inquam, subordinationem S. Pauli ad S. Petrum satis indicâsse videtur S. Cyprianus epist. 71 ad Quintum, ubi laudans S. Petri moderationem, dùm sancto Paulo sibi in faciem resistente nihil sibi arroganter assumpsit, animadvertit eum primatum suum non opposuisse, ex quo sibi à novellis et posteris (id est, ab ipso Paulo) obtemperari oportebat. Id subordinationem inferioris superiori debitam innuit. Quòd si aliquam ipsius Petri subordinationem erga Paulum fraternâ correctione utentem in contextu indicavit, ea non est subordinatio Petri quasi inferioris Paulo, sed pertinet ad subordinationem debitam divino ac naturali juri, quod veritati et rationi legitimæ à Paulo licet inferiore propositæ ipsum Petrum consentire et acquiescere jubebat: de quâ subordinatione eidem divino ac naturali juri à summis quoque pontificibus præstandâ inferiùs plura.

men ut omnes cum successoribus S. Petri in unitatis bonum conspirent : nihilque hæc institutio ecclesiastica præjudicare potest juri S. Petri et successorum ejus, quod est institutionis divinæ.

Præstituto et explicato hactenùs præcipuo ac radicali jure primatûs Romanorum pontificum successorum S. Petri, ut aliqua dicamus etiam de jure episcoporum, qui successerunt Apostolis, non eadem omninò potestas ad ipsos pervenit, quæ in Apostolis extitit. His enim jus fuit in totum mundum, cùm æquè omnes in totum mundum missi fuerint à Christo, ut Evangelium prædicarent omni creaturæ : sic enim illis initiis utile vel necessarium erat. At cùm Apostoli episcopos certis in locis constituerint, ut iis suam curam et operam impenderent, expediret autem hos iisdem locis alligari, ipsorum jurisdictio non in totum mundum, ut Apostolorum erat, sed intra certos fines circumscripta et circumscribenda fuit ob Ecclesiæ bonum, ut quilibet suo cujusque gregi studiosiùs vacaret, juxta illud Petri I Epist. c. 5, v. 2 : *Pascite, qui in vobis est gregem Dei,* nec distraheretur in greges aliis episcopis assignatos, quod scissurarum et dissensionum seminarium esse solet non sine magno unitatis, pacis et boni publici detrimento. Quòd si ob hoc unitatis bonum, episcoporum, qui succedunt aliis Apostolis, jurisdictio certis locis alligata et circumscripta esse debebat, non idem dicendum de Romanis pontificibus, qui cùm in divinæ institutionis primatum succedant S. Petro, ex eâdem institutione divinâ ob catholicæ unitatis custodiam jus obtinuerunt in universam Ecclesiam, æquè ac obtinebat S. Petrus; nec quispiam poterat aut poterit eidem divino ejusmodi juri aliquid detrahere aut derogare. Hinc Apostolorum jus in totam Ecclesiam *extraordinarium* quodammodò fuit, quod in episcopos eorum successores non descendit, uti cum Petro de Marca alii docti Gallicani etiam adversarii appellârunt; Petri autem fuit *ordinarium*, quod unà cum primatu transivit in Romanos pontifices ejusdem primatûs et juris hæredes.

Sicuti porrò nullus Apostolorum, qui inter se potestate erant æquales, jure divino aliis Apostolis præerat nisi solus Petrus, qui ratione primatûs ex institutione Christi non tam universæ Ecclesiæ, quàm ipsis etiam Apostolis Ecclesiæ principibus peculiari jure præstabat, ita nulli quoque episcoporum, qui in Apostolorum locum successerunt, jure divino competit jurisdictio in alios episcopos nisi Romano pontifici, in quem idem S. Petri primatus divinæ institutionis descendit. Hâc quidem de causâ nulli patriarchæ, metropolitæ nulli (1) jure divino instituti sunt, quibus jurisdictio in suæ regionis aut provinciæ episcopos eodem divino jure competat; sed omnes ecclesiasticæ aut Apostolicæ institutioni sicut originem, ita et auctoritatem referunt. Cùm enim S. Petrus ejusque successores Romani pontifices nec ubique præstò esse, nec omnibus episcopis per orbem dispersis, quotiescumque opus esset, possent pro suo jure æquè et immediatè prospicere, ecclesiasticâ vel apostolicâ institutione provisum fuit, ut in singulis provinciis singuli, et alii rursùm in amplioribus regionibus majorem quàm simplex episcopatus fert, in ipsos provinciæ aut amplioris regionis episcopos haberet auctoritatem quæ soli Petro ejusque successoribus jure divino competebat; et hâc ratione, quam verissimam arbitror, jurisdictio Petri et successorum ipsius peculiaris ex institutione divinâ jure primatûs, ecclesiasticâ quodam modo delegatione aliis, qui subinde appellati sunt patriarchæ, exarchæ, vel metropolitæ, communicata fuit. Huic profectò ecclesiasticæ institutioni, et quasi delegation bono publico maximè necessariæ S. Petrum ac successores ejus aliquâ ratione consensisse dubitare non licet : nemo enim alius per se eâ jurisdictione expers, illam potuisset cuipiam communicare, eo inscio vel invito, qui eamdem solus non humano, sed divino jure obtinebat, ut notavi in Observationibus ad dissertationem 5 Quesnelli, tom. 2 editionis S. Leonis, col. 979. Quòd si Apostoli pro extraordinario apostolatûs jure in universam Ecclesiam, quod in successores ipsorum non transivit, cùm supra episcopos jurisdictionem haberent, poterant hanc aliquibus communicare; eamque reipsâ quibusdam majorum sedium episcopis communicâsse præsumantur; quandoquidem hâc in hypothesi communicâssent jurisdictionem, quæ jure ordinario ac divino uni Petro et successoribus ipsius competebat, non sine aliquo saltem tacito istorum consensu eam communicâsse dicendi essent; vel saltem sine ipsorum Petri successorum præjudicio, ne jurisdictio, quæ ordinario ac divino jure ad ipsos pertinet, detrimentum caperet.

(1) Vide S. Petri Damiani Epistolam ad Hildebrandum archidiaconum, tom. 4 Rerum Italic. col. 27, *a*.

Memorati porrò gradus hierarchici inter episcopos cum peculiari ipsorum jurisdictione constituti fuerunt in idem unitatis bonum, cui tuendo primatus S. Petro ejusque successoribus divino jure tributus fuit, ita ut hi omnes gradus in promovendam et custodiendam communionis et fidei unitatem cum S. Petri sede unitatis catholicæ centro debeant conspirare. Ipsi sunt centrum unitatis earum provinciarum vel ampliorum diœceseon, quibus præsunt; at centrum unitatis omnium est sedes Petri, cui ut omnes, qui ipsis subsunt, adhæreant, debent contendere, maximèque cavere ne quis ab eâ unitate desciscat. Hæc est explorata S. Leonis Magni doctrina, quam cohærentem cum aliorum Patrum traditione alibi fusiùs expositâ idem sanctus pontifex in litteris ad Anastasium Thessalonicensem perspicuè declaravit his verbis, epist. 14, aliàs 12, cap. 11: « Hæc connexio totius quidem corporis unanimitatem requirit; sed præcipuè exigit concordiam sacerdotum, quibus cùm dignitas sit communis, non est tamen ordo generalis: quoniam et inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis; et cùm omnium par esset electio, uni tamen datum est ut cæteris præemineret. De quâ formâ quoque episcoporum est orta distinctio, et magnâ ordinatione provisum est ne omnes sibi omnia vindicarent, sed essent in singulis provinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia; et rursùs quidam in majoribus urbibus constituti, sollicitudinem susciperent ampliorem, PER QUOS (nota scopum unitatis) AD UNAM PETRI SEDEM universalis Ecclesiæ cura confluerct, et NIHIL USQUAM A SUO CAPITE DISSIDERET. » Id intelligendum esse, ne quis præcipuè dissideret à fide capitis vi ac ratione primatûs, qui unitatem fidei potissimùm respicit, colligere licet ex ejusdem epistolâ 10 ad episcopos provinciæ Viennensis c. 1, ubi sermonem faciens de fidei prædicatione: « Hujus muneris sacramentum, inquit, ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut in beatissimo Petro Apostolorum omnium summo PRINCIPALITER collocârit, et ab ipso quasi quodam capite dona sua velit in corpus omne manare, ut exortem se mysterii intelligeret esse divini, qui ausus fuerit à Petri soliditate recedere. » Adverbium *principaliter* subjectum vocibus *Apostolorum omnium summo* ad primatum refertur; verba *autem à Petri soliditate* solidam fidem à Petro prædicatam, et in Romanâ sede depositam, quam idem Petrus ex Christi institutione fundamentum totius Ecclesiæ posuit, et semper in suis successoribus locutus est atque loquetur, eam, inquam, fidem innuunt, à quâ nemo ob necessariam fidei unitatem absque salutis periculo recedere potest.

Ex his omnibus patet episcoporum et summi pontificis jurisdictionem esse quidem juris divini, sed ita ut jus in episcopos ipsos, soli Romano pontifici competens institutione divinâ, aliis majorum sedium episcopis in suæ provinciæ aut amplioris regionis antistites ecclesiasticâ tantùm institutione communicatum sit eâ lege, ut cum eodem summo pontifice omnes unitatem communionis et fidei, quam primatûs ratio ab omnibus exigit, custodiant atque conservent, nihilque ex hâc ecclesiasticâ institutione (sicut neque ex jurisdictione divini juris ipsis episcopis competenti) præjudicii inferatur utrique unitati cum Romano pontifice ex primatu debitæ, et nulla jurisdictio majorum sedium possit huic pontificiæ auctoritati et unitati reluctari quocumque nomine, aut eam impedire. Hinc quorumcumque episcoporum jus jurisdictioni pontificiæ in unitatis bonum subordinatum ita subest, ut nihil illi possint nisi in unitate cum Apostolicâ sede, nunquàm verò contra eam unitatem. « Bono enim unitatis, ut notavit « Optatus, B. Petrus et præferri omnibus « Apostolis meruit, et claves regni cœlorum « communicandas cæteris (1) SOLUS accepit: » potestas autem ligandi et solvendi, quæ è clavium potestate pendens ecclesiasticam jurisdictionem significat, etsi cæteris quoque Apostolis ab ipso Christo tradita fuit, non tamen ita cuilibet singillatim fuit tradita, ut S. Petro, sed in commune et collectivè cum Petro, qui utique cum aliis erat, cùm Christus dixit, Matth. 18: *Quæcumque ligaveritis super terram*, etc. (2), ut omnes intelligerent episcopos Apostolorum successores nihil posse nisi in unitate

(1) Id factum ob conservationem unitatis affirmat S. Thomas lib. 4 adversùs Gentes c. 6: « Petro SOLI promisit (Christus): *Tibi dabo « claves regni cœlorum*, ut ostenderetur potestas « clavium per eum ad alios derivanda ad con« servandam Ecclesiæ unitatem. » Idem indicavit etiam S. Anselmus in cap. 16 Matth.: « Eam « potestatem (clavium) quasi uni Petro con« cessit specialiter, ut ad unitatem nos invi« taret. »

(2) Alvarus Pelagius, quem adversarii quoque maximi faciunt, lib. 1 de Planctu Ecclesiæ

cum Petro et successoribus Petri, qui *solus* claves aliis communicandas acceperat, quemadmodùm animadverterunt inter adversarios Petrus de Marca, Bossuetius atque Nicolius. Primus in dissert. de discrimine cleric. et laic. c. 3, n. 2, considerans ecclesiasticam jurisdictionem Petro promissam illis verbis: *Tibi dabo claves regni cœlorum*, et: *Quodcumque ligaveris*, etc., quæ cæteris quoque Apostolis eorumque successoribus communicata fuit, idcircò ea verba ad unum Petrum directa affirmat, « ut scirent omnes pontificii potestatem « semper cum Petri Ecclesiæ capitis communione et unitate retinendam, ad quod ipse « præcipuè cum potestate ligandi contumaces huic unitati cogere posset. » Clariùs autem Bossuetius in celebri sermone de Unitate Ecclesiæ ad Comitia cleri Gallicani anno 1681: « Discimus ex doctrinâ S. episcopi Ecclesiæ « Gallicanæ (allegat in margine S. Cæsarium « Arelatensem in Epistolâ ad Symmachum t. 1 « Conciliorum Galliæ) auctoritatem ecclesiasticam, primùm constitutam in unius personâ, non fuisse propagatam nisi sub conditione, ut revocetur semper ad principium « suæ unitatis, et quicumque eam exercendam « susceperint, omnes debeant se præstare « inseparabiliter unitos cum eâdem cathedrâ, » id est, cum Romanâ, de quâ multa statim subjicit. Nicolius tandem in articulum 9 Symboli Apostolorum part. 1, c. 2, breviùs et expressiùs idipsum declarat. Interroganti enim: « Nonne Apostoli cæteri eamdem Petri potestatem accepêre? » respondet: « Verum « est ipsos eam accepisse, sed ut eamdem « exerceant in unitate cum S. Petro. » Num si qui potestate clavium uterentur contra voluntatem Petri aut successorum ejus eâdem prærogativâ fungentium, eam exercerent in unitate ipsius Petri, an contra unitatem? Recolatur illud principium, centrum et radicem unitatis catholicæ ratione primatûs situm esse in Petro et successoribus ejus, ut unitas servetur ab omnibus, et schismatum ac dissensionum occasio eorumdem auctoritate auferatur. Nonne si quidam episcopi contra istos aliquid molirentur et auderent, aperta scissurarum causa contra bonum unitatis prodiret? Quis in hoc conflictu prævalere dicendus esset? nonne ille cui vindicandæ unitatis cura jure primatûs fuit à Christo commissa cum potestate ad ipsum finem obtinendum idoneâ? ut ex adversariorum consensu probavi, ubi de Vi et ratione primatûs c. 9. Irritum ergo et inane esse deberet quidquid alii episcopi contra hanc unitatem tentarent; illaque tantùm rata, quibus jus suum exererent in unitate cum Petro et successoribus Petri.

c. 55, id paucis explicat: « Petro ergo dictum « est sine aliis, et non aliis sine Petro, ut in« telligatur sic ei attributa potestas ejusmodi, « ut alii sine ipso non possint, ipse sine aliis « possit ex privilegio sibi collato, et concessâ « sibi plenitudine potestatis. »

§ 5. *Episcoporum jurisdictio, licet sit institutionis divinæ, subest tamen juri Romanorum pontificum, ita ut episcopales illorum facultates in bonum Ecclesiæ possint ab istis limitari et restringi quoad usum et exercitium.*

Ex hâc porrò divini juris potestate summorum pontificum supra ipsos episcopos in bonum unitatis Ecclesiæ catholicæ dimanat illa suprema potestas et plenitudo potestatis ecclesiasticæ iisdem pontificibus tributa à SS. Patribus atque conciliis, ob quam episcoporum jurisdictio tametsi institutionis divinæ (1), ita subest jurisdictioni summorum pontificum,

(1) Hæc summorum pontificum potestas eam subordinationem ipsorum episcoporum requirit, quâ inferiores jure divino ac naturali superioribus subjiciuntur. Cùm enim Deus sit Deus ordinis, ordinem inter potestates omninò servandum constituit. Ordo autem naturalis omninò exigit, ut inferiores sint superioribus subordinati atque subjecti, juxta illud Petri Epist. 1, c. 2, v. 13: *Subditi igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive regi quasi præcellenti, sive ducibus*, etc., necnon ex illis Pauli ad Romanos c. 13, v. 1: *Omnis anima potestatibus* SUBLIMIORIBUS *subdita sit; non est enim potestas nisi à Deo; quæ autem sunt, à Deo* ORDINATÆ *sunt.* En *ordinem* inter potestates à Deo ita dispositum, ut inferiores quantùmvis potestate aliquâ præditi, *sublimioribus* sint subordinati atque subjecti. Hinc inane prorsùs agnoscitur illud nonnullorum argumentum pro asserendâ æqualitate juris Apostolorum et episcoporum cum S. Petro et successoribus Petri, ductum ex illis Christi verbis ad Apostolos Joan. c. 20, v. 21: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos;* quasi Apostoli eorumque successores episcopi ita sine ullâ restrictione potestatis, sine subordinatione ullâ mittendi fuerint, uti sine ullâ restrictione Pater Christum, et Christus Apostolos misit. Hâc autem ratione primatûs jurisdictio Petri supra Apostolos, et Romanorum antistitum peculiaris supra episcopos omnes, et quævis istorum subordinatio jure divino instituta, ac primatui jurisdictionis annexa, esset excludenda: quod neque adversarii catholici admittent, qui in æqualitate potestatis ac juris inter ipsos pontificium primatum (utique jurisdictionis) excipiunt, uti ex catholico dogmate excipiendus est.

ut ab his justas ob causas in Ecclesiæ bonum tendentes moderari et restringi queat. Episcoporum quidem potestatem à Christo in Apostolis institutam, non omninò illimitatam, sed ob subjectionem et subordinationem sedi S. Petri, in quâ est potestatis ecclesiasticæ plenitudo, posse ab hâc aliquot limitibus circumscribi, notavit clerus Gallicanus in comitiis extraordinariis diei 8 maii an. 1728. Loquens enim de episcopali potestate à Christo institutâ ait : « At Jesus Christus ipse suâ institu« tione limites præscripsit huic potestati, « quam subjecit sedi Petri, in quâ posuit « plenitudinem apostolicæ potestatis. » Perspicuè Gerson in tractatu de Statibus ecclesiasticis sermonem faciens de statu prælatorum, postquàm docuit episcoporum institutionem esse juris divini, tradit eorum *statum* subesse summis pontificibus, non ita tamen quòd *illum possit Papa annullare,* sed ita ut *quoad usum et exercitium* possit potestatem illorum *limitare et arcere.* Et consideratione tertiâ : « Status « prælationis episcopalis habuit in Apostolis « et successoribus usum vel exercitium suæ « potestatis sub Petro et successoribus ejus, « tanquàm sub habente vel habentibus pleni« tudinem fontalem episcopalis auctoritatis. « Unde et quoad talia minores prælati subsunt « episcopis, à quibus usus suæ potestatis « quandoque limitatur vel arcetur : et sic à « Papâ posse fieri circa prælatos majores ex « certis et rationabilibus causis non est am« bigendum. » Similia habentur in ejusdem Gersonis dialogo de Potestate ligandi et solvendi tom. 2, part. 3, pag. 399. « Cujus po« testatis (loquitur de potestate jurisdictionis) « plenitudo residet penès summum pontifi« cem, et est in ipso tota potestativè : cæteris « verò per partes derivatur juxta determina« tionem legitimam istius fontalis et primæ « potestatis, » id est, ejusdem pontificis ; infertque hunc idcircò posse prohibere prælatis absolvere à quibusdam casibus, quod est restringere solvendi facultatem. Hunc adversariorum ducem alii Gallicani adversarii secuti paria tradidêre.

Id quidem omnes Catholici exemplis evidentibus maximèque probatis fateri coguntur. Ita, ex. gr., potestas ligandi et solvendi, quam in episcopis Apostolorum successoribus esse institutionis divinæ nemo potest negare, per reservationes quorumdam graviorum criminum potuit à pontificibus restringi ; et ita pariter intra diœceseon episcopalium fines quædam loca et personæ à jurisdictione episcoporum potuêre subduci ; quorum utrumque etsi parcè faciendum visum est, alterum verò ob irrepentes nonnullorum abusus exemptionis nomine inductos quorumdam sanctorum querelas incurrit ; pro supremâ tamen Romanorum antistitum potestate ac potestatis plenitudine ratum per sese præsumpsit Tridentina synodus, ubi de casibus reservatis et de Regularium exemptionibus statuit. Hæc nimirùm synodus sess. 14, c. 7, casuum apostolicæ sedi reservandorum facultatem refert non in consensum episcoporum, sed in supremam Romanorum antistitum potestatem his perspicuis verbis : « Meritò pontifices maximi PRO SUPREMA « POTESTATE sibi in Ecclesiâ universâ traditâ « causas aliquas criminum graviores suo po« tuerunt peculiari judicio reservare. » Quâ in re illud præsertim animadvertendum est, quòd si quæ potestas episcopis jure divino tradita videri poterat intacta relinquenda, ea procul dubio est potestas absolvendi à quibuscumque peccatis, quam sine restrictione ullâ ab ipso Christo Apostolis et episcopis Apostolorum successoribus collatam liquet. Si ergo hæc tanta ac tam illimitata potestas ita (divino utique jure) subest auctoritati pontificiæ, ut pro supremâ Romanorum antistitum potestate restringi per reservationes meritò potuerit, quidni aliæ eorumdem episcoporum facultates, cùm expedire visum fuerit, eâdem supremâ potestate moderari seu restringi similiter poterunt? Dùm porrò eadem Tridentina synodus exemptionum abusibus prospectura, locorum episcopis non omnes, sed quasdam tantùm facultates concedens, in loca et personas exemptas, eas ferè non ordinariæ ipsorum jurisdictioni concessit, sed tanquàm sedis Apostolicæ delegatis, nonne exemptiones ejusmodi ratas præsumpsit? Certè quoad exemptionum privilegium si nemo jure succensere potest duabus antiquis synodis, Carthaginensi anni 525, et anteriori Arelatensi in ipsius Carthaginensis actis laudatæ, quarum altera sibi competere non dubitavit facultatem eximendi in quibusdam capitibus à jure diœcesani episcopi monasterium Lirinense, prima verò quoddam monasterium provinciæ Byzacenæ primati Africæ addictum confirmavit ; quis in dubium revocet similem potestatem Romanis præsulibus, quibus suprema plenissima potestas in universam Ecclesiam jure divino concedenda est?

Neque verò quoad istorum auctoritatem in

moderandis vel restringendis episcoporum facultatibus vetustiora desunt exempla. Nihil apud adversarios frequentiùs ingeritur, quàm episcopos jure divino esse judices in controversiis fidei. At nonne S. Petrus Chrysologus suam sententiam rogatus ab Eutyche in materià ad fidem pertinente, se excusavit rescribens (epist. 25 inter Leoninas) : « Nos enim pro studio pa« cis et fidei extra consensum Romanæ civi« tatis episcopi causas fidei audire (seu ex « Græco *dijudicare*) non possumus. » Hæc manifesta restrictio est juris episcopalis, cujus similem Ægyptii allegârunt in concilio Chalcedonensi act. 4, « ut nihil absque ipso (anti« stite Alexandrino) ageretur ab aliquo subja« cente episcopo. » Vide nostram annotationem in recitatum Chrysologi locum. Divino quoque jure pertinere ad episcopos conferre sacros ordines iis qui regimini suarum Ecclesiarum utiles, et multò magis si necessarii sint, quis ignorat? Africanæ autem Ecclesiæ sub finem quarti et initio quinti seculi magnâ sacrorum ministrorum laborabant penuriâ, adeò ut multæ earum plebes essent desertæ, nec unus saltem diaconus alicubi reperiretur. Provideri huic necessitati poterat partim recipiendo in suis gradibus eos qui è Donatistis ad catholicam unitatem revertebantur, partim verò promovendo ad ordines saltem illos qui apud Donatistas baptizati in infantiâ, rationis usu præditi ad catholicam redierant. Duo autem interdicta Romanorum antistitum in transmarino concilio edita obstabant, unum quod memoratur in synodo Carthaginensi anni 401, Id. septembris, « ut ordinati in parte Donati, « si ad catholicam correcti transire voluerint, « non suscipiantur in suis honoribus; » alterum indicatum in aliâ synodo Carthaginensi anni ejusdem 16 kal. julias, ne infantes Donatistarum ad Ecclesiam redeuntium ad ordines promoverentur. Vide codicem canonum Ecclesiæ Africanæ can. 57, ejusque procemium, ubi traditur decreta legatio ad papam Anastasium, et Venerium Mediolanensem, uti necessitate expositâ ad ordinationem infantium dispensatio peteretur, *quia ab his sedibus hoc fuerat prohibitum.* Hæc duo interdicta restrictionem potestatis episcopalis evidentissimam præferunt; quam cur Africani non uni Romanæ, sed Mediolanensi etiam sedi tribuant, explicandum est, ut appareat Romanæ auctoritatis in ipsis episcopalium facultatum restrictionibus præcipuam habitam fuisse rationem. Concilium transmarinum, in quo à memoratis sedibus ea interdicta manaverant, non aliud fuisse quàm Capuanum anni 391, probabilissimum est. Hæc synodus coacta potissimùm ob extinguendum celebre schisma Antiochenum. Ut expetita ab omnibus et maximè necessaria restitueretur Antiochenæ Ecclesiæ unitas, non solus S. Ambrosius, qui à Theodosio Magno plurimi habebatur, sed et summus pontifex apud eum imperatorem egerunt. Captum tandem consilium de convocando Capuæ concilio. Cùm mos olim non esset ut episcopi Romani extra urbem ad concilia accederent, S. Ambrosio præcipuam curam fuisse commissam, eumdemque forsitan ipsius Romani episcopi vices quasdam gessisse satis credibile est. Etsi verò idem Ambrosius omnium quidem actorum moderator et quodammodò auctor habeatur, summi tamen pontificis auctoritatem in iisdem gestis potissimùm valuisse, ipsumque S. Ambrosium eidem auctoritati summam vim detulisse patet ex ejusdem epist. 9 ad Theophilum. Capuanæ enim synodi Patres in causâ indicati schismatis, quæ ab ipsis terminari non potuit, totius negotii cognitionem et examen Theophilo aliisque Ægypti episcopis ita demandârunt, ut de gestis hujus examinis referrent « ad S. Fratrem no« strum Romanæ sacerdotem Ecclesiæ (sunt « ipsius Ambrosii verba), ut cùm id gestum « esse compererimus, quod Ecclesia Romana « haud dubiè comprobaverit, læti fructum « ejusmodi examinis adipiscamur. » Cur non ad Mediolanensem, sed ad Romanam solam sedem relatio decreta, nisi quia hujus auctoritas ab Ambrosio aliisque Capuanis Patribus maximi habita, ac si ad ipsam referre de examine, quod ab iisdem fuerat commissum Ægyptiis, sit referre ad eam, cujus solius auctoritas in Capuano occidentali concilio ita præstabat, ut cùm sola ob universalem primatum in patriarchales etiam Orientis Ecclesias verum jus haberet, ejus solius comprobatio ad Antiochenum dissidium extinguendum crederetur sufficere? Hujus quidem sedis auctoritas id obtinebat, ut decreta etiam in frequenti Romanâ synodo constituta solius ferè pontificis nomine inscriberentur, quod unus pro omnibus ad vim decretis gignendam valeret. Hinc quoque cùm Orientales Apollinaris atque Timothei depositionem petierunt ab Occidentalibus, quos S. Basilius generatim memorat, eam à Damaso pontifice bis petiisse (*à me denuò postulâstis*) affirmat idem pontifex epist. 14 apud Coustantium num. 3, idque *ut debitam Apostolicæ sedi reverentiam præstarent*, ex eju-

dem epistolæ num. 1, quæ verba potiorem hujus auctoritatem significant.

Expressiùs verò Africani hanc potiorem Romanæ sedis auctoritatem declarârunt, cùm ob memorata transmarinæ synodi interdicta decrevêre, ut « litteræ mittantur ad fratres et « coepiscopos nostros, et MAXIME (nota hoc ad- « verbium) ad sedem Apostolicam (ad eam « scilicet sedem), unde nobis auctoritas præstò « est, » ut jamdiù ante Tertullianus Afer scripserat. Cæteri enim licet magnarum urbium Occidentis episcopi, nullum per se jurisdictionis titulum in Africam obtinebant, nisi quatenùs uniti Romano antistiti in aliquâ synodo unam cum eo sententiam ferebant. In eâ autem, quam exposuimus, animarum necessitate, nonne potuissent Afri providere suis plebibus ex Donatistis conversis, nihil obstantibus interdictis synodi transmarinæ, à quibus ipsa necessitas justam dispensationis causam præbebat? Ita quidem egissent, qui hanc restringendi facultatem Apostolicæ sedi denegâssent. Sed Africani hoc jus eidem competere non ignorantes, etsi magnis premerentur angustiis, nihil ausi sunt ipsis interdictis contrarium facere, nisi priùs missis legationibus transmarinam Ecclesiam, et MAXIME Romanam sedem consulerent. Qui autem vel in maximâ clericorum inopiâ conversos ex Donatistis ordinare noluerunt, *ne interdictum in transmarinis partibus factum dissolverent,* nisi priùs eorum, qui interdictum sanxerant, et MAXIME Romanæ sedis consensum obtinerent, nonne legitimam profectò interdicendi, seu restringendarum facultatum episcopalium potestatem agnoverunt?

§ 6. *Hæc limitatio ac restrictio, licet versaretur circa facultates episcoporum, quæ in origine sunt juris divini, quomodò referatur, ac referenda sit ad materiam disciplinæ, et ad jus ecclesiasticum.*

Supremæ pontificiæ potestatis plenitudinem, cui episcopalium facultatum modus et exercitium subjicitur, aliâ animadversione clariùs forsitan explicare et confirmare libet. Jurisdictio, prout distinguitur à potestate ordinis, absque subditis in quos exeratur, sterilis est, omnique usu et exercitio caret. Hinc designatio et attributio subditorum, seu regionis, aut diœcesis, in quâ episcopale jus exerceatur, ad jurisdictionem actualem est necessaria : et qui subditos episcopo aut diœcesim assignat, is episcopo jurisdictionis ejus, quæ in origine est institutionis divinæ, usum et exercitium tribuit. Romanorum pontificum jus in totum orbem, ipsaque totius orbis subjectio ex Christi institutione ac jure primatùs iisdem, ut vidimus, competit. Eadem verò jurisdictio etsi aliis quoque Apostolis in universum mundum à Christo missis extraordinario jure communicata, ut illis in initiis opus erat, soli tamen Petro et successoribus ejus competit jure ordinario ex institutione divinâ, cui nulla ecclesiastica institutio derogare quidpiam potest, ut paulò ante observavimus. Porrò, sicut designatio subditorum hujus vel illius regionis aut provinciæ, quæ patriarchis, exarchis aut metropolitis attributæ fuerunt, non pendet à divino jure, quia Christus ejusmodi partitionem aut designationem non instituit, sed pertinet ad institutionem ecclesiasticam, quippe quòd eam partitionem ac designationem Apostolis eorumque successoribus Christus reliquit, ita etiam diœceseon episcopalium institutio, subditorumque designatio, quæ Christum non habuerunt auctorem, ac propterea jurisdictio episcopalis, quæ in origine est juris divini, quoad designationem attributionemque diœcesis ac subditorum, et quoad actualem ipsius jurisdictionis facultatumque episcopalium usum in subditos, qui ab earumdem diœceseon attributione dimanat, ecclesiasticæ institutioni referenda est, et eatenùs pertinet ad disciplinam, cujus materies variare, mutari, augeri, vel restringi potest, prout expedire judicetur ab iis qui superiori in eas diœceses auctoritate fruuntur. Cùm scilicet episcopalis potestas in bonum Ecclesiæ instituta fuerit à Christo jure divino, si in idem bonum expediat episcopalium facultatum usum et exercitium moderari vel restringere, hæc moderatio vel restrictio, quæ publicum Ecclesiæ bonum a Christo præcipuè intentum respicit, iis procul dubio attributa dicenda est, quibus eas diœceses et subditos designare, atque huic vel illi episcopo attribuere, eumque episcopalium facultatum usum et exercitium, quod Ecclesiæ esset utile vel necessarium, præfinire ab ipsomet Christo relictum fuit, ut ne divinæ institutioni episcoporum quidquam detractum credatur, cùm ejusmodi moderatio seu restrictio non versetur circa id quod in episcopis est originis ac institutionis divinæ, sed circa id quod à Christo Apostolorum et Ecclesiæ præpositorum dispositioni relictum, à jure ecclesiastico proficiscitur, et ad disciplinam refertur.

Si verò hanc potestatem nemo negaret Apostolis, qui in universum orbem missi à Christo extraordinario jure jam explicato, § 4, fruebantur; nemo, inquam, hanc potestatem ipsis negaret, siquidem in episcopales diœceses, et facultates episcopis tributas pro varietate circumstantiarum, et Ecclesiæ bono moderationem, aut restrictionem aliquam inducendam putàssent : quis eamdem potestatem negare poterit successoribus S. Petri, qui jure eodem, sed ordinario in totum mundum à Petro manante primatûs causa potiuntur; eàdemque de causâ (utique institutionis divinæ) in omne jus aliorum Apostolorum extraordinarium, Petri autem ordinarium ita succedunt, ut ei per sese nulla potuerit aut poterit ecclesiastica institutio derogare? Nullus, credo, ex adversariis catholicis in dubium vocabit antiquissima provincialia concilia potuisse episcopalium facultatum usum præfinire, moderari, vel restringere, prout bono publico expedire videbatur. Jus quidem antiquarum synodorum, quæ ferè fuerunt particularium provinciarum, vel regionum ampliorum, ita illi legitimum habent, ut ad harum normam nostri quoque temporis disciplinam revocandam contendant. Ratio veri et proprii earum juris alia non est, nisi quia eadem concilia, licet particularia, non autem œcumenica fuerint, cùm tamen ejusdem provinciæ vel regionis antistitibus jurisdictione præstarent, poterant ipsis eum episcopalium facultatum usum præscribere vel mutare, qui utilior esset, et in ædificationem Ecclesiæ conferret. Hoc jus si tribuitur conciliis particularibus, quæ solo jure ecclesiastico toti provinciæ vel regioni, ejusque episcopis jure divino in origine institutis præsident; quantò magis concedendum successoribus S. Petri, qui omnibus episcopis, ipsisque particularibus synodis præsunt jure divino? Poterunt ergo et hi, si ex varietate circumstantiarum expediat, in ædificationem Ecclesiæ episcoporum facultates moderari, vel etiam restringere. Ex his autem omnibus facile est intelligere, quo æquo sensu jurisdictio episcoporum, quæ quoad institutionem à jure divino provenit, à jure simul ecclesiastico quoad subditorum ac diœceseon designationem, et quoad facultatum episcopalium moderationem et exercitium dependeat, et Petro ac successoribus ejus Romanis pontificibus aliquatenùs subsit : quod si adversarii, suum antesignanum Gersonem sequentes, non inficientur, licet verbis videantur discrepare, nobiscum reipsà convenient.

Nolui hoc loco contendere, quonam sensu intelligenda sint illa Patrum et antiquorum pontificum testimonia, quibus claves per Petrum ipsis Apostolis communicatas, et episcopatum à Petro et per Petrum originem ducere pronuntiantes, episcopalem jurisdictionem à Petro et Petri successoribus in alios dimanare, videntur innuere. Sententiam enim de supremâ et plenâ istorum potestate supra episcopos ex minùs certâ et controversâ interpretatione nolim pendere et arguere. Dùm episcoporum jurisdictio seu auctoritas, quæ juris divini negari non potest, pontificiæ subordinata et subjecta concedatur quoad subditorum designationem, et quoad episcopalium facultatum exercitium atque limitationem, ut adversarii ex constitutis concedant oportet, satis mihi nunc est, quocumque modo explicanda sit ejus origo et propagatio.

CAPUT II.

DE JURE ROMANORUM PONTIFICUM ET GENERALIS CONCILII. NUM ALTERUM ALTERI PRÆSTET IN MATERIA FIDEI.

§ 1. *Num Romani pontificis definitio, si præcessit ipsum concilium generale, cogat Patres concilii, ita ut non possint ab eâ dissentire; et quatenùs episcopi sint in conciliis judices, etiamsi eidem definitioni unitatem et consensum debeant præstare.*

Nunc veniamus ad concilia generalia, in quibus et summi pontificis et episcoporum intervenit et concurrit auctoritas. Ut autem clariùs decidatur quæstio, quodnam sit jus Papæ et episcoporum in ejusmodi synodis, et utrùm generalis synodus auctoritate præstet summo pontifici, an è contra, distinguendum est. Vel enim agitur de materiâ fidei, vel de negotio disciplinæ. Si de primo agatur, iterùm est distinguendum. Vel enim in materiâ controversâ ad fidem pertinente edita præsumitur ante concilium Apostolicæ sedis propriè dicta definitio, vel non. Si sermo sit de fidei definitione à summo pontifice editâ ante convocationem aut definitionem generalis concilii, ex principiis jam constitutis ubi de vi et ratione primatûs, decisio manifesta est. Cùm enim ea pontificis definitio per sese ad unitatem cogat omnes fideles et universam Ecclesiam, si præsertim (1) infallibilitatis privilegio gaudeat, uti

(1) Bossuetius quidem in dissertatione prævià Defensioni Declarationis, sententiam illius, qui sit infallibilis, neque generali concilio

eam gaudere probavi in loco citato, cap. 15, coget etiam ad assensum et unitatem omnes generalis concilii Patres. Adversarii catholici, quibuscum agimus, si concedant præstituta principia, ut ex ipsorum sententiis ea comprobavi in supra dicto loco, potissimùm c. 14, cohærenter loquentes non poterunt repugnare, et quæstionem movere in hàc thesi, quæ exinde fluit, nisi concessis principiis contradicentes, secum ipsi pugnent.

Neque verò his refragatur, sed potiùs suffragatur quammaximè primæ Hierosolymitanæ synodi exemplum. In eâ S. Petrus primus omnium sententiam tulit; alii autem omnes eamdem amplexi, unam cum eo definitionem edidêre. Idem dicendum de Romanis pontificibus, qui eâdem, quâ Petrus, definiendi potestate atque auctoritate fruuntur. Si nimirùm in fidei quæstionibus eorum præcedat definitio, cum eâ omnes concilii Patres ita debent concinere, uti Hierosolymitanæ synodi Patres cum Petri sententiâ convenerunt. Omnes quidem definitiones pontificiæ in materiâ fidei inveniuntur semper receptæ à conciliis verè œcumenicis, nullæ rejectæ. Quòd si quandoque ad novum examen res deducta fuit in conciliis, id factum non cum libertate dissentiendi, sed ut novâ discussione dissentientes aut dubitantes ad unitatem debitam revocarentur. Vide præcedentem tractatum de Primatu, c. 13, § 13, et conferre pariter juverit § 11, sub finem. Excitati sanè nonnunquàm non exigui tumultus per eos qui errori ab Apostolicâ sede prædamnato favebant; sed semper ratum est habitum, quod à summo pontifice fuerat definitum; et qui definitioni noluerunt acquiescere, inter hæreticos recensiti. Adde quòd pauci semper fuerunt, qui repugnârunt definitioni pontificiæ, præ illis qui acquieverunt et præstiterunt debitam obedientiam atque unitatem; neque ex illis paucis à capite et centro unitatis catholicæ dissidentibus, qui non poterant dici aut haberi generale concilium, jus generalis concilii supra Papam colligere licet. Quòd si etiam complures contra apostolicam definitionem conspirarent (quod nonnisi per dolum aut vim posset accidere), nemo his œcumenicæ synodi nomen et jus posset attribuere, sed pseudo-synodi et conciliabuli, uti Ariminensi et pseudo-Ephesinæ synodis evenit, quæ sanè nullum habuerunt jus in summum pontificem, aut in episcopos eidem adhærentes, qui ex unione cum capite et centro unitatis generalis concilii titulo ac jure potiri poterant.

Atqui, inquies, si Patres in conciliis etiam generalibus sequi debent definitionem fidei, quam antea Romanus pontifex edidisset, quomodò ibidem erunt veri judices, uti eos esse nemo inficiari potest? Quidni? Num judicis ratio in libertate dissentiendi collocanda est, ita ut cum obligatione assentiendi stare non possit? Nonne episcopi in Chalcedonensi judices fuerunt, tametsi Leonis definitioni in Eutychis errorem antea editæ, et ab episcopis tum Orientis tum Occidentis subscriptæ, et ita catholicæ Ecclesiæ non solùm tacito, sed etiam expresso consensu approbatæ, ex nostrorum quoque adversariorum sententiâ assentiri opus esset? Nonne judices itidem egerunt illi totius orbis episcopi, qui post Chalcedonensem definitionem utique peremptoriam, Leone imperatore postulante, novum judicium protulêre litteris, quæ in codice encyclico continentur? Nonne judices haud dubiè fuerunt Apostoli et seniores in Hierosolymitano concilio, cùm omnes in S. Petri sententiam transierunt, ut notavit S. Hieronymus, etiamsi idem S. Petrus Spiritu sancto certissimè afflatus, controversiam ante omnes definierit eâ utique sententiâ, contra quam licitè nemo catholicus poterat reluctari? Nonne (ut alia omittam) in ipso Tridentino concilio veri judices fuerunt episcopi quoad ea quoque fidei decreta, quibus damnârunt hæreses à novatoribus repetitas, et pluries etiam antea damnatas, etsi nemo de justâ illarum condemnatione posset ambigere? Si adversarii non negent, episcopos in hisce circumstantiis fuisse veros judices, licet de definitis antea non possent dubitare, vel ab iis dissentire, non ergo judicii propriè dicti in materiâ fidei essentiale est, ita posse episcopos in utramlibet partem sententiam ferre, ut si id quandoque non possint licitè, veri judices nec sint, nec haberi queant. Non inficiandum episcopos posse, imò etiam debere dissentire à definitione, si eam doctrinæ fidei contrariam cognoscerent. At cùm hæc hypothesis in memoratis circumstantiis sit omninò falsa (certum quippe est et S. Petrum Spiritu sancto afflatum, et definitiones in generalibus conciliis editas, seu comprobatas, vel episcoporum subscriptionibus atque consensu receptas errori obnoxias esse non posse); falsum pariter est episcopos in dictis circumstantiis, in quibus judices agebant, potuisse ab iisdem definitionibus dissentire, perinde ac

subesse fatetur. *Infallibilem, quâ quidem in re talis est, cuiquam subesse nefas.*

si judicii ratio dissentiendi potestatem semper requirat.

Idem est de fidei definitionibus Romanorum pontificum, quos « ex Christi pollicitatione « Petro factâ (ita à Deo dirigi) ut ipsorum ju- « dicia pro sanciendâ regulâ fidei DIVINA æquè « ac SUMMA auctoritate nitantur, cui Christiani « OMNES ipsius quoque mentis obsequium præ- « stare tenentur, » testati sunt tres ac triginta episcopi Galliæ in litteris ad Innocentium X an. 1653, Gallicani, qui ita credebant, dùm in recipiendâ definitione apostolicâ judices egerunt, ut adversarii cum Bossuetio contendunt; judicii utique rationem cum potestate ambigendi vel dissentiendi connexam non judicârunt. Numquid enim liberum ac licitum credere poterant dissentire vel dubitare *de judicio divinâ æquè ac summâ auctoritate,* necnon *Christi pollicitatione nixo?* Egerint quidem illi in recipiendâ definitione, de quâ tunc agebatur, tanquàm veri judices, non tamen independentes, sed subordinati, eâ scilicet *hierarchicâ subordinatione*, cujus iidem Gallicani antistites meminerunt in aliis litteris ad episcopos regni in eodem negotio scriptis. Hæc autem subordinatio, dùm juris æqualitatem inter inferiorem et superiorem excludit, cùm generatim efficit, ut inferior, qui superiori judici est subordinatus, nequeat contra istius judicium legitimam ferre sententiam; tum multò magis efficit, ne id possint episcopi subordinati summo pontifici, cui cùm Christus in finem custodiendæ unitatis præsertim in fide idoneam auctoritatem dedit, ut in dissensionibus circa fidem definitionem ederent, quæ omnes obligaret ad unitatem atque assensum; episcopis profectò etiam judicum personam post pontificiam definitionem gerentibus, eam solam potestatem dedisse credendus est, ut in eumdem unitatis finem cum pontificis judicio conjungerentur, non verò ut contrariam ferentes sententiam, unitati obicem ponerent, et unitatis centrum in Romanâ auctoritate à se constitutum desererent. Hoc sensu memorati episcopi Galliæ in laudatis litteris ad episcopos regni scripserunt, se ita recepisse apostolicum judicium, « cui per UNITATEM Christiani epi- « scopatûs hierarchicâ SUBORDINATIONE colligati « erant (nota *hierarchicæ subordinationis* de- « bitum in bonum unitatis) ut meritò credide- « rint propositionum condemnationem UNA « CUM EO (Romano pontifice) à se quoque esse « prolatam et pronuntiatam, » eo nimirùm mentis obsequio, quod etsi ab ipsis episcopis, etiam cùm judices agunt, *divinæ æquè ac summæ auctoritati Christique pollicitationi nixæ*, hierarchicâ subordinatione *præstandum est*, non tamen idcircò judicii rationem exuit vel excludit. Et jure quidem.

Judicium enim propriè dictum tunc fertur, cùm quis ex causæ cognitione sententiam pronuntiat; fertur autem sententia ex causæ cognitione etiam post auditum summi pontificis judicium, cùm habito sufficienti materiei controversæ et momentorum examine, illud judicium cum veritate convenire dignoscitur et judicatur; tametsi alio nomine, ex. gr., ob prærogativam primatûs atque ob debitam fidei unitatem ad assensum cogat. Quòd si expendamus accuratiùs quænam causæ cognitio sufficere possit ad ferendum judicium seu definitionem fidei, inveniemus satis esse cognoscere, num sententia aliqua conveniat necne cum traditione Ecclesiæ catholicæ. Cùm verò traditionem omnium Ecclesiarum inquirere nimis longum et ferè impossibile sit, S. Irenæus in celebri textu quem fusè explicavi in præmisso de Primatu opere c. 13, § 1, et quem ipsi Gallicani adversarii laudant, satis esse duxit ad veritatem catholicam discernendam et ad hæresim dijudicandam cognoscere Romanam traditionem. Hanc autem cùm exhibeant definitiones Romanorum pontificum, in quibus S. Petrus loquitur, et explicatur Romanæ Ecclesiæ fides, judicium fidei satis idoneum feretur ab his qui sententiam, de quâ sit controversia, catholicam, si cum definitione pontificiâ concordem; secùs verò à catholico sensu judicent alienam, si discordem inveniant. Hoc quidem judicii genere usi Gallicani episcopi in Eutychis causâ scribentes ad S. Leonem pontificem, nonne ex concordiâ cum definitione ejusdem pontificis suarum Ecclesiarum doctrinam judicârunt veram atque catholicam; Eutychianam verò ex discordiâ jure damnatam suo quoque calculo comprobârunt? Hæc ab iis potissimùm animadvertenda sunt, qui credunt non agere tanquàm judices eos episcopos, qui Apostolicis definitionibus acquiescentes, aliud examen ad ferendam sententiam necessariam non arbitrantur. « Quæ ratio si quid valeret » (inquiunt Gallicani in comitiis Parisiensibus anni 1728, diei 8 Maii), « nullum esset ampliùs generale con- « cilium, cujus decreta similiter impugnari « non possent, cùm à pontifice antea fuissent « proposita : semper enim dicerentur plerique « episcopi ipsis subscribentes non aliud fecis-

« se, nisi submittere se auctoritati, quam in« fallibilem judicant. »

Præclarè admodùm D. Fenelonius archiepiscopus Cameracensis in epistolâ, seu instructione pastorali diei 20 aprilis anni 1715, explicat quâ ratione assensus episcoporum pontificiis definitionibus adhibitus et adhibendus judicii naturam induat, exemplisque subscriptionum, quæ generalis concilii decretis pariter subjiciuntur, confirmat. « Judicare post judi« cium pontificis est suum judicium cum pon« tificio conjungere. Hâc ratione episcopi « olim subscripserunt ipsorum conciliorum « generalium decretis. Eorum submissio erat « judicium, et eorum judicium erat submis« sio. Subscribentes sese submittebant simul « et confirmabant decisionem synodi. Id constat ex actis, et ex his aliisque similibus subscriptionum formulis. « Judicans subscripsi ; « recognoscens consensi... Obtemperans sen« tentiæ sanctissimorum et beatissimorum « episcoporum..... consentiens et ego sub« scripsi. Cognoscens discussionem sanctorum « Patrum, et cùm sequi debeam eorum judi« cium, subscripsi, » etc. Si in conciliis judicant episcopi tunc etiam, cùm *obedientes* subscribunt definitioni, quam *sequi debent*, quidni eadem judicii ratio habebitur, cùm in iisdem conciliis Patres definiunt quod antea definivit summus pontifex, quamvis sequi debeant ejus judicium? Quòd si quidam inter hos non ex intrinseco causæ et momentorum examine, sed ex auctoritate pontificiâ atque ex debito unitatis et obedientiæ consentientes, ferrent sententiam, nonne rationes, quæ ad hujusmodi consensum movent ex primatûs fine, et ex Christi institutione atque promissis, necnon ex traditione Patrum, quibus unitatis debitum et inerrantiam pontificiam in definitionibus tractatu præcedenti statuimus, certum et dogmaticum propriè dictum judicium eliciunt? Hoc sanè si extra occasionem concilii vel per adversarios sufficere dicendum est ad statuendum tacitum illum Ecclesiæ dispersæ consensum, quem judicio œcumenicæ synodi æquivalere, et æquè cogere omnes Christianos fatentur (episcopi siquidem in totâ Ecclesiâ dispersi non ob alias ferè rationes pontificiis, quæ extra concilium generale eduntur, definitionibus assentiuntur et parent), haud video quomodò in concilio œcumenico judicium ejusmodi insufficiens judicari queat.

§ 2. *Quid dicendum cùm generali concilio nulla præcessit pontificia definitio.*

Si porrò agatur de quæstione fidei, quam ante concilium non definierit Romanus antistes, quid sentiendum, si qua inter concilii Patres et summum pontificem oriretur dissensio? Contingere quidem potest ut in discutiendis ante definitionem momentis, et in veritate inquirendâ multi et plures concilii Patres aliter atque aliter opinando discrepent et inter se, et ab ipso Romano pontifice. At quoad discutiendo et inquirendo dissentiant, ac definitio nullâ ex parte proferatur, erit hæc dissensio opinionis, non definitionis, nec fidei : nec quisquam utrinque alterum coget ad assensum, cùm coactio ex definitione editâ atque Ecclesiæ propositâ oriatur. In ejusmodi dissensionibus, quæ ex difficultatibus hinc inde ingestis, dùm veritas quæritur, provenire solent, illud ferè accidit, ut definitio differatur, quoad veritas manifestè elucescat. In definiendo autem nunquàm factum est, et nunquàm fiet ut concilii generalis Patres aliter circa fidem definiant, aliter Papa : ac proinde in hypothesi, quæ nunquàm fuit aut erit, imò nec esse potest, non est laborandum. Dixi, *nunquàm fuit* (1), in generali scilicet synodo liberâ, ut excludantur pseudo-synodi, in quibus fraus, seu vis et metus dominetur, ut de Ariminensi et pseudo-Ephesinâ diximus, quæ generalis concilii nomen et vim nequeunt obtinere. Addidi, *nec esse potest*. Sicut enim fieri nequit ut Petri ac successorum ejus fides vel momento desinat esse illa *petra*, cui bono unitatis ex Christi institutione tota Ecclesia catholica, seu totius catholicæ Ecclesiæ fides superstructa, in unitate ejusdem fidei debet consistere, ita fieri nequit ut eadem Ecclesia et episcopi catholici, saltem plerique, desciscant ab eâ petrâ, et ab unitate fidei Petri ac successorum ejus dissentiant sive in concilio, sive extra concilium, cùm institutionem Christi nec Ecclesia, nec episcopi catholicæ Ecclesiæ infringere vel mutare, aut deserere unquàm possint. Semper itaque generalis ac liberi concilii Patres, qui

(1) Inepta hoc loco, ubi de definitionibus fidei agimus, esset oppositio ex quintâ synodo, quæ si separatim à Vigilio judicium suum protulit, non tamen discordia fuit unquàm in substantiâ fidei, sed in quæstione de personis tantum ; et in hâc ipsâ quæstione Patrum ejusdem concilii decreta vim generalis synodi non habuère, nisi postquam Vigilius, qui priùs dissentiebat, peremptorio judicio consensum præbuit. Vide librum de Primatu cap. 15. § 10.

unà cum capite legitimè adunati universam Ecclesiam repræsentant, si non omnes, saltem plerique in definiendo conspirabunt cum definitione summi pontificis : et si qui pauci dissentiant, horum judicium extra petram et centrum catholicæ unitatis, imò contrarium unitati fidei, quæ Apostolicæ sedi debetur, nullo jure coactivo gauderet, jurisdictione nullà, quæ solùm habet locum et vim in unitate cum Petro, et cum successoribus Petri, ut in eam unitatem conspirent et conferant, non verò contra unitatem, quemadmodùm statui cap. 1. Hæc ex præmissis certa.

Cùm adversarii vim et auctoritatem in summum pontificem tribuunt definitionibus fidei, quas episcopi congregati in generali synodo ante sententiam ipsius pontificis ederent, idcircò tribuunt quia censent dogmatica ejusmodi decreta tametsi pontificio suffragio carentia, verè esse et vim habere decretorum concilii œcumenici. At hæc ipsorum hypothesis falsissima est. Concilium enim verè œcumenicum, quod ex totâ Ecclesiâ convocatum, repræsentat universam Ecclesiam, non ex solis Ecclesiæ episcopis constat, sed ejusdem Ecclesiæ caput Romanum antistitem requirit, idque non ob meram ejus materialem præsentiam, sed præcipuè ob directionem et auctoritatem, quæ sine assensu et vi coactivâ ejusdem intelligi nequit. Vide quæ in hanc rem animadvertentur cap. 4, § 2, necnon addenda cap. 6, § 2 et 3. Hâc de causâ sicut generalis concilii definitionem non constitueret præcedens solius Papæ sententia, nisi episcoporum quoque suffragia cum ipsius definitione jungerentur ; ita nec istorum concors licet decretum dogmaticum ante pontificis approbationem editum sufficeret ad constituendum propriè dictum œcumenici concilii judicium, quod ex concordi episcoporum et capitis judicio coalescit, et vim ejusdem synodi propriam obtinet. Certè si in materiâ disciplinæ decreta cujuscumque frequentissimæ synodi, quibus desit pontificia approbatio, vim non habuerunt nec habere poterant generalis concilii, nec coegerunt, nec cogere poterant summum pontificem, uti capite quarto probabitur latiùs, idipsum multò magis dicendum de sanctionibus in materiâ fidei, in quâ fides à concilii Patribus definita, nisi concordiam præferat cum fide successorum S. Petri, nequit dici illa *petra* Ecclesiæ, quæ in Romanæ sedis fide à Christo constituta, est fundamentum illud, cui totam Ecclesiam adhærere et incumbere necesse est, ut in tractatu de Vi primatûs demonstravi. Negari quidem nequit, quin episcopis in generali concilio definientibus conveniat illud prolatum in Hierosolymitanâ synodo (Act. Apost., c. 15, v. 28) : *Visum est Spiritui sancto et nobis :* at id ipsis non convenit, nisi in eo concilio episcoporum sententiæ ita conspirent cum sententiâ summi pontificis, uti Apostoli atque seniores in Hierosolymitanâ synodo conspirârunt cum S. Petri sententiâ. Neque dicat quispiam : Cùm Ecclesia catholica sit columna et fundamentum *veritatis*, nonne columna pariter et fundamentum veritatis haberi debent generalia concilia et Patres, qui in generali concilio universam Ecclesiam repræsentant? Ea enim prærogativa, sicut convenit Ecclesiæ, quatenùs fundata et ædificata est super eam « petram, quam, ut ait Augustinus, « non vincunt superbæ inferorum portæ, » ita non aliter ipsis œcumenici concilii Patribus convenire potest. Hinc ad eos, qui etiam in generali synodo non ædificarent super ipsam petram, seu in unitate fidei Petri et Apostolicæ cathedræ, ea prærogativa et Christi promissiones non pertinerent, cùm Christus priùs de Petri fide dixerit : *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, ac dein promiserit : *Et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*, id est, adversùs eam petram, sive etiam (si velis) adversùs eam Ecclesiam, quæ tamen super illam petram fidei ædificanda, ipsi tanquàm fundamento et unitatis centro debebat incumbere et adhærere.

Infallibilitas definitionum et doctrinæ fidei, quam Christus promisit Ecclesiæ docenti, seu episcopis docentibus Ecclesiam, cùm fuerit promissa Apostolis non separatis à Petro, sed unà cum Petro, cui omnes quoque Apostoli ratione primatûs, ut supra probavimus, debebant in unitate fidei adhærescere ; promissionem quidem ejusmodi ad episcopos Apostolorum successores extendi certum est, quando unà cum Petro, seu cum Petri successoribus in unitate ejusdem fidei definiunt et judicant : non autem omninò certum pariter est, num episcopi in hujus fidei unitate definierint, eâque infallibilitatis prærogativâ gaudeant, nisi ex consensu vel confirmatione summi pontificis constet, ea episcoporum judicia cum Apostolicæ sedis fide convenire. Ferrandus Carthaginensis Ecclesiæ diaconus in alterâ epistolâ Pelagio et Anatolio Romanæ Ecclesiæ diaconis traditâ c. 9, ad certitudinem et plenam confirmationem statutorum concilii generalis suffi-

cere scripsit, si « perducta in notitiam totius « Ecclesiæ.... Apostolicæ fidei CONVENIRE fir- « mentur, Apostolicæ sedis roborata CONSENSU. » Lege etiam capita 6 et 7, ubi iisdem conciliis universalibus secundum auctoritatis locum post canonicos libros tribuit ex accedente Romanæ sedis consensu, definitionibus autem fidei ex eodem consensu vindicat *robur invictum*. Adversarii quoque, qui cum Bossuetio conciliarium definitionum *robur invictum* eliciunt ex consensu episcoporum cum Apostolicæ sedis sententiâ, et in hâc unitate plenam firmitatem sitam prædicant, nequeunt profectò tantam vim asserere episcopis, si cum horum judicio sedes Apostolica nequaquàm consentiat; à *quâ* (1) *fidei certitudinem esse petendam* Joannes Gerson in sermone coram Alexandro V affirmare non dubitavit. Consensus quidem vel dissensus capitis non æquè æstimandus est, ac dissensus vel consensus cujuslibet alius episcopi, cujus assensus si desit in generali concilio, ubi alii Patres cum capite concordent, nihil præjudicat firmitati sententiæ; uti præjudicaret, si Romani pontificis assensus vel deesset, vel vocaretur in dubium.

Hâc de causâ Marcianus imperator sollicitus de confirmatione definitionis concilii Chalcedonensis, camdem uti necessariam ad tollendam omnem, quam maligni interpretes sparserant, dubitationem, his verbis enixè petiit : « Quod nonnullorum animis, qui Eutychetis « etiam nunc pravam opinionem et perversitatem sectantur (1), ambiguitatem multùm « injecit, utrùm tua Beatitudo, quæ in synodo « decreta sunt, confirmaverit. Et ob eam rem « tua pietas litteras mittere dignabitur, per quas « omnibus Ecclesiis et populis manifestum « fiat, in sanctâ synodo peracta à tuâ Beatitu- « dine rata haberi. » E contra verò Nicæna synodus 2, generalis 7, act. 5, pseudo synodo Iconomachorum episcoporum 338 auctoritatem abrogavit, propterea quòd « non habuerat adju- « torem illius temporis Romanum Papam, vel « eos, qui circa ipsum sunt, sacerdotes, nec « etiam per vicarios ejus, neque per encycli- « cam epistolam, quemadmodùm LEX DICTAT « conciliorum. » Ex conciliorum itaque generalium *lege* in materiâ potissimùm fidei, ut eorum statuta vim œcumenicæ synodi habeant, aliquam pontificum Romanorum approbationem necessariam esse, septimâ generali synodo affirmante, dubitare non licet.

Ingerat nunc Bossuetius illa, quibus verbum « confirmare stylo ecclesiastico (seu ex « Ephesinæ synodi actis), nihil aliud esse ait, « quàm plenam et manifestam suam assensio- « nem facere : » cùmque id non soli Apostolicæ sedi, dùm conciliorum decreta confirmat, sed omnibus etiam Ecclesiis aptans, allatis verbis Philippi legati Apostolici, qui sententiam in Nestorium ab omnibus Orientis et Occidentis, episcopis approbatam, « firmam, seu planè « confirmatam dixit juxta omnium Ecclesia-

(1) Gerson. serm. in die Ascens. Domini de Indis scripsit : « Facilè in eis sinceritas cor- « rumpitur, cùm Ecclesiæ Romanæ non cohæ- « reant, à quâ fidei certitudo petenda est. » Cur verum sit certitudinem fidei ex Romanâ fide esse petendam , non solùm ex eo patet, quia Romana fides certis Christi promissis munita indefectibilis est, ut in tractatu de Vi primatûs cap. 15, probavimus, et in Appendice ipsum subsequente confirmavimus; verùm etiam quia ex antiquorum traditione ac dogmate catholico certum est, veram Christi fidem esse Apostolicam, quæ scilicet ab Apostolis tradita, et ab Apostolicis Ecclesiis suscepta, ac per successionem episcoporum conservata, ad nos usque intemerata pervenit. Olim quamdiù certum fuit Ecclesias Apostolicas acceptam ab Apostolis fidem incorruptam servâsse , ut discerneretur vera fides Apostolica , receptum erat ad sedes Apostolicas provocare, ut ex Irenæo liquet. Cùm autem inter Apostolicas jamdiù omnes defecerint à catholicâ fide , unâ Romanâ sede exceptâ, quæ sola avitam traditionem custodivit , hinc jure ab hâc fide certitudinem esse petendam Gerson prodidit. Confer de Vi primat. c. 15.

(1) Omnis quidem ejusmodi ambiguitas de pontificio assensu definitioni Chalcedonensi cunctis Patrum suffragiis editæ debebat excludi ex Leonis epist. 28, ad Flavianum, ad cujus normam ipsa definitio exacta fuerat; et multò magis ex epist. 106, ad Anatolium, in quâ gesta concilii quoad fidem expressè approbata leguntur. Sed cùm iisdem gestis ad pontificem missis præter definitionem fidei continerentur canones aliquot disciplinæ, in quibus unus circa prærogativam sedis Constantinopolitanæ à Patribus editus, à Leone fuerat reprobatus, occultatâ Patribus hâc epistolâ, maligni interpretes Eutychiani erroris fautores sparserunt in vulgum ea gesta pontificiam confirmationem non potuisse obtinere, et ita definitionem fidei, etsi à Leone certò approbatam, in dubium adducere nisi sunt. Huic ambiguitati extirpandæ aliam epistolam 117, ad totius synodi Patres idem pontifex dirigendam credi- « dit, ne infirma aut dubia haberentur, quæ « nullâ, inquit, sunt consensûs mei sententiâ ro- « borata. » Hæc dubitatio à perversis licet interpretibus ingeri non potuisset, nisi eo quoque tempore apud Catholicos obtinuisset sententia, ad vim dogmaticæ definitionis à generalis quoque concilii Patribus editæ necessarium esse Apostolicæ sedis consensum sive confirmationem.

« rum decretum, » subdit : « Hinc elucet, ut « sese mutuò ipsa Ecclesiarum decreta confir« ment. Ea enim omnia vim habent confirman« di, quæ Ecclesiarum omnium consensionem « unitatemque declarant, cùm ipsâ unitate et « consensione mutuâ decretorum ecclesiastico« rum firmitudo constet. » Quidnam hinc contra nos? Decretorum confirmationem fieri declaratione consensûs nemo negaverit. Decreta item non solùm Apostolicæ sedis, sed episcoporum quoque ecclesiarumque cæterarum consensu confirmari, ita ut ipsæ definitiones Apostolicæ ab episcopis sive in concilio præsertim generali adunatis, sive per orbem dispersis subsignatæ, seu receptæ et comprobatæ, ex hâc omnium unitate, unanimique consensu maximum robur acquirant, in præcedenti tractatu de Vi primatùs pluribus affirmavimus. Nulla igitur in hoc vertitur quæstio. Solùm videndum ne quis vim coactivam ad unitatem Apostolicæ sedis definitionibus neget, quamdiù non pateat hæc episcoporum et Ecclesiarum consensio; tribuat verò definitionibus Patrum generalis synodi, antequàm ejusdem sedis confirmatio seu consensus accesserit. Eam vim coactivam ad unitatem ratione primatùs ex institutione Christi competere pontificis definitionibus ante omnem consensum Ecclesiæ, in memorato tractatu probatum est. Vide præcipuè cap. 14, § 8. Num verò definitiones Patrum concilii vi coactivâ fruantur, etiamsi quovis assensu sedis Apostolicæ careant, hactenùs dicta, ut arbitror, satis declarant. Hic autem mirum maximè debet accidere, quosdam adversarios, qui ad vim propriam generalis concilii necessariam existimant consensionem episcoporum cujusque saltem notabilis portionis, seu regionis Ecclesiæ catholicæ, ita ut ob defectum hujusmodi generalia habita non fuisse putent concilia 6 et 7 quamdiù defuit Hispanorum et Gallorum consensus; è contra verò necessariam non credere consensionem capitis ejusdem Ecclesiæ, licet caput negari nequeat pars præcipua et maximè necessaria corporis, ac in materiâ fidei fides Romanæ sedis ex institutione Christi sit *petra* et fundamentum Ecclesiæ, *ac centrum unitatis* fidei, cum quo totius Ecclesiæ fides conveniat et in unum coalescat necesse est.

CAPUT III.

DE JURE SUMMORUM PONTIFICUM ET GENERALIUM CONCILIORUM IN MATERIIS DISCIPLINÆ.

§ 1. *De canonibus disciplinæ editis in generali concilio, quibus accessit assensus, seu confirmatio summi pontificis. Hos canones ipse debet observare non jure eorumdem canonum, sed altiori naturali ac divino, quibus iidem pontifices obstringuntur.*

Si loquamur de alterâ quæstione in materiis disciplinæ circa quas plerique canones generalium conciliorum versantur, quæstio, num in his concilium generale sit supra Papam, hùc revocatur, num ejusmodi conciliorum decreta in materiâ disciplinæ summos pontifices obligent per sese, id est, num jure generalis synodi istos obstringant, necne. Hâc autem in re est distinguendum. Vel enim est sermo de canonibus disciplinæ, quos Papa unà cum Patribus concilii sanxit, seu à Patribus jam constitutos suâ quoque auctoritate confirmavit; vel de iis qui statuti à solis concilii Patribus, Papæ assensu et confirmatione carent. Hoc capite agetur tantùm de primis. Certum est autem canones in œcumenicis synodis constitutos, quibus ipsius pontificis assensus vel confirmatio accessit, obligare ipsum Papam. At ejusmodi obligatio non provenit ex humano jure, cui summus quoque pontifex subsit. Concurrunt enim in statuendis ejusmodi canonibuset summus pontifex et concilii Patres. Obligatio autem humani juris, quod in subditos et inferiores tantùm vim habere potest, summum pontificem afficere nequit, neque ex jure ipsius assentientis aut confirmantis pontificis, neque ex jure Patrum concilii. Non ex jure ipsius pontificis; neque enim is in se aut in successores suos sibi æquales habet imperium. Non ex jure Patrum concilii; hi siquidem per se, etiamsi collectivè accipiantur, cùm subditi et inferiores sint summo pontifice, uti capite sequenti § 3 demonstraturi sumus, nullam in ipsum superiorem suum jurisdictionem propriè dictam obtinent aut obtinere queunt. Solùm iis canonibus quibus summi pontifices assensi sunt ita obstringuntur, uti suis et prædecessorum legibus obligantur, quas æquè ac sacros canones se servaturos olim in solemnibus professionibus etiam jurejurando firmatis pollicebantur. Id autem non juri humano coactivo tribuendum, sed vi directivæ, ut aiunt, id est, altiori juri naturali

atque divino, quod exigit ut in iis quæ bono publico constituta sunt, superior præcedat exemplo, nec aliis violandarum legum viam aperiat, quod in magnum scandalum cederet.

Bossuetius in sermone ad celebria comitia cleri Gallicani habito Parisiis anno 1681, distinguens inter potestatem Apostolis et Petro traditam, illam quam super omnes sine restrictione S. Petro à Christo collatam confessus est, nullos alios terminos habere affirmavit, nisi quos præscribit REGULA. *Elle n'a de bornes que celles que donne la* RÈGLE. Hæc autem regula, cui suberat idem S. Petrus, qui super omnes sine restrictione præfectus fuerat, nulla lex humana esse poterat, sed naturalis tantùm ac divina, quam indicavimus. Hâc de causâ Gelasius epist. 13 ad Dardanos, scripsit: « Uniuscujusque synodi constitutum, quod « universalis Ecclesiæ probavit assensus, non « aliquam magis exequi sedem præ cæteris « oportet, quàm primam, quæ et unamquam« que synodum suâ auctoritate confirmat et « continuatâ moderatione custodit. » Alia similia aliorum pontificum leguntur. Nullus est princeps, qui licet nulli humano coactivo juri subsit, eodem tamen directivo et naturali ac divino jure suis quoque legibus non obstringatur, ne destruat exemplo quod in bonum publicum statuit. Quare S. Ambrosius epist. 32 ad Valentianum: «Quod præscripsisti aliis, « inquit, præscripsisti et tibi. Leges enim im« perator fert, quas PRIMUS ipse custodiat. » Et Theodosius ac Valentinianus ipse l. 1 Cod. tit. 14, De leg. et Const. : « Digna vox est « majestate regnantis, legibus obligatum se « profiteri. » Quin tamen idcircò se iisdem aut prædecessoribus suis sibi æqualibus, vel sibimetipsi coactivo jure subesse dici possit. Hoc ergo sensu cùm Romani pontifices se obnoxios affirmârunt sacris disciplinæ canonibus, non idcircò conciliorum quandoque etiam non generalium, in quibus dicti canones fuerunt constituti, et ab Apostolicâ sede recepti, jus in ipsos exinde deduci potest, cùm ad eorum observantiam non humano, sed naturali ac divino jure obligentur.

§ 2. *Adeò verò hoc altiori naturali divinoque jure ad executionem et observantiam canonum disciplinæ, quamdiù vigent, obligantur summi pontifices, ut licet pro supremâ suâ potestate possint in ipsis dispensare, vel eosdem etiam aliquando restringere vel mutare, non tamen debeant, nec licitè id possent absque legitimâ causâ.*

Potestatem dispensandi in materiis disciplinæ constitutæ canonibus conciliorum etiam generalium, quæ antiquissimis exemplis probatur, summis pontificibus competere adversarii negare non possunt. Hanc quoque à Chalcedonensi œcumenicâ synodo agnitam et approbatam demonstrat exemplum Maximi Antiocheni, qui tanquàm episcopus in eâ fuit receptus ex solâ Apostolicæ sedis auctoritate atque dispensatione à rigore canonum, ex quibus illegitima illius ordinatio ipsum repellebat. Quia tamen eumdem S. Leo dispensatione usus tanquàm episcopum receperat, synodus quoque inter Patres recepit. Actionem quæ hoc factum apertissimè probat, in dubium revocare studuit Paschasius Quesnellus. Eam verò cùm et ex diversæ originis codicibus, et aliis monumentis vindicârimus luculentissimè in Observationibus ad dissertationem 9 Quesnelli insertam nostræ editioni Operum S. Leonis tom. 2, adstipulantibus cum Tillemontio aliis doctissimis criticis, exinde concludendum est ipsius Quesnelli verbis : « Jam præ« clarissimum antiquissimumque præ manibus « habemus testimonium summæ auctoritatis « pontificis Romani tum IN SYNODOS, tum in « Orientales episcopos, majorum, inquam, ac « primariarum sedium. » Hoc et alia similia dispensationum exempla sunt. Quòd si hæ dispensationes non passim, nec temerè, nec sine justâ causâ à pontificibus concessæ aut concedendæ sunt, id non ex eo pendet, quòd canones conciliorum, in quibus est dispensandum, jus coactivum in ipsos pontifices habeant, sed ne dispensantes sine justâ causâ, potestate in ædificationem Ecclesiæ à Deo collatâ utantur, aut potiùs abutantur in destructionem, quod in divinam ac naturalem legem pugnaret. Hùc pertinent illa S. Bernardi ad Eugenium Papam : « Non sum tam rudis, « ut ignorem positos vos dispensatores, sed in « ædificationem, non in destructionem. De« nique quæritur inter dispensatores, ut fide« lis quis inveniatur. Ubi necessitas urget, « excusabilis dispensatio est. Ubi utilitas pro« vocat, dispensatio laudabilis est, utilitas, « dico, communis, non propria. Nam cùm « nihil horum est, non planè fidelis dispensa« tio, sed crudelis dissipatio est. » Qui autem ex causâ necessitatis vel publicæ utilitatis in canonibus disciplinæ à generalibus quoque synodis constitutæ potest propriâ auctoritate dispensare, superior utique, vel saltem non inferior probatur : neque enim facultas dispensandi in legibus superioris ulli unquàm inferiori com-

petit, nisi fortè ex interpretativo saltem ipsius superioris consensu, quo nomine episcopos in ordinariis et frequentioribus casibus potuisse ac posse nedùm in canonibus disciplinæ, sed aliquando etiam in votis dispensare, theologi docent. Summis autem pontificibus facultas dispensandi in generalium synodorum canonibus ab iisdem synodis concessa, et quodammodò delegata probari nullo ipsorum conciliorum testimonio poterit. Imò cum Tridentina synodus sess. 25, c. 21, declaratum voluit, ea quæ statuit, « ita decreta fuisse, « ut in his salva semper auctoritas sedis Apo« stolicæ et sit et esse intelligatur; » et illa sessionis 7, in prœmio decretorum de Reform.: « Salvâ semper in omnibus sedis Apo« stolicæ auctoritate; » hæ formulæ, Apostolicæ auctoritatis præservativæ auctoritatem eidem proprio jure competentem, non autem ab ipsâ synodo concessam seu delegatam significant: potestas enim salva dici nequit illa quæ cuipiam tribuitur, sed quæ eidem aliunde competere præsumitur. Hâc de causâ assentiri non possum iis qui ea verba ita interpretantur, ac si idem concilium verbis ipsis facultatem summis pontificibus concesserit, quâ aliàs caruissent. Nisi priùs probetur Papam, æquè ac episcopos reliquos, inferiorem ac subditum esse conciliis œcumenicis, suo jure dispensare poterit, neque hâc concessione atque consensu indigebit. Tridentina certè synodus, quæ Apostolicæ sedi plurimùm detulit, ejusque consensum et approbationem quæsivit, de hâc facultate concedendâ ne cogitavit quidem.

Eâ porrò auctoritate, quâ Romanus pontifex dispensare, ubi expedit, in generalium etiam conciliorum canonibus ad disciplinam pertinentibus potest, potest etiam ubi æqua causa adsit, abrogare vel mutare disciplinam canonum, ut aliquot exemplis etiam vetustis probare liceret; quod ad supremam ejus potestatem declarandam confert. Cautiùs id et multâ cum moderatione agendum, atque ita ut ex abrogatione vel mutatione vitentur scandala, publicumque bonum promoveatur: quæ conditio jure ipso naturali ac divino imposita, summos pontifices non canonibus conciliorum, seu humano juri, sed naturali ac divino subjectos adstruit. S. Bernardus epist. 131, quasdam pontificis facultates extraordinariæ et supremæ potestatis recensens, necessitatis vel utilitatis conditiones adjicit, « si utile judica« verit, si necesse visum fuerit, quoties expe« dire videbit. » Et e contra Gelasius in decretali epistolâ ad episcopos per Lucaniam et Brutios ac Siciliam constitutos c. 9, scribens, illa decreta non immutanda, « quæ nec ulla « necessitas, nec ecclesiastica prorsùs extor« quet utilitas, » dispensationes, aut mutationes nonnisi ex utilitate vel necessitate ecclesiasticâ esse faciendas significat. Hâc de causâ etsi multa possint Romani pontifices pro summâ ipsorum potestate in universam Ecclesiam, si tamen non expediat, animadvertenda erunt illa Apostoli, 1 Cor. 6, v. 12: *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt;* ex quibus S. Bernardus sermonem faciens de quibusdam privilegiis quæ non omninò nec universim expedire judicabat, non dubitavit modestè scribere ad laudatum Eugenium Papam: « Sic factitando « probatis vos habere plenitudinem potestatis, « sed justitiæ fortè non ita. Facitis hoc, quia « potestis; sed utrùm et debeatis quæstio est. » Qui potestatem non negat, sed adesse profitetur, et solum ejus exercitium et usum contineri vult intra justitiæ limites, ne ad id excedat, quod non expedit, eamdem non canonum juri subesse censet, sed naturali atque divino, quod supremam quoque potestatem principum non absimiliter obstringit. Ita etiam cùm S. Irenæus in quæstione de die paschatis S. Victorem Papam removere studuit à ferendâ excommunicationis sententiâ contra Asianos, ni Romanam ac cæterarum Ecclesiarum consuetudinem amplecterentur, non negavit illius potestatem, sed ostendens non expedire eos hâc de causâ separare à corpore Ecclesiæ, usum tantummodò potestatis intra eosdem limites, non humano, sed naturali divinoque jure, cuique supremæ etiam potestati præfinitos, coercendum indicavit.

§ 3. *Criminatio, quæ multorum odio et invidiæ Apostolicam auctoritatem exponit disjecta.*

Ex his facilè, ut arbitror, agnosces, lector, quàm perperàm quidam adversarii ad invidiam nostræ sententiæ conflandam jactitent, pontificiam potestatem ab ejusdem sententiæ defensoribus ita efferri, quasi summis pontificibus tribuant posse ad se attrahere omnia, episcoporum auctoritatem posse ad libitum extenuare, sacris canonibus universalis Ecclesiæ veneratione consecratis pro arbitrio contra ire, nullisque limitibus supremam et plenam potestatem eorumdem pontificum coerceri. Nonne hæc satis jure illo divino ac naturali constringitur, quod eam solam potestatem ipsis traditam concedit, quæ in Ecclesiæ ædificationem vergit;

vetat autem eam, seu eum potestatis abusum, qui cederet in destructionem? Imò cùm canones in ædificationem Ecclesiæ fuerint constituti, iisdem quoque aliquâ ratione constringi dici possunt summi pontifices, quatenùs cum ipsis, si vigeant, copulatur naturale ac divinum jus prohibens, ne sine justâ causâ in iis dispensetur, aut aliqua mutatio arbitraria inducatur: siquidem in ipsis particularium quoque Ecclesiarum moribus nullo canone, sed solâ consuetudine firmatis, ubi de mutatione etiam utili inducendâ agatur, magnâ circumspectione utendum est: « Ipsa quippe mutatio consuetu« dinis, etiam quæ adjuvat utilitate, novitate « perturbat, » ut Augustinus rectè monuit epist. 54, al. 118, ad Januarium, num. 6. Velim hæc adversarios attentè perpendere : et num ii qui potestatem plenissimam et supremam quidem, at indicatis divini ac naturalis juris limitibus circumscriptam, neque à canonum receptorum normâ, nisi ubi expediat aut necesse sit, omninò solutam Romanis pontificibus asserunt, nimiùm et per excessum asserant, æquo judicio decernant; et, ut confido, objectam criminationem odii plenam agnoscent ac respuent. Id autem multò magis præstabit, quisquis consideret potestatem dispensandi, derogandi aut mutandi in canonibus disciplinæ, quæ ex solâ justâ causâ publicæ utilitatis aut necessitatis Papæ tribuitur, ipsos canones reipsà nequaquàm impetere : quia (ut in epistolâ ad Avitum docuit Symmachus Papa laudatus à Bossuetio lib. 10 Defens. c. 19, « quod « fit præter regulam, modò sit EX JUSTA CAUSA, « non infringit regulam (canonum regulam in« telligit) quam sola pervicacia et antiquitatis « contemptus lædit. Nam quamvis à Patribus « statuta diligenti observatione et observanti « diligentiâ sunt custodienda, nihilominùs pro« pter aliquod bonum de rigore legis aliquid re« laxatur; quod et ipsa lex cavisset, si prævidis« set : et sæpè crudele esset insistere legi, cùm « observantia ejus esse præjudiciabilis Eccle« siæ videtur; quoniam leges eâ intentione « latæ sunt, ut proficiant, non ut no« ceant. » Quo uno testimonio diligens lector nostram sententiam firmatam comperiet.

CAPUT IV.

DE CANONIBUS DISCIPLINÆ IN GENERALI CONCILIO EDITIS, QUI PONTIFICIO CONSENSU SEU CONFIRMATIONE CARENT.

§ 1. *Canones ejusmodi non approbati auctoritate summi pontificis ipsum non obligant.*

Expeditâ præcedenti capite primâ quæstionis parte de disciplinæ canonibus in generali concilio editis, quos Apostolicæ sedis probavit auctoritas, nunc agendum de alterâ parte quoad eos scilicet generalium conciliorum canones, quibus summi pontificis assensus aut confirmatio defuit. Hos autem non obligare ipsum pontificem nemo jure vocabit in dubium, si memoria recolat celebrem canonem pro Constantinopolitanæ sedis prærogativâ Chalcedone constitutum, qui tamdiù per se irritus et inanis fuit, quamdiù Romanæ sedis caruit assensu. S. Leo quidem adeò se eo canone non obligari credidit, ut eidem repugnârit acerrimè. Neque dicas eumdem canonem etiam contradicente S. Leone effectum obtinuisse. Obtinuit sanè in Oriente, obtinuit, sed facto et cessione atque assensu eorum quorum intererat, non autem jure obtinuit, ita ut Occidentales aut Orientales ipsos cogeret; multò autem minùs ut cogeret S. Leonem, qui ab adversariis quoque laudatur ob zelum atque constantiam quâ restitit. Neque verò eo solo nomine ei canoni potuit repugnare, quia Nicænos canones impetebat, verùm etiam quia canon in quâcumque frequentissimâ synodo editus, quoad desit pontificia approbatio, œcumenicæ synodi canon nec est, nec appellari potest. Cùm generalium conciliorum sit æqualis auctoritas, in rebus autem disciplinæ, quæ varietati sunt obnoxiæ, synodus quæ verè sit generalis, abrogare possit atque mutare quod in aliâ generali synodo statutum fuit, cur Chalcedonensis in edendo canone pro Constantinopolitanæ sedis prærogativâ Nicænis canonibus derogare non potuit, nisi quia hi confirmati à Romanâ sede infringi non poterant Chalcedonensi decreto, quod ejusdem sedis approbationem non obtinuerat? Quid ita? Quia scilicet illi ob approbationem Romanæ sedis vim et auctoritatem generalis synodi fuerant consecuti, et idcircò totius Ecclesiæ veneratione erant consecrati : memoratum verò Chalcedonense decretum, ejus approbationis expers, carebat generalis synodi auctoritate, quâ accedente (uti postea tandem ac-

cessit') Nicæni concilii disciplina in Chalcedonensi mutari potuisset.

Ad hoc apertissimum argumentum eludendum quàm infirma sunt illa duo quæ Bossuetius reposuit! Ait primò lib. 8 Defens. c. 8, eos qui « hæc objiciunt, ne statum quidem « quæstionis intelligere. Defendimus enim « Constantiense concilium, quo nempe concilii « potior auctoritas agnoscatur in fide, in « schismate, in reformatione generali promovendâ. At Orientales episcopi isto canone « episcopo Constantinopolitano consulebant, « imperatori gratificabantur, non fidei, non « schismati, non reformationi generali providebant : imò verò rectum ordinem, et primarum sedium honorem ab antiquo institutum evertebant, qui rei universæ ecclesiasticæ conducere videretur..... ac proinde ad « nostram quæstionem non pertinet quidquid « actum ab illis fuit. » Nihil hæc nisi fucum et confusionem rei de quâ disputamus offundere queunt. Nonne vera et genuina præsens quæstio in eo sita est, num concilium generale per se sit potioris auctoritatis auctoritate summi pontificis, ita ut ejus decreta ipsum pontificem obligent etiam invitum, et ad eumdem obligandum ipsius approbatione et consensu non egeant? Qui per sese pontifice superior et potioris auctoritatis esset, num in tribus illis gravioribus et extraordinariis casibus tantùm, de quibus Constantiense concilium loquitur, et non in aliis etiam potiori auctoritate frueretur? Scio Bossuetium alibi conciliorum generalium necessitatem ad eos tantùm tres casus extraordinarios atque rarissimos restringere, ne, si extendisset ad omnes etiam frequentiores et obvios, improbis hoc tribunal, quod semper præstò non est, nec facilè præstò esse potest, appellantibus favere videretur. Ipsorum verò conciliorum generalium auctoritatem, quâcumque occasione coeant, si per se sint supra Papam, intra eosdem rariores casus coercere non licet : et canones disciplinæ ab illis editi ligare deberent ipsum pontificem, si per se iisdem esset inferior, sicut alios quoslibet inferiores episcopos ligant. Rectus ordo ac primarum sedium honor à Nicænâ institutus seu confirmatus, cùm nec divini nec naturalis sit juris, mutatis rerum circumstantiis, à posteriori æqualis auctoritatis œcumenico concilio potuissent mutari non assentiente Romano pontifice, si ad vim generalis concilii hujus approbatio aut assensus non requireretur. Canon controversus legatis absentibus conditus actione 15, cùm Patres nihil de contradictione cogitarent. Cùm verò in sequenti actione 16 legatis petentibus relectus, istorum contradictionem incurrit, num Patres concilii contenderunt, canonem omnium consensu statutum ob dissensum ejusmodi generalis concilii vim non amittere, nec posse ab ipso summo pontifice, utpote inferioris auctoritatis, irritum fieri? Imò tota synodus, ipse imperator et Anatolius Constantinopolitanus episcopus ad Leonem scripsêre, petentes ut eum canonem probare dignaretur ; et synodi Patres iis verbis sunt usi, quibus se inferiores, Papam verò superiorem prætulerunt. « Rogamus igitur, inquiunt, et tuis sententiis nostrum honora « judicium ; et quemadmodùm nos consensum « in bonis CAPITI contulimus, sic et CAPUT FILIIS, quod decet, adimpleat. » Nonne *caput* membris superior est, patre autem *filii* sunt inferiores? Quis ergo neget pontificium consensum requiri, quem tam expressè et adeò necessarium agnovêre ipsi generalis concilii Patres, ut Anatolius testatus sit, « vim omnem « et confirmationem auctoritati vestræ beatitudinis fuisse reservatam? » Neque enim aliâ de causâ fuit reservata post decretum à Patribus absolutè editum, nisi quia auditâ legatorum contradictione, ad vim generalis concilii pontificis approbatio necessaria habebatur.

Alterum porrò, quod Bossuetius subdit, thesim, quam debebat statuere, quodammodò destruit. « In eo canone statuendo, inquit (Patres « concilii, qui erant Orientales), nequaquàm « concilii generalis auctoritate gaudebant, à « quorum decretis in eâ actione cum sede « Apostolicâ universus Occidens recedebat, » quia scilicet concilio præter Orientales soli ex Occidente pontificis legati aderant, qui contra eum canonem pontificis nomine protestati fuerant. Si hi aut pontifex assensisset laudato decreto, nonne generalis concilii vim et auctoritatem obtinuisset, tametsi alii Occidentales episcopi, qui non accesserant ad eam synodum, assensum suum non declarâssent? Id sanè sufficiens crediderunt Patres, dùm solius Papæ approbationem confirmationemque petierunt, et vim quidem totam ejus judicio reservatam declaravit Anatolius : idipsumque adversarii, ut arbitror, non inficiabuntur. Orientalium ergo frequentissima synodus, ejusque canones indigent Papæ confirmatione et assensu, ut generalis concilii vim et auctoritatem conse-

quantur ; carent verò tali auctoritate ac vi, si desit ejusmodi assensus, pateatque dissensus. Id autem dùm thesim nostram, quæ pontificiam approbationem requirit, Chalcedonensi facto satis evidenter probatam adstruit, contrariam à Bossuetio præsumptam, eodemque Chalcedonensi facto reprobatam destruit. Sed alia in id evidentiora adjiciam.

§ 2. *De necessitate approbationis pontificiæ in canonibus disciplinæ, ut generalis concilii vim et auctoritatem obtineant.*

Necessitatem quidem pontificiæ approbationis sive consensûs ipsa generalium conciliorum communis notio atque natura demonstrat. Quid enim est generale concilium, nisi episcoporum ex toto Christiano orbe convocatio atque conventus sub Romano pontifice totius Ecclesiæ capite? Ut habeatur synodus verè œcumenica, haud necesse est omnes omninò episcopos convenire, cùm id penè impossibile sit; et siquidem esset possibile, non expediret omnes simul ubique locorum proprias Ecclesias deserere. At Romanum pontificem vel per se vel per legatos œcumenico concilio adesse ita necessarium est, ut, si desit, synodus etiamsi episcoporum numero frequentissima, generalis non sit, nec esse possit. Synodus nimirùm generalis idcircò per se maximi est præ quibuscumque particularibus conciliis, quia ob episcopos ex totâ Ecclesiâ congregatos repræsentat universalem Ecclesiam. Hæc autem cùm sit corpus Christi visibile, visibili capite prædita est, quod ipsi à Christo in S. Petro ejusque successoribus constitutum fuit. Hocce caput per se Ecclesiæ personam gerens (ut de S. Petro Augustinus loquitur) quomodò Ecclesiam repræsentare queat, commodè explicare et intelligere licet : solum verò corpus non ita, cùm corpus sine capite truncus sit, qui totum hominem nec repræsentat, nec repræsentare potest. Episcopi, qui suarum cujusque Ecclesiarum, metropoleon, vel ampliorum diœceseon sunt capita, earum personam repræsentare queunt; totius verò Ecclesiæ, cujus nemo illorum est caput, nequeunt personam gerere, nec eamdem universalem Ecclesiam repræsentare (1), nisi cum ipsis sit summus pontifex, qui solus jure divino est totius catholicæ Ecclesiæ caput. Hoc porrò caput non ob materialem tantùm præsentiam generali concilio necessarium est, sed præcipuè ob directionem et assensum, qui capiti præ cæteris membris potissimùm competit. S. Cyprianus, qui Ecclesiam definivit : « Plebs sacerdoti adunata, « et pastori suo grex adhærens, » vocibus *sacerdotis* et *pastoris* episcopum cujusque Ecclesiæ designans, ita hunc cuique particulari Ecclesiæ necessariam et essentialem ejus partem habuit, ut non dubitârit statim subjicere, « episcopum in Ecclesiâ esse, et Ecclesiam in « episcopo, » quæ non obscurè significant, sine episcopo, qui tanquàm caput præsit Ecclesiæ, corpus Ecclesiæ mysticum atque visibile constitui atque intelligi nequaquàm posse. Num caput, quod in quâlibet particulari Ecclesiâ necessarium est, in solâ generali Ecclesiâ, et in generali synodo, quæ visibile universæ Ecclesiæ corpus repræsentat, non erit necessarium? Necessitatem episcopi capitis in quâvis particulari Ecclesiâ, non in meram præsentiam aut repræsentationem ipsius Ecclesiæ retulit idem Cyprianus, sed in auctoritatis necessitatem : « Ut Ecclesia super ipsos constituatur, « et omnis actus Ecclesiæ per eosdem præpo- « sitos gubernetur. » Et in hunc finem jurisdictionem ac potestatem clavium à Christo traditam præmissum ab eo testimonium ex Matthæo c. 16, satis indigitat. Idipsum clariùs explicans clerus Romanus in litteris ad ipsum Cyprianum datis post S. Fabiani mortem, innuit se non posse quidquam decernere in causâ de lapsis, de quâ Africani scripserant, hâc ratione allatâ, quia nondùm Fabiani successor fuerat constitutus, « qui omnia ista moderetur, « et eorum qui lapsi sunt, possit cum AUCTORI- « TATE et CONSILIO habere rationem. » Consilium ad directionem, auctoritas ad jurisdictionem et vim coactivam refertur. Si in concilio particulari Romanæ Ecclesiæ tanta capitis necessitas est, nonne in universalis quoque Ecclesiæ synodo, si non major, eadem saltem capitis necessitas, eademque necessitatis ratio est agnoscenda, ita ut S. Petri successores tanquàm universalis Ecclesiæ et generalium conciliorum capita potestate sibi à Christo traditâ utentes, omnia gesta non minùs consi-

(1) Cùm verissima sit illa S. Ambrosii ratiocinatio, de quâ in opere præcedenti de Vi et ratione primatûs c. 11, egi, : « Ubi ergo Pe- « trus, ibi Ecclesia ; » si loquamur de concilio generali, quod Ecclesiam repræsentet, vera pariter erit ista : « Ubi ergo Petrus aut Petri « successores (qui eodem jure conciliis gene- « ralibus præsident), ibi concilium generale : » et consequenter vera erit pariter hæc : « Ubi « ergo nec Petrus, nec Petri successores ad- « sint, quæcumque sit episcoporum congrega- « tio, ibi generale concilium nec erit, nec esse « poterit. »

lio dirigant, quàm muniant auctoritate atque consensu? Hunc quoque consensum profectò exigit illud pluries repetitum et ingestum adversariorum veluti axioma, quo generalium conciliorum vim omnium maximam ac planè invictam collocant in consensu corporis episcoporum cum capite. Quò respiciens Bossuetius lib. 7 Defensionis, al. 10, c. 13, post laudata quædam ex actis Ephesini et Chalcedonensis concilii verba, quibus idem consensus exprimitur, scripsit : « Hæc ergo summa auctoritas, « summa vis, quòd membra et inter se et Ro« mano pontifici conjunguntur, quòd ex con« sensione invictum ecclesiastici judicii ro« bur. » Et similiter lib. 8, c. 9, constitutivum et quasi characterem, « quo synodi œcume« nicæ asserantur, esse, ait, Ecclesiæ univer« salis consensum cum Apostolicæ sedis con« firmatione conjunctum. » Ubi igitur desit consensio, seu approbatio capitis, ex solis episcoporum suffragiis non erit summa decretorum vis, nec robur illud invictum quod generalis synodi proprium sit.

Quòd si consideretur jurisdictio Ecclesiæ collata à Christo Domino, ex quâ eorumdem conciliorum generalium vis maximè pendet; cùm adversarii hanc Ecclesiæ immediatè collatam affirmant in Petro et Apostolis; Ecclesiæ nomine proculdubiò intelligunt episcopos Apostolorum successores, et Romanos pontifices successores S. Petri, ex quibus cùm constet generale concilium, generali quoque concilio eamdem jurisdictionem immediatè traditam et competentem pronuntiant. Ipsam verò jurisdictionem cum clavibus et potestate ligandi atque solvendi S. Petro promissam et datam per sese independenter ab aliis Apostolis, his autem postea traditam non separatim à Petro, sed simul cum Petro superiùs observavimus c. 1, quia nimirùm Apostoli et episcopi istorum successores jurisdictionem quidem habent in unitate cum Petro et successoribus ejus, non verò extra et multò minùs contra hanc unitatem, nec contra ipsum caput, centrum et radicem unitatis : hoc autem caput cùm jurisdictionem et claves separatim sine aliis seu ab aliis independentem acceperit, ligare alios poterit, ligari autem non poterit ab aliis qui nonnisi in unitate ejus jurisdictionem obtinuêre. Ubi ergo in conciliorum decretis Romani pontificis assensus seu confirmatio desideratur, deest id quod est maximè necessarium, ut decreta vim et jurisdictionem generalis concilii habeant. Cùm scilicet Ecclesia à Christo jurisdictionem non acceperit nisi in Petro, et in unitate cum Petro, quomodò concilia œcumenica universam Ecclesiam repræsentantia jurisdictionem exerere poterunt decretis quæ nec edant cum Petro, nec in unitate cum ipso? Hinc quidem frequentissimæ quoque synodi decretis, assensu aut confirmatione sedis Apostolicæ carentibus, vis generalis synodi tribui non potest; et licet quædam disciplinæ decreta Romano pontifice non contradicente aut non irritante obligare et cogere potuerint eos qui ejusdem synodi episcopis suberant, non tamen cogere et obligare potuerunt supremum caput summum pontificem, in quem nemini illorum jus erat, ut vel ex Chalcedonensi canone antea laudato manifestum est. Hâc de causâ consensus et approbatio Romanæ sedis à synodis œcumenicis quæsita fuit etiam in canonibus disciplinæ, ut (1) ex Nicenæ, Ephesinæ, Chalcedonensis, etc., gestis liquet, necnon ex novissimo Tridentino generali concilio. Cur tanta confirmationis obtinendæ sollicitudo fuit, nisi quia ob ejus defectum vis œcumenicæ synodi decretis et canonibus deesse persuasum erat? Vera est siquidem illa S. Leonis sententia epist. 104, aliàs 78, ad imperatorem Marcianum, scripta occasione memorati canonis Chalcedonensis pro Constantinopolitanæ sedis prærogativis constituti, quem idem pontifex approbare noluit: « Nec præter illam petram quam Dominus in « fundamento posuit, stabilis erit ulla constru« ctio. » Ipsi adversarii id sanè præsumpserunt, cùm in Declaratione cleri Gallicani anno 1682, ut Constantiensibus decretis vim et auctoritatem œcumenicæ synodi assererent, ea à sede Apostolicâ comprobata confirmârunt

(1) Nicænos quidem Patres omnia gesta misisse ad Papam Silvestrum tradit præfatiuncula Nicænis canonibus præfixa in quibusdam antiquis diversæ originis versionibus, quæ ex Græco fonte proficiscuntur; « confirmatio« nemque rerum atque auctoritatem Romanæ « Ecclesiæ » ab iisdem petitam, affirmare non dubitârunt Patres Romanæ synodi anni 485. Quòd si hæc confirmatio à Nicænis Patribus non credatur missis gestis quæsita, assensus saltem per pontificios legatos ipsis canonibus præstitus, et subsequenti receptione eorumdem canonum comprobatus, ad vim generalis synodi sufficere potuit. Non recensui hoc loco in textu Constantinopolitanum concilium, quod generale secundum appellari solet; hoc enim ex solo Oriente congregatum, per se ab initio generale non fuit; nec postea inter generalia computari cœpit quoad canones, quos sedes Apostolica non approbaverat, sed quoad symbolum fidei tantùm, cùm deinceps huic symbolo ejusdem sedis approbatio accessit.

num. 2, quod verène, an falsò affirmàrint, postea expendemus c. 7. Quæ generalis concilii vim et auctoritatem obtinent, accedente approbatione et assensu summi pontificis, ejus sunt generis, de quo egimus capite præcedenti, nullumque in ipsum pontificem jus coactivum, nullam ipsius concilii jurisdictionem in eumdem adstruunt: vis enim omnis, quæ ex alicujus assensu pendet, omnem coactionem et imperium excludit. Quæ verò ejusmodi approbatione et consensu carent decreta, et ob ejusmodi defectum generalis concilii vim non habent, quomodò obligare et cogere possint Papam, quem soli generali concilio subjectum adversarii existimant, nemo cohærenter ratiocinans intelliget. Numquid enim generalis concilii decreta sunt et dici possunt, quæ ob eum defectum generalis concilii vi et auctoritate privantur?

Sed quid morosiùs in his distineor, si vim coactivam in Papam hujusmodi decretis inesse nemo suaserit, nisi priùs ostendat, Patres concilii, cùm aliquid statuunt in materiâ disciplinæ, non assentiente vel etiam dissentiente summo pontifice, licet per sese inferiores sint supremo Hierarchâ, jus tamen in eumdem superiorem suum habere, quod planè repugnat: nemo enim nisi superior in inferiores sibique subjectos jus coactivum habere aut exercere potest. Hanc potissimam rationem, et *à priori* (ut scholæ appellant) nisi adversarii æquâ responsione solvant, inani conatu laborabunt.

§ 3. *De jure summi pontificis in omnes episcopos etiam collectos in generali synodo, ex quo omnibus superior, conciliaribus ipsorum decretis in materiâ disciplinæ ejus approbatione carentibus cogi non potest. Distinctio inter episcopos distributivè aut collectivè sumptos ab adversariis ingesta, quàm sit inanis et rationi primatûs repugnans.*

Vide autem quid illi excogitàrint, ut memoratum efficacissimum argumentum eludant. Dicunt nemini quidem episcoporum et Patrum concilii, si separatim ac distributivè considerentur, jus coactivum competere in Papam, qui singulis superior est; sed aliter sentiendum de omnibus sumptis collectivè et adunatis in generali concilio. Velim adversarios, qui antiquitate glorientur, hanc distinctionem aliquo antiquo textu probare. Vetus certè Ecclesiæ traditio contraria est. Romanis enim pontificibus jus attributum fuit ab antiquis non modò in singulos episcopos distributivè sumptos, verùm etiam collectivè in omnes et in universalem Ecclesiam. Sicut enim antiqui passim affirmant S. Petrum fuisse præpositum omnibus Apostolis totique Ecclesiæ catholicæ, ita et de successoribus S. Petri, quos pariter pronuntiant cunctis non solùm fidelibus, sed etiam episcopis Apostolorum successoribus, totique præfectos Ecclesiæ. Audiantur ex antiquis Gallicani episcopi metropolis Arelatensis, qui in epistolâ ad Leonem Magnum non dubitârunt scribere: « Per beatum Petrum Apostolorum principem sacrosancta Ecclesia Romana (in successoribus ejusdem Petri) tenet SUPRA OMNES TOTIUS MUNDI ECCLESIAS principatum. » Audiatur quoque pro cæteris alius Gallicanus S. Bernardus, qui anteriorum Patrum ac Gallicanæ, imò et catholicæ Ecclesiæ doctrinam expressit: « Plenitudo siquidem potestatis SUPER UNIVERSAS ORBIS ECCLESIAS singulari prærogativâ Apostolicæ sedi donata est. » Non super singulas, inquit, sed super universas, quod potestatem in omnes collectivè acceptas designat. In his episcopos Ecclesiarum capita comprehendi, et omnes quidem collectivè, declarant illa ejusdem sancti ex libro secundo de Consideratione ad Eugenium Papam c. 8, n. 15: « Tu es cui claves traditæ, cui oves creditæ sunt. Sunt quidem et alii cœli janitores et gregum pastores: sed tu tantò gloriosiùs, quantò et differentiùs utrumque præ cæteris nomen hæreditâsti. Habent illi singuli sibi assignatos greges, singuli singulos (1): tibi universi crediti, uni unus. Non modò ovium, sed ET PASTORUM tu unus omnium pastor. Unde id probem quæris? Ex verbo Domini. Cui enim non dico episcoporum, sed etiam Apostolorum sic absolutè et indiscretè totæ commissæ sunt oves? *Si me amas, Petre, pasce oves meas.* Quas? Illius vel illius populos civitatis, aut regionis, aut certi regni? *Oves meas,* inquit. Cui non planum non designâsse ali-

(1) In hanc sententiam S. Gregorius lib. 5, epist. 20, ad imperatorem Mauricium: « Voce Dominicâ, inquit, sancto et omnium Apostolorum Petro principi TOTIUS ECCLESIÆ cura commissa est. » Et antiquus Gallicanus episcopus sub Eusebii Emiseni nomine vulgatus, in Natali SS. Petri et Pauli, sanctum Petrum non solum pastorem, sed et pastorum pastorem constitutum affirmans, addidit: « Pascit igitur Petrus agnos, pascit et oves; pascit filios, pascit et matres; regit et subditos et prælatos. OMNIUM igitur pastor est, quia præter agnos et oves in Ecclesiâ nihil est. »

« quas, sed assignâsse OMNES? » Et post pauca de Episcopis n. 16 : « Alii in partem sollicitudinis, tu in plenitudinem potestatis vocatus es. Aliorum potestas certis arctatur limitibus; tua extenditur et in ipsos qui potestatem super alios acceperunt. » Et dein : « Quisque cæterorum (episcoporum) habet suam, tibi una commissa est grandissima navis facta ex OMNIBUS ipsa UNIVERSALIS ECCLESIA toto orbe diffusa. » Qui universali Ecclesiæ, omnibusque etiam pastoribus et episcopis jurisdictione præest, nonne in omnes collectivè jus habet?

Hinc in decreto pro unione Græcorum, cui subscripserunt ipsi Græci in Florentino concilio, jure definitum legitur « Sanctam Apostolicam sedem et Romanum pontificem in UNIVERSUM ORBEM tenere primatum, et ipsum pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis Apostolorum, et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere, et ipsi in B. Petro pascendi, regendi et gubernandi UNIVERSALEM ECCLESIAM à Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse (1), quemadmodùm etiam in gestis conciliorum et canonibus continetur. » Si Romanus pontifex ex Christi institutione plenam potestatem accepit pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam, non in singulas et particulares tantùm Ecclesias distributivè et separatim acceptas, sed in omnes collectivè sumptas, ex quibus sanè sumptis collectivè constat universalis Ecclesia, potestatem habet, ac proinde habet etiam in Patres quoque conciliorum generalium, quæ illam repræsentant, nec majori quàm ipsa universalis Ecclesia privilegio gaudent.

Hanc eamdem potestatem Romani pontificis in omnes Ecclesias satis clarè præsumpsisse atque indicâsse videtur ipsa generalis synodus Nicæna 1, cùm decrevit paschalem diem quotannis ab Alexandrinâ Ecclesiâ ob peculiarem ipsius in paschali calculo peritiam Romanæ Ecclesiæ significandum, ut hæc pro suâ auctoritate in universam Ecclesiam omnes adigeret ad eumdem diem sine ullâ disceptatione ubique celebrandum. Sic enim de hoc decreto Nicæno scribit S. Cyrillus episcopus Alexandrinus in prologo paschali apud Bucherium : « Cùm iis igitur atque hujusmodi dissensionibus (circa diem paschæ) regula turbaretur, sanctorum totius orbis synodi consensione decretum est, ut quoniam apud Alexandriam talis esset reperta Ecclesia, quæ in hujus scientiâ clareret, quotâ calendarum vel iduum, quotâ lunâ pascha debeat celebrari, per annos singulos Romanæ Ecclesiæ litteris intimaret, unde APOSTOLICA AUCTORITATE UNIVERSALIS ECCLESIA per totum orbem definitum paschæ diem SINE ULLA DISCEPTATIONE cognosceret. » Vides Apostolicæ auctoritati in universalem Ecclesiam eam vim coactivam attribui, quæ omnem dubitationem de medio tolleret? Cur id non Alexandrino, sed Romano pontifici attributum, et huic quidem attributum non ex delegatione quâdam ipsius concilii, sed ex apostolicâ ipsius auctoritate, nisi quia non Alexandrini, sed Romani tantùm antistitis apostolicam auctoritatem ad universam Ecclesiam omni sublatâ dubitatione cogendam per se sufficere Nicæni Patres certissimè noverant?

Non deerunt fortassis, qui hisce testimoniis

(1) Quidam adversarii præferentes hoc loco lectionem editionis anni 1526, his verbis expressam, « juxta eum modum, qui et in gestis conciliorum, et canonibus continetur, » contendunt potestatem pontificiam in universam Ecclesiam vi eorumdem verborum subjici canonibus conciliorum, damnantque alias editiones, ac si textum corruptum exhibeant. Verùm editionibus non est opus, ubi quinque, vel potiùs sex originalia exempla latinum et græcum textum proferentia cum originalibus, seu autographis subscriptionibus supersunt, quæ verba à me exhibita vindicant, illa verò editionis anni 1526, ignorant. Vide hâc de re fusè disserentem cardinalem Ursium cum P. Thoma Mamachio lib. 6, de Romani pontificis auctoritate cap. 11, art. unico, ubi quinque originalibus exemplaribus laudatis (sextum, quod addidi ex nostro Maffeio Hist. diplom. l. 1, p. 87, custoditur in archivo publico Bononiensi) genuinum quoque eorum verborum sensum, cohærentemque cum textu Græco, et cum ipsis etiam conciliorum gestis demonstrat, omneque effugium de medio plenissimè tollit. Quanquàm etiamsi recipienda esset lectio editionis 1526, *juxta eum modum*, etc., nihil nos turbaret, offenderet nihil. Quis enim negavit unquàm pontifices in pascendâ, regendâ et gubernandâ universali Christi Ecclesiâ debere adhibere modum contentum in sacris canonibus, quos ab se quoque sequendos ipsi pontifices professi sunt? Nulla in hoc quæstio, sicut et nulla ex hujusmodi professionibus pontificum, de quibus dixi capite præcedenti. Tota autem quæstio est, num id debeant jure ipsorum canonum, et eorum quidem canonum quibus assensus pontificum defuit, ac si juri ipsorum coactivo subsint; an verò altiori illo divino ac naturali jure, quod sine præjudicio supremæ auctoritatis obligat, uti eodem capite explicavimus.

opponent decretalem *Inter cuncta* Constantiensi concilio approbante editam à Martino V, sessione ultimâ, ubi Wicleffi propositio : « Non « est de necessitate salutis credere, Romanam « Ecclesiam esse supremam inter alias Eccle- « sias, » hâc censurâ configitur : « Error, si « per Romanam Ecclesiam intelligat universa- « lem Ecclesiam, aut concilium generale, aut « pro quanto negaret primatum summi pon- « tificis super alias Ecclesias particulares. » Quibus postremis verbis Ecclesiæ quidem particulares, non verò ipsa universalis Ecclesia, aut generale concilium eam repræsentans, primatui seu pontificiæ jurisdictioni subjicitur. Hæc Martinus V totidem verbis exscripsit ex actis Patrum Constantiensium in condemnandis erroribus Wicleffi; Patres autem Constantienses jure notârunt erroris, et erroris sanè contra fidem, de quâ tum decidendum fuit, negare primatum et jus pontificium super particulares Ecclesias. Num verò par error contra fidem dici posset negare primatum et jurisdictionem pontificis super universam collectivè Ecclesiam, de quâ re tunc tanta erat controversia? quis non videat non fuisse pariter decidendum ab iisdem Patribus in eo concilio, in quo jus supra ipsum pontificem generali synodo tribuere ex circumstantiis ejus temporis necessarium videbatur? Cùm itaque Martinus V, sub finem synodi ea verba suæ constitutioni inserta recepit confirmavitque, illud recepit et confirmavit, quod certum et verum erat ex catholicâ fide; neque hoc approbare idem est ac negare potestatem pontificis in universam Ecclesiam, sed et tantùm id prætermittere, quod tum in magnam controversiam adductum apud Catholicos, ita certum de fide affirmari non poterat, uti certum erat ex eâ parte, quæ particulares Ecclesias respicit. Hinc ergo deduci tantummodò potest, primatum et potestatem Papæ supra universalem collectivè Ecclesiam, et ex consequenti supra generales synodos eam repræsentantes tunc non fuisse definitum. Num verò quod tunc definitum non fuit, ex testimoniis antiquorum Patrum aliisque momentis hactenùs allatis et mox adjiciendis satis manifestè colligatur, quivis haud præoccupatus adversariorum præjudiciis facilè dignoscet.

Ratio quidem pontificii primatûs idipsum exigit. Cùm enim primatus non meri honoris et ordinis, sed peculiaris jurisdictionis institutus fuerit à Christo in bonum unitatis Ecclesiæ, ut capite constituto scissurarum et schismatis tollatur occasio, vim profectò coactivam in omnes collectivè debet habere, sine quâ latus schismatibus et scissuris aditus pateret, unitatisque bonum obtineri non posset. Hinc quâ ratione ea vis in singulos ab adversariis conceditur causâ primatûs, eadem in omnes collectivè concedenda est, cùm universæ Ecclesiæ unitas non ex singulis tantùm, sed ex omnibus collectivè sumptis et in unum coactis redeat. Quòd si hæc non valere credantur in materiâ disciplinæ, in quâ non ita unitas omnium necessaria est, ut in negotio fidei, nonne ex primatu Romanis pontificibus jus à sanctis Patribus et potestas tribuitur non solùm præcipiendi singulis, verùm etiam ferendarum legum disciplinæ, quæ ex legum naturâ non singulos tantùm, sed omnes etiam obligant? Caput, quod præest non tam singulis quàm omnibus membris, non tam singula quàm omnia pro suo jure regit et moderatur. Cùm Patres Chalcedonenses de se in concilio collecti scripserunt ad Leonem Papam : « Quibus tu qui- « dem sicut membris caput præeras, » nonne verbo *præesse* superiorem in se collectivè sumptos auctoritatem eidem tribuerunt, qualis capiti in membra collectivè sumpta competit? Patres quoque in Ephesinâ synodo adunati, cùm se coactos litteris Cœlestini affirmârunt ad depositionem Nestorii, nonne potestatem in se coactivam pariter agnoverunt? Summus pastor, cui subordinati sunt atque subjecti inferiores pastores, imperare utique non solùm singulis, verùm etiam omnibus potest. Obedientiæ quoque debitum, quo singuli obligantur summo pontifici, cùm neminem excipiat, omnes etiam collectivè sumptos adstringit. Jure propterea, inter ipsos recentiores heterodoxos, celeberrimus Joannes Laurentius Moshemius, in dissertatione de Gallorum appellationibus ad concilium universæ Ecclesiæ, hanc eorumdem celebrem distinctionem de potestate summorum pontificum in omnes singillatim seu distributivè, non verò collectivè sumptos paucis refellens, scripsit : « Quod univer- « sis sive singulis Ecclesiis præesse pontificem « dicunt, non universæ Ecclesiæ, id tam mihi « scitum videtur, ac si quis affirmaret, mem- « bra quidem à capite regi, non verò quòd ex « membris constat corpus ; aut urbes quidem « omnes, villas et prædia subesse regi, non « verò, quæ his continetur, ipsam provin- « ciam. » Bossuetius etsi distinctionem distributivi et collectivi alicubi ingerit, tamen in Defensione libro 10, al. 15, c. 5, Romanos pon-

tifices universæ Ecclesiæ præesse affirmare non dubitavit: quod ex antiquorum formulâ communique sensu totam Ecclesiam collectivè acceptam denotat.

Audirem libenter, undenam adversarii colligant probentque, pontificiam jus, quod negare nequeunt in singulos, non æquè posse vim suam in omnes in œcumenicâ synodo collectos exercere. Dicent fortassis ex naturâ concilii generalis, in quo totum jus Ecclesiæ residet? Qui id assereret concilio sejuncto à capite, cui scilicet caput non præbet assensum, principii quod negatur et in quæstionem venit, vitiosam, ut vocant, petitionem incurreret; decretis enim editis sine assensu capitis, concilii generalis vim et auctoritatem detraximus, quippe quam ipsis adversariis docentibus sitam esse vidimus in consensu membrorum, seu corporis episcoporum cum capite. Num ex solâ convocatione legitimâ, cui Papa assensus sit, generalis concilii vis Patribus collectivè sumptis ita acquiritur, et etiam sine capitis assensu, vel potiùs cum dissensu, illorum decreta omnes ipsumque pontificem obligent? Nonne concilium Ephesinum II, convocatione legitimum, deficiente assensu capitis nihil potuit non solùm in materiâ fidei, sed neque in negotio disciplinæ? Nonne Chalcedonense fuit legitimè convocatum? Cur ergo canon de prærogativâ Constantinopolitanæ sedis, cui Papa assensus non est, vim generalis synodi, quâ Leonem cogeret, ex ipsâ legitimâ convocatione non est consecutus? Nonne ipsi Patres Chalcedonenses, cùm pontificiam approbationem præsertim pro eo canone sollicitè postulârunt, pontificii assensûs necessitatem agnoscentes, solam convocationem legitimam ad vim coactivam nequaquàm sufficere præsumpserunt?

Nemo hìc omni alio subsidio destitutus, ut suadeat à distributivo minùs rectè argumentum deduci ad collectivum, exemplum afferat ejus qui potest per se movere ac ferre singulos cujusdam magni acervi lapides, non tamen omnes collectivè; vel ejus qui potest pugnando singulos hostes vincere, non tamen collectivè omnes, etc. Inepta enim prorsùs hæc sunt in rem presentem, in quâ non de potentiâ virium corporalium aliorumque similium agitur, sed de potestate auctoritatis atque jurisdictionis nemini (1) subordinatâ, atque supremâ, quâ qui fruitur in singulos distributivè, fruitur etiam collectivè in omnes, cùm non tam singulis, quàm omnibus jurisdictione præsit. Ita Dominus non tam in singulos alicujus familiæ homines, quàm in omnes collectivè jus habet; rex non tam in singulos quàm in omnes sui regni subditos; pater non minùs in singulos quàm in omnes filios, etc.; neque ullum reperietur exemplum, quo is qui auctoritatem seu jurisdictionem habet in singulos, non habeat etiam collectivè in omnes. Quomodò igitur hæc distinctio adstruatur in summo pontifice, qui vi primatûs universæ Ecclesiæ præpositus fuit à Christo, et in unitatis bonum ita præpositus, ut nisi omnes collectivè posset cogere ad ea quæ omnium unitatem Ecclesiæ necessariam respiciunt, id est, à fidei et communionis unitatem, inanis et inefficax esset auctoritas, Christique institutio? Ex hâc autem pontificiâ potestate in omnes collectivè ob unitatem communionis et fidei profluit, ut alibi monuimus, illa suprema et plenissima Romanorum pontificum potestas in universam Ecclesiam in rebus cæteris, quæ regimini ejusdem Ecclesiæ utilia vel necessaria videantur, etiamsi in ipsis omnium unitas non perinde sit necessaria, uti in materiâ communionis et fidei.

(1) Excipiendus quidem esset casus, quo quis à suæ potestatis auctore ita præpositus esset singulis alicujus magistratûs, vel communitatis, ut omnium collectioni subordinatus fuisset. Quis autem hoc de S. Petro, aut de Romanis pontificibus suspicetur? S. Petrus, qui non ab Ecclesiâ, sed à Christo institutus fuit Apostolorum princeps jure primatûs ob custodiendam totius Ecclesiæ unitatem, jus non tam in Apostolos singulos, qui Petro erant subordinati ex cap. 1, § 3, not. 3, quàm in omnes collectivè obtinuit (*super omnes sine restrictione,* inquit Bossuetius laudatus supra c. 3); et similiter dicendum de pontificibus Romanis, qui in idem jus primatûs succedunt. Bonum enim unitatis, ob quam jurisdictio primatûs ipsi ejusque successoribus tradita fuit, exigebat, ut qui ob custodiendam unitatem omnibus fuissent præpositi, nulli ipsorum, nec omnium collectioni essent subordinati, ne facilis dissidiis aditus pateret: quæ si suâ auctoritate ille non posset componere, munus unitatis conservandæ sibi commissum defectu potestatis ad id sufficientis non posset implere. Romanorum pontificum potestatem in spiritualibus cùm *supremam* vocat Tridentina synodus ex traditione Patrum, qui eos præpositos affirmant UNIVERSÆ ECCLESIÆ, jurisdictionem pontificiam nemini subordinatam declarat, ac proinde omnibus etiam collectivè sumptis superiorem significat, neque distinctio antiquitati ignota inter distributivum et collectivum hâc in materiâ induci cœpit, nisi postquàm ob remedium pertinacissimi schismatis necessarium visum est illorum potestatem concilio generali subjicere: quod quàm sit infirmum ex sequentibus patefiet.

dei : neque enim idem, qui singulis distributivè sumptis præpositus sit, ex parte præesse omnibus collectivè dici potest, ex parte autem subesse. Si verò ex constitutis Romano antistiti jus est in omnes etiam episcopos collectivè sumptos, non minùs quàm in universam Ecclesiam, quomodò episcopis in generali synodo collectis jus esse potest in ipsum pontificem? Num jus juri repugnans utrinque æquale licet adstruere? Cùm ergo jus summorum pontificum in omnes collectivè episcopos, et super ipsa generalia concilia tot momentis probatum nutare non possit, irritus semper erit eorum conatus, qui jus eorumdem conciliorum super pontifices nulli antiquo firmo fundamento innixum, imò toti antiquitati repugnans, necnon rationi jurisdictionique propriæ primatûs, defendere student. Id autem quod dixi, nulli antiquo firmo fundamento innixum, imò toti antiquitati repugnans, multò patebit evidentiùs, si opinionis adversariorum seram originem novitatemque detegamus.

CAPUT V.

DE SERA ORIGINE ET NOVITATE OPINIONIS, QUÆ CONCILIIS GENERALIBUS AUCTORITATEM ET JUS TRIBUIT COACTIVUM IN SUMMOS PONTIFICES.

Si tota lustretur antiquitas, cùm multa documenta supremam illam summorum pontificum auctoritatem indicant in universam Ecclesiam, quæ ex divini juris primatu fluit, et indicant quidem in totam Ecclesiam etiam collectivè sumptam, uti primatûs ratio et scopus exigunt, tum verò nullum antiquum documentum licebit reperire, quod illos generalis concilii jurisdictioni subjiciat. In hanc rem demonstrandam juverit vetusta gesta recolentes, initia ejus sententiæ inquirere, quæ memoratis conciliis jus supra pontifices asserit.

Novitatem et seram opinionum originem in materiis fidei certam esse erroris notam inter omnes Catholicos convenit, ex principiis Tertulliani, Vincentii Lirinensis et aliorum Patrum : dogmata enim fidei cùm ex revelatione divinâ, seu ex doctrinâ, quam Christus aut Spiritus sanctus Apostolos docuit, provenerint, nova esse non possunt : quidquid autem posteriùs inductum antiquam originem nequit ostendere, non revelato dogmati sed errori deputandum. Fieri quidem potest ut doctrina aliqua à Christo et ab Apostolis tradita, quæ ab initio Ecclesiæ exploratè cognita, erat certum dogma, ita cursu temporis hominum opinionibus disputationibusque obfuscetur, ut quamdiù inter Catholicos controvertatur ante definitionem Ecclesiæ, neutrâ ex parte dogma certum suppetat, nec hæretici habeantur propugnantes sententiam, quæ subinde definitione Ecclesiæ error et falsa declaretur. Ita S. Cypriani et aliorum Africæ Asiæque episcoporum opinio de baptismo extra Ecclesiam collato hæresis non fuit, antequàm Ecclesiæ definitio prodiret ; et similiter hæreseos notari nequit eorum cæteroquin catholicorum sententia qui re nondùm definitâ summos pontifices conciliorum generalium jurisdictioni et auctoritati subjiciunt. Juvat nihilominùs disputando hujus opinionis originem quærere; et, si mihi succedat ostendere, eam inter Catholicos noviter inductam atque susceptam occasione schismatis pertinacissimi sub tempus conciliorum Pisani et Constantiensis, falsitas ejus ipsâ novitate demonstrabitur.

§ 1. *De gestis conciliorum generalium usque ad octavam synodum œcumenicam.*

Cùm jam inde ab initio Ecclesiæ ex perspectâ divinâ pontificii primatûs institutione exploratum inter Catholicos esset, Romanos pontifices jurisdictionem habere in universam Ecclesiam, num eisdem subessent ipsa generalia concilia, quæ universalem Ecclesiam repræsentant, apud illos dubium non fuit. Soli hæretici post condemnationem suorum errorum appellantes à Papæ sententiâ ad synodum œcumenicam, hujus auctoritatem pontificiâ superiorem prætulère : appellatio enim propriè dicta ab inferiori ad superiorem defertur. At cùm ipsi ad id proruperint non ex catholico sensu (omnes enim Catholici ejusmodi appellationes damnabant), sed ex pertinaciâ in errore, ut se à legitimâ sententiâ appellationis titulo subducerent, hæc errantium et pertinacium hominum exempla apud Catholicos nihil probare et evincere poterunt. Conciliorum quidem generalium Patres quantùm detulerint auctoritati Apostolicæ non solùm in materiis fidei, verùm etiam in negotiis disciplinæ, cùm non minùs in istis quàm in illis ad generalis synodi vim pontificio assensu indigerent, patet ex constitutis cap. 2 et seqq. Cùm Ephesini Patres se dixerunt *coactos* Cœlestini litteris ad ferendam contra Nestorium sententiam, quæ ex parte definitionis pertinebat ad fidem, ex parte autem judicii circa personam Nestorii spectabat ad disciplinam, utrâque in materiâ jus pontificium super se et super generalem synodum planè coactivum satis declarârunt.

Bossuetius, ut antiquitatem contrariæ nobis sententiæ constitueret, licet expenderit diligentissimè omnia vetera generalium synodorum acta et documenta, nihil tamen potuit reperire, ex quo jus earum supra Romanos pontifices uspiàm colligeret. Solùm excerpsit quædam gesta, quibus (1) novum examen, novumque judicium post apostolicam definitionem institutum fuit. Istud autem cùm non fuerit institutum, nisi ut dubitantes ad unitatem pontificiis definitionibus debitam revocarentur, aut hæreticorum pertinacia apertiùs revinceretur, nihil hæc evincunt pro asserendâ ejusmodi conciliorum potestate supra ipsas definitiones pontificias, si præsertim infallibiles dicendæ sint ex latè constitutis c. 15, ipso Bossuetio exploratè affirmante : «Infallibilem, quâ quidem in re talis est, cuiquam subesse nefas.»

Ex generalibus antiquis synodis unum opponi posse videtur sextum concilium, quod in Papam Honorium anathema tulit. Id autem opponeretur omninò ineptè. Ut enim hoc factum probaret generalis concilii jurisdictionem in summos pontifices, duo probanda essent, nimirùm et Honorium, jamdiù ante è vivis sublatum, adhuc fuisse summum pontificem actuali primatu fungentem, et concilium eo anathemate veram in ipsum jurisdictionem exercuisse. Utrumque autem falsum est. Summi enim pontifices, unà cum vitâ pontificatum actualem amittentes, secum non deferunt primatum, sed in sede Apostolicâ relinquunt ad successores transferendum : et sicut nullam primatûs jurisdictionem habent ampliùs, nec exercere possunt in Ecclesiam, ita ecclesiastica propriè dicta jurisdictio atque potestas, quæ Petro et Apostolis eorumque successoribus à Christo tradita fuit super terram tantùm, ad mortuos non extenditur, quorum judicium soli Deo reservatur, ut monuit S. Gelasius in Epistolâ ad Dardanos de causâ Acacii, et in Gestis synodalibus de absolutione Miseni. Damnatio verò et anathema, quod aliquando latum fuit ab Ecclesiâ in mortuos, sicut et quorumdam qui obierant, absolutio, non fuerunt actus jurisdictionis propriè dictæ in ipsos, quasi mortuos extra Ecclesiæ judicium constitutos ipsa posset ligare vel solvere, nec sortem ipsorum, cui post mortem divino judicio fuêre addicti, potuit mutare (indulgentiæ pro animabus purgantibus per modum suffragii impertitæ ab Ecclesiâ, ad jurisdictionem propriè dictam non sunt referendæ); sed tota earum vis ac jurisdictio quædam vivos respicit, ut absolutos ex. gr. ab excommunicatione donare possint ecclesiasticâ sepulturâ, atque juvare suffragiis; vel damnatos, ex. gr., ob errorem quem docuerunt, vel cui favorem præstitêre, ita caveant, ne ipsorum scriptis aut auctoritate decipiantur. Ita Honorius damnatus, quia suâ minùs rectâ œconomicâ dispensatione, de quâ diximus ubi de vi et ratione primat. cap. 11, § 1, et cap. 15, § 9, Monothelitarum hæresi favisse judicatus est, non eam quidem approbando, sed expressam condemnationem omittendo, licet ob implexas tunc circumstantias facti ita bonâ fide omisisse videatur, ut coram Deo à culpâ saltem gravi excusari potuerit; itaque anathema latum à synodo VI in Honorium post mortem, ad probandum jus ejusdem generalis synodi in ipsum pontificem mortuum nihilum confert.

Si quid gravius in Honorii condemnatione perstrinxisse credantur sextæ synodi Patres, non eum litterarum ejus sensum perstrinxerunt, quem obvia earumdem litterarum verba præferunt, sed illum quo eadem verba œconomicâ quâdam dispensatione minùs cautè expressa, in pravum sensum à Monothelitis fuerunt detorta, ut suo errori patrocinium ex ipso pontifice quærerent. Non ergo obvium verborum sensum, qui, ut alibi ostendimus, ab hæresi Monothelitica abest, damnârunt concilii Patres, sed eum quem Honorii litteris pravâ interpretatione affixerunt Monothelitæ; eâdemque de causâ ipse pontifex cum iisdem Monothelitis concinere, novæque hæresi favorem præstitisse, ac idcircò unà cum illis damnandus visus est. Hoc quidem sensu tantummodò condemnationem ejus factam in sexto concilio approbavit Leo II, in litteris ad imperatorem Constantinum, quæ cùm ejusdem concilii confirmationem contineant, unde conciliorum generalium vis pendet, non alio sensu condemnatio concilii rata dici potest. Enimverò harum litterarum Leonis latinum originale exemplum non suppetit, sed græca tantùm interpretatio actis concilii subjecta, ex quâ

(1) Hoc quidem uno argumento idem Bossuetius lib. 10 Defensionis c. 22, revinci posse credidit S. Gelasium, cùm scripsit nulli licuisse de judicio sedis Apostolicæ judicare : « Neque « tantus pontifex ignorabat antecessorum suo- « rum Cœlestini Leonisque sententias in Ephe- « sinâ et Chalcedonensi synodis retractatas, « deque iis canonicè judicatum. » Verùm hoc argumentum quàm sit imbecille patebit ex iis quæ tum de Cœlestini Leonisque sententiis, tum de actis Ephesinis atque Chalcedonensibus disseruimus in opere de vi primatûs c. 15, § 11 et 13.

subinde duæ antiquæ versiones latinæ factæ fuerunt : ita ut Græcus ejus epistolæ textus pro originali habendus sit, sicuti et pro originali habetur textus Græcus epistolæ Agathonis, et synodicæ Romani concilii, quæ è latino originali, quod desideratur, tempore concilii in Græcam linguam traductæ actisque insertæ leguntur. Porrò antiqua versio latina Epistolæ Leonis ad imperatorem in editis conciliorum recepta, minùs accurata invenitur, ut patet ex emendationibus, quas Harduinus ex Græco ad suæ editionis marginem notavit. Ex his corrigendus ille textus latinæ antiquæ versionis in conciliis editus, quo Honorius Monothelitis idcircò accensetur, quippe « qui hanc Apostolicam Ecclesiam non apostolicæ traditionis « doctrinâ lustravit, sed profanâ traditione « immaculatam pervertere conatus est. » Pro verbis, *pervertere conatus est,* quæ hæreticam pravitatem innuunt, Harduinus ex Græco legendum notavit, *immaculatam maculari permisit.* Hanc quidem lectionem Leonis menti congruentem, et omninò præferendam vulgatæ versioni comprobant aliæ duæ ejusdem pontificis originales epistolæ latinæ eodem tempore et eâdem de causâ scriptæ, quæ ex originali latino in Hispaniam misso conservatæ fuerunt in codicibus ampliori collectionis Hispanicæ. Una ex his Leonis II epistolis ad episcopos Hispanos missa est, altera ad regem Ervigium. Lectio, quæ in memoratis ad imperatorem litteris ex Græco præfert: « Immaculatam macu« lari permisit, » concinit cum originali latino epistolæ ad Hispanos : « Flammam hæretici « dogmatis, non, ut decuit apostolicam aucto« ritatem, incipientem extinxit, sed negligendo « confovit, » et non absimiliter cum originali epistolæ ad regem : « Immaculatam apostolicæ « traditionis regulam... maculari consensit. » Verba, *maculari permisit,* et, *negligendo confovit,* seu hâc permissione ac negligentiâ *maculari consensit,* non expressam erroneam definitionem significant, sed omissionem definitionis, respiciuntque ea minùs cauta ipsarum litterarum verba, quibus fraude Monothelitarum in erroris favorem traductis, Honorius fidem immaculatam maculari permisit, atque confovit, seu (ut legitur in professione pontificum diurno insertâ) pravis eorum Monothelitarum erroribus favorem impendit. Quòd si ex ejus condemnatione factâ à Patribus concilii VI, id saltem inferri dicas, eos non judicâsse Papam infallibilem in materiâ fidei, cùm eum in dogmate Monothelitico errâsse crediderint, nisi antea probetur Honorii litteras continere definitionem fidei, et tales habitas à Patribus sextæ synodi, nihil aliud ex eâ condemnatione deduci ad summum potest, nisi eosdem Patres censuisse Papam errâsse, et potuisse errare circa fidem extra definitionem fidei, quod nec ego prorsùs inficior, cùm solis propriè dictis definitionibus infallibilitatis privilegium asserendum contendam.

Notanda potissimùm hâc in re verba tertiæ allocutionis Adriani II ad Romanæ synodi Patres, quæ lecta subinde et inserta fuerunt gestis octavi concilii œcumenici act. 10 : « Roma« num pontificem de omnium Ecclesiarum « pontificibus judicâsse legimus, de eo verò « quemquam judicâsse non legimus. Licet enim « Honorio ab Orientalibus POST MORTEM (cùm « scilicet non erat ampliùs actualis pontifex) « anathema sit dictum, sciendum tamen est « quia fuerat super hæresi accusatus (de exce« ptione casûs hæresis inferiùs erit sermo), pro« pter quam solùm licitum est minoribus ma« jorum suorum motibus resistendi, vel pravos « sensus respuendi : quamvis et ibi (in casu « Honorii) nec Patriarcharum, nec cæterorum « antistitum cuipiam de eo quamlibet fas fue« rit proferendi sententiam, nisi ejusdem pri« mæ sedis pontificis consensûs præcessisset « auctoritas. »

Adeò verò octavæ synodi Patribus persuasum fuit neminem posse contra primæ sedis antistites sententiam ferre, ut nec ipsis œcumenicis conciliis hanc potestatem attribuerint. Sic enim illi act. 10, can. 53 : « Si qua verò, « œcumenico synodo collectâ, de Romanâ « etiam Ecclesiâ controversia extiterit, licebit « cum decenti reverentiâ de propositâ quæ« stione veneranter percontari, responsumque « admittere, et sive juvari, sive juvare, non « tamen impudenter contra senioris Romæ « pontifices sententiam dicere. » In textu græco verbum, ἀποφέρεσθαι, legitur, quod hìc redditur, sententiam dicere. At si vim ejus verbi propriam spectemus, significat potiùs, in jus vocare, subintelligendo γραφὴν, vel δίκην, quæ formula est usitatior. Cur verò generali synodo non liceat nisi per impudentiam atque temeritatem Romanos pontifices in judicium vocare, aut contra ipsos sententiam dicere, ubi rebus expensis causa justa credatur, si legitimam supra ipsos generale concilium jurisdictionem habeat? Hoc œcumenicæ synodi testimonium nulli obnoxium controversiæ quantùm præstet aliis quibuslibet posterioris ævi, et inferioris

multò, aut nutantis auctoritatis, quæ ab adversariis opponi solent, facile est judicare. Hic certè generalis concilii canon, quo Romani pontifices ab œcumenicæ quoque synodi sententiâ atque jurisdictione subtrahuntur, satis superque omnem excessûs aut assentationis notam detergit ab eo generali axiomate : « Prima sedes « non judicatur à quoquam, » quod ex antiquitate ac ex quodam principio naturali depromptum, generalis quoque concilii jus in summorum pontificum personas evidenter excludit. Ea verò Bossuetii explicatio, quâ eumdem octavi concilii canonem restringendum putat ad eos casus de quibus Photius contra Nicolaum pontificem egit, haudquaquàm congruit generalibus illius canonis verbis, quæ de quibuscumque controversiis et casibus circa Romanam Ecclesiam aut summos pontifices aliquando excitandis, et ad œcumenicam synodum afferendis generalem regulam constituunt. Neque cum eodem Meldensi episcopo reponas, ipsum canonem accipiendum de casibus vulgaribus et ordinariis, quorum causâ convocatione synodi generalis pontificiam majestatem lacessere esset reverà impudentissimum; non autem intelligendum de casibus extraordinariis à Constantiensi synodo memoratis, in quibus tantùm œcumenicam synodum posse de summis pontificibus judicare pluribus in locis pronuntiat. Id enim etsi in speciem conciliaris auctoritatis restrictionem et moderationem præferat, rem tamen cum principiis juris non convenit. Si enim concilio generali per se jus esset supra Papam in extraordinariis casibus, nonne in ordinariis et minoris momenti multò magis? Neque enim ex causarum qualitate extraordinariâ vel ordinariâ supremi judicis jurisdictio pendet? nec qui in extraordinariis et gravioribus causis superior legitimus est, in vulgaribus desinit esse superior. Id verò magis multò dicendum, si non agatur de generali synodo convocandâ ob casum vulgarem et ordinarium, cujus causâ omnes Ecclesiæ convocatione generali non essent commovendæ, sed agatur, ut canon loquitur, de œcumenicâ synodo collectâ, et ad quam quæstio delata, in discussionem etiam sit adducenda, ut innuunt illa : « Licebit cum decenti reverentiâ de pro« positâ quæstione veneranter percontari, re« sponsumque admittere, » etc. Cur in hâc quæstione, quæ non versaretur circa casus extraordinarios in Constantiensi indicatos, impudens dici potuisset, generale concilium contra senioris Romæ pontifices sententiam dicere, si Patres credidissent ipsam generalem synodum per se jus habere supra Romanos pontifices? Quot minores aliorum episcoporum causæ inter extraordinarios casus non referendæ in generalibus synodis fuerunt definitæ? In causis autem circa sedem Apostolicam aut Romanos pontifices in hypothesi, quâ non solùm delatæ essent ad œcumenicam synodum jam collectam, sed ad examen etiam deductæ, num impudentiæ adscribi posset sententia; quam cognitâ causâ superior in inferiorem ferret? Hæc utique generalis censura canone laudato aliâ de causâ afficta non fuit, nisi quia generali quoque concilio jus per sese in Romanos antistites nullum competere crediderunt octavæ œcumenicæ synodi Patres, qui cùm ferè Orientales fuerint, quantò magis ab omni præjudicio et affectu liberi, tantò minùs suspecti esse queunt.

§ 2. *De gestis synodorum particularium, ac de aliquot insignioribus testimoniis quæ præiverunt schismati seculi XIV, conciliisque Pisano et Constantiensi.*

Quòd si nulla generalium synodorum testimonia aut gesta adversariorum sententiæ prosunt, multò minùs suffragari poterunt particularium synodorum gesta. Cùm enim ex constitutis in Constantiensi, adversariis quoque confitentibus, certum omninò sit particulares synodos, sicut et Ecclesias particulares subesse auctoritati summorum pontificum, nullæ profectò hujusmodi synodi possunt legitimam in ipsos jurisdictionem exercere, ne simul eidem subesse et præesse dicantur : ex quo Bossuetius ultrò concessit, « Romanos pontifices, etiamsi « peccâsse videantur, non tamen subesse par« ticulari concilio. » Hâc de causâ quæ aliquando à conciliis non generalibus gesta leguntur circa summos pontifices aliquot criminibus accusatos, etsi valere potuerunt ad vindicandam probandamque eorum innocentiam, accusatorum autem pravitatem declarandam, ad ipsorum tamen conciliorum jus in illos adstruendum nihil conferre queunt. Hinc quoque irritæ omninò habendæ nonnullæ depositiones pontificum à particularibus synodis, seu veriùs pseudo-synodis gestæ. Quòd si ipsi summi pontifices suâ innocentiâ confisi sese particularis synodi judicio voluntariè subjiciant, id voluntati ipsorum pontificum, non autem juri ejusdem synodi tribuendum erit, ut declaravit Romana synodus, quam in causâ Leonis III congregandam Carolus Magnus censuit : « Visum est piissimo

« principi et universis episcopis et sanctis Patribus qui ibi adfuerunt, ut si ejus (summi pontificis) VOLUNTAS fuisset et ipse petiisset, non tamen per eorum judicium, sed SPONTANEA VOLUNTATE se purificare debuisset; et ita factum est. » Verba sunt Annalistæ Lambeciani, qui eo tempore vixit. Hâc eâdem ratione se quoque purgare voluit S. pontifex Damasus, cùm calumniis impetitus, « ad prædicandam episcopi conscientiam severioribus SE DEDIT IPSE judiciis sacerdotum, » uti testantur Romani concilii Patres in litteris ad Gratianum et Valentinianum imperatores (Epist. 6, inter Damasi apud Coustant. n. 10). Severioribus, inquiunt, judiciis, quia in synodalibus judiciis non ea solùm fuerant expensa quæ accusator protulit, sed mores etiam accusati, ac tota vitæ ejus ratio ad calculos revocata; unde additur: « A quibus non nominis, sed etiam morum ratio pensatur, ne quis iterùm calumniator existens, dùm memoratum conatur appetere, virum quidem ipsum non queat lædere, quem innocentia sua munit. »

Si porrò considerentur quæ in particularibus, nec illegitimis ejusmodi synodis evenerunt, deprehendetur, magis magisque confirmari illud principium, quo summorum pontificum auctoritas omnibus eminens nulli ecclesiasticæ potestati subjicitur. Notæ sunt accusationes in Symmachum Papam ad Romanam synodum III, impellente etiam Theodorico rege delatæ; episcopi autem ejus synodi hoc judicium sibi non competere eâ de causâ declarârunt, quia « nec antedictæ (Romanæ) sedis antistes minorum subjacuisse judicio in propositione simili facilè forma aliqua testaretur. » Quibus verbis et principium laudatum proferunt, hocce judicium minoribus seu inferioribus in superiorem suum nequaquàm competere, et præterea addunt nullo anteriorum temporum exemplo id probatum iri. Licet verò ipse Symmachus sese illorum judicio subjecisset, « affectu purgationis suum culmen humilians, » paratus coram illis causam agere (non quòd jus supra se aliquod in synodi episcopis agnosceret, sed ut hâc purgatione innocentiam suam palam faceret), adhuc tamen illi solum Deum summis pontificibus superiorem rati, « totam causam Dei judicio reservârunt, arbitrio divino remiserunt. »

Idem principium ingessit etiam Ennodius postea episcopus Ticinensis in ejusdem Symmachi Apologiâ scribens: « Si vera est episcoporum assertio, sedis Apostolicæ præsules minorum nunquàm subjacuisse sententiæ, cur ad judicium districtâ conventione productus est? Numquid gloriatur securis contra eum qui secat in eâ? » Et post aliquantò laudatâ pontificis humilitate, quâ venerando concilio auctoritatem etiam contra se, si mereretur, indulsit, summi pontificis causas à Deo ipso suo judicio reservatas pronuntiat: « Aliorum fortè hominum causas Deus voluerit per homines terminare. Sedis istius præsulem suo sine quæstione reservavit arbitrio. »

Ne verò Ennodii Ticinensis, aut Romanæ synodi verba in favoris et gratiæ suspicionem adducantur, subdam testimonium Aviti archiepiscopi Viennensis, quod totius Gallicanæ Ecclesiæ sententiam et principium cunctis nationibus naturali lumine notum similiter protulit in eâdem Symmachi causâ. Primò omnium Gallicanorum nomine scribens ad senatores urbis ait: « A cunctis Gallicanis fratribus meis ad hoc ipsum non minùs per mandata quàm per litteras oneratus, quæcumque vobis omnes ambimus, unus suggerenda suscepi. » Tùm omnium item nomine conqueritur concilium congregatum fuisse in causâ pontificis memorati, qui « si seculo primùm fuerat accusatus, consacerdotum suorum solatium potiùs adsciscere, quàm recipere debuisset judicium. » Et rationem subjicit: « Quia sicut subditos nos esse terrenis potestatibus jubet arbiter cœli, staturos ante reges et principes in quâcumque occasione prædicens, ita non facilè datur intelligi, quâ vel ratione vel lege ab inferioribus eminentior judicetur. » Audin', nec ex ratione naturali, nec ex lege ullâ posse inferiores de superiore judicare?

Hoc idem principium satis indicavit etiam S. Nicolaus I, in epistolâ 8, ad Michaelem imperatorem scribens: « Cùm secundùm canones, ubi est major auctoritas, judicium inferiorum sit deferendum, ad dissolvendum scilicet, vel ad roborandum, patet profectò sedis Apostolicæ, cujus auctoritate major non est, judicium à nemine fore retractandum, nec cuiquam de ejus licet judicare judicio. » Eadem scilicet est de judiciis pontificum, ac de ipsorum personis ratio, ita ut nemini inferiori competat de illorum qui majoris auctoritatis sunt, sententiis vel personis judicare.

Hoc quoque principium, quo summi ponti-

fices à quolibet ecclesiastico judicio subducuntur, cùm ex primatu toti Ecclesiæ superiores sint, non obscurè significavit Quintilineburgense concilium, de quo hæc referre libet ex coævo scriptore Bertoldo presbytero Constantiensi in Appendice ad Hermannum Contractum ad annum 1085 : « Cùm omnes juxta « ordinem suum consedissent, prolata sunt in « medium decreta SS. Patrum de primatu « sedis Apostolicæ, etc. Quidam Barbengensis « clericus nomine Cunibertus, Romani ponti« ficis primatui derogare volens, in mediam « synodum se contulit, asserens Romanos pon« tifices hunc sibi primatum adscripsisse, non « aliunde concessum hæreditâsse, videlicet ut « nullus de eorum judicio judicare debeat, « nec illi alicujus judicio subjaceant. Qui cùm « apertè à totâ synodo confutaretur, præcipuè « tamen à quodam laico convictus est per il« lud evangelicum : *Non est discipulus supra « magistrum.* Cùm enim hoc generaliter in om« nibus ecclesiasticis ordinibus observandum « deputetur, NE MAJOR A MINORE JUDICETUR, quî « hoc vicario sancti Petri denegare potuit, « quem omnes Catholici pro domino et ma« gistro venerantur? » Non solùm præmissa primatûs ratio, sed etiam evangelicum illud : *Non est discipulus supra magistrum*, referuntur ad principium omni jure notum, quo superior ab inferiorum jurisdictione eximitur.

Hanc eamdem doctrinam viguisse etiam apud Gallicanos seculo XII, ex Ivone episcopo Carnotensi discimus. Privilegium de investituris à Paschali II, per vim licet extortum, magnas toto Christiano orbe turbas excitaverat, multisque hæc quæstio ad finem pertinere videbatur. Hâc de causâ aliquot episcopi zelo permoti eumdem pontificem duxerunt excitandum ut ipsum privilegium revocaret. Guigo Viennensis archiepiscopus et Apostolicæ sedis legatus anno 1112, coacto in suâ metropoli provinciali concilio, in quo aderant S. Hugo Gratianopolitanus et S. Godefridus Ambianensis episcopi, idem privilegium rescidit, et datâ ad pontificem epistolâ unà cum synodi decretis, quibus omnes privilegium resciderant, confirmationem omnium nomine petiit hâc comminatione additâ : « Si, quod minimè credimus, « aliam viam aggredi cœperitis, et nostræ pa« ternitatis assertiones roborare nolueritis, « propitius sit nobis Deus, quia nos à vestrâ « obedientiâ repelletis. » Id autem etsi aliquid schismatis redoleat, non tamen jus aliquod in pontificem indicat. Ita verò nihilominùs exorbitans Ivoni visum est, ut (quod P. Natalis Alexander notavit) summo pontifici erranti non minas scissuræ intentandas, nec de eo aut contra eum ab inferioribus ferendum judicium, sed meris charitativæ correctionis suasionibus cum ipso agendum scripserit : « Quia verenda « patris debemus potiùs velare quàm nudare, « familiaribus et charitatem redolentibus litte« ris admonendus mihi videtur, ut se judicet, « aut factum suum retractet. Quod si fecerit, « referamus Deo gratias, ac gaudeat nobiscum « omnis Ecclesia, quæ graviter languet, dùm « caput ejus laborat tantâ molestiâ. Si autem « in hoc languore insanabiliter ægrotaverit, « NON EST NOSTRUM JUDICARE DE SUMMO PONTIFI« CE. Habemus enim evangelicam sententiam, « quæ securos hos (al. *nos*) facit, Matth. 23 : *Su« per cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pha« risæi. Quæ dicunt, servate et facite : secundùm « verò opera eorum nolite facere.* Vult enim hæc « sententia præcepta præsidentium ad cathe« dram pertinentia obedienter impleri (etiamsi « tales sint, quales erant Pharisæi) non eos « factiosâ conspiratione à suis sedibus remove« ri. Si verò ea præcipiant quæ sint contra « doctrinam evangelicam vel apostolicam, ibi « non esse eis obediendum exemplo docemur « Pauli Apostoli, qui Petro sibi prælato non « rectè incedenti ad veritatem Evangelii in fa« ciem restitit, non tamen eum abjecit. »

Cùm ob hanc eamdem quæstionem sub idem tempus convocatum fuisset Lugdunensis provinciæ concilium, et ad ipsum invitati fuissent etiam episcopi provinciæ Senonensis, inter quos erat laudatus Carnotensis episcopus Ivo, horum omnium nomine scripta fuit epistola ad Joannem, seu meliùs cum Norisio ad Jotseranum Lugdunensis primæ sedis, archiepiscopum in quâ illi inter rationes, cur ad synodum non accederent, hanc tertio loco posuerunt, quia in eâdem synodo de privilegio Romani pontificis decernendum erat, quod inferiorum potestati non convenit : « Non videtur nobis utile consilium ad « illa concilia convenire, in quibus non possu« mus eas personas contra quas agitur, condem« nare vel judicare, quia nec nostro nec ullius « hominum probantur subjacere judicio. » Et post pauca : « Hæc dicentes non instruimus « prudentiam vestram, sed excusamus inno« centiam nostram, quia et principales Eccle« siæ claves nolumus potestate suâ privare, « quæcumque persona vices Petri habeat, nisi « manifestè ab evangelicâ veritate discedat. » Haud credo Joannem, seu Jotseranum, qui non

solùm Lugdunensis erat archiepiscopus, verùm etiam pontificiâ legatione fungebatur, quidquam tentare voluisse in personam pontificis, sed tantùm de privilegio, quod extortum fuerat, judicium à Viennensi non dissimile edendum putâsse, quo Papa ad revocationem conjunctis cum Viennensi stimulis impelleretur. At ratio ab Ivone allata principium comprobat quod statuimus, neminem episcoporum, nullumque concilium sibi arrogare posse neque hâc nec quâcumque aliâ de causâ personam pontificis suâ auctoritate ac dignitate spoliare, quia nullus ipsi superior est : cui rationi cùm in responsione satis prolixâ ad Ivonem idem archiepiscopus, qui cæteris, ut potuit, respondit, nihil reposuerit, eamdem satis certam et ipse cognovisse videtur. Notanda autem exceptio, quâ eo solo casu posse privari potestate clavium ipsum pontificem innuit, « si manifestè ab « evangelicâ veritate discedat; » nimirùm ob hæresis manifestæ crimen, quo cùm à pontificatu ipso facto decidens pontifex ampliùs non esset, nihil mirum si subjectus concilio, potestate clavium spoliari, seu potiùs spoliatus atque depositus posset declarari, ut pluribus explicabitur c. 9, § 2.

Eamdem exemptionem summorum pontificum ab omnium hominum judicio confessus est etiam Philippus, qui de imperio certabat cum Ottone : sic enim scripsit ad Innocentium III, in epistolâ apud Raynaldum anno 1206, num. 16 : « Si nos in aliquo vos, vel Romanam Ec« clesiam offendisse videamur, nos pro honore « Domini nostri Jesu Christi, cujus vicem in « terris geritis, et ob reverentiam B. Petri « principis Apostolorum, cujus vicarius estis, « et ob salutem nostram nos ad satisfaciendum « vobis supponimus. Si verò vos in aliquo nos « vel imperium læsisse videmini, conscientiæ « vestræ super iis vos relinquimus. Cùm enim « nos piè credamus et ante passionem et post « passionem Dominum nostrum Jesum Chri« stum B. Petro claves regni cœlorum contu« lisse, et tradidisse jus ligandi atque solvendi, « scimus et protestamur quòd vos, qui in lo« cum suum cum plenitudine potestatis suc« cessistis, in hujusmodi articulis ab homine « non estis judicandus, sed judicium vestrum « soli Deo reservatur, cujus judicium et exa« men, quod sibi soli debetur, nobis non quæ« rimus usurpare. » Qui judicium de summis pontificibus soli Deo reservatum juxta antiquorum traditionem affirmavit, eosdem exemptos procul dubio censuit à quorumcumque etiam generalium conciliorum judicio. Mirum autem maximè accideret, si quidam adversarii eam S. Cypriani sententiam, quâ in concilio Carthaginensi III, pronuntiavit judicia de episcopis soli Deo reservata, ingererent atque laudarent, ut ipsos episcopos à Romani pontificis judicio subducerent; in reprehensionem autem vocarent non dissimilem Ivonis aliorumque doctrinam, quâ Romanus pontifex subtrahitur à judicio episcoporum, quibus ille jure primatûs superior est.

Sub hoc tempus audiri cœperunt appellationes à decretis pontificum ad generale concilium. Sed Catholici, qui sic appellârunt, cùm non intellexerunt concilium generale, quod careret consensu pontificis, tum non cogitârunt concilium, quod vim coactivam haberet in eumdem etiam invitum quasi subjectum et inferiorem concilio, nec ad eum, si opus esset, deponendum; unde appellationes ejusmodi eo consilio tantùm interpositæ, ut in quibusdam gravaminibus opem Patrum concilii quærerent, non verò quasi jus istis in summum pontificem esse arbitrarentur, tanquàm extraneæ à nostro proposito prætermittendæ sunt; jureque Petrus de Marcâ veri nominis appellationes à Papâ ad synodum œcumenicam quoad Catholicos à veteri disciplinâ alienas prodidit. Hujus generis appellationes in remedium gravaminum propriùs novam causæ recognitionem requirunt, quæ vel olim supremi principis indulgentiâ concedebatur, ut eâdem auctoritate, quâ gravamen illatum fuit, tolleretur, nec superiore auctoritate opus esset.

Ad hanc speciem procul dubio referenda pariter est illa appellatio, quam occasione celeberrimi dissidii inter Bonifacium VIII et Philippum regem, Galli à decretis ejusdem pontificis interposuerunt non solùm ad generale concilium, verùm etiam ad futurum indubitatum parisque cum Bonifacio auctoritatis pontificem, quæ ab inferiori ad superiorem delata dici nequit. Neque ob provocationem primo loco ad concilium generale hujus auctoritas auctoritate pontificiâ superior habebatur ab illis Gallicanis, qui in ejusmodi synodis ad decretorum robur ac vim requirebant assensum pontificis, ut liquet ex libello à Bonifacii accusatoribus oblato Clementi V, ubi significant, ad damnandam, uti petebant, Bonifacii memoriam haud esse opus generali concilio, sed sufficere solius pontificis auctoritatem, hâc ratione allatâ : « Estis enim vos, Pater « sanctissime, Jesu Christi Vicarius totam

« Ecclesiam repræsentans, qui claves regni « cœlorum habetis : nec congregatum TOTUM « GENERALE CONCILIUM SINE VOBIS, ET NISI PER « vos, potest cognoscere de negotio. » Cur autem iidem Galli appellationem ad Papam vocârint appellationem *ad futurum indubitatum*, seu *verum et legitimum pontificem*, qualem habuerunt Bonifacii VIII successorem Clementem V, eâ de causâ factum est, quia dubium inter ipsos excitatum fuerat, num vivente Cœlestino V, quem non potuisse pontificatui renuntiare quidam censebant, ipsius Bonifacii legitima fuisset electio. Hoc quidem dubium erat inane : definitum enim fuerat Cœlestini constitutione licitum esse etiam summo pontifici pontificatui renuntiare ; idque confirmatum aliâ constitutione Bonifacii VIII, in sextum librum decretalium insertâ, et à totâ Ecclesiâ receptâ, sicut et Bonifacius ipse tanquàm legitimus ab eâdem Ecclesiâ receptus fuit. Addi potest in confirmationem Pascalis I auctoritas et exemplum. Hic enim jamdiù ante Cœlestinum in Pontianam insulam secedens, pontificatui renuntiare se posse credidit, ipsamque renuntiationem iterùm in concilio Lateranensi publicè declaravit, ut ex duobus coævis scriptoribus Sugerio et Hildeberto refert Cardinalis Norisius ; nec reasumpsit Ecclesiæ regimen, nisi priùs è solitudine revocatus à Romanis, dein precibus eorum cessisset.

Interim dùm Bonifacius VIII Anagniæ esset, Galliæ rex Guillelmo de Nogareto, qui in Italiâ erat, in mandatis dederat, ut concilii generalis convocationem abs se et à Gallicanis expetitam, necnon eorum appellationem ad ipsum concilium illi coram significaret : nam *ad hoc duntaxat* mandatum acceperat, ut Nangii continuator testatur. Verùm ille mandati limites prætergressus, conspiratione factâ cum conjuratis, ipsum Papam appellatione denuntiatâ captivum fecit, ut in Galliam ad concilium adduceret. Sed ereptus post triduum è conjuratorum manibus, Romæque receptus, cùm mox lethali morbo è vivis excessisset, nihil de appellatione ad generale concilium agendum fuit ; satiusque visum est agere cum successoribus ejus, ad quos pariter fuerat provocatum. Et primò quidem immediatus Bonifacii successor Benedictus XI, ad quem missa tum à rege, tum à Clero Gallicano legatio, ipsi regi nec petenti excommunicationem relaxavit, resciditque quidquid Bonifacius in regis regnique dignitatem statuerat. Dein mortuo post paucos menses Benedicto, Clemens V isti suffectus, omnia Bonifacii occasione ejusdem dissidii gesta atque decreta erasit, ut ex ipsis Regestis Raynaldus probat. Nihil hic tentatum de Bonifacii depositione, sed de rescissione decretorum, quæ regiis juribus obesse visa sunt. Solùm Joannes de Parisiis, in libro quem de Potestate regiâ et papali ob idem dissidium lucubravit, primus, quem invenerim, depositionis indicium præbuit. In memorato enim dissidio inter Bonifacium et regem Galliæ, pontificis deponendi facultatem non obscurè attribuit non solùm generali concilio, sed etiam Cardinalium (1) collegio, imò et ipsi principi seculari, at *indirectè* tantùm (2), subtrahendo scilicet subditos ab obedientiâ Papæ, etiam certi, « si « esset criminosus, et scandalizaret Ecclesiam, « et incorrigibilis esset, inhibendo omnibus « et singulis, ut nullus obediret vel serviret « Papæ ; unde compelleretur cedere. » Hanc verò sententiam idem Gallicanus theologus non absolutè decidendo, sed potiùs inquirendo et opinando paucis indicavit : nullumque alium (quem noverim) vel inter Gallos ob Bonifacii gesta (3) malè animatos suffragatorem tunc habuit. Non

(1) Potestatem collegii Cardinalium in depositionem summi pontificis hâc ratione adstruit, quia ex quo « consensus eorum facit « Papam loco Ecclesiæ, videtur quòd simpli- « citer possit eum deponere, siquidem fuerit « causa rationabilis. » Hæc verò ratio cùm pontificatûs seu primatûs collationem tribuat Cardinalibus electoribus ipsius pontificis, qui primatu expertes nequeunt ipsum electo tribuere, evidenter falsa est. Esto enim illi Papam eligant sede vacante, hâc tamen electione tanquàm conditione positâ, non ipsi, sed Deus primatum divini juris electo confert, ex quo cùm Papa electoribus fiat superior jure divino, nequit ab ipsis judicari atque deponi. Hàc quidem in re neque adversarii nostri repugnabunt, quippe qui solum generale concilium universam Ecclesiam repræsentans summis pontificibus jurisdictione præstare, eosdemque posse deponere arbitrantur. Neque illud ipsum collegium Cardinalium utriusque obedientiæ, qui tempore schismatis paulò post memorandi duos de papatu contendentes deponendos censuerunt, hanc sibi potestatem attribuere ausum est, sed in id generalem synodum Pisis convocandam censuit.

(2) subtractio obedientiæ à Papâ, non tamen juris certi, sed dubii, ut in obscurissimi schismatis circumstantiis accidit, illa via est, quam ad ipsum schisma auferendum rex Galliæ duxit recipiendam in conventu Parisiensi an. 1398. Vide t. 15 concil. Ven. edit. Coleti, col. 1072.

(3) Nihil itaque mirum, si sub hujus gravissimi dissidii tempus, Gallicanis in Bonifacium VIII malè animatis, sicut semina sparsa fuerunt, ex quibus subsecutum pertinacissimum ac exitiosum schisma originem duxit ; ita principia quædam auctoritati Apostolicæ minùs obsequentia apud nonnullos Gallos audiri cœpe-

defuisse quidem inter Gallicanos hujus quoque temporis theologos, qui antiquam tenerent sententiam quoad ipsum generale concilium, liquet inter cætera ex (1) opusculo tempore ejusdem dissidii scripto, ubi auctor utique Gallicanus apertè professus est, pontificatum à nullo homine posse adimi summo pontifici, quia omnes etiam coacti in concilio Papâ inferiores sunt. En ipsa illius verba quæ in memorato opusculo leguntur: « Summus Hierar« cha Romanus pontifex superior est omnibus, « ipse verus prælatus et pastor est Dominici « gregis, etc. Subditorum subtractio nullo « modo cadit in summum Hierarcham, nec « possibile est per hominem sibi subtrahi « subditos, quoniam non habet superiorem in « terris; sed omnis anima sibi subdita est « ejusque curæ commissa, neque à quopiam « judicari potest, sed cunctos judicaturus à « nemine judicandus est, nisi deprehendatur « à fide devius: et hæc superioritas non est « humano privilegio, sed divino, à quo est « institutio, et qui sibi pascendi gregis curam « commisit. Omni enim clero et populo IN « UNUM CONGREGATO manet obsequendi sibi ne« cessitas, et non auctoritas imperandi. » Ex hâc itaque gestorum serie, quam ex antiquitate deduximus, apparet manifestè, nihil vel ferè nihil hactenùs inter Catholicos potuisse obtinere, quod pontificiam auctoritatem cuipiam ecclesiasticæ jurisdictioni subjiceret, sed semper apud ipsos valuisse principium illud, quod antiqui variis occasionibus ingesserunt constanter, judicium de summis pontificibus nemini hominum competere jure primatûs, qui cùm ipsi superiores sint omnibus, non possunt ab inferioribus judicari.

§ 3. *De schismate cujus occasione adversariorum sententia orta est paulò ante synodos Pisanam et Constantiensem.*

Solùm tempore pertinacissimi ejus schismatis, quod post electionem Urbani VI, per annos ferè quadraginta discidit Ecclesiam, de subjiciendis contendentibus jurisdictioni concilii œcumenici seriò cogitari cœpit. Sed jurisdictio ejusmodi in eosdem adeò nova visa est, et primatûs rationi à majoribus traditæ adeò contraria, ut non facile fuerit hanc sententiam recipere firmoque decreto statuere. Generalis quidem concilii auctoritatem initio ejusdem schismatis agnoscens ipse Urbanus ac tres Cardinales Itali (1), convocationem faciendam proposuerunt Cardinalibus Gallicanis, ut statim synodi judicio schisma impediretur: iterùmque post electionem Clementis, ad comprimendum schisma hâc electione conflatum, ipsam generalem synodum statim indicendam et congregandam postulârunt. Hâc autem convocatione illud unum jus tribuendum erat concilio, quod et ab antiquis probatum fuit, nimirùm (2) cognoscere et judicare num et cujus electio fuerit legitima, ut reciperetur ab omnibus legitimè electus, et reprimeretur intrusus: quod nullum coactivum jus concilio in verum legitimumque pontificem, sed in intrusum tantummodò vindicat. Cùm verò Gallicani Cardinales huic convocationi se semper opposuissent, ad alia remedia confugiendum fuit. In id variæ consultationes et aliquot concilia, seu conventus præsertim Gallicani habiti sunt, in quibus dùm aliæ atque aliæ viæ schismatis exscindendi fuissent propositæ et incassum cessissent, ita res inquirendo et disputando in plures annos distracta et involuta fuit implicatissimis difficultatibus juris et facti, ut spe omni sublatâ decidendi, cujusnam contendentis legitima fuisset electio, necessarium visum fuerit jus asserere generali concilio ad deponendos etiam contendentes, si alias vias æquas refugerent.

Hoc consilium primi proposuerunt Gallicani doctores Universitatis Parisiensis an. 1395, id est, annis decem et octo post exortum schisma, cùm ob recusatam à Benedicto XIII cui adhærebant, viam omnium optimam renuntiationis, inter quæstiones varias hanc octavo loco discutiendam posuêre: « Utrùm Papa subjiciatur « concilio generali suæ obedientiæ in casu re« cusationis prædictæ cum sequelâ usque ad « depositionem inclusivè in casu pertinaciæ. » Adhuc tamen hoc jus generali concilio tribuere multis dissentientibus non statim obtinuit, dilataque res usque ad an. 1409, quo synodus Pisis celebrata fuit, in quâ nihilominùs Patres

runt, uti sunt illa Joannis Parisiensis, et alia nonnulla Durandi episcopi Mimatensis.

(1) Huic opusculo titulus est: Rationes, ex quibus probatur, quòd Bonifacius legitimè ingredi non potuit Cœlestino vivente.

(1) Raynald. an. 1378, n. 42 et 43, ubi Itali Cardinales scribentes ad Urbanum, dùm se cum Cardinalibus Gallicanis de convocandâ synodo locutos affirmant *juxta condicta coram vestrâ præsentiâ*, Urbanum ipsum hâc in re consentientem significant.

(2) De hâc quæstione agendum ac decidendum in concilio liquet ex documento apud eumdem Raynaldum an. 1379, num. 4.

non ausi sunt quemquam è duobus contendentibus suâ auctoritate deponere, nisi postquàm eos alio titulo depositos ex communi sententiâ existimârunt : siculi etiam in Constantiensi evenit, ut ex sequentibus capitibus patefiet. Ipsa quidem novitas opinionis, quæ jus coactivum deponendi contendentes in schismate concilio quantumvis generali tribuens, in totâ antiquitate nullâ congruâ auctoritate, nullo exemplo fulcitur, satis per se ipsius opinionis falsitatem detegit. Ne verò moveant earumdem synodorum Pisanæ et Constantiensis gesta, quibus adversarii maximè insistunt, quænam vis auctoritatis hâc in re iisdem synodis tribuenda sit, enucleatiùs expendendum est.

CAPUT VI.

NUM PISANA SYNODUS CELEBRATA AD EXSCINDENDUM SCHISMA, FUERIT CERTO ŒCUMENICA. CUR GESTA EJUSDEM, AC DEPOSITIONIS SENTENTIA IN DUOS CONTENDENTES EDITA ADVERSARIORUM OPINIONI NIHILUM PROSINT, SED POTIUS OBSINT, CONFIRMENTQUE ANTIQUAM SENTENTIAM, QUÆ GENERALI QUOQUE CONCILIO JUS SUPRA PONTIFICES DENEGAT.

Si affirmem ex Pisanâ synodo nihil certæ auctoritatis deduci posse, ut certum asseratur jus conciliorum generalium supra Romanos pontifices, nemo facilè revincere poterit. Ideò certam auctoritatem ex eâ synodo adversarii colligendam existimant, quia ipsam œcumenicam fuisse arbitrantur : frustra enim certum argumentum quærerent ex particulari, seu non generali concilio, quod juri pontificio subjectum, ex eorumdem adversariorum principiis nihil supra pontifices posset. Ut autem statuatur aliquam synodum esse verè œcumenicam, tria sunt decernenda. Primò à quonam concilium verè œcumenicum sit convocandum : secundò quot et quinam episcopi debeant in eo convenire, ut sit et dicatur verè œcumenicum : tertiò quot et quorum episcoporum in eo convenientium suffragia in unum confluentia sint necessaria, ut decreta vim generalis concilii obtineant.

§ 1. *De jure convocandi concilia generalia.*

Quoad primum, cùm concilium generale ex totâ catholicâ Ecclesiâ sit convocandum, ad eos tantùm pertinere potest jus convocandi, quibus in totam Ecclesiam, et in omnes totius Ecclesiæ episcopos juridictio competit. Quòd si convocandarum synodorum jus in spirituale bonum Ecclesiæ refertur ad potestatem clavium, negari à quopiam non poterit quin summo pontifici, cui ratione primatûs competit jus et potestas clavium in universam Ecclesiam, ob eumdem primatum competat quoque jus indicendi synodos generales : quod jus si tribuendum est etiam conciliis generalibus, quæ pariter jus habent in universam Ecclesiam, id rarissimis in casibus accidet, nec in indictione ab istis conciliis faciendâ deerit unquàm auctoritas summi pontificis, quæ generalium synodorum gestis, ut rata sint, semper necessaria est. Papæ quidem hoc jus convocandi concilia generalia competere nemo adversariorum negat ; imò inter præcipuas ejus prærogativas ac jura ratione primatûs hoc esse fatentur, synodos œcumenicas, quando expediat vel necesse sit, indicere, et ad eas episcopos è totâ Ecclesiâ convocare. In Constantiensi quoque tres nationes, Italica, Gallicana, et Hispanica convocationem synodorum ejusmodi, ut legitimæ haberentur, à Papâ esse faciendam adeò necessarium crediderunt, ut protestatæ fuerint : « Vix congregaretur indubitatum concilium deficiente capite, ad quod « pertinet convocare. »

Quòd si antiquæ synodi generales ferè fuerunt indictæ ab imperatoribus, quorum ditioni olim suberant ferè omnes totius Ecclesiæ partes, id non ex jure proprio clavium Ecclesiæ, quæ illis non fuerunt à Christo traditæ, sed ex zelo, quo favere et consulere volebant Ecclesiæ ac fidei contra exortas hæreses, consopire dissensiones, et auctoritate conciliorum scandalis obviàm ire, præstito, ubi opus esset, sumptuum subsidio ; cui indictioni atque consilio summi pontifices annuentes præbuerunt assensum, et legatos ad synodos direxerunt, quo satis de legitimâ convocatione cautum fuit. Ita, ex. gr., Chalcedonensi synodo indictâ à Marciano imperatore S. Leone inconsulto, cùm ad hujus notitiam venit indictio, statim assensit, ne videretur optimo ejus consilio repugnare, et legatos qui suo nomine præsiderent transmisit. Quicumque porrò alius cujusvis gradûs et dignitatis ecclesiasticæ, at expers juris in universam Ecclesiam, generalem synodum convocaret, hæc indictio, quæ ipsius juri non convenit, legitima haberi non posset, nisi accederet subsequens saltem Papæ consensus ; multò autem minùs, si Papæ dissensus seu contradictio pateret. At enim adversarii fortassis cum Bossuetio contendent, in aliquâ

summâ necessitate etiam « renuente Papâ concilium absque eo convocari posse. » Num si convocetur ab iis qui carentes jure clavium in totam Ecclesiam, carent quoque jure convocandi totius Ecclesiæ episcopos, hujusmodi convocatio legitima haberi queat, eo potissimùm obsistente, cui in totam Ecclesiam jus est, quivis æquus principiorum juris æstimator judicet.

§ 2. *Quinam convenire debeant, ut concilium sit verè œcumenicum.*

Ut autem præscindamus à jure convocandi, negari non posse videtur eam convocationem (à quocumque fiat) sufficere, quâ ii conveniant, quos necesse est convenire, ut constituant concilium verè œcumenicum. Id quæstionem secundo loco propositam respicit. Cùm concilium generale sit concilium non ex aliquâ provinciâ, vel regno, nec ex aliquot tantùm Ecclesiæ partibus, sed ex totâ Ecclesiâ convocatum, quod universam Ecclesiam repræsentat, totiusque Ecclesiæ jurisdictionem continet; omnes quidem episcopi in unitate Ecclesiæ viventes, quibus in Petro et Apostolis claves cum potestate ligandi et solvendi datæ fuerunt à Christo, eò accedere possunt, ita ut ipsorum nemo excludi queat. Verùm cùm impossibile sit omnes ibidem adesse, nec expediat ab omnibus episcopis integras vastissimasque regiones penitùs deseri, satis est habitum, si ex pluribus Ecclesiæ provinciis ad concilium accurrerent non pauci, et ex nonnullis locis remotioribus aut difficilioribus saltem aliqui, prout rei, de quâ agendum erat, visum fuit expedire; nec creditum fuit quidquam officere, si ex aliquot etiam magnis regionibus nulli nec per se nec per legatos adessent. Hâc de causâ antiquæ generales synodi habitæ sunt legitimæ et œcumenicæ, tametsi ferè ex solis Orientalibus coaluerint, ex Occidentalibus autem ferè nulli vel pauci, in quibus tamen semper Romanus vel per se vel per legatos interfuit.

Si autem quispiam quærat, cur creditum sit sufficere, si hic unus ex Occidente adesset, dicam paucis : quia hic unus per se totius Ecclesiæ personam gerens (uti pluries ingerit S. Augustinus de S. Petro, cui Romani pontifices eodem jure succedunt) totam repræsentat Ecclesiam tanquàm ejus caput, et peculiari quoque nomine tanquàm Patriarcha Occidentis totam repræsentat Occidentalem Ecclesiam. Concilia igitur quamplurium episcoporum Orientalium unà cum Papâ repræsentante totam catholicam, ac præsertim Occidentalem Ecclesiam, jure pro œcumenicis totam catholicam Ecclesiam repræsentantibus, ac totius Ecclesiæ juridictionem continentibus habita sunt.

Romani quidem pontificis tanta præ cæteris episcopis ratio, tantaque in generalibus conciliis necessitas fuit antiquis etiam temporibus habita, ut si abessent alii quicumque etiam Apostolicarum ac Patriarchalium sedium antistites, nihil præjudicii creatum putaretur concilio œcumenico : Romanus verò si nec per se nec per legatos adesset, synodus quælibet etiam frequentissima non censeretur œcumenica. Rationem præcipuam indicavit Bossuetius, cùm non dubitavit affirmare generale concilium « ipsum etiam complecti Papam, et quidem « tanquàm caput. » Sicut enim caput necessarium est integritati corporis, ita Papa tanquàm caput Ecclesiæ necessarium est concilio œcumenico, quod universam Ecclesiam repræsentat, quo quidem capite si careret, corpus esset monstruosum atque acephalum. Quòd si negari non potest nec revocari in dubium quin ipsi capiti competat generali concilio præsidere, quâ de causâ Patres Chalcedonenses confessi sunt Leonem Papam sibi præfuisse, quemadmodùm caput membris præest, quis non videat parem rationem haberi non potuisse de alio quocumque majorum sedium episcopo, qui non ita universalis Ecclesiæ atque concilii generalis caput constitutus dici potest, uti Papa ex institutione Christi constitutus fuit?

Hanc eamdem hujusce capitis necessitatem aliâ efficaciori ratione insinuant Parisienses, de quibus hæc laudatus Bossuetius prodidit : « Parisienses ultrò (1) consentiunt, ex anti« quissimis regulis synodos generales absque « Romano pontifice nullas esse et irritas. » Adeò igitur necessarium est in generalibus conciliis istud totius catholicæ Ecclesiæ caput, ut sine ipso nulla et irrita futura sint, quæcumque in illis absque eo agerentur. Id innuit necessitatem pontificiæ auctoritatis atque consensùs, ut decreta quæcumque in ipsis edita

(1) Hæc sanè Parisiensium sententia convenit cum illis Gregorii XII, in indictione generalis synodi 6, Nonas julii an. 1408, (tom. 15 Concil. Ven. edit. col. 1103, d.) quibus pronuntiavit : Generale concilium « congregare solius Romani pontificis esse dignoscitur, sine « cujus auctoritate factum, non concilium, « sed conciliabulum, aut conventiculum dici« tur, » id est, nullius auctoritatis ac roboris.

vim et auctoritatem generalis synodi obtineant, quod tertiæ quæstioni solvendæ reliquum est.

§ 3. *De jure et qualitate suffragii episcoporum et Papæ in synodis generalibus.*

Omnia acta, decreta, vel sententiæ in conciliis edita vel ad fidem pertinent, vel ad disciplinam. In his suffragii jus cuilibet episcopo competit quidem jure divino, ita ut non meri sint consiliarii Papæ, sed veri et proprii conjudices. Papæ autem suffragium ita præstat cæteris, et ita necessarius est ejus consensus, ut absque isto vim non habeant concilii œcumenici propriam acta quæcumque neque in materiâ fidei, neque in negotio disciplinæ. Cùm id fusè probaverim cap. 2, 3 et 4, nihil hoc loco addere oportet. Hinc sanè ipsi adversarii invictam vim decretorum concilii generalis deducunt ex consensu corporis episcoporum cum capite, quod episcopis in concilio adunatis *præesse* fatendum est ab omnibus cum Patribus Chalcedonensibus, et præesse quidem non merâ prærogativâ ordinis vel honoris, sed jure præcipuo primatûs proprio, quo se *coactos* capitis, seu Cœlestini litteris professi sunt Ephesini Patres.

Animadvertere præterea juvat, adeò ex pontificio præsertim consensu pendere vim generalis concilii, ut Constantinopolitanum I, quod licet ex convocatione et episcopis in ipso coactis fuit generale solius Orientis, non autem totius Ecclesiæ catholicæ, cùm nulli Occidentales episcopi in eo convenerint, inter generalia tamen subinde fuerit accensitum quoad symbolum fidei tantùm, non verò quoad canones disciplinæ, propterea quòd Romana sedes ipsum symbolum tantùm recepit (1). Et similiter synodus quinta inter generalia concilia nunquàm fuisset recensita, nisi Vigilius Papa, qui ejus gestis primò contradixit, postea præstitisset assensum.

§ 4. *Cur Pisana synodus auctoritate generalis concilii careat.*

His præmissis, ut de Pisanâ synodo dicamus, quis certam œcumenicæ synodi vim et auctoritatem tribuat concilio in causâ schismatis congregato Pisis, quod non ex uno tantùm, sed ex tribus memoratis capitibus laborat? Quoad jus convocandi, Pisanam synodum convocârunt Cardinales utriusque obedientiæ, quarum una Gregorium XII, altera Benedictum XIII, tanquàm verum pontificem agnoscebat; et convocârunt non solùm (1) absque cujusquam istorum assensu, verùm etiam cum apertâ singulorum reprobatione; ac præterea convocârunt obsistente simul duplici aliâ indictione generalis synodi ad duo loca diversa; Gregorius enim XII, Forojulii, Benedictus XIII, Perpiniani concilium celebrandum indixit. Ex hâc triplici convocatione in diversas urbes, quis legitimam contendat et probet illam, quam fecerunt Cardinales primatûs jure nequaquàm præditi, licet reprobata à cujusque obedientiæ pontificibus, in quibus unus, licet ignotus, verus et legitimus fuisse cap. 9 videbimus? Esto illi concilium Pisis indixerint bonâ fide ex necessitate remedii, quod aliunde sperari non posse arbitrabantur, non tamen bona fides nec remedii necessitas poterant convocandi jus illis tribuere, quibus non competebat.

Si porrò ex numero episcoporum, qui in concilio conveniunt, de ipsius (si ita loqui liceat) œcumenicitate judicium ferendum sit, etsi plures Pisis convenerint, quàm aliis in locis, quæ à duobus contendentibus ad generalem synodum celebrandam fuerant præstituta, cùm tamen non pauci ex diversis provinciis Pisas non accesserint, sive quòd hi suæ cujusque obedientiæ pontifici, quem legitimo jure præditum bonâ fide judicabant, parendum crediderint; sive quòd Cardinalium convocationem legitimam non existimaverint defectu juris: quomodò Pisana synodus tot episcopis, ac præsertim capite destituta certò generalis, universamque Ecclesiam repræsentans haberi potest? Nullus scilicet episcopus adfuit ex Hispaniâ sequente Benedictum XIII, quæ (ut in Constantiensi aiebat Cardinalis S. Marci) « erat non minor Christianorum portio, quàm « Græcia christiana. » Abfuerunt quoque omnes episcopi Scotiæ, et multi ex Italiâ ac Germaniâ, adeò ut idem Cardinalis memoret « multas Germaniæ et Italiæ gentes, » quæ in Gregorii XII obedientiâ perstabant. Hinc non immeritò Jacobus Lenfant, licet calvinista, in

(1) Assentitur quoad substantiam Bossuetius lib 8 Defens. c. 3, scribens : « Damasi et Romanæ synodi consensu Constantinopolitana œcumenica facta est. »

(1) Gregorius quidem XII, post synodum Pisanam ipsis suis adversariis concessit « plenam « et liberam facultatem et potestatem super « concilio generali ab omnibus partibus con« vocando, et locum etiam ad illud celebran« dum eligendi. » Sed iis conditionibus hanc facultatem alligavit, quibus non observatis, ea facultas irrita intelligeretur et nulla.

præfatione ad historiam concilii Pisani, confessus est num. 5, si ex nationum numero judicandum sit, idem concilium non fuisse omninò completum. Quòd si clariss. episcopus Meldensis non dubitavit negare œcumenicum concilium VI, eò quòd abfuerint Hispani, quâ dein cohærentiâ tribuere potuit nomen et vim œcumenici concilio Pisano, in quo præter Hispanos aliæ « multæ Germaniæ et Italiæ « gentes » defuêre? Num generalis synodi nomen tribuendum, cùm rei propriæ interest, cùm non juvat negandum?

Ego verò cùm ex antiquis conciliis celebratis in Oriente observaverim nihili habitum fuisse à Patribus omnium vel ferè omnium provinciarum Occidentis defectum, siquidem supplevit Romanus pontifex totius Ecclesiæ caput, qui rebus gestis assensum seu confirmationem præbuit, haud intelligo quo novo jure concedendus credatur titulus œcumenici concilio Pisano, in quo non solùm tot episcopi, sed neuter etiam è contendentibus pontificibus interfuit, in quibus unum saltem ante depositionem verum et legitimum fuisse negari non potest : et non tantùm neuter rebus gestis assensum et confirmationem generali synodo necessariam dedit, sed potiùs dissensit et contradixit uterque. Neque existimes sufficere confirmationem Alexandri VI, qui post depositionem amborum contendentium electus acta hujus synodi approbavit. Si enim hæc synodus ex hactenùs observatis certam œcumenici concilii auctoritatem non habet, Alexandri quoque V, in eâ electi, auctoritas incerta idoneam confirmationem præbere non poterit. Nihil itaque certi ex Pisanâ synodo, quæ tot ex capitibus nutat, pro adversariorum sententiâ suppetit, quod certam œcumenici concilii auctoritatem præferre queat.

Hinc sanè neque schismatici neque hæretici habiti sunt, qui alterutri contendenti adhuc post Pisanam synodum bonâ fide adhærebant, et Alexandro V noluerunt obsequi, nec Pisanam tanquàm œcumenicam voluerunt agnoscere. Hàc de re initio Constantiensis disputatum vehementer, cùm Joannes XXIII, Alexandri successor, volebat in eâ ratum et œcumenicum propugnari concilium Pisanum, ne suìmet electio in dubium vocaretur. At id (1) non potuit obtinere obsistente præsertim Cardinali de Alliaco, qui licet concilii generalis potestati favens, legitimum crederet Pisanum concilium, et omnia in eo canonicè gesta, rerum tamen et gestorum veritate victus fateri debuit, non minores difficultates superfuisse post ipsum Pisanum concilium circa electionem Alexandri V, ejusque successoris Joannis XXIII, quàm illæ fuerant, quæ ante eam synodum dubiam reddebant electionem et auctoritatem duorum contendentium Gregorii XII et Benedicti XIII, ac idcircò nihil exinde superesse certi, sed omnia in dubio hinc inde probabili versari : « Quare, inquiebat, licet concilium (Pisanum) « fuerit legitimè et canonicè celebratum, et « duo olim contendentes de papatu justè et « canonicè condemnati, et electio D. Alexandri « V fuerit canonicè et ritè facta, et dicta ele- « ctio ab illis, qui fuerunt in dicto concilio, « fuerit legitimè et canonicè accepta, prout « hæc omnia tenet obedientia Domini nostri « Joannis XXIII, tamen duæ obedientiæ duo- « rum contendentium probabiliter tenent con- « trarium, in quâ opinionum diversâ et adversâ « varietate non sunt minores difficultates juris « et facti, quàm ante concilium Pisanum erat « de justitiâ duorum contendentium. » Hâc de causâ Jacobus Lenfant testatus est easdem difficultates, quæ perstant adhuc post Pisanam synodum, hujus auctoritatem adhuc incertam efficere. Adversariæ quidem sententiæ propugnatores vel nunc, etsi defendant Pisanum concilium tanquàm œcumenicum, non tamen pro schismaticis, nec pro hæreticis habent, aut habere possunt eos qui negârunt, aut adhuc negant œcumenicum. Vide quæ hâc de re fusiùs disserit S. Antoninus part. 2 Summæ theologicæ tit. 5, c. 11, § 6 et seqq., ubi etiam Cancellarii Parisiensis conclusiones à totâ Parisiensi Universitate probatas describit. Certa igitur œcumenicæ synodi auctoritas Pisanæ defuisse ac deesse jure defenditur : quæcumque autem vis ipsi probabilis tribuenda credatur, rebus gestis probabilitatem aliquam vindicare, non verò omnimodam certitudinem potest.

§ 5. *Quatenùs Pisana gesta adversariorum sententiæ obsint potiùs quàm prosint.*

Quòd si ipsa Pisanæ synodi gesta expendantur, nullus canon, quo concilii generalis potestas supra pontifices decreta fuerit, statutus

(1) Hinc etiam in Constantiensi cautum videtur, ne Pisana synodus vocaretur absolutè concilium generale, sed congregatio ferè appellata : « Fuitque ibidem (Pisis) magna con- « gregatio, quam vocârunt concilium generale « utriusque obedientiæ. » Vide articulos, quos proposuerunt commissarii concilii circa Benedictum XIII, t. 16 Concil. col. 611, d.

invenietur, uti factum est in Constantiensi synodo, de quâ in sequentibus disseremus. Solæ depositiones duorum contendentium Gregorii XII et Benedicti XIII, editæ, quæ factis et circumstantiis involutis innixæ, non pertinent ad fidem, uti ex Bossuetio didicimus. Ipsa verò acta, methodum et principia, quibus ad eorum depositionem Pisani Patres processerunt, non prodesse adversariis, sed potiùs obesse facilè est demonstrare. Ideò Pisanæ synodi gesta sibi prodesse adversarii censent, quia præsumunt ipsam synodum eâ de causâ deposuisse contendentes duos, quòd Patres certum crederent generale concilium jus habere supra summos pontifices. Verùm hanc sententiam iisdem Patribus non fuisse exploratam et certam ex eo manifestè colligitur, quòd licet ageretur de duobus non certi, sed dubii juris pontificibus, non tamen ausi sint illos absolutè deponere, nisi eos aliunde, id est, ob crimen schismatis et hæresis, indicâssent à semetipsis *ipso facto* depositos excidisse ab eo pontificio primatu, quo solo à concilii jurisdictione eximebantur. Neque id temerè ab ipsis factum absque maturo examine atque consilio. Jam ante hoc concilium plerique theologi canonumque magistri, præcipuè Gallicani et Universitatis Parisiensis, omni studio investigantes quâ ratione tam perniciosum et inveteratum schisma posset aboleri, primò indicârunt unicam viam legitimam esse contendentium cessionem, et in hanc procurandam totâ curâ intendendum, cùm nondùm obtineret opinio de jure concilii œcumenici ad deponendos incerti saltem juris pontifices. At postquàm ob contendentium repugnantiam hæc via inutilis inventa est, et similiter non omninò facilis videretur subtractio obedientiæ ab utroque, qui in suâ cujusque obedientiâ habebatur verus legitimusque pontifex, aliam viam excogitârunt, quam Pisanum concilium inivit. Ex actis enim ac documentis ejusdem concilii liquet, in ipso priùs doctorum Patrumque requisitâ sententiâ, hos ferè in eo convenisse, Gregorium XII et Benedictum XIII, incerto pontificatûs jure fungentes, cùm sese antea jurejurando obligâssent ad ipsius pontificatûs cessionem, si tollendo schismati necessaria esset, hujus promissionis executionem diutiùs differentes, veluti fautores pertinacissimi schismatis, habendos esse tanquàm schismaticos, imò etiam hæreticos, juxta illud scholarum, quod invaluerat, principium, quo pertinax in schismate ab hæretico practicè non distinguitur. Eosdem porrò ob notorium schismatis et hæresis crimen ante omnem sententiam *ipso facto* ab Ecclesiâ esse præcisos, et à pontificatu consequenter decidisse, ac propterea Romanâ sede jam vacante licere ad novi certique pontificis electionem transire. Hæc fuit sententia theologorum atque canonistarum 103, qui concilio jubente in primâ congregatione consulti fuerant à Cardinali Mediolanensi. Idem quoque censuerunt alii doctores Universitatis Florentinæ numero 120, à quibus non discrepârunt Universitates Bononiensis, Andegavensis, Aurelianensis, Tolosana, et potissimùm Parisiensis, quæ eamdem suam sententiam per legatos concilio significârunt.

Hæc autem tot theologorum, canonistarum Universitatumque suffragia atque principia Pisani Patres secuti noscuntur, non solùm cùm in primâ et secundâ sessionibus citari voluerunt duos contendentes, non nominibus Gregorii XII et Benedicti XIII, sed Angeli Corrarii et Petri de Luna, eò quòd ipsos ob dictas causas *ipso facto* depositos, actuales pontifices non haberent, verùm etiam, et multò apertiùs cùm post aliquot actus intermedios in definitivâ sententiâ eosdem ut notorios schismaticos et hæreticos *ipso facto* à Deo et à sacris canonibus fuisse depositos, et ab Ecclesiæ corpore præcisos declarârunt sessione quartadecimâ, antequàm in ipsos depositionis sententiam ferrent, seu potiùs antea latam declararent. Quid tam longè quæsito principiorum circuitu laudati theologi ac juris doctores, necnon cum ipsis concilii Patres usi fuissent, ut contendentes aliunde *ipso facto* depositos, et tanquàm pontificatu exspoliatos concilio subesse adstruerent, antequàm in eosdem auctoritate concilii agerent, si ipsos in casu schismatis tanquàm dubii juris pontifices concilium generale per sese absolutè posse deponere existimâssent? Quomodò hæc acta, quibus Pisani Patres egerunt in eos, quos præsumebant à pontificatu depositos, et non esse ampliùs pontifices, prodesse possunt adversariis, ut exinde probetur jus concilii generalis supra actuales pontifices? Nonne ideò excogitata videtur hæc methodus, quòd ejusmodi jus supra pontifices etiam tituli dubii synodo generali certo competere nequaquàm crederent? Non solùm igitur hujus synodi auctoritas, quæcumque sit, adversariorum systemati non suffragatur, sed potiùs obest reipsà, cùm ad solum concilii jus in eos, qui actu pontifices ampliùs non esse credantur, referri aliquatenùs queat.

A Pisanâ synodo antequàm transeo, aliam non levis momenti observationem addendam arbitror. Quæstio, de quâ in eâ synodo actum est, appellata fuit *causa schismatis et fidei*. Fidei autem causa cum schismate non ob aliam rationem fuit copulata, nisi quia contendentes non acquiescentes cessioni necessariæ ad tollendum schisma, pertinaciter fovere ipsum schisma, et quà tales, ex principio tunc vulgato tanquàm hæretici traducebantur, ac si articulum *Unam sanctam* Ecclesiam impeterent. Hinc in depositionis sententiâ ambo contendentes ex schismate et hæresi ab Ecclesiâ præcisi, et ipso facto depositi præferuntur, ut paulò ante explicavimus. Hoc autem principium proprium (1) solius casûs schismatis pertinacissimi inter contendentes dubii et incerti juris, hypothesi innititur, quæ omninò certa probari nequit. Sicut enim nec schismatici, nec hæretici fuerunt, qui alterutrum ex contendentibus legitimum verumque pontificem existimantes, bonâ fide sequebantur, ita nec hæretici, nec schismatici propriè dicti judicari certò possunt ipsi contendentes, siquidem se quisque verum legitimumque pontificem bonâ fide ratus, suam dignitatem tuebatur, nec promissam cessionem volebat præstare, quamdiù conditio in promissione appositâ impleta non fuisset. Si autem hypothesis, quâ illud principium fulciebatur, certò vera non est, quomodò principium illud certum dici potest, et quomodò certa auctoritas potest tribui concilio, quod principio tam incerto, seu potiùs falso nixus, ambos tunc de papatu contendentes vel deposuit, vel potiùs depositos præsumpsit et declaravit? Hæc ad abundantiam. Nunc ad Constantiensem synodum venio.

(1) Proprium, inquam, solius schismatis, quod ob pertinaciam contendentium aliquam hæresim fidei contrariam involveret: neque enim ipsum principium potest referri ad casus corruptorum morum, qui reformationem requirerent, nec ullo schismatis aut hæresis vitio inficiebantur. Hinc sess. 8, in solo schismatis casu tributum legitur Cardinalibus jus convocandi synodum generalem « hâc vice in hâc « causâ detestandi et antiquati schismatis et « fidei, » id est, ut habet editio Acheriana, « ad « providendum huic negotio. »

CAPUT VII.

DECRETA CONSTANTIENSIA SESSIONUM QUARTÆ ET QUINTÆ DE SYNODORUM GENERALIUM AUCTORITATE SUPRA ROMANOS PONTIFICES VIM NON HABENT GENERALIS CONCILII OB PLURES DEFECTUS, AC PRÆSERTIM QUIA CARENT SALTEM CONFIRMATIONE APOSTOLICA.

Gallicani auctores celebris Declarationis anni 1682, asserturi generalium synodorum auctoritatem supra Romanos pontifices, non multùm fidisse videntur gestis concilii Pisani, quæ pluribus difficultatibus capite præcedenti indicatis obnoxia forsitan præsentientes, in ipsâ Declaratione silentio prætereuntes omninò, sola Constantiensia decreta sessionum quartæ et quintæ putârunt ingerenda; eisdemque ut inconcussam vim generalis concilii vindicarent, ea à sede Apostolicâ confirmata expressè pronuntiârunt num. 2. Hoc potissimum adversariorum fundamentum (ex quo tantummodò ea, quæ validissimis rationum et auctoritatum principiis, ac potissimùm cum totâ antiquitate constituimus, infirmari posse videntur) quàm ipsis difficile est idoneis certisque argumentis probare, tam mihi evidenti argumento efficacissimè evertere facilimum fore confido. Multa nimirùm hâc in re multis circumstantiis implicita in quæstionem veniunt, quæ nisi aptè ab adversariis statuantur, incerta semper erit earum sessionum ac decretorum auctoritas, adeò ut ex his nihil certi contra nos et contra ea explorata momenta, quæ in præcedentibus pro pontificiâ auctoritate attulimus, elici possit. Discutiendum siquidem et constituendum esset, num Joannes XXIII, cujus auctoritate Constantiense concilium indictum fuit, potiori certiorique jure uteretur ad ipsum inducendim, quàm alii duo competitores Gregorius XII et Benedictus XIII huic indictioni repugnantes, et num de illius electione ac jure minores difficultates juris et facti vigerent post Pisanam synodum, ac erant illæ, quæ obtinebant ante eamdem synodum, in causâ Benedicti XIII et Gregorii XII. Num Constantiense concilium, quod initio ac tempore sessionum 4 et 5 ex solâ Joannis XXIII obedientiâ constabat, fuerit et habendum sit verè œcumenicum universam Ecclesiam repræsentans, duabus aliis obedientiis deficientibus, quæ tunc nec schismaticæ, neque à catholicâ Ecclesiâ avulsæ probantur nec probari queunt? Num decreta earumdem sessionum, quæ à solâ Joannis XXIII obedientiâ prodierunt, generalis concilii vim et no-

men jure possint obtinere, cùm editio ipsorum facta fuerit eodem Joanne non solùm nec per se, nec per legatos præsidente, sed palam repugnante, ac prætereà in iisdem ferendis exclusum fuerit (1) suffragium collegii Cardinalium, quod absente pontifice Romanam Ecclesiam aliquâ ratione repræsentat? Num de iisdem decretis fuerit pro rei gravitate ac difficultate maturè deliberatum, an potiùs temerè et præcipitanter, neglecto in re tam novâ accurato examine eâque conciliari discussione, quam Cardinales petierant, quæque postea in causâ Wicleffi et Hus negata istis non fuit? Quid si præter alia multa irregularia considerentur ea, quæ Joannes XXIII iisdem gestis objecit in litteris ad Ducem Aurelianensem et Academiam Parisiensem, ubi queritur, Constantienses Patres ad suffragia ferenda fuisse distributos (2) in quatuor nationes easque inæquales; suffragia verò non singillatim, et per capita, sed per nationes in publicis sessionibus ita fuisse computata, ut eadem vis esset suffragii nationis Anglicæ, quæ ex paucissimis, ac Italicæ et Gallicæ, quæ ex plurimis episcopis constabant: cùmque ex sacris canonibus soli Cardinales, patriarchæ, archiepiscopi et episcopi in generalibus conciliis gauderent jure suffragii, in hoc ad suffragium nationum ferendum omnes indiscriminatim essent admissi et clerici, et laici etiam matrimonio juncti, nec solùm nobiles, sed et infimæ abjectæque plebis.

Ad tot tantosque eorum decretorum etiam essentiales, quibus laborant et nutant, defectus sanandos Apostolica approbatio, seu confirmatio, si unquàm aliàs, fuisset maximè necessaria; eaque non obscura aut ambigua, sed expressa et omninò certa, quæ una decretis tam incertæ auctoritatis posset certitudinem parere: unde et adversarii, qui aliàs constituta concilii generalis Apostolicâ confirmatione non indigere existimant, hanc Constantiensibus necessariam agnoscentes, in *Declaratione Cleri* editâ an. 1682, iisdem decretis certam auctoritatem vindicaturi, Apostolicam ipsis confirmationem accessisse affirmandum putârunt. « Valeant et immota consistant sanctæ œcu« menicæ synodi Constantiensis à sede Apo« stolicâ comprobata...... decreta. » Hoc itaque principium stet immotum et certum, Constantiensium decretorum sessionum quartæ et quintæ Apostolicam confirmationem debere esse exploratam, expressam, et minimè dubiam, ut certa constet ipsorum auctoritas; sicque pontificiæ jurisdictioni, quæ ex constitutis supra ipsas generales synodos indubitata videtur, istarum synodorum jus ex certâ œcumenicæ synodi et Apostolicæ confirmationis auctoritate prævaleat. Unde verò ab adversariis petetur atque probabitur expressa et indubitata eorum decretorum Apostolica confirmatio? Hæc procul dubio afferri nequit ex Joanne XXIII, qui earum sessionum tempore à Constantiensibus habebatur legitimus pontifex. Is enim ante tertiam sessionem se subtraxerat à concilio, nec interfuit memoratis sessionibus, nec earum decreta probavit; et quamdiù liber extitit, se ab ipsis alienissimum prætulit, ut vel ex indicatis litteris ad ducem Aurelianensem Universitatemque Parisiensem manifestum est. Quòd si quandoque ei synodo ejusque decretis aliquid detulisse visus est, præterquàm quòd nihil hinc certæ et expressæ approbationis ipsorum decretorum erui potest, id accidit, cùm captivus Cæsaris et concilii vim patiebatur, quæ approbationem (ut esse deberet) omninò liberam et voluntariam excludit.

Neque legitima approbatio colligi potest ex Martino V, qui ab eodem concilio electus, certus et legitimus pontifex fuit. Si quæ is fecisset pro memoratis decretis, cùm tanquàm Cardinalis ipsi synodo adfuit, nihilum adversariis prodesset: neque enim gesta Cardinalis pontificiæ auctoritatis et confirmationis nomine donari queunt. Quæ verò gessit post promotionem ad pontificatum, nisi approbationem eorum decretorum expressam, et sanandis defectibus apprimè necessariam exhibeant, cùm aliis atque aliis causis tribui possint, nihil pariter juvant. Porrò eum expressè quidem approbâsse gesta contra Joannem Wicleffum, Joannem Hus, et Hieronymum Pragensem certum est ex duabus ipsius constitutionibus datis ante finem concilii 8 kal. martii; et in unâ

(1) Ob defectum distincti suffragii collegii Cardinalium decreta synodi *conciliariter* facta non credebantur à multis, ut notavit unus è Patribus Cardinalis de Alliaco in Tractatu de Potestate ecclesiasticâ, qui in Constantiensi editus et Cardinalium nomine Cæsari ac synodo oblatus fuit: « Deliberatio, exclusâ delibera« tione dicti collegii, et non facta in communi « sessione collatione votorum, videtur multis « non esse censenda deliberatio CONCILIARITER « facta. » Suffragium collegii Cardinalium fuisse exclusum questi sunt etiam oratores regis Galliæ in protestatione exhibitâ concilio die 3 martii an 1417, sess. 28.

(2) De hâc inæquali suffragiorum distributione vide quoque laudatam protestationem oratorum Galliæ tom. 16, col. 557, a, nec non col. 552 et seqq.

ipsarum quæ incipit : *In eminenti Apostolicæ dignitatis speculâ*, omnes defectus, quicumque in condemnandis eorum erroribus fuissent admissi, abs se sanari, et quidquid defuisset, suppleri affirmavit. Nullum verò uspiam indicium approbationis eorum decretorum, quæ generale concilium supra ipsum summum pontificem præferunt sessionibus 4 et 5. Adeò verò eum non approbâsse ejusmodi decreta exploratum est, ut ipsa potiùs certissimè reprobaverit, cùm in eodem concilio Polonis oratoribus sub pœnâ excommunicationis prohibuit ne à pontifice ad generale concilium provocarent, et speciali quoque Bullâ declaravit nullo unquàm casu licere per hujusmodi appellationem se ab Apostolicis judiciis subducere : quam Bullam eorum decretorum Constantiensium fundamentale penitùs robur destruxisse Joannes Gerson ipsorum præcipuus promotor et vindex conquestus est. Cùm itaque iisdem Polonis petentibus cujusdam libri condemnationem Martinus respondit, se « omnia « et singula determinata, conclusa et decreta « IN MATERIA FIDEI per præsens concilium con- « ciliariter tenere et inviolabiliter observare « velle, ipsaque sic CONCILIARITER facta appro- « bare et ratificare, et non aliter, nec alio mo- « do ; » id de fidei decretis in Wicleffum, Hus et Hieronymum Pragensem intelligendum est, quorum approbatio est certa, non verò de decretis sessionum 4 et 5, quæ ab ipso pontifice non perinde fuerunt approbata, sed potiùs reprobata in radice et *fundamento*, ut Gerson animadvertit; cùm præsertim hæc per sese à Patribus concilii non fuerint edita veluti decreta fidei formulis usitatis in definitionibus dogmaticis, sed per modum constitutionum synodalium, ut in prooemio quintæ sessionis declaratum fuit : quâ de re vide quæ sequenti capite pluribus disserentur.

Neque satis expressæ ac certæ approbationis nomine afferantur illa ex Bullâ ipsius Martini ad Sigismundum imperatorem, quibus depositionem Joannis XXIII canonicam appellans, auctoritatem concilii in papam deponendum legitimam declarâsse videtur. Cùm enim facta depositionum ejusmodi per sese, fatente Bossuetio, ad materias fidei non pertinere constet, neque ad fidem procul dubio pertinebit eorum approbatio; careatque prorsùs eâ certitudine divini juris, quæ rejiciendo pontificio divini juris primatui supra synodos generales necessaria esset. Præterea adjectivum *canonicam*, quod ad servatum in depositione Joannis canonum ordinem referri potest, cùm (1) obiter et narrando, non autem decernendo, in Bullæ exordio adhibitum fuerit, vim definitionis et approbationis dogmaticæ, quâ jus concilii approbetur, tanquàm dogma fidei, obtinere non potest. Tandem hoc jus concilii veluti *legitimum* peculiari ratione approbari poterat à Martino in casu Joannis, qui cùm se submiserit sententiæ ferendæ à synodo, jurisdictionem eidem in se ipsum quodammodò tribuit propriâ voluntate ; cùmque postea latæ sententiæ assensisset, ut promiserat, non sententiâ propriâ synodi, sed suâ se voluntate pontificatu abdicavit, ut in sequenti capite explicabimus num. 16. Hujus peculiaris casûs approbatio nihil confert ad statuendam approbationem juris coactivi et universalis conciliorum generalium supra pontifices etiam invitos : quod statutis Constantiensibus universim decernitur.

Difficiliorem porrò operam aggrederetur, qui desertus approbatione Martini V, in pontificiæ confirmationis argumentum produceret eas saltem Eugenii IV litteras datas die 18 januarii an. 1433, et descriptas in actis Basileensis concilii, sessione 16, quibus dùm scripsit hocce Basileense concilium à tempore quo inchoavit, legitimè continuâsse et debere continuare, revocatis Bullis quæ ipsum ante secundam actionem solutum declaraverant, approbâsse videtur tanquàm legitima antecedentium actionum gesta, necnon decreta Constantiensia sessionum 4 et 5, quæ in Basileensi repetita fuerant actione secundâ. Num declarare continuationem synodi in actionibus præcedentibus decimam sextam, perinde ac si nulla dissolutio præcessisset, idem est ac decreta in iisdem edita approbare, et præsertim ea ex Constantiensi concilio repetita actione secundâ, quibus legatus Eugenii nec præsentiam, nec assensum præbuerat, et de quibus idem pontifex tum per nuntios, tum per epistolas apud omnes nationes conquestus fuerat? Ea declaratio ad summum ipsa decreta in eum locum ac statum restituit, in quo fuissent, si

(1) Hæc scilicet Bulla, quâ Martinus V liberavit imperatorem ab onere custodiæ Joannis XXIII, his verbis incipit : « Dudum præsens « generale concilium Constantiense personam « Balthassaris Cossæ, olim Joannis XXIII, in « suâ obedientiâ nuncupati, post illius a Papatu per definitivam sententiam ejusdem « concilii CANONICAM depositionem, per eamdem sententiam ad standum et morandum « in aliquo bono et honesto loco sub custodiâ « tutâ, » etc.

nullam Eugenius dissolutionem edidisset. Tunc verò non fuissent omninò rata, nisi Apostolica, quæ deerat, confirmatio expressa accessisset. Quid porrò si pontifex ejusmodi declarationem vi quâdam coactus eo concilio fecit, ut intentata contra se molimina declinaret, impediretque enormia scandala, in spem erectus fore ut hâc viâ faciliùs aliò transferretur concilium, ubi Ecclesiæ necessitatibus æquiùs prospiceretur, nec Apostolicæ sedis auctoritas detrimentum caperet? Hinc autem jure idem pontifex in solemni congressu Florentiæ habito Juliano Cardinali objicienti litteras memoratas pro continuatione Basileensis concilii respondit (uti testatur Cardinalis Turrecremata qui eidem congressui interfuit) : « Nos quidem « benè progressum concilii approbavimus, vo« lentes ut procederet, ut incœperat; non ta« men approbavimus ejus decreta : » quæ verba omninò certum efficiunt inanem esse prorsùs eorum nisum, qui Constantiensia decreta in Basileensi reproducta, ab Eugenio IV approbata fuisse contendunt.

In his autem aliisque similibus, quæ longiorem disputationem requirerent, quæque quantùm ex unâ parte pro adstruendâ Apostolicâ eorum decretorum confirmatione multis efferuntur ab episcopo Meldensi, tantùm ex alterâ refutantur uberrimè à Cardinali Ursio, nolo diutiùs lectores detinere, cùm argumentum et brevius et evidentius mihi præstò sit ex ipsorum adversariorum concessione deducendum, quod memoratorum decretorum Constantiensium vim prorsùs elidet et infringet. Vim enim ipsorum decretorum illi ex eo colligunt, quòd ea sint decreta concilii generalis, et confirmata à sede Apostolicâ. Peto autem, num eadem decreta constituant fidei dogma, à quo nemo potuerit, aut possit recedere absque hæresis notâ? Certum est et multos in ipso Constantiensi post eorum decretorum editionem, et deinde etiam quamplures, et Gallicanos quoque non paucos eisdem decretis refragatos, et adhuc refragari, qui tamen nullâ hæreseos aut perniciosæ contumaciæ censurâ ab ipsis adversariis inuruntur, ut vel ex Bossuetio liquet. Quid ita? Bonæ fidei et inadvertentiæ nomine eos hìc excusandos putat. « A gravi « certè notâ, inquit, immunes esse non pos« sent, nisi bonâ fide agentes, non satis attentâ « re excusari viderentur... Non enim plerique « prospiciunt satis, doctrina concilii Constan« tiensis quàm sit in certis casibus Ecclesiæ « necessaria, qui casus cùm infrequentes sint, « non omnes facilè eorum cavendorum neces« sitatem advertunt. » At quæ bona fides, quæso, quæ inadvertentia excusare posset in re, in quâ generalis concilii certa dogmatica definitio ab Apostolicâ sede confirmata constaret? Quot alii hæretici et errores ab Ecclesiâ damnati simili bonæ fidei ac inadvertentiæ nomine possent excusari? Vera ratio, cur ea Constantiensia decreta non constituerint olim, nec hodie constituant doctrinam fidei, cui nemo catholicus contra ire potuerit, aut possit, esset quidem hæc, si vel non crederentur præferre veram definitionem fidei, sed meram constitutionem synodalem, quæ dogmaticam doctrinam non contineat, ut capite sequenti explicabitur; vel Constantiensis synodus in ferendis iisdem decretis ob varias indicatas irregularitates atque defectus judicetur non fuisse, nec haberi posse verè œcumenica. Si autem neutrum placeat, ut adversariis non placet, cur nihilominùs ea decreta non contineant, neque constituant doctrinam fidei, cui nemo citra hæresim possit reluctari, ea sola ratio afferri potest, quia licet edita à concilio, quod œcumenici nomen etiam in illis sessionibus præ se tulit, et dein repetita in Basileensi, non tamen à sede Apostolicâ, id est, nec à Martino V, nec sub tempus Basileensis ab Eugenio IV fuerunt approbata seu confirmata : quæ approbatio seu confirmatio ad vim generalis concilii adstruendam, et ad constituendum dogma fidei est maximè necessaria. Hinc quidem Bossuetius hanc quæstionem post decreta Constantiensia adhuc in suspenso relictam et indecisam et liberè utrinque agitatam agnoscit, libro 1 Defensionis in Appendicem novissimæ editionis traducto cap. 3. Jacobus quoque Lenfant, quantumvis Calvinista, in historiâ Constantiensis concilii tom. 1, pag. 89, hanc quæstionem ipsis decretis non potuisse adhuc terminari pronuntiat. Decretis ineptis ad finiendam litem quomodò fidere poterunt adversarii in quæstione, ubi auctoritas requireretur omninò certa, quæ jus pontificium supra universam collectivè Ecclesiam, et supra generalia concilia primatui competens, ac totâ antiquitate comprobatum extruderet?

CAPUT VIII.

EADEM DECRETA CONSTANTIENSIA ALIO NOMINE VIM ET AUCTORITATEM PEREMPTORIAM NON HABENT, QUIA NON FUERUNT EDITA TANQUAM CERTUM DOGMA FIDEI, SED, UT ACTA PRÆFERUNT, *per modum constitutionum synodalium,* CUJUS FOR-

MULÆ VIS DECRETA INDICAT, QUÆ NON EX FIDE, SED EX MERA OPINIONE IN EJUS TEMPORIS CIRCUMSTANTIIS CONSTITUENDA VISA SUNT AD TOLLENDUM SCHISMA. SINGULA DECRETA EXPENSA, ET QUATENUS ÆQUA INTERPRETATIONE EXPLICARI QUEANT: QUID IN IPSIS DIFFICILEM EXPLICATIONEM FERAT. EX NECESSITATE REMEDII AD ABOLENDUM SCHISMA EADEM OPINIO INDUCTA; ET QUATENUS JURI SUPREMO SUMMORUM PONTIFICUM NEQUEAT PRÆJUDICIUM AFFERRE.

Celebria decreta concilii Constansiensis de vi et potestate conciliorum generalium supra ipsos summos pontifices, quibus pontificiæ auctoritatis impetitores cæteroquin catholici maximè innituntur, in duplici sessione constituta fuerunt, primùm sessione quartâ, et rursùm in quintâ. In quartâ sessione hoc tantùm eâ super re decretum profertur :

« Hæc sancta synodus Constantiensis generale concilium faciens pro extirpatione præsentis schismatis, et unione ac reformatione Ecclesiæ Dei in capite et in membris fiendâ, ad laudem omnipotentis Dei, in Spiritu Sancto legitimè congregata, ad consequendum faciliùs, securiùs, liberiùs, et uberiùs unionem et reformationem Ecclesiæ Dei, ordinat, disponit (al. diffinit), statuit, decernit, et declarat ut sequitur :

« Et primò declarat quòd ipsa synodus in Spiritu Sancto congregata legitimè generale concilium faciens, Ecclesiam catholicam militantem repræsentans, potestatem à Christo immediatè habet, cui quilibet cujuscumque statûs vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur in his quæ pertinent ad fidem et extirpationem dicti schismatis, et reformationem generalem Ecclesiæ Dei in capite et in membris. » Postrema verba, *et reformationem generalem Ecclesiæ Dei in capite et in membris,* non solùm deesse in mss. codicibus Vaticanis laudatis à Schelestratio, verùm etiam in duobus Vindebonensibus, in Wolfenbuttelensi, Brunswicensi, Gothano, et Lipsiensi, docent nuperi editores hujus concilii in Germaniâ, ex quibus Vaticanorum exemplarium vindicatur fides; cùm præsertim desint etiam in antiquo ms. actorum concilii Basileensis, quibus eorumdem decretorum Constantiensium epitomes inserta, iisdem verbis caret. Hinc non immeritò Vonder Hardt et Jacobus Lenfant suspicantur, prima exemplaria hujus compilationis recepta à Basileensibus non discrepâsse ab actis authenticis concilii Constantiensis, eaque verba posteriùs inserta fuisse in decretum sessionis quartæ, postquàm scilicet eadem verba in quintâ sessione recepta et approbata fuerunt : quod sanè innuit hæc marginalis adnotatio in uno codice inventa : Iste articulus (sessionis quartæ primus) imperfectè fuit factus, ut sequitur; ideò suppletur in sessione sequenti, in quâ ea verba hìc omissa, addita leguntur. Vide adnotationem Venetæ editionis.

In quintâ sessione non solùm laudatum decretum sessionis quartæ repetitur memoratâ omissione suppletâ, verùm etiam aliud decretum additur de pœnis, quibus coercendi essent inobedientes, præmissâ hâc notatione : « Surrexit de mandato totius sanctæ synodi Rev. Pater Dominus Andreas electus Poznaniensis, et certa capitula PER MODUM CONSTITUTIONUM SYNODALIUM priùs per singulas quatuor nationes conclusa et deliberata legit et publicavit; quorum tenores sequuntur, et sunt tales :

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, etc. Hæc sancta synodus Constantiensis generale concilium faciens, pro extirpatione ipsius schismatis, et unione, et reformatione Ecclesiæ Dei in capite et in membris, ad laudem omnipotentis Dei, in Spiritu Sancto legitimè congregata, ad consequendum faciliùs, securiùs, liberiùs (al. uberiùs) unionem et reformationem Ecclesiæ Dei, ordinat, diffinit, decernit et declarat ut sequitur :

« Et primò declarat, quòd ipsa in Spiritu Sancto legitimè congregata, concilium generale faciens, et Ecclesiam catholicam repræsentans, potestatem à Christo immediatè habet, cui quilibet cujuscumque statûs vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur in his quæ pertinent ad fidem, et extirpationem dicti schismatis, et reformationem dictæ Ecclesiæ in capite et in membris.

« Item declarat, quòd quicumque cujuscumque conditionis, statûs, dignitatis, etiamsi Papalis, qui mandatis, statutis, seu ordinationibus, aut præceptis hujus sacræ synodi, et cujuscumque alterius concilii generalis legitimè congregati, super præmissis, seu ad ea pertinentibus, factis, vel faciendis, obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, condignæ pœnitentiæ subjiciatur, et debitè puniatur, etiam ad alia juris subsidia (si opus fuerit) recurrendo. »

Notanda hic est potissimùm formula, quâ in præmissâ notatione hæc decreta seu capitula jubente synodo lecta et publicata dicuntur *per modum constitutionum synodalium.* Similiter post lectionem ipsorum decretorum quintæ sessionis ex editione Basileensium, et ex aliis codicibus *constitutionum* vocabulum iterùm usurpatur. *Quibus articulis sive constitutionibus lectis.* His verbis *constitutionum synodalium* si affirmem indicari ipsum decretum de auctoritate concilii generalis non fuisse editum tanquàm dogma fidei, nec constituisse doctrinam credendam ex catholicâ fide, non difficilè me probare posse arbitror.

Sicut non omnia decreta summorum pontificum in materiis quantumvis dogmaticis constituunt dogma fidei, ita nec omnia conciliorum statuta, ut præclarè notavit Melchior Canus lib. 5 de Locis cap. 5, ubi et designavit notas, quibus fidei decreta internoscantur. Illa nimirùm fidei decreta sunt, in quibus aliquid ex fide credendum aut damnandum decernitur, ita ut qui aliter sentiant, à catholicâ fide alieni, ab Ecclesiâ præcisi, anathemate aliisve similibus censuræ formulis indicentur percussi. Si nihil ejusmodi notarum adsit, etiamsi materies, circa quam concilium versetur, possit ad fidem referri, decretum tamen non erit certa dogmatica definitio. Multæ sunt apud Catholicos quæstiones, quæ ad fidem referuntur, ut sunt, ex. gr., illæ quæ ad sacramentorum formam, materiem, aut ministrum pertinent; et nihilominùs, quamdiù ab Ecclesiâ non prodiit definitio, neutrâ ex parte certum suppetit fidei dogma. In his, quoad inter Catholicos controvertuntur, et concilia et pontifices non facilè dogmaticum judicium proferunt; et, quousque res planè eliquata non sit, si statuunt aliquid quod ex circumstantiis expedire videatur in bonum Ecclesiæ, id non statim, nec semper dogmati ac definitioni est accensendum. Hinc quædam non ex firmo dogmate, sed ex opinione prolatâ in aliquot pontificum decretis contineri alibi notavimus, et quædam etiam in conciliorum statutis similiter invenientur.

Quæstio circa conciliorum generalium et summorum pontificum auctoritatem sub tempus synodorum Pisanæ et Constantiensis occasione schismatis agitata, pertinebat quidem ad intelligenda loca evangelica, quibus utraque potestas innititur, ad explicandam naturam et jurisdictionem pontificii primatûs, et ad alia hujusmodi non pauca, quæ respiciunt materiam fidei : at sententia, quæ concilii generalis jus coactivum supra Papam propugnabat, ita erat nova, nulloque vetusto exemplo, aut certâ auctoritate munita; è contra verò potestas pontificum supra universam Ecclesiam, et supra ipsa generalia concilia, seu supra universæ Ecclesiæ episcopos, qui in generali concilio collecti unà cum capite totam Ecclesiam repræsentant, ita antiquis exemplis et auctoritatibus fulciebatur, ut si dogmaticum judicium fuisset edendum, pro Papâ potiùs, quàm pro generalis concilii Patribus pontificio assensu carentibus proferenda fuisset definitio. Instabant verò circumstantiæ schismatis diuturni et perniciosissimi, quod in multos annos productum, multa mala et scandala pepererat. Antiquis temporibus etsi plura schismata ejusdem generis incidissent, aliis tamen atque aliis mediis fuerant consopita. In hoc autem, quod ex pertinaciâ contendentium ita à cæteris omnibus discrepabat, ut tot retrò seculis semel tantùm cognitum Bossuetius affirmaverit, cùm alia atque alia legitima remedia pluries tentata, inventa fuissent inutilia, necessitate quâdam tribuendum visum est jus conciliis generalibus supra eos qui de pontificatu certabant, adeò ut, si non cederent spontè, quod legitimum erat medium ac debitum, omnes deponerentur vel inviti, licet id nunquàm antea fuisset auditum. Hanc pertinacissimi schismatis vexationem totam (1) rationem causamque fuisse, cur in hanc sententiam Constantiensis tempore plures abiissent, non obscurè testatus est Joannes Gerson in tractatu de Potest. eccles. consid. 10, ubi post memoratam vulgatam antea eorum sententiam, qui « posuerunt papalem auctoritatem supra « concilium, aut saltem non imparem, » subdit: « Benedictus autem Deus, qui per hoc sacro- « sanctum concilium illustratum divinæ legis « lumine, dante (nota hæc verba) ad hoc « ipsum VEXATIONE præsentis schismatis in- « tellectum, liberavit Deus Ecclesiam suam ab « hâc pestiferâ perniciosissimâque doctrinâ. » Ita ex præjudicio gravissimo novæ sententiæ pestiferam et perniciosissimam vocat doctri-

(1) Hanc eamdem rationem satis indicavit etiam episcopus Meldensis, cùm lib. 6, al. 10 Defensionis c. 19, plerosque Constantiensis doctrinæ adversarios sive antiquos, sive recentiores eo solo nomine excusandos credidit, quòd non animadverterint, quàm ea sit certis in casibus Ecclesiæ necessaria, ac si hæc necessitas per se sufficiens fuerit ejus doctrinæ inducendæ ratio.

nam antiquam, quæ eodem fatente paulò post consid. 12, veluti quædam traditio à majoribus suscepta ante Constantiense « sic occupa« verat mentes plurimorum, ut oppositum « dogmatizare fuisset de hæreticâ pravitate « suspectum vel damnatum. »

In re autem huic receptissimæ traditioni contrariâ noluerunt, nec ausi sunt ejusdem concilii Patres novam doctrinam de jure concilii supra Papam constituere tanquàm dogma fidei; sed eò revocârunt decreta, ut jus synodi œcumenicæ solâ remedii necessitate in tribus memoratis casibus statuerent sine ullâ hæresis, aut aliâ simili notâ, quâ fidei definitiones distingui solent, et quam idem concilium adhibuit, cùm decreta ad fidem pertinentia in condemnatione errorum Wicleffi, Hus, et Hieronymi Pragensis aliis in sessionibus edidit. Sola quidem necessitas remedii in laudatis circumstantiis sicut non efficit ut inferior jus habeat in superiorem suum, ita nec efficit ut Papa, qui jure divino est superior concilio ratione primatûs, cujus causa toti Ecclesiæ etiam in concilio adunatæ jurisdictione præfectus est bono unitatis, eâdem Ecclesiâ et universali concilio evadat inferior, ac idcircò in ipsum superiorem suum Ecclesia et concilium jurisdictionem nondùm probatam, imò tot veteribus documentis reprobatam acquirant. Hæc tamen necessitatis ratio in angustiis et involutissimis ejus temporis circumstantiis ita efficax maximèque probabilis videri potuit Constantiensis concilii Patribus, ut putarent decreta condenda ex eo, quod expedire videbatur, quemadmodùm fieri consuevit etiam in aliis aliorum synodorum decretis, quæ necessitati congrua, fidei dogma non constituunt: idque procul dubio significare voluisse videntur verba, quibus in actis notatum fuit, eadem decreta fuisse lecta et publicata *per modum constitutionum synodalium*, nullâ interpositâ fidei notâ.

Quâ de re ne quispiam dubitet, animadvertat Gersonem, qui licet passim post decreta Constantiensia audens hæresis notam inureret contrarium sentientibus, non uno tamen in loco fateri debuit, eorumdem decretorum doctrinam, etiam tempore ejusdem synodi *palam* fuisse impugnatam à multis, qui tamen non idcircò à Patribus Constantiensibus hæretici habiti sunt. Id exploratum fiet inter alia ex celebri quæstione, quæ in eâdem synodo mota fuit post eorum decretorum editionem. Cùm decretum contra errores Wicleffi paratum fuisset post quartam et quintam sessiones, proposita fuit quæstio, num Papæ, an concilii nomine idem decretum esset promulgandum. Habitus hâc de re theologorum conventus, in quo Cardinalis Cameracensis pro concilii nomine disseruit. At ex quadraginta doctoribus duodecim tantùm Cardinalis sententiæ faventibus, cæteri contenderunt Papæ nomine definitivam sententiam esse promendam, Cardinalique suam opinionem acriùs propugnanti ferè omnes in faciem restiterunt. Quomodò hæc post sextam sessionem enata inter theologos contentio? Si decreta sessionum quartæ et quintæ sine Papæ nomine edita tanquàm fidei decreta proposita fuissent, qui locus esse poterat ambigendi, num condemnatio articulorum Wicleffi solo concilii nomine configi posset, et nihilominùs constitueret doctrinam fidei? Si tanquàm fidei dogma sancitum fuisset sessionibus 4 et 5 concilium œcumenicum generatim, ac præsertim in materiâ fidei potestatem habere immediatè à Christo, quî fieri potuisset ut paucis diebus post ex quadraginta theologis octo et viginti contrariam sententiam tenerent, hoc est, *concilium per se nullam potestatem habere nisi à capite* (seu nisi in unitate cum capite), et ut Cameracensi in aliam sententiam abeunti tam vehementer resisterent? Si huic Cardinali contendenti concilium esse supra pontificem, et posse ipsum deponere, restiterunt post quartam et quintam sessionem, nonne post ea decreta liberum judicârunt in utramque partem disputare? Certè idem Cardinalis in eo libello, quo defendit solo concilii nomine posse edi decreta fidei, nihil disertius et convincentius in suam sententiam potuisset afferre, quàm decreta laudatarum sessionum solo concilii nomine inscripta, siquidem hæc edita fuissent tanquàm fidei dogma. Cur nihil tale tetigit? nisi quia manifestum erat omnibus in ipsis decretis non fuisse constitutam fidei doctrinam. Quid tandem quòd idem Cardinalis in fusiori tractatu, quem subinde in eâdem synodo vulgavit de Ecclesiæ, conciliorum generalium, Romani pontificis et Cardinalium auctoritate, ubi eamdem quæstionem versat, non solùm laudatorum decretorum non meminit, nec adversarios hæresis accusat, verùm etiam disputationem pro auctoritate concilii œcumenici his verbis concludit: « Quæ tamen « non definitivè determinando, sed doctrinali« ter suadendo posita sunt: nam hujus rei « definitionem sacri concilii determinationi « submitto: » quæ indicant eum non credi-

disse quæstionem de concilii generalis jure supra pontificem decretis sessionum 4 et 5 fuisse definitam ex fide, sicut nec postea crediderunt, nec credunt ipsi nostri adversarii, qui nec summos pontifices, nec cardinales, aut episcopos, aliosve pontificiæ auctoritatis vindices memoratis decretis obsistentes hæreticos judicant: quod ex eorumdem adversariorum sensu evidens est argumentum, ea decreta dogmaticum judicium non continere, nec ad definitionem dogmatis posse referri.

Expendamus nunc earumdem constitutionum synodalium sensum, et videamus num aliquâ saltem ratione ita explicari et intelligi queant, ut à veritate non absint. Dicitur concilium generale universam Ecclesiam repræsentans, à Christo *immediatè potestatem habere.* Quis id de vero generali concilio neget? Quis pariter neget de Constantiensi in iis quæ vim generalis concilii obtinuerunt, qualia sunt quæ circa fidem statuit contra Wicleffum, Hus et Hieronymum Pragensem, quibus non defuit confirmatio Apostolica; et qualia sunt etiam statuta reformationis et disciplinæ, quæ eâdem approbatione roborata fuerunt? In aliis, quæ hâc confirmatione carent, cur vis generalis concilii nequeat admitti probatum est satis cap. 2 et 4, unde nil mirum, si quoad hæc idem concilium non fuerit, nec haberi possit generale, nec jurisdictionem generalis synodi habeat. Hæc quidem jurisdictio à Christo immediatè dimanat, quia Christus omnem jurisdictionem ecclesiasticam immediatè tradidit S. Petro et Apostolis, ac in ipsis dedit Romano pontifici successori S. Petri, aliisque episcopis successoribus Apostolorum ex disputatis capite 1, § 1 et 2. Sed cùm Petro primùm jurisdictionem Christus dederit, seu promiserit separatim ab aliis, aliis verò postea non dederit separatim à Petro, sed unà cum Petro in bonum unitatis, jam monuimus id ab eo factum, ut quisque intelligeret jurisdictionem Petri ac successorum ejus non pendere ab aliorum jure et consensu; aliorum verò jurisdictionem etiam in concilio in unitate cum jure Petri ac successorum ejus debere consistere. Confer dicta cap. 1, § 4. Hæc non animadverterunt procul dubio, qui jus tribuerunt episcopis congregatis in synodo supra et contra summos pontifices, ac ejusmodi synodos verè œcumenicas præsumentes, vim eisdem asseruerunt in eos, qui cuique synodo superiores sunt, nec vi ipsarum coactivæ possunt subesse, nisi superiorem inferioris jure posse adstringi antea probetur. Prosequamur explicationem decretorum.

In decreto sessionis quartæ et in primo quintæ statuitur jurisdictioni generalis synodi, quæ immediatè à Christo est, quemlibet cujuscumque gradûs et dignitatis, etiamsi *Papalis* existeret, debere obedire in tribus casibus, hæresis, schismatis, et ubi agatur de reformatione morum. In casu hæresis, quis inficias ibit ipsum Romanum pontificem debere sese submittere definitionibus fidei à generali concilio editis præditisque confirmatione seu consensu Apostolico, quo eos indigere probavimus c. 3, ut constituant dogma fidei, cùm ad id omnes obligentur jure divino? Quæ enim à generalibus conciliis assentiente Apostolicâ sede circa fidem definiuntur, dogmata sunt à Deo revelata, quibus non humano, sed divino jure fidei assensus debetur ab omnibus. Hæc vera ratio est ob quam Papa obligetur definitionibus dogmaticis generalis concilii. Qui ex hoc decreto deducunt Constantienses Patres hoc ipso non solùm subjecisse Papam auctoritati synodorum generalium, verùm etiam significâsse eum posse errare circa fidem, si de errore definitionum intelligant, falsâ et non probatâ hypothesi laborant; neque enim ex ullo textu ipsorum Patrum aliquod indicium afferetur, quo illi crediderint posse errare summos pontifices cùm definiunt, hicque casus nullo exemplo innixus, totoque nostro systemate reprobatus inter impossibilia referendus est. Quòd si non negandum videatur eosdem pontifices posse errare, vel aliquando errâsse opinando vel omittendo aut negligendo condemnationem novi alicujus erroris seu hæresis, cùm hi casus non essent errores definitionis, nihil contra nostram thesim solas propriè dictas definitiones propugnantem evincerent. Si autem his in casibus Papa generalis concilii decreto erroneam ejus opinionem, aut negligentiam, seu omissionem corrigenti parere deberet, id eum non ipsius concilii jure, sed altiore illo, de quo antea diximus, obligatum præstaret, ut ne exinde concilii ejusdem auctoritas per se, et jus coactivum supra Papam probaretur.

Porrò in casu schismatis, in quo summus pontifex omnium maximè jure naturali ac divino debet omnibus mediis uti, ut illud extinguat, unitatemque, cui custodiendæ ac vindicandæ ex primatu potissimùm obligatur, Ecclesiæ necessariam restituat; si, ex. gr., aliis

mediis frustra tentatis schisma nequeat aboleri nisi cessione contendentium, qui jure æquali vel incerto frui credantur, nonne cedere pontificatui debebit eâ naturali charitatis lege adstrictus, quæ publicum necessarium bonum privato præferendum docet? Imò etiam obligatur peculiari lege divinâ ac naturali, si ad cessionem sese promissione ac jurejurando obstrinxisset. Hæc autem, quæ ab ipso præstanda essent jure naturali ac divino, si exigantur, seu proponantur præstanda decreto concilii generalis, quis non æquissimum diceret, aut negaret ipsum ad hæc obligari eo nomine, quòd quâcumque synodo superior est? Obligaretur nimirùm non jure synodi, quæ per se superiorem non ligat, sed jure illo naturali ac divino, cui etiam summi pontifices subjiciuntur.

Eâdem de causâ obligaretur etiam in casu reformationis generalis morum in capite et in membris. Quis enim ambigere potest quin summi quoque pontifices jure naturali ac divino teneantur reformare mores, qui vel in se vel in aliis Ecclesiæ membris reformatione indigeant? Id si proponat exigatque concilium generale, parere debebunt, non jure ipsius concilii, sed divino ac naturali, quod decreto concilii proponitur et urgetur. Hoc sensu vis coactiva non in concilio, sed in naturali ac divinâ lege sita est. Quòd si decretum latum sit à concilio verè generali, cùm summi pontificis non deerit assensus, seu confirmatio, tum verò hoc assensu se ipsum quodammodò eidem decreto liber subjicit, eodemque decreto voluntariè ligatur, quod vim coactivam excludit.

Restat alterum decretum, quo sessione 5 agitur de pœnis in eum inferendis, qui cujuscumque dignitatis, « etiamsi Papalis, obedire « contumaciter contempserit. » Hæc quidem verba vim coactivam evidentiùs adstruunt, quæ inferiori in superiorem non competit. Verùm notandum nullam pœnam particularem pontifici contumaci imponendam designari, sed in genere statui ut quicumque obedire contempserit, « condignæ pœnitentiæ subjicia« tur, etiam ad alia juris remedia recurrendo, » uti fit in aliis synodalibus decretis quæ dogmata fidei non constituunt; ex quo omnia simul ejusdem sessionis decreta vocantur « mandata, « statuta, seu ordinationes, ac præcepta super « præmissis, quæ meris constitutionibus syno« dalibus » conveniunt. Quid ita? Quia Patres Constantienses viderunt hâc in re non expedire, nec opus esse definire jus concilii œcumenici supra papam tanquàm dogma fidei; sed sufficere, si ad tollendum schisma aliorumque scandalorum remedium, decretis ac præceptis practicis uterentur, quibus ex divino saltem naturalique jure iidem pontifices obligarentur, minisque etiam additis impellerentur, etiamsi ex certo dogmate non definirent, num jus concilii per se supra papam esset, necne.

Hìc autem adversarios clamaturos prævideo: Si pontifices neque divino, neque naturali jure moveantur ad ea præstanda, quæ bono Ecclesiæ sunt necessaria, neque concilium quantumvis generale possit eos pœnis aliisque subsidiis canonicis cogere, nonne Christus suæ Ecclesiæ minùs aptè prospexisse dicendus erit, et scandala, si quæ à pontificibus provenirent, sine idoneo remedio reliquisse? Hæc ratio ex necessitate remedii ducta, et in speciem valdè probabilis, illa est, quæ cùm novæ opinioni de potestate conciliorum generalium supra pontifices inducendæ in casu schismatis causam dedit, ut vidimus, tum verò adeò recepta fuit à Patribus Constantiensibus, ut eam ad casus quoque fidei et reformationis generalis morum in capite et in membris duxerint extendendam recitatis decretis; quibus tamen cùm eos noluisse condere certum decretum fidei hactenùs dicta comprobant, tum verò eadem ratio ipsis decretis meræ opinionis probabilitatem quidem aliquam dare potuit, non verò certitudinem fidei, quod mihi in præsentiarum sufficit. Certo enim primatûs juri, quo summi hierarchæ superiores sunt totâ Ecclesiâ etiam congregatâ in generali concilio, quomodò præjudicare potest nova hæc opinio nullo antiquo textu aut exemplo legitimo fulta, et rationi tantùm probabili innixa, decretisque Constantiensibus, quæ vi generalis synodi carent, nec condunt certam fidei doctrinam? Quid porrò si ea ipsa ratio, quæ pro ejus temporis angustiis ac circumstantiis probabilis visa est, inanis per sese atque inepta demonstrari queat? Id patebit ex dicendis capite sequenti.

CAPUT IX.

OBJECTIO EX NECESSITATE REMEDII IN CASIBUS EXTRAORDINARIIS A CONSTANTIENSI MEMORATIS EXPUNCTA.

Ratio necessitatis remedii in casu pertinacissimi schismatis, quæ inducendæ sententiæ de

jure conciliorum generalium supra contendentes pontifices juris dubii causam præbuit, adeò evidens visa est episcopo Meldensi, ut in dissertatione præmissâ Defensioni repugnantes coarguendos duxerit his verbis : « An « dubium pontificem etiam contumacem à con« cilii œcumenici potestate immunem esse « oportebat, neque esse in Ecclesià vim ullam, « quæ schismatis vulneri mederetur? Absur« dum, absonum, rebus gestis repugnans, Ec« clesiæ Catholicæ Christique providentiæ « prorsùs inimicum. Dicent opportunissimum « schismaticis fuisse remedium, si de Papatu « pari ferè jure contendentes ultrò loco cede« rent. Rectè : quid autem si nollent? æterno « schismate Ecclesia laboraret? Absit. Ergo « necesse est ut sit aliqua potestas, quà dubii « saltem pontifices etiam inviti compriman« tur. » Eamdem porrò rationem æquè valere etiam in casibus fidei ac reformationis morum in capite et in membris, in quibus Constantiensia decreta ipsum Papam generalis concilii juri subjiciunt, idem episcopus nihil dubitat. Esto enim suprema Romanorum pontificum potestas à conciliorum quoque generalium jure sit quodammodò eximenda in casibus ordinariis atque vulgaribus, quorum « causâ, ut ille ait, lacessi pontificiam maje« statem, pacemque Ecclesiæ perturbari (con« vocatione synodi generalis) esset reverà im« pudentissimum » : in gravissimis tamen et extraordinariis causis fidei, schismatum et reformationis morum in capite et in membris, quæ solæ memorantur in decretis Constantiensibus, aliter dicendum est, juxta illud vulgatissimum : « In generalibus legibus non com« prehendi casus extraordinarios, eosque actus, « quos in re improvisâ ipsa necessitas expres« serit. » Ita ille. Quæro autem, num ii, qui in aliquem per sese nullum jus habent, in casibus extraordinariis atque improvisis ex necessitate remedii jurisdictionem super ipsum acquirant? Id si probari nullâ ratione potest, quomodò jus erit concilio generali supra papam, in quem superiorem suum ratione primatûs nullo coactivo jure potitur? Num ex necessitate aliquâ in extraordinariis casibus admitteretur subditorum jus etiam in principes?

Cùm de remedio in casibus extraordinariis adhibendo sermo est, ut hoc à quopiam præstari posse dicatur, jus ipsius proprium antea probandum est ; neque enim solo remedii quantumvis necessarii nomine jus legitimum ei vindicari potest, qui per se ex aliis documentis certisque probationibus eo jure careat. Jus porrò ejusmodi coactivum esse debet, quo in memoratis casibus pontifex, si renuat, ad parendum adigatur. Jus autem hujus generis coactivum uni superiori competere potest ; neque enim inferior in superiorem habet imperium. Cùm verò probatum antea fuerit summos pontifices ratione primatûs eâ supremâ jurisdictione potiri, quâ toti Ecclesiæ etiam collectivè sumptæ ab ipso Christo præpositi sunt, ac proinde superiores quoque esse ipsis conciliis generalibus, qui universam Ecclesiam repræsentant, idque aliis atque aliis traditionis ac rationis momentis fuerit confirmatum, adeò ut ab adversariis nullum antiquum efficax documentum opponentibus id in dubium jure adduci non possit, quomodò illud coactivum jus in summos pontifices superiores suos solo remedii titulo attribui potest generalibus synodis, quæ jus ejusmodi nec per se habent, nec solo remedii titulo acquirere queunt? Hæc una ratio, si nulla alia præstò esset, ad disjiciendum objectum ex necessitate remedii ductum posset sufficere. Sed age, expendamus singulos extraordinarios casus jam memoratos, et luculentiora forsitan proferentur, quibus omnis, si quæ impediat, dubitatio eximatur.

§ 1. *De remedio in casu reformationis morum, præsertim in capite.*

Casus extraordinarii in Constantiensibus decretis recensiti, in quibus necessarii remedii nomine jus œcumenicis synodis asserendum creditur in summos pontifices, ad tres revocantur, cùm nimirùm agitur de fide, vel de schismate, vel de reformatione morum, præsertim in capite. Incipiamus à casu reformationis morum alicujus unici indubitatique pontificis (ubi enim duo simul, vel plures de pontificatu contendentes ac dubii juris antistites morum reformatione indigerent, casus pertineret ad schisma, de quo statuetur § 3), et videamus, num generale concilium, unicum indubitatumque pontificem, si pravis moribus scandalizet Ecclesiam, ad reformandos mores vel invitum cogere, et pœnis ecclesiasticis plectere pro jure suo possit. Hujus casûs et quæstionis solutio præmittenda est, cùm principium certum exigat dicendis postea maximè necessarium, quod hoc in casu paucioribus constituere licet. Cùm pontifex, de quo agimus, unicus et certus sit ex legitimâ et indu-

bitatâ electione, certus est pariter ejus primatus in universam Ecclesiam. Hic autem primatus divino jure institutus ob continendam vindicandamque in totâ Ecclesiâ communionis ac fidei unitatem, jurisdictionem divini pariter juris ipsi vindicat, quâ non solùm distributivè singulos, sed omnes etiam collectivè obligat ad utramque unitatem, ut in præcedenti tractatu de Vi et ratione primatûs fusè probatum, seu potiùs demonstratum videtur. Hinc idem pontifex eodem primatûs jure superior est toti Ecclesiæ collectivè sumptæ, vimque coactivam habere debet in omnes collectivè, sine quâ intentus à Christo unitatis finis obtineri non posset; ac proinde superior quoque est generali concilio, quod, etsi totam Ecclesiam repræsentet, non tamen majori quàm ipsa Ecclesia privilegio præditum, à pontificio jure, cui tota Ecclesia subjicitur, exemptum dici potest. Pontifex igitur, ratione primatûs concilio quoque generali superior, hujus jurisdictioni subesse non potest. Esto in quopiam summo pontifice essent scandala morum, quæ reformationem exigerent, num scandala et pravi mores pontificum in ipsis adimunt, quod iisdem ex divini juris primatu competens, eos omnibus superiores constituit? Num jurisdictionem coactivam in illos tribuere queunt inferiori, cui in superiorem suum nequit convenire? Si in quibuscumque corruptissimis principum moribus reformatione indigentibus adversarii coactivum jus eorum subditis non concederent in ipsos principes, quippe qui omnibus subditis sunt superiores, haud video, quâ cohærentiâ possint scandalorum nomine jus coactivum tribuere generalibus synodis supra Romanos pontifices, qui ob divini juris primatum eisdem quoque synodis sunt pariter superiores.

Aliâ speciali observatione pontificii primatûs propriâ id evidentius fiet. Cùm Papa ex dictis superior sit omnibus ratione primatûs, nemo inferior jure coactivo in ipsum agere poterit, nisi priùs is spolietur eodem primatu, quo omnium jurisdictionem excedit. Primatus autem, qui unius tantùm pontificis personalis est, nec pontifice mortuo in plures electores novi pontificis transivit, non ab ipsis electoribus primatu carentibus, sed à Deo immediatè confertur electo. Num quod à Deo immediatè collatum est novo pontifici, ob scandala seu corruptos mores, si qui in ipso reformandi essent, auferri à quopiam potest, et auferri præsertim ab inferiori, cui in superiorem jus nullum est? Episcopalis jurisdictio licet sit institutionis divinæ, non minùs quàm jurisdictio primatûs pontificum, ideò ex causâ episcopo adimi potest à Papâ, vel à concilio, quia episcoporum jurisdictio Deo instituente subjecta fuit pontificio ac synodorum juri. Vide cap. 1, § 5 et 6. At pontificii primatûs jurisdictio, sicut et ipse primatus, nullius juri subjecta ex institutione divinâ, à nemine, qui semper inferior est eodem pontifice, auferri potest. Hoc principium tanquàm omninò certum olim tradiderunt quidam magistri Parisienses in duabus epistolis ad familiarem Benedicti XIII, quem certum pontificem judicabant. In primâ epistolâ inter aliquot quæstiones, quas solvendas proponunt, hæc decimo loco legitur: « Utrùm Deus, qui solus, et nullus « alius plenitudinem ecclesiasticæ potestatis, « seu auctoritatem Papalem dare potest, de- « derit unquàm alicui personæ, vel commu- « nitati creatæ potestatem auferendi illam « auctoritatem à Papâ, quam immediatè ipse- « met sibi contulit: et si sic, ex quo textu « sacræ Scripturæ, vel alterius cujuscumque, « cui Papa credere teneatur, hoc possit ha- « beri. » In alterâ verò epistolâ quæstiones seu theses varias cum suis responsionibus subjicientes, ad thesim 12, quâ suam sententiam exponunt circa quæstionem 10, prioribus litteris propositam, hæc pronuntiant: « Sicuti « nulla creata persona, nec communitas totius « Ecclesiæ militantis potest, nec unquàm po- « tuit dare Papæ immediatum Christi Vica- « riatum, ita nec aliqua talis persona vel « communitas potest auferre sibi invito illam « Vicariatûs auctoritatem, quæ eidem non ab « hominibus, sed à solo Deo est immediatè « collata. » Hæc thesis apud Raynaldum descripta unà cum cæteris tribuitur Joanni Azoni Ordinis Prædicatorum ad annum 1395, num. 13.

Neque verò huic divini juris primatui quidquam officerent scandala morum, si quæ in pontifice remedium postularent. In sacris canonibus, ubi de scandalis pontificum agitur, statutum legitur ipsis non obediendum, nec sequenda eorum exempla, ubi aliquid contra divinam legem agant vel præcipiant: nunquàm verò judicio cujusquam subjiciendos indicant, nisi fortè sint à fide devii. Quæ hæresis exceptio eâ de causâ fit, quia ob hæresim ipso facto à pontificatu decidentes, primatûs jurisdictionem amitterent, ut explicabitur paragrapho sequenti: idipsumque dicendum de vero schismate, quo pontifex se separaret à corpore

Ecclesiæ. Vide dicenda inferiùs, § 4. Cùm autem ex aliis criminibus seu scandalis Papa saltem certus non desinat esse caput Ecclesiæ, nec primatu exuatur, nihil mirum si judicari et deponi à quopiam nequeat : unde vulgatum illud principium superiùs expositum, cap. 5, Papam non judicari à quoquam, ejusque crimina solius Dei judicio reservari.

Enimverò non defuerunt antiquis quoque temporibus nonnulla pontificum scandala, quæ reformationis ac remedii necessitatem præferebant. At receptum erat apud Catholicos illud Augustini axioma, nullam esse justam abscindendæ unitatis causam, præsertim cum Ecclesiæ capite totius catholicæ unitatis centro; idque confirmabat vel maximè laudatum ab eodem S. Cypriani exemplum, qui licet in pontifice Stephano causam dissidii non injustam se habere judicaret, noluit tamen cum ipso unitatem abrumpere. Cùm enim (1) de certo legitimoque summo pontifice certo totius Ecclesiæ capite sermo est, hæc duo sunt pariter certa, primò non licere membris se à suo capite separare, cum quo unitas necessaria est; secundò separationem ejusmodi à certo ac legitimo capite inducere crimen (2) aperti schismatis, quod à nemine contrahendum est, ut alicujus cujuslibet scandala aut crimina corrigat vel impediat, juxta illud Apostoli : *Non sunt facienda mala, ut eveniant bona.* Hâc de causâ Ivo Carnotensis episcopus approbare non potuit eorum episcoporum consilium, qui in gravissimo scandalo, quod in totâ Ecclesiâ excitaverat Pascalis II, concesso licet per vim privilegio de investituris, huic certo pontifici minati sunt se ab ejus obedientiâ recessuros, nisi idem privilegium rescindens tantum scandalum tolleret. In ejusmodi scandalorum, quæ à summis antistitibus provenirent, remedium, non solum generalis synodus, sed quilibet etiam inferior monitis, suasionibus, precibus aliisque similibus mediis ex charitate tum privatâ, tum publicâ adhibendis uti potest, eos corrigendo, vel etiam cum debito obsequio arguendo et urgendo, proposito eisdem naturali ac divino illo jure, quo ad debitam morum reformationem, et ad scandala subtrahenda obligantur. Hoc unicum et inferioribus licitum remedium suggessit laudatus Carnotensis episcopus : quod si benè cederet, gratiæ agerentur Deo; secùs verò, addit nihil contra supremum hierarcham tentandum, « cùm non sit « nostrûm judicare de summo pontifice, » multò autem minùs illum deponere : quod confirmavit exemplo ipsius Christi, qui Pharisæorum et Scribarum mores non sequendos docuit, non autem eos factiosâ conspiratione è suis sedibus removendos; adjecitque exemplum Pauli, qui Petro sibi prælato, non rectè incedenti ad veritatem Evangelii, in faciem restitit, non tamen eum abjecit. Integrum textum protuli cap. 5, § 2.

Quid tandem remedii necessarii nomine jus concilii generalis supra pontificem adstruas, dùm remedium hujusmodi per se non satis efficax, et aliunde difficillimum sit, ac ferè impossibile? Ut efficax esset, et effectum pareret, quem necessitas requireret, jus ipsius concilii deberet esse omninò certum, de quo nemo posset ambigere. Si enim Papa non credat se subesse concilio, quid sperari potest remedii ex ejus decretis? Neque solùm certum deberet esse conciliorum generalium jus, ut necessariam reformationem induceret, sed præterea ipsorum congregatio facilis esse deberet et expedita. Cùm reformationis causæ frequentiores sint, et identidem urgere ab adversariis credantur, generale autem concilium cogere, quo necessaria reformatio inducatur, hoc præsertim tempore difficillimum sit ac ferè impossibile, remedium necessarium deesset Ecclesiæ, aut, ne desit, jus in Papam etiam invitum remedii causâ non solis generalibus conciliis esset tribuendum, sed etiam particularibus, quæ promptiùs et faciliùs cogi queunt. Id autem si ex necessitate remedii adversarii nequeunt admittere, eò quòd Papa primatûs causâ quibuslibet particularibus synodis præstat, neque ex eodem remedii necessarii titulo tribuendum erit concilio generali, cùm ille ex eodem primatu non tam

(1) Si in casu schismatis, quo duo vel tres se gerebant tanquam pontifices, non pauci crediderunt subtrahendam ab ipsis obedientiam, id crediderunt licere illis tantùm, qui nullum ex contendentibus certum et legitimum pontificem crederent : aliàs sese separantes ab eo, quem bonâ fide certum pontificem judicassent, à crimine schismatis non potuissent excusari.

(2) Hinc intelligitur cur nemini liceat excommunicare, seu communione privare summum pontificem, illum scilicet cum quo jure primatûs communio omnium fidelium necessaria est. Vide lib. de Vi et ratione primatûs cap. 11, § 1. Qui Papam excommunicaret, abrumperet hanc necessariam communionis unitatem, schisma manifestum incurreret : unde omnes veluti schismaticos detestantur Pseudo-Sardicensis conciliabuli episcopos, necnon Dioscorum et Photium, qui ausi sunt excommunicare summos pontifices.

particularibus, quàm generalibus synodis sit superior.

§ 2. *De remedio in casu hæresis circa fidem.*

Remedium in casu hæresis, in quam pontifex incideret, promptius et facilius suppetit. Casus hæresis quoad summos pontifices non ille intelligitur, quo aliquis eorum ex officio definiens aliquod dogma fidei, errorem definiret : id enim ex constitutis appendice de eorum infallibilitate in definiendis controversiis fidei accidere nequit. Neque eum casum respicit, quo iidem opinando circa aliquam quæstionem nondùm definitam errarent in materiâ fidei : quæ enim ante definitionem Ecclesiæ in liberâ opinione versantur, hæresis vitio carent. Ad eum itaque casum tantummodò præsens quæstio referri potest, quo Papa privato judicio deceptus crederet, et pertinaciter propugnaret aliquid contrarium cuipiam articulo fidei evidenti, aut definito, quod hæresis proprium est. Hoc autem in casu (quem, licet à definitione fidei et à nostro proposito alienissimum, Dei tamen præsidio nunquàm eventurum confido) non pauci etiam ex ipsis pontificiæ auctoritatis vindicibus (1) jus generalis concilii in Papam à fide devium, seu hæreticum asserunt, quia credunt talem pontificem ex ipsâ hæresi ab Ecclesiæ fundamento, quod est fides, et consequenter ab ipsâ Ecclesiâ sejunctum atque præcisum, à pontificatu penitùs decidisse, hâcque in hypothesi jus generalis concilii fore in eum, qui pontifex ampliùs non est, nec primatu fruitur. Cur verò in præsentissimo omniumque gravissimo periculo fidei, quod ex pontifice hæresim privato licet judicio propugnante impendens, diuturniores moras non pateretur, remedium ex generalis synodi non ita facili convocatione expectandum crederer? Nonne etiam inferiores quicumque in tanto fidei discrimine superiorem suum correctione fraternâ commonere queunt, in faciem eidem resistere, atque revincere, et, si opus sit, redarguere ac ad resipiscentiam urgere? Poterunt id Cardinales, qui ipsi à consiliis adstant; poterit Romanus clerus; Romana etiam synodus, si expedire judicetur, congregata poterit. Quemcumque vel privatum respiciunt illa Pauli ad Titum : *Hæreticum hominem post unam et alteram correctionem devita, sciens quia subversus est, qui ejusmodi est, et delinquit, cùm sit proprio judicio condemnatus.* (Tit. c. 13, v. 10.) Qui nimirùm semel et bis correctus non resipiscit, sed pertinax est in sententiâ dogmati manifesto aut definito contrariâ, hâc suâ publicâ pertinaciâ, cùm ab hæresi propriè dictâ, quæ pertinaciam requirit, excusari nullâ ratione potest, tum verò semetipsum palam declarat hæreticum, hoc est, à fide catholicâ et ab Ecclesiâ voluntate propriâ recessisse, ita ut ad eum præcidendum à corpore Ecclesiæ nulla cujusquam declaratio aut sententia necessaria sit. Perspicua hâc in re est S. Hieronymi ratio in laudata Pauli verba : « Propterea à semetipso dicitur esse damnatus, quia fornicator, adulter, homicida, et cætera vitia per sacerdotes ex Ecclesiâ propelluntur : hæretici autem in semetipsos sententiam ferunt, suo arbitrio de Ecclesiâ recedentes : quæ recessio propriæ conscientiæ videtur esse damnatio. » Pontifex ergo, qui post tam solemnem et publicam Cardinalium, Romani cleri, vel etiam synodi monitionem sese obfirmatum præferret in hæresi, et de Ecclesiâ palam recessisset, juxta præceptum Pauli esset vitandus; et ne aliis perniciem afferret, in publicum proferenda esset ejus hæresis et contumacia, ut omnes similiter ab eo caverent, sicque sententia, quam in seipsum tulit, toti Ecclesiæ proposita, eum suâ voluntate recessisse, et ab Ecclesiæ corpore declararet avulsum, atque abdicâsse quodammodò pontificatum, quo nemo fruitur, nec frui potest, qui non sit in Ecclesiâ. Vides igitur in casu hæresis, cui pontifex privato sensu adhæreret, promptum et efficax remedium absque generalis synodi convocatione : quâ in hypothesi quidquid contra ipsum ageretur ante declaratam ejus contumaciam et hæresim, ut ad sanum consilium adduceretur, charitatis, non jurisdictionis officium esset : postea verò manifestato ejus recessu ab Ecclesiâ, si quæ sententia à concilio in eumdem ferretur, in eum ferretur, qui pontifex ampliùs non esset, neque superior concilio. Sed hæc (1) hypothesis nullo facto

(1) Favet huic sententiæ Innocentius III sermone tertio habito die suæ consecrationis scribens : « In tantum fides mihi necessaria est, ut, cùm in cæteris solum Deum judicem habeam, propter peccatum, quod in fide committitur, possim ab Ecclesiâ judicari. » Vide Sylvium in 2-2 S. Thomæ, tom. 3, q. 39, art. 3, conclus. 2.

(1) Hypotheticum quidem casum tantummodò præfuerunt duo antiqui textus, qui Romanum pontificem ab inferiorum jure exemptum affirmant hac exceptione, *nisi deprehendatur à fide devius*, ubi traditur can. *Si Papa*, ex actis Bonifacii Moguntini apud Gratianum dist. 40, c. 6, vel *nisi a rectâ fide exorbitaverit*, quemadmodùm

comprobatur, siquidem nullus vel privatus error cuipiam pontifici adscriptus contra ullum dogma evidens aut definitum hactenùs inventus est, aut futurus putatur. Quid igitur in merâ hypothesi laboremus pluribus?

§ 7. *De casu schismatis, quo duo vel plures sese gerant tanquàm pontifices.*

Reliquus est casus schismatis, in quo duo vel plures de pontificatu contendentes, Ecclesiam in partes discindant. Duo autem ejusmodi schismatum genera sunt distinguenda. Vel enim unius ex contendentibus electio et jus instituto congruo examine legitimum et certum detectum est, vel incertum remanet et obscurum. Primus casus antiquis etiam temporibus identidem incidit; neque cogitatum unquàm fuit de generali synodo congregandâ, quæ in pontificem etiam ex legitimâ electione certum aliquid juris haberet, eumdemque æquè ac invasorem, ob restituendam Ecclesiæ pacem et unitatem, à pontificatu et primatu ejus certo deponeret. Semper vindicatus fuit ille, cujus jus certum ex legitimæ electionis notitiâ innotuerat, ut patet, ex. gr., ex iis quæ gesta sunt in schismate contra S. Cornelium excitato tempore S. Cypriani, nec non illo quod temporibus S. Bernardi contra Innocentium II et Alexandrum III efferbuit. Ratio pro legitimo certoque pontifice manifesta erat, non solùm quia non debet invasor et intrusus contra certi juris pontificem prævalere, verùm etiam, et multò magis quia contra certum pontificium jus nulla vel generalis concilii potestas est, cùm ab idem jus non ab electoribus, nec ab Ecclesiâ, sed à Deo immediatè tributum, verus pontifex toti Ecclesiæ et generalibus quoque synodis (ut probavimus) superior, ab aliorum omnium sibi inferiorum jurisdictione subtrahatur. Hâc quidem de causâ Basileensium molimina et gesta contra Eugenium IV unicum certumque pontificem illegitima et inania nihil potuerunt ad ipsum deponendum, et in apertum schisma deflexerunt.

Si porrò agatur de schismate, in quo ob inextricabiles facti jurisque difficultates nulli ex contendentibus jus certum, sed cuivis sit dubium, id unum in magnam controversiam cadere potest. Id quidem tempore synodorum Pisanæ et Constantiensis, cùm duo primùm, dein tres tanquàm pontifices sese gerebant, et magnis hinc et hinc suarum cujusque partium studiis decertabant, diversas in sententias plures adduxit. Fuerunt nimirùm nonnulli, et adhuc sunt, qui hujusmodi tantùm pontifices dubii et incerti juris synodorum generalium potestati subjiciunt. Hanc autem sententiam, quam aliquot etiam celebres auctoritatis pontificiæ vindices sequuntur, ut hinc remedium difficiliori schismati afferatur, ego absolutè repudiare nolim. Aliquot tantùm considerationes proferam, ex quibus forsitan quid verius sentiendum sit eruetur. Peto igitur inprimis ab hujus sententiæ patronis, num eorum opinionem susceperint, qui dixerunt aut dicunt in casu memorati schismatis nullum ex contendentibus dubii et incerti juris fuisse reipsà verum legitimumque pontificem, juxta illud effatum : *Papa dubius, Papa nullus ;* an verò censeant unum aliquem ex illis fuisse reipsà verum Papam, et solùm ob involutas facti jurisque circumstantias ignotum fuisse, quisnam eorum verus reipsà et legitimus pontifex existeret? In primo sensu quidquid in ipsos egisset concilium, non egisset contra veros pontifices, sed contra eos, qui cùm non essent reipsà veri pontifices, carebant primatu, nec erant superiores concilio, nihilque mirum si concilii auctoritati suberant. Imò hâc in hypothesi schisma non caruisset prompto facilique remedio, non solùm ex generali, sed ex magis obviis particularibus etiam synodis, quæ in hujus generis contendentes pontificatu expertes jus habere potuissent.

Quòd si illud effatum : *Papa dubius, Papa nullus,* incredibile judicetur, præsertim in diuturniori illo schismate, in quo dicere Ecclesiam per annos triginta et ampliùs, quibus idem schisma duravit ab electione Urbani VI usque ad electionem Martini V, caruisse semper vero pontifice, omniumque electionem fuisse illegitimam, absonum videtur, et ferè etiam impossibile (si enim electio, ex. gr., Urbani VI, irrita fuisse credatur, subsecuta electio Clementis VII ejus æmuli, quæ non aliâ de causâ dici potest illegitima, nisi ob legitimam et ratam electionem Urbani, valida dicenda esset) : si illud, inquam, primum effatum judicetur incredibile, aliâ viâ me expe-

legitur in concilio V, sub Symmacho : quæ tamen hypothesis non de definitionum, sed de privatæ opinionis errore circa fidem intelligenda ex dictis initio præsentis paragraphi colligere licet. Obiter porrò hoc loco moneo canonem *Si Papa*, de quo in actis hactenùs notis S. Bonifacii archiepiscopi nullum indicium est, nullaque apud canonistas Deusdedit antiquiores occurrit mentio, incertæ admodùm esse auctoritatis ac fidei ; concilium verò V Romanum sub Symmacho vulgò legitimum habitum, omninò supposititium nobis videtur.

diam. Ubi enim inter duos vel tres de pontificatu contendentes unus ex illis verus reipsà pontifex fuisse dicendus sit, et solùm latuisse, quisnam ex illis verus fuerit, num Urbanus VI an Clemens VII, et similiter de aliis qui utrinque subrogati fuerunt, eædem rationes, quibus supra probavimus certum pontificem non subesse jurisdictioni concilii quantumvis œcumenici, nec posse ab eo deponi, probant etiam non subesse, nec deponi posse eum qui inter duos vel tres incerti dubiive juris pontifices, verus reapsè et legitimus sit, quamvis ignoretur, et dubius incertusque apud homines habeatur. Ideò enim (ut antea probatum est) supra certum pontificem jus nullum est concilio etiam generali, quia verus pontifex est, et primatu fruitur, ob quem totæ Ecclesiæ etiam collectivè sumptæ et in concilio adunatæ jure divino superior est; nec inferiori in superiorem suum coactivum jus esse potest. Idem verò primatus inest cuivis pontifici, qui verus et legitimus sit, etiamsi ob ancipites circumstantias non constet quis inter contendentes sit legitimus et verus. Hæc enim ignorantia potest quidem excusare eos qui verum re ipsâ pontificem sibi invincibiliter ignotum debitis officiis non prosequuntur; at sicut simplex ignorantia nihil juris adimit, aut adimere potest ei qui re ipsâ verus et legitimus pontifex sit, licet aliis ignotus, ita nihil juris tribuit, aut tribuere potest in ipsum concilio quamvis œcumenico: semper nimirùm jus primatûs manet re ipsâ vero legitimoque pontifici, qui semper hoc primatûs jure reipsà toti Ecclesiæ et cuivis concilio superior, à jurisdictione istorum subtrahitur.

Id quidem persuasum quoque fuisse Patribus concilii Pisani, qui etsi de duobus contendentibus incerti juris pontificibus agerent, non tamen crediderunt hoc saltem in casu certum sibi jus competere ad eos deponendos, nisi ipsos tanquàm schismaticos atque hæreticos ipso facto à semetipsis depositos excidisse judicâssent à pontificatu, quo solo à concilii jurisdictione eximebantur. Vide quæ in hanc rem diximus cap. VI, § 5. Adeò in implexis quoque ejus schismatis circumstantiis obtinebat vetus sententia, nec putabatur tempore schismatis difficillimi remedii titulo posse concilium contendentes omnes deponere, in quibus unus, legitimus et verus rè ipsâ pontifex concilio non suberat, nisi aliquo alio nomine è pontificatu excidisset. Hæc sunt momenta, et quæ non facilè nec absolutè approbandam arbitror eorum opinionem, qui generali concilio jus asserendum putant saltem in schismate supra incerti juris pontifices

Neque repetas: Nullumne ergo in ejusmodi schismatibus à generali quoque concilio remedium? Quid enim absurdi est, si remedium non suppetat ex concilio, cui jus in verum legitimumque pontificem quantumvis ignotum (siquidem unus inter contendentes verus et legitimus concedendus sit) nequaquàm competit, aut saltem competere certum non est? Ubi enim id non sit perinde certum, ut ab ipsis de pontificatu contendentibus in dubium revocari non possit, hancque incertitudinem iidem adversarii debeant concedere, cùm dogma hâc in re certum non esse fateantur, quomodò remedium opportunum sperari potest ex hujusmodi synodo, quam contendentes jus in se legitimum habere non solùm certum non credant, sed certum potiùs credant oppositum? Hâc sanè de causâ synodus Pisana, licet œcumenica præfertur, effectum consecuta non est: neque enim ab eâ schisma extinctum, sed potiùs auctum, cùm post depositionem duorum contendentium elegit tertium, ex quo Ecclesia in duas partes antea divisa, in tres postea discissa fuit.

Neque tamen negari posse existimo quin in casu schismatis jus ullum conciliis generalibus suppetat. Initio quippe schismatum, cùm quæstio ferè pertineat ad facta et circumstantias electionis, quæ in iisdem initiis faciliùs detegi queunt, ut dijudicetur cujus ex contendentibus legitima fuerit electio, sicque cognoscatur, et recipiatur, et comprobetur legitimè electus, repellatur autem intrusus; judicium ejusmodi, quod nihil juris coactivi in verum pontificem præfert, si olim attributum fuit etiam particularibus synodis, nonne magis multò generali concilio asserendum est? Hinc sanè generale concilium cogendum censuit Urbanus VI, tum ante, tum post antipapæ Clementis electionem, eò quòd suæ causæ fideret; et soli Gallicani Cardinales fautores Clementis ejusmodi convocationem recusârunt: quod istius electioni maximo præjudicio est. Idem œcumenici concilii judicium, in quo ageretur de Papatûs titulo, obtulit etiam Urbani successor Bonifacius IX, cui cùm pariter obstitissent fautores partis contrariæ, partium hinc inde disputationes ac studia ita cursu temporis rem omnem involverunt, ut quæstio de titulo ob implicatissimas facti ac juris difficultates definiri ampliùs non posse crederetur. In hisce autem

angustiis non modò utilem, sed vel maximè necessariam fuisse reor convocationem concilii generalis, in quo ex omnibus obedientiis Patres quàm fieri posset frequentissimi convenirent; non quòd concilium hujusmodi jus ullum saltem certum per sese haberet ad deponendum, si opus esset, cum cæteris contendentibus eum quoque, qui inter ipsos verus re ipsâ et legitimus erat, sed ut plurimorum consilio quærerentur et proponerentur viæ et media ad finiendum schisma magis idonea atque etiam legitima, queis contendentes debuissent acquiescere, si non jure concilii, certè naturali atque divino, quæ præcipiunt ut quisque proprio commune et publicum unitatis bonum præponat. Licet autem legitimum cessionis medium, quod magis obvium et expeditum Constantienses rebus multis procurârunt, ab omnibus contendentibus non fuisset receptum, adhuc tamen non inutilis inventa est ejus synodi convocatio.

Semper in Ecclesiâ excitata fuerunt scandala et gravissimæ vexationes, quæ cùm à Deo fuerint permissæ in finem aliquem bonum, licet nobis incognitum, unde scriptum est (1 Cor. 1, v. 19): *Oportet et hæreses esse, ut hi qui probati sunt, manifesti fiant;* tum verò deficiente omni humano subsidio, ejusdem Dei fuit remedium præstare, quod et quando ipsi placuit. Concilium Constantiense, quod in prædicto schismate post Pisanum fuit congregatum, suo solo jure non magis profuisset, nisi alia extrinseca media atque subsidia (quæ ad jus coactivum concilii supra omnes contendentes asserendum allegari non possunt) accessissent, ex quorum complexu pax et unitas desiderata Deo disponente restituta tandem fuit, et schismati impositus finis, ut mox explicabitur.

§ 4. *Quomodò in Constantiensi schisma sublatum, et unitas restituta sine usu potestatis concilii supra pontificem.*

Hic tam expetitus unitatis et pacis effectus tum prosperè successit, cùm Martinus V, à memorato concilio electus, solus certus et legitimus pontifex extitit. Quomodò autem id evenerit sine usu potestatis concilii supra Papam, paucis dicam. Ejus electio peracta est post cessionem seu renuntiationem liberam Gregorii XII, qui (1) probabiliùs verus pontifex erat, et post depositionem aliorum duorum, Joannis nimirùm XXIII et Benedicti XIII, sed ita ut Joannes, qui depositioni suæ non solùm (1) ante sententiam, sed postea etiam publicum et solemnem præbuit assensum, antequàm Martinus eligeretur, hoc assensu sese quodammodò pontificatu abdicaverit. Quòd si hæc omnia is fecit, dùm esset in custodiâ, acta nihilominùs dici nequeunt ex metu cadente in constantem virum, quo libertas ejusmodi actis necessaria tollitur: hic enim metus in eum non cadit, qui ex metu id facit, quod jure et justè facere debet. Joannes autem XXIII, ob restituendam Ecclesiæ unitatem et pacem, jure naturali ac divino renuntiare debebat Papatui, ut promiserat ac juramento etiam firmaverat. Satis itaque voluntarius ac liber fuit ejus assensus depositioni præstitus, etiamsi ob aliquem metum fuisset elicitus. Multò autem evidentiùs voluntarius est agnitus, cùm liberè custodiâ Florentiam advolans, ubi erat Martinus V, huic suam cessionem et obsequium declaravit.

Restabat Petrus de Lunâ dictus in suâ obedientiâ Benedictus XIII, qui nec cum Grego-

(1) *Probabiliùs*, inquam, quia *probabiliùs* verus pontifex fuit Urbanus VI, cui idem Gregorius XII, post alios duos legitimâ electione successit. Licet enim Urbani electio à Cardinalibus peracta, incussi metûs titulo vocata fuisset in dubium, ratihabitio tamen subsequens, et multò magis nova ab iisdem peracta ipsius posterior electio, et quadrimestris pacifica possessio, aliaque à Raynaldo allata an. 1376, illam luculentissimè vindicant. Legenda præterea epistola regis Castellæ ad Martinum regem Aragonum scripta an. 1397 (Raynald. t. 8, pag. 7), in quâ argumenta pro Urbano VI multò probabiliora elucescunt. Neque Gregorio XII præjudicat depositio ipsius facta in concilio Pisano, siquidem quantùm laboret hujus concilii auctoritas cap. 6 vidimus, ac propterea jus deponendi verum Pontificem, quem Gregorium XII probabiliùs credimus, nondùm probatum est.

(1) Dùm Joannes XXIII ante depositionem legatis à synodo missis spopondit fore, ut synodi sententiam etiamsi in se latam cum birreti depositione acciperet, eamque, quantùm in se fuerit, *confirmaret*, *approbaret et emologaret*, se quodammodò submisit synodo, eique in se auctoritatem, quâ carebat, impertivit: unde in exordio sententiæ synodus declaratam voluit *ejusdem submissionem spontaneam*. Post depositionem verò ita clarè eam sententiam confirmavit, ut pontificatu se abdicâsse, quemadmodùm in unitatis bonum, necnon ex promissione ac jurejurando obstringebatur, negari non possit. Quam in rem notanda præsertim hæc ratificationis verba, quæ renuntiationem liberam exprimunt: « Imò eidem « Papatui et juri, si quod in eodem sibi « qualitercumque competebat, seu si quod « sibi nunc in eodem competebat, purè, sim- « pliciter et absolutè liberèque et spontè ce- « debat et renuntiabat. »

rio XII, juri suo in pontificatum voluit renuntiare, nec cum Joanne XXIII, concilii sententiæ sese subjicere necante nec post sententiam consensit. Omnem nihilominùs difficultatem dispellit sententia in ipsum lata tanquàm schismaticum et hæreticum, quippe qui sub finem concilii in apertum schisma et in hæresim lapsus, ex ipso schismatis et hæresis crimine ab Ecclesiâ separatus, jam à primatu exciderat, et primatu suo vitio ac voluntate spoliatus, pontifex ampliùs non erat superior concilio, sed juri et sententiæ concilii suberat. Id quomodò verissimum sit, explicandum. Cùm certum est hominem schismaticum non esse in Ecclesiâ catholicâ, tum verò æquè indubium est schismaticum ab Ecclesiâ catholicâ sejunctum non posse esse caput ejusdem Ecclesiæ, nec verum legitimumque pontificem primatûs jurisdictione præditum, cùm nulla sit jurisdictio nisi in unitate Ecclesiæ (1). Schismaticus autem non ille solus est, qui separatur à capite ipsius Ecclesiæ Romano pontifice, à quo quicumque separatur, ab ipsâ Ecclesiâ catholicâ illi unitâ tanquàm capiti est pariter separatus, sed ille etiam atque potissimùm, qui sit divisus à corpore et unitate Ecclesiæ, et cum catholicâ Ecclesiâ nequaquàm communicet. Nam, ut docuit Augustinus de Unitate Ecclesiæ cap. 4: « Quicumque ab ejus (Christi) corpore, quod « est Ecclesia, ita dissentiunt, ut eorum com« munio non sit cum TOTO, quàcumque diffun« ditur, sed in aliquâ parte separatâ inveniatur, « manifestum est eos non esse in catholicâ « Ecclesiâ. » Porrò Ecclesiæ corpus, quod ob schisma hujus temporis in tres partes, seu (ut vocabant) obedientias fuerat divisum, coaluerat in unum, cùm tres illæ obedientiæ per Constantiense concilium ad unitatem venerunt. Id non sub hujus concilii initium factum est, sed tunc cùm post coadunatas duas obedientias Joannis XXIII et Gregorii XII, agentibus cum Sigismundo rege concilii legatis, cæteri, ac tandem Hispani, qui difficiliores fuerant, ex tertiâ Benedicti XIII obedientiâ accesserunt ad unitatem, exceptis paucissimis huic pertinaciter adhærentibus in Paniscolâ Hispaniæ angulo, qui procul dubio catholica Ecclesia dici non poterant. Cùm ergo post omnium obedientiarum ac totius corporis unionem Benedictus ab illis separatus, sejunctus esset à corpore et unitate Ecclesiæ catholicæ (1); schismaticus verè esse cœpit, imò etiam hæreticus manifestus, quippe qui Ecclesiam Christi inter paucos suos partiarios in Paniscolâ inclusam crederet, pertinacissimèque prætenderet, ita ut legatis à synodo missis dixerit: « Ibi (in Constantiensi) non est « Ecclesia, sed in Paniscolâ est vera, inquam, « Ecclesia; et verberando manum suam ad « cathedram suam dixit: Hìc est arca Noe, » in quâ paucissimi erant. De Constantiensibus autem, qui ex omnibus obedientiis coaluerant, pronuntiavit: « Ipsi magis sunt schismatici, « quàm ego. » Id Donatistarum errorem præfert, quo ad eos paucos in Africæ angulo Donati partem sequentes veram Ecclesiam redactam putabant, hocque nomine non solùm schismatici, sed hæretici etiam fuêre, inficiantes veræ Ecclesiæ prærogativam, id est, catholicæ toto orbe diffusæ. Hâc itaque duplici schismatis et hæresis causâ Benedictus XIII (si verum pontificem fuisse existimes) ipso facto suâ voluntate primatu et pontificatu exauctoratus, ritè ac legitimè deponi potuit à concilio tanquàm schismaticus et hæreticus, quod cùm non congrueret et Joanni XXIII, in sententiâ contra hunc editâ declaratum non legitur.

Vides interim, quibus modis divina providentia usa est ad abolendum per Constantiensem synodum pertinacissimum schisma, ut ne opus esset eamdem synodum quidquam juris exercere ad deponendum suâ auctoritate quempiam verum, licet ignotum, actualem pontificem. Gregorium enim XII, qui probabiliùs erat verus et legitimus Papa, non deposuit, cùm spontè cesserit. Joannem verò XXIII, si verus pontifex fuisse credatur, deposuit quidem, sed ex ejus voluntate atque consensu, qui cessioni æquivalet. Solum Benedictum XIII, post adunatas obedientias deposuit invitum, cùm renuens accedere ad unitatem, et pontificatui cedere, persistens pertinacissimè in manifestâ separatione à corpore Ecclesiæ catholicæ jam adunatæ, sese schismaticum et hæreticum prodidit: ex quo in depositionis sententiâ ipsum synodus schismatis et hæresis nomini-

(1) Vid. Antonin. part. 2, tit. 3, c. 11, § 7, conclus. 3, ubi Cancellarii Parisiensis sententiam recitat.

(1) Hâc in hypothesi Papam posse fieri schismaticum docuit Sylvius in 2-2 S. Thomæ t. 3, q. 39, a. 1, « si pontifex seipsum se« paret à communione catholicorum episcopo« rum, aliorumque fidelium, et solùm commu« nicet cum quibusdam sibi adhærentibus. » Confer quæ idem addit art. 3.

bus ab Ecclesiâ præcisum, et à pontificatu, quem prætendebat, depositum declaravit potiùs quàm deposuit. Necessitas ergo remedii, ex quâ generali concilio jus coactivum tribuendum credebatur supra pontifices in extraordinariis casibus memoratis à Constantiensi, ac præsertim in difficillimo ejus temporis schismate, quò evanuerit, ex hactenùs disputatis quisque intelliget.

§ 5. *Animadversio de appellationibus à Papâ ad concilium generale.*

Unam hic animadversionem non prætermittendam existimo. Qui ex necessitate remedii in periculis fidei, vel in scandalis morum aut schismatum, ad generalium conciliorum auctoritatem supra ipsos summos pontifices propugnandam moventur, velim seriò conferant pericula et scandala quæ ex ipsorum sententiâ dimanant, eaque non difficilia, nec rara, sed facillima et frequentissima apud eos qui eamdem sententiam sequuntur. Ex hâc enim inter alia non pauca, quæ memorare non vacat, originem ducunt appellationes à sententiis etiam dogmaticis sedis Apostolicæ, seu summorum pontificum, ad generale concilium. Quæ et quot scandala hisce quoque posterioribus seculis post receptam à quamplurimis adversariorum sententiam appellationibus ejusmodi universam turbârint Ecclesiam, notissimum est : et utinam hujus scandali turbarumque reliquiæ adhuc non superessent ! Neque dicas appellationes non esse passim approbandas nisi in casibus extremis ac necessariis, earumque abusum atque frequentiam esse tollendam. Si enim appellatio à Papâ ad concilium œcumenicum tanquàm ad superiorem auctoritatem per se legitima est, quis cohibere poterit appellantes præsertim in materiis dogmaticis, quin suum casum extremum ac necessarium prætendant? Nonne inter causas et casus maximè necessarios illi potissimùm censentur, qui ad fidei doctrinam pertinent? Datâ autem adversariis hâc libertate, quònam evadet unitatis fidei cum Romanæ sedis fide jure primatûs necessaria, uti tractatu antecedenti demonstratum arbitror? Cùm itaque hæc pericula et scandala majora et frequentiora sint, quàm illa schismatum ob incerti juris pontifices, ratio autem dictet inter duo pericula et mala, quæ simul nequeunt vitari, illud potiùs cavendum, quod majus est atque frequentius; quis non intelliget scandalorum et periculorum nomine non approbandam, sed omninò rejiciendam adversariorum sententiam de jure conciliorum generalium in Romanos pontifices, eamque potiùs amplectendam, quæ pontificiam auctoritatem supra ipsa generalia concilia ita explicat statuitque, ut cum antiquitate planè concordet, quæque cum vi ac ratione primatûs concinens, unitati totius Ecclesiæ conservandæ præsertim in fide, turbulentissimisque dissensionibus et scandalis impediendis est maximè necessaria?

Hâc in re vellem adversarios catholicos legere Joannis Ludovici Moshemii celebris inter recentiores heterodoxos scriptoris dissertationem : « De Gallorum appellationibus ad concilium universæ Ecclesiæ, unitatem Ecclesiæ spectabilem tollentibus; » hanc enim eorum sententiam non cohærere probat cum illis principiis, quibus ex primatu divini juris Romanam sedem, seu Romanos pontifices totius Ecclesiæ et catholicæ unitatis centrum profitentur. Sed nos hisce subsidiis non indigemus. Quæ in præmisso tractatu de Vi et ratione primatûs disseruimus pro statuendo pontificii primatûs jure ac vi cogente ad unitatem communionis, et potissimùm fidei universam Ecclesiam, et vi quidem cum infallibilitate conjunctâ in definitionibus dogmaticis, omne prorsùs appellationum jus præsertim à definitionibus fidei palam excludunt. Quæ autem in hoc tractatu attulimus circa pontificum et condiliorum generalium auctoritatem, satis superque constituisse videntur, concilia quantumvis generalia, seu episcopos in conciliis generalibus convocatos collectivè sumptos, ita subesse jurisdictioni summorum pontificum, ut ad ipsa concilia quasi ad superius tribunal deferri nequeat propriè dicta appellatio.

CAPUT X.

PRINCIPIA ET SUMMA TOTIUS RATIOCINII, QUO GENERALIBUS CONCILIIS NEGANDUM EST JUS SUPRA ROMANOS PONTIFICES.

Quid autem hâc in disputatione immorer pluribus, si paucis vis omnis eorum quæ diximus, restringi queat? Quæstio de quâ in præsentiarum egimus, utrùm generale concilium jus habeat coactivum in Papam, cùm generalis concilii natura non solos episcopos, sed et ipsum Papam tanquàm Ecclesiæ catholicæ et generalis concilii caput complectatur, ejusque suffragium cum suffragiis episcoporum consentiens præsumat, contradictionem quamdam involvere non paucis visa est : in eum enim, qui decretis condendis suâ volun-

tate assentitur, jus coactivum non cadit. Si autem à Papâ separentur episcopi, et his decernentibus separatim à capite seu contra ipsum caput, jus coactivum in Papam tribuendum credatur (quæ esse videtur adversariorum sententia), id alio nomine repugnat; eò quòd episcopi quicumque, et quocumque numero coacti in synodo, et separati à capite, generale concilium non sint, nec in ipsum caput superiorem suum coactivam et propriè dictam jurisdictionem obtineant. Ut autem quod in hanc thesim statuendam multis disserui, unico veluti obtutu percipiatur, fortiùsque animo inhæreat, totius ratiocinationis summa ad quatuor certa principia revocare juverit.

Primum principium : « Certum est Papam « ratione primatûs eâ jurisdictione potiri, quâ « jure divino superior est totâ Ecclesiâ etiam « collectivè sumptâ, et quocumque etiam ge- « nerali concilio, seu quibuscumque episcopis « etiam collectis unà cum capite in generali « concilio, quod universalem Ecclesiam re- « præsentat. »

Id manifestum est ex constitutis in tractatu de Vi et ratione primatûs, quo Christus Petrum cum peculiari jurisdictione primatûs propriâ omnibus Apostolis totique Ecclesiæ præposuit, et in Petro æquè præposuit toti Ecclesiæ et cunctis episcopis Apostolorum successoribus ejus successores Romanos pontifices, ut ejusdem Ecclesiæ unitatem contineant atque tueantur. Non possent autem hunc finem effectumque obtinere, nisi præditi essent jure coactivo in omnes, cùm ipsa unitas non ex singulis tantùm distributivè acceptis, sed ex omnibus in unum coactis, seu collectivè sumptis coeat. Hoc quoque jus in omnes collectivè, quod fluit ex naturâ seu ratione primatûs, confirmavimus pluribus hoc ipso in tractatu cap. 4, § 3. Qui porrò jus habet coactivum in omnes etiam episcopos universalis Ecclesiæ sumptos collectivè, is procul dubio jus habere debet in eosdem, licet in generali frequentissimo concilio ex universâ Ecclesiâ convocatos, qui majori privilegio gaudere nequeunt, quàm ipsa universalis Ecclesia. Qui verò jus habet coactivum in aliquem, ejus superior est, ac idcircò omnes episcopi etiamsi collecti in generali synodo, in quos Romanus pontifex jus habet, ipsum superiorem suum agnoscant necesse est; idemque superior pariter est generalibus synodis et episcopis, qui in ipsis conveniunt.

Secundum principium : « Certum quoque « est nulli inferiori competere jus coactivum « in superiorem suum, nisi hoc jus inferiori « certis documentis probetur ab eo collatum, « qui eidem superiori jurisdictione præsit. »

Hujus principii prima pars cùm sit manifesta ex ipso naturali jure, quod à nemine in dubium vocari poterit, ampliori confirmatione non indiget.

Altera verò pars, quâ dicitur inferiori jus in superiorem suum conferri posse ab eo, qui ipsi superiori jurisdictione præstet, liquet ex ratione ipsâ naturali, quæ dictat hoc casu inferiorem utentem jure sibi tradito ab eo, qui in superiorem suum jurisdictione potitur, non inferioris, sed superioris delegantis personam gerere, et hoc jure in eumdem posse legitimè agere. Praxis etiam communis ejusmodi delegationum idem confirmat.

Tertia pars, quâ hoc jus inferiori collatum diximus esse probandum documentis sive rationibus certis, evidens est; aliàs enim certum superioris jus, quo eximitur à jurisdictione inferiorum, in ipsos inferiores exeri ab eo legitimè poterit, omneque jus inferiorum in superiorem inane, irritum et commentitium præferet.

Tertium principium : « Cùm ex dictis certum « sit summum pontificem esse superiorem, et « jus superioris habere in totam Ecclesiam, et « in ipsa generalia concilia, solus autem Deus « ipsius summi pontificis superior sit, nec Ec- « clesia, nec universale concilium, seu nec « episcopi ex totâ Ecclesiâ in generali concilio « adunati, quos Papâ inferiores vidimus jure « divino, poterunt in hunc superiorem suum « jurisdictionem exercere, nisi hæc jurisdic- « tio ipsis à Deo tributa certis documentis « probetur. »

Si Ecclesia et episcopi omnes etiam collecti in synodo œcumenicâ subjecti sunt jurisdictioni summorum pontificum, sequitur hos in spiritualibus soli Deo subesse, ut pleniùs cognoscetur ex constitutis cap. 5. Nemini verò, qui papâ inferior sit, posse asseri jus in ipsum, nisi hoc jus cuipiam à Deo tributum certis documentis probetur, liquet ex parte tertiâ principii præcedentis : neque enim jus in superiorem, quod inferiori non competit ex ipsâ ratione naturali, præsumi potest collatum à Deo naturalis legis auctore, nisi argumenta, quæ hanc divinam institutionem et delegationem quamdam adstruant, sint evidentia et penitùs certa, cùm præsertim agatur de jure in Papam quoque, si opus sit, deponendum, quod

potestatem requirit auferendi ab eo primatûs, qui non ab Ecclesiâ, nec à concilio, sed à Deo immediatè collatus summo pontifici, nonnisi auctore ipso Deo auferri potest. Vide c. 9, § 1 et 3.

Quartum principium : « Ut jurisdictio in « Papam inferiori, cui per se non competit, à « Deo collata certo aliquo monumento proba- « retur, afferendum esset aliquod explora- « tum testimonium vel sacræ Scripturæ, vel « traditionis sanctorum Patrum, vel aliqua « generalis concilii aut summorum pontificum « definitio, ex quibus fontibus erui potest « institutio aut delegatio divina. » Si nihil ex his proferatur, non erit certa institutio aut delegatio divina, seu certum non erit Deum eam potestatem supra pontificem superiorem suum tribuisse Ecclesiæ, vel generali concilio : ac propterea jus certum pontificis semper prævalebit ex certo pontificio primatu, quo jus in omnes collectivè certissimum obtinet.

Numquid verò ex recensitis certisque divinæ institutionis fontibus aliquid exploratum certumque adversarii protulerint, vidimus. Loca sacræ Scripturæ ac traditionis Patrum pro primatu pontificio in universam Ecclesiam et pro jure cogendi omnes collectivè nostræ sententiæ favent : pro statuendo autem jure concilii generalis supra Papam, nec (1) ex Scripturis, nec ex traditione quidquam ab adversariis ingestum apparuit, quod ad rem certò conficiendam pertineat. Pauci quidam textus, qui Papam inferiorum judicio subjiciunt sub eâ conditione, si erret in fide, cùm non adstruant jurisdictionem in Papam, nisi ob hæresis crimen desciverit ab Ecclesiâ, et primatu suâ voluntate spoliatus, pontifex ampliùs non sit, nihil adversariorum sententiæ prosunt. Concilii quoque 6 œcumenici anathema in Honorium post ejus mortem quàm sit à quæstione alienum patet ex animadversionibus propositis cap. 5, § 1. Ad rem propriùs pertinere videntur decreta Constantiensia, et facta depositionum in conciliis Pisano et Constantiensi. At nihil in his *certæ auctoritatis* reperiri, ex quo divina institutio et delegatio jurisdictionis in Papam concilii Patribus licet ipso Papâ inferioribus collatæ *certò* deduci queat, pluribus capitibus constitutum fuit. Decreta nimirùm Constantiensia sessionum 4 et 5, de potestate synodorum supra Papam certâ auctoritate carent, cùm ex defectu confirmationis Apostolicæ œcumenici concilii vim non habeant, neque edita fuerint tanquàm dogma fidei, sed veluti constitutio synodalis ex opinione, quæ in illis circumstantiis probabilior visa est, aliis aliter etiam in Constantiensi, et multò pluribus postea liberè et licitè opinantibus, qui ab ipsis adversariis hæretici habiti non sunt, nec vel hodie habentur. Facta depositionum in Pisano cur nihil contrariæ sententiæ prosint, sed potiùs obsint, intelliges ex cap. 6. Depositio autem Joannis XXIII in Constantiensi facta cum assensu ejusdem, qui et ante et post eidem voluntariè cessit, ad jus coactivum concilii referri nequit. Depositio Benedicti XIII, qui jam desertus etiam à suis, et ab universali Ecclesiâ ex omnibus obedientiis in Constantiensi adunatis separatus, à pontificatu, si quem obtinuisset, tanquàm hæreticus et schismaticus exciderat, in actualem verum pontificem lata nec fuit, nec dici potest.

Deficientibus autem quibuslibet *certæ* divinæ institutionis aut delegationis documentis, quæ ad probandum *certum* episcopis in generali concilio adunatis jus à Deo tributum in Papam superiorem suum esset penitùs necessaria, quid pro adversariorum sententiâ restat nisi ratio ducta ex solâ necessitate remedii potissimùm in casu pertinacissimi schismatis? Hæc verò ratio, etsi novæ opinioni inducendæ, gestisque Pisanis et Constantiensibus causam dedit, cùm tamen divinam institutionem

(1) Quidam pro statuendo ex Scripturis generalis concilii jure supra pontificem nimium abutuntur illis Christi verbis ad Petrum Matth. 18 : *Si peccaverit in te frater tuus*, etc., *dic Ecclesiæ* ; ac si Christus *Ecclesiæ* nomine generale concilium universam Ecclesiam repræsentans designaverit tanquàm tribunal, ad quod causæ pontificum, quæ in quæstionem veniant, deferendæ sint. At casus, de quo eo loco agitur, non erat de peccato Petri, sed de fratris crimine, qui Petrum offendisset, et bis correctus primùm à Petro *inter te et ipsum solum*, dein iterum adhibitis testibus noluisset resipiscere. Num si Papa sine fructu aliquem corrigat, qui ipsum offendit, convocandum erit generale concilium, ut juridica in eum feratur sententia, nec sufficiet cujusque ecclesiastici superioris judicium, qui potestate clavium præditus sit? Certè eo testimonio *Ecclesiæ* nomine *præpositos Ecclesiæ* generatim significatos S. Joannes Chrysostomus docuit, et Ecclesiæ praxis confirmat, ut notavi c. 1, § 1. Cur autem ejusmodi judicium alicui Ecclesiæ præposito sit committendum potius quàm ipsi summo pontifici, si à quopiam offendatur, ratio in promptu est : quia nemo etsi supremæ potestatis in propriâ causâ haberi solet idoneus judex, qui omni affectu ac præjudicio careat, nec in suspicionem aliquam veniat.

vel delegationem nostro proposito necessariam non probet, nihil conferre potest ad convellendum certum jus pontificii primatûs super episcopos omnes etiam collectivè sumptos, qui semper fuerunt, et sunt summis pontificibus inferiores, ac ex naturali ratione jus nullum in superiorem suum poterunt exercere, nisi certa, quæ hactenùs desideratur, divina institutio aut delegatio aliunde probetur. Esto igitur nihil utrinque certi dogmatis suppetat, vel omnia hinc et hinc in liberâ opinione versentur, adeò ut sicuti adversarios, qui Pisanis et Constantiensibus gestis nituntur, nullâ censurâ perstringendos putemus, ita et ipsi nos prædictis gestis multa opponentes neque hæreticos neque schismaticos habeant, sed cum Bossuetio æquissimè expetant, ut iisdem gestis nihil cogentibus, pacificè utrinque disputetur, quò pateat, ubi validioribus, plenioribus, lucidioribus documentis nitantur; quis conditionem adeò æquam recuset? Si autem sepositis præjudiciis expendantur diligenter, quæ tum ab adversariis, tum à me hactenùs fuerunt producta; quis theologicè rectèque ratiocinans non videat, eorum opinionem tam seræ originis, et auctoritatis tam recentioris, nulloque certo divinæ institutionis aut delegationis documento munitam præferri non posse sententiæ, quæ divino primatûs jure in omnes collectivè totâque antiquitate suffulta, sola inter Catholicos tredecim prioribus seculis viguit?

INDEX RERUM.

FINIS TOMI TERTII.

MIGNE, J.P. BQT 507 .M5 v.3
Theologiae cursus completus



